Vol. Zl. N.° 65.

perſonas, y bienes, muebles, y raizes, dere-
acciones, auidos, y por auer. Y dieron poder
ido à todos, è qualeſquier Iuezes, y Iuſticias de
geſtad, à cuya juriſdicion ſe ſometiã, y ſe ſome-
, y renunciaron ſu juriſdicion, y domicilio, pro
ero, y priuilegios, y la ley ſi conuenerit de iu-
one omnium iudicũ, para que por todo rigor
echo, y via mas executiua nos lo hagã cumplir
ſi fueſſe lleuado por ſentẽcia difinitiua de juez
tente, dada à nueſtro pedimiento, y conſenti-
o, y aquella fueſſe paſſada en coſa juzgada. So-
qual renunciamos todas, è qualeſquier leyes,
, è derechos, eſcritos, y no eſcritos, aſsi en gene
mo en eſpecial, y la ley que dize, que general re
ucion de leyes no valga, &c.

Ef

de la Hoz de Papia, y Doña Ana Maria
Gonçalez de Aluarado ſu muger,
auiendo precedido del ſuſodi-
cho licençia.

Y en quanto à la quinta capitulacion, que trata, Num. 11.
de que el dicho Bartolome Lopez Gon[illegible] uedaſſe Rollo, fol. 120.
obligado de dexar vinculados, y qu[illegible] go[illegible] larala capitula-
culaua de los demas bienes que le qu[illegible] ra d[illegible] que va pueſta
pues de ſus dias otros diez mil duca[illegible] caſa[illegible] num. 6.
mayorazgo del dicho don Iuan de la [illegible] demas
los diez mil ducados: Quieren, y es ſu voluntad, qu
ſe quede à diſpoſicion, y guſto del dicho Bartolome
Lopez Gonçalez, para que ſi quiere dexarlos vincula
dos en la dicha caſa, y mayorazgo, ſea, y ſe entienda
en fauor de la dicha doña Ana Maria ſu hija, ò de ſus
hijos, ò hija mayor, ò nieto del dicho Bartolome Lo-
pez Gonçalez, prefiriendo el varon à la hembra, y q
aunque los dexe vinculados, no teniendo hijos, ò hi-
jas, ò deſcendientes la ſuſodicha, pueda ſin embargo
del dicho vinculo, y clauſulas, y condiciones, teſtar, y
diſponer dellos en vida, ò en muerte, como de bienes
libres, y propios ſuyos, no ſugetos à reſtitucion, vin-
culo, ni mayorazgo en fauor de la perſona, ò perſonas
que le pareciere, con que en vida del dicho don Iuan
de la Hoz, la dicha doña Ana Maria, ni el dicho ſu ma
rido no los puedan vender, ni enagenar, donar, ni per
mutar, por ningun contrato, ni vltima voluntad, por
la

2.046
400

ILLVSTRISSIMI
ET REVERENDISSIMI
D. D. FRANCISCI
DE ARAVXO,
ORD. PRÆDICATORVM
VARIÆ ET SELECTÆ
DECISIONES MORALES:
AD STATVM ECCLESIASTICVM,
& Ciuilem Pertinentes.



ILLVSTRISSIMI
ET REVERENDISSIMI
D. D. FRANCISCI
DE ARAVXO,
ORD. PRAEDICATORVM
VARIAE ET SELECTAE
DECISIONES MORALES
AD STATVM ECCLESIASTICVM
& Civilem Pertinentes.

ILLVST.MI ET REVER.MI

D. D. FRANCISCI

DE ARAVXO,

ORD. PRÆDICATORVM:

OLIM APVD SALMANTICENSES

Theologiæ Professoris Primarij, Postmodum Episcopi Segouiensis,

Demum ad pristinum paupertatis statum reuersi,

VARIÆ ET SELECTÆ DECISIONES MORALES:

AD STATVM ECCLESIASTICVM

& Ciuilem Pertinentes.

OPVS BIPARTITVM SVIS SVMMARIIS

& Indicibus necessariis exornatum.

NVNC PRIMVM IN LVCEM PRODIT.



LVGDVNI.

Sumptib. PHILIPPI BORDE, LAVRENTII ARNAVD,
PETRI BORDE, ET GVILL. BARBIER.

M. DC. LXIV.

CVM APPROBAT. ET SVPERIORVM PERMISSV.

PALENCIA



DECISIONES NOVAE.

BEATISSIMO
ALEXANDRO VII.
PONTIFICI MAXIMO.

ACCIPE Beatiſſime Pater Opus hoc Morale in binos libros, ſiue Tomos partitum: in quorum primo *Deciſiones Morales ad Statum Eccleſiaſticum*; in ſecundo *Deciſiones ad Statum Ciuilem Reipublicæ ſecularis* ſpectantes, continentur; quas in vltimo vitæ periodo in communem totius Eccleſiæ vtilitatem dandas luci decreuimus. Hæc autem communis totius Eccleſiæ vtilitas, cui, niſi communi, & vniuerſali eius Patri proſpicienda, ac protegenda competit? Cui, niſi veſtræ Beatitudini, vtpote Petri clauigeri ſucceſſori, Chriſti Vicario, hominum maximo, ac Deo proximiori dicanda erat? *Papa eſt enim* (vt mihi loqui liceat cum Angelico relato à Gloſſa *in proœmio Clementinarum*, & Nauarro *in cap. nouit de iudiciis*) *ſtupor mundi, qui maxime rerum, nec Deus eſt, nec homo, quaſi neuter inter vtrumque.*

que. Sed neque ob hoc obſequium, quod Veſtræ Beatitudini, venerationis ergo, humilis offero; aliam mercedem repeto, aut ſpero præter ipſam veſtræ magnitudinis paternam benignitatem; per quam obſecro, vt me in numero obedientiſſimorum Apoſtolicæ ſedis filiorum dignetur adſcribere. Valeat igitur Veſtra Beatitudo dum ſupplex exoro in Neſtoreos annos, pro fidei Catholicæ propagatione, pro Chriſtianæ Religionis augmento, pro Chriſtianorum Principum concordia hiſce temporibus calamitoſis ſummopere neceſſaria, vt ſic concordes in Romanæ Eccleſiæ hoſtes arma conuertant.

Fr. FRANCISCVS EPISCOPVS
SEGOVIENSIS. Dicat & conſecrat.

Prologus ad Lectorem.

ECce tibi beneuole Lector, opus Morale ad quod calamum conuertendum post consummatam scholasticam Theologiam, & in Tui vtilitatem, communémque luci dandum promisimus: quo sacræ doctrinæ Doctoris munus ex parte impleremus. Est namque proprium doctrinæ sacræ Doctoris munus, vtrumque auditorum intellectum, scilicet speculatiuum, & practicum imbuere. Nos quoque pro nostro munere postquam speculatiuum auditorum imbuimus intellectum, quæstionibus scholasticis è suggestu olim dictatis; mox practicum quæstionibus moralibus pergimus imbuere, adinstar optimi Pastoris, qui gregi suo vtrumque pastum, nimirum delicatiorem, & grossiorem propinat. Cuius exemplar nobis profert Sacra Scriptura *Exodi* 3 in Moise, qui dum sui soceri sacerdotis Madiam gregem pasceret, postquam in anterioribus, & veluti oris deserti pauisset, illum ad interiora pascua deserti minauit. Haud aliter nobis accidit, qui prius gregem Theologicum quæstionibus scholasticis pauimus; nunc verò illum ad interiores quæstiones morales, non quia in se magis difficiles aut reconditæ sint, sed quia minus in scholis vsitatæ, pascendum minamus, & à duobus sponsæ vberibus lactandum hinnulis Capræ gemellis *Canticorum* 4 comparatis, in quibus has duas partes sacræ doctrinæ, videlicet Scholasticam, & Moralem, non nulli Patres autumant denotari. Igitur cum ab vno vbere sacræ sophiæ alumnos hucusque lactauerimus, nunc eos ab altero vbere lactandos suscepimus: Vt sic beneuole Lector in hoc latissimo deserto nullum sit pratum, quod nõ pertranseat cupiditas tua in hoc spatiosissimo campo, nulla sit rosa quam non odoreris: & in hoc ameniſſimo viridario nullus sit flos, quem non discerpas, nullus fructus, quem non colligas, nullus fructus quo non fruaris. Hoc autem viridarium bipartitum inuenies, idest, in binas arculas distinctum: quarum prima *quæstiones Canonicas & Regulares*, videlicet ad Ecclesiasticum, & Regularium statum spectantes tibi propinat. Secunda *Quæstiones ciuilis status*, nimirum de ciuilibus contractibus disputantes, öffert. Si quem autem florem iucũdum, aut fructum sapidum inueneris, obsecro ne cultori, sed satori tribuas. Si quem verò acerbum, insipidumue repereris, nostræ imputa hebetudini; nam quidquid imperfectum est, è nostro est; quod optimum autem, & perfectum est, desursum est à luminum Patre descendens, qui de tenebris, lumen facit splendescere. Est vtinam in tuo intellectu, vt nobis aliquales grates rependas, quod in tui vtilitatem, & publicum Ecclesiæ obsequium totam vitam consumpserimus, non affectu gloriæ humanæ conquirendæ, aut popularem auram capiendi, vt quidam Sciolus aulici fauoris cupidus nobis tacentibus protulit, experimentum patientiæ ac taciturnitatis nostræ faciens: cuius audaciam oraculum illud cantici Moisis retundit. *Vtinam saperet, & intelligeret, ac nouissima prouideret.* Sapias, intelligas, ac nouissima prouideas, ne grates rependendas in liuorem conuertas. *Vale, & ora pro me.*

APPRO

Approbatio huius Operis à Supremo, & Regali Senatu Caſtellæ præcepta, & per M. R. P. F. Didacum à Fortuna Theologiæ Moralis Prælectorem in Matritenſi Cenobio Franciſcano executioni mandata.

IAM olim mihi ſacra dicendi ambitio parauerat volumen hoc duplex: cuus titulus, *Opus Morale in duos Tomos diſtributum*, quorum in primo *Deciſiones morales ad Statum Eccleſiaſticum*: in ſecundo *Deciſiones ad Statum Reipublicæ ſecularis* ſpectantur; cunctos, quos Supremus Senatus, Sedéſque Caſtellæ ad cenſuram tradidit pro *Sapientiſſimo, & Illuſtriſſimo D. D. Franciſco de Arauxo, apud Salmanticenſes* olim *Primario Profeſſore*, & nunc *Epiſcopo Segouienſi*: qui quidem de Epiſcopatu ſuperſedens (forte ſecutus ipſe Albertum magnum protoparentem dignum) vt totus eſſet vnicus, & ſolus ad ſapientiam, & ad editionem Theologiæ grauiſſimæ Moralis ſe abdicauit: niſi fortè innueret, non ſcientiam propter Epiſcopatum, ſed Epiſcopatum propter ſcientiam debere adquiri. Tandem circa vtiliſſimam doctrinam & vtilitatem adæquatè, & verè reſoluit; vt ſic dignum munus Sedi Apoſtolicæ afferat de ſuis donis, ac datis; nec impediunt vltima perioda vitæ (vt ipſe de ſeipſo) *nam præclara ingenia multa innouant circa ſcientias* (ait Philo Iudæus) ſic enim ait Auguſtinus; *O quantus erit feruor meridianus cui tantæ lucis fuerunt crepuſcula!* Et opus hoc ſicut incredibili acumine conſcribitur, ita maturo, ſolidóque iudicio penſatur, ita quod ſuperſit omnino, ſi contra bonos mores, & myſteria fidei ſit Chimera. Demum gradus Doctoris Theologi ab ipſo honoratur; & referam illud Plinianum de Catone; Clariſſime poteſt intelligi de Catone, cuius authoritati triumphus, & cenſura minimum conferunt; & ſic tanto plus in ipſo eſt. Nihilque agit, quòd non ſit doctrina D. Thomæ, & in hac nihil vtile, quod non ſit ſimul delectabile: omnes, & ſingulas quæſtiones, cunctas concluſiones, & ferè omnia notabilia de ſplendore ipſius decerpit, vt ſit verum quod Eccleſia; Scripta eius tam multitudine quàm varietate, & facilitate explicandi res difficiles excellunt.

Vltimò non vt Compilator, ſed vt Author peperit hanc ſcientificam multitudinem. Nemo faciliter contra exteros Regni intelliget rationabilia ſecundum legem diuinam, & naturalem noſtram, imo & culpabiles nos ea fecere: inſpiciatur ratio, & ratiocinium, & ratiocinatio dicti Authoris, & erit munus, dignum Sanctiſſimo Papæ noſtro, & hoc prælum exultatio maxima Hiſpanæ nationi, quod ſubſcripſi 22. Septembris Anni 1659.

FRATER DIDACVS à Fortuna.

APPRO

Approbat R. P. M. Fr. Franciſcus de Arcos, Regis Catholici Concionator, Supremi Sanctæ Inquiſitionis, Senatus, Cenſor Almæ vniuerſitatis Toletanæ, Sacræ Paginæ Interpres, Archiepiſcopatus Toletani, Synodalis Examinator, Prouinciæ Caſtellæ Ordinis Sanctiſſimæ Trinitatis Redemptionis Captiuorum, olim Prouincialis.

CEleberrima eſt, & quæ Primarios totius Sacræ Theologiæ Moralis exacuit Calamos, & Ingenia ſtimulat Scholaſticorum, diu ventilata controuerſia; *Vtrum priuati vnius Doctoris Auctoritas opinionem ſtatuat probabilem?* Hanc adeo conſtanter ſuſtinent aliqui, vt ne reſponſioni quidem locum aliis relinqui velint; ita Caramuel *fund.* 11. *num.* 274. & *ſup. Reg. S. Bened. diſp.* 6. *num.* 33. & *in Mythol. lib.* 9. *num.* 1394. *Tom* 4. *fol.* 451. Dum enim certum eſt, (ait,) probabilem eam eſſe opinionem, quam tuentur Doctores quatuor: cur & illa non ſit probabilis, quæ vnius Auctoritate fulcitur? quod ſic eſſe viginti non minus Doctores tenent & aſtruunt: parcè ſatis Caramuel, nam ad triginta multi numerum extendunt, vti accuratè aduertit M. Martinez de Prado *in Append. contr. Caram. cap.* 33. *q.* 2. §. 4. atque dilucidè, & fecunda eruditione ad argumentum reſpondet.

Et quamuis nullo modo deſpiciendum videatur, quod ſtabili fundamento, & fundamentali ratione, admonet Clemens Alex. *lib.* 5. *ſtromat.* *Quod non omnibus qui imprudenter & temerè ſcribunt, oportet Aures præbere*; non facilè tamen quis inficiat, probabilem ſtatuere poſſe opinionem Doctorem vnicum, qui ea dignoſcitur eſſe Prudentia, Pietate, & Sapientia, quæ & illum cæteris excellentiorem, & præ cæteris commendatiorem prædicent. Eleganter ſatis, & prudenter hoc exprimit in ſua Theologia Morali Reuerendiſſimus P. Fr. Didacus à præſentatione, Generalis ordinis Carmelitarum Diſcalceatorum *cap.* 1. *dub.* 2. qui ſic ſcribit. *Neque propterea negamus, inueniri poſſe Doctorem, ita in ſcientia imminentem, Prudentia, Pietate præditum, quod tuto eius opinionem ſequi poſſemus, quamuis fundamenta eius non poſſemus penetrare ſed quis eſt hic, & laudabimus eum? qui faceret mirabilia in vita ſua? qui de ſua Pietate & Doctrina commendatus eſſet ab Eccleſia? vel qui in communi Doctorum aſſenſu tales eſſet, qualis requiritur vt dictum eius pro multis valeret.* Sed quamuis non diffitear procul et de vltimis finibus pretium tanti viri eſſe; & quod ad hæc vſque tempora, vix etiam adhibita Diogenis lucerna, inueniri potuiſſe; præ oculis tamen mihi obuium eum habere iudico, quando in lucem prodit *Illuſtriſſimus & Reuerendiſſimus P. M. Fr. Franciſcus de Arauxo Epiſcopus Segouienſis, & Catholicæ Maieſtati à Conſiliis*; qui Theologiam ſuam, variarum, ac ſelectarum deciſionum moralium taliter illuſtrauit, vt duobus Tomis, quaſi bina face inſtructus, quidquid tenebrarum, aut dubij in quouis ſtatu ſupererat, ſuæ Doctrinæ fulgore diſcuſſerit & illuminauerit. In Primo namque, quæ ad Statum Eccleſiaſticum pertinent clarè demonſtrat: in Secundo quæ ad Statum Ciuilem ſpectant luculenter aperit: ita vt iure merito, omnes & ſingulas in vno hoc Viro qualitates conueniſſe dixerim, quæ ſolam ipſius Auctoritatem, tanti faciant Ponderis & æſtimationis, vt in iis quæ docet & probat, opinionem probabilem ſolus valeat conſtituere.

Clemens Alexandrinus lib. 5. ſtrom.

Eſt ille Sanctiſſimi Patriarchæ Dominici, ad Solis radios expoſitus, & probatus filius, & in Sereno ſuæ Religionis firmamento, ſtella inter ſtellas, & quidem iuxta Apoſtolum ſtella quæ à ſtella differt in Claritate: per multos Annos Salmanticæ Theologiam Scholaſticam docuit, Cathedraticus Primarius, hanc quaſi, plurimis diſperſis radiis, variis voluminibus prælo dedit; atque in commune bonum & Chriſtianorum inſtructionem & eruditionem, conſultationibus, ſi in toto orbe, grauiſſimis & difficillimis, reſpondit, ſatisfecit. Ac ne diutiùs ſub modio lateret, ſuper Pontificium Candelabrum eſt poſitus, & tantum de ſe luminis, & ſplendoris in Epiſcopatus Segouienſis onere & munere edidit, quod dies diei eructauit verbum, & nox nocti eam indicauerit ſcientiam, quâ ductus, raro exemplo, dimiſſis Infulâ & Pedo, à Marthæ turbata ſolicitudine erga plurima, ad Mariæ partem vnicam, & optimam ſe receperit: ſicque ad Religioſam & monaſticam ſolitudinis cellam regreſſus, ſortem illam feliciter adeptus eſt, de qua Caſſiodorus; *Nulla in orbe poteſt eſſe fortuna, quam litterarum non augeat glorioſa Doctrina*: ibi apud Deum illud Prophetæ experitur, & ſapit; *Secretum meum mihi, ſecretum meum mihi*; ibi apud homines, ſummum illud tuto ſibi vendicat, quod adeò Sapienti cuidam erat in votis, dum diceret, *Amari, coli, ac diligi, maius Imperio eſt.* Adeò enim Scripta & virtutes, dilectum Deo & hominibus Illuſtriſſimum & Reuerendiſſimum hunc virum, quauis æſtimatione, & veneratione dignum faciunt, adeò eius Pontificiæ Perfectiones, & Religioſæ virtutes,

Aurelius Caſſiodorus.

Apud Scriptores politic.

& amabilem, & tota dilectione amplectendum commendant, vt non immerito ad ſupracitatam inquiſitionem, & interrogationem, quiſque mecum reſpondeat & dicat, *hic eſt, hic eſt, & laudabimus eum, facit enim mirabilia in vita ſua.*

De reliquo quod meum eſt præſtiti,& hos duos Tomos,vt olim,ita & nunc tanti Magiſtri Diſcipulus, perlegi attentè, & auidè : quatenus & in hac ætate aliquid addiſcerem, & tot, & tam fragrantes odore & ſapore flores, ſuauiter delambendo, faui quicquam & mellis mihi ipſi conficerem. Examinaui & itidem euolui, ne Poteſtati reſiſterem, & hoc ex commiſſione D.L.Don Alphonſi de Riuas, Vicarij Generalis Madritenſis, pro Eminentiſſimo Cardinali Sandoual Domini mei; & tantum abeſt vt in iis aliquid habeatur, quod Orthodoxæ fidei,aut Chriſtianis moribus aduerſetur, quin potius hi Tomi tot & tam efficacibus referti ſunt documentis, & argumentis,vt merito ſperandum ſit,ex iis relaxatos mores reformandos fore, & Charitatem quæ in tot Chriſtianorum cordibus refriguit, ardore multiplici, & intenſiore, de nouo reaccendendam eſſe. Dat. in noſtro conuentu Sanctiſſimæ Trinitatis & Redemptionis captiuorum, Matritenſi die 10. Septembris. Anni 1659.

Fr. FRANCISCVS DE ARCOS.

APPROBATIO.

ILluſtriſſimi & Reuerendiſſimi D. D. Franciſci de Arauxo Ordinis Prædicatorum, Olim apud Salmanticenſes Theologiæ Profeſſoris Primarij,poſtmodum Epiſcopi Segouienſis,demum ad priſtinum paupertatis ſtatum reuerſi quod hoc ſeculo rariſſimum; Varias & Selectas Deciſiones Morales ad Statum Eccleſiaſticum, & Ciuilem pertinentes,cum maxima animi voluptate perlegimus, & tantam clariſſimi huius viri eruditionem demirantes,eas nedum vtiles,imò pernecеſſarias ipſis etiam viris Doctiſſimis iudicauimus;quare nedum prælo digas æſtimauimus, ſed & Bibliopolas laude dignas quod hoc opus pro vtilitate publica, in lucem edere ſtatuerint. Sic nos infraſcripti Doctores Theologi Pariſienſes cenſuimus & diximus,hac die 28. Aprilis an. Dom.1664.

Fr. IOANNES ROBE'.
Fr. PAVLVS LANDRY.

Approbatio Ordinarij.

IMprimatur, Lugduni die trigeſima Aprilis, anni milleſimi ſexcenteſimi ſexageſimi-quarti.

DE NEVF-VILLE *Vic. Gen.*

Conſenſus Procuratoris Regij.

VIſis Approbationibus ſupradictis non impedio pro Rege, quin hic liber à PHILIPPO BORDE, LAVRENTIO ARNAVD & Sociis Bibliopolis Lugdunenſibus excuſus in lucem prodeat, cum inhibitionibus in tali caſu requiſitis & ſolitis. Datum Lugduni die 4. Maij 1664.

VIDAVD

PERMISSIO.

FIat conformiter Concluſionibus Procuratoris Regij; Datum Lugduni die quarta Maij anni milleſimi ſexcenteſimi ſexageſimi-quarti.

DE SEVE.

INDEX

INDEX
TRACTATVVM, QVÆSTIONVM,
Diſputationum &c. quæ in hoc volumine continentur.

TOMVS I.

In tres Tractatus partitus.

TRACTATVS I.

In decem quæſtiones diuiſus.

QVÆST. I. VTRVM Abbatiſſa Sanctę Claræ poſſit excommunicari ab Epiſcopo vel eius Vicario propterea quod non adducit ad portam Nouitiam, quæ cuidam iuueni nuptias iurauit? pag. 2

II. Vtrum promotus ad beneficium habens annexam curam animarum teneatur infra annum à die pacificæ poſſeſſionis ordinem Presbyteratus aſſumere, ceſſante legitimo impedimento, ita vt anno tranſacto maneat ipſo facto tali beneficio priuatus. p. 4

III. Vtrum Clericus electus in Epiſcopum qui poſt electionem reſultat vehementer ſuſpectus de concubinatu, aut etiam conuictus in iudicio, poſſit ac debeat impediri in poſſeſſione Epiſcopatus? p. 13

IV. Quo pacto iudices fidei vitent irregularitatem, tradendo reos brachio ſeculari morte plectendos? p. 16

V. De beneficiario obtinente beneficium curatum ante legitimam ætatem & ſine intentione aſcendendi ad Sacerdotium, ſimúlque alij caſus concernentes reſoluuntur. p. 19

VI. Vtrum habitus militarium ordinum vendi poſſint abſque Simoniæ labe vel abſque vllo peccato. p. 22

VII. De eo qui in ſeculo voto ſimplici de ingrediendo arctiorem Religionem fuit adſtrictus; an tuta conſcientia poſſit laxiorem profiteri, & in ea permanere? p. 33

VIII. De facultate Regularium ad audiendas Confeſſiones in tres ſectiones diuiſa. p. 39

SECT. I. Qua ratione mendicantes Religioſi per ſua priuilegia & Confeſſarij Ordinarij ex priuilegio Bullæ Cruciatæ, poſſint pœnitentes abſoluere ab excommunicatione nedum iuris ſed etiam ab homine impoſita. ibid.

II. Quo pacto ſit hæc facultas Regularium ab Epiſcopo independens. p. 42

III. Quis virtute Bullæ Cruciatæ poſſit Confeſſarium eligere & quis in Confeſſarium eligi poſſit?. p. 44

QVÆST. IX. Vtrum Religioſus recurrens ad Papam vel ad Superiorem ſui ordinis ſine licentia Prælati Ordinarij excuſetur à culpa & pœnis fugitiui? p. 54

X. Vtrum ritè & iuſtè Prouincialis Carmelitanus ad correctionem duorum fratrum ſibi ſubditorum vſque ad exilium proceſſerit contra ſimplex mandatum ſui Generalis, ad quem cauſa vitandæ correctionis confugerunt?

TRACTATVS. II.

Vndecim continens quæſtiones.

QVÆST. XI. VTrum Epiſcopus poſſit diſpenſare in irregularitate, quam Iudex laicus incurrit per ſententiam mortis ſiue mutilationis latam, & executioni mandatam? pagina 68

XII. De poteſtate Epiſcoporum ad abſoluendum à crimine hæreſis occulto in foro Sacramentali: vtrum Epiſcopus poſſit ſuo Diœceſano talem abſolutionem impendere? Deinde vtrum ſuppoſito, quod probabilior ſit opinio negatiua, poſſit talem hæreticum abſoluere à crimine & excommunicatione vtendo ſua opinione minus probabili? p. 71

XIII. Vtrum Iudex Scholaſticus Salman-

tinus sit omninò exemptus à iurisdictione Episcopi Salmanticensis, hoc est; Vtrum sit exemptus à tali iurisdictione non solùm ratione officij Cancellariæ, sed etiam ratione dignitatis Scholasticæ quam habet in Ecclesia Cathedrali eiusdem ciuitatis? p.73

XIV. De iuribus & censibus antiquis emptis ad rationem de viginti milliaribus pro vno milliari soluendo Iuristæ aut Censualistæ. Vtrum lex Principis disponens, vt huiusmodi iura & census deinceps constituantur & eleuentur ad rationem de triginti milliaribus pro vno soluendo esset iusta adeò, vt etiam personas & communitates Ecclesiasticas obligaret? p.75

XV. De verbali salutatione qua Concionatores initio concionis salutare solent Dominos Episcopos per hæc verba, *Illustrissime Domine*; vtrum eadem possint aut debeant Capitulum absente Episcopo salutare? p.77

XVI. An liceat quandoque animalia bruta adiurare, & contra illa sententiam excommunicationis proferre? pag.82

XVII. Vtrum valor Missæ sit tantus, vt si offeratur pro pluribus tantundem prosit illis, ac si pro vno duntaxat offeratur? p.84

XVIII. An in articulo mortis possit ritè & rectè quis absolui à quocumque etiam simplici Sacerdote à quibuscumque casibus etiam reseruatis Superiori? pag.88

XIX. Vtrum possit summus Pontifex in solemni voto continentiæ ordinis Sacri aut Religionis dispensare? p.90

XX. An Adiuncti ex decreto Concilij Tridentini habeant cum Episcopo aliquam iurisdictionem totalem aut partialem? p.133

DVB. I. Vtrum Episcopus in aliquo casu possit sine Adiunctorum consilio & assensu procedere? p.114

II. Vtrum aliqua iurisdictio Adiunctis à Concilio concedatur? p.116

III. Vtrum Capitulares huic priuilegio Adiunctorum possint cedere? p.118

IV. Vtrum hoc beneficium Adiunctorum ad omnes Ecclesias Cathedrales & Collegiatas extendatur? p.119

V. Vtrum beneficium Adiunctorum ad portionarios extendatur? p.121

VI. Vtrum sede vacante Capitulum in causa criminali contra aliquem de Capitulo mota, debeat procedere cum Adiunctis? pag.123

VII. Vtrum Tertius, qui eligitur in discordia iuxta formam Concilij debeat esse Capitularis eiusdem Capituli? ibid.

VIII. Vtrum cesset iurisdictio Adiunctorum, statim atque profert diffinitiuam sententiam? p.126

IX. Vtrum delinquente altero Adiunctorum determinanda sit causa criminalis ipsius cum socio? p.127

X. Quænam sit aut quomodo appellanda huiusmodi Adiunctorum iurisdictio?

QV. XXI. Vtrum Episcopi consecratio possit validè fieri per vnum tantùm Episcopum, aut sine Bullis præsentibus? pag.128

DIFFIC. I. An consecratio Episcopi facta per vnum duntaxat Episcopum cum duobus assistentibus non Episcopis sit valida, ita vt non sit opus eam reiterare etiam sub conditione? ibid.

II. Vtrum valida sit consecratio Episcopi facta extra curiam Romanam sine literarum Apostolicarum præsentatione. p.131

TRACTATVS III.

Alias vndecim quæstiones comprehendens.

QVÆST. XXII. VTrum Spiritus Sanctus, qui est Diuinarum reuelationum Author, sit aliquando carnem humanam assumpturus, & qua censura digna sit sententia affirmans? p.137

XXIII. §.I. Vtrum ex raptibus & reuelationibus priuatim factis alicui personæ sumatur sufficiens testimonium ad eius Canonizationem aut Beatificationem? pag.144

§.II. Quæ conditiones Diuinas à falsis reuelationibus distinguant? p.130

III. Quæ & quotuplex sit extasum & visionum efficiens causa? p.157

IV. Expenduntur modi discernendi Diuinas à falsis reuelationibus. p.160

V. Quibus notis vera miracula à falsis distinguantur? p.162

QV. XXIV. An habere commercium & societatem cum Dæmone ita sit intrinsecè malum, vt nulla possit causa honestari? p.168

§. I. Explicantur modi quibus homines possunt habere huiusmodi commercium & societatem cum Dæmone, cum titulo quæstionis. ibid.

II. Quæstio decidítur discurrendo per singula

singula commercij genera singulis assertionibus. ibid.

III. De commercio & collocutione cum Dæmonibus extra exorcismos. p.172

IV. Expenditur sententia Cardinalis Caietani in commentario Articuli secundi Quæstionis 90. p.179

V. Quid sentiendum de iis qui à Dæmone audiunt doctrinam de mysteriis fidei, & prædicationem futurorum contingentium, illámque in codicibus scribunt, & codices scriptos seruant, tanquam à veritatis Magistro dictatos. p.181

VI. De censuris ac notis quibus huiusmodi Dæmonum pacta, inuocationes, diuinationes, vanæ ac superstitiosæ obseruantiæ sint qualificandæ,& à fidei iudicibus puniendæ. p.193

Qv. XXV. Vtrum anima defuncti patiatur detrimentum ex hoc quod eleemosynæ vel restitutiones quas mandauit fieri retardantur? p.198

XXVI. De Regularibus, in qua plura dubia ad statum regularium spectantia soluuntur? p.200

Dvb. I. An professio illius, qui morbum grauem, incurabilem & incompatibilem cum obseruantia constitutionum atque regulæ talis religionis occultauit, sit valida? ibid.

II. Vtrum professio coniugis, cuius vxor fuit adultera sit valida; & an vt sit valida,debeat coniux relictus ingredi quoque religionem? p.204

III. De aliis defectibus & adnotatis causis à Sixto V. Quid sit sentiendum; & vtrum iam sint ad ius commune redacti? p.210

IV. De lege pœnali in Capitulo generali concernente electionem cuiusdam Generalis Magistri totius Ordinis Prædicatorum, &c. p.211

V. De præsentatione facta ad Cathedram vespertinam Academiæ Salmanticensis cuidam Dominicano Complutensi Theologo, qui semel acceptatam præsentationem repulit: Quæritur quid iuris: vel vtrum dicta præsentatio legitimè ab aliquo impediri, aut eam repudiare nominatus potuerit? p.212

VI. Vtrum pensio siue beneficium illius nouitij qui ante completum annum probationis professionem emisit causa mortis, in quodam ordine mendicantium, vacauerit? p.214

VII. Vtrum si dictus nouitius toto anno probationis in lecto decumbat,possit ad legitimam de iure ordinario professionem completo anno ritè & validè admitti? p.216

VIII. De professione tacita quando & quomodo incurratur? p.219

Qv. XXVII. De clausura Regularium in duas difficultates diuisa? p.221

Diffic. I. Vtrum Religiosus siue Monachus siue ordinis mendicantium possit ob necessitatem parentum monasterium exire,& extra claustrum manere retento sui ordinis habitu? ibid.

II. Quibus in casibus & de cuius licentia liceat Monialibus monasterium exire? p.226

Qv. XXVIII. De Monacho professo ad Episcopatum euecto in tria dubia diuisa. 1. Vtrum maneat obligatus ad Monachalis Regulæ obseruantiam? pag. 230. 2. Vtrum voto paupertatis maneat adstrictus? p.232. 3. Vtrum possit de bonis patrimonialibus iure hæreditatis in Episcopatu obtentis testari? p.234

XXIX. De peculio quod possunt habere Religiosi in claustro manentes: Et quid de semel eiecto iuridicè sit sentiendum. p.237

XXX. De facultate, quam à iure habent ad populis concionandum Regulares. p.241

XXXI. Resoluuntur plures casus, tum ad censuras Ecclesiasticas,tum ad ordinum receptionem pertinentes. p.247

Casvs I. De assumente ordines minores, aut vtens illis cum excommunicatione, vtrum incurrat irregularitatem? ibid.

II. De Excommunicato; vtrum recipiat verum Sacramentum? p.251

III. Vtrum percutiens Clericum, cum ignorantia statuti Ecclesiæ imponentis pœnam excommunicationis maioris cuicumque manus violentas in Clericum iniicienti, ob ignorantiam excusetur? p.252

IV. De excommunicato quodam publicè & nominatim, qui in articulo mortis, & in foro animæ dumtaxat obtinuit absolutionem: Inquiritur an possit ac debeat potiri Ecclesiastica sepultura? p.254

V. Vtrum imagines obscenas habere in loco publico aut pingere, sit peccatum lethale scandali? p.256

VI. De promoto ad ordinem sacrum ante legitimam ætatem; An manserit irregularis,& quis cum eo possit dispensare? ibid.

VII. De promoto ad ordines absque licentia sui ordinarij, an manserit suspensus aut etiam irregularis? Et an Ordi-

narius possit eum à suspensione quam incurrit, absoluere? p.258
VIII. De quodam ordine Sacro Diaconatus initiato, qui ob minas illatas fœminæ nuptæ videtur irregularitatem incurrisse. ibid.
IX. De quodam Studente inuento in iocosa armorum contentione, ex qua Ioannes iocosè percussus à Paulo interiit: An iste studens qui Paulum comitabatur, manserit irregularis? p.259
X. Vtrum Religiosus Dominicanus, qui alium fratrem eiusdem ordinis extra conuentum moribundum inuenit, quem contra Medici iudicium, in curru imposuit, & misit ad conuentum quò perueniens statim mortuus fuit; contraxerit irregularitatem in homicidio casuali? p.260
VLT. An liceat dare fidelibus sacram communionem in Parasceue & Sabbatho sancto? ibid.
QVÆST. XXXII. Resoluuntur plures casus de iure patronatus atque de Regularibus? p.261
DIFFIC. I. De iure patronatus. ibid.
II. De Regularibus. p.263
III. De quibusdam casibus qui se obtulerunt disputandi ob mortem Patris cuiusdam Prouincialis qui morte præuentus officium sui Prouincialatus non perfecit. p.265
IV. De Renuntiatione. p.268
V De Residentia. p.269
VI. De testibus non propalandis in Religionibus. p.247
VII. Resoluuntur casus quidam ad quorundam officiorum venditionem spectantes. p.176
VIII. Resoluuntur alij casus ad materiam tritici venalis spectantes. p.277

TOMVS II.

DISP. I. DE Contractibus in septem quæstionibus diuisa. p.281
QVÆST. I. Circa explicationem legitimam cap. *Nauiganti* de vsuris. ibid.
DVB. I. De primo casu capitis *Nauiganti*, vtrum sit vsurarius? p.282
II. Circa secundum casum eiusdem cap. *Nauiganti*, vtrum à labe vsuræ sit immunis? p.287
III. Circa tertium casum, cuius formula in cap. *Nauiganti* refertur. p.288
QVÆST. II. Vtrum liceat emptori & venditori seipsos inuicem decipere citra dimidium pretij? p.290
III. Vtrum licita sit cum quibus conditionibus census annui siue perpetui siue temporalis emptio? p.293
IV. Vtrum liceat censum semel creatum iusto pretio viliori emere? p.296
V. Vtrum liceat pecuniam exponere in societatem saluo Capitali? p.297
VI. Vtrum dispensatoribus montis, qui vulgo dicitur pietatis, aut posito, liceat aliquam paruam siue mediocrem quantitatem vltra sortem mutuatam recipere? p.301
VII. De Vsurario contractu. Vtrũ cuncta bona vsurarij sint tacitè hypothecata vel aliquo modo obligata restitutioni faciendæ mutuatario? p.306
DISPVT. II.
PARS I. De Iudæorum baptizatorum Regni Lusitani culpa ob ignorantiam, aut aliam causam commissa: Vtrum ita minuatur siue excusetur à parte, vt mereatur pœnarum ordinariam relaxationem ex Regis benignitate aut auri penso. p.310
SECT. I. Quid facti species habeat? p.310
II. Quænam sint causæ, ob quas hæc relaxatio siue cõdonatio possit reddi licita? ibid.
III. Sitne licitum & expediens Iudæos nunc in Regno Lusitano commorantes ab illo expellere? p.311
IV. Quæ sit mens authoris, aut veritas in hac parte tenenda? p.314
V. Satisfit argumentis in oppositum. p.318
PARS II. De illis Hebræis, qui è Lusitaniæ regno ad Castellæ, Galeciæ, & Vandaliæ regna confugerunt: Vtrum simili indulto gaudere debeant? p.319
§. I. Proponitur status disputationis, provt res in præsenti habet. ibid.
II. Huiusmodi commutatiuam remissionem licitam esse secundum se. ibid.
III. Non modò licita, verùm etiam conueniens & expediens est huiusmodi indulgentia pro culpis dumtaxat hucusque commissis. p.321
IV. Quid sequatur expediens ex dictis circa confiscationem bonorum. p.322
DISPVT. III. De sortium nequam vsu quandoque honesto, & cum quibus conditionibus in sex paragraphos diuisa. p.324
§. I. Vnde sors dicta fuerit, quid sit, & qui Authores de illa tractent? ibid.
II. Quotuplex sit sortium vsus ac modus? p.326
III. Quæ sit efficacia sortium? p.328
IV. De vsu sortis diuisoriæ cum quibus conditionibus sit licitus. p.335
V. De vsu sortis consultoriæ cum quibus conditionibus licitus reddi queat. p.342

VI. De

Quæstionum, Disputationum, &c.

VI. De sorte diuinatoria, quando & cum quibus conditionibus sit licita. p.348

DISPVT. IV. De Appellationibus. p.352

DIFFIC. I. Vtrum à sententia vel lege Domini Papæ liceat appellare? ibid.

II. Ex quo capite iustificari queat ab Ecclesiasticis tribunalibus ad Regia recursus ob causam auferendi violentiam. p.368

III. Vtrum hoc recursu ac beneficio pro violentia propulsanda possint vti Religiosi? p.379

IV. Vtrum appellatio legitimè interposita suspendat effectum siue executionem censuræ? p.384

V. Vtrum appellatio interposita aliquando operetur effectum in possessione siue manutentione semel obtenta? p.387

DISPVT. V. In quo peccent Actores & Auditores Comediarum aut à peccato excusentur, in tres sectiones diuisa. p.390

SECT. I. Comedias agere & audire non esse opus de se malum. ibid.

II. Vtrum inspectio spectaculorum ac Comediarum in quibus turpia repræsentantur sit mala ac peccaminosa? p.392

III. Quid sentiendum de Comediis provt sunt in vsu ac de more in Hispania aguntur. p.394

DISPVT. VI. Quando liceat è duobus malis imminentibus eligere minus? p.397

DISPVT. VII. PARS. I. Vtrum lucrum turpe datum & acceptum sit obnoxium restitutioni? p.400

II. De stipulationibus quæ sunt turpes ex vtraque parte: vtrum inducant in recipiente ipso facto obligationem restituendi pretiũ turpiter receptum? p.405

DISPVT. VIII. De officiis publicis ad iustitiam administrandam institutis? p.414

SECT. VNIC. Vtrum licitè à Principe vendi possint aut etiam à Republica, quæ seipsam gubernat? ibid.

DISPVT. IX. De opinione eligenda in concursu alterius. p.423

CASVS I. De illo qui nititur agere contra conscientiam errantem, dubiam, opinantem aut scrupulosam. p.436

II. De illo qui operatur contra conscientiam dubiam. p.437

III. De illo qui contra conscientiam opinantem agit. p.438

IV. De illo qui scrupulis pungitur, nunquid licet ei agere contra conscientiam scrupulosam. p.441

V. De illo Confessario qui excipiens confessionem pœnitentis, qui secundum opinionem minus probabilẽ operatus fuerat actum vel contractum scrupulosum, imo & peccaminosum secundum contrariam opinionem probabiliorem: tenebitúrne iste Confessarius absoluere talem pœnitentem, si conscius & sequax sit talis opinionis, quam dicimus probabiliorem. p.442

VI. De Iudice qui in ferendo sententiam contra suam propriam & probabiliorem opinionem sequitur aliorum minus probabilem, numquid peccat iste? p.444

VII. De Medico; Vtrum scilicet liceat ei in curando ægrotum vti opinione nedum æquè probabili & tuta, sed etiam minus tuta & minus probabili dummodo probabilis sit? p.447

VIII. De illo qui rationabiliter dubitat, an votum vel iuramentum emiserit aut promissionem alteri fecerit, vel contractum cum altero inierit, debeátne tanquam tutiorem partem existimare, se votum siue iuramentum emisisse, promissionem feciſſe, aut contractum iniisse? p.448

IX. De Executore sententię iustæ cui constat de ipsius sententiæ iniustitia. p.449

X. De illis Doctoribus, qui de facili audent in fauorem Principis arbitria consulere in detrimentum Ecclesiasticæ libertatis, quæ proculdubio est materia iniustitiæ ac Religionis, an sint audiendi necne? p.451

XI. De Rege siue Principe, qui cum dubitatione aut probabili duntaxat opinione sui iuris aduersus alterum bellum indicit. ibid.

VLT. Vtrum possit quis simul vel successiuè conformare se duabus opinionibus contradictoriè oppositis, ex quarum coniunctione sequitur enervatio siue inobseruantia præcepti. p.459

DISPVT. X. De Amicitia in duas facultates diuisa. p.464

DIFFIC. I. De amicitia inter æquales. Quæ sit lex amicitiæ, & quo iure homines liget? ibid.

II. De amicitia speciali Principis ad subditos. Vtrum Principi, Regi ac Dynastæ expediat amicissimum Aulicum, (vulgo priuado) habere, apud quem sit totius regiminis pondus? p.467

DISPVT. XI. De quibusdam casibus materiam Matrimonij concernentibus in octo quæstiones diuisa. p.478

QVÆST. I. Vtrum fœmina quam pater genuit ex concubina soluta, durante matrimonio inualido censenda sit filia naturalis aut spuria? ibid.

II. An in primo gradu consanguinitatis lineæ transuersalis sit prohibitum & inualidũ matrimonium iure naturali, sicut est

est in linea recta ascendentium & descendentium ? Ad cuius calcem expendetur, quid sentiendum sit de connubio cum pluribus vxoribus seu Polygamia? p.482

III. An puella post contractum matrimonium per verba de præsenti, & consummatum ex parte, ei violentiam inferendo intra bimestre possit ad Religionem transire? p.495

IV. Vtrum vni coniugi subesse possit iusta causa negandi debitum alteri petenti post bimestre transactum? p.499

V. De votis quæ mulier ante matrimonium emisit. Vtrum transiens ad nuptias possit maritus ea irritare, ita vt non reuiuiscant soluto matrimonio? p.508

VI. Vtrum matrimonium inter Catholicam & hæreticum initum validum ac licitum sit? p.511

VII. An nobilis promittens & iurans ac vouens puellæ æqualiter aut ferè æqualiter nobili se illam in vxorem ducturum intra sex menses, dum quædam Ecclesiastica beneficia & pensiones componit, sub pœna soluendi eidem puellæ in dotem decem millia ducata argentea, teneatur ad nuptias celebrandas, vel ad pœnam soluendam, possitque interim dicta beneficia Ecclesiastica possidere & alia de nouo acceptare? p.517

VIII. An Sponsalia ista & similia inter impares contracta sint nulla & rescindentia? p.521

Dispvt. XII. De his ad quæ Regalis potestas se extendit, in duas difficultates diuisa? p.531

Diffic. I. An Rex possit rite & rectè *estancar los lutos* tum Matriti, tum in ciuitate Cordubensi, absque præiudicio Ecclesiasticæ libertatis? ibid.

II. Vtrum supremus Princeps possit populo iusta de causa nouum tributum siue nouam gabellam imponere? p.537

Dispvt. XIII. An impediens quempiam ab officio vel beneficio consequendo ad quod ius habeat, aut etiam ab eius expectatiua; teneatur illatum damnum compensare? p.543

Disp. XIV. De Simonia, duas continens partes. In quarum prima resoluuntur quidam casus eandem materiam concernentes. In secunda expenditur radicitus Simoniæ materia iuxta ordinem & articulos Angelici Doctoris. p.549

Pars I. De mediatore Simoniæ in beneficio. Vtrum teneatur ad fructuum restitutionem? ibid.

II. De Simonia iuxta ordinem Angelici Doctoris in sex Articulos discussa. p.554

Artic. I. Vtrum Simonia sit studiosa voluntas emendi vel vendendi aliquid spirituale, siue spirituali annexum? ibid.

II. Vtrum semper sit illicitum pro Sacramentis pecuniam dare? p.563

III. Vtrum liceat dare & accipere pecuniam pro spiritualibus actionibus? p.579

IV. Vtrum sit licitum pecuniam accipere pro iis quæ sunt spiritualibus annexa? ibid.

V. Vtrum liceat spiritualia dare pro munere quod est ab obsequio, vel à lingua? p.593

VI Vtrum sit conueniens Simoniaci pœna, quod priuetur eo, quod per simoniam adquisiuit. p.609

Dispvt. XV. De quibusdam casibus ad varias materias pertinentibus. p.615

§. I. Resoluuntur tres casus quorum duo priores de simonia confidentiali tractant. ibid.

II. Aliorum casuum resolutio expenditur. p.616

QVÆSTIONES CANONICÆ SELECTÆ IN TRES TRACTATVS PARTITÆ.

TRACTATVS PRIMVS
In decem Quæstiones diuisus.

SVMMARIVM
Quæstionis primæ.

1 ABBATISSA monita ab ordinario, ne admittat aliquam ad habitum, vel professionem, sine præuia consultatione Episcopi, contrarium faciens potest Ecclesiasticis censuris compelli.

2 In tribus duntaxat casibus potest ordinarius iuxta Concilij Tridentini dispositionem ferre censuras contra exemptos, qui habent priuilegium speciale à sede Apostolica.

3 Huiusmodi priuilegium habent etiam moniales ordinis Sanctæ Claræ saltem per communicationem.

4 Censuræ latæ ab Ordinariis contra huiusmodi exemptos sunt ipso iure inualidæ, non item latæ à legatis à latere.

5 Priuilegium hoc exemptionis regularium intelligendum est cum limitatione.

6 Tres casus excipiuntur à Concilio Tridentino, in quibus possunt Ordinarij contra exemptos per censuras procedere.

7 Casus autem huius quæstionis est omninò diuersus ab his tribus exceptis in Concilio.

8 Potestas Episcoporum quantùm ad censuras est ligata.

9 Solus Summus Pontifex & legatus à latere possunt censuris quoscunque exemptos cogere.

10 Concessa iurisdictione, censentur concessa illa, sine quibus exerceri non valet.

11 Potest Episcopus Abbatissam nolentem ad portam adducere nouitiam, quæ viro nuptias promisit, deponere ab officio, & aliis pœnis temporalibus plectere, nisi dicta nouitia rebellis esset & nollet venire.

12 Impugnatur Salzedus dicens posse Ordinarium censuris procedere contra Religiosos iniustè coniugem in Monasterio detinentes.

13 Abbatissa requisita, & citata nouitiam, vel nuptam trahere nolens, Ordinarius ex facultate Nuntij, siue legati ingreditur Monasterium cum ministris sufficientibus ad illam extrahendam, vt matrimonium reintegretur.

14 Declarationes Cardinalium non sunt authenticæ, nisi sint subscriptæ chirographo, & sigillo Cardinalis præsidentis, atque etiam Secretarij Congregationis, prout declarauit suo decreto Vrbanus Octauus.

15 Episcopus citans exemptos vt compareant, quorum priuilegium non est notorium, potest eos excommunicare, nisi priuilegium habeant in contrarium.

16 Expenditur casus Prioriſſæ Lucensis, quæ transtulit in quendam secularem ius quod habebat conuentus ad certa bona immobilia sine licentia superioris, & sine consensu maioris partis conuentus.

17 Expenditur in quo consistat alienatio rerum Ecclesiæ, prohibita in iure & in dicta extrauaganti.

18 Ius ad bona nondum realiter apprehensa, non est de genere bonorum, quæ prohibentur sub dictis pœnis alienari.

QVÆSTIO I.

Vtrum Abbatiſſa Sanctæ Claræ poſſit excommunicari ab Epiſcopo, vel eius Vicario: propterea quod non adducit ad portam nouitiam, quæ cuidam iuueni nuptias iurauit?

RATIO dubitandi, pro parte affirmante ſumitur ex quadam declaratione Eminentiſſimorum Cardinalium allegata à Marcilla ſuper *cap.* 17. *ſeſſionis* 25. *Tridentini*, vbi decernitur quod † Abbatiſſa monita ab Ordinario ne admittat aliquam ad habitum, vel profeſſionem, ſine præuia conſultatione Epiſcopi, contrarium faciens poſſit eccleſiaſticis cenſuris & aliis pœnis compelli, vltra taxatos à Concilio Tridentino *capite citato in fine*: decernente ſuſpendi Abbatiſſam ad arbitrium Epiſcopi, propterea quod Epiſcopum ante menſem non fecit certiorem de tempore, quo nouitia profeſſionem emittere deberet: ergo à paritate rationis, & in noſtro caſu poterit compelli cenſuris Abbatiſſa ad proferendum nouitiam. 1

Sed hiis non obſtantibus pars negatiua in noſtro caſu tanquam vera tenenda eſt; Eo quod † in tribus duntaxat caſibus poteſt ordinarius ſecundum Concilij Tridentini diſpoſitionem, ferre cenſuras excommunicationis, ſuſpenſionis, aut interdicti contra exemptos, qui habent ſpeciale priuilegium à Sede Apoſtolica, ne excommunicari, ſuſpendi, aut interdici poſſint ab ordinariis, quale habent mendicantes, vt conſtat ex eorum compendio V. *exemptio*: & Patres Societatis IESV, vt conſtat ex Bulla Pauli III. edita anno 1549. in fauorem ipſius ſocietatis: quo etiam priuilegio gaudent moniales eorumdem ordinum mendicantium. Quæ doctrina eſt communiter recepta à Doctoribus, in qua præſertim conueniunt Rodericus *tom.* 2. *Regularium quæſt.* 63. *art.* 4. & *duobus ſequentibus* & *art.* 11. & *tom.* 1 *ſummæ editione* 2. *cap.* 74. *num.* 4. Enriquez *lib.* 7. *de indulgentiis cap.* 25. Gambara *de officio legati lib.* 8. *cap. vltimo*, qui habetur *tom.* 13. *tractatuum parte* 2. Sanchez *lib.* 7. *de matrimonio diſp.* 33. *num.* 22. *& lib.* 6. *decalogi cap.* 1. Miranda *in directorio quæſt.* 35. *art.* 11. & Portel. V. *Epiſcopus n.* 5. ſpecialiter autem ordini Franciſcano conceſſa ſunt priuilegia à Nicolao V. Clemente IV. Sixto IV. Clemente VII. Pio IV. & Benedicto XI. Clemente VIII. & Paulo V. 2

(† Quibus & moniales eiuſdem Ordinis ſaltim per communicationem gaudent,) ne fratres minores poſſint excommunicari, ſuſpendi, aut interdici ab aliquo Epiſcopo, aut ordinario, niſi tantùm à legato à latere: & tunc non aliter niſi facta dictorum priuilegiorum expreſſa mentione; priuilegiúmque huiuſmodi exemptionis operatur, vt † ſententiæ dictarum cenſurarum latæ ab ordinariis contra exemptos ſint ipſo iure inualidæ ob defectum iuriſdictionis, ſed non inualidat ſententias latas à legatis à latere, quia horum iuriſdictioni ſicut & ſummi Pontificis, exempti manent ſubiecti attento iure communi, vt ipſe Rodericus notat *quæſtione citata artic.* 6. 3 4

Quod tamen † exemptionis priuilegiũ intelligendum eſt cum hac limitatione, niſi expreſsè concedatur Epiſcopis & locorum ordinariis, vt in aliquibus caſibus poſſint cenſuris latis contra exemptos procedere: tunc enim in eis caſibus validæ erunt cenſuræ latæ ab illis contra exemptos, non obſtante eorum priuilegio; vt ſcitè aduertunt authores nuper citati. † Caſus autem hi tantum ſunt tres excepti à Concilo Tridentino. Quorum primus habetur *ſeſſione* 22. *decreto de vitandis & obſeruandis in celebratione Miſſæ*; vbi conceditur Epiſcopis facultas procedendi per cenſuras contra exemptos, celebrantes in oratorio priuato, hoc eſt extra Eccleſiam & locum ſacrum, & ab ordinario non approbato, aut horis non debitis, aut ritibus inſolitis vtentes. Secundus habetur *ſeſſ.* 25. *cap.* 5. vbi præcipitur Epiſcopis vt clauſuram monialibus imponant, & inobedientes, aut contradicentes cenſuris compellant. Tertius habetur *cap.* 16. *eiuſdem ſeſſionis*. Vbi conceditur Epiſcopis, vt per cenſuras cogant exemptos reſtituere bona nouitiis reſipiſcentibus. † Atqui iſte caſus de quo loquimur, eſt diuerſus omnino ab exceptis in Concilio, neque in illis vllatenus comprehenditur, vtpote quorum nullus eſt cauſa matrimonialis. Ergo in hoc caſu non poteſt Epiſcopus cenſuris compellere moniales aut Abbatiſſam, vt nouitiam quæ nuptias viro promiſit aut iurauit, ad portam deferant. 5 6 7

Secundò probatur ex *cap.* 1. *de priuilegiis in* 6. vbi poſtquam decretum fuiſſet Epiſcopum habere iuriſdictionem in exemptos delinquentes, aut contrahentes extra locum exemptum, ſubditur in hæc verba. *In eos autem quibus ne interdici, ſuſpendi, vel excommunicari à quoquam valeant, à Sede Apoſtolica indultum eſt (ſicut ſunt Religioſi quamplures) in quorum priuilegiis continetur, nè quiſquam Epiſcopus vel Archiepiſcopus monaſteriorum ſuorum monachas pro vlla cauſa, vllove loco interdicere, ſuſpendere, vel excommunicare præſumat: iidem Ordinarij iuriſdictionem ſuam quantum ad iſta vbicumque illi fuerint, penitus exercere non poſſint.* Quibus verbis denotatur quantum ad iſta, id eſt quantum ad huiuſmodi † Cenſuras eſſe ligatam poteſtatem Epiſcoporum, vt ſi illas ferant nullius ſint valoris, ant momenti ob defectum poteſtatis, vel quia à poteſtate ligata & impedita ad talem effectum, procedunt. † Soliquè Summus Pontifex, & legatus à latere excipiuntur, qui poterint cenſuris quoſcumque exemptos cogere, vt ex communi ſententia Hoſtienſis, Archidiaco, & Dominici ſuper eadem decretali, de priuilegiis, Rodericus & Sanchez, in locis præallegatis teſtantur. Dices, quo modo ſtat Epiſcopum poſſe habere iuriſdictionem in exemptos & tamen non poſſe illos cenſuris ligare? cum ad cenſuram ſola poteſtas iuriſdictionis deſideretur: aut quomodo Epiſcopus & eius Vicarius procedet contra Religioſos exemptos, quando iniuſtè detinent eum qui nuptias promiſit, ne promiſſionem adimpleat? aut quando iniuſtè detinent coniugem nouitium ſiue etiam profeſſum, qui relicto conſorte in ſæculo non ſeruatis 8 9

tis seruandis à iure, religionem ingressus aut etiam professus est? eo vel maximè quod in his casibus in quibus non agitur de Religionis priuilegiis aut ipsa concernentibus, neque de statu regularium, sed de matrimonij instauratione, sponsæ vel coniugij reuocatione; quæ minus legitimè ingressa est aut Religionem professa, Episcopos habere plenam iurisdictionem in Religiosos exẽptos, & posse procedere contra illos, testantur Salcedo in additionibus ad practicam Bernardi diatr. *c.3.littera. A.* §. *punire*, & Rojas *de hæreticis prima parte num.* 155. qui & in praxi ita se vidisse affirmant. Eo vel maximè quod hoc munus instaurationis matrimonij & coniugij reuocationis proprium esse ordinarij constat ex *c.1. de conuersat. coniugum.* Et quia Ordinario competit plena iurisdictio contra extraneos & exemptos impedientes suam iurisdictionem, ac tandem quia † concessa iurisdictione censentur ea concessa sine quibus exerceri non valet ex lege 2. ff. de iurisdictione omnium iudicum, alioquin frustranea & inanis esset potestas, quæ ad actum secundum reduci non posset.

Huic obiectioni dicendum est, optimè stare, Episcopum habere iurisdictionem in exemptos, & illos non posse ligare censuris, sed aliis mediis &
10 pœnis eos posse cogere; eò quòd habet † iurisdictionem quoad hunc effectum cẽsuræ ligatam & impeditam, per eorumdem exemptorum priuilegia, præterquam quod in illis tribus casibus assignatis à Concilio Tridentino, in quibus Concilij reduxit potestatẽ Episcoporũ ad statum iuris communis: in aliis autem decretis scilicet sessionis 25. *c.*13.14.& 17. subiecit exemptos Episcopis quoad illos compellendos: vt publicis interfint processionibus, quoad componendas cõtrouersias super præcedentia locorum; quoad punitionẽ Religiosorum, extra claustrum notoriè & cum scandalo delinquentium, si à prælato monito non corrigantur, & quoad explorandam voluntatem puellæ professuræ: & *cap.* 4. eiusdem sessionis: quoad puniendum Religiosum vagantem sine licentia scripta sui prælati, in quibus tamen casibus noluit Concilium, quod Episcopi vterẽtur censuris, quia dum hoc non expressit, non leuiter innuit se Episcopis hanc iurisdictionem noluisse dare. Vnde in casibus adductis poterit ordinarius exemptos compellere & contra eos siue fratres sint siue sorores ordinum mendicãtium, procedere aliis pœ-
11 nis, ne iudicium eludatur. v. g. † potest Abbatissam nolentem ad portam adducere nouitiam quæ viro nuptias promisit, deponere ab officio, & pœnis aliis temporalibus plectere. Secùs foret si nouitia vocata rebellis esset & nollet venire, tunc enim Abbatissa sicut non erit in culpa, ita neque digna esset aliqua pœna, sed tunc nouitia iam renuens venire ad portam aut è monasterio exire, censeretur voluntatem ac promissionem retractare, & ideo neque compellenda esset alio iuris remedio ad exeundum.

12 In † 2. verò & 3. casu Salcedo supra allegatus existimat, ob rationes adductas posse ordinarium contra Religiosos iniustè coniugem detinentes, censuris procedere. Sed non est sustinendus, neq; eius rationes id conuincunt: non prima, quia licet id munus sit proprium ordinarij, intelligitur aliis remediis vtendo: neque secunda, quia ordinario intelligitur dari plena potestas contra impedientes suam iurisdictionem, nisi per priuilegium speciale ligata & restricta sit eius potestas, quoad aliquam specialem pœnam; neque tertia, quia concessa iurisdictione, conceduntur ea sine quibus exerceri non potest, nisi per speciale priuilegium ligetur quoad aliquem effectum, neque proinde erit frustranea, siquidem aliis pœnis vti potest. Quod si † nouitiam, vel nuptam in præfatis casibus Abba- 13
tissa adhuc requisita & citata tradere noluerit; Ordinarius ex facultate Nuntij siue legati monasterium ingrediatur, cum ministris sufficientibus ad illam extrahendam, vt matrimonium reintegretur, & ne iudicium frustretur. Sicut & ad extrahendam fœminam ob delictum illuc confugientem aut ibi depositam.

Ad rationem autem dubitandi à principio adductam; Respondetur illas † declarationes Congre- 14
gationis Eminentissimorum Cardinalium, non esse authenticas, nisi sint subscriptæ chirographo & sigillo Cardinalis Præsidentis & Secretarij Congregationis, prout nouissimè suo decreto Vrbanus VIII. edito anno 1631. declarauit: dic etiam prædictam declarationem, non loqui in nostro casu, sed in eo dumtaxat in quo Abbatissa contra mandatum Episcopi recepit puellam ad professionem, in quo loquitur Cõcilium in dicto cap. 17. sess. 25. dicens, posse ob eam culpam suspendi Abbatissam ab Episcopo; sed inde non licet colligere eadem pœna posse vti in nostro casu qui est diuersus; & à diuersis non efficitur illatio. Neque colligere licet in eo casu posse Episcopum excommunicare, aut interdicere Abbatissam, siquidem Concilium solam expressit suspensionem, reliquas tacens censuras: Quo denotauit, ad solam suspensionem voluisse in illo casu Episcopo concedere iurisdictionem, nam singularis exceptio firmat regulam in contrarium.

Quid si † Episcopus citet exemptos vt com- 15
pareãt, quorum priuilegium non esset notorium, nonne tenerentur comparere; & si non compareant, nonne rite & validè poterunt ab Episcopo excommunicari? Respondetur posse, nisi priuilegium habeant ne possint excommunicari cum clausula irritante, de quo videatur Sanchez vbi supra *num.*23.

Hinc venimus ad resolutionem alterius casus † cuiusdam Abbatissæ, seu Priorissæ Lucensis, 16
quæ transtulit in quemdam secularem ius quod habebat Cõuentus ad certa bona immobilia, sine licentia superioris, & sine consensu totius aut maioris partis Conuentus, de qua dubitatum fuit, vtrùm propter hoc incurrerit in vtroque foro pœnas taxatas à Paulo II. in extrauaganti *ambitiosæ*? Respondeo, supponendo † in quo con- 17
sistat alienatio rerum Ecclesiæ, prohibita in iure & in dicta Extrauaganti, nec non quod bona quæ prohibentur alienari sunt immobilia, aut quasi immobilia, ac tandem quæ pœnæ sint istæ contra alienantes dicta bona Ecclesiæ sine debitis conditionibus in iure requisitis, & cum quibus conditionibus tales pœnæ ab alienantibus incurruntur, de quibus videndus est Azorius 2. *parte lib.* 9. *capit.* 2. Vnde quia istæ conditiones in nostro casu defecerunt, ideo dicta Abbatissa non fuit incursa in tales pœnas priuationis &c. nimirum quia ignoranter fecit, quia non præsumptuosè: quia dicta extrauagans quoad pnas ibi taxatas non est vsu recepta, & quia † 18
ius ad bona nondum realiter possessa & apprehensa, non est de genere bonorum, quæ prohibentur sub his pœnis alienare.

SVMMARIVM QVÆSTIONIS Secundæ.

1 *Conueniunt omnes authores, qui de hac materia tractant, in duobus aſſertis.*
2 *Refertur decretum eiuſdem Concilij ſeſſ. 24. cap. 12. de reformatione, præcipiens ne deinceps aliquis dignitatem, canonicatum, aut portionem recipiat, niſi fuerit initiatus eo ordine ſacro, quem talis præbenda requirit: aut niſi ſit in tali ætate, vt infrà annum initiari valeat.*
3 *Omnes Canonicatus, & portiones in Eccleſiis Cathedralibus habent annexum aliquem ordinem ſacrum ex eodem Concilio ſeſſ. 23. c. 12. de reformatione.*
4 *Obtinens beneficium quodcunque ſiue præbendam, cui cura animarum eſt annexa, tenetur infra annum à die pacificæ poſſeſſionis ordinem præsbyteratus ſuſcipere; alioquin priuatus manet ipſo facto tali beneficio, ſeu præbenda, ex eodem Concilio in dicta ſeſſ. 24. cap. 12.*
5 *Obtinens beneficium curatum cum animo laicandi, aut non aſcendendi ad Præsbyteratum intra annum peccat mortaliter, quia habet intentionem violandi iuris præceptum: & tenetur ad fructuum perceptorum reſtitutionem.*
6 *Nullus ad regimen Eccleſiæ Parochialis debet aſſumi, niſi ſit idoneus moribus & ſcientia & ætate.*
7 *Ignorantia facti non iuris excuſat.*
8 *Ignorantia craſſa eſt illa, quam quis incurrit dum habet aliquod principium vel occaſionem dubitandi, & non vult ſapientiorem adire, qui eum inſtruat de veritate.*
9 *Stultorum numerus infinitus.*
10 *Lex puniens præſumentem, ſimpliciter facienti ignoſcit.*
11 *Sumentes ſacros Ordines bona fide & ignorantia probabili, non incurrunt ipſo iure ſuſpenſionem.*
12 *Ordinatus ad titulum parochialis Eccleſiæ ante legitimam ætatem obtentam, non incurrit ſuſpenſionem contra malè promotos latam.*
13 *Eccleſia non iudicat de occultis.*
14 *Sacrum ordinem ſument ſine legitimo titulo manet ſuſpenſus per antiquos canones, ſcilicet* nominum & ſanctorum.
15 *Ex Concilio Tridentino Epiſcopi & Archiepiſcopi etiam Cardinalitia dignitate fungentes, ſi intra tres menſes munus conſecrationis non ſuſceperint, ad fructuum reſtitutionem tenentur; ſi intra ſex, Eccleſiis ipſo iure priuantur.*
16 *Neglectus ſemper eſt culpabilis, contemptus damnabilis.*
17 *Nulla lex pœnalis diſponere ſolet, excepta illa per quam fertur excommunicatio.*
18 *Beneficiarij non promoti ad Sacerdotium intra annum, etiam ſi admoniti non fuerunt, ipſo facto ſunt priuati Eccleſia parochiali.*
19 *Epiſcopus poteſt diſpenſare cum clerico cauſa ſtudiorum per ſeptennium ne promoueatur ad Sacerdotium, dummodo intra annum initietur Subdiaconatu.*
20 *Poteſt etiam diſpenſare per tempus magis limitatum, ex alia cauſa rationabili.*
21 *Clerico omittenti ſuſcipere ſacerdotium intra annum cum intentione percipiendi fructus illius anni & dimittendi Eccleſiam, duplex pœna imponitur in dicto cap.* commiſſa. *Altera correſpondens ipſi omiſſioni ſacerdotis: & altera correſpondens eius internæ intentioni, quam Eccleſia poteſt punire, prout manifeſtatur actu externo.*
22 *Eccleſia non poteſt punire actus purè internos.*
23 *Explicatur verbum illud* teneberis ad reſtitutionem fructuum, *in dicto cap.* commiſſa.
24 *Ex eodem capit.* commiſſa, *explicantur verba;* cæterum ſi promoueri ad ſacerdotium non intendens, &c.
25 *Diuinum & naturale ius cuius Deus eſt conditor & legiſlator, poteſt actus purè internos punire.*
26 *Obligatio conditionalis deficiente conditione non tenet.*

QVÆSTIO II.

Selecta.

Vtrum promotus ad beneficium habens annexam curam animarum teneatur infra annum à die pacificæ poſſeſſionis ordinem Presbyteratus aſſumere, ceſſante legitimo impedimento, ita vt anno tranſacto, maneat ipſo facto tali beneficio priuatus.

IN hac celebri quæſtione hoc ordine eſt procedendum, vt primo loco authores qui de ea tractant, & in quo conueniunt, recenſeantur. Deinde in quo diſſentiant. Tertiò verior ſententia expendetur, & ſtatuetur pro concluſione. Et vltimo loco quædam corollaria inferentur, & nonnullæ difficultates acceſſoriæ diſſoluentur.

Igitur authores qui de hoc tractant argumento, ſunt. Angelus. V. *clericus* 7. §. 5. & 6. Gabriel in 4. *diſp.* 15. *quæſt.* 8. *art.* 3. *dubio* 1. Paludanus ibidem *quæſt.* 2. *artic.* 5. Siluester V. *beneficium* 3. *quæſt.* 2. Sotus *lib.* 10. *de iuſtitia quæſt.* 5. *art.* 6. Nauarrus *in manuali cap.* 25. n. 117. Bazquius *opuſculo de Beneficiis cap.* 3. §. 3. & alij recentiores; qui omnes † conueniunt in duobus aſſertis, & diſcriminantur in alio. Conueniunt quidem Primò in eo quod obtinens beneficium, ſiue præbendam, in Eccleſia Cathedrali, vel Collegiata, cui non eſt annexa cura animarum, tenetur intra annum aſſumere ordinem ſacrum, tali beneficio, dignitati, ſeu præbendæ annexum: alioquin incurrit pœnas taxatas à Concilio Vienenſi in Clementina *vt ij qui*, de ætate & qualitate ordinandorum, nimirum, quod ſuffragio priuetur in capitulo ex tunc, vel ex quo intra annum debitum ordinem non ſuſceperit,

rit, & dimidia parte distributorum. Quas pœnas renouat Tridentina Synodus, & alias imponendas arbitrio Episcopi sess. 22. cap. 4. de reformatione, sub his verbis. *Quicunq; in Cathedrali, vel collegiata seculari, vel regulari Ecclesia diuinis mancipatus officiis, in subdiaconatus ordine saltim constitutus non sit: vocem in huiusmodi Ecclesiis in capitulo non habeat, etiam si hoc sibi ab aliis liberè fuerit concessum. Si verò qui dignitates, personatus, officia, præbendas, portiones ac qualibet alia beneficia in dictis Ecclesiis obtinent, vel in posterum obtinebunt, quibus onera varia sunt annexa, videlicet, vt alij missas, alij Euangelium, alij Epistolas dicant, seu cantent, quocumq; priuilegio, exemptione, prærogatiua, generis nobilitate sint insigniti, teneantur, iusto impedimento cessante, infra annum ordines suscipere requisitos, alioquin pœnas incurrant, iuxta constitutionem Concilij Viennensis quæ incipit* vt ij qui; *quam præsenti decreto innouat.* Et subditur; *sub eisdem, & aliis etiam grauioribus pœnis arbitrio Episcoporum imponendis. Neque aliis imposterum fiat prouisio, nisi iis qui iam ætatem & cæteras habilitates integrè habere dignoscuntur, aliter irrita sit prouisio.*

2 *Sessione* autem † 24. *cap.* 12. *de reformatione* præcipitur, quod nemo deinceps dignitatem, aut canonicatum, aut portionem recipiat, nisi ille qui eo ordine sacro sit initiatus, quem illa præbenda requirit; aut in tali ætate, vt infra tempus à iure, & à sancta Synodo statutũ initiari valeat: hoc est infra annum, provt ex superiori decreto constat, & insuper quod ad cæteras dignitates vel personatus quibus animarum cura non est annexa, clerici aliàs idonei & 22. annis non minores promoueantur, hoc est 22. annis completis: alioquin de promouendis ad dignitates, & personatus curam animarum habentes annexam, prædixerat in *eod. c.* eos debere saltem 25. ætatis annum attingere, & in clericali ordine versatos esse. Sed de canonicatu (qui sub nomine personatus non comprehenditur) seruandum est quod in eodem contextu paulò infra decernitur, scilicet neminem posse deinceps ad canonicatum ascendere, nisi qui sit in ea ætate saltem, vt intra tempus à iure & sancta Synodo statutum possit initiari ordine
3 sacro requisito. † Omnes quoque canonicatus ac portiones in quibuscumque Ecclesiis Cathedralibus habere annexum aliquem ordinem sacrum, scilicet presbyterij, diaconatus, aut subdiaconatus. Cum ergo canonicatus quandoque habeat annexum solum ordinem subdiaconatus, ad quem suscipiendum sufficit 22. annum attigisse, vt eadem sancta Synodus decreuerat *supra. sess.* 23. *cap.* 2. *de reformatione*, consequens est, minorem ætatem requiri & sufficere ei, qui promouetur ad canonicatum, cui annexus est subdiaconatus, quàm ei qui ad dignitatem vel personatum promouetur. Quia in hoc requiritur ætas 22. annorum completorum ad minus: in illo verò sufficit 21. annorum attigisse: siquidem intra vnum annum attingit vigesimum secundum, in quo potest subdiaconatu initiari.

Secundò conueniunt circa dignitates, siue personatus quibus cura animarum est annexa, & beneficia parochialia, (quia eiusdem naturæ & con-
4 ditionis sunt) quod † obtinens huiusmodi dignitatem, seu beneficium curatum, teneatur intra annum à die pacificæ possessionis ordinem præsbyteratus assumere: alioquin priuatus tali dignitate seu beneficio, ipso facto etiam nulla præmissa motione maneat. Nam de obtinentibus huiusce dignitates, vt ita dicam curatas, decernitur in cap. *cum in cunctis. §. inferiora*; de electione quod est Alexandri III. in Concilio Lateranensi; quod intra annum sacerdotes ordinentur, alioquin si admoniti id non fecerint, priuentur Ecclesia, & beneficio, siue dignitate, quod decretum renouatur in Concilio Tridentino *sess. citata* 24. *cap.* 12. *de reformatione*: & superadditur, quod nemo deinceps promoueatur ad huiusce dignitates siue personatus, quibus animarum cura est annexa, nisi 25. annum suæ ætatis attigerit, & in clericali ordine fuerit versatus, quod pariter per identitatem rationis de promouendis ad beneficia curata, siue Ecclesias parochiales intelligendum est. De quibus postea, id est post decretum Alexandri III. in cap. *licet canon.* & cap. *cum ex eo*, & *cap. commissa de electione in sexto* decernunt Summi Pontifices, Gregorius X. & Bonifacius VIII. vt nisi intra annum sacerdotio initientur, cessante impedimento ex rationabili causa proueniente, priuati sint ipso facto tali beneficio etiam nulla præmissa monitione. Limitantes nimirum & restringentes constitutionem Alexandri III. quoad conditionem monitionis: Hic enim in sua cõstitutione non imponit pœnam priuationis beneficij omittentibus sacerdotij assumptionem intra annum, nisi præmissa monitione. Illi verò Summi Pontifices in suis præfatis tribus constitutionibus etiam sine præmissa monitione eos tali pœna priuationis mulctant ipso facto incurrenda. Quid si huiusmodi beneficiarius post obtentum beneficium, aut personatum curatum, aut quando illud suscipit, habeat animum laicandi, aut non assumendi Sacerdotij ordinem saltem intra annum à die præscriptum: aut etiam cum hac intentione tale beneficium siue personatum, vel dignitatem obtineat? Respondeo cum communiter quoque recepta sententia, istum peccare quidem mortaliter, quia habet intentionem violandi iuris præceptum, & teneri ad fructuum restitutionem præceptorum toto eo tempore, quo habuit talem contrariam iuri intentionem, & beneficium resignare, si intra debitum tempus Sacerdotium non recipiat: Si autem mutata intentione Sacerdotium suscipiat intra tempus à iure statutum, neque ad fructuum restitutionem, neque ad beneficium resignandum teneri. Si denique bona intentione beneficium obtineat, & illa mutata ad Sacerdotium non ascendit intra annum, teneri quidem ad resignandum beneficium, sed non ad fructuum restitutionem, quia illos fructus medij temporis fecit suos in foro conscientiæ. Ratio primi corollarij duplex est, quam assignat Nauarrus vbi supra scilicet capit. 25. Manualis *numero* 117. & Bazquius *in dicto capite* 3. §. 3. *dubio* 1. tum quia ista pœna priuationis beneficij & fructuum illius, recipientibus duntaxat beneficia curata est imposita in iure, scilicet in prælegato *cap. commissa §. cæterum, de electione in sexto*: quæ proinde ad alia beneficia simplicia non est extendenda: tum etiam quia fructus horũ beneficiorum curatorum iure naturali, atque ex natura, & institutione ipsorum dantur propter officium, & recipiuntur ratione officij, ac ministerij sacerdotalis aut exhibiti aut exhibendi, alioquin fraudulenta dicitur talis fructuum perceptio *in dicto cap. commissa*. Ratione quidem officij exhibiti percipiuntur, ab illo qui ordinatus sacerdos inseruit suæ Eccle-

ſiæ & beneficio : ratione verò officij exhibendi percipiuntur fructus illius anni, quem ius Eccleſiaſticum, veluti determinando obligationem iuris naturalis, quæ determinata non erat ab ipſo, præſcripſit vt intra illum fieret Sacerdos. Quam determinationem merito fecit Eccleſia, ne Parochiales Eccleſiæ aut beneficia curata digniſſimis quandoque miniſtris ob defectum ordinis Sacerdotalis priuarentur. Ratio autem ſecundi eſt, quia tunc neutra pœna locum habet : non priuationis fructuum, quia illos fecit ſuos ratione officij futuri poſt annum, intra quẽ Sacerdotio ſupponitur initiatus; neque pœna priuationis beneficij, quia hæc ſolùm imponitur à iure eis, qui ſacerdotium intra annũ realiter non recipiunt, non verò eis qui affectum aut intentionem habuerunt illud non recepiendi, ſi cum affectu mutata intentione illud receperunt intra legitimum tempus. Ratio denique tertij eſt, quia illi fructus medij temporis correſpondent officio in futurum exhibendo, quos proinde potuit percipere, & facere ſuos talis beneficiarius, intuitu officij exhibendi, ſecundum eius exiſtimationem & bonam fidem, etiam ſi poſtea mutata intentione cum affectu non fiat ſacerdos. Vnde à die mutatæ intentionis, ſi poſtea non ordinatur, tenebitur fructus reſtituere. Hinc poteſt deduci quartum corollarium circa beneficia ſimplicia, quæ ſunt in duplici genere; alia enim poſtulant aliquem ordinem ſacrum, vt de dignitatibus, canonicatibus, & portionibus Eccleſiarum Cathedralium & collegiatarum diximus: alia verò nullum ſacrum ordinem poſtulant, niſi ſolum
5 clericatum aut primam tonſuram. Et quidem † obtinens beneficium primi generis, cum intentione laicandi vel non aſſumendi ordinem ſacrum illi annexum beneficio, intra tempus à iure conſtitutum, peccat mortaliter, quia habet animum violandi ius in materia graui, ſed ad fructuum reſtitutionem non tenetur, dummodo debitum ſeruitum impediat, vt tenet communis ſententia Nauarri, vbi ſupra, Silueſtri, verbo, *beneficium*, 3. *q.* 2. & *q.* 23. Paludani & Soti vbi ſupr. & Vazquij *dubio* 1. contra Gabrielem loco citato, falsò exiſtimantem tunc nedum peccare, ſed etiam teneri ad fructuum reſtitutionem, cum tamen hæc pœna nunquam ſit iure impoſita: Obtinens verò beneficium ſecundi generis cum animo redeundi ad laicum ſtatum, neque peccat mortaliter ſaltem, neque tenetur fructus interim perceptos reſtituere, quia nullibi exigitur in iure quod iſte habeat animum perſeuerandi in clericatu, ſed ſolùm quod in habitu clericali debitum officium exequatur, licet Sotus *in dicto articul. 6. concluſione* 1. oppoſitum ſentiat. Sed nimis rigida eſt eius ſententia, idem dicendum eſſe de illo, qui recipit quodcumque beneficium etiam curatum cum animo retinendi illud, donec aliud pinguius ſibi adquirat vt primum relinquat; videlicet nec peccare grauiter, quia nullum ius poſtulat, vt habens beneficium habeat ſimul animum illud perpetuò retinendi & ei inſeruiendi, licet oppoſitum minus probabiliter ſenſerint Gabriel, Silueſter vbi ſupra, & Panormitanus in cap. *relatum, de Clericis non reſiden.* neque teneri ad fructuum reſtitutionem, dummodo præſtet debitum officium : quia officio exhibito vel exhibendo correſpondet fructus beneficij iuxta iam dicta, & non intentioni manend in illo.

Diſcriminantur autem Doctores in explicando, vtrum pœna iſta priuationis beneficij incurratur ipſo facto, & in foro conſcientiæ à Clerico omittente ſumere Sacerdotium ſcienter, in duas ſententias. Prima negans eſt, in quam inclinat Vaſquius vbi ſupra, §. 3. eò quòd cum talis lex ſit pœnalis, non incurritur eius pœna ipſo facto ante latam iudicis ſententiam.

Secunda ſententia affirmans eſt, in quam inclinant Sotus vbi ſupra, & Nauarrus, aſſerentes beneficiarium tranſacto anno ſine ſuſcepto ſacerdotio, ipſo facto ante vllam iudicis ſententiam manere in vtroque foro priuatum beneficio, ideóque non poſſe poſt annum, ad titulum eiuſdem beneficij initiari ſacerdotio, vtpote quia caret illo : & ordinatus ad titulum beneficij, quod non habet, ſuſpenſionem incurrit latam contra malè promotos ad ordines, in extrauaganti Pij II. *cum ex ſacrorum*. Quæ ſententia poteſt ſuaderi. *Primò ex c. licet, de electione & electi poteſtate in ſexto* : vbi ſic decernitur à Gregorio X. *Licet canon à felicis recordationis Alexandro Papa III. Prædec. noſtro editus inter cætera ſtatuerit, vt nullus regimen Eccleſiæ Parochialis ſuſcipiat niſi 25. ætatis annum attigerit, ac ſcientia & moribus commendatus exiſtat : quodque talis ad regimen aſſumptus huiuſmodi, ſi monitus non fuerit præfixo à canonibus tempore in præsbyterum ordinatus, à regiminis eiuſdem amoueatur officio, & alij conferatur. Quia tamen in obſeruatione Canonis memorati ſe multi exhibent negligentes, nos periculoſam illorum negligentiam volentes iuris executione ſuppleri, præſenti decreto ſtatuimus, vt † nullus ad regimen Parochialis Eccleſiæ aſſumatur, niſi ſit idoneus moribus & ſcientia, & ætate, decernentes collationes de Parochialibus Eccleſiaſticis qui non attigerint 25. annum de cætero faciendas, viribus omnino carere : is etiam qui ad huiuſmodi regimen aſſumetur, vt gregis ſibi credìti diligentius curam gerere poſſit in Parochiali Eccleſia, cuius rector extiterit, reſidere perſonaliter teneatur : & intra annum à ſibi commiſſi regiminis tempore numerandum, ſe faciat ad Sacerdotium promoueri. Quod ſi intra idem tempus promotus non fuerit ; Eccleſia ſibi commiſſa (nulla etiam præmiſſa motione) ſit præſentis conſtitutionis authoritate priuatus. Super reſidentia verò (vt præmittitur) facienda, poſſit ordinarius gratiam diſpenſationis ad tẽpus facere, prout cauſa rationabilis id exposſit.* Hæc ille: Ex quibus planè colligitur in vtroque foro & ante vllam ſententiam declaratoriam beneficiarium Eccleſiæ parochialis illa priuari ipſo facto, ſi intra annum à die collationis vel poſſeſſionis omiſerit ad ordinem Sacerdotij promoueri, niſi aliàs fuerit iuſtè impeditus, provt declarat Bonifacius VIII. in *capit. cum ex eo*, eandem legem & pœnam confirmando, & in *capit. commiſſa* eodem titulo, ibi : annus autem huiuſmodi, &c. tibi non currit, ſi promoueri iuſto impedimento detentus, intra tempus huiuſmodi nequiuiſti. *Porro ſi intra dictum tempus non fueris rationabili cauſa ceſſante promotus, tibi Eccleſia ipſa, qua dicti ſtatuti authoritate iam priuatus exiſtis, (ne ſtatutum fiat ludibrio debitóque fruſtretur effectu; & non rebus, ſed verbis, cum ſit potius contrarium faciendum, lex impoſita videatur) nullatenus ea vice poterit iterato conferri*; & ſubdit *quod non promotus ſi eo animo Eccleſiam recipit vt fructus anni perciperet, tenetur ad eorum integram reſtitutionem.*

Secundò

Secundò suadetur hæc sententia ex illa regula
7 iuris †: ignorantia facti, non iuris *excusat*. Qua ratione percutiens clericum scienter, non excusatur ab excommunicatione, licet ignoret eam latam esse in iure contra iniicientes manus violentas in clericum, nisi sit iuris obscuri & absconditi: tunc enim ignorantia excusabit transgressorem à pœna, imò & à culpa, si fuerit ignorantia iusta & inuincibilis. Secus quando est crassa, aut vincibilis, aut etiam iuris clari & notorij: atqui ius istud capitis *licet* de electione in sexto, præcipiens cuicumque obtinenti beneficium curatum, vt intra annum ascendat ad sacerdotium, sub pœna priuationis ipsius beneficij obtenti ipso facto incurrēdæ ante vllam iudicis declarationem, est clarum & notorium adeò, vt nullus clericus beneficiarius possit pati inuincibilem & iustam ignorantiam: igitur nullus potest ob illius ignorantiam coram Deo & in foro exteriori à priuatione beneficij excusari.

Quid si beneficiarius consuluit Sacerdotem mediocriter doctum, qui ei dixit, non teneri ascendere ad Sacerdotium intra annum, sed solum ascendere ad ordinem Sacrum. v.g. subdiaconatus vel diaconatus: cui & ipse assentiens, subdiaconatum assumpsit, & omisit Sacerdotium assumere? Respōdeo adhuc istum nō excusari à priuatione beneficij ipso facto incurrenda. Quia cum debuisset scire dictum ius, aut virum doctum, & iuris doctum, vel peritum requirere & consulere, vt eam ignorantiam à se repeteret, dum hanc diligentiam omisit, videtur ignorantiam crassam & affectatam incurrisse, quæ proinde illum minimè excusat: ignorantia enim crassa est illa quam habet quis, dum potest & tenetur scire aliquid & consulere sapientiorem quem in promptu habet,
8 & non vult: aut si malueris, est illa † quam quis incurrit dum habet aliquod principium, vel occasionem dubitandi, & non vult sapientiorem adire, qui eum instruat de veritate. Quod in præsenti casu videtur verificari, siquidem iste beneficiarius qui omisit ascendere ad sacerdotium, infra annum à die collationis beneficij, ignorauit ius clarum & notorium, quod iustè & inuincibiliter ignorare nequiuit, eo vel maximè quod iam habuit aliquam occasionem dubitandi, siquidem Sacerdotem quemdam consuluit de obligatione, qua à iure premebatur circa sacerdotij assumptionem, & alios doctiores non quæsiuit consulendos, quod est manifestum signum voluisse saltem implicitè in sua ignorantia perseuerare; ac per consequens eius ignorantiam fuisse crassam & affectatam. Quæ omnia confirmantur ex eo quod huiusmodi lex est conuentionalis; sicut si ego darem Petro pecunias sub tali pacto & conditione, illa deficiente non est dominus illarum: sic collatio beneficij curati facta non Sacerdoti est conditionalis, scilicet, si ordinetur intra annum, vnde si non ordinetur non est dominus, sed amittit dominium. Sed contra: nam aliàs illa lex. *c.* 2. Tridentini *sess.* 23. quod Episcopi consecrentur intra trimestre esset conuentionalis. Imò fere omnes leges pœnales dicere possemus esse conuentionales; quod est inconueniens. Et quia iste clericus durante bona intentione illo anno fecit fructus suos, etiamsi postea non ordinetur: ergo erat Dominus, &c.

Sed admissa hac sententia Soti pro veriore, restat videre. Vtrum quando iste omisit assumere Sacerdotium ex ignorantia inuincibili maneat ipso facto priuatus beneficio, de quo nihil dixerunt Doctores; posset neque pars affirmatiua suaderi eisdem argumentis hucusque factis pro eadem Soti sententia.

Quibus tamen non obstantibus pars negatiua mihi magis arridet. Vnde eam statuo pro conclusione quæ habet tres partes probandas, quarum Prima est, huiusmodi beneficiariū posse talis iuris ex *cap. licet* inuincibili & iusta ignorantia laborare: & hæc probatur tripliciter. Tum quia illud ius non est satis clarum, sed obscurum, cuius proinde possit dari iusta & inuinciblis ignorantia excusans à culpa, & à pœna per ipsum ius imposita: tum etiam quia licet tale ius scilicet priuans omittentem ascendere ad sacerdotium, intra annum beneficio obtento, priuans inquam ipso facto etiam nulla præmissa motione, cum omnibus hiis circunstantiis, esset clarum, (quod vix credi potest) esset quidem clarum solis Doctoribus, & iuris canonici peritis; minimè autem rudibus & in doctis, quorum numerus est maior, quia † stultorum infinitus est numerus: respectu 9
quorum esset obscurum, ignotum, & reconditum. Tum deniq; quia si iuris naturalis contenti in præceptis decalogi, quod est magis clarum & notum, potest admitti in pluribus hominibus inuincibilis ignorantia, saltem per breue tempus, vt ostendimus cum communi Theologorum sententia 12. *q.* 94. *disp.* 3. *sect.* 3. cur huiusce iuris Ecclesiastici magis particularis & minus noti non admittemus in vno aut alio beneficiario inuincibilem & iustam ignorantiam, maximè qui bona fide talem ascensum ad Sacerdotium omisit?

Deinde secunda pars probatur tripliciter. *Primò ex cap.* 2. de constitutionibus in sexto, vbi sic decernitur à Bonifacio VIII. *Vt animarum periculis obuientur, sententiis per statuta quorumcumque ordinariorum prolatis, ligare nolumus ignorantes, dum tamen eorum ignorantia crassa non fuerit, aut supina.* Et quamuis hæc constitutio expresè loquatur de sententiis à censuris duntaxat latis ab homine, cuiusmodi est quicumque ordinarius; Verumtamen per identitatem rationis etiam de quibuscumque censuris latis à iure potest aut debet intelligi: ac per consequens sicut censura lata à iudice Ordinario non ligat ignorantes ignorantia iusta, & inuincibili ex vi huius constitutionis; ita ex vi eiusdem sententia siue censura lata à iure non ligabit patientes similem ignorantiam. Vnde cum dictus clericus ob ignorantiam probabilem, & iustam, aut saltem citra crassam, & supinam omiserit ascendere ad sacerdotium, consequens est illum non incurrisse in pœnam dicti Canonis *licet* de electione, ac proinde beneficio obtento non mansisse priuatum ipso facto.

Secundò probatur, quoniam talis pœna priuationis beneficij non incurritur ipso facto sine culpabili negligentia in assumendo sacerdotium intra annum, siquidem ob puniendam huiusmodi negligentiam culpabilem, eam pœnam imposuit Gregorius X. *in dicto cap. licet* de electione; vt haud obscurè colligitur ex illis verbis antecedentibus, quæ continent, & indicant causam motiuam huiusmodi legis pœnalis, *Nos periculosam illorum negligentiam, &c.* Vnde cum omissio, & negligentia, quam habuit dictus beneficiarius in assumendo ordinem præsbyteratus intra annum, non fuerit culpabilis, vt constat ex facti specie, nimirum quia bona fide suasus consilio cuiusdam

cuiuſdam Sacerdotis antiquioris, qui ipſi dixit non teneri intra annum à die collationis beneficij ad ordinem Sacerdotij, niſi tantùm ad ordinem ſacrum aſſumendum: cui & ipſe fidem adhibuit ſimplici animo, paratus aliud facere, ſi aliud ſibi conſuleretur, nec non paratus alium peritiorem conſulere, ſi obuiam ſibi fuiſſet, aut ſi aliqua via exiſtimaſſet ſe ad hoc teneri; conſequens eſt quod dictam pœnam capitis *licet*, ipſo facto non incurrerit.

Tertiò probatur; Quoniam huiuſmodi ignorantia non fuit tam iuris quàm facti. Dum enim dictus beneficiarius ignorauit ſe teneri intra annum aſcendere ad Sacerdotium, vt beneficium obtentum retinere poſſet, & ad eius titulum initiari, potius fuit hæc ignorantia facti quàm iuris, quia nimirum ignorauit factum ipſum, putans ſibi licitam eſſe dilationem ſacerdotij vltra annum: & ex hac ignorantia diſtulit aſcenſum ad ſacerdotium. Dum autem quis operatur opus illicitum, putans illud eſſe licitum (idem dicito de omiſſione) ignorantiam facti patitur, potius quàm iuris: ergo talem paſſus eſt iſte clericus ignorantiam, ex qua diſtulit ſacerdotium vltra annum, & exquo anno tranſacto, quàm totius ordinem præsbyteratus aſſumpſit, inditium manifeſtum ſuæ bonæ fidei & iuſtæ ignorantiæ exhibuit. Neq; aliquid Concilium Tridentinum circa hoc innouauit, ſed dumtaxat iubet *ſeſſ. 7. c. 3.* dictum canonem *licet*, obſeruari, ſub hiis verbis. *Inferiora beneficia Eccleſiaſtica præſertim curam animarum habentia perſonis dignis & habilibus, & quæ in loco reſidere ac per ſeipſos curam ipſam exercere valeant, iuxta conſtitutionem Alexandri Tertij in Lateranenſi quæ incipit, quia nonnulli: Et aliam Gregorij X. in Generali Lugdunenſi Concilio, quæ incipit licet canon, editam, conferantur alicui, dum non facta collatio ſeu prouiſio omnino irritetur. Et ſeſſ. 24. c. 12. ſic decernitur: Nemo igitur deinceps ad dignitates quaſcumque quibus animarum cura ſubeſt promoueatur, niſi qui ſaltim 25. ſuæ ætatis annum attigerit, & in clericali ordine verſatus. &c.* Quod amplius confirmatur, eò quod † lex puniens præſumentem, ſimpliciter facienti ignoſcit, vt habet Nauarrus *lib. 1.* conſiliorum *titulo de temporibus ordinationum, conſilio, 9. & in receptione ſuper cap. accepta, de reſtitutione ſpoliatorum propoſitione* 8. Ex quo principio infert ibi, quod † ſumentes ſacros ordines bona fide & ignorantia probabili (qualis videtur eſſe iſtius clerici de quo fit ſermo) non incurrunt ipſo iure ſuſpenſionem; quia extrauagans Pij II. *cum ex ſacrorum*; imponit pœnam præſumenti ſumere, ac per conſequens id dolo ſe agenti, ſed non ſumenti bona fide, vt infra amplius dicemus.

Denique tertia pars noſtræ aſſertionis probatur; Primò quoniam ſequitur ex dictis: nã ſi talis beneficiarius bona fide omittens ordinem Sacerdotij non manſit ipſo facto priuatus beneficio obtento, neque in foro interno; ergo in eodem foro iuſtè tale beneficium poſſidet: ergo ad titulum illius potuit tranſacto anno ordine præsbyteratus initiari. Ac proinde neque ſic initiatus præsbyterio ad titulum beneficij eiuſdem incurrit ſuſpenſionem latam contra malè promotos ad ordinem ſacrum.

Secundò probatur, ex doctrina Nauarri in manuel *cap. 27. & lib. 1. conſiliorum tit. de temporibus ordinationum, conſil. 43.* Qui inibi referens extrauagantem, Pij II. *Cum ex ſacrorum*, ſuſpendentes eos qui ſine legitima facultate, vel ætate, vel extra tempus legitimum ordinem ſacrum accipere præſumpſerint, &c. ait: quod ſecundum quorumdam Doctorum probabilem declarationem dicta extrauagans non ſuſpendit eum, qui ob ignorantiam ipſius extrauagantis, ordinem ſacrum cum aliquo ex prædictis defectibus ſuſcipit, licet contrarium teneant. D. Antoninus, & Maior cum gloſſa in *cap. vel non eſt compos*, de temporibus ordinationum, & in Clementina, *generalem*, de ætate, & qualitate ordinandorum: & quod neque ſuſpendit eum ſaltem in foro conſcientiæ, qui bona fide & ſimplicitate exiſtimans ſe legitimum ordinatus eſt. Quoniam id colligitur ex verbo *præſumpſerint*, quod ſignificat dolum ſecundum doctrinam Cardinalis in Clementina *1. quæſt. 38. de priuilegiis*: idémque dicendum eſſe de illo qui temerariè quidem ordinatus eſt, poſtea tamen bona fide, & candida ſimplicitate, per pœnitentiam purgato peccato exercuit ordinem, exiſtimans ſibi licere: hoc eſt, quod neque iſte incurrit irregularitatem latam in eadem extrauaganti, contra exercentes ordinem ſacrum temerariè ſuſceptum. Ergo ſimili ratione æquitatis, ille qui ob ignorantiam iuris lati, in dicto *cap. licet canon. de electione*; & bona fide ac cãdida ſimplicitate accipit ordinem Sacerdotis poſt annum tranſactum, non incurrit ipſo facto beneficij obtenti priuationem; ac per conſequens potuit ad titulum illius ſacerdotij ordine initiari, quia non incurrit ſuſpẽſionem latam in dicta extrauaganti, contra malè promotos ad ordinem ſacrum. Rurſus *in dicto conſil.* 43. ſubdit Nauarrus: quod † ordinatus ad titulum parochialis Eccleſiæ ante legitimam ætatem obtentam, non incurrit ſuſpenſionem contra malè promotos latam in extrauaganti citata, dummodo ordines ſacros non accipiat ante legitimam ætatem, nec extra tempora iuris, nec ſine litteris dimiſſoriis. Eſto Eccleſia parochialis fuerit ſibi collata ante ætatem à iure conſtitutam: hoc eſt antequam 25. annum attigiſſet, quia licet talis Eccleſiæ acceptatio ante legitimam ætatem ſit peccatum, & obligationem reddendi fructus malè perceptos inducat, non tamen ſuſpenſionem aut irregularitatem, quia id nullo iure cauetur: ergo à contrario ſenſu, qui ſuſcipit ordinem Sacerdotij ad titulum beneficij obtenti in legitima ætate, etiam ſi ſit tranſacto anno, non incurrit ſuſpenſionem, aut irregularitatem ſaltem in foro conſcientiæ, dummodo bona fide & per ignorantiam iuris & facti probabilem & iuſtam proceſſerit: dixi *ſaltem in foro conſcientiæ*: nam in foro externo, & contentioſo, cum † Eccleſia non iudicet de occultis, ſi conuincatur quis per teſtes, aut facti notorietate, omiſiſſe acceptationem Sacerdotij, per integrum annum à die collationis beneficij curam habentis animarum, declarabitur priuatus tali beneficio, & ſuſpenſus tanquam malè promotus ad ordinem Sacerdotij, vel ſine legitimo titulo.

Tertiò probatur, nam ſi iſte beneficiarius per ſuſceptionem Sacerdotij ad titulum beneficij obtenti ante annum incurreret ſuſpenſionem, & vtendo tali ordine ſcilicet celebrando miſſam, irregularitatem; maximè hoc eſſet quia malè promotus fuit ad ordinem ſacrum, ſcilicet ſine titulo legitimo contra canones ſacros, *ſanctorum & neminem diſp. 70.* & Tridentinum

num *sessiõn. vigesima prima , capite secundo*, atqui hæc suppositio est falsa , quia iste Clericus , verè beneficium retinuit & possedit tanquam suum , neque illo ipso facto priuatus fuit in foro Dei , vt constat ex hucusque dictis : ergo verum ac legitimum titulum habuit , ad quem potuit rectè , & ritè initiari ordine Sacerdotij. Et aliàs cum non fuerit ordinatus ante legitimam ætatem , nec sine legitima licentia sui Diœcesini , nec extra tempora iuris , contra dispositionem dictæ extrauagantis *cum ex sacrorum* : consequens est illum nullam incurrisse suspensionem in Sacerdotis susceptione , neque in eius vsu , vllam irregularitatem.

14 Dices : qui † Sacrum Ordinem sumit sine legitimo titulo manet suspensus per antiquos Canones citatos scilicet , *neminem* , & *sanctorum Disputat. septuagesima* , Renouatos & restrictos per Concilium Tridentinum *dicto capite secundo , de reformatione sessiõn. vigesima prima* , vt bene notat Nauarrus in dicto titulo *de temporibus ordinationum Consilio decimo tertio , & decimo quarto.* Atqui ille Clericus eo ipso quod transegerit annum sine assensu ad Sacerdotium , mansit priuatus beneficio obtento , per *cap. licet* ; Et aliàs nullum aliud obtinuit beneficium , ad cuius titulum ordinaretur , sed neque fuit ordinatus ad titulum patrimonij : ergo fuit ordinatus sine legitimo titulo ? Respondeo negando minorem , quia licet in foro contentioso veniret priuandus tali beneficio , per iudicis sententiam declaratoriam ; verumtamen in foro conscientiæ & re ipsa non mansit illo priuatus , ob bonam fidem & probabilem ignorantiam , & consequenter neque celebrando mansit irregularis.

Hinc colligo primò, quod si mala fide, aut crassa ignorantia transegisset integrum annum sine susceptione Sacerdotij , reuera in vtroque foro maneret beneficio , curam animarum habente , obtento priuatus ; & sic assumendo Sacerdotium post annum completum ad titulum beneficij eiusdem incurreret suspensionem impositam à Sacris Canonibus antiquis , & Tridentina Synodo *vbi supra* , eis , qui sine titulo sacris ordinibus initiantur. Colligo secundò quod si sic ordinatus Sacerdotium exerceret celebrando missam , fieret irregularis per regulam communem , quod omnis qui irretitus , scienter aliqua censura celebrat , manet ipso facto irregularis : hoc autem corollarium intelligendum est non de prima celebratione missæ quam omnes ordinati præsbyteri celebrant cum Episcopo in ipsa Sacerdotij susceptione , sed de quacumque alia celebratione post primam , propterea quod ad incurrendum illam irregularitatem quæ imponitur hiis qui suspensi celebrant , requiritur quod suspensio sit contracta ante ipsam ordinis susceptionem ; celebratio autem illius primæ missæ non censetur ante præsbyterij susceptionem , sed pertinet ad illam ; quemadmodum quando quis celebrando incurrit excommunicationem , vt quia imponitur censura excommunicationis eis , qui tali loco , aut die , aut coram talibus personis celebrant Missam : & Petrus Sacerdos contra hoc præceptum , vel mandatum celebrat , incurrit quidem celebrando excommunicationem , sed non irregularitatem , quia vt hanc incurreret, deberet celebrare excommunicatus excommunicatione ante ipsum actum celebrandi contracta ; quod hîc non contigit.

Sed hinc insurgunt nonnullæ difficultates. Prima desumitur † ex Concilio Tri- 15
dentino, *sessiõn. vigesima tertia, capite secundo , de reformatione* , vbi Episcopis , & Archiepiscopis etiam Cardinalitia dignitate fungentibus præcipitur , quod si intra tres menses munus consecrationis non susceperint , ad fructuum perceptorum restitutionem teneantur ; si verò intra totidem menses postea id facere neglexerint, Ecclesiis ipso iure sint priuati : consecratio autem si extra curiam fiat Romanam , in Ecclesia ad quam promoti fuerint , aut in prouincia si commodè fieri poterit , celebretur. In hac lege pœna restitutionis fructuum , etiam ignorantes comprehendit , nullos enim excipit ex omittentibus pro primo trimestri munus consecrationis ; similiter priuentur Ecclesiis iure ipso omnes qui in secundo trimestri neglexerint , seu quouis modo omiserint consecrationis munus recipere. Vbi enim lex non distinguit , nec restringit , neque nos distinguere aut restringere debemus : Ergo pariter de lege sancita in dictis Canonibus , *licet : cum ex eo* : & *commissa* de electione *in sexto* philosophare debemus, scilicet quod pœnam priuationis fructuum & beneficiorum, in quoscumque omittentes ascensum ad Sacerdotium intra annum absque distinctione vlla , siquidem eam non facit lex in contextu , ipso facto incurrendam imponit. Respondeo ; quod potius ex hac lege sumitur non leue argumentum pro nostra sententia , nam de omittentibus munus consecrationis in primo trimestri tantum ait , quod teneantur ad fructuum restitutionem ; quæ cum pœnalis sit non priuat ipso facto tales assumptos ad huiusmodi dignitates , ita vt ante iudicis sententiam teneantur fructus eo trimestri perceptos aut percipiendos restituere ; neque est credendum ea lege ligare eos , qui ex ignorantia inuincibili , seu naturali obliuione munus consecrationis intra tres primos menses non susceperint. Verum est in huiusmodi Ecclesiarum Cathedralium præfectis vix aut rarò posse talem ignorantiam siue obliuionem iuris tam noti locum habere. De omittentibus verò in secundo trimestri consecrationis munus suscipere , comprehendit tantum negligentes , & de his ait , quod sint Ecclesiis iure priuati ; quæ lex in priori parte dum punit negligentes , solum eos punit , qui ex neglecto omittunt suscipere munus consecrationis , † ne- 16
glectus autem , teste D. Bernardo semper est culpabilis , sicut contemptus est damnabilis. Quare ab hac pœna adhuc excusarentur in vtroque foro , qui ex rationabili causa , seu impedimento non initiarentur consecratio-

ne. In ſecunda verò parte, dum ipſos omittentes ſuſcipere intra ſecundum trimeſtre munus conſecrationis, priuatos ipſo iure Eccleſiis fore decernit: cum pœnalis etiam ſit, non vult quod huiuſmodi præfati aſſumpti ad Epiſcopale munus ſint ipſo facto Eccleſiis priuati, & pontificali dignitate depoſiti ante ſententiam declaratoriam, ita vt ante illam in conſcientia Eccleſiam ſuam ac dignitates reſignare teneantur; quia nimis rigida eſſet ſententia, quæ faceret delinquentem executorem tam ſeueræ pœnæ, & vindicem in ſe ipſum. Vnde ex hoc ſumimus argumentum, ad probandum idipſum de beneficiario omittente ſacerdotium ſumere intra tempus præſcriptum, in præallegatis capitibus, *licet cum ex eo*; *& commiſſa de electione*; ſcilicet, quod illum non priuant dicti Canones in foro conſcientiæ, & ante iudicis ſententiam omiſſionis culpabilis, ſaltem declaratoriam; neque obſtat, quod in *dicto capite*, *licet canon.* & *capite cum ex eo*, decernitur hæc pœna priuationis Eccleſiæ, etiam nulla præmiſſa monitione. Nam aliud eſt *ſemota* omni monitione præmiſſa; & aliud, *ſemota* omni ſententia: per ſecundum enim ſignificatur quod ante iudicis ſententiam violator legis, ſit pœnæ obnoxius:
27 quod † nulla lex pœnalis diſponere ſolet, excepta illa per quam fertur ex communicatio: neque id diſponunt citati canones, ſed per primum denotatur, quod etiam ſi monitus non fuerit, ad obſeruantiam legis, violator illius venit puniendus; & hoc tantum denotant dicti Canones reſtringentes conſtitutionem Alexandri III. quæ talem præuiam monitionem requirebat, prout in ſecundo aſ-
28 ſerto diximus, nimirum, quod † beneficiarij non promoti ad Sacerdotium intra annum, etiam ſi admoniti non fuerint ipſo facto ſint priuati Eccleſia Parochiali, hoc eſt ſeruatis ſeruandis, & iuxta conſtitutionem legis pœnalis, ſcilicet interueniente in foro externo ſententia iudicis declaratoria.

Secunda difficultas eſt, ex dicto cap. *cum ex eo*,
29 in quo decernitur, quod † Epiſcopi poſſint diſpenſare cum habentibus parochiales Eccleſias ſibi ſubiectas, quod vſque ad ſeptennium ſtudendo non teneantur ad Sacerdotium promoueri, dummodo intra annum promoueantur ad ſubdiaconatum; aliàs ſint priuati tali beneficio: ne ſcilicet à ſtatu Clericali retrocedere queant, & dummodo durante illo ſeptennio idoneus Vicarius aſſignetur Eccleſiæ de eius fructibus alendus: ac tandem dummodo elapſo dicto ſeptennio diſpenſationis ſtudiorum cauſa ad præsbyteratus ordinem promoueatur: alioquin ex tunc dictam pœnam, (niſi iuſta de cauſa id omiſerunt) ipſo iure ſe nouerint incurſuros. Difficultas inquam oritur ex hac conſtitutione, duas continens partes. Nimirum, vtrum Epiſcopus poſſit cum habente beneficium parochiale diſpenſare per ſeptennium ſtudiorum cauſa, aut etiam alia de cauſa per breuius temporis ſpatium, vt ad ſacerdotium non promoueatur? Atque etiam quæ ſit cauſa illa iuſta, ob quam ſine prælati diſpenſatione poſſit beneficiarius impunis intra annum omittere aſcenſum ad Sacerdotium.

Ad primam partem propoſitæ difficultatis reſpondeo cum Soto *vbi ſupra concluſione ſecunda*; poſſe Epiſcopum talem facere diſpenſationem cauſa ſtudiorum per ſeptennium, imo & † per tempus magis li- 30
mitatum alia de cauſa rationabili, quæ ex parte beneficiarij occurrere poteſt. Nam primum conceditur Epiſcopo in dicta conſtitutione à Bonifacio VIII. & ſecundum ei non denegatur. Vnde merito ait Sotus, quod illum Canonem *licet canon*, Bonifacius in *capite cum ex eo*, eodem titulo de electione ſic moderatus eſt, vt dumtaxat ratione ſtudij valeat Epiſcopus cum huiuſmodi Clericis diſpenſare. Nunc verò temporis quacumque de cauſa diſpenſatur; denotans olim in exordio illius conſtitutionis Bonifacij VIII. tales diſpenſationes non fieri ſolitos, niſi cauſa ſtudiorum; nunc verò temporis laxatas eſſe habenas ad diſpenſandum ex aliis cauſis. Dices: obligatio aſſumendi Sacerdotium in habentibus beneficia curata eſt iuris naturalis; eò quòd huiuſmodi Eccleſiæ Parochiales ex natura ſua & primæua inſtitutione ſunt Sacerdotum, & propter miniſterium Sacerdotale inſtitutæ: Dilatióque vnius anni intra quem deberent beneficiarij promoueri ad Sacerdotum, fuit quædam iuris naturalis interpretatio: Ergo non licet Epiſcopis aliqua de cauſa vltra illud tempus à iure taxatum diſpenſare. Reſpondeo quod etiamſi talis obligatio ſit iuris naturalis; verumtamen tempus intra quod debeant beneficiarij ad Sacerdotium promoueri, non eſt à iure naturali determinatum, ſed relictum fuit Eccleſiæ & prælatorum determinationi; quare ſummi Pontifices vnum annum præſcripſerint, ne Eccleſiæ Parochiales quandoque dignioribus miniſtris ob defectum actualis Sacerdotij priuarentur. Et poſtea decreuit Bonifacius VIII. quod cauſa ſtudij litterarum, quod ſeptennio ad minus indiget in Theologia, poſſet Epiſcopus diſpenſare cum huiuſmod Clericis per ſeptennium, vt ſic Eccleſiis fructuoſiores forent, & ne eis ob Parochialis officij occupationem opportunitas ſtudio litterarum vacandi auferretur: indéque Eccleſias Parochiales dimittere cogerentur: *quod in grande vniuerſalis Eccleſiæ vergit detrimentum*, (ait Bonifacius) *quæ ad ſui regimen viris litteratis permaximè noſcitur indigere.* Ob alias autem cauſas exiſtimo Epiſcopos per ſeptennium non poſſe diſpenſare, etſi poſſint vltra annum à iure taxatum, aliquos dies, aut menſes iuſta de cauſa diſpenſando ampliare, quia durante tali cauſa cenſetur durare iuſtum impedimentum, cum quo in ſenſu compoſito rationabiliter prælatus interpretatur non inſtare obligationem iuris naturalis; ſicut obligatio reſidendi perſonaliter in eiſdem Eccleſiis etiam iuris naturalis eſt ſecundum multorum ſententiam, cui fauet Tridentina Synodus *ſeſſion. vigeſima tertia*, *capite primo*, *de reformatione*, quæ tamen non currit per illos menſes, pro quibus in *dicto capite licet* conceditur ordinariis facultas diſpenſandi pro rationabili cauſa.

Ad

Ad ſecundam partem; Reſpondeo illam iuſtam cauſam, eſſe eandem, quam idem Bonifacius in *ſequenti cap. commiſſa*, nomine iuſti impedimenti ſignificauit ibi: *ſi promoueri iuſto impedimento detentus, intra tempus huiuſmodi nequiuiſti*: Cuiuſmodi eſt infirmitas, & impotentia phyſica ſiue moralis, adeundi Epiſcopum ordinum collatorem nec non, ſi Epiſcopus obſeruando interſtitia nollet talem Clericum intra vnum annũ diaconatu & Sacerdotio initiare, iuxta facultatem, quam ei concedit Tridentina Synodus *ſeſſ. 23. cap. 11. de reformatione* dicens, quod poſſint Epiſcopi intra annum omnes ordines ſacros conferre ex rationabili cauſa, hæc autem proculdubio rationabilis eſſet: Verum addit Vazquius vbi ſupra §. 3. *n.* 29. hunc electum ad beneficium Parochiale ſub prædicta pœna teneri tunc (Epiſcopo renuente illum ordinare) adire Nuntium Apoſtolicum, & ab eo litteras requirere, ſi id poſſet, per quos extra tempora ordinaretur, vt iuris ordinationi ſatisfaceret: alioquin dictam pœnam incurret; ſed meo iudicio rigida nimis eſt hæc ſententia. Nam quemadmodum ſi iſte Clericus infirmitate premeretur per integrum annum, non teneretur medicinas exquiſitas & inſolitas etſi poſſet, exquirere, vt citius ſanando iuris ordinationi ſatisfaceret, ita neque ordinario proprio denegante ei irrationabiliter ordines ſacros, ſcilicet, vt ſeruet interſtitia, in quibus poterat hac de cauſa diſpenſare, tenebitur irregulare & ſumptuoſius remedium adhibere, quale eſt ad Nuntium recurrere pro obtinendis litteris gratioſis, quibus poſſit extra tempora ſacris ordinibus initiari. Exiſtimo igitur huiuſmodi Clericum ad id conſulendum eſſe ſi commodè poſſit, ſed minimè obligandum.

Tertia difficultas oritur ex illis verbis *cap. commiſſa*, ne ſtatutum ipſius fiat ludibrio, debitóque fruſtretur effectu, *& non rebus ſed verbis lex impoſita videatur*; *nullatenus ea vice poterit iteratò conferri*, ſcilcet, tibi Eccleſia ipſa, qua iã priuatus exiſtis, per omiſſionem Sacerdotij intra dictum annum à die pacificæ poſſeſſionis, prout præfertur in priori parte contextus; Et ſubditur. *Caterum ſi promoueri ad Sacerdotium non intendens Parochialem receperis Eccleſiam, vt fructus ex ea per annum percipias, ipſam poſtmodum dimiſſurus, niſi voluntate mutata promotus fueris, teneberis ad reſtitutionem fructuum eorumdem cum eos receperis fraudulenter.* In quibus verbis ſtatuitur vltra Eccleſiæ priuationem huic Cleri-
21 co † duplex pœna: altera correſpondens ipſi omiſſioni Sacerdotij, quod ſcilicet eadem Eccleſia ei iteratò pro tunc non conferatur, ne ſcilicet lex pœnalis ſuo fruſtretur effectu; de qua nulla ſpecialis vrget ratio dubitandi. Altera verò quæ correſpondere videtur internæ intentioni Clerici, qui praua intentione ſcilicet non aſcendendi ad Sacerdotium recepit beneficium, quod ob hanc intentionem priuetur fructibus illius anni, & ad eorum teneatur reſtitutionem. De qua vrgent aliquæ rationes dubitandi.

22 Prima eſt, quod † Eccleſia non poteſt punire actus purè internos, qualis eſt praua illius Clerici intentio, qui ſuſcipit aut retinet beneficium curatum; (par namque eſt ratio de ſuſceptione atque retentione cum animo non aſcendendi ad Sacerdotium,) quo igitur pacto huiuſmodi Clericum beneficiarium punit dicta conſtitutio in fructibus beneficij? Neque valet dicere hanc prauam intentionem puniri non ratione ſui, & quatenus interna eſt, ſed quatenus per ipſam actualem externam Sacerdotij non ſuſceptionem explicatur ſeu manifeſtatur: nam aliter punitur in dicta conſtitutione non ſuſceptio Sacerdotij intra ſtatutum tempus, & aliter ipſa praua intentio; hæc non punitur priuatione fructuum correſpondentium medio illi tempori, quo praua intentio durauit, illa verò punitur amiſſione beneficij, & imporentia, atque inhabilitate ad illud pro ea vice recuperãdum. Ergo pœna illa priuationis fructuum, correſpondet ipſi intentioni externæ in ſe, & prout antecedit non ſuſceptionem Sacerdotij intra ſtatutum tempus.

Secunda eſt ad idem: nam illa praua intentio non manifeſtatur ſufficienter per non ſuſceptionem Sacerdotij, neque hæc eſt ſufficiens argumentum illius, eò quod retractata priori intẽtione poſſet iſte Clericus recipere Sacerdotium adhuc intra annum, aut extra ceſſante aliquo legitimo impedimento. Rurſus poſt bonam intentionem poſſet illâ mutatâ, omittere aſcenſum ad Sacerdotium. Igitur ſicut actualis ſuſceptio non eſt ſignum ſufficienter manifeſtatiuum bonæ intentionis, ita neque actualis non ſuſceptio eſt ſufficienter manifeſtatiuum prauæ intentionis. Tertia ad idem. Si talis Clericus perſeuerans cum hac praua intentione, & in fine anni incluſiuè illâ mutatâ initietur Sacerdotio, priuatur fructibus temporis antecedentis in quo durauit mala intentio, ſed non priuatur beneficio; ergo illa pœna imponitur ob ſolam internam intentionem prauam. Patet antecedens, quia tunc reciperet tales fructus fraudulenter, ſcilicet poſſidendo beneficium fraudulenta intentione recipiendi fructus illius anni ſine vllo officio Sacerdotali exhibendo, & illa conditionalis per parentheſim inducta (*niſi volũtate mutata promotus fueris*) non facit ſenſum, quod ſi promotus fueris percipies omnes fructus decurſos, ſed ſolùm illos, qui decurrunt à die mutationis prauæ intentionis.

Quarta difficultas occurrit, circa illud verbum 23
contextus.† *teneberis ad reſtitutionem fructuum eorumdem, &c.* quod eſt futuri temporis; ac proinde quid minus ſignificans, quàm verbum imperatiui aut indicatiui; vt ſi diceret, tenetur, aut teneatur ad fructuum reſtitutionem, igitur videtur denotare, quod tantum tenebitur ad fructuum reſtitutionem poſt condemnatoriam ſententiam.

Quinta difficultas emergit ex illis verbis.† *Etenim ſi promoueri ad Sacerdotium non intendens, &c.* 24
Ex quibus videtur colligi teneri ad fructuũ reſtitutionẽ eum, qui quocumq; modo nõ intendebat ad Sacerdotiũ promoueri, quod poteſt multis modis contingere: v.g. quia habet abſolutam intentionem, numquam in futurum, aut ſaltim intra tempus à iure ſtatutum non aſſumendi ſacerdotium, aũt redeundi ad ſtatum laicum. Similiter qui habet conditionatam intentionem non perſeuerandi in Clericatu: vt ſi Petrus haberet hanc intentionem, ego intendo promoueri ad ſacerdotium, & continuare ſtatum Clericalem, niſi fratri meo natu maiori (ſi obierit intra annum) in paterna hæreditate vel maioratu ſuccedam. Similiter qui haberet dubiam intentionem ſacerdotij ſuſcipiendi, quia dum beneficium recipit ac retinet, adhuc tamen eſt animo pendulo & hæſitãs, nihil certi determinans, donec res felicius cõtingant. De quocumque iſtorum verificatur, quod

non intendit ad Sacerdotium promoueri, hoc eſt, certa, firma & abſoluta intentione, quam participium *intendens*, ſignificare videtur, & tamen durum videtur, eum, qui dubiam aut conditionatam habet intentionem, condemnare ad fructuum reſtitutionem, tanquam illorum fraudulentum receptorem: ergo.

Verùm his tribus difficultatibus (enodatis iam duabus prioribus) eodem modo eſt ſatisfaciendum. Igitur ad tertiam reſpondet Vazquius *vbi ſup. dub.* 1. *numero* 41. quod licet Eccleſia & ius poſitiuum Eccleſiaſticum non poſſint punire actus internos, ſicut neque iudicare de illis, tamen illam prauam intentionem Clerici volentis percipere fructus vnius anni ſine Sacerdotio non punit Eccleſia, ſed ius ipſum naturale, cuius eſt illa obligatio, quam habet percipiens fructus beneficij curati ad exhibendum Parrochianis Sacerdotale miniſterium; ſin minus tenetur fructus fraudulenter perceptos reſtituere Et hanc obligationẽ explicat ius Eccleſiaſti-
25 cum in allegata conſtitutione *commiſſa*. † Diuinũ autem & naturale ius, cuius Deus eſt conditor & legiſlator, bene poteſt actus purè internos punire, ſicut & illos præcipit & prohibet, & propter illos quando ſunt mali, damnat homines pœna æterna. Poteſt etiam ſolutio inter arguendũ aſſignata ſuſtineri. Ad cuius improbationem, admiſſo antecedenti neganda eſt conſequentia, nam licet illa pœna priuationis fructuum correſpondeat prauæ intentioni, prout condiſtinguitur à non ſuſceptione Sacerdotij, non tamen prout hanc antecedit, ſed prout per illam manifeſtatur & conſummatur.

Ad ſecundam nego antecedens: nam eſto poſt prauam intentionem poſſit ſequi ſuſceptio, & poſt bonam intentionem poſſit ſequi non ſuſceptio Sacerdotij; verùm in priori caſu oportet fieri tranſitum à praua in bonam, & in poſteriori econtra à bona in prauam; alioquin nec durante praua intentione per totum annum in ſenſu compoſito poſſet dari ſuſceptio Sacerdotij, neque durante legitima intentione ſuſceptionis Sacerdotij poſſet dari illius non ſuſceptio; vnde ipſa non ſuſceptio ſufficienter manifeſtat prauam intentionem, & illam conſumat vel remotè, vel proximè antecedentem.

Ad tertiam Sotus admittit antecedens, exiſtimans illum eſſe ſenſum eius conditionis intra parentheſim poſitæ, ſed valde extorta & violenta videtur eſſe talis explicatio, nimiſque ſcrupuloſa ſententia, quæ ob defectum intentionis obligaret Clericum ad fructuum reſtitutionem, qui poſtea mutata intentione intra annum fit Sacerdos. Vnde mihi oppoſitum perſuadeo: tum, quia genuinus ſenſus illius clauſulæ eſt, quod talis Clericus tenebitur ad fructuum reſtitutionem, niſi poſtea mutata intentione ad Sacerdotium fuerit promotus: ergo ſi fuerit promotus non tenebitur ad fructuum reſtitutionem. Probatur conſe-
26 quentia; nam † obligatio conditionalis deficiente conditione, non tenet. Tum etiam; licet iſte peccet ob prauam intentionem, quia intendit violare mandatum iuris, non tamen fraudulenter percipit fructus illius anni, quæ eſt vnica ratio, ob quam textus citatus decernit eum teneri ad fructuum reſtitutionẽ, eò quòd factus Sacerdos intra ſtatutum tempus, illos percipit; quia poteſt Sacerdotale officium exhibere, & ſic titulo officij realiter, & cum effectu exhibendi, eos percipit. Tum denique, quia qui bona fide eos percipit, exiſtimans ſe aſcenſurum ad Sacerdotium, ad quod poſtea non aſcendit, mutata intentione, illos facit ſuos titulo officij ſacerdotalis exhibendi ſecundum eius affectum & bonam fidem: ergo etiam fructus facit ſuos, qui titulo & intuitu officij Sacerdotalis realiter & cum effectu exhibendi illos percipit. Aut cur erit efficacior titulus percipiendi fructus beneficij à faciendi ſuos, officium Sacerdotale dumtaxat exiſtimatum, quàm verè & realiter futurum?

Ad quartam difficultatem fateor, quod illo verbo de futuro, *teneberis*; Significatur aut illa naturalis iuris obligatio reſtituendi fructus fraudulenter perceptos, hoc eſt, ſine vllo Sacerdotali officio exhibito aut exhibendo, & quia illa obligatio eſt veluti dependens à futuro, ſcilicet à ſuſceptione Secerdotij futura: Propterea dixit Pontifex *Teneberis*, id eſt, quando expleto anno non promouearis ad Sacerdotium, ex tunc teneberis fructus perceptos durante praua intentione reſtituere; alioquin de perceptis durante legitima intentione, nullã reſtitutionis emergere obligationem ſuperius adnotauimus. Vnde ad illorum fructuum, cum praua intentione & fraudulenter ſine legitimo titulo perceptorum aduenientе conditione, ſcilicet non ſuſceptione Sacerdotij, talis Clericus ante vllam iudicis ſententiam tenebitur, vtpote cuius obligatio eſt iuris naturalis.

Ad Quintam difficultatem; admiſſa maiori quoad omnes eius partes, quam ſatis expendit Sotus *in dicto art.* 6. *concl.* 1. Eò quòd ſicut perceptio fructuum eſt abſoluta & certa, ita & intentio; neganda eſt minor: quomodocumque enim Clericus non intendat Sacerdotium ſumere (ſi aliàs nec diſpenſatus, nec legitimè impeditus ſit) abſoluta & certa intentione, & Sacerdotium non ſuſcipiat intra annum, efficitur fraudulentus fructuum anni illius perceptor, quia ſine legitimo titulo eos percepit, hoc eſt, nec intuitu officij exhibiti, nec intuitu exhibendi cum effectu; aut ſaltem ſecundum affectum, quos proinde lege naturali & in foro conſcientiæ tenetur Eccleſiæ reſtituere.

SVMMARIVM QVÆSTIONIS TERTIÆ.

1 *Proponitur ſpecies facti de quodam Clerico nobili, apud Belgas ad Epiſcopatum per Senatum Belgicum præſentato, accedente quoque, prout moris eſt, Regis Catholici conſenſu, nec non per Bullas Pontificias promoto. Quo poſt Bullarum expeditionem, ſuſpecto de concubinatu in ſtatu Sacerdotij perpetrato, Bullarum executio ſuſpenſa eſt, ob defectum placiti denegati à Senatu Belgico, Rexque Catholicus de veritate inſtructus conſulitur, vt prouideat & iubeat quid ſit faciendum, &c.*

2 *Expenditur regula iuris, nimirum per quas cauſas res fit, per eaſdem & diſſoluitur; perpenditúrque qualiter dignitas ſit Epiſcopalis de iure diuino.*

3 *Concilium Tridentinum requirit trinam monitionem Clerici concubinarij faciendam ab Ordinario, vt priuetur Eccleſiaſtico beneficio obtento.*

4 *Episcopi concubinarij, admoniti à Synodo Prouinciali, nisi se emendauerint, ipso facto sunt suspensi: si perseuerent, à Synodo delati, à Summo Pontifice pro qualitate culpæ puniuntur.*

5 *Papa, sicut quilibet alius iudex, potest omnes causas criminales triplici modo decidere.*

6 *Clerici de concubinatu suspecti, si post trinam monitionem non emendentur, excommunicantur.*

7 *Papa in quolibet casu dupliciter potest prouidere; vel absoluendo reum, vel condemnando ad pœnam suspensionis per aliquod tempus.*

QVÆSTIO III.

Selecta.

Vtrum clericus electus in Episcopum, qui post electionem resultat vehementer suspectus de concubinatu, aut etiam conuictus in iudicio, possit ac debeat impediri in possessione Episcopatus?

IN hac quæstione oportet prius speciem facti proponere, vt postea quid de iure statuendum sit, decidamus. Igitur † species facti hæc 1
est; quod apud Belgas quidam Clericus bonæ famæ & opinionis, sanguine quoque Clarus, à gubernatore & Senatu priuato fuit propositus & approbatus ad quemdam Episcopatum; virtutéque huius propositionis, & probationis Rex Catholicus eum ad dictum Episcopatum præsentauit. Qua præsentatione Romam delata, post nouem menses ad instantiam Ambassatoris Hispani, & Cardinalium nationalium expeditæ sunt Bullæ in fauorem dicti Episcopi, eique simul collatio facta est à summo Pontifice dicti Episcopatus, in quo erat præsentatus; sed decurrentibus illis nouem mensibus, ante expeditionem bullarum delatum fuit Senatui Belgico, quod iste fuerat in concubinatu per decem & octo annos cum fœmina quam domi habuerat, ex qua septem filios genuerat, quorum adhuc aliqui erant superstites; quod & per testes adhibitos à delatore adeò comprobatum est, vt dictus Clericus fieret vehementer suspectus, & si causa deduceretur ad forum contentiosum, maneret conuictus de tali concubinatus crimine. Dequo & Ambassator fuit monitus per Epistolas gubernatoris, vt sisteret in progressu expeditionis bullarum: qua monitione non obstante, Ambassatori & Cardinalibus nationalibus visum fuit, progressum facere vsque ad obtinendam expeditionem bullarum, provt de facto obtinuerunt. Nunc verò rebus ita stantibus, bullarum executio detenta est ob defectum placiti denegati à Senatu Belgico, sine quo iuxta morem illius prouinciæ Bullæ Pontificiæ non mandarentur exequutioni, donec Rex Catholicus de veritate instructus prouideat & iubeat, quid faciendum sit, an placitum concedendum, vt bullæ ad exequutionem perducantur, vel sit negandum, vt bullarum exequutio suspendatur, quousque sua Sanctitas informetur, & prouideat. Hæc est species facti, super quo consultum fuit nobis pro parte Regis Catholici, quid posset, aut deberet facere in tam arduo negotio.

Et quidem si causa hæc deferretur ad Regem Catholicum, in priori statu solius præsentationis ante bullarum expeditionem, posset ac deberet Rex Catholicus præsentationem suspendere, aut etiam reuocare, ne indignus contra iura & sacros canones, & cum detrimento Ecclesiæ Episcopalis ad illam promoueretur, ob quam causam potuit ac debuit præsentatus priuari à patrono iure quod in virtute præsentationis adquisierat, exemplo Gregorij Papæ *in cap. priusquam D.* 28. desumpto ex *Epist.* 40. *lib.* 8. vbi præsentatam sibi electionem Ioannis Diaconi in Archiepiscopum Neapolitanum, factam à Clero eiusdem ciuitatis, noluit confirmare: eò quòd audiuerat de illo quod haberet filiam paruulam ex concubinatu: iubétque illos ad nouam alterius personæ electionem procedere, dicens: *Vnde si rationem voluissent attendere, nec illi eum eligere, nec ipse debuerat consentire.* Eadémque ratio est de præsentatione facta à patrono, atque de electione tunc fieri solita à Clero: quia huiusmodi præsentatio in locum electionis ex priuilegio Sedis Apostolicæ successit: Neque obstaret ius acquisitum ab isto Clerico per Regis præsentationem, vtpote cum sit conditionatum, nimirum dummodo non sit cum læsione iustitiæ, populi scandalo, & Ecclesiæ detrimento.

Verumtamen in statu quem habet causa hæc post bullarum expeditionem & Episcopatus collationem factam à Summo Pontifice, iam dictus Clericus est extra iurisdictionem Regis, à quo proinde nec suspendi, nec deponi aut priuari potest dignitate Episcopali. Quod patet, tum † per regulam iuris per, quas causas res fit per 2
easdem dissoluitur: tum etiam quia licet applicatio Episcopatus ad istam vel illam personam in particulari, sit de iure humano pendens à facto Papæ: tamen dignitas Episcopalis est de iure Diuino, quia confertur à Papa in nomine Christi Domini, & ex illius iussu & potestate: ac proinde quando confertur alicui, valida est electio siue collatio, dum non fiat claue errante contra iura, vt si eligatur irregularis, vel non initiatus Sacerdotio: quòd autè persona electa sit bona, vel mala, hoc consistit in facto & dependet ex vsu humano, & facto, quod licet sit contra Dei voluntatem, non tamen inualidat electionem, siue collationem Episcopatus: vt docet Sotus cõmuniter receptus *libro de iustitia, q.* 1. *art.* 4. Cum ergo huic Clerico sit iam collata à Pontifice dignitas Episcopalis, & potestas iurisdictionis per expeditionem bullarum, quamuis ei deficiat potestas ordinis, quia hæc non confertur ei nisi mediante consecratione, consequens est illum non posse à tali dignitate, & potestate iurisdictionis per Regem Catholicum deponi aut priuari; neque etiam directè suspendi in eius possessione, ob malos & deprauatos mores: de quibus neque Rex potest iudicialiter cognoscere, quia reus munitur priuilegio Ecclesiasticæ immunitatis & exemptionis.

Vtrum autem possit Rex Catholicus indirectè bullarum executionem suspendere negando placitum, sine quo iuxta morem Belgarum, Pontificiæ Bullæ executioni nequaquam mandantur

operoſius videndum eſt in præſentiarum. Et pro parte negatiua eſt Conciliũ Tridentinum *ſeſſ.* 25. 3 *cap.* 14. vbi requirit † trinam monitionem Clerici concubinarij faciendam ab ordinario vt priuetur ob crimen concubinatus beneficio Eccleſiaſtico obtento, & vt inhabilis reddatur ad illud obtinendum, & ad quamcumque aliam dignitatem Eccleſiaſticam, &c. Requirit etiam ſententiam condemnatoriã, vel ſaltem declaratoriam, per quam iudex ex præmiſſa trina monitione & Clerici concubinarij reincidentia, eum priuatum beneficio ſiue dignitate Eccleſiaſtica, atque inhabilem ad alia obtinenda, declaret. Quod patet ex contextu Concilij, in quo decernitur, quod ſi Clericus poſt primam monitionem ordinarij non reſipuerit à concubinatu, mulctetur tertia parte fructuum præbendæ aut penſionis ſi quam habeat: ſi poſt ſecundam non reſipuerit, priuatur omnibus fructibus, & ad arbitrium ordinarij ſuſpenditur ab adminiſtratione beneficiorum: & ſtatim ſubditur. *Et ſi ita ſuſpenſi, nihilominus eas non expellant &c.* ſcilicet concubinas, *tunc beneficiis, portionibus, ac officiis & penſionibus quibuſcumque Eccleſiaſticis perpetuò priuentur, atque inhabiles ac indigni quibuſcumque honoribus, dignitatibus, beneficiis, in poſterum reddantur.* Verba autem illa, *priuentur & reddantur*, non inducunt ipſo facto priuationem, & inhabilitatem, niſi tantùm mediante iudicis ſententia ferenda. Quare cum iſte Clericus nec fuerit ter monitus ab ordinario; nec ad dictas pœnas per ſententiam fuerit condemnatus, neutiquam eſt inhabilis ad Epiſcopalem dignitatem detinendam, neque vt inhabilis eſt à denuntiatore accuſandus.

Sed neque ſequentia verba in dicto cap. Concilij Tridentini, quæ agunt de Epiſcopo concubi- 4 nario, videlicet; † *Epiſcopi quoque quod abſit, ſi ab huiuſmodi non abſtinuerint & à Synodo Prouinciali admoniti ſe non emendauerint, ipſo facto ſin ſuſpenſi: & ſi perſeuerent, etiam ad ſanctiſſimum Romanum Pontificem ab eadem Synodo deferantur, qui pro qualitate culpæ etiam per priuationem ſi opus erit in eos animaduertat.* Huic Clerico nocent quæ loquuntur de Epiſcopo, qui poſt obtentum Epiſcopatum concubinatus crimen incurrit, aut perſeuerat in eo, qui à Synodo debet admoneri; & ſi non emendetur, debet ad ſummum Pontificem ab ipſa Synodo deferri, vt in eum animaduertat. Atque iſte præsbyter neque accuſatur de concubinatu poſt promotionem ad Epiſcopatum perpetrato, neque à Synodo fuit admonitus, neque ad pœnam delatus: ergo huiuſmodi lex pœnalis contra Epiſcopos concubinarios non habet locum in illo: neque altera contra Clericos concubinarios à Concilio lata, ob defectum triplicis admonitionis, & ſententiæ ab ordinario latæ, vt dictum eſt. Rursùs ex vi collationis à Summo Pontifice ei factæ per Bullas habet ius nedum ad rem, ſed in re, facítque fructus ſuos à die in qua Papa dixit, fiat: à quo iure deiici non poteſt, niſi per ſolius Papæ ſententiam latam cum cognitione cauſæ. Ergo neque ab hoc iure poteſt impediri per denegationem placiti ſoliti dari Bullis Pontificiis, vt executioni mandentur.

Verùm quia licet iſte præsbyter non ſit inhabilis ad Epiſcopatum, tamen eſt illo indignus, meritúrque puniri à ſuo legitimo ſuperiori ſcilicet Papa, aut alio iudice à Papa delegato: Papa autem huiuſmodi concubinarios etiam ad Epiſcopatum præſentatos, aut in illo iam confirmatos ſolet punire, vt conſtat *ex dicto cap. priuſquam, & ex cap. habuiſſe. diſt.* 33. ex eodem Gregorio deſumpto *Epiſtola* 44. *lib.* 2. in quorum altero Ioannem Diaconum electum à Clero in Archiepiſcopum Neapolitanum confirmare noluit; in altero verò Epiſcopum Arentinum ſuſpectum de concubinatu perpetrato in Sacerdotio, deponendum ab officio decernit ibi: *Hoc tuæ conſcientiæ committimus, ſi in ſacro ordine conſtitutus te recolis permixtione maculatum, Sacerdotij honore depoſito, ad miniſtrandum nullo modo præſumas accedere.* Igitur ſecundum hos ſacros Canones Papa cognitâ huiuſmodi cauſâ & probatione concubinatus, in ſtatu Sacerdotij perpetrati in hunc præsbyterum animaduertere deberet, aut illum priuando Epiſcopatu, aut ſaltem ſuſpendendo illum ab officio, per aliquod tempus, pro quo & aſſignaret Eccleſiæ gubernatorem, qui interim eam gubernaret. Poteſt namque Papa † 5 (ſicut quilibet alius iudex) cauſam iſtam ſicut & alias criminales vno ex tribus modis decidere; nimirum, vel dicendo abſoluo hunc reum ab inſtantia Fiſcalis Promotoris: aut dicendo, ſuſpendo hanc cauſam, aut condemno hunc reum pœnis ſacrorum canonum & Concilij; & condemnatio hæc aut debet eſſe priuationis, aut ſuſpenſionis ab officio: cum autem nulla ſit ratio decidendi illam primo aut ſecundo modo: ne delicta maneant impunita, ne Eccleſiæ prouideatur de indigno, & ne ſcandalum ortum duret in populo, credendum potius eſt quod illam decidet tertio modo. Tum ſic; ſed Rex Catholicus tenetur, in quantum poteſt ſcandalum ſuorum ſedare, indigni electionem impedire, in Eccleſiis ſuæ ditionis, & ſui patronatus: poteſt autem id ex parte præſtare, negãdo placitum Bullis expeditis, ne executioni mandentur, quouſque ſua Sanctitas informetur, & ſic cauſam decidat, ac congruum remedium adhibeat; ſuperueniente tamen eius ſecunda iuſſione placitum concedatur, ne zelo iuſtitiæ, inobedientiæ crimen incurrat.

Quod amplius ſic confirmo, vel declaro. Probabile eſt Regem Catholicum non teneri ad negandum placitum Bullis Apoſtolicis expeditis in fauorem dicti Clerici, propter duo. Tum quia Rex præſentando illum iam functus eſt officio ſuo, quia officium patroni tantum eſt præſentare; ergo cum Rex iam eum præſentauerit, functus eſt officio ſuo, ac proinde ceſſauit eius iuriſdictio erga ſic præſentatum, nihilque ei reſtat agendum; non igitur poteſt executionẽ Bullarum impedire, quæ ad eius inſtantiam & poſtulationem fuerunt expeditæ. Tum etiã quia iſte Præsbyter per dictas Bullas & collationem Epiſcopatus ei factam à ſummo Pontifice, adquiſiuit ius non ſolùm ad rem, ſed etiam in re, quippe qui iam eſt Epiſcopus cum poteſtate iuriſdictionis, & dominus reddituum Eccleſiæ in qua eſt electus & confirmatus, vt dictum eſt, vtpote cum talis electio & collatio ſit valida, quia facta eſt à Papa bona fide, & claue non errante contra iura: atque non poteſt nec debet patronus impedire, aut deiicere electum à iure, quod habet in re ſuper beneficio, vel dignitate ad quam illum præſentauit: eſſet enim talis actio iniurioſa contra iuſtitiam commutatiuam, ſicut illa qua quis ſpoliat aliquem à re, quam iuſto titulo poſſidet: ergo neque Rex poteſt licitè erga dictum præsbyterum cooperari ad impediendam Epiſcopatus ei collati poſſeſſionem, vel deiiciendum eum ab illa: cooperaretur

peraretur autem negando dictum placitum. Cum igitur hæc sit opinio probabilis, licitè eam Rex Catholicus sequi potest, illâque de facto sequendo in praxi, non est in foro conscientiæ condemnandus, quia nimirum iam est functus officio suo, scilicet præsentando bona fide. Et quia hæc detentio, seu denegatio placiti potius habet rationem spolij, quàm correctionis.

Sed ex alia parte securior videtur opinio affirmans, quod teneatur executionem Bullarum impedire, quousque Papa certior factus de indignitate electi prouideat. Nam licet iste nec secundum Concilium, nec secundum sacros canones sit inhabilis: non secundum Concilium, quia non fuit ter monitus ab ordinario, nec per sententiam cõdemnatus; nec secundum sacros canones; quia duo tantùm sunt casiones scilicet citati contra Clericos concubinarios ad Episcopatum promotos, quibus tamen nulla pœna aut priuatio, seu inhabilitas decernitur per modum legis aut sententiæ, sed tantùm refertur factum summi Pontificis Gregorij, quod ad summum potest successoribus deseruire: In priore namque Canone *priusquam*, narratur quod Gregorius sciens Ioannem Diaconum electum in Archiepiscopum Neapolitanum, infectum recenti concubinatu adhuc esse, vtpote ex quo filiam paruulam habebat, scripsit Clero Neapolitano vt alium eligerent, noluitque Ioannem confirmare, aut ei collationem facere: In posteriori autem Canone *habuisse*, simpliciter narrat idem Gregorius, quomodo Episcopum Arentinum suspectum de concubinatu perpetrato in statu Sacerdotali commonefecerit, vt si ita esset non præsumeret accedere ad ministrandum, sed haberetur pro suspenso ab officio, & hoc relinquebatur conscientiæ ipsius, propter incertitudinem criminis, vtpote de quo non erat conuictus; quibus canonibus consonant etiam decretales tituli *de cohabitatione Clericorum, & mulierum in cap. si quisquam cap. sicut & cap. si autem.* In quibus decernitur quod † Clerici de concubinatu suspecti, si 6
post trinam monitionem non emendentur, excommunicentur ab ordinario, & suspendantur à beneficio, & officio. Verumtamen licet, inquam, iste præbyter non sit inhabilis ad Episcopatum secundum Sacros Canones, tamen est indignus illo, ob quam indignitatem meretur puniri à Summo Pontifice; ita quod si Pontifex sciret eius crimẽ ante collationem Episcopatus, eam illi denegaret, sequẽdo vestigia Gregorij *in dicto Canone priusquam*: & si modo commonefactus sciat illius concubinatum, ipsum suspendet ab officio per aliquod tempus, vsquequo manifesta sit eius emendatio, conformando se facto exemplari Gregorij *in Canone habuisse*. Sed patronus tenetur in quantum potuerit cooperari ad suspensionem, siue ad detentionem indigni, & ad tollendum scandalum ab Ecclesiis suæ iurisdictionis & patronatus: vtrumque autem potest præstare Rex Catholicus negando Bullis dictis solitum placitum, sine quo illæ non mandabuntur executioni, & monendo Pontificem de causa, ob quam dictas Bullas detinet Belgicus Senatus: ergo ad vtrumque præstandum tenetur. Quare concludendo dico; vel quod Rex Catholicus permittat dictas Bullas executioni mandari, in quo sequitur opinionem probabilem, dummodo subeat Gubernatorem & Senatum Belgicum, vt dictum electum Episcopum seuerè corrigant, & ei manifestam emendam commendent: vel quod Rex Catholicus sequendo securiorem & veriorem sententiam, Bullas iubeat detineri per negationem placiti, quousque Papa commonefactus prouideat: qui potest † prouidere vno ex duobus modis, vel absoluendo ipsum reum, & tunc iam expedita secunda iussione detur placitum, quia Rex Catholicus suo muneri & obligationi satisfacit; vel reum condemnando, ad pœnam suspensionis per aliquod tempus, (etenim pœnam depositionis & omnimodæ priuationis non ferret contra nunquam de crimine admonitum hucusque) & tunc reus subeat latam pœnam, & interim Ecclesiæ prouideat Sua Sanctitas de conueniente gubernatore: ne tam notabile detrimentum in absentia longa proprij Pastoris patiatur. 7

SVMMARIVM QVÆSTIONIS QVARTÆ.

1 *Ex priuilegio Pauli IV. & Pij V. in fauorem fidei concesso, Inquisitores habent liberam facultatem dicendi sententiam in causis fidei, ac condemnandi reos, eósque tradendi brachio seculari absque periculo irregularitatis.* 1

2 *Ad vitandam irregularitatem in huiusmodi rerum traditione parum aut nihil refert, vti verbo tradendi, aut verbo dimittendi.*

3 *Episcopus per sententiam Clericum aliquem deponens, non debet depositum iudici tradere seculari.*

4 *Verbum* tradendi *hîc tantùm significat priuationem Clericalis priuilegij in Clerico, & laico dimissionem siue relaxationem personæ.*

5 *Irregularitas non incurritur, nisi per influxum aliquem Physicum vel moralem in homicidium seu mutilationem, &c.*

6 *Ad vitandam irregularitatem attento iure communi, necessaria est ex parte inquisitoris intercessio quædam pro reo interposita siue interponenda.*

6 *Verbum* debet *non solùm significat debitum honestatis & condecentiæ, vt Suarius interpretatur, sed etiam necessitatem præcepti in eo contextu, eandémque interpellationem & necessariam necessitate præcepti iudicibus Ecclesiasticis commendat lex Hispaniæ.*

8 *Lex ciuilis circa pœnam iure Canonico introductam incurrendam vel vitandam, nec immutare antiquum, nec introducere nouum ritum potest.*

9 *Consuetudo recepta obtinet vim præcepti.*

10 *Duo affectus voluntatis in Deo circa reprobos: Alter antecedens & conditionatus; alter consequens, efficax & beneplaciti.*

11 *Proponitur forma & modus degradationis, eáque quid sit explicatur.*

12 *Nulla degradatio imponitur à iure, eò quòd debet esse actualis & exercita per prælatum Ecclesiasticum certis cæremoniis seruatis.*

13 *Nulla pœna Ecclesiastica priuat Clericum priuilegio Clericali, nisi degradatio actualis.*

14 *Tres sunt pœnæ propriè Clericorum; suspensio depositio & degradatio.*

15 *Modus in degradatione secundum iura antiqua seruandus.*

QVÆSTIO

QVÆSTIO IV.

Quo pacto iudices fidei vitent irregularitatem tradendo reos brachio ſeculari morte plectendos?

HANC quæſtionem tractant Gloſſa in *cap. ad abolendam de hæreticis V.laicus*, Couarruuias in *relect.p.2. §. quinto, num.7.* Gregorius Lopez ſuper *leg. 60. tit. 6. partita 1.* Rotenus *tract. 35. contra Lutherum*, Peña *in directorio inquiſitorum p.2. comment. 2.* Eimericus *in eodem directorio p.3. de modo terminandi proceſſum fidei num.198.* & Suarius *de cenſuris diſp.47. ſect. 1. §.4. hinc intelligitur.*

Potéſtque quæſtio hæc diſcuti aut attento iure communi, aut attentis priuilegiis conceſſis à Sede Apoſtolica inquiſitoribus. Et quidem ſi attentis priuilegiis conſideretur, dicendum eſt, ex † priuilegio quodam quod Paulus IV. in fauorem fidei conceſſit inquiſitoribus, & Pius V. ad omnes etiam conſultores inquiſitionis ampliauit, eos habere liberam facultatem dicendi ſententiam in cauſis fidei, ac condemnandi reos per ſententiam criminis declaratoriam, & illos tradendi brachio ſeculari abſque periculo irregularitatis. Cuius mentionem facit Peña *vbi ſupra.* Vnde nunc nullo alio iuris adminiculo indigent ad vitandam irregularitatem: quia dicti Pontifices ſuo priuilegio huiuſmodi neceſſitatem abſtulerunt, & liberam facultatem inquiſitoribus relaxandi criminoſos in cauſa fidei conceſſerunt. 1

Si verò negotium hoc conſideretur attento iure communi, reſoluendum eſt per ſequentes aſſertiones.

Prima ſit † ad vitandam irregularitatem, dum inquiſitores reum conuictum ſiue confeſſum per ſententiam criminis hæreſæos declaratoriam condemnatam tradunt brachio ſeculari vltimo ſupplicio puniendum, nihil refert vti verbo tradendi, aut verbo relinquendi. Hæc concluſio ſtatuitur aduerſus Couarruuias, vbi ſupra dicendum, tutius eſſe quod inquiſitores non tradant ſic damnatos iudici ſeculari, ſed eos à propria iuriſdictione iudici laico dimittant, vt ipſe poſtea ſuum munus exequatur. Quod ſibi perſuadet dupliciter; tum *ex cap. ad abolẽdam de hæreticis*; vbi Lucius tertius tam de laico, quàm de Clerico hæretico damnabili ait: *quod ſecularis relinquatur arbitrio poteſtatis animaduerſione debita puniendus*: tum etiam quia per traditionem inquiſitores cooperari videntur illius hominis morti: dum tradunt perſonam materialiter iudici laico (etſi nullam ei conferant iuriſdictionem) à quo ſciunt ſtatim eſſe necandum. Quinimo eo animo fit illius traditio, vt interficiatur: ſiquidem inquiſitores tunc ſolùm agunt de tali reo puniendo, præbent iudici laico occaſionem occidendi reum, excitando illum quodammodo ad talem occiſionem: omnis autem cooperatio, & excitatio ad mortem hominis, irregularitatem inducit. 2

Sed noſtra concluſio oſtenditur primò ex iuribus antiquis, quæ dum de hoc caſu agunt vtuntur verbo tradendi, vt videre eſt *in cap. ſi quis Sacerdotum 11. quæſt. 1.* vbi de Clerico contumelioſo erga ſuũ Epiſcopũ dicitur, quod conuictus de crimine, *mox depoſitus curiæ tradatur, & recipiat quod iniquè geſſit*: *& cap. & ſi Clerici de iudiciis* diſponit Alexander Tertius, quod † Epiſcopus dum aliquem clericum per ſententiam deponit, pro ſuis exceſſibus *non debet quemlibet ſic depoſitum iudici tradere ſeculari.* Cuius rationem ſubiungit non ex ſcrupulo irregularitatis, ſed quia functus ſit officio ſuo, nec duplici debeat ipſum contritione conterere. *Et in cap. nouimus de verb. ſignific.* ſic ait Innocencius III. *Nouimus expedire vt verbum illud quod in antiquis canonibus, & in noſtro decreto contra falſarios edito continetur, videlicet vt Clericus per Eccleſiaſticum iudicem degradatus, ſeculari tradatur curiæ puniendus, aptius exponamus.* Vbi ſupponit hoc verbo tradendi vſos fuiſſe antiquos Canones; quo & Concilium Tridentinum *ſeſſ.13. cap.4.* vti voluit ibi: *vt ob eorum atrocitatem ex ſacris ordinibus deponendi & curiæ ſint tradendi ſeculari.* 3

Secundò probatur, quia huiuſmodi traditio, quocumque verbo ſignificetur, in quo non eſt vis facienda, ſed in re ſignificata: † nihil aliud eſt quam remotio prohibentis, id eſt priuatio Clericalis priuilegij in clerico, & in laico dimiſſio, ſeu relaxatio perſonæ, vt *in eod. cap. nouimus* declarat Innocentius III. ibi; *Vt clericus, qui propter hoc, vel aliud flagitium graue non ſolum damnabile, ſed damnoſum, fuerit degradatus tanquam exutus priuilegio clericali, ſeculari foro per conſequentiam adplicetur; cum ab Eccleſiæ foro fuerit proiectus, eius eſt degradatio celebranda ſeculari poteſtate præſente ad pronuntiandum eidem cum fuerit celebrata, vt in ſuum forum recipiat degradatum, & ſic intelligitur tradi curiæ ſeculari. &c.* Tertiò probatur ratione quam Innocentius innuit verbis recenſitis: nimirum, quod huiuſmodi † irregularitas non incurritur niſi per aliquem influxum phyſicum, aut moralem in homicidium, vel mutilationem, in quo oſtenditur aliquis defectus ſanitatis: atqui per iſtum modum traditionis ſic explicatæ, Inquiſitores nullum influxum habent in occiſionem talis rei damnati, quia nec Phyſicum vt per ſe notum eſt, nec moralem, niſi tantum valde remotum, & per conſequentiam illud adplicando ſiue relinquendo brachio ſeculari; qui nullum indicat defectum lænitatis, ac proinde neque ad irregularitatem incurrendam eſt ſufficiens: Ergo. 4 5

Vltimò probatur ſatisfaciendo obiectionibus in contrarium adductis. Ad primam enim Reſpondetur, quod idem intelligitur per verbum *relinquatur*, quo vſus eſt Lucius tertius, quod per verbum *tradatur*, quo vſa fuere iura antiqua, & Cõcilium Tridentinum quantum ad rem ſignificatam: vt explicuit Innocentius in *dict. cap. nouimus*, licet in modo loquendi nonnulla appareat differentia, quæ ad incurrendam irregularitatem nihil conducit. Ad ſecundam, admiſſa maiori præmiſſa neganda eſt minor: quia dum inquiſitores nec ſententiam mortis proferunt contra reum, ſed ſolùm in ſua ſententia declarant eum de crimine conuictum aũt confeſſum, & quibuſdam pœnis ſpiritualibus afficiunt; nec dant iurisdictionem iudici laico, qui potius illam habet contra huiuſmodi reum ſic declaratum & conuictum, neutiquam eius morti cooperantur: à quacumque etiam intentione & defectu lænitatis per interimpoſitam interceſſionem purgantur, vt ſtatim dicemus.

Secunda

Secunda concluſio ſit: neceſſaria tamen eſt ad vitandam irregularitatem, attento iure communi interceſſio quædam ex parte Inquiſitoris pro reo interpoſita ſiue interponenda. Hæc concluſio ſtatuitur aduerſus Rofenſem *vbi ſupra*, aſſerentem huiuſmodi interceſſionem nequaquam eſſe neceſſariam, quando reus eſt relapſus in crimine hæreſis, aut pertinax, aut negatiuus, imo neque licitam eſſe, eò quòd huiuſmodi interceſſio in eo caſu, aut eſſet ficta, & ſic nihil operaretur; quia interceſſio ſeu interpellatio à iure requiſita ad vitandam irregularitatem eſt vera & non ficta, vel mẽdax, provt ſimili de proteſtatione facienda ab accuſatore, quòd vindictam ſeu pœnam ſanguinis non intendat, *ex c. 2. de homicidio in 6.* Vt irregularitatem vitet ſecuta morte, vel mutilatione accuſati, docent Sylueſter in ſumma verbo *homicidium 2. q. 8.* Nauarrus *in manuali c. 27. n. 226.* cum Hoſtienſi, Ioanne Andrea, Dominico & aliis, illam debere fieri ex animo & non fictè. Aut eſſet verax & ex animo facta: & tunc eſſet iniqua vtpote de re iniuſta: foret enim iniuſtum, talem hæreticum impunitum & viuum relinquere. Imo ſuſpectus inquiſitoribus fieret in fide iudex laicus, qui eum pœna mortis non plecteret. Nec non aduerſus alios, qui dicunt huiuſmodi interpellationem non requiri, quando reus eſt perſona laica, niſi tantum quando eſt perſona Eccleſiaſtica: eò quòd *in dicto c. nouimus*, vbi iudicibus Eccleſiaſticis præſcribitur forma huiuſmodi interpellationis faciendæ, ſolùm agitur de Clerico brachio ſeculari tradendo, ibi; *pro quo tamen debet Eccleſia efficaciter intercedere, vt citra mortis periculum circa eum ſententia moderetur*: alioquin cum reſpectu perſonæ laicæ habeat Iudex iuriſdictionem ſufficientem, quando ei Iudex Eccleſiaſticus remittit illam, nulla indiget interceſſione, vt vitet irregularitatẽ, qua tamen videtur indigere, quando Iudici laico remittit Clericũ, in quem nullã habet iuriſdictionem niſi ſibi commiſſam & delegatam à Iudice Eccleſiaſtico, dũ ei remittit reũ Clericũ damnatum & conuictũ, infallibiliter morte plectendũ.

Sed noſtra concluſio ſuadetur primò *ex dicto c. nouimus*, vbi licet non loquatur Pontifex in particulari de hæreticis relapſis, loquitur tamen in genere de quibuſcumque Clericis, qui ob tale crimẽ condignè à iudice Eccleſiaſtico degradãtur, & brachio ſeculari traduntur, etiã ſi ineuitabiliter ſint iuxta communes leges morte plectendi; quod liquidò conſtat ex illis verbis. *Propter hoc, vel aliud flagitium graue non ſolum damnabile ſed damnoſum.* Cum quibus repugnat limitatio Rofenſis; ſubdítque textus, faciendam eſſe pro huiuſmodi efficacem interceſſionem ab Eccleſia, id eſt ab Eccleſiaſtico iudice qui Eccleſiã repræſentat, *Vt citra mortis periculum circa eum ſententia moderetur.* Hanc autem obligationem ſatis explicuit textus per verbum *debet*, quod indicat præcepti neceſſitatem, maximè in tã graui materia, & cum talibus circumſtantiis, nimirum vt citra irregularitatis periculum poſſint iudices Eccleſiaſtici reos relaxare, tã laicos quã Clericos degradatos morte plectendos, idque eis conceſſum eſt in fauorem fidei, & ne delicta grauiora manerent impunita. Vnde † minus verè Suarius 7
vbi ſupra n. 11. colligit verbum illud *debet* non indicare præceptum in eo textu, niſi tantùm debitũ honeſtatis & condecẽtiæ: eò quòd illa verba nõ ad perſonam iudicis ſed ad Eccleſiam referãtur.

Tum etiam quia huiuſmodi verbum in iure nõ ſemper indicat præceptũ rigoroſum, niſi ex circumſtantiis, & iuxta ſubiectã materiam neceſſitas præcepti colligatur: Verum quamuis dictũ verbum non ſemper indicet rigoroſum præceptum in eo in textu, ex circumſtantiis & grauitate materiæ videtur præceptum indicare, etſi non obligans ad culpam lethalem: quia fortè iudices Eccleſiaſtici dictam interceſſionem omittẽdo, non peccarent lethaliter, peccarent nihilominus venialiter ob defectum manſuetudinis & lenitatis, quẽ in tali oſtenderent omiſſione, ex quo incurrerent irregularitatẽ; nõ tam ratione delicti (quãuis non ſine illo) quàm ratione ſigni ſiue Sacramenti, quia ſcilicet repræſentationi Chriſti quã habere debent Sacris Ordinibus initiati, nõ congruunt. Quod autẽ ad Eccleſiã verba illa referãtur, nihil obſtat quominus etiã ad iudices Eccleſiaſticos referãtur, vtpote in quibus Eccleſia repræſentatur, & per quos operatur. Quinimo illa actio intercedẽdi nõ ab Eccleſia in abſtracto, ſed à iudicibus Eccleſiaſticis in particulari poteſt ac debet exerceri, cum operationes nõ naturarũ, nec communitatũ, ſed ſuppoſitorũ ſint ac ſingulariũ.

Secundò ſuadetur cõcluſio & ſimul confutatur dicta Suarij interpretatio ex lege Hiſpaniæ quæ eandem interpellationem vt debitam Iudicibus Eccleſiaſticis commendat; nã *leg. 60. tit. 6. partita 1.* ſic diſponitur. *Pero ſu Prelado debe rogar por el, que aya alguna merced ſi quiſiere*: quæ verba non diuerſum vt putauit Peña *vbi ſupra*, ſed eũdem ritum cum diſpoſitione in *c. nouimus* denotant: & quidẽ ſufficientem quoq; ad vitandã irregularitatem, vt verius Gregorius Lopez & Couarruuias ſentiunt. Et merito, quia † lex ciuilis 8
circa pœnam iure canonico introductam incurrendam, vel vitãdam, qualis eſt irregularitas, nec immutare antiquum, nec introducere poterat nouum ritum, ſed duntaxat referre eãdem iuris canonici diſpoſitionem & ei conformari. Tertiò probatur, nam ratio propter quam requiritur huiuſmodi interceſſio à iure canonico diſpoſita eſt, quia occaſione Eccleſiaſtici iudicij & miniſterio iudicis Eccleſiaſtici, reus in euidenti periculo mortis conſtituitur. Quæ ratio pariter militat in laico, atq; in Clerico reo; ſiquidẽ vterq; traditur ſiue dimittitur brachio ſeculari cum eodẽ mortis periculo. Igitur reſpectu vtriuſq; pariter eſt neceſſaria attẽto iure cõmuni, interpellatio à iudice Eccleſiaſtico faciẽda, tanquã adminiculũ iuris ad tollendũ lenitatis defectũ, & omnẽ irregularitatis ſcrupulum. Conſequẽtia iſta patet; nã licet ratio fortis vt ſic dicã, vitandi irregularitatẽ, in eo ſolũ conſiſtat, quòd Iudex Eccleſiaſticus nec tribuat iuriſdictionẽ iudici laico in eo caſu, reſpectu ſecularis rei qui iã illã habet erga eũ, nec reſpectu Clerici, qui ei traditur iã degradatus & exutus omni priuilegio Clericali, ac proinde vt merè laicus erga ipſũ ſimiliter habet iã iuriſdictionẽ: nec profert ſanguinis ſententiã, nec ad illã inducit, nec ad mortẽ talis hominis per ſe aut proximè moraliter concurrit, niſi tantũ remotè & valde per accidens, quatenus de crimine conuictum & pœnis quibuſdam Eccleſiaſticis affectũ permittit, vt à brachio ſeculari capiatur & iudicetur; verũtamen cõditio de iure requiſita ad maiorẽ ſecuritatem & tollendũ omnẽ irregularitatis ſcrupũlum, eſt dicta interceſſio, debita quidẽ, tum propter ius commune, tum propter † 9
receptam conſuetudinem quæ fere iam obtinuit

vim præcepti. Tum denique quia præ ſe fert pie atem & lenitatem, quam Eccleſia per ſuos iudices debet repræſentare,ne propter eius defectũ inepti ſignificationi ſacerdotij reddantur.

Ad fundamentum autem Rofenſis Reſpondetur;illam interpellationem non fictam,ſed veram eſſe,nec ideo iniquam & iniuſtam:quia per illam ſignificant Iudices fidei pium affectum voluntatis, veluti antecedentis ſiue conditionatæ, quo quantum eſt ex ſe, vellent talem hominem quantumvis relapſum, pertinacem aut negatiuum à morte ſaluare,etiamſi aliàs habeant voluntatem conſequentem & efficacem ſiue beneplaciti de illius morte condignè promerita, ſecundum leges non per ipſos ſed per iudicem
10 laicũ infligenda. Quo etiam modo † in Deo diſtinguunt Theologi duos affectus volũtatis circa reprobos:alterum antecedentem & conditionatum,quo vult ex ſe omnes homines etiam reprobos ſaluos fieri, quem ſine fictione explicat per vocationes & auxilia ſufficientia quæ omnibus largitur:& alterum conſequentem, efficacẽ & beneplaciti, quo poſt demerita præuiſa vult abſolutè illos æterna pœna damnare: eodẽ proportionabiliter in Iudice Eccleſiaſtico compatiuntur duo affectus voluntatis circa reum,quem relaxat vltimo ſupplicio per iudicem laicum infallibiliter puniendum:alter quidem inefficax & conditionatus de illius ſalute & libertate,quem abſque vlla fictione piè pro illo intercedendo manifeſtat:alter verò quo legibus communibus ſe conformans,complacet ſibi de eius condigno ſupplicio. Et hoc non obſtante,Eccleſia quæ de occultis non iudicat,nec occultos actus punit, primum ſic exterius manifeſtatum admittit, vt conditionem ſufficientem ad vitandam irregularitatem.Nec diſſimile contingit Clerico accuſatori in cauſa ſanguinis coram Iudice laico, à quo duas conditiones exigit ius canonicum in *cap.2.de homicidio*:vt vitet irregularitatem,nimirum quod querelam non criminaliter ſed ciuiliter deponat, hoc eſt petendo duntaxat emendam ſibi fieri & prouideri, ne contra eum talis iniuria de cætero fieri præſumatur: & inſuper quod expreſsè proteſtetur ſe pœnam ſanguinis non intendere,huiuſque priuilegij Clericis conceſſi reddit textus rationem; ne ſi Clerici metu irregularitatis conqueri de ſuis malefactoribus non auderent,detur pleriſque occaſio Clericos trucidandi,aut ipſorum bona deprædãdi. Quam proteſtationem ſufficientem fore ad effectũ vitandi irregularitatem,etiam ſi non fiat ex affectu efficaci liberãdi reum à mortis vel mutilationis pœna, dummodo fiat ex alio affectu conditionato & inefficaci,quo accuſator quantum eſt de ſe, & ex vi ſuæ accuſationis vult mortẽ ſiue mutilationem in accuſato non ſequi, docent Couarruuias *dicto* §. 5. *num.*3. Ioannes Andreas & Felinus *in c.poſtulaſti de homicidio*,& Suarius *diſp. citata ſectione* 2. aduerſus alios Doctores minus verè contrarium ſentientes.

Sed neque talis proteſtatio ficta aut fraudulenta cenſenda eſt. Quia licet ſit ficta reſpectu affectus odij quo accuſator proſequitur accuſatum,&vult abſolutè illi mortem ſecundum leges communes debitam; eſt tamen verax reſpectu alterius affectus conditionati & voluntatis antecedentis, quo vult quantum eſt de ſe accuſatum non mori,ſaltim ex vi ſuæ accuſationis. Ad hanc diſtinctionem reducẽda eſt illa qua vtitur Suarius *ſect.2.n.4.* dicens,huiuſmodi proteſtationem eſſe fictam quidem reſpectu interni odij ac deſiderij accuſantis, quod non explicat: veracem autem reſpectu intentionis vniuerſalis legis, quam duntaxat explicat:iſti enim affectus non ſunt incompatibiles in accuſatore pro eodem tempore; vnus quidem animi deſiderantis abſolutè mortem accuſato,& alter animi volentis ſe conformare Eccleſiæ, & eius legi Canonicæ,externam proteſtationem pro vitanda irregularitate poſtulanti, atque etiam animi deſiderantis,vt mors ſiue mutilatio ex ipſius actione non ſequatur: ad eum modum quo in eodem affectu reſpectu diuerſarum cauſarum duæ oppoſitæ conditiones ſcilicet contingentiæ ſiue caſualitatis,& perſeitatis reperiuntur; nam monſtruum quod reſpectu cauſæ particularis eſt per accidens, reſpectu cauſæ vniuerſalis eſt per ſe intentum: & pluuia quæ reſpectu cauſæ ſecundæ eſt contingens, reſpectu cauſæ primæ eſt per ſe intenta & prouiſa.

Ad aliorum autem fundamentum, dico parem eſſe rationem reſpectu Clerici degradati, atque reſpectu purè laici; cum ille poſtquam exuitur priuilegio Clericali,in omnibus æquiparetur iſti, ac proinde diſpoſitio capitis *nouimus*, licet de Clerico dumtaxat expreſſam mentionem faciat, tamen per identitatem rationis ad quemcumque reum etiam purè laicũ,brachio ſeculari per quoſuis iudices Eccleſiaſticos relaxandum extenditur. Nam licet reſpectu neutrius iudices Eccleſiaſtici tribuant iuriſdictionem iudici laico, tamen reſpectu vnius & alterius pariter videntur mortis occaſionem per accidens & remotè præbere,& à lenitate deficere,dum reum ſiue Clericum degradatum ſiue purè laicum Iudici ſeculari remittunt,quem ſciunt ineuitabiliter occidẽdũ, à quo defectu lenitatis voluit ius canonicũ iudices Eccleſiaſticos,mediãte illapia interceſſione,purgari.

Verùm ad huius diſputationis complementum 11
operæ precium eſt,vt † modum degradationis quem in Clerico Inquiſitores & alij Eccleſiaſtici iudices ſeruare ſolẽt,explicemus.Igitur degradatio nihil eſt aliud quàm perpetua & actualis priuatio Clericalis muneris & priuilegij,effecta poſt ſententiam,adiuncta reali actione & cæremonia per canones inſtituta.Inqua deſcriptione ponitur loco generis id,in quo degradatio cũ aliis pœnis Eccleſiaſticis conuenit,nimirũ quod ſit priuatio alicuius ſpiritualis muneris: in hoc enim conuenit cum ſuſpenſione perpetua & depoſitione ab homine lata;ponitur quoque loco differentiæ id per quod ab illis diſcriminatur. Nam ab his quæ feruntur à iure ſatis diſtinguitur per hoc, quod dicitur inflicta poſt iudicis ſententiam, & cum reali actione.† Nulla enim degradatio im- 12
ponitur à iure,eò quod debet eſſe actualis & exercita per prælatum Eccleſiaſticum certis cæremoniis ſeruatis:aliæ autem pœnæ aut à ſolo iure, vt irregularitas, aut quandoque à iure & quandoque ab homine feruntur, vt excommunicatio, ſuſpenſio, & depoſitio. Per illam quoque particulam priuilegij Clericalis, diſcriminatur ab illis,quia † nulla alia pœna Eccleſiaſtica priuat 13
Clericum priuilegio Clericali, niſi degradatio actualis,quæ etiam differt à depoſitione verbali, eò quòd diuerſis cæremoniis & ſolemnitatibus celebrantur. Etenim depoſitio verbalis & reſpectiua, ideſt quæ ad degradationem à iudice ordinatur, & ipſa degradatio comparantur inter ſe ſicut ſententia & eius executio;

nam

nam per verbalem depositionem profertur sen-
14 tētia contra Clericū (sunt enim † istæ tres pœnæ scilicet suspensio, depositio, & degradatio propriè clericorum) & per degradationem executioni mandatur quantum ad quosdam effectus, qui per ipsam sententiam absque hominis actione perfici non valent, vt notat post alios Suarius *tomo 5. de censuris disp. 30. sectione 2.* & colligitur ex *cap. degradatio de pœnis in sexto*, vbi Bonifa-
15 cius VIII. determinat † modum in degradatione secundum antiqua iura seruandum, dicens; quod verbalis degradatio siue depositio ab ordinibus, vel gradibus Ecclesiasticis in Clerico sacris initiato, facienda est à proprio Episcopo certo Episcoporū numero associato per antiquos canones definito, videlicet canone *felix* & canone *si quis decima quinta q. 7.* in clerico autem minoribus ordinibus initiato, sufficit proprij Episcopi sententia sine aliorum Episcoporum præsentia, qui ideo ad deponendum verbaliter sacris initiatum requirebantur, vt simul cum proprio Episcopo causam cognoscerent, & sententiam ferrent tanquam coniudices assessores. Actualis verò siue solemnis degradatio quæ in executione sententiæ & verbalis depositionis consistit, nihil aliud est quàm priuatio perpetua Clericalis muneris & priuilegij per canonicam sententiam cum debita solemnitate inflicta siue affecta; & hæc non exigebat dictā solemnitatem & Episcoporum præsentiam, sed aliam longè diuersam, quæ modò est in vsu & praxi, Nimirum quod Clericus degradatus coram proprio Episcopo compareat veste sacra indutus, & vase seu libro ad suum ordinem spectante, singuláque huiusmodi insignia aufert illi Episcopus ordine præposteró incipiendo, vtens quibusdam verbis ad terrorem oppositis eis, quæ in collatione ordinum proferuntur. v.g. in remotione casulæ inquit, *auferimus tibi vestem sacerdotalem, & te honore sacerdotali priuamus*; in ablatione autem vltimi ornamenti quod in susceptione ordinum fuit primum, sic ait: *Authoritate Dei omnipotentis Patris, & Filij, & Spiritus sancti, ac nostra, tibi auferimus habitū Clericalē, & deponimus, degradamus, spoliamus, & exuimus te, omni ordine, beneficio, & priuilegio Clericali*, & sic exutus manumittitur à Prælato & relinquitur, ac relaxatur iudici seculari, vt eius iurisdictioni tanquam purè laicus subiectus maneat.

QVÆSTIO V.

De beneficiario obtinente beneficium curatum ante legitimam ætatem, & sine intentione ascendendi ad Sacerdotium, simúlque alij casus concernentes resoluuntur.

SVMMARIVM QVÆSTIONIS QVINTÆ.

1 *Proponitur casus de quodam collega obtinente beneficium curatum laicæ præsentationis, interuenientéque Ordinarij collatione; quod beneficium possedit, & fructus eius percepit per integrum annum ante legitimam ætatem, & sine intētione ascendendi ad Sacerdotium. Quo anno transacto resignauit dictum beneficium in fauorem cuiusdam tertij, reseruatâ sibi quâdam annuâ pensione. Cuius resignationis Bulla cum pensionis reseruatione expedita fuit, nulla facta mentione de tituli nullitate.*

2 *In iure Canonico priuantur beneficij titulo ij, qui ante legitimam ætatem, etsi in non intra annum initientur ordine Præsbyteriatus, beneficium curatum obtinent.*

3 *In foro conscientiæ ante iudicis sententiam latam obligantur transgressores ad priuationem tituli & fructuum restitutionem.*

4 *Eadem est ratio de resignante cum titulo nullo, atque cum titulo deperdito.*

5 *Intrusus in beneficium est ipso iure inhabilis ad obtinendum beneficium, quod per intrusionem arripuit.*

6 *Titulus deperditus nihil amplius potest operari in resignante quoad valorem resignationis, quàm titulus nullus ex defectu ætatis proueniens.*

7 *Resignatio est voluntaria dimissio iuris quod quis habet in beneficio; ex opinione Azorij.*

8 *Ad legitimam præscriptionem duæ conditiones requiruntur; scilicet possessio ciuilis & bona fides.*

9 *Nullus locupletari debet cum alterius iniuria & iactura; nec debet alteri per alterum iniqua conditio inferri.*

CAsvs ita contigit. † Quidam collega obtinuit beneficium curatum laicæ præsentationis, per collationem tamen ab ordinario factam: illúdque possedit, & eius fructus percepit per integrum annum sine legitima ætate, hoc est ante vigesimum quintum annum inceptum, & sine intentione ascendendi ad Sacerdotium, imo cum intentione contraria; resignauítque transacto anno dictum beneficium in fauorem cuiusdam tertij, reseruando sibi certā annuam pensionem, qua sua studia prosequi, & ad maiora officia promoueri posset expeditus à beneficio curato. Bullæ autem huiusmodi resignationis cum pensionis reseruatione expeditæ fuere à Sede Apostolica cum solitis clausulis generalibus, nulla facta mentione de tituli nullitate. 1

Hoc supposito tria inquiruntur. Primò, an iste collega teneatur restituere fructus perceptos dicti beneficij illius anni, in quo illud sine legitimo titulo possedit, & cui teneatur restituere. Secundò an gratia dictæ pensionis fuerit nulla & subreptitia ob defectum veritatis narratiuæ. Tertiò, an deinceps possit tuta conscientia fructus dictæ pensionis percipere & restituere? Ad quorum solutionem operæ præcium est prænotare duo: alterum quidem est, quod † lex pœnalis inuenitur in iure Canonico, priuans ipso facto beneficij titulo eos, qui illud obtinent ante legitimam ætatem ab ipso iure præscriptam; nec non obtinentes beneficium curatum, si non ordinētur intra annum ordine præsbyteratus, & ita vt nec transacto anno faciant 2

fructus ſuos. Quæ lex extat *in cap.cum ex eo & cap.commiſſa de electione in 6o.& cap.licet canon.* Quod ſi talis beneficiarius habuiſſet intentionem perſeuerantem in toto illo anno non aſcendendi ad præsbyterium,neque facit fructus ſuos illiuſmet anni. Si autem mutata intentione aſſumat ordinē præsbyteratus intra illū annum,facit quidem fructus ſuos totius anni : & non tamen à die mutatæ intentionis,vt vult Soto;ſed minus verè quia ex eius ſententia ſequitur incōueniens nullatenus admittendū, videlicet quod Eccleſia puniret actus purè internos, ſiquidem iſtum beneficiarium priuaret fructibus illius temporis,in quo habuit malā intētionem,ſcilicet non aſcendendi ad præsbyteratum.De cæteris autem beneficiariis non curatis dicendum eſt cū Vazquio *tract.de beneficiis cap.3.dub.4.*eos quidem peccare habentes intentionem laicandi,aut non aſſumendi ordinem annexum benefico ſeu dignitati Eccleſiaſticæ quam obtinent;non tamen teneri ad reſtitutionem fructuum , imo neque peccatum hoc eſſe lethale ſemper; maximè quando beneficium petit ordinem ſacrum.

3 Alterum eſt,quod hæc lex † licet pœnalis,obligat reos ante ſententiam iudicis ad talem pœnam priuationis tituli & fructuum ſuſtinendam, necnon ad fructuum perceptorum reſtitutionem in foro conſcientiæ, per ea quæ docuimus *tract. de legib.diſp.3.ſect.6.*

His ſuppoſitis ac prænotatis; Reſpondeo ad primum quæſitum ex tribus propoſitis,tunc collegam non potuiſſe facere fructus beneficij ſuos in primo anno , quo illud obtinuit & poſſedit. Quod probatur, quia id poſſumus quod iure poſſumus.Iure autem collega iſte non potuit tales fructus illo anno facere ſuos , vtpote carens iuſto titulo ob prædictos duos defectus,ſcilicet ætatis ac debitæ intentionis,quos proinde tenetur in foro conſcientiæ reſtituere,nulla expectata iudicis ſententia aut declaratione.Hæc autem reſtitutio facienda eſt aut ipſi Eccleſiæ *ex capit. cum vos de officio ordinarij*;& *cap.quia.ſæpe de electione in 6.*vt pote in cuius vtilitatem iure poſſunt conuerti fructus ſedis vacantis : aut etiam ſucceſſori,qui per reſignationē in idem beneficium ingreſſus eſt ; qui proinde poterit tales fructus remittere reſignanti, titulo gratitudinis, vt aduertit Nauarrus *lib.1.conſiliorum titulo de reſcriptis conſilio* 1.

Ad ſecundum quæſitum,Reſpondeo gratiam penſionis à ſummo Pontifice expeditam fuiſſe validam.Quod mihi perſuadeo propter tria:tum
4 quia † eadem ratio eſt de reſignante cum titulo nullo,atque cum titulo deperdito:ſed ſic eſt,quod reſignans cum titulo deperdito,qualis eſt ille qui reſignat beneficium curatum quod legitimè obtinuit,& per annum integrum & amplius retinuit ſine aſcenſu ad ordinem præsbyteratus, poteſt optimè & validè illud reſignare in fauorem tertij, reſeruando ſibi aliquam penſionem, etiam tacendo huiuſmodi defectum in ſpecie, dummodo explicet illum in genere,vtendo ſcilicet clauſulis generalibus v. g. *quibuſcumque de cauſis* ; &ſimilibus ; &dummodo non decipiat ſummum Pontificem in cauſa motiua principali gratiæ obtinendæ , vt benè probat Nauarrus in propriis terminis, in conſilio prælegato:Ergo pariter valida erit reſeruatio penſionis facta à reſignante cum titulo nullo per defectum ætatis : quamuis hunc defectum in ſpecie non exprimat. Tum etiam quoniam licet † 5
intruſus in beneficium ſit iure ipſo inhabilis ad obtinendum beneficium quod per intruſionem arripuit ; nihilominus non manet inhabilis ad obtinendam ex illo penſionem , quia penſio non eſt beneficium : ad quam proinde lex pœnalis contra intruſum in beneficium extendi non debet : ergo licet iſte collega ob defectum ætatis ſit inhabilis ad obtinendum beneficium in quod fuit intruſus , neutiquam tamen erit inhabilis ad obtinendam penſionem quam ſibi reſeruat , mediante gratia quam à ſummo Pontifice impetrauit.Tum denique † quia 6
titulus deperditus nihil amplius poteſt operari in reſignante quoad valorem reſignationis & gratiæ penſionis reſeruatæ , quàm titulus nullus ex defectu ætatis proueniens ; ſiquidem in re, vterque titulus nullus eſt pariter,ac proinde nullius virtutis ac efficaciæ ; ergo neque titulus ob defectum ætatis reddet reſignationem aut gratiam penſionis inualidam. Ex huius quæſiti reſolutione, patet reſponſio ad tertium quæſitum affirmatiua : nimirum , dictum collegam poſſe tuta conſcientia penſionis annuæ fructus percipere ac retinere.

Huic reſolutioni Nauarri opponit ſe Azorius *tom.2.ſummæ moralis lib.7.cap.19.quæſt.8.* dicens,quod ille qui ipſo iure beneficij Eccleſiaſticij titulum amiſit , illud non poteſt reſignare validè:quia † reſignatio eſt voluntaria dimiſſio 7
iuris quod quis habet in beneficio : igitur cum iſte qui titulum amiſit nullum ius habeat in beneficio ; conſequens eſt quod neque validam ac ratam poteſt illius facere reſignationem.Nihilominus licet hoc argumentum Azorij oppoſitam ſententiam ſatis probabilem reddat , tamen non veram : vnde reſpondeo quod reſignatio non eſt dimiſſio iuris,ſed dimiſſio ipſiuſmet beneficij, quod reſignans ſiue iuſtè,ſiue iniuſtè, ſiue cum titulo ſiue ſine illo poſſidebat. Rurſus aut hæc reſignatio eſt abſolutè facta in manus Papæ : & hæc valida eſt in omni ſententia,licet fiat à reſignante nullum titulum habente , aut ſit conditionatè , hoc eſt , vt detur cuidam tertio , & de hac eſt controuerſia inter Nauarrum affirmantem eſſe validam,& Azorium negantem. Sed nos Nauarro affirmanti ſubſcribimus ob rationes factas, & quia ratio Azorij non conuincit dictam reſignationem conditionatam eſſe inualidam, maximè quando in narratiua neque exprimitur falſum,neque ſubticetur cauſa motiua principalis:quod in noſtro caſu verum habet.

Alius caſus de tempore neceſſario ad præſcriptionem in beneficio Eccleſiaſtico.

Reſpondeo aliquem aduerſus priuatum præſcribere beneficiū Eccleſiaſticū per decē annos inter præſentes : per 20. verò inter abſentes cum titulo. Hæc ratio probatur ſupponendo duo ex communi ſentētia Iuriſtarum. Alterum eſt,quod
† ad legitimam præſcriptionem duæ conditio- 8
nes requiruntur;nimirum poſſeſſio ciuilis quæ eſt detentio rei animo retinēdi vt ſuam iuris adminiculo : & bona fides, quia poſſeſſor malæ fidei vllo tempore non præſcribit:malam autem fidē facit ſcientia rei alienæ,aut ignorantia affectata & craſſa facti aut iuris , eò quòd leges cum his dumtaxat cōditionibus introduxerunt præſcriptionem validam in vtroque foro. Alterum eſt,quod vltra has cōditiones requiritur ad præ-

ſcriptionem

ſcriptionem legitimam rerum immobilium, aut iurium perpetuorum,& ſeruitutum, atque beneficiorum Eccleſiæ aduerſus priuatas perſonas, ſpatium determinati temporis cum titulo; v. g. inter præſentes requiritur & ſufficit cum titulo ſpatium 10. annorum, & inter abſentes ſpatium 20.annor. ſine titulo autem requiritur tam inter præſentes, quàm inter abſentes ſpatium 30.annorum in rebus immobilibus, in quibus poteſt ſaluari bona fides ſine titulo. Ergo cum in beneficio Eccleſiaſtico cum titulo poſſit ſaluari bona fides à poſſidente; ſignum eſt quod poteſt præſcribere illud contra priuatam perſonam per decennium inter præſentes, & per 20.annos inter abſentes. Sed quia ſine titulo nunquam poteſt ſaluari bona fides, ideo neque poteſt dari præſcriptio in illo:& aliàs quia titulus ipſe non poſſit præſcribi, eò quòd beneficium Eccleſiaſticum ſola Canonica inſtitutione aut collatione poteſt obtineri;ideo ſine titulo per nullum tempus elapſum poteſt beneficium Eccleſiaſticum præſcribi.

Hinc quidam caſus ad hanc materiam de Eccleſiaſticis beneficiis pertinentes,reſoluuntur.

Primum eſt de quodam ſtudente Aluano,qui obtinuit quamdam Capellaniam ex duabus à ſuo conſanguineo fundatis cum certis conditionibus: Inquiſitum eſt de iſto; Vtrum poſſit ſecundam etiam capellaniam vacantem obtinere? Reſpondeo non poſſe;quoniam iſtæ duæ capellaniæ fundatæ in oppido Aluæ,ex clauſula fundationis ipſarum petunt ſeruitium perſonale duorum miniſtrorum:ſed vnus non poteſt ſeruire, vt duo: ergo neque iſte conſanguineus fundatoris obtinens iam vnam, poteſt aliam obtinere ſi vacauerit. Quare hæc ſecunda ſi vacet, debet alteri per patronos laicos dari, contra fundatoris diſpoſitionem, etiamſi minus coniunctus ſit fundatori in gradu conſanguinitatis, dummodo aliæ conditiones requiſitæ ei non deficiant.

Secũdus eſt,de duobus oppoſitoribus concurrentibus ad idẽ beneficium diuiſibile non curatum ſub hac conditione,vt qui illud obtinuiſſet, diuideret in duas partes æquales conſenſu prælati,à quo petierunt ratihabitionẽ huius contractus & ſcripturæ,ac duos titulos;& vtrique collata eſt medietas beneficij: & ſic vterque ad titulum beneficij ordinatus eſt.De qua conuentione quæſitum fuit, vtrum fuerit ſimoniaca? Reſpondeo negatiuè:quia facta fuit dependenter ab Epiſcopo, & ſub conditione futuri conſenſus ipſius,ſicut conuentiones quæ ſic fiũt dependenter à futura confirmatione ſummi Pontificis,in permutandis & reſignandis beneficiis, non ſunt ſimoniacæ ob eandem rationem.Scrupulus tamen poteſt eſſe in modo quo diuiſio facta eſt. Nam ſi fuit facta in plures partes quam ſuppetant reditus & prouentus pro congrua ſuſtentatione: tunc enim non valet ex *cap. vacante de præbendis & dignitatibus:* aut ſi idem beneficium fuit collatum ſimul pluribus:debuit enim prius diuidi in plura,vt vnicuique beneficiario collatio proprij beneficij fieret, vt benè notat Azorius *p.2.ſummæ.*

Tertius eſt de Archidiacono quodam Eccleſiæ Salmantinæ. Vtrum poſſit penſionem,quam ipſi ſoluit,pauperibus diſtribuendam,eius coadiutor caſſare, erogando etiam pauperibus pretium redemptæ penſionis?Reſpondeo poſſe fieri talem caſſationem dependenter à Papæ confirmatione, propter duo. Tum quia iam tunc fit legitima authoritate: Tum etiam quia cedit in vtilitatem eorumdem pauperum quibus magis vtile eſt,de præſenti recipere v.g.20.aureos; quam 40.in futurum.

Alius de Canonico quodam regulari reuertente ad proprium conuentum, ſcilicet Sancti Iſidori Legionenſis, vnde exierat, renuntiato beneficio propter quod exierat à ſuo clauſtro, & obedientia ſui Abbatis; volentéque poſt huiuſmodi regreſſum, eundem locum & ſedem antiquitatis ſuæ obtinere,quem ante exitum habebat in dicto conuentu.

De quo dubitatur, an debeat ad eundem locum & ſedem recipi,quem ante exitum habebat in ſuo conuentu?

Ad hoc dubium Reſpondeo; non poſſe nec debere de iure, niſi conſentientibus illis, quorum intereſt. Quæ concluſio ſuadetur ex deciſione Nauarri approbata & incorporata in conſtitutionibus eiuſdem conuentus ſancti Iſidori, quæ ſic habet: *non debet recipi* (ſcilicet talis canonicus beneficiarius reuertens à beneficio) *niſi ab Abbate & conuentu ſimul volentibus, quoniam ad eos ſimul ſpectat receptio, &c. Quin & ſi recipiatur eo loco habendus eſt,quo haberetur, qui nouè de alio monaſterio ad hoc aſciſceretur;niſi eis quorum intereſt conſentientibus altior ei locus deſignaretur,&c.* Ex tanta hac Nauarri deciſione inter alias, quas dum præfatum conuentum viſitaret,edidit,aduenit quidam Canonicus, qui relicto beneficio propter quod exierat à conuentu, volebat eidem Conuentui & loco ſuæ antiquitatis cooptari,à capitulóque congregato tale reſponſum ſub forma reſponſi eſt datum: nimirum, quod dictus Canonicus beneficiarius recipiatur ad nouiſſimum locum Canonicorum, niſi aliquis ei ſuum locum renuntiaſſet: contigítque quod vno nouiſſimo omnium Canonicorum & capitularium actualium renuntiante ſuum locum,Conuentus eum præpoſuit in loco & ſede,omnibus nedum infantibus,qui ſunt iuuenes ſacris ordinibus non initiati, & nondum actuales capitulares, verùm etiam collegialibus collegij Salmantini, quod vulgo dicitur *de la Vega*; qui ſi adeſſent conuentui ré vera eſſent conuentuales, & capitulares actuales, dum tamen Sacerdotio ſint initiati: conſtátque huiuſmodi decretum capituli, & ſpolium collegialium Sacerdotum à ſede, & loco fuiſſe nullum, ob quatuor cauſas nullitatis,quas in ſe continet. Prima deſumitur ex præfata Nauarri deciſione, quæ dum approbata eſt, & in libro conſtitutionum conuentus recepta, conſtituit ius municipiale eiuſdem conuentus ab eo obſeruandum: cui aduerſatur dictum decretum & ſpolium ibi: *niſi conſentientibus eis quorum intereſt:* manifeſtum autem eſt id, collegialibus aliàs Sacerdotibus intereſſe locum & ſedem in conuentu cuius ſunt filij, & capitulares quando ad illum peracto ſtudio reuertantur:ergo. Ratio ſecunda nullitatis eſt, quia aduerſatur regulæ iuris in 6. † 9 *Nullus locupletari debet cum alterius iniuria & iactura.* Cui affinis eſt altera iuris ciuilis ff. de regulis iuris, quæ eſt in ordine 74. videlicet: *non debet alteri per alterum iniqua conditio inferri,* contra quas eſt quod iſte canonicus beneficiarius locupletetur in loco & præeminentia ſedis cum iniuria infantium; maximè verò cum iniu-

ria collegarum Sacerdotũ: qui non conſenſerint, & ſpoliãtur ſuo iure inauditi, & indefenſi, quæ eſt alia nullitas præfati ſpolij, & ordine eſt tertia: nã cũ prædicti ſint cõuentuales & capitulares licet non actu, benè tamen habitu; infantes quidem quando aſcendunt ad Sacerdotium; collegæ verò Sacerdotes, quando ad conuentum regrediantur, debuerunt citari, & in iudicio audiri, ne contra inauditam partem ſententia damnationis ferretur. Quarta ratio nullitatis eſt, quia eſt contra ius commune diſpoſitum per leges ſtipulationis, in quibus diſponitur quod nemo poteſt ſtipulari alteri; nec poteſt promittere factum alienum, nec poteſt venire in ſtipulationem quod non eſt ſub dominio promittentis, ex lege *ſtipulatio iſta*, §. *alteri*, *de verborum obligationibus*, & § *ſi quis*, inſtituta de inutilibus ſtipulationibus, & gloſſis ibidem: ſed locus & ſedes ac dignitas ſiue præeminentia infantium ac collegarum, non erat ſub dominio Canonici, qui ceſſit ſuo loco in fauorem dicti beneficiarij. Ergo nec potuit cedere pro illis, nec tali beneficiario poteſt acquiri ius loci ac ſedis pertinentis ad infantem ſeu collegam, qui ſuo loco non ceſſit. Quæ ratio amplius confirmatur, quia huiuſmodi ius eſt perſonale, ac proinde requirens actionem perſonalem; ergo quandiu illi quorum intereſt non cedunt loco ſuo, alter pro illis non poteſt cedere. Neque conuentus aut capitulum potuit eorum conſenſum ſupplere contra præfatam deciſionem, vnde dictum ſpolium fuit nullum, vtpote ex defectu iuriſdictionis; & iuri tam communi, quàm municipali aduerſans, & quæ contra ius fiunt pro infectis habentur, ex *cap. quæ contra de regulis iuris in 6. & lege non dubium eod. de legib.* Niſi capitulum probet ſe habere talem authoritatem ex aliqua conſtitutione ſcripta, aut conſuetudine præſcripta, ad quam tamen non ſufficiunt vnus actus ſiue duo.

QVÆSTIO VI.

Selecta.

Vtrum habitus militarium ordinum vendi poſſint abſque ſimoniæ labe, vel abſque vllo peccato?

SVMMARIVM QVÆSTIONIS SEXTÆ.

1 *Ex quorundam Doctorum ſententia affirmatur poſſe ſine labe ſimoniæ vendi habitus ordinum militarium.*
2 *Quorum opinioni fauent, qui dicunt iſtos ordines militares in equitibus non eſſe verè Religiones.*
3 *Vera Religio non compatitur cum continentia coniugali.*
4 *Res vxoria quare pugnat cum Religione.*
5 *Equitibus militaribus deeſt ſolemne votum paupertatis & abdicatio proprietatis.*
6 *Vt cæteri ſeculares honores ambiunt, diuitias conquirunt, nec votum obedientiæ emittunt, &c.*
7 *Nullus alteri tradere poteſt quod ſuum non eſt.*
8 *Quod nihil ſpiritualitatis habet, planè de ſe eſt vendibile, nec in eius venditione contrahitur labes Simoniæ.*
9 *Calices conſecrati & veſtes pretioſæ cultui diuino dicatæ in caſu neceſſitatis poſſunt vendi.*
10 *Recipiens pecuniam pro victu perſonæ ingredientis religionem, aut alio titulo, dummodo non recipiatur ex pacto & tanquam pretium pro ingreſſu Monaſterij, non inducit Simoniæ labem.*
11 *Rex ſiue Magiſter ordinum poteſt vendere commendas militares abſque peccato Simoniæ.*
12 *Milites de Alcantara viuunt & militant ſub regula fratrum Ciſtertienſium, quæ eſt regula Sancti Benedicti.*
13 *Commutatio voti continentiæ in caſtitatem coniugalem, non mutat regulæ ſubſtantiam.*
14 *Commendatores Sancti Ioannis & Sancti Iacobi, regulam Sancti Auguſtini profitentur, licet ex priuilegio Apoſtolico vxores poſſint habere.*
15 *Ad perfectionem religionis requiritur continentia perpetua, & voluntaria paupertas.*
16 *Voti ſolemnitas ſola Eccleſiæ conſtitutione eſt inuenta.*
17 *Religioſi Societatis poſt tria vota ſimplicia emiſſa finito biennio, adhuc ob iuſtas cauſas retinent ius atque dominium bonorum ſuorum, ſuſpenſo tamen vſu.*
18 *Miles ordinis S. Benedicti gaudet priuilegio fori & Canonis.*
19 *Res vxoria & bonorum poſſeſſiones pugnant cum ſtatu religionis in ſua perfectione conſiderato, non autem ſub regula laxiori, &c.*
20 *Ex communi opinione Iuriſtarum multorũmque Theologorum Romanus Pontifex poteſt diſpenſare in votis religionis ſolemnibus: cuius tamen contrarium tenet D. Thomas multipliciter explicandus.*
21 *Ex Doctrina Nauarri idem eſt ad effectum incurrendi Simoniam, dare aliquid collatori beneficij, qui confert ius ſpirituale, & dare aliquid alteri, qui eſt cauſa collationis.*
22 *Habitus cuiuſuis Religionis etiam militaris, res eſt ſpiritualis, aut ſpirituali annexa.*
23 *Promiſſio ſeu exhibitio eorum, ad quæ quis iure naturæ, aut lege amicitiæ &c. tenetur, non vitiat contractum labe Simoniæ.*
24 *Omnis vſus à Paſtoribus & doctoribus Eccleſiæ introductus, eorũmque conſenſione & iudicio continuatus, eſt probandus.*
25 *Magiſtri ordinum non ſunt Domini bonorum ordinis, ſed tantum Adminiſtratores & diſpenſatores.*
26 *Sub genere Eccleſiaſtici beneficij ſicut & ſub genere beneficiarij multæ ſpecies continentur.*
27 *Religioſus adminiſtrans vel inſumens aliquid cum licentia ſui Superioris, non contrariatur voto ſolemni paupertatis.*
28 *Simonia eſt ſtudioſa voluntas emendi vel vendendi aliquid ſpirituale, vel ſpirituali annexum.*
29 *Ex regula iuris æquum eſt, vt qui ſentit commodum, ſentiat pariter incommodum.*
30 *De legatus procedens contra exemptos non contrauenit*

trauenit eorum exemptioni, quia Papæ vices gerit, cuius respectu nullus dicitur exemptus.

31 *Iustitiæ distributiuæ munus est, conferre honores communes dignioribus.*

HANC quæstionem inuitus aggredior, ne veritas propalata odium pariat; verùm ne abusus increscat, & falsitas vires assumat contra veritatem, illam pro captu nostro & officij munere pandere conabimur.

Igitur in hac disputatione ab hinc triginta annis nemini dubia; ex tunc autem iam in tres opiniones partiti sunt Doctores. Quidam, licet pauciores affirmatiuam sequuntur, asserentes
1 † posse sine labe simoniæ vendi habitus ordinum militarium, scilicet Sancti Iacobi, Calatrauæ, Alcantaræ & Montessiæ; quo equites insigniuntur: de quorum numero sunt Villalobus *in summa tomo 2. tit. 37. difficultate 14. num. 5. &c.* vbi ait, inde ementem habitum huiusmodi non peccare, quod per se primo, intendit emere solum id quod in habitu isto principalius est, scilicet honorificum: reliquum verò quod in huiusmodi habitu inuenitur religionis, & spiritualitatis, scilicet emissionem votorum & obligationem recitando quasdam præces, nec vult emere, nec vellet in habitu reperiri: eandem tenet Diana 3. *parte tract. 2. resolut. 64.* nam licet ibi solùm ex intentione, loquatur de illo qui dat filio verbi gratia pecuniam, vt ei obtineat à Principe, siue à Magistro habitum militarem, veruntamen rationes quibus probat dictum contractum esse licitum, pariter conuincunt (si validæ forent), posse licitè vnumquemque equitem cum Magistro Ordinum immediatè pactum inire ab illo habitum emere militarem.
2 † Eidem opinioni fauent, quotquot dixerunt istos ordines militares in equitibus non esse verè religiones. Cuius sententiæ Primus & Antesignanus fuit Dominicus Soto *lib. 7. de iustitia, & iure, quæst. 5. art. 3. & lib. 4. sententiarum: distinctione 27. quæst. 1. art. 4.* quem sequuntur Sarmientus *in prima parte sui defensorij*: Aubedo *lib. 3. nouæ recopilat. tit. 5. l. 14. num. 3.* Ludouicus Lopez *2. parte iuris tractorij. cap. 48.* Girenda *de gabellis 7. p. 4. num. 47.* Garcia *de beneficiis tomo 1. part. 1. cap. 4.* Barbosa *de potestate Episcopali p. 2. allegat. 12.* Bonacina *in Bulla cœnæ disputat. 1. quæst. 16. sect. 1.* & vt probabilem tenent Sanchez *in selectis disput. 49. n. 12.* Azorius *prima p. lib. 15. c. 3. q. 2.* & Diana *vbi supra*; moti his fun-
3 damentis. Primò quod † vera religio non cõpatitur cum continentia coniugali, eò quòd castitas est intrinseca indispensabiliter statui religioso *ex cap. cum ad Monasterium.* Est enim de iure diuino ei annexa dicente, Petro pro omnibus religiosis Math. 19. *ecce nos reliquimus omnia, &c.* coniugatus autem non relinquit omnia, imò
4 neque seculum. Rursùs † res vxoria pugnat ex *alio cap.* cum religione, quia propter vehementiã voluptatis, quæ ex Venere nascitur, contrariatur fini status religiosi, qui est contemplationi, ac diuino cultui vacare. Tum etiam quia Coniugatus solicitus est quomodo placeat vxori, & diuisus est, quia cum voto solemni religionis matrimonium stare non potest, vtpote cum illud sit impedimentum dirimens istud.

Secundò quia † deest huiusmodi equitibus so- 5
lemne votum paupertatis, & abdicatio proprietatis, quæ pariter est intrinseca statui veræ religionis dicente Innocentio III. *in dicto cap. cum ad monasterium: Nec existimet Abbas, quod super habenda proprietate possit cum aliquo monacho dispensare: quia abdicatio proprietatis, sicut & custodia castitatis adeò est intrinsecè annexa regulæ monachali, vt contra eam, nec summus Pontifex possit licentiam indulgere*: Matrimonialis autem sarcina horum equitum votum paupertatis religiosæ respuit, quippe qui rei vxoriæ seruientes,
& familiæ curam habentes, ac † cæteri sæcula- 6
res honores ambiunt, & diuitias conquirunt. Tertiò quia nec votum obedientiæ emittunt, quod tamen est de intrinseca ratione veræ religionis ab Ecclesia approbatæ: eò quòd liberi sunt, liberè operantur, contractus emptionis, & venditionis ineunt, testamenta conficiunt: pecunias pro necessaria familiæ sustentatione sine licentia superioris consumunt, sicut cæteri seculares super eorum corpora dominium habent vxores, quæ proinde per obedientiæ votum superiori tradere non potuerint: † Nullus enim 7
alteri tradere potest, quod suum non est. Vnde paupertatem & obedientiam non nisi solo nomine profitentur: ergo eorum habitus non veræ religionis est, quæ talis sit simpliciter, nisi tantum secundum quid, & nomine tenus.

Ex quibus primum pro hac opinione affir- 8
mante deducitur fundamentum; † quod nihil spiritualitatis habet, planè de se est vendibile, nullàque in eius venditione, quod temporale est, contrahitur labes simoniæ: sed dato quòd isti ordines non sint veræ religiones, quoad equites eorum habitus nihil spiritualitatis haberet annexum, tota enim spiritualitas in eis considerabilis ex religionis conditione proueniret; ergo de se, & stando in iure naturali ac diuino vendibilis est, & aliàs nulla lege humana prohibetur habitus alicuius venditio, nisi quatenus religionis alicuius proprius est. Secundum fundamentum est, quod innuit Villalobus *vbi supra*; scilicet quando in aliqua re concurrunt temporale, & spirituale, è quibus illud est principalius, & istud est secundarium, & minus principale; licitè & absque labe simoniæ talis res vendi, ac pretio commutari potest, dummodo intentio vendentis, vel ementis non feratur supra spirituale;
quo pacto † calices consecrati, & vestes prætiosæ 9
cultui diuino dicatæ, ac ornamenta vendi possunt, & sæpius pro Ecclesiæ vtilitate, aut necessitate subleuanda venduntur, neque talis venditio damnatur, dummodo intentio non feratur supra id quod spirituale est, scilicet supra consecrationem vasorum aut ornamentorum benedictionem; & dummodo neque in vsus prophanos conuertantur, quia speciali præcepto cautum est, ne semel dicata Deo in vsus conuertantur prophanos. Sed in huiusmodi habitibus ordinum militarium principalius est temporale, scilicet vtile, & honorificum; secundarium autem est spirituale, scilicet obligatio recitandi orationes quasdam, & emissio votorum, supra quod nullatenus fertur intentio ementis, qui solum emere intendit honorificum, & nollet, si fieri posset, habitui esse annexam talem obligationem recitandi, & vouendi, aut seruandi coniugalem castitatem; ergo. Tertium est, quia si habitus esset inuendibilis propter annexam

nexam ſpiritualitatem, neque poſſet quis pretio parare ſibi viam ad illum obtinendum, ac proinde non poſſet abſque labe Simoniæ Petrus inire hoc pactum cum Titio; v.g. Dabo tibi quingentos aureos, ſi tua induſtria, & diligentia obtineas à Magiſtro ordinum, mihi habitum Alcantaræ, vel Calatrauæ: conſequens autem eſſe falſum patet, quia in hoc contractu, licet vno explicitè interueniunt, duo implicitè. Vnus videlicet eſt iuſtæ remunerationis, ſiue emptionis laboris, quo Petrus à Titio laborem, & induſtriam emit, quæ eſt pretio æſtimabilis, & illam remunerat iuſto pretio quod eſt v. g. ducentorum aureorum. Alter eſt liberalis donationis, quo reliquum donatur v.g. trecentos aureos ei liberaliter donat. Quorum neuter eſt illicitus; non primus, quia eſt iuſtæ emptionis, ſiue iuſtæ remunerationis. Neque ſecundus quia eſt liberalis donationis: cuilibet enim licet bona quorum dominium habet, alteri liberaliter donare ſine iniuria tertij, quæ in caſu noſtro non apparet. Rurſus neuter inducit labem Simoniæ, quia teſte
10 D. Th. 22. q. 110. *art.* 3. *ad* 4.† recipere pecuniam pro victu perſonæ ingredientis religionem aut alio titulo, dummodo non recipiatur ex pacto, & tanquam precium pro ingreſſu monaſterij, non inducit Simoniæ labem, prohibitam 1. q. 2. *cap. quam pio*: Sequela autem probatur, quia per dictam conuentionem parat Petrus ſibi viam ad obtinendum habitum religionis, qui habet ſpirituale annexum: qua de cauſa non ſolùm, qui emit beneficij collationem, vel præſentationem, ſed etiam qui pretio parat ſibi viam ad illam obtinendam, v.g. offerendo Titio pretium, vt ab Epiſcopo, vel à patrono impetret ei beneficij collationem, ſeu præſentationem, Simoniæ labem incurrit: ergo.

Quartum ſumitur ex vſu, & conſuetudine à viris doctis, ac timoratæ conſcientiæ probata, qua introductum eſt in curia Principis, vt iſti habitus vendantur, pretiúmque pro eis conſignatum eſt mille quingentorũ, aut quatercẽtorum probatæ monetæ argenti. Rurſus conſuetum eſt illos dari fœminis aulicis in dotem, ſiue loco dotis, vt viri qui eas duxerint in vxores, tali aut tali habitu videlicet Sancti Iacobi, vel Alcantaræ, vel Calatrauæ inſigniantur. Dare quoque ſolet Rex Ducibus, & Marchionibus ſuæ ditionis nonnullos habitus horum ordinum, vt illos, quibus maluerint vendant; ex quorum venditione comparent ſibi pecunias, quibus ſumptus in obſequiũ Regis factos, aut faciendos poſſint recompenſare, quæ conſuetudines vſu probatæ, & à confeſſariis Principum permiſſæ, non ſunt damnandæ: ergo. Vltimum deſumitur ab exemplo commendarum, quas licitum eſt vendere; Et
11 ſaltem † abſque peccato Simoniæ vendere poteſt Rex ſiue Magiſter ordinum, quando in titulum Clericalem non conferuntur, vt bene notant Suarius *lib.* 4. *de religione cap.* 27. Torre *tom.* 2. *q.* 110. *art.* 4. *diſp.* 3. Aragonius *ibidem*; Villalobus *vbi ſupra*, ſecuti Victoriam *in relectione de Simonia n.* 41. Atqui vendere iſtas commendas militares magis eſt, quàm vendere ipſos habitus militares: ergo à fortiori iſti vendibiles ſunt abſque peccato Simoniæ.

Sed hiis non obſtantibus ſecunda & vera ſententia eſt negatiua, ideſt tenens huiuſmodi habitus ordinum militarium etiam pro equitibus veræ & propriæ eſſe religionis, & habẽtes annexam aliquã ſpiritualitatẽ, ratione cuius neq; pro pretio neq; pro re æſtimabili ex pacto dari, aut vẽdi poſſe abſq; labe Simoniæ; quam tenent Ayala Archiepiſcopus Valentinus in explicatione regulæ Sancti Iacobi *c.* 1. & 2. Couarr. 2. *part. Epiſc. decret. c.* 3. §. 1. Nauarrus *de redditibus monito* 55. & 56. & in *propugnaculo apolog.* §. 15. & *lib.* 1. *conſilior. de his quæ vi, metu, conſil.* 5. & *lib.* 3. *de regularibus conſil.* 23. & *lib.* 4. *de ſponſal. conſil.* 10. & 13. Michaël de Medina *in lib. de ſacrorum hominum continentia lib.* 4. *controuerſ.* 7. *c.* 39. Auendaño *lib.* 2. *cap.* 26. *n.* 11. Belluga *in ſpeculo principum cap.* 1. *rubrica* 7. *n.* 7. & Suarius *lib.* 4. *de religione cap.* 27. & ãlij quam plurimi; imo fere omnes Doctores & Magiſtri Academiarum Salmantinæ, Complutenſis, & Valentinæ, quorum nomina, & ſubſcriptiones recenſet Didacus Mota ad calcem *lib.* 2. *de confirm. ordin. militiæ S. Iacobi de Spata* §. 29.

Quæ proinde à nobis ſtatuitur, ac defenditur tanquam vera ſententia, & communiter recepta ab antiquis, à paucioribus neotericis pro temporum iniuria reprobata.

Pro cuius declaratione dico Primò: magnum piaculum eſt vendere habitus dictorum ordinum militarium ad equites pertinentes: Piaculum, inquam, Simoniæ, quod & pœnis in iure ſtatutis contra vendentes ingreſſum ad religionem obnoxium. Hæc aſſertio ſtatuitur aduerſus authores prioris ſententiæ. Et probatur Primò; Quia idem eſt vendere alicui habitum religioſum, per quem alicui veræ religioni cooptetur, & incorporetur, atque eius priuilegiis fruatur; ac vendere ei ingreſſum religionis. Sed qui vendit huiuſmodi ordinum militarium habitum equitum: proculdubio vendit habitum religioſum, quo veræ religioni cooptantur, & incorporantur recipientes illum, & veræ Religionis priuilegiis fruuntur: Ergo vendit eis ingreſſum Religionis: ergo Simoniæ piaculum committunt emens ac vendens, obnoxium pœnis ſtatutis in iure contra ementes & vendentes monaſterij ſeu Religionis ingreſſum, aut etiam profeſſionem. Maior cum vtraque conſequentia eſt nota à paritate rationis. Et minor probatur ex Bulla confirmationis regulæ ordinis militiæ Sãcti Iacobi expedita ab Alexandro III. Nonas Iulij in dict. 8. Incarnationis dominicæ anno 1175. ibi. *Nobiles quidam viri, & in habitu, & conuerſatione Religionis, ſub vnius Magiſtri ſtatuerunt obedientia commorari.* Et initio eiuſdem Bullæ ibi; *Magiſtro militiæ Beati Iacobi, eiúſque fratribus Clericis, & laicis tam præſentibus, quàm futuris communem vitam profeſſis, &c.* Et infra *numero* 12. *ordinem veſtrum authoritate Apoſtolica confirmantes &c.* idémque fere continetur in Bullis confirmationis aliorum ordinum ſcilicet Calatrauæ, Alcantaræ, & Monteſiæ, probat ex earum contextu Mota *lib.* 2. *citato cap.* 1. *per totum.* Item probatur idem intentum minoris ex forma profitendi iſtorum equitum. Nam milites Diui Iacobi ſub hac forma profitentur. *Yo N. me offreſco y doy à Dios, y à Santa Maria, y al bienauenturado Apoſtol Santiago, y prometo obediencia al Rey Nueſtro Señor, como adminiſtrador perpetuo de la Orden de Santiago por authoridad Apoſtolica, y hago voto y prometo de viuir en caſtidad coniugal, y ſin proprio, ſegun la regla de Santiago, y las conſtituciones, y priuilegios de la dicha orden, haſta la muerte* Equitum autem Militum Calatrauæ talis eſt profeſſio, prout refert

prædictus

prædictus Mota *lib.2. c.2. Yo N. hago profession a Dios y a uos el Maestre, y prometo obediencia y conuerti miento de mis costumbres de bien en mejor todos les dias de me vida asta la Muerte.* Eandem formam profitendi habent milites Monteſiæ, & Alcantaræ, excepto quod hi addunt explicitè caſtitatem coniugalem, & viuere ſecundum regulam Sancti Benedicti.

Ex quibus profitendi formulis colligitur hos equites tria emittere vota ſolemnia explicitè, aut aliqua eorũ implicitè, aut ſubintellecta in voto obedientiæ, & conuerſionis morũ, ad verã Religionem conſtituendã ſufficientia: Nã ad hãc ſufficit regula à Sede Apoſtolica approbata, & emiſſio triũ votorũ ſecundũ talis regulæ diſpoſitionẽ & modũ viuendi in illa approbatum, quæ omnia habent dicti ordines militares in Clericis, & equitibus: ergo ſunt verè religones in vtriſque, & vtrorumq; habitus ſunt religionis proprij, ac diſtinctiui. Hoc ipſum amplius confirmat Mota *vbi ſupra*; ex quadã Rotæ deciſione die 22. Iunij anni
12 1582. Quæ eſt *deciſ.* 266. declarãs † milites de Alcantara viuere, & militare ſub eadẽ regula fratrũ ordinis Ciſtertienſiũ, quæ eſt regula S. Benedicti, & loquitur de eis poſt factã diſpenſationem, vt
13 poſſint ducere vxores. Vnde ſubdit, quod † commutatio voti continentiæ in caſtitatem coniugalem, non mutat regulæ ſubſtantiam. Vnde ſcitè
14 Nauarrus in *dicto monito 56. n.4.* ait † Commendatores Sancti Ioannis vulgo dictos Hoſpitalarios, & commendatores Sancti Iacobi eandem regulam Sancti Auguſtini profiteri, licet iſti ex Apoſtolico priuilegio vxores habere poſſint, quod non efficit, ne ſint religioſi: Verùm argumentum ſumptum ex Rotæ deciſione, non multum vrget, quia huic deciſioni opponunt aduerſarij aliam die 4. Iunij anni 1587. ſimul cum quadam declaratione congregationis Cardinalium die 10. Nouemb. anni 1609. in quibus teſtatur Viuianus in praxi Iuriſpatronatus declaratum fuiſſe, prædictos milites S. Iacobi Alcantaræ, & Calatrauæ non eſſe verè, & propriè religioſos.

Quare aliter, & efficaciori ratione probatur eadem ſententia ex D. Thoma 2.2.*q.*188. *art.*3. dicente, optimè poſſe aliquã religionem inſtitui ad opera vitæ actiuæ, ac per conſequẽs ad militãdũ; non quidẽ propter mundanũ aliquem finem, ſed in quantum militia ordinatur ad conſeruationẽ diuini cultus, fidei ac Chriſtianæ Religionis, & publicæ ſalutis ſeu totius Reipublicæ defenſionẽ. Ex qua doctrina tale deducitur argumentũ. Militia ad quã milites, ſiue equites iſtorum ordinum militarium ſunt dicati, re verâ, & ad cõſeruationẽ diuini cultus, fidei, ac Chriſtianæ Religionis, nec non ad totius Reipublicæ defenſionem ordinatur: prout etiam Alexãder III. in præfata Bulla confirmationis Sancti Iacobi teſtatur, dicens: *Cum enim vnica ſit vobis intentio, & ſingularis cura ſemper immineat pro defenſione Chriſtiani nominis decertare, nec ſolum res, ſed perſonas ipſas pro tuitione fratrum incunctanter exponere, &c.* Et aliàs tanquã veræ religiones à Sede Apoſtolica dicti ordines militares ſunt approbati, & confirmati, vt ex dicta Bulla Alexandri III. & aliorum Summorũ Pontificũ Bullis, à Mota recenſitis *lib.2. c.* 1. §.4. planè conſtat; non eſt cur veræ religiones non ſint, vtpote in quibus cõditiones omnes ad verã religionẽ requiſitæ concurrãt, nimirũ finis, & Sedis Apoſtolicæ approbatio, & confirmatio, trium votorũ emiſſio, & modus viuendi ſub vna regula à Sede Apoſtolica approbata. Dices deficere huiuſmodi equitibus triũ votorũ ſolẽnitatẽ, ſine qua vera religio ſaluari non poteſt. Rurſus deficere veræ paupertatis votũ cum iſti propriũ poſſideant: deficere quoq; omnimodæ caſtitatis votũ, ſine qua vera religio conſiſtere nequit. Vnde D Thom. 2.2.*q.*106. *art.*4. concludit, † ad per- 15
fectionem religionis, requiri continentiã perpetuam, ſicut & voluntariã paupertatẽ; quia matrimonij vſus impedit hominẽ propter vehemẽtiã delectationis & temporalem ſolicitudinem, ne totaliter Deo mancipetur, quæ tamen mãcipatio eſt de eſſentia religionis. Et in ſolutione ſubdit: *Quod illi modi viuẽdi, ſecũdũ quos homines matrimonio vtũtur, non ſunt ſimpliciter, & abſolutè loquẽdo religiones, ſed ſecũdũ quid, in quãtũ ſcilicet in aliquo participãt quædã, quæ ad ſtatũ relig. pertinẽt.*

Huic obiectioni quoad primam partem; Reſpondeo negando hos milites non emittere tria vota ſolemnia, ad veram religionem eſſentialiter requiſita, vt ex forma profeſſionis eorum planè conſtat. Verùm adhuc eâ hypotheſi admiſsâ non ſequitur per bonam conſequentiam non eſſe verè religioſos, quoniam Gregorius XIII. in ſua Bulla conceſſa in fauorem Societatis Iesv, quæ incipit. *Aſcendente Domino, & Saluatore noſtro in nauiculã, &c.* determinat, † quod voti ſolẽnitas ſola Eccleſiæ cõſtitutione eſt inuẽta, triáq; Societatis 16
vota tametſi ſimplicia, vt ſubſtantialia religionis vota à Sede Apoſtolica fuiſſe admiſſa, illáq; emittentes in ſtatu religionis verè conſtitui. Quoad ſecundam verò partem, nego pariter, non emittere hos milites votum ſolemne paupertatis ſufficiens ad ſtatum veræ religionis, imo eo ipſo, quòd profitentur obedientiam ſecundum regulam à Sede Apoſtolica approbatam, etiãſi nullã aliam expreſſionem faciant, implicitè vouent paupertatem, & caſtitatem: quia teſte D. Thoma 2.2.*q.*186. *art.*8. votum obedientiæ alia duo vota, ſcilicet caſtitatis, & paupertatis, quas regula iubet ſeruari, continet in ſe. Vt etiam benè notat Nauarrus *lib.*3. *conſiliorũ de regularibus conſil.*23. in ſimili loquens de ordine militum Sancti Stephani, qui Papiæ ad exemplar ordinum militariũ Sancti Iacobi Alcantaræ, & Calatrauæ fuit inſtitutus, & à Pio IV. confirmatus ſub regula Sanctiſſimi Patris Benedicti. Neq; obſtat, quòd prædicti milites poſſint condere teſtamentũ; eòquòd non habent ad id liberam omnino facultatem, ſed cum limitatione, & de licentia Magiſtri ordinis, & hoc non iure communi, ſed ex priuilegio expreſſo Sũmi Pontificis, & ſtatutis à Sede Apoſtolica confirmatis: per quod non derogatur voto paupertatis, ad eſſentiam religionis requiſito. Nã etiã Gregor. XIII. in præallegata Bulla in fauorẽ Societatis edita, ait; † religioſos Societatis 17
poſt tria vota ſimplicia emiſſa, finito biennio adhuc ob iuſtas cauſas retinere ius, atque dominium bonorum ſuorum, ſuſpenſo tamen vſu, & quoad talem vſum, religioſam paupertatem ſeruare, eſſéque verè, & propriè religioſos.

Quoad Tertiam verò partem reſpondeo ſenſu, & verbis Nauarri in dicto *conſil.*23. *in ſolut. ad* 1. quæ ſic habent: *Cõcedimus votum caſtitatis coniugalis nõ ſufficere iure cõmuni, ad conſtituendũ votũ ſolẽne caſtitatis: ſed negãdo id nõ poſſe fieri priuilegio. Cũ enim ſolẽnitas voti ſit iure humano inducta, poteſt illa minui, vel augeri rationabili cauſa ſubſiſtẽte: & ita ſicut Papa poteſt facere Religioſo facultatem aliquo modo teſtandi, moderandi ſolemnitatem voti paupertatis: ita etiam facere facultatem vtendi coniugio legitimo, minuendo ſolemnitatem*

voti caſtitatis, vt etiam dixi in prædicto tractatu de redditibus Eccleſiaſticis q.3. Hæc Nauarrus; reſpondens ad argumentũ deſumptum ex adducto teſtimonio Angelici Doctoris, per quæ patet dicti teſtimonij legitima interpretatio, quia ſcilicet intelligendus eſt Sanctus Doctor locutus fuiſſe attento iure communi, & excepto ſpeciali priuilegio moderatiuo ſolẽnitatis caſtitatis voti.

Vltimò probatur noſtra concluſio ea firma ratione, qua vtuntur Suarius, & Azorius *vbi ſupra*, nimirum, quia modò habitus horum ordinum ſit verè, ac ſimpliciter religioſus, modò tantùm ſecundum quid, & quoad aliqua accidentia religionis; verumtamen eo modo, quo pertinet ad religionem, & aliqualiter eſt religioſus, habet aliquam ſpiritualitatem annexam, eò quòd eſt ſpecialiter ſeruitio Dei, ac fidei defenſioni dicatus, neque iſte eſt finis omninò remotus, vt perperam contendit Diana, ſed valdè proximus, cuius proinde habenda eſt ratio. Rurſus eſt Benedictus ſpeciali benedictione Sacratus,
18 gaudétq; propterea † miles illo inſignitus priuilegio fori, & Canonis, ſicut induentes habitum alterius religionis regularis, vt probat Mota *vbi ſupra lib.2.c.2.§.8.* eò quòd Bulla Alexandri III. expreſsè cunctos fratres ordinis militiæ Sancti Iacobi, ac proinde nedum Clericos, ſed etiam equites exemptos facit, & vtroque priuilegio, ſcilicet fori & Canonis gaudere decernit. Eadémque ratio eſt de aliorum militarium ordinum militibus profeſſis, eò quòd omnes verè religioſi ſunt, vt docent Azeuedo *lib.3.tit.5.leg.* 14. Caſaneus *9.parte cathalogi gloriæ mundi, conſiderat.4.* Rota *deciſione* 266. Nauarrus *lib.3.de redditibus Eccleſiaſticis monito* 56. Ramirez *in confirmatione ordinis Sancti Iacobi pag.* 16. & alij quos refert, & ſequitur Zenedo *q.* 4. *Canonica circa finẽ*, contra Ioannẽ Guttierr. *lib.2.practicarũ quæſt.*111.*n.*2. & Burg. de Paz *conſ.*17.*n.*3. Ergo ratione huius ſpiritualitatis annexæ eſt inuẽdibilis.

Vtrum autem etiam nouitij milites horum ordinum gaudeant dicto priuilegio fori, & Canonis? Problema eſt. Quidam enim affirmant, ducti ea ratione communi, quòd omnes Nouitij cuiuſque religionis approbatæ gaudent priuilegio dicto fori & Canonis, per extentionem *Capitis Religioſo in 6. de ſententia excommunicationis*; & gloſſæ *ibidem*: de quorum numero eſt Mota in loco nuper allegato, adducens pro ſe dicti capitis extenſionem, & communem de aliarum Religionum nouitiis ſententiam Sylueſtri *verb.Eccleſia 1.n.6.* Nauarrum *in ſumma c.*27. Henriq. *lib.de indulgẽtiis c.*21. Rodericum *in ſumma c.* 80. *concluſione* 17. Quibus poteſt adiungi idem Rodericus *tom.3. quæſtionũ regularium q.*51.*art.*12.*& tom.*1.*q.*21.*art.*11. & Azorius *inſtitutionum moralium lib.*12.*c.*3.*quæſito* 2.

Alij autem negant cum Bouadilla *lib.2.c.*18.*& ſequenti* dicente, hos equites ante profeſſionem (quidquid ſit de aliarum religionum nouitiis) non gaudere dicto priuilegio, & exemptione à ſeculari iuriſdictione, in cuius ſententiam inclinat Zenedo *vbi ſupra.* Mihi autem placet mediã inter vtramque ſequi opinionem; nimirum quod milites iſti ante emiſſam profeſſionem neque ſunt exempti à ſeculari iuriſdictione, neque gaudent priuilegio Canonis, niſi dum habitu proprio vtuntur, qui vulgo dicitur *Manto*, cruce inſignito. Ratio primi dicti eſt, quia vſus id probat; nam dum iſti nouitij delinquunt ante profeſſionem, Iudici ſæculari Regio traduntur, vt ab illo puniantur. Ratio verò ſecundi eſt, quia quod nouitij cæterarum religionum regularium gaudeãt priuilegio Canonis, hoc eſt quod qui in aliquẽ eorum manus violentas iniecerit, incurrat excommunicationẽ latam in Canone: *Si quis manus violentas, &c.* Prouenit ex eo, quòd priuilegia religionum per extenſionem communicantur nouitiis, ſecus verò odia, quæ potius ſint reſtringenda, ſicut fauores ampleandi; & ob reuerentiã habitus, quia eodem habitu vtuntur, quo & profeſſi, ſpeciali benedictione ſacrato. Quæ ratio non militat, in nouitiis equitibus ordinum militarium, quandiu habitu illo albo, qui dicitur *Manto*, non vtuntur: alter enim merè ſæcularis eſt, & non ſacratus, ille autem ſolus amictus albus cruce inſignitus eſt proprius religionis, & ſpeciali benedictione ſacratus, cuius proinde ob reuerentiam quicunque nouitium militem eo inſignitum percuteret, proculdubio in excommunicationem Canonis incurreret. De benedictione autem ſpeciali illius mentionem facit Mota *lib.1.c.*4.§.45. referens formulam, ſub qua iſti milites Sãcti Iacobi recipiuntur ad habitum, & profeſſionem. Super quem, ſic amictu albo cruce inſignito veſtitum, Prælatus hanc orationem effundit. *Immenſam clementiam tuam omnipotens Deus humiliter imploramus, vt hunc famulum tuum, cui in tuo ſancto nomine habitum noſtræ religionis imponimus: benedicere, & ſanctificare tua pietate digneris, quatenus in propoſito regulari ſic tibi ſeruire valeat, vt ad vitam æternam peruenire mereatur per Chriſtum Dominum noſtrum, &c.* Profeſſus autem etſi vulgari habitu vtatur, gaudet priuilegio Canonis, quia iam eſt verè religioſus effectus, & ãd ordinem Eccleſiaſticum pertinens, & ideo priuilegiis religionis debet gaudere, in quocumque habitu reperiatur, dummodo crucem illam portet in veſte religionis propriæ diſtinctiuam.

Ex his deſcendimus ad ſolutionẽ argumentorũ pro parte aduerſa propoſitorum. Ad primum igitur negamus minorem, & eius ſuppoſitionem, ideſt negamus, quod nõ ſint veræ religiones ordines militares in equitibus, & admiſſo quod nõ eſsẽt veræ religiones ſimpliciter, adhuc negamus non habere annexam aliquam ſpiritualitatẽ, ratione cuius eorum habitus redduntur inuẽdibiles, ſicut quælibet aliæ res, quibus aliquid ſpirituale eſt annexũ. Ad teſtimonia verò ex quibus intentum minoris probatur, reſpondetur explicãdo ſigillatim illa, & quidem ad illud Euangelij: *Ecce nos reliquimus omnia.* Dicendum eſt † rem 19
vxoriam & bonorum poſſeſſionẽ, pugnare quidem cum ſtatu religionis in ſua perfectione cõſiderato, non autem cum illo ſub regula laxiori, aut pugnare cum votis ſolemnibus non tẽperata eorum ſolemnitate, provt in religionibus regularibus inueniuntur: non autem cum illis, tempe. rata, ac moderata earum ſolemnitate, provt in huiuſmodi militaribus ordinibus, quos ius Canonicum laxiores appellat, reperiuntur: ergo nõ pugnat cum religionis ſtatu ex natura rei, neq; de iure diuino, ſed cum eo pugnat dumtaxat ſtante ſolemnitate votorum non diſpenſata, nec moderata, quam Eccleſia poteſt diſpenſare, ac moderare, vtpote de iure humano inuentam.

Ad caput *cum ad monaſterium*, cuius conditor fuit Innocent.III. ſucceſſor Cœleſtini Tertij, qui diſpenſauit in voto ſolemni caſtitatis cum Conſtantia filia Rogerij Regis Sanctimoniali in Panormo, vt nuberet (provt de pacto nupſit)

Henrico

Henrico VI. ex quo coniugio natus fuit Federicus secundus Imperator; vt referunt Caietanus 2.2.q.88.art.11. Michaël de Medina *lib.5. de sacrorum hominum continentia, c.28.& 32.* & Illescas *lib.5. Pontificalis historiæ cap.31.* non potuit hanc dispensationem ignorare, à suo immediatè prædecessore factam: neque contra hanc praxim potuit in sua decretali facultatem dispensandi in votis solemnibus religionis summis Pontificibus denegare. Quare verba illa recensita multas habent expositiones. Prima est Abbatis Panormitani asserentis sensum esse, quod summus Pontifex non potest licentiam indulgere contra abdicationem proprietatis, aut custodiam castitatis solemnizatam à religioso, idest licentiam voluntariam, pro libito & sine causa datam: cũ quo stat quod ex causa rationabili possit dispensare, in quo contraponitur Abbati Monasterij, de quo præmittitur, quod super habenda proprietate cum Monacho dispẽsare non potest. Fauet eidem expositioni Couarruuias *de testamẽtis cap.2.n.11.* Secunda expositio est Ferdinandi de Mendoça in suo *lib.2.de confirmando concilio Iliberitano c.3.* dicentis; Innocentium III. nomine summi Pontificis intelligere ad distinctionem Abbatum, Episcopum, Archiepiscopum Metropolitanum, Diœcesanum, qui tũ temporis Sũmi Antistites, & Pontifices vocabantur, & his negat facultatem dispensandi in votis solemnibus, qui fortè tunc ea vti solebant in suis Diœcesibus: vn-
20 de † communis opinio Iuristarũ tenet Romanũ Pontificem posse dispensare in votis religionis solemnibus, & ex Theologis quamplurimi, tum antiqui, tum Neoterici. Sed contra opponitur D. Th. *q.88.art.11.in 2.2.* qui dictam decretalem assũmit pro fundamento ad docendum, quod Papa non potest in voto religionis solemnizato dispẽsare: Atqui multipliciter explicatur D. Thom. Primò quidem à Panormitano dicente quod in vtramque opinionem variauit: nam in *4.sententiarum d.38.q.1.art.4.quæstion.1.ad 3.* dicit, Papã posse in huiusmodi voto dispensare: sed author tabulæ concordando vtrumque locum *fol.36.n.* 1208. ait, quod *in* 4. loquitur de voto ratione boni promissi, quo potest occurrere aliquid melius, & sic potest dispensari à Papa, sed *in* 2.2. loquitur de voto ratione consecrationis indelebilis, & quoad istam non potest dispensari: vel quod in priori loco loquitur secundum aliorum opinionem, ideóque ibi vtriusque partis soluit fundamenta: in secundò verò loquitur iuxta propriam sententiam. Secundò à Caietano, quod neque *in* 2.2. locutus fuit ex animi firma deliberatione, neque absolutam sententiam firmauit, sed opinionem ex dicta decretali dependentem, quam aliter interpretaretur, si notitiam habuisset praxis Romanæ curiæ, in qua multoties Pontifices summi cum Religiosis professis ad contrahendum matrimonium dispensarunt, provt referunt Paludanus *in* 4.*d.*28. Medina, & Couarruuias *vbi supra*, Capreolus & Ioannes Maior in eadem distinctione *q.* 3. Tertiò alij interpretantur D. Th. & simul dictam decretalem, quod loquatur in sensu composito, ideſt quod Papa non possit dispensare cum Religioso, manente Religioso, vt Matrimonium contrahat, vel vt proprium possideat. Cum quo stat, quod possit cum eo dispensare in sensu diuiso, ideſt extrahendo eum à Religione, provt in praxi factum refertur ab aliquibus summis Pontificibus. Sed quidquid sit de intelligentia dictæ decretalis, & licet demus Romanum Pontificem non posse in voto solemnizato perpetuæ & omnimodæ castitatis, vel paupertatis dispensare secundum monachalem regulam, de qua loquitur dicta decretalis, provt videtur intellexisse D. Thom. *in* 2.2. hoc non militat contra milites professos ordinum militarium, quia isti simul, & in sensu composito sunt Religiosi & vxorati, ac proprium possidentes: neque hoc habuerunt per dispensationem superuenientem eorum votis; sed ab initio ex vi suæ institutionis, aut paulò post primam fundationem, vt contigit militibus Calatrauæ, & Alcãtaræ, qui à principio promittebant omnimodam castitatem, receperunt regulam mitigatam, iuxta quam iubentur vouere castitatem solùm coniugalem, & paupertatem secundum quid, ideſt, non vtendi propriis bonis, nisi de licentia Magistri. Bene autem potest Romanus Pontifex votorum solemnitatem temperare, provt notauimus ex Nauarro superius relato. Ergo licet Pontifex non posset dispensare cum monacho in votis perpetuæ castitatis, & omnimodæ paupertatis, maximè in sensu composito, vt maneat monachus, & vxoratus, seu proprietarius: benè tamen cum milite potest facere eius regulam temperando, vt simul maneat Religiosus secundum Regulam Sancti Iacobi, vel Calatrauæ, &c. & vxoratus, ac dominus suorum bonorum, quia iuxta talem regulam non omnimodam castitatem, aut paupertatem profiteri tenetur: sed talem, cum qua matrimonium ac dominium compatitur.

Ad secundum principale neganda est maior; imò si illud principium esset verum, ingens Simoniaco vitio ostium aperiretur. Beneficia namque Ecclesiastica venderentur sub eo prætextu, quia diceret emens: Ego non emo spirituale onus annexum, sed solùm vtile & honorificum ius percipiendi fructus annuos; nollem enim habere obligationem recitandi horas Canonicas, ministrandi Sacramenta, choro assistendi, &c. Quo ergo pacto sub hoc prætextu beneficia Ecclesiastica vendi non possint, pariter neque habitus militarium ordinum sub eodem possunt vendi. Neque est certa illa suppositio maioris præmissæ, quod calices consecrati ratione materialis argenti vel auri possint vendi, quamdiu sub ea figura permanent, cui annexa est consecratio. Potest quidem Calix reduci ad aliam figuram, & sic massa argenti, vel auri potest vendi; secus verò permanente prima figura cui annexa est consecratio, ratione cuius totus Calix redditur inuendibilis: qua ratione oleum consecratum quod est materia confirmationis siue Extremæ Vnctionis, ratione annexæ Consecrationis redditur omnino inuendibile, quia sub nulla figura potest amittere semel receptã cõsecrationẽ, provt alibi ex Nauarro notaui.

Ad Tertium respondet Azorius *3.parte summæ moralis lib.12.cap.16.quæsito 5.* postquam in prima parte eiusdem summæ loco superius allegato docuerat, hos ordines militares, esse Religiones simpliciter, quoad equites emittentes tria vota substantialia, scilicet obedientiæ, paupertatis excludentis omne dominium, & castitatis omnimodæ; quoad illos verò equites, qui tantùm vouent castitatem coniugalem, non esse simpliciter Religiones, nisi tantùm secundum quid, & quantum ad priuilegia Religionis concessa propositæ quæstioni, scilicet vtrũ Simonia

committatur,cum dãtur aliquid,vel recipitur,vt quis ad militarem ordinem admittatur? Reſpondet ſimoniam committi; quia etſi dicti ordines non ſint ſimpliciter religiones, ſunt aliqua ex parte religiones, & ſic à ſummis confirmatæ Pontificibus in Bullis, quia habent quædam religionis propria. Sed quid dicendum quando datur aliquid Titio,vt ſuis precibus impetret Caio habitum ordinis militaris ab eo qui conferre poteſt? Reſpondeo (ait ille) id ſine vitio Simoniæ fieri non poſſe, quando militaris ordo, aut ſimpliciter, aut ex parte aliqua eſt religio,ideſt, quando eſt nedum à Principe laico inſtitutus, ſed à ſummo Pontifice confirmatus; quia tunc per preces Titij viam ad ingreſſum in religionem parat ſibi Caius. Vnde ſicut Caius non poteſt pretium dare pro ipſo ingreſſu in talem ordinem, ita neque pro via ſibi paranda ad talem ingreſſum: ſi autem talis ordo militaris nihil religionis haberet,vt quando ſola Regis authoritate eſt inſtitutus, non eſt ſimoniacus Titius ſuas preces vendendo. Quæ ſententia mihi probabilior, & tutior videtur, quàm oppoſita Dianæ,qui argumento facto eam impugnat. Quod
21 mihi perſuadeo tripliciter. Primò † ex Doctrina Nauarri *lib.3.conſiliorum de prabendis conſilio* 14. aſſerentis, quod ad effectum incurrendi ſimoniam paria ſunt dare aliquid pretio æſtimabile collatori beneficij, qui confert ius ſpirituale, vel dare aliquid alteri, qui ſit cauſa collationis, vel renuntiationis, ſecundum Innocentium in *cap.tuam de ætate & qualitate ordinand.* & *cap. tanta de ſimonia*, receptum communiter, & relatum ab eodem Nauarro *in manuali cap.* 23. *num.* 106. Secundò quia dans ſeu promittens pretium famulo miniſtri Papæ, vt pro gratia concedenda alicuius beneficij Eccleſiaſtici preces ſuas interponeret,verè eſt ſimoniacus realis, & pœnas incurrrit latas *in extrauaganti* Gregorij XIII. *de datis,& promiſſis*: ſi tamen dedit pretium huic famulo, vt intercederet & ageret officium mediatoris ad obtinendum beneficium, quia ſic parat viam ad rem ſpiritualem, & inuendibilem: ſecus ſi iſte daret dictum pretium famulo, vt mandati facti executionem in memoriam miniſtro reuocaret, non addendo præces, quibus moueretur ad concedendum,vt docet idem Nauarrus *lib.5. conſiliorum de ſententia excommunicationis conſilio* 46. Sed eadem ratio militat in eo qui emit induſtriam & preces mediatoris, vt à Magiſtro Ordinis militaris ſibi habitum talis ordinis conſequatur, quia ſicut ille eſt mediator ad beneficium: ita iſte ad ingreſſum in religionem: ergo. Tertiò quia non ſolùm eſt ſimonia dare aliquid pretio æſtimabile pro profeſſione, ſed etiam pro receptione, & datione habitus alicuius religionis: quia etiam habitus eſt quid ſpirituale, vel ſpirituali annexum, in quo poteſt committi ſimonia, vt conſtat ex *c.quoniam*,& *cap.tua de ſimonia*. Atqui iſte qui emit preces mediatoris ad obtinendũ habitũ militaris ordinis,emit quodãmodo receptionẽ habitus,vel ſaltem medium per quod illum obtineat, quod ſaltem eſt annexum rei ſpirituali: Ergo Simoniam realem committit, & pœnas latas contra ſimoniam ſuper ingreſſu religionis, in *extrauagãti Sanè de Simonia*: vbi Vrbanus IV. omnes dantes,& exigentes aliquod pretium pro religionis ingreſſu, aut pro receptione ad habitum cuiuſcumque religionis etiam ordinum militarium,excommunicationis latæ,conuentus autem, & capitula, ſuſpenſionis pœnis mulctat ipſo facto incurrendis, niſi id ſit ſponte, & ſine vllo pacto oblatum, & acceptum. Maior eſt eiuſdem Nauarri *cap.23. Manualis* & *lib.4.conſiliorum de Simonia conſil.61.* vbi probat Simoniæ labem incurrere pœnis puris obnoxiam,eos qui pro religionis cuiuſcumque ingreſſu,aut pro habitus receptione ex pacto munus aliquod pretio 22
æſtimabile offerunt,vel accipiunt,eò quòd † habitus cuiuſuis religionis etiam militaris res eſt ſpiritualis, aut ſpirituali annexa,ſiquidem facit recipientem de ordine hominum Eccleſiaſticorum, & gaudentium priuilegio Canonis, & fori. Conſequentia eſt nota. Et minor oſtenditur ex eo, quod in noſtro caſu Caius non dat Titio munus, aut pretium pro labore vtcumque exhibendo, neque pro precibus vtcumque interponendis. Sed pro eis reductis ad effectum,hoc eſt pro eo,vt ſua induſtria, & precibus impetret habitum Caio,ita vt hæc conuentio ex primaria intentione fiat pro habitus impetratione, mediis precibus Titij,quam proinde conſtat eſſe ſimoniacam,in præallegatis iuribus prohibitam, & damnatam.

Quibus præſuppoſitis ac prænotatis, ad formam argumenti principalis reſpondetur admiſſa maiori, negando minorem: ad cuius probationem dicendum eſt in obtentione rerum ſpiritualium,ſeu habentium annexam ſpiritualitatem,illos duos contractus vitiari. Primus quidam vitiatur,quia talis emptio cadit nedum ſupra laborem, & induſtriam antecedentem, ſed etiam ſupra ipſam habitus ordinis militaris impetrationem. Secundus verò quia adiunctus primo extrahitur à conditione liberalis donationis, & tranſit in naturam emptionis, atque vterque fit per modum vnius,& procedit ex voluntate emendi rem ſpiritualem, aut ſpirituali annexam,quæ proculdubio eſt Simoniaca. Quare vt Primus purgaretur à labe ſimoniæ, deberet ſic fieri à Caio cum Titio; vt ſi Caius diceret Titio: Do tibi centum ſcuta, v.g.pro impenſis, quas facies;dum tamen tua induſtria, & labore procures mihi obtinere à Rege habitum ordinis Sancti Iacobi,vel Calatrauæ, &c. ſiue obtineas, ſiue non obtineas illum: iſtud enim pretium non do pro habitus obtẽtione,ſed pro tua ſuſtentatione, & impenſis,quas debes facere in hoc negotio procurando; tunc enim Caius habet ſe reſpectu Titij, ac reſpectu alicuius famuli de ſua familia,quem mitteret in Curiam Regiam ad habitum procurandum,cui proculdubio poſſet, ac deberet pro impenſis & ſuſtentatione, aliquam ſummam dare. Secundus verò purgaretur à labe Simoniæ, ſi aut poſt ſuſceptum, & obtentum habitum offerretur Titio donarium aliquod ratione gratitudinis, aut ſi ante obtentum habitum diceret Caius Titio; interpone ad
hunc effectum tuas preces titulo amicitiæ, & 23
ego ero gratus.† Promiſſio enim, aut exhibitio eorum ad quæ quis iure naturæ, aut lege amicitiæ, aut ex obligatione ſola antidorali tenetur, non vitiat contractum labe Simoniæ. Sicut neque vitiat munus ſponte oblatum exhibitum Religioſis particularibus,vel conuẽtui,pro receptione ad habitum,vel profeſſionem,vt cauetur *in dicta extrauaganti ſanè*; neque pretium, aut munus exhibitum in eodem caſu pro religioſi ingredientis ſuſtentatione,aut alio honeſto titulo,

dummo

dummodo non exhibeatur ex conuentione tanquam pretium habitus, vel ingressus in religionem, vt notauit D. Thom. *in loco ibi citato.*

24 Ad Quartum quod ex vsu, & consuetudine sumitur; respondetur, non omnem † vsũ esse probandum, nisi à pastoribus Ecclesiæ & Doctoribus sit introductus, aut eorũ consensione, & iudicio cõtinuatus, vtpote apud quos est thesaurus ad fidem & mores pertinentis, non apud imperitum vulgus, teste Irenæo *lib. 3. cap. 4* & insinuat Paulus 1. *ad Thimot. 6. ibi: O Thimothee depositum custodi.* Alioquin vsus à viris indoctis, etiam Principibus, auaritiæ amatoribus, & pecuniæ cupidis contra bonos mores, introducti, potius corruptelas eos, quàm consuetudines existimes. De quorum numero puto esse hunc, de quo in argumento fit sermo.

Ad Quintum de commendis, ex quarum venditione faciunt aduersarij argumentum à maiori ad minus, vt respondeamus, operosius videndũ est, an & quo pacto honestetur earũ conditio?

Et quidem Suarius, & Torre *vbi supra*; sequuti Victoriam *in dicta relectione n. 45.* respondent sub distinctione; nimirum, Simoniacum esse vendere commendas militarium ordinum, quando dantur, siue conferuntur in titulum aliquem spiritualem, siue perpetuæ, siue temporaneæ sint, eò quòd ius illud percipiendi fructus annectitur rei spirituali, & inuendibili, est enim beneficium quoddam Ecclesiasticũ, aut illi æquiparatur: Ergo & ipsa commenda inuendibilis est. Qua ratione neque coadiutoriæ canoniarum, neque administrationes Hospitalium Ecclesiasticorum, quæ authoritate Episcopi fundata sunt, & aliàs ad aliquam spiritualem functionem, vltra temporale regimen & curam subueniendi pauperibus siue ægrotis, ordinantur, sine vitio Simoniæ vendi nequaquam possunt: Secus verò quando commendæ conferuntur titulo purè seculari, videlicet propter obsequium in militia, aut in aula regia exhibitum, aut exhibendum à commendatario; vel propter parentum vel prædecessorum illius in bello præclara gesta: Quo pacto solent huiusmodi commendæ conferri in Hispania ordinum militarium equitibus professis: tunc enim possunt vendi tales commendæ non sine peccato mortali iniustitiæ, bene tamen
25 sine labe Simoniæ. Ratio primi est, quia † Magistri horum ordinum non sunt Domini, sed tantum administratores & dispensatores commendarum, & bonorum ordinis, ac proinde tenentur eas iuxta formam iustitiæ distributiuæ dignioribus, & sine pretio dispensare; quæ forma rueret, & finis simul ordinum labefactaretur, si venales fierent commendæ, quia tunc ditioribus, ac minus dignis conferrentur, sicut de officiis Reipublicæ administrationem iustitiæ habentibus annexam, diximus *in superiori quæstione.* Ratio verò secundi est, quia tunc titulus istas commendas possidendi est merè temporalis, & neque ipsæ habent rationem beneficij Ecclesiastici, sed cuiusdam doni, aut præmij temporalis nihil spiritualitatis habentis annexam, ratione cuius sacrilega sit earum venditio.

Sed Azorius 1. *parte summæ moralis lib. 12. c. 4. q. 1.* sequutus Syluestrum *in summa, verbo cõmenda*, ait; has commendas neque conferri cum titulo, neque esse beneficia, neque iura perpetua, sed esse manuales, & ad nutũ amouibiles à Prælato & Magistro ordinis, ac proinde, nec commendatarios facere fructus suos absolutè & simpliciter, vt de eis tanquam de propriis queant in quos voluerint vsus, disponere. Vnde neque Prælati sunt, neq; beneficiarij, sed tantùm commendatarij, & perceptores, & ipsæ commendæ perceptoriæ vocantur. Nihilominus æquiparari titulo, & commendatarios habere quasi titulum, quia habent liberam administrationem, & vsum, vt possint de licentia tacita vel expressa Magistri & summi Pontificis, fructus commendarum in vsus honestos insumere. Quæ libera administratio, & vsus titulo æquiparantur, licet verus titulus non sit, sicut neque est ille cum quo Clericis professis eorum ordinum militarium beneficia regularia conferuntur; nihilominus vendi non posse dictas commẽdas sine labe Simoniæ, docet idem Azorius *c. sequẽti 6. q. 3.* dicens; Simoniacũ esse pretio recipere aliquem equitem ad habitũ ordinis militaris, aut etiam conferre militi professo pretio commendam, aut etiam pensionem super vna commenda iuxta ordinis statuta impositam vendere, etsi licitum sit Magistro pensionem aliquam ex commendis pro bono totius ordinis, aut ipsius Magistri quatenus talis, necessitate subleuanda reseruare. Rationem primi assignat ex eo, quod licet dicti ordines non sint Religiones simpliciter, verùm habent aliquas conditiones Religionis, quando authoritate Pontificia sunt confirmati, & non solius Principis laici, quod sat est, vt eorum habitus habeat spiritualitatem annexam, ratione cuius sit inuendibilis. Rationem verò 2. & 3. assignat ex eo, quod commendæ licet tituli non sint, neque beneficia, æquiparantur tamen illis, quod sufficit, vt inuendibiles sint: Et pariter pensio super illis constituta. Ratio autem vltimi est, quia istæ commendæ sunt bona ordinis in eius vtilitatem, & conseruationem ordinata, ac rectæ Magistri dispensationi & curæ per summos Pontifices commissa. Quæ sententia licet quoad hanc vltimam partem sit tenenda simpliciter, & vt iacet: verùm quoad primam est reiicienda, aut saltem temperanda, quia ex defectu notitiæ circa formulam conferendi has commendas in Hispania processit. Et Sylueſter, ex quo eam videtur desumpsisse, potius regulis iuris communis innitens, & ad dictam formulam, ac consuetudinem non attendens, suam scripsit sententiam. Quare melius Nauarrus, & conscius consuetudinis ac formulæ, distinxit *lib. 1. consilio 4. de filiis presbyterorum*, duplicem commendam, siue collationem beneficij, in commendam factam; Vnã quidem temporalem, & amouibilem, qualis est illa qua ordinarius beneficium litigiosum commendat alicui lite pendente, vt finita lite illud conferat cum titulo alteri qui sit proprietarius illius. Et post Concilium Trident. *sess. 24. cap. 18. de reformatione*, commendatur Ecclesia Parochialis alicui per viam Vicariæ, donec illi de Rectore prouideatur, & qualis est illa, qua Abbas, vel Prior monasterij commendat Ecclesiã Parochialem ad monasterium pertinentem alicui Vicario, vt pro tempore quo ipsi placuerit ministret sacramenta, & aliquos fructus illius percipiat. Alteram verò perpetuam, qualis est illa per quam Papa ob defectum ætatis solet conferre alicui beneficium, vel Episcopatum, vel Abbatiam in commendam quoad vitam commendatarij. Et de huius generis commendis loqui caput *illud & cap. qui plures, & cap. relatio 21. q. 1.* propterea quæ illas ait

Nauarrus ex Decio, Panormitano & Ludouico Gomes haberi pro titulis legitimis, tranſiréque in beneficia, & iura perpetua, & Commendatorios haberi pro prælatis, & facere fructus ſuos, ita vt de illis poſſint facere, quidquid poſſunt titulares beneficiarij, exceptis hiis, quæ per literas commendatorias eis excipiuntur, vel reſeruantur. Secus verò commendas primi generis, ſcilicet temporales.

Hæc doctrina mihi vt indubitatè tenenda, probatur primò ex formula conferendi has commẽdas, quæ habetur *in lib. ſtabilimentorum ordinis Sancti Iacobi titulo* 15. *cap.* 5. provt fideliter refert Mota *lib.* 1. *cap.* 4. §. 48. ſub his verbis. *Yo N. Fraile de la Orden de Santiago capellan de ſu Mageſtad, &c. por virtud de la prouiſion de ſu Mageſtad a mi dirigida, hago prouiſion, collacion, y Canonica inſtitucion a vos N. Cauallero de la dicha Orden, de la encomienda de N. con ſus anexos por impoſicion deſte mi Bonete.* In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Amen.

Formula autem prouiſionis talis eſt. *Don Phelipe, &c. acatando los muchos, y buenos ſeruicios que Don N. Cauallero profeſſo de la dicha Orden ha hecho a mi, y a ella, &c. por eſta mi carta le nombro, &c. y doy poder, y facultad a vos el dicho N. para que en mi nombre, y por mi authoridad como adminiſtrador ſuſodicho podais hazer, y hagais prouiſion, collacion, y Canonica inſtitucion al dicho Don N. de la dicha encomienda, para que la aya y tenga: y ſer commendador della ahora, y de aqui adelante quanto a mi voluntad fuere, y aſſi por vos prouehido, collocado, y inſtituido, le doy poder, y facultad para que pueda tomar y aprehender la tenencia, y poſſeſſion real, actual, vel quaſi, de la dicha encommienda de N. con todos ſus anexos, &c. Dada en Madrid, &c.* Ex quibus formulis manifeſtè colligitur, commendas ordinis Sancti Iacobi (eadémque videtur eſſe ratio de commendis aliorum ordinum militarium) nunquam conferri ſine Canonica inſtitutione, & ſine titulo, aut quaſi titulo perpetuo quoad vitam commendatarij, vtpote à quo ipſe nunquam deiicitur, niſi ex vrgenti, & rationabili cauſa aut ratione delicti: quo pacto etiam alij beneficiarij titulares à ſuis beneficiis per iudicis ſententiam deiici poſſunt, neque dicta forma collationis vtitur verbis, *commendamus, committimus*, & ſimilibus, vt putauit Azorius; ſed verbis *prouidemus, conferimus, & Canonicè inſtituimus*, ſtrictè titulum, & Canonicam inſtitutionem denotantibus: ergo. Secundo probatur ex *eodem lib. ſtabilimentorum ordinis Sancti Iacobi titulo* 51. provt refert *in dicto lib.* 1. *cap.* 4. §. 49. vbi ſic habetur. *Porende ordenamos y eſtablecemos que el Maeſtre no reciba dineros, ni precio por la encomienda: y ſi algun Cauallero, o fraile lo cometiere a dar, o lo diere, pierda lo que diere, y la encomienda, y el Cauallo, y armas, y haga penitencia de vn año, loqual todo ſea en nueſtra diſpoſicion, &c.* nimirum in pœnam peccati grauiſſimi Simoniæ, quod in vẽditione, ſiue emptione cõmendæ cõmittitur, provt in promiſſis dicti ſtabilimenti præfertur. Cuius fortè ignari præfati auctores in vtramque partem ſuæ opinionis declinauerunt; ſibi perſuadentes has commendas dari militibus dictorũ ordinum ſine titulo Canonico, & ſic datas, vel collatas poſſe vendi, & emi ſine labe Simoniæ, licet non ſine labe iniuſtitiæ. Quæ ratio amplius confirmatur exemplo penſionis Eccleſiaſticæ, quæ beneficium Eccleſiaſticum non eſt propriè, vnde neque ad Canonicarum horarum penſum ſoluendum obligat penſionarium, niſi tantùm ex motu Pij V. ad penſum minoris Officij Beatæ Virginis: & tamen ſine labe Simoniæ, nec vendi neque redimi poteſt priuata authoritate, eò quòd confertur cum titulo, aut quaſi titulo Clericali; per illámque aſtringitur penſionarius officium aliquod ſacrum peragere, ſcilicet Beatæ Virginis: & quia eſt ius quoddam percipiendi fructus, ſiue reditus ſuper aliquo Eccleſiaſtico beneficio conſtitutos. Ergo cum commendæ tribuant ius percipiendi fructus decimales Eccleſiæ, & aliàs conferantur per Canonicam inſtitutionem cum titulo ſolis Religioſis profeſſis eiuſdem ordinis, qui pariter adſtringuntur, quorundam ſacrarum precum penſum quotidianum ſoluere: Non eſt cur earum emptio & venditio non ſit Simoniaca, aut cur earum ius à titulo Eccleſiaſtico eximatur.

Dices ſi commendatarij iſti habent titulum, cur non vocantur beneficiarij titulares, ſed à titularibus diſcriminantur? Reſpondeo † ſub 26
genere Eccleſiaſtici beneficij, ſicut & ſub genere beneficiarij multas ſpecies contineri: nam continetur Capellania collatiua, quæ beneficium imperfectum eſt: continentur quoque beneficia curata, quæ aliam ſpeciem conſtituunt, atque etiam ſimplicia, ſiue præſtimonia, quæ ſunt alterius ſpeciei, & iſta omnia conferuntur in titulum Clericalem, & Beneficiarij vocantur titulares, quia ſunt earum Eccleſiarum ſponſi, & vocantur nomine tituli ipſius beneficij, ſcilicet vel Rectores, vel Abbates, vel Curæ, & ab his differunt commendæ perpetuæ, non quia aut ſint ad nutum amouibiles, aut ſine titulo, vel Canonica inſtitutione conferantur, ſed conferuntur cum alio minus perfecto, ſcilicet commendæ, & eius poſſeſſor vocatur Commendatarius: quo denotatur, quod non eſt Abbas, neque Rector, neque Cura, neque ſponſus talis Eccleſiæ, ſed habet Eccleſiam illam, quæ aliàs eſt Abbatia, & Curatus vel Rectoratus, vel Collegialis, vel Cathedralis ſibi commendatam, qui ſunt aliàs partes tituli, ſicut titulus cum quo datur penſio eſt longè diuerſus, & extra genus beneficij, quem tamen diximus eſſe inuendibilem. Tertiò probatur ex Doctrina eiuſdem Nauarri in pluribus conſiliis ſæpius repetita, & ab ipſo confirmata. Nam *conſilio* 70. *de regularibus*, ait de militibus Sancti Spiritus in Saxa, accipere commendas ſui ordinis, qui eſt adinſtar noſtrorum ordinum militarium inſtitutus, per modum beneficij cum titulo, perpetuáſque eſſe, & non amouibiles ad nutum ſuperioris, & de ſuperfluis fructibus poſſe Commendatarium regularem diſponere liberè non minus, quàm poteſt ſæcularis. Et idem docet *conſilio* 71. de regulari ſeruienti in Hoſpitali de licentia ſummi Pontificis, quantum ad facultatem diſponendi de prouentibus eorum adminiſtrationem. Quorum omnium vnica, & fundamentalis ratio eſt aſſignata à Nauarro *in dicto conſilio* 70. *verſus finem*, nimirum, quia † quod poſſidet, vel admi- 27
niſtrat, vel inſumit religioſus de licentia expreſſa, vel tacita ſui legitimi ſuperioris, non contrariatur voto ſolemni paupertatis etiam ſtrictæ nedum mitigatæ, qualem vouent ordinum militarium, vt dictum eſt: dum autem militibus commendæ, & Clericis militaribus beneficia ſui ordinis

ordinis conferuntur à Magistro cum titulo perpetuo,aut temporali,ea obtinent & possident de licentia expressa, vel saltem tacita in ipso titulo collationis inhibita sui Magistri,atque etiam summi Pontificis : Ergo neque in huius tituli obtentione, neque in horum fructuum vsu & consumptione libera derogant voto paupertatis; vnde & vtrisque de bonis ex commenda,vel beneficio adquisitis, testari posse, docet Nauarrus *lib.3.consilio 11.de testamentis*,& experientia confirmat,licet id frustra formidet Azorius concedere *lib.citat.c.5.q.1.* Quibus suppositis relinquitur probata secunda pars,in qua nobiscum conuenit Azorius.Tum ex prohibitione stabilimenti recensiti ordinis Sancti Iacobi : Tum etiam exemplo pensionis Ecclesiasticæ,cuius venditio Simoniaca est, licet beneficium Ecclesiasticum non sit,neque cum vero titulo conferatur. Tum denique ex definitione Simoniæ communiter re-
28 cepta : quæ est † studiosa voluntas emendi vel vendendi aliquid spirituale, vel spirituali annexũ,huiusmodi autem commendæ,provt de more militibus etiam vxoratis professis ordinum militarium conferuntur, habent multa spiritualia annexa,eò quòd earum collatio,& institutio petit fieri professis eiusdem ordinis : professio autem,quid spirituale est, quæ vendi non potest sine labe Simoniæ, vt probatum relinquimus. Rursus quia dantur in stipendium militiæ, vel anteactæ,vel agendæ in futurum : militia autem in eis est opus spirituale,eò quòd fit ex voto, & ordinatur ad fidei defensionem ac diuini cultus conseruationem,vt notauimus ex D.Thoma *vbi supra*. Denique quia istæ commendæ tribuunt commendatario ius percipiendi decimas,& aliquando præsentandi aliquem Clericum sui ordinis ad officium vel beneficium Ecclesiasticum,& habent annexam obligationem recitandi quasdam quotidianas preces.Quæ iura proculdubio spiritualia sunt:ergo inuendibilia, itavt citra Simoniæ labem vendi non possint.

Hinc colligo primò resolutionem alterius difficultatis huic annexæ,nimirum decretum Cõcilij Tridentini *sess.15.de regularibus*,disponens in quacunque Religione tam virorum, quàm mulierum, professionem non fieri ante decimum sextum annum completum,neque ante expletum annum probationis ; & aliter factam ipso iure fore nullam, ac nullam inducere obligationem ad alicuius regulæ, vel Religionis, vel ordinis obseruationem, comprehendere milites ordinis Sancti Ioannis, quia tria vota substantialia solemnia emittunt,in quibus vera religio consistit, quibus & paupertatem, & obedientiam simpliciter,atque castitatem omnimodam vouent:imo & comprehendere milites aliorum ordinum militarium, scilicet Sancti Iacobi, Calatrauæ, Alcantaræ,& similium,quia cum votis solemnibus paupertatis temperatæ, & castitatis solummodo coniugalis verè Religiosi sunt ; in quibus proinde locum habere debet dicta Concilij dispositio, itavt professio alicuius horum militum facta, vel ante decimum sextum annum, vel ante expletum annum probationis post susceptum habitum,sit ipso iure nulla : nisi de licentia Papæ, aut priuilegio concesso Magistro ordinis, provt dicit Nauarrus *lib.3.de regularibus consil.23.* concessum fuisse ordini militari Sancti Stephani in Italia sub regula Sancti Benedicti fundato,tale priuilegium,vt eius milites post susceptum habitum possent ilico, vel eodem, vel altero die profiteri. Doctrina est expressa eiusdem Nauarri *lib.1.consilio 5.de his quæ vi, metus ve causa fiunt:* cui subscribendum censuimus aduersus Azorium *1.parte summæ moralis lib.12.cap.4.q.2.* tenentem, dictum Concilij decretum hos milites minimè comprehendere; milites,inquam,Sancti Iacobi, Calatrauæ, & Alcantaræ, neque milites Sancti Ioannis : illos quidem, quia verè religiosi non sunt, quia proprium habent, & vxores ducunt ; istos verò, quia id censuit Congregatio Cardinalium Romæ, cò quòd professionem emittant iuxta regulæ suæ præscriptum, & non iuxta Concilij decretum.Sed sententia Nauarri proculdubio est tenẽda,& probatur Primò, quia dispositio Concilij generalis est, & per verba vniuersalia disponens, vt per illa : *in quacumque religione &c.* Sed quãdo legis dispositio est generalis, generaliter est accipienda iuxta regulam iuris;*vbi lex non distinguit aut restringit,neque nos distinguere,aut restringere debemus*:ergo. Secundò quia singularis exceptio firmat regulam in contrarium:Sed de militibus Sãcti Stephani ex speciali priuilegio testatur Nauarrus,esse dispensatos ab hac vniuersali dispositione Concilij, vt possint ante annum expletum probationis professionem emittere:ergo signum est reliquorum ordinum milites esse in illa comprehensos, & ita vsu receptum est in Hispania,vt nec ante decimum sextum annum, neque ante completum annum probationis emittant professionem : nisi raro,& speciali indulto summi Pontificis, & de eius licentia expressa, aut saltem tacita : ergo. Tertiò quia per † iuris regulam receptissimam, 29
æquum est vt qui sentit commodum, sentiat pariter incommodum. Sed isti milites professi, etiam extra conuentum,& extra proprium territorium commorantes, gaudent priuilegio Canonis & fori,atque aliis fauoribus concessis regularibus, vt in propria specie docet Nauarrus *lib.3.consilio 13.* de quodam milite ordinis Christi,extra Lusitaniam de licẽtia sui Magistri commorante:ergo pariter eos debent tangere pœnæ & odia,iure vel statuto constituta contra religiosos vt sic : Quidquid reclamet Azorius *vbi supra q.3.* dicens propter easdem rationes, neque hos milites comprehendere decretum Concilij Tridentini *sess.6.cap.3.de reformatione* : aduersus quem sequitur secundum corollarium.

Colligo secundò,hos equites professos ordinum militariũ comprehẽdi in decreto *dicti capitis* 3.sic disponente:*Nemo secularis Clericus cuiuscuis personalis, vel regularis extra monasterium degens, etiam sui ordinis priuilegij prætextu, tutus censeatur, quominus si deliquerit, ab Ordinario loci tamquam super hoc à sede Apostolica legato, secundum canonicas sanctiones visitari,puniri,& corrigi valeat.* Quod decretum pœnale,inquit Azorius, dictos milites ordinum militarium, etiam Sancti Ioannis professos non comprehendere ob rationes ab ipso assignatas, iam in primo corollario recensitas : imo ob easdem tenetur dicere, neque Clericos professos eorundem ordinum comprehendere.Sed in hoc,sicut& in primo corollario potius duximus subscribendum Nauarro, qui *lib.3.de regularibus consilio 11.* probat milites professos Sancti Ioannis comprehendi in dicto decreto,(quod & aliorum ordinum militibus adstruit esse dicendum) tum quia verè Religiosi sunt, & quia verba *Nemo, & regularis*

vniuer

vniuerſalia verba ſunt, ac per conſequens pro quibuſcunque verè Religioſis diſtribuunt. Tum
30 quia † delegatus procedens contra exemptos, non contrauenit eorum exemptioni, eò quòd nullus dicitur exemptus reſpectu Papæ cuius vices gerit delegatus: Epiſcopus autem ad executionem dicti decreti procedit, vt Papæ legatus, vt patet ex ipſa decreti diſpoſitione. Tum denique quia quibuſcunque priuilegiis ſatis videtur derogari per clauſulam generalem in lege poſitam conſuetam poni de ſtylo curiæ, qualis eſt dicta clauſula Concilij. Vnde quamdiu dicti ordines militares priuilegium non oſtenderint, quod ad ſui derogationem petat fieri de eo expreſſam mentionem, aut ſummus Pontifex oppoſitum declarauerit, tenenda eſt Nauarri ſententia. Neque eam infringi putamus per declarationem Congregationis Cardinalium Romæ factam ab Azorio adductam, eò quòd neque eius copiam oſtendit, neque vim decreti, aut irrefragabilis legis habet.

Et concludendo addo ad ea, quæ hucvſque ex Nauarro *in dicto conſilio* 21. retuli, quod aliàs etiam Patres Societatis IESV poſt omiſſa tria vota ſimplicia biennio peracto, non comprehenderentur in eiſdem duobus decretis, licet verè Religioſi ſint, provt declarauit Gregorius XIII. in ſua Bulla, quæ incipit: *Aſcendente domino in nauiculam*; quia adhuc non abdicarunt à ſe dominium bonorum ſuorum, & ſunt capaces ducendi vxores, ſi à prælato eiiciantur, & non emittunt profeſſionem iuxta Concilij decretum, ſed iuxta ſuarum conſtitutionum præſcriptum, vt ex contextu Bullæ Gregorij XIII. patet, circa principium ibi: *Quo ſcilicet biennio expleto tria ſubſtantialia vota ſimplicia paupertatis, caſtitatis, & obedientiæ in eadem Societate ex Apoſtolico indulto iuxta vouendi formulam in eiſdem conſtitutionibus expreſſam emittunt &c.* Quod tamen ipſe Azorius non admittet, neque admittere poteſt, vt ex hiis quæ pro Societatis vera Religione ſtabilienda & in mendicantium ſerie adducit *toto c.* 7.

Colligo tertiò Simoniam realem, quæ in huiuſmodi commendarum venditione, aut emptione committitur, eſſe obnoxiam pœnis taxatis in iure contra Simoniacos ſuper beneficio; Hoc corollarium ex dictis manet ſatis comprobatum. Nam huiuſmodi pœnæ comprehendunt Simoniacos (intellige Simoniæ realis) qui pretio emunt, aut vendunt aliquod beneficium Eccleſiaſticum, quod ſit in aliqua ſpecie, videlicet Curati, Simplicis, capellaniæ collatiuæ, aut cõmendæ perpetuæ, quia omnib. hiis conuenit ratio generica beneficij: ſed huiuſmodi ſunt commendæ militares per inſtitutionem canonicam collatæ, cum titulo vel quaſi titulo perpetuo. Ergo qui pro eis conferendis, vel obtinendis accipiunt, vel exhibent pretium aliquod ex pacto tacito, vel explicito, dictis pœnis obnoxij ſunt. Quod ampliùs confirmatur dupliciter: Tum quia Simonia, quæ committitur in receptione ad habitum militarem, eſt obnoxia pœnis latis in iure contra Simoniacos ſuper Religionis ingreſſu, vt ſupra docuimus: ergo eadem ratione Simonia, quæ committitur in collatione commendæ, erit obnoxia pœnis latis contra Simoniacos in beneficio, quia patet à paritate rationis. Nam ſicut habitus militaris verè eſt Religioſus, aut quaſi Religioſus: ita commenda perpetua verè eſt beneficium regulare, aut illi æquipollens: & de æquipollentibus eadem eſt ratio: Ergo. Tum etiam quia hac ratione ipſi commendatarij prohibentur ſuas commendas propria authoritate adinuicem permutare, quia hæc permutatio eſſet Simoniaca; ſicut permutatio duorum beneficiorum regularium facta priuata authoritate beneficiariorum: vt idem Azorius bene notat *in dicto cap. 6. q.* 3. citata: ergo ſicut hæc permutatio, ita & illa erit obnoxia pœnis latis contra Simoniacos in beneficio.

Dices quid ſi commenda ſit temporalis ad certum tempus data? Reſpondeo hoc genus collationis militarium commendarum in Hiſpania non eſſe in vſu; illo tamen admiſſo pro dicta collatione commendæ temporalis pretium dare, vel accipere, eſſet Simonia, ſed non dictis pœnis obnoxia, quia talis commenda beneficium non eſt, neque ei æquiparatur. Rogabis quid ſi Papa aliquam commendam ex iſtis extrahat à ratione beneficij Eccleſiaſtici, & illam vertat in naturam rei laicæ, & ſecularis, quod vulgo dicitur *Cauallerato?* Reſpondeo tunc abſque labe Simoniæ poſſe pro illa pretium accipi à collatore, aut offerri ab obtinente illam: eò quod tunc iam amittit conditionem rei ſpiritualis & Eccleſiaſtici beneficij, cum qua à principio fuit inſtituta ad ordinis decorem, & Eccleſiæ obſequium, & diuini cultus conſeruationem, atque Miniſtri ſimul & commendatarij decentem ſuſtentationem, & in naturam rei temporalis verſa eſt: vnde ſicut quæuis alia res temporalis, vendi & pretio alienari poteſt ſine labe Simoniæ. Ad hũc que ſenſum ſententia eorum authorum aſſerentium has commendas pretio poſſe conferri ſine labe Simoniæ, quia ſine titulo Eccleſiaſtico conferuntur, reduci poſſet, niſi tam amplè loquerentur.

His duabus opinionibus è diametro oppoſitis, & ſecundum cuiuſque merita diſcuſſis, operæ pretium eſt tertium & medium apponere, quæ adſtruit huiuſmodi habitum ordinum militarium in equitibus venditionem, non Simoniacam eſſe aut Religioni contrariam, ob rationes adductas pro prima ſententia, ſed nihilominus peccaminoſam eſſe lethaliter, vtpote iuſtitiæ legali & diſtributiuæ, & bono regimini aduerſantem, quod procul dubio intendunt plures ex authoribus adductis pro ſecunda ſententia: nec non plures ex illis qui ſentiunt huiuſmodi ordines militares, quantùm ad equites, non eſſe verè & propriè Religiones.

Pro cuius declaratione hanc tertiam ſtatuimus aſſertionem. Quantuncumque dicti habitus nihil Religionis, nihil ſpiritualitatis habeant, adhuc eorum venditio à Magiſtro ſeu adminiſtratore facta, eſt lethaliter peccaminoſa. Primò quidem quia aduerſatur iuſtitiæ legali, quæ intendit bono Reipublicæ ſeu communitatis regimini, & legum obſeruantiæ; huiuſmodi autem venditio eſt contra leges & ſtabilimenta Militarium ordinum, quæ prohibent ne eorum habitus pretio ſeu pecunia aut alia re pretio æſtimabili, à Magiſtro conferantur. vt conſtat ex ſtabilimentis Diui Iacobi ordinis à Mora *vbi ſupra* relatis: ergo iuſtitiæ legali, & bono regimini dictorum ordinum aduerſatur. Secundò quia aduerſatur etiam iuſtitiæ diſtributiuæ, cuius † mu- 31
nus eſt conferre honores communes dignioribus, ſecundùm quam Magiſter ſiue adminiſtrator tenetur habitus huiuſmodi ad remunerandum

dum milites pro labore in militia, ac patriæ & fidei defensione exhibito & exhibendo institutos, distribuere dignioribus & magis idoneis; ad prædictum finem tenetur quoque illos conferre non tanquam Dominus absolutus, sed tanquam merus administrator, ex commissione ei facta in Bullis à summis Pontificibus expeditis; ergo non potest licitè eos vendere, sed tantum poterit eos contra ordinum stabilimenta conferre, hoc est sine precio accepto ex pacto & condicto, & secundum formam iustitiæ distributiuæ. Consequentia patet, quia vendere est proprium habentis Dominium, quod est facultas vtendi rebus ad libitum, & in quoslibet vsus lege permissos, quod in præfatis stabilimentis prohibetur: distribuere autem est habentis solam administrationem communitatis & operantis contra illius leges & statuta. Tertiò quia aduersatur quoque iustitiæ commutatiuæ; nam per huiusmodi habituum venditionem vilescerent huiusmodi habitus, & honores militarium ordinum parui penderentur, quod in confesso est, apud omnes Neotericos primæ sententiæ defensores, qui nec Simoniæ, nec alterius peccati mortalis labem in tali venditione inueniunt tunc: sicque formo argumentum ad honorem. Actio quæ tales habitus & honores facit in vilipendium & paruam æstimationem venire, est iniuriosa militaribus ordinibus, vtpote quæ illis infamiam & iniuriam in materia graui, hoc est in honore & re valdè æstimabili infert: sed actio per quam infertur grauis infamia, aut dedecus personæ particulari, est lethalis culpa contra iustitiam commutatiuam, obligans iniuriantem ad restitutionem: ergo à fortiori erit lethalis culpa contra iustitiam commutatiuam ad restitutionem obligans, actio lædens famam siue honorem alicuius communitatis: & tantò maior, quantò plures in fama & honore lædit: & quantò fama & honor communitatis, famæ & honori priuatæ personæ præfertur. Vltimò suadetur ratione qua D. Thom. in opus 21. quod est rescriptum ad Ducissam Babantiæ, respondet; Neutiquam illam posse absque mortalis peccati labe vendere officia iustitiæ, verbi gratia, Prætoratus, aut Magistratus: nimirum quia licet ista officia de se vendibilia sint, quatenus nihil spiritualitatis habent: tamen eorum venditio bono reipublicæ regimini & iustitiæ distributiuæ aduersaretur, secundum quam hæc officia debent conferri: ac proinde in magnum Reipublicæ detrimentum vergeret: nam si pro auro & argento repenso conferretur à Principe, non dignioribus aut idoneis sed diuitibus etiam indignis & ineptis conferretur: vtpote quod sæpe contingeret indignos & ineptos, diuites & potentes ad emendum talia officia esse: Dignos autem & idoneos pauperes esse, & emere illa non valentes. Quæ ratio tantò efficacior militat in nostro casu, quantò huiusmodi officia minus spiritualitatis & honoris, ac æstimationis habent, quàm habitus ordinum militarium: & quantò magis Rex Catholicus huiusmodi ordinum administrator, habet plus dominij supra huiusmodi officia iustitiæ, quàm supra habitus ordinum militarium, quorum nihil dominij habet, vt dictum est, nisi puram administrationem.

Dubitabis denique; Vtrum indulto Summi Pontificis possint huiusmodi militares habitus à Principe vendi? Respondeo id vno ex duobus modis posse contingere: aut enim Pontifex concedit tale indultum relinquens hos habitus in sua natura, & primæuâ institutione, scilicet, Vt sunt insignia religionis, vel militiæ propter bonum Reipublicæ instituta: Et sic neque indulto Summi Pontificis vendi licitè possunt. Sicut nec beneficia Ecclesiastica, nec officia publica iustitiæ relicta in sua natura, vendi possent ex indulto Summi Pontificis, quoniam illorum Simoniaca, & horum iniusta foret venditio. Aut Pontifex concedens indultum denudat eos à propria natura & primæua institutione, ita vt habitus vendendi maneant secularitati, vt quædam secularis honoris & nobilitatis insignia. Et sic ex tali indulto vendi possent, ad eum modum quo reditus Ecclesiastici quandoque ex Apostolico indulto secularicantur, & laicis in titulum equitatus, (*quod vulgo dicitur Caualleratо*) conferuntur. Sed vtrum tale indultum, talisque habituum venditio sit expediens? (Neque enim omnia licita expediunt) aliorum iudicio relinquo: vereor namque quàmplures difficultates in eius executione experiendas.

QVÆSTIO VII.

De eo qui in sæculo voto simplici de ingrediendo arctiorem Religionem fuit adstrictus: an tuta conscientia possit laxiorem profiteri, & in ea permanere.

SVMMARIVM QVÆSTIONIS SEPTIMÆ.

1 *Votum sufficienter adimpletur, quando quis soluit màius, quàm quod promisit.*

2 *Creditor habet ius, vt ei opus promissum in propria specie soluatur.*

3 *In moralibus illud euidenter est melius, quod morali certitudine constat esse melius.*

4 *Vota sunt duplicia: Alia de iure communi Ecclesiastico, Summo Pontifici reseruata; alia Prælatis superioribus, Episcopali aut quasi Episcopali authoritate gaudentibus.*

5 *Facultas dispensandi vel commutandi vota non reseruata, non est extendenda ad Parochos erga sua curæ commissos.*

6 *In votis ſummo Pontifici reſeruatis Prælati inferiores nec diſpenſationem nec commutationem facere poſſunt.*

7 *Voto ſimplici ad altiorem religionem adſtrictus, licè eprofitendo laxiorem peccat, non tamen ad prioris voti adimpletionem tenetur.*

8 *Tamdiu obligatur aliquis ad implendum quod vouit, quamdiu poteſt illud licitè implere.*

9 *Vinculum profeſſionis & matrimonij conſummati in quo conueniunt.*

10 *Matrimonium conſummatum impedit vim voti ſimplicis, profeſſio extinguit.*

11 *Ad irritandum vota requiritur poteſtas dominatiua ſupra perſonam vouentis, & materiam voti.*

12 *Tres ſunt caſus, in quibus poteſt religioſus laudabiliter de vna religione ad aliam tranſire.*

13 *Perſeuerantia accipitur tripliciter.*

14 *Adamus in ſtatu innocentiæ habuit omnes virtutes infuſas à Deo.*

15 *Qui ſe obligat ad religionis ingreſſum, tenetur religionem ingredi; obligatio enim eſt de intrinſeca ratione voti.*

16 *Propter ſanctitatem iuriſiurandi ſemper implendum eſt id, quod iure iurando promittimus, quoties ſine peccato id poſſumus præſtare.*

RESPONDEO prænotando tranſitum iſtum ad vnam Religionem, eius qui in ſeculo exiſtens aliam determinatam voto ſimplici promiſit, poſſe contingere vno ex tribus modis. Aut enim iſte voto adſtrictus ad minorem, tranſit ad aliam maiorem ſiue perfectiorem: aut tranſit ad æqualem: aut tandem adſtrictus voto ad maiorem ſiue ſtrictiorem, tranſit ad minorem. Et quidem in primo caſu tranſitus eſt licitus & laudabilis, eò quod per illum ſufficienter adimpletur votum ſimplex emiſſum, de ingrediendo minorem religionem, & profitendo in illa, nam † ſufficienter quis adimplet votum, quando ſoluit
1 maius, quàm id quod promiſit. Etenim Deus gerit vicem boni Creditoris, qui contentus eſſe debet quoties ei ſoluitur ſupra id quod ipſi debetur: ſed in eo caſu tranſiens ad maiorem religionem, ille qui promiſerat minorem procul dubio ſoluit quid maius quàm debet, quia maius eſt Deo ſe mancipare in religione ſtrictiori, quàm in laxiori: ergo non eſt reus voti fracti, ſed ſufficienter illud adimplet, & aliàs maius obſequium Deo præſtãdo, laudabiliter facit.

Deinde in ſecundo caſu; Reſpondet Azorius 1. *part. moralium inſtitutionum lib.* 11. *cap.* 23. *q.* 12. § *quæres*, eum tranſitum minimè licere, ſi fiat priuata authoritate; ac proinde neque tale votum ſufficienter adimpleri; eò quòd nullus debitor priuata authoritate, poteſt rem debitam in alteram æqualem commutare, niſi de conſenſu tacito vel expreſſo ipſius creditoris, eò quod † creditor quicunque habet ius, vt ſibi res debita in ſpecie propria reſtituatur; &
2 ſimiliter Deus ius habet vt ei opus promiſſum in propria ſpecie ſoluatur. Vnde emittens votum de aliquo opere pio, tenetur illud in propria ſpecie ſoluere, niſi ei certo de exceſſu conſtiterit; tunc enim vt diximus in priori caſu, de priuata authoritate votum emiſſum licet in opus melius & gratius Deo commutare; neque ad hoc iudicium, certitudo mathematica aut methaphyſica deſideratur, ſed ſufficiet moralis certitudo iuxta prudentem vouentis aut alicuius ſui conſiliari æſtimationem; vt bene probat Turrianus *tomo* 1. *de religione q.* 88. *art.* 12. *diſp.* 5. aduerſus tres opinantium ſententias; alteram nimirum Siluestri V. *votum* 4. *q.* 7. § 2. dicentis, requiri ſemper in commutatione votorum ſuperioris authoritatem, ita vt nullus queat propria authoritate votum ſuum etiam in melius commutare. Alteram vero Patris Henriquez *lib.* 2. *de pœnitentia cap.* 20. §. 5. cum Medina *in ſumma inſtructoria confeſſariorum*, aſſerentis poſſe quempiam votum nedum in melius, ſed etiam in æquale propria authoritate commutare. Tertiam denique Valentiæ 22. *q.* 6. *de voto diſp.* 6. *puncto* 7. §. *notandum eſt*; adſtruentis ad commutationem voti in melius faciendam propria authoritate nedum moralem, ſed mathematicam certitudinem de exceſſu deſiderari, ſed fruſtra id conatur, quoniam † in moralibus illud eſt euidenter melius, quod morali 3
certitudine conſtat eſſe melius.

Verùm quæ authoritas, aut cuius ſuperioris debeat eſſe iſta, quam Azorius *vbi ſup.* deſiderat & non declarat, vt voto ſimplici adſtrictus de ingrediendo vnam Religionem, poſſit licitè aliam æqualem ingredi, & in illa profeſſionem omittere, nos in præſentiarum iuxta communia Theologiæ & iuris Canoni principia declarabimus. Igitur cum † vota ſint in duplici differentia, alia 4
quidem de iure communi Eccleſiaſtico, Summo Pontifici reſeruata, cuiuſmodi ſunt Religionis, perpetuæ caſtitatis, peregrinationis Hieroſolymitanæ, Romæ, & Compoſtellanæ, & nouiter peregrinationis Loretanæ. Ex quo fit, quod eodem iure communi poſitiuo attento, ſolus Summus Pontifex poſſit hæc vota diſpenſare, & cõmutare, cuius proinde authoritas deſideratur ad diſpenſandum in huiuſcemodi votis, atque etiam ad illa commutanda: cætera verò ſunt vota non reſeruata, quæ diſpenſare ac commutare valent quicunque Prælati Superiores, Epiſcopali, aut quaſi Epiſcopali authoritate gaudentes erga ſibi ſubditos; dixi aut quaſi Epiſcopali poteſtate gaudentes; propter Abbates quoſdam ſeculares participantes aliqualiter Epiſcopalem iuriſdictionẽ, & propter regulares prælatos exemptos, cuiuſmodi ſunt Prouinciales, Generales, & Priores ſiue Abbates, ſiue Guardiani Conuentuales, erga ſuos ſubditos regulares. Alij omnes & ſinguli iure communi, aut vſu & conſuetudine, aut ex priuilegio, quod iam in ius commune tranſiuit, habent poteſtatem iuriſdictionis ad diſpenſandũ & commutandum vota ſuorum ſubditorum in caſibus non reſeruatis; vt ex communi ſententia Panormitani *c.* 1. *de voto n.* 7. Syluestri V. *votum* 4. *q.* 3. Nauar. *in Manuali c.* 12. *n.* 75. & Soto *tit.* 7. *de iuſtitia q.* 4. *art.* 3. Turr. *vbi ſup. diſp.* 1. collegit. Et meritò, quia ſicut qui dat formã debet dare conſequentia ad formam: ita qui inſtituit dignitatẽ Prælatiæ & iuriſdictionis poteſtatem, debuit dare electis ad illam, quidquid ad eius muneris executionem conuenientem moraliter requiritur, ne deficeret in neceſſariis. Atqui talis poteſtas diſpenſandi & commutandi vota ſubditorum moraliter eſt neceſſaria in huiuſmodi prælatis erga ſibi ſubditos: ergo dicendum

cendum est dictos prælatos gaudere potestate iurisdictionis ad dispensandũ & commutandum vota subditorum in casibus non reseruatis. Neque sufficit ad bonum regimen, & perfectum exercitium talis potestatis gubernatiuæ, quod possint Prælati religionum vota suorum subditorum irritare: nam præterquam quod hæc facultas irritandi non conuenit Episcopis & Abbatibus secularibus erga sibi subditos, erga quos non dominatiuam, sed solam habent iurisdictionis potestatem; adhuc in subditis religiosis possunt reperiri vota, quæ aut non expediat aut non possint à Prælatis irritari, magisque conueniat ea aut commutare in bonum æquale, aut ex rationabili causa dispensare; quale est votum transeundi ad strictiorem religionem, quod Prælatus neutiquam potest irritare, eò quod materia talis voti ei non est subdita, potest tamen alia via relaxare, saltem dispensando illud ex rationabili causa de consensu ipsius subditi. Vnde oportuit Prælatos religionum tali potestate dispensatiua vltra irritatiuam, præditos esse, ne in aliquo casu eorum regimen defectuosum maneret, ex quo saluti & consolationi subditorum prouidere non possint.

5 Sed neque hanc † dispensandi vel commutandi vota non reseruata facultatem extendendam esse ad Parrochos erga suæ curæ cõmissos, probat Turrianus *vbi supra conclusione* 4. eò quòd. D. Thomas *in dicto articulo* 12. petit ad dispensandum & commutandum vota non reseruata Prælati authoritatem: & ex communi sententia Theologorum & Iuristarum præallegata, requiritur authoritas Episcopalis aut quasi Episcopalis prælaturæ: Atqui parrochi habentes curam animarum etiam proprietarij, neque sunt Prælati, neque Episcopalem aut quasi Episcopalem habent authoritatem: ergo neutiquam illis conuenit talis dispensandi aut commutandi potestas, de iure. Dixi de iure; nam ex priuilegio, potest etiam non Prælatus gaudere huiusmodi potestate delegata, sicut priuilegio Bullæ cruciatæ aut alterius Iubilæi eam facultatem concedentis, possunt quilibet confessarij pœnitentum vota non reseruata dispensare, commutare, siue ante siue post ipsam Bullæ aut Iubilæi expeditionem emissa, vt bene notat Turrianus *vbi supra disp. vltima aduersus Sotum lib. 7. de iustitia q. 4. artic.* 3. existimantem virtute Bullæ cruciatæ solùm illa vota non reseruata, pœnitenti posse à cõfessario cõmutari, quæ ante eiusdẽ Bullæ concessionem emiserat. Promiscue autẽ hucusque de potestate dispensandi ac cõmutandi locuti sumus, quia vt bene notant Sotus *in dicto lib. 7. q. 4. articulo* 3. & Turrianus *in allegata disputatione 2. ex D. Thoma 22. q. 88. articulo* 10. eadem censetur facultas ad dispensandum & commutandum vota, eò quòd commutatio votorum in æquale, aut in minus, est quoddam genus dispensationis, imo est quid minus rigorosa dispensatione, & ad vtrumque munus requiritur talis causa & Prælati authoritas de iure communi, aut ex priuilegio confessarij iudicium: alioquin illicita & nulla esset & inualida voti commutatio, sicut & dispẽsatio facta à prælato seu à cõfessario; propterea quetiã prudentes dispensatores votorum solent in dispensatione eorum aliquam commutationem admiscere; iniungendo scilicet dispensatis aliquod opus pium siue orationis, siue pœnitentiæ, siue eleemosynæ abeis vel perpetuò vel ad tempus soluendum. Igitur eadem potestas siue ordinaria, siue delegata dispensandi sufficit ad commutandum.

Hinc fit quod vota † reseruata summo Pontifici, quoad dispensationem, & commutationem censentur reseruari; in quibus proinde Prælati inferiores nec dispensationem nec commutationem facere possunt. Igitur cum votum simplex arctioris & altioris religionis sit de numero reseruatorum summo Pontifici, à nullo alio inferiori Prælato potest dispensari aut commutari. Quare si tali voto adstrictus profiteatur in religione minus aut æquè perfecta, siue obtenta prius dispensatione à summo Ecclesiæ antistite, reus fiat voti fracti: nihilominus siue in æquali, siue in laxiori religione professionem emittat, professio valida erit, & amplius ad voti simplicis arctioris religionis adimpletionem non tenetur; quia eius obligatio per votum solemne omnino extincta est. 6

Ex quibus patet, quid dicendum sit in tertio transitu, nimirum quando voto simplici adstrictus religionis altioris, transit ad laxiorem, & in illa professionem emittit. Valida est quidem professio, & prioris voti obligatio extincta manet; sed non absque piaculo sic profitentis, quia votum prius non adimpleuit, minúsque Deo soluit, quàm promisit; per quam doctrinam respondetur ad quæstionem hac vnica conclusione.

† Voto simplici adstrictus de ingrediendo altiorem Religionem, priùs non despensato aut commutato à summo Pontifice, profitendo laxiorem peccat, sed amplius ad prioris voti adimpletionem non tenetur, & securus in conscientia manet in eadem laxiori religione, quam voto solemni semel professus est. Quæ conclusio est expressa Angelici Doctoris 22. *q.* 89. *articulo* 8. in solutione ad tertium, & Caietani ibidem. Et probatur primò ex dicta solutione, quæ sic habet. Ad tertium dicendum, quod votum solemne, quo quis obligatur minori Religioni, est fortius quàm votum simplex, quo quis astringitur maiori religioni. Post votum enim simplex, si contraheret aliquis matrimonium, non derimeretur, sicut post votum solemne: & ideo ille qui iam professus est in minori religione, non tenetur implere votum simplex, quod emisit de intrando religionem maiorem. 7

Secundò, Probatur ex *cap. qui post votum de regularibus in sexto*; vbi Bonifacius VIII. diffiniens prædictam doctrinam Angelici Doctoris, sic ait: *Qui post votum à se de certa Religione intranda emissum, religionem aliam etiam laxiorem ingreditur, & professetur in ipsa: potest (voto non obstante priori, cui tanquam simplici, per secundum solemne nosciur derogatum) manere licitè in eadem; pro voto tamen non completo, erit eidem pœnitentia imponenda.* Pœnitentia autem hæc de qua loquitur summus Pontifex, proculdubio est Sacramentalis, quæ in Sacramento Pœnitentiæ non imponitur nisi pro peccato; ac proinde denotatur in præfatis verbis eum, qui post votum simplex arctioris religionis ingreditur laxiorem, peccare contra dictum votum, quia illud non adimpleuit; & pro illo non completo imponendam esse ei

aliquam pœnitẽtiam ſalutarem: quæ gerat vicem cuiuſdam commutationis voti non adimpleti, etſi verum ſit illum per votum ſolemne omiſſum in laxiori Religione manere abſolutum ab obligatione voti ſimplicis, ab ipſo emiſſi in ſeculo; quia maior & fortior eſt obligatio voti ſolemnis, quæ proinde voti ſimplicis antecedentis extinguit obligationem.

Sed aduerſus hanc doctrinam nonnulla militant argumenta, ex quorum ſolutione eius veritas magis eluceſcet. Quorum primum eſt illud, ad quod Reſpondet D. Thom. in præfata ſolutione ad tertium quod ſic habet. † Tamdiu obligatur aliquis ad implendum quod vouit, quamdiu poteſt licitè illud implere: ſicut ſi aliquis vouit continentiam ſeruare, etiam poſt contractum matrimonium per verba de præſenti, ante carnalem copulam tenetur implere votum, quia hoc poteſt facere, religionem intrando. Si ergo aliquis licitè poteſt tranſire de vna religione ad aliam, tenebitur hoc facere, ſi ante hoc vouerit exiſtens in ſeculo; quod videtur eſſe inconueniens, quia ex hoc plerumque ſcandalum generari poſſet: ergo non poteſt aliquis Religioſus de vna Religione tranſire ad aliam arctiorem. Ad quod reſpondet D. Thom. dicens, quod votum ſolemne quo quis obligatur minori religioni, eſt fortius quàm votum ſimplex, quo quis aſtringatur maiori Religioni. Poſt votum enim ſimplex, ſi contraheret aliquis matrimonium, non dirimeretur, ſicut poſt votum ſolemne: & ideo ille qui iam profeſſus eſt in minori Religione, non tenetur implere votum ſimplex, quod emiſit de intrando Religionem maiorem. Sed quia D. Thom. in hac ſolutione non ſatis explicat, cur habens in ſeculo votum ſimplex arctioris Religionis, & de facto poſt profeſſus Religionẽ laxiorem, non teneatur ad arctiorem, ſiquidem adhuc ſola petita licentia poſſit laudabiliter ad illam tranſire: Arguitur ſecundò argumento Caietani ibidem, nimirum quia maioritas voti ſolemnis non præiudicat huic progreſſui, neque illum impedit: certum namque eſt quod profeſſio in minori Religione non impediat trãſitum ad maiorem: ergo adhuc ſic profeſſus tenetur votum ſimplex emiſſum in ſeculo adimplere, ac proinde talis voti obligatio in illo perſeuerat. Tertiò arguitur à ſimili: nam huiuſmodi votum ſolemne in minori Religione non habet maiorem vim impediendi obligationẽ voti ſimplicis prius emiſſi de ingrediendo arctiorem Religionem, quàm vinculũ matrimonij conſummati ad impediendum impletionem voti ſimplicis caſtitatis vel Religionis prius emiſſi: Siquidem vtrumque eſt matrimonium, alterum quidem ſpirituale & alterum carnale, & vtrumque eſt vinculum fortius vinculo voto ſimplicis: & tamen vinculum matrimonij carnalis non extinguit omnino obligationem voti ſimplicis prius emiſſi, ſiquidem ſoluto matrimonio per alterius coniugis mortem, tenetur ſuperſtes tali voto ſimplici adſtrictus illum adimplere: ergo pariter neque votum ſolemne in minori Religione, extinguit omnino votum ſimplex arctioris prius emiſſum.

8

Sed his non obſtantibus tenenda eſt doctrina Angelici Doctoris in *dicta ſolutione ad 3.* nimirum quod ille qui iã profeſſus eſt in minori Religione, non tenetur implere votũ ſimplex quod emiſit in ſeculo, de intrando arctiorem Religionem. Vnde ad primum argumentum ſuſtinenda eſt ſolutio Angelici præceptoris. Ad ſecundũ verò reſpondetur negando antecedens, ſi non impedire pro eo ſumatur quod eſt nó tollere aut non extinguere: ſin minus admiſſo antecedente neganda eſt conſequentia. Ad tertium neganda eſt maior. Cuius diſcriminis rationem aſſignat Caietanus *vbi ſup.* dicens, quod † vinculum profeſſionis & matrimonij conſummati conueniãt in hoc, quod vtrumque eſt fortius voto ſimplici, & vtrumque habet rationem alienationis propriæ perſonæ: & propterea vtrumque aufert vinculum voti ſimplicis: ſed cum hoc diſcrimine, quod vinculũ matrimonij conſummati aufert vim voti ſimplicis non penitus extinguendo, ſed impediendo illam durante matrimonio: & ideo ſoluto matrimonio per mortem coniugis tenetur alter, votum ſimplex prius emiſſum adimplere: vinculum autem profeſſionis aufert vim voti ſimplicis prius facti, non ſolùm impediendo, ſed penitus illam extinguendo, eò quod fortius alienat perſonam profitentis alteri, non quidem homini mortali, ſed Deo immortali & Religioni, quæ de ſe perpetua eſt, nec deficit ad defectum vnius vel alterius indiuidui, ſicut deficit matrimonium propter vnius coniugis defectum. Vnde quamuis ſic profeſſus poſſit laudabiliter tranſire ad arctiorem Religionem prius voto ſimplici appetitam, veruntamen non tenetur, quia extincta penitus eſt obligatio illa voti ſimplicis, per ſuperueniens vinculum fortius profeſſionis, quod alienat perſonam profitentis alteri, & non cuicumque ſed Deo & Religioni, quæ ius adquiſiuit in ipſum. Sed contra hoc eſt quod etiam coniux voto ſimplici adſtrictus, per matrimonium ſe tradit alteri, ita vt alter ſupra ipſum ſibi ius acquirat: ergo pariter matrimonium conſummatum voti ſimplicis obligationem extinguit, atque profeſſio per ſolemnium votorum emiſſionem. Reſpondeo negando conſequentiam, quia diuerſimodè coniux tradit ſe alteri per matrimonium conſummatum, atque Religioſus per profeſſionem Religioni ac Deo ſe tradit: his namque ſe tradit Religioſus, vt immortalibus & nunquam perituris, quorum proinde ius ſupra illum eſt immortale & nunquam periturum: coniux verò per matrimonium ſe tradit alteri, vt homini mortali ac perituro, cuius proinde ius ſupra comparem eſt mortale ac caducum, & durans dumtaxat vſque ad mortem excluſiuè. Hinc vt ex radice prouenit, quod † matrimonium conſummatum impediat vim voti ſimplicis dumtaxat, quam tamen ſolemnis profeſſio penitus extinguit.

9

10

Hinc veniunt ſoluendæ tres aut quatuor quæſtiones. Prima eſt quando Religioſus Religionem laxiorem profeſſus, vouet ſe tranſiturum ad arctiorem, an ſuperior poſſit huiuſmodi votum relaxare per diſpenſationem aut irritationem. Secunda vtrum quis poſt votum ſimplex certæ Religionis, in aliam æquè arctam poſſit priuata authoritate ingredi, & in illa profiteri. Tertia vtrũ votum numquam ſe in arctiorem Religionem ingreſſurum, ſubſiſtat ac valeat? Quarta an Religionem voto ſimplici appetitam, qui in Epiſcopum fuerit electus, prius ingredi debeat?

Ad quarum ſingulas, ſigillatim eodem ordine eſt reſpondendum. Ad primam quidem Reſpondeo, poſſe Prælatum Ordinarium immediatum

(nedum

(nedum Prouincialem aut Generalem) dictum votum Religioso sibi subdito relaxare, non quidem irritando illud, sed ex legitima & rationabili causa dispensando : cum Soto *lib.7.de iustitia q.4.art.3.* Syluestro verbo *votum 4.q.3.dicto.6.* Paludani & Antonini sententiam secuto, Azorio *1.p.lib.11.cap.23.q.12.* & Turriano *22.q.88.art. 22.dubitat.2.* Ratio primi est, quia † ad irritandum vota requiritur potestas dominatiua supra personam vouentis & materiam voti ; Prælatus autem etsi habeat potestatem dominatiuam supra personam subditi vouentis arctiorem Religionem, non tamen supra materiam voti : quia arctior Religio est omnino extra eius potestatẽ, & additus ad illam permittitur Religiosis *in c. licet de regularibus*, independenter à licentia obtenta Prælati, sub cuius potestate viuunt in laxiori Religione. Dices, Pater potest irritare votum religionis simplex filio, ante decimum quartum annum completum, eò quòd habet potestatem dominatiuam supra personam filij licet non supra materiã voti: ergo similiter poterit Prælatus irritare subdito votum simplex ascendendi in altiorem Religionem, propter solam dominatiuam potestatem quam habet in personam. Respondetur, negando antecedens pro secunda parte. Neque enim potest Pater irritare votũ filij in eo casu, propterea quod habeat potestatem dominatiuam vtcunque in personam: alioquin etiam post completum decimum quartum annum posset tale votum irritare, siquidem etiam tunc, & quamdiu filius non est mancipatus, manet sub dominatiua parentis potestate : Sed quia habet tunc potestatem dominatiuam omnino expeditam, & filius pro tunc in ea materia scilicet deligendi statum etiam perfectiorem, est sub potestate parentis : bene tamen religiosus etiam professus in laxiori religione est sui compos & sui iuris, ad deligendam arctiorem ob dictam à iure Ecclesiastico permissionem. Ratio verò secundi est, quia in huiusmodi Prælatis Religionum ordinariis residet potestas dispẽsatiua, qua valeant dispensare ac relaxare ex causa rationabili quæcumque subditorum vota, eò quòd eo ipso quod exempti sunt, veluti antistites ordinarij suorum subditorum instituuntur, cum iurisdictione quasi Episcopali moraliter requisita, ad illius muneris executionem, ne deficeret eorum regimen in necessariis. In quibus procul dubio deficeret, si cum ipsa prælatura non acciperent à summo Pontifice talem dispensandi in votis subditorum potestatem. Sed neque hanc extendendam esse ad vota nouitiorum, optimè probant Suarius *lib.9. de Religione c.22.* & Turrianus *vbi supra conclusione 3.* eò quòd nouitij, neque domicilium neque statum mutant simpliciter, ac proinde neque subsunt potestati iurisdictionis Prælati, ac proinde neque dispensatiuæ : vnde sicut Prælatus non potest eorum vota irritare ob defectum potestatis dominatiuæ erga illos, vt bene notauit Nauarr. *in manuali cap.12.n.65.* ita neque potest eorum vota dispensare ob defectum potestatis dispensatiuæ erga eosdem. Quod intellige de lege ordinaria & iure communi : nam ex priuilegio posset oppositum contingere.

Pro cuius Doctrinæ maiori declaratione oportet adducere verba Angelici præceptoris, in corpore prælegati *art.* 81. vbi postquam distinxit
12 † tres casus, in quibus potest Religiosus laudabiliter de vna Religione ad aliam transire ; nimirum, vel zelo perfectioris Religionis; vel propter declinationem Religionis à debita perfectione; Vel Tertiò propter infirmitatem siue debilitatem ipsius Religiosi, subdit. *Sed in his tribus casibus potest esse differentia : nam in primo casu debet quidem propter humilitatem, licentiam petere quæ tamen ei negari non potest, dummodò constet illam Religionem esse arctiorem. Si verò de hoc probabiliter dubitatur, est in hoc superioris iudicium inquirendum, vt habetur* in c. licet de Regularibus. *Similiter requiritur superioris iudicium in secundo casu : in tertio verò casu est necessaria dispensatio* : intellige à summo Pontifice, cui dispensatio voti solemnis est reseruata.

Ad secundam quæstionem respondeo cum Azorio *vbi supra* negatiuè, eò quòd non licet priuata authoritate in aliam æquè strictam religionem ingredi ; sed ad id requiritur superioris authoritas, scilicet Episcopi, vel habentis quasi Episcopalem potestatem, aut etiam confessarij approbati gaudentis ad id huiusmodi priuilegio, cuiusmodi esse Fratres minores, & Prædicatores rite præsentatos & approbatos ad audiendas Confessiones, volunt Nauarr. & Turrianus *vbi supra* : Sed solius summi Pontificis, cui votum simplex religionis est reseruatum quoad dispensationem & commutationem. Dices; iste, qui voto simplici certæ Religionis, aliam æquè strictam ingreditur & in ea profitetur, commutat votum simplex in melius, hoc est in solemne votum religionis æqualis : quod etiamsi esset minus perfectæ Religionis, esse diximus fortius vinculum voto simplici arctioris : Sed ad commutandum quoduis votum in melius, sufficit priuata vouentis authoritas : ergo, &c. Respondeo commutationem hanc non esse in melius, sed in æquale bonum : quia licet votum solemne sit fortius vinculum ob rationem superius assignatam, si tamen est religionis æquè perfectæ cum altera voto simplici appetita, non censetur melius, sed æquale bonũ ex parte obiecti & materiæ cõmutationis: Neq; enim iste cõmutat votũ simplex emissum in solẽne, sed solẽne promissum vnius religiosi in solemne alterius æqualis. Ad commutationẽ autem voti in æquale requiritur Prælati authoritas, habẽtis, ad id potestatẽ ordinariã, aut ex priuilegio: vt Soto & Turrianus *vbi supra* notauit. Si tamen ipse tali voto simplici adstrictus, in Religione æquè perfecta professionem emittat, de facto sine obtẽta prius dispensatione, ea professio firma erit ac valida ex superius dictis. Quantum verò attinet ad Prælatum, qui potest facere potestatem religioso transeundi ad laxiorem, diximus solum summum Pontificem eam dare, præcipuè de iure ordinario, innixi verbis Concilij Trident. *sess.25.cap.19.* dicentis ; *Nemo regularis cuiuscumque facultatis vigore transferatur ad laxiorem Religionem, &c.* Quæ tamen interpretatur Nauarr *consilio 56.de regularib.* de facultatibus non iuridicis, & quæ dantur sine iusta causa, & sine ipsius vitæ prævia cognitione, & sine Prælati ac conuentus permissione. Vnde ibi concludit, fratrem Augustinianum potuisse de licentia sui Generalis præmissa, & scripta causæ legitimæ cognitione, in laxiorem religionem transire, eámque facultatem præcipuè quemcunq; Generalem suis subditis sic concedere, rite & validè probat Nauarrus *in cap.statuimus 19.q.3.& in cap.non est & cap.*

ſignificatum de regularibus, ex communiter recepta ſententia Innocentij, Hoſtienſis & Panormitani, cui libenter ſubſcribimus.

Ad tertiam quæſtionem reſpondeo; illud votum non valere, eò quòd eſt de re impeditiua melioris & maioris boni. Tum etiam quia perfectior Religio ad Religionem vt ſic, comparatur ſicut pars ad totum; eadem autem ratio iuris eſt de parte, atque de toto, vt habetur *in lege quæ de tota ff. de rei vendicatione, & in cap. paſtoralis de officio delegati.* Ergo ſicut votum nunquam ingrediendi Religionem, eſt irritum & inualidum; ita & votum nunquam aſſumendi Religionem arctiorem, eſt irritum & inane, cum Azorio *vbi ſupra* §. *quæres.* Sed contra obiicitur: quod hæc ſunt in religioſo viuente in religione laxiori vota æquiualentia: polliceor me ſemper in hac religione permanſurum, & polliceor me nunquam ſuſcepturum aliam Religionem arctiorem. Sed primum eſt validum, quia eſt quædam confirmatio præcedentium votorum, quæ in prima profeſſione emiſit, & habet pro obiecto perſeuerantiam in illa, quæ eſt ſufficiens materia voti; ergo pariter & ſecundum erit validum: patet conſequentia, quia de æquipollentibus eadem eſt ratio. Reſpondeo negando maiorem. Neque enim hæc duo vota æquipollentia ſunt, vtpote quoniam primum non impedit neque tollit tranſitum ad arctiorem religionem, ſicut impediret ſecundum ſi foret validum: indéque validum non eſt, quia eſt de re impeditiua maioris boni. Pro cuius maiori luce venit notanda doctrina Angelici præceptoris pluribus in locis, præſertim 1. *p. q. 95. art. 3. ad 4. 1. 2. q. 109. art. 10. in cor. p. & 2. 2. q. 137. art. 4. ad 2.* aſſerentis perſe-
13 uerantiam accipi † tripliciter: ſcilicet pro habitu moderatiuo triſtitiarum contra diuturnitatem inſurgentium, & pro habitu electiuo, videlicet eliciente propoſitum perſeuerandi in opere bono, & pro actuali continuatione boni vſque ad finem, ſiue provt perſeuerantia eſt circumſtantia omnium virtutum: fuitque in prima & ſecunda acceptione in proto-
14 parente † Adamo in ſtatu innocentiæ, quia ibi habuit omnes virtutes infuſas à Deo; de quarum numero eſt perſeuerantia habitus in duplici priori acceptione, ſed non habuit illam in tertia acceptione; quia licet habuerit donum gratiæ, quo poſſet perſeuerare, non tamen habuit id quo actu perſeueraret, ſiquidem de facto in peccatum lapſus dona iuſtitiæ originalis amiſit. Igitur votum quo Religioſus laxioris Religionis profeſſus promittit ſe in illa vſque ad mortem eſſe permanſurum, poteſt facere triplicem ſenſum iuxta triplicem perſeuerãtiæ aſſignatam acceptionem. Primus eſt quod promittat ſe fortiter contra triſtitias ex diuturnitate inſurgentes eſſe perſeueraturum. Secundus eſt quod promittat ſe permanſurum ex habitu in propoſito perſeuerandi. Tertius eſt quod promittat continuationem illius ſtatus vſque ad finem vitæ. Et quidem in primeo & ſecundo ſenſu, cum promittat ſpecialem virtutem moralem perſeuerantiæ, & opus illius, quod eſt ſufficiens materia voti: proculdubio votum firmum & ratum eſt, atque ſuperadditum votis ſolemnibus in profeſſione emiſſis: neque per illum impeditur tranſitus in arctiorem Religionem, ſicut neque per quodcunque opus alterius virtutis voto appetitum. In tertio autem ſenſu votum quidem firmum & ratum eſt, ſed nihil videtur ſuperaddere votis ſolemnibus in profeſſione emiſſis ex parte rei promiſſæ: quia quam continuationẽ & perſeuerantiã in eo ſtatu ſolemniter pollicitus fuit, eandem poſtea voto ſimplici confirmat, & quoniam neque per iſtud votum impeditur tranſitus in altiorem ſtatum, ideo ratum & firmum eſt, quemadmodum pro rato & firmo habetur illud, quo aliquis promittit ſe per totam vitam in Hoſpitali fore ſeruiturum, eò quòd eſt promiſſio Deo facta de meliori bono, id eſt de quodam bono & impeditiuo melioris & maioris boni. Liberum namque eſt, huic homini tali voto adſtricto in Religionem tranſire: per votum autem illud de non ingrediendo arctiorem Religionem ſi validum & obligatorium foret, re vera maneret talis vouens impeditus ad ingreſſum arctioris Religionis, quia hæc negatio eſt materia directa illius promiſſionis.

Ad quartam quæſtionem; Reſpondeo cum eodem Ioanne Azorio *vbi ſupr. q.* 13. affirmatiuè; & eſt expreſſa ſententia Angelici præceptoris 2. 2. *q.* 189. *art.* 3. dicentis; eum † qui ſe obligat 15
ad Religionis ingreſſum, teneri Religionem ingredi ſemper ſecundum quod ſe voto obligare intendit, vel abſolutè, vel ceſſante impedimento, vel impleta conditione; quia obligatio eſt de intrinſeca ratione voti. Et in ſolutione ad primũ ſubdit; hanc doctrinam eſſe in ſpecie noſtri caſus diffinitam *in capit. per tuas de voto & voti redemptione*: vbi Innocentius III. cuidam qui poſt votum Religionis Epiſcopatum aſſumpſerat, voto non impleto ſcribit, vt ſi ſuam ſaluare deſiderat animam, Eccleſiæ reſignaret, & redderet altiſſimo vota ſua. *Quod ſi capitulum Eccleſiæ Gebenſis* (concludit Pontifex) *te poſtmodum Canonicum duxerit eligendum, electionem recipere poteris de te factam.* Secundò probatur: nam votum ingrediendi emiſſum ab eo, qui iam Epiſcopali fungitur dignitate, obligat eum deſerere illam, & ad monachatum tranſire de licentia ſummi Pontificis, vt docet idem D. Th. ibi *q.* 185. *artic.* 4. & habetur *in cap. niſi cum pridem de renuntiatione*: vbi Innocentius III. ſubdit, quod facilius indulgetur, vt monachus ad Præſulatum aſcendat, quàm Præſul ad monachatum deſcendat. Et itèrum: *Si pennas habeas, quibus ſatagas in ſolitudinem auolare, ita tamen aſtricta ſunt nexibus præceptorum, vt liberum non habeas abſque noſtra permiſſione volatum:* Ex quibus verbis infert D. Thom. quod ſoli Papæ licet diſpenſare in voto perpetuo, quo quis ſe ad curam ſubditorum aſtrinxit, Epiſcopatum ſuſcipiens, per cuius authoritatem curam reg'minis aſſumpſit: & per eaſdem cauſas oportet rem diſſolui, per quas efficitur. Ergo à fortiori quis tenetur votum ſimplex Religionis implere, ante Epiſcopatus ſuſceptionem. Tertiò probatur à ſimili, nam ille qui nuptias puellæ promiſit, volens ſe in Religionem conferre, tenetur prius contrahere nuptias, & poſtea ſi velit, poterit Religionem ingredi *ex cap. commiſſum de ſponſalibus.* & qui iurauit ſe ſoluturum vſuras, cogitur eas ſoluere prius, ob iurãdi obligationẽ, ac poſtea concedi ei, illas repetere cum voluerit: Igitur pari ratione qui poſt votum emiſſum de ingrediendo religionem, eligitur in Epiſcopum, debet prius votum implere, & poſtea monachus factus poterit iure ipſo ad Pontificiam aſcendere dignitatem; neque hoc argumentum eneruatur per ſolu-

tionem

tionem Azorij dicentis, esse disparem rationem in primo casu; quia in illo qui post votum simplex Religionis, ad Episcopatum ascendit, non videtur votum violari, quia ad statum perfectiorem assumitur, in quo eminenter status Religionis continetur, ac proinde maius quid dat Deo, quàm promiserat. Atqui in primo casu iuuenis ille præcepto ac iure tenetur prius nuptias promissas contrahere, quàm Religionem ingrediatur, vt sic fidem Puellæ datam adimpleat: in
16 secundo autem † propter sanctitatem iuri iurandi, semper implendum est id quod iurando promisimus, quoties sine peccato id præstare possumus; & ideo vsuras iuramento promissas solui iura decernunt: non, inquam, eneruatur, quoniam cùm exempla non, omnem sed aliqualem debeant seruare similitudinem; satis est vt in præfatis seruetur in eo similitudo, quod in illis teneatur tam promittens quàm iurans prius promissũ præstare; ex quo à simili arguitur, quod etiã voto simplici adstrictus teneatur prius religionẽ promissam intrare, quàm ad Episcopatum ad quem est electus, ascendit. Neque obstat quod sit status altior, quia non est incompatibilis cum religionis statu; nam hoc assumpto, potest ad Præsulatum ascendere, facilius, quàm è præsulatu ad monachatum descendere. Vnde qui sic voto simplici Religionis astrictus, eligitur in Episcopum, tenetur antequam consentiat & electionem acceptet, votum suum adimplere. Neque in hoc euentu indiget consulere summum Pontificem, aut ab eo petere facultatem, vt minus scitè putauit Azorius: si verò electioni consentit, & eam acceptauit, & iam Episcopale munus suscepit, quæ fuit species casus dicti capituli *per tuas*, tunc in eo euentu tenetur votum adimplere faciendo totum quod in se est, hoc est consulendo Pontificem, & petendo ab eo facultatem ad ingrediendum in Religionem voto appetitam: ne fidei iam datæ suæ Ecclesiæ propria authoritate deficiat: & tunc Pontifex Romanus, eum in Ecclesia retinebit dispensando in voto, & eum à voti vinculo soluendo; vel ei liberam facultatem concedet Religionem suscipiendi, & Ecclesiam relinquendi, prout eius saluti & Ecclesiæ vtilitati vtilius futurum esse iudicauerit.

QVÆSTIO VIII.

Regularis.

De facultate regularium ad audiendas confessiones, in tres Sectiones diuisa.

SECTIO PRIMA.

Qua ratione mendicantes religiosi per sua priuilegia, & Confessarij Ordinarij ex priuilegio Bullæ Cruciatæ possint pœnitentes absoluere ab excommunicatione, nedum iuris, sed etiam ab homine imposita?

SVMMARIVM QVÆSTIONIS OCTAVÆ.

1 *Ex clausula Bullæ Cruciatæ datur facultas Confessario ad absoluendum ab excommunicatione & aliis censuris, præmissa satisfactione parti læsæ, & non aliàs.*

2 *Monitoria & censuræ latæ à iudicibus per mandatum de soluendo, vel de aliqua re facienda, sunt ipso iure nullius valoris, nisi temperentur per clausulam iustificatiuam.*

3 *Non comparere coram iudice latore censuræ siue monitorij, est non satisfacere illi, cui debet fieri satisfactio.*

4 *Inter excommunicationem latam à iure, & latam ab homine, qualis est differentia.*

5 *Nefas est restringere legem fauorabilem, ad id ad quod ipsa non restringit.*

6 *Bulla Cœnæ non pertinet ad ius commune, vnde neque in Corpore iuris, neque in eius extrauagantibus continetur.*

7 *Nullum priuilegium concedit facultatem relaxandi censuras, cum iniuria tertij.*

8 *Confessarius potest ex priuilegio, tollere censuras latas & reseruatas à iure.*

9 *Verba legis tantum valent, quantum sonant, & operantur quod significant.*

10 *Regularibus sufficit vnica approbatio ab Episcopo obtenta, ad audiendas Confessiones quorumcunque secularium eiusdem Diœcesis.*

11 *Omnes & singuli fideles in regnis in quibus priuilegium Bullæ Cruciatæ viget, possunt quemlibet Clericum Præsbyterum secularem ex approbatis ab ordinario eiusdem diœcesis eligere in Confessarium.*

12 *Quilibet regularis approbatus in suo ordine est eligibilis per Bullam Cruciatam, dummodo ordinario loci præsentetur.*

13 *Tres status facultatis mendicantium pro diuersis temporibus ad excipiendas secularium Confessiones.*

14 *Priuilegia, concessa regularibus ante Tridentinum Concilium quoad munus concionandi & audiendi Confessiones secularium, per idem tribus in locis reuocantur.*

15 *Approbatus ad audiendas Confessiones certi generis personarum, vel in certa Ecclesia, non censetur approbatus simpliciter.*

16 *Approbatus ab vno Episcopo non censetur approbatus ab ordinario in aliena Diœcesi.*

17 *Bulla Vrbani VIII. de reuocandis priuilegiis ordinibus concessis, non habet vim in Hispania, quia non fuit in ea recepta, neque ad praxim reducta.*

18 *Sententia lata à Sacra Congregatione, & quoad omnes partes à Pontifice confirmata, habenda est pro re iudicata, & res iudicata pro veritate.*

19 *Priuilegia Patribus Societatis* IESV *à Pontificibus concessa, audiendi confessiones secularium & absoluendi à reseruatis etiam in Bulla Cœnæ, recensentur.*

20 *Casus non est censura; ideoque dum prohibetur absolutio à casu reseruato, non prohibetur absolutio à censura, nisi ipsa quoque sit specialiter reseruata.*

21 *Omnis vsus Cruciatæ in ordine ad Sacramentum Pœnitentiæ prohibitus est à Pio V.*

22 *In dubiis benignior pars est sequenda.*

23 *In regularibus non exigitur alia approbatio ab ordinario, quàm approbatio ad audiendas secularium confessiones.*

24 *In regularibus vnica requiritur & sufficit licentia*

tia, reſpectu eiuſdem diœceſis.

25 *Subrogatum debet ſapere naturam illius, cuius loco ſubrogatur.*

26 *Adidem munus viſitationis poſſunt duo Prælati ſub diuerſis titulis & rationibus obligari.*

27 *In Religionibus, vbi frequens caſuum reſeruatio, ibi iugum Dei intolerabile.*

28 *Leges communes reuocantur per poſteriores, quoties prior nequit compati cum poſteriori.*

29 *Princeps plurima peccata tum omiſſionis tum commiſſionis in regimine perpetrat.*

30 *Propriy muneris Confeſſoris eſt interrogare pœnitentem, quando ſcit vel dubitat eum omittere aliquid neceſſariò in Confeſſione pandendum.*

31 *Abuſus Sacramentalis iudicis eſt Sacrilegium, ideóque peccatum mortale, nolle interrogare de neceſſariis.*

32 *Sacerdos qualis debet eſſe.*

33 *Confeſſoris munus duplex; iudicis ſcilicet & medici.*

34 *Confeſſoris Regij munus eſt inſtruere Regem de neceſſariis ad ſalutem, eúmque commonere de defectibus in regimine Reipublicæ nociuis.*

35 *Defectus mali regiminis oritur, aut ex malitia aut ex ignorantia.*

36 *Ex ſacris literis humanísque hiſtoriis conſtat, miniſtros Dei quandoque Deo iubente, ſæpe autem volente, Principes ſuos de occultis delictis grauiter obiurgaſſe.*

37 *Franciſcus de Paula acriter obiurgat Regem Neapolitanum & aliquot Reges Galliæ ob peccata occulta in populi regimine commiſſa.*

38 *Mors Alphonſi II. Regis Neapolitani ſine corona, propter inſolitas gabellas quibus populos vexabat.*

39 *Franciſcus de Paula reſpuit magnam auri copiam ei à Galliarum Rege Ludouico XI. oblatam pro ædificando magno conuentu; dicens non eſſe congruam Eleemoſynam ſanguinem pauperum ad templorum conſtructionem.*

40 *Confeſſio Ludouici XII. Galliarum Regis de S. Franciſc. de Paula.*

41 *Quilibet Rex profitetur triplicem artem, Ethicam ſcilicet, Politicam & Oeconomicam.*

42 *In vnaquaque ex his tribus poteſt delinquere.*

43 *Rex accedens ad tribunal Sacræ confeſſionis tenetur confiteri vt triplex perſona.*

44 *Regem à piaculo non excuſat vulgaris ſententia dicentium* : vitia non Regi ſed Miniſtris ſunt imputanda &c.

45 *Rex quales debet habere Miniſtros.*

46 *Facientes & conſentientes diuino & humano iure eadem pœna plectuntur.*

SANE' peruetuſta quæſtio, ſed à nemine quem viderim ſatis enucleata. In qua inuenio Nauarrum quandoque in vnam, quandoque in contrariam partem inclinantem: duæ namque ſunt opiniones ſibi aduerſantes. Prima negans eſt quam tuentur quamplures ex Theologiæ, & Iuris canonici profeſſoribus. De quorum numero ſunt Suarius *de cenſuris diſput. 7. ſectione 2.* Vazquius *in opuſculis de excommunicatione dubio 19.* Et in eandem inclinat Nauarrus *lib. 5. conſiliorum titulo de ſententia excommunicationis conſilio 49.* ibi: *Quintò quod cum ab excommunicatione ſpecialiter ab homine lata, non poſſit abſoluere niſi lator eius, vel ſucceſſor, vel ſuperior, neque illi poſſunt id facere, niſi ſatisfacta, vel conſentiente parte aduerſa: nam neque Papa facit, neque eſt facile illam habere ſiue impetrare ab alio, ſatisfactione non præmiſſa.* Quæ ſententia poteſt ſuaderi: Primo † ex clauſula ipſius Bullæ Cruciatæ, quæ ampliſſimum eſt priuilegium ſupra cuncta ordinibus mendicantibus conceſſa: in illa enim datur facultas Confeſſario ad abſoluendum ab excommunicatione & aliis cenſuris, præmiſſa ſatisfactione parti leſæ & non aliàs, ſub his verbis: *Y en caſſo que ſea neceſſario ſatisfaccion para conſeguir la dicha abſolucion* (intelligè à cēſuris de quibus præceſſerat ſermo) *la agan porſus perſonas, y auiendo impedimento la puedan haſer ſus herederos, ò otros per ellos &c.* Atqui omnis excommunicatio latæ ſententiæ impoſita ab homine petit ad ſui abſolutionē ſatisfactionem faciendam iudici imponenti illam: quæ fieri exactè nequit niſi recurrendo ad ipſum, comparendo coram illo, ac petendo ab illo abſolutionem: eò quòd huiuſmodi iudices regulariter ſolent incipere iudicium ab executione, provt videre licet in tribunali ſcholaſtici Salmantini, qui eſt iudex Apoſtolicus, & de more habet præcipere citato, vt ſoluat ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, ſed cum adiecta clauſula iuſtificatiua, vt intra certum tempus compareat cauſam allegaturus, ob quam ſoluere non debet, aut non poteſt: & interdum citat debitorem, ſiue reum ſub pœna excommunicationis latæ, vel ferendæ ſententiæ, vt compareat reſponſurus actori petenti eum citari, & poſtea contumacem declarat incurriſſe excommunicationem, aut illum excommunicat, provt exigit formula præcedentis citationis. Dixi *cum clauſula iuſtificatiua*; nam † monitoria & cenſuræ 2
latæ à iudicibus per mandatum de ſoluendo, vel de aliqua re facienda ſunt nullius valoris ipſo iure, niſi tēperentur per illam clauſulam iuſtificatiuam, *ſi te grauatum ſenſeris, intra tot dies compareas rationem tui grauaminis redditurus*: per quam mandatum executiuum reſoluitur in citatorium ex communiter recepta Doctrina Baldi *in lege 1. C. de re iudicat. n. 14.* & duplici gloſſa ſingulari, altera *in c. ex parte de verborum ſignificat.* & altera *in lege de pupillo §. meminiſſe ff. de noui operis nuntiat.* quam refert & ſequitur Nauarrus in relectione capitis *cum contingat, de reſcriptis. & lib. 5. conſiliorum, titulo de Clerico non ordinato miniſtrāte, conſilio 13.* & *tit. de ſententia excommunicationis, conſilio 35.* Atqui in his caſibus † non comparere 3
coram iudice latore cenſuræ ſiue monitorij, eſt non ſatisfacere illi, cui debet fieri ſatisfactio: clauſula namque Bullæ recenſita, cui ſimiles clauſulæ aliorum priuilegiorum conformantur, exigens ad abſoluendum à cenſura præmiſſam ſatisfactionem, non reſtringitur ad ſatisfactionem faciendam actori; ſed cùm abſoluta & indefinita ſit, æquipollet vniuerſali, omnem ſatisfactionem tam iudici quàm parti faciendam comprehendit: igitur ante huiuſmodi comparitionem per nullum priuilegium poteſt ab impoſita cenſura reus abſolui. Secundò probatur, quia frequenter iudex reſeruat ſibi abſolutionem à cenſura impoſita, provt nuper Scholaſticus Salmantinus reſeruauit ſibi abſolutionem ab excommunicatione latæ ſententiæ, quam contra ſtudentes portantes intra ciuitatem arma ignea

ſiue

siue sclopos,& eis vtentes,promulgauerat.Idque iustè facere potest ob rationabiles causas,& eam reseruationem faciendo vtitur iure suo.Si autem virtute tam vulgarũ & frequentiũ priuilegiorũ, vt sunt concessa mendicãtibus & Bullæ Cruciatæ,possent rite absolui sic excõmunicati;duo sequerentur inconuenientia;nimirũ quod daretur bellum iustũ ex vtraq;parte: & quod eluderetur iudicium,& frustrarẽtur sententiæ iudicũ Ecclesiasticorũ. Quæ duo repugnant iuri naturali,cui nullũ priuilegium derogare potest:ergo. Tertiò probatur:quoniam excommunicatus ab homine non potest absolui virtutæ Bullæ Cruciatæ nisi præuia satisfactione,sicut neq;excommunicatus à iure, quandoquidẽ vtraq; excommunicatio in hoc purificatur.Sed qui sic excõmunicatur ab homine per monitorium obligans ad comparendũ, si nec soluat debitum,nec compareat, non satisfacit parti aduersæ:quia vtraq;satisfactio est illi debita,nimirum solutio,& in eius defectũ comparitio:ac proinde si non soluat cũ effectu tenetur comparere,& comparẽdo satisfacit monitorio, túncque & non ante potest absolutionem obtinere. Igitur si monitorium tantùm sit de comparendo, vel de aliqua re facienda ante obtentam absolutionem, debet præmitti satisfactio iudici per debitam obedientiam comparendo coram illo, & petendo absolutionem ab illo,aut ab altero ex illius commissione.

Quæ omnia amplius confirmantur ex eo,quod de excommunicationibus latis ab homine decernitur in iure *c. nuper de sententia excomm.*§.4. quod non possint absolui nisi à Iudice qui illas
4 tulit,vel ab eius superiore.Vbi ponitur†hoc discrimen inter excommunicationem latam à iure, & latam ab homine,quod illam potest relaxare Episcopus siue parochus:hanc verò solus Iudex eam ferẽs,vel eius superior relaxare valet.Quod colligitur etiam ex *c.inferior d.27.c.verbũ,de pœnitẽtia,d.1.cap.prudẽtiã de offic.delegati,c.ad reprimendam,& cap. Pastoralis §.præterea de offic.ordin.* adstruentibus censuram puta latam ab homine, ab eo tollendã esse à quo lata fuit:eò quòd non minor requiratur iurisdictio ad absoluendum quàm ad ligandum, & inferiorem non posse in censuram latam à superiori.Sed verba priuilegij accipiẽda sunt sicut verba iuris communis,quãdo in priuilegio non adhibentur cũ speciali cautela,vt re vera non adhibentur in Bulla Cruciata: ergo facultas illa absoluendi ab omnibus censuris intelligenda est,seruata forma iuris communis:maximè quando Iudex ferens censuram,eius absolutionem sibi reseruat,quia tunc si inferior absolueret,turbaretur Tribunal Iudicis,quod est contra iuris intentionẽ in textibus præallegatis.

Verùm secunda sententia affirmans est veritati conformior,& à nobis statuitur pro cõclusione, cum eodẽ Nauar. *tit.cit.de sentent.excomm.consil.* 47.& *in manuali,c.*27. cum Cornejo 3.*p. tract.*5. *de excomm.disp.*11.*dub.*3.Sa *V.absolut.ab excomm.* n.15.Coninc.*disp.*14.*de censuris dub.*16.Henriq. *lib.*13.*c.*28.Auila *de censuris p.*2.*c.*7.*disp.*1.*dub.*8. Laym.*tract.*5.*p.*1.*c.*7.Hurtad.*de excomm.disp.*15. *diffic.*6.Dian.*p.*7.*tract.*9.*resol.*4.& præpositio 3.*p. q.*1.*de censuris in cõmuni dub.*1.Probatúrq;primò ex ipso contextu Bullæ Cruciatæ adducto: in quo datur facultas confessariis ad absoluendum pœnitentes à quibuscumque censuris etiam reseruatis Sedi Apostolicæ: Confessariis inquam approbatis per ordinarium. Quæ propositio cum sit vniuersalis,intelligenda quoque est vniuersaliter de omnibus censuris siue à iure, siue ab homine latis:† Nec enim fas est restringere 5
legem fauorabilem ad id ad quod ipsa non restringit. Similem clausulam habent priuilegia mendicãtibus concessa,& Iubilea specialia à Sede Apostolica pro aliqua graui necessitate emanantia: igitur virtute illius poterit absolui excommunicatus ab homine,non minus quàm excommunicatus à iure, sine recursu ad latorem, dummodo parti læsæ satisfaciat.Secũdò probatur ex formula absolutionis virtute Bullæ Cruciatæ impendendæ semel in vita,& iterũ in articulo mortis pœnitentibus, quæ est sequentis tenoris. *Por la authoridad de Dios todo poderoso, y de los bienauenturados Apostoles S. Pedro, y S. Pablo,y de nuestro muy Santo Padre,a ti concedida, y a mi cometida,Yo te absuelbo de toda censura,de excommunion mayor,ò menor,suspẽssion,o entredicho* à iure,vel ab homine,*y de todas las otras censuras, y pœnas en que por qualquier causa ayas incurrido, aunque la absolucion de ellas sea reseruada a la Santa Sede Apostolica, segun por esta te es concedida. &c.*Ergo si ita est,sicut per hæc verba significatur,cum signficetur expressè per illa dari facultatem confessario virtute Bullæ ad absoluendũ pœnitentem ab omnibus censuris latis siue à iure,siue ab homine: hoc pro certo tenendum est, ne dicamus frustratoriam esse formam absolutionis faciendæ virtute Bullæ,quia eius verba significant quod non operantur,nimirum absolutionem censuræ latæ ab homine.

Tertiò probatur;nam in dicta clausula Bullæ Cruciatæ datur confessario facultas absoluẽdi à quibuscũq;censuris etiã reseruatis Sedi Apostolicæ,etiã contentis in Bulla Cœnæ:contenta autem in Bulla Cœnæ reputantur inter censuras latas ab homine,eò quòd †Bulla Cœnæ nõ per- 6
tinet ad ius commune; vnde neque in corpore iuris, neque in eius extrauagantibus continetur, & aliàs singulis annis in die Cœnæ Dominicæ promulgatur tanquam sententia ab homine lata, hoc est à Summo Pontifice edita de nouo,quasi per annum duntaxat duratura: ac proinde eius censuræ potius ab homine quàm à iure reputandæ sunt,eadémque ratio videtur esse de quibuscumque aliis ab homine latis:ergo. Quartò probatur,quia excõmunicatus generaliter ab homine potest considerari,vel ante denuntiationẽ,vel postquam fuerit denuntiatus. Si ante denuntiationem,perinde absolui potest atque excommunicatus à iure, vt probat Nauarr. *in dicto c.*27. *Manualis n.*44. quia tunc nulla per talem absolutionem iudici irrogatur iniuria,& in hoc par ratio est in tollendo excommunicationem latam ab homine, siue latam à iure. Si autem postquam fuerit denuntiatus, vel notorius Clerici percussor,adhuc per Bullam Cruciatam & similia priuilegia potest absolui satisfactâ parte,intellige quantum ad forum conscientiæ tantum: eò quòd in eis conceditur facultas generalis & indefinita, absoluendi excommunicatos à iure, siue ab homine, præmissa satisfactione partis absque vlla exceptione, quæ proinde æquipollet vniuersali, iuxta glossam solemnem *in cap. vt circa de electione in sexto,* & *cap.solitæ de maioritate & obedientia.* Quare vbi priuilegium(sicuti & lex) non distinguit neque excipit, neque nos distinguere, aut excipere debemus. Vltimò probatur: nam potens absoluere ab excommunicatione lata à iure non reseruata, pariter & potest absoluere à lata ab homine non reseruata:

lata, inquam, ab homine per ſententiam generalem quæ ſe habet per modum præcepti : eadem enim militat ratio in vtraque. Ergo pariformiter potens abſoluere ex priuilegio Cruciatæ, aut alio ſimili ab excommunicatione reſeruata lata à iure, erit potens abſoluere ab excommunicatione lata ab homine reſeruata in foro tantum conſcientiæ. Conſequentia patet ; nam ſicut ſe habet ſimpliciter ad ſimpliciter, ita magis ad magis : & conſequeetia quæ ſine addito eſt bona, etiam tenet cum eodem addito.

Argumentis contrariæ opinionis ſit ſatis.

AD primum pro contraria opinione nego minorẽ: imò in illa clauſula, *ſatisfacta parte*, nomine partis intelligi non Iudicem, ſed ſolum creditorem, etiamſi lex vel ſtatutum iubeat aliquam pœnam pecuniariam ei ſolui, quia hanc non tenetur reus in conſcientia reddere, niſi poſtquam per ſententiam damnetur, docent Henriquez *lib. 7. cap. 13.* Villalobos *in ſumma tomo 1. tract. 16. difficul. 20.* & Diana *part. 5. tract. 9. reſolut. 1.* Sed neque turbatur aut læditur tribunal iudicis, dum ſic excommunicatur in foro tantum interno, cum cautione fideiuſſoria, vel iuratoria, vel pignoratitia comparendi quamprimum potuerit coram iudice & ſtandi iudicio, ad quod per ſententiam ſpecialem in caſu particulari ſub pœna excommunicationis vocatur: nam de excommunicato à iudice per ſententiam generalem minus eſt dubium, cum per huiuſmodi abſolutionem ex priuilegio conceſſam nulla iudici aut tribunali iniuria irrogetur, aut turbatio ſequatur : Vt ſi dicat iudex. Nullus ſcholaſticus in ſcholam, aut Clericus in Eccleſiam ſub pœna excommunicationis latæ & mihi reſeruatæ, cum armis ingrediatur : quia vtens priuilegio ſuperioris, vtitur iure ſuo, ideoque nullam irrogat iniuriam iudici inferiori ſuam cenſuram reſeruanti, cuius reſeruatio contra ſuperioris prælati maximè ſummi Pontificis priuilegia præualere non poteſt. Cum quo tamen ſtat, quod quando in caſu particulari iudex Eccleſiaſticus procedit contra perſonam particularem, eam per monitorium vocans, & cõpellens ſub pœna excommunicationis ad comparendũ, vel creditori ſatisfaciendum, & non comparentem vt rebellẽ declarat excommunicatũ. In priori caſu nõ poſſit abſolui à confeſſario ab illa pœna ſiue cenſura comminata, ſicut neq; à vinculo obedientiæ: quia talis abſolutio eſſet iniurioſa iudici & tribunalis turbatiua; in quo caſu loquuntur textus citati, dũ decernunt cenſurã latam ab homine à nullo alio poſſe relaxari, præterquã à Iudice eã ferente, aut
7 eius ſuperiori. Nec enim † vllum priuilegiũ concedit facultatem relaxandi cenſuras cum iniuria tertij. In poſteriori autem caſu, in quo reus declaratur excommunicatus, v.g. propterea quòd non comparuit, vel actori debitum ſoluit, parte ſatisfacta abſq; tribunalis præiudicio poterit abſolui à confeſſario, & nõ aliàs, quia ſic & non aliter priuilegia concedũt abſoluẽdi facultatẽ. Et in vtroque euentu, ſi ob infirmitatem, vel loci diſtantiã, vel inopiã non valeat comparere, aut actori petenti debitum ſatisfacere, & occurrat neceſſitas recipiendi Sacramenta pœnitentiæ, & Euchariſtiæ, poterit à confeſſario abſolui virtute Bullæ Cruciatæ, vel ſimilis priuilegij, data prius cautione pignoratitia, vel fideiuſſoria, vel ſaltim iuratoria de comparendo ſiue de ſoluendo debitum: eò quòd huiuſmodi cautio vicem habet ſatisfactionis in eo, qui impotẽs eſt de præſenti ad realem ſatisfactionem; nemo enim ad impoſſibile tenetur, per tradita à Nauar. Medina, Suario *vbi ſup.* Roder. *in Bulla Cruciata, §. 9.* Ioanne de la Cruz, *in directorio conſcientiæ, p. 2. de excommunic. dub. 5.* Turriano *de cẽſuris lib. 2. diſp. 39. dub. vltimo.* Ioanne præpoſito *p. 3. q. 1. de cenſuris, dub. 15.* & Villalob. *in loc. cit.* & aliis, quos plena manu congeſſit Diana *in dicta reſolut. 1. de excommunic.*

Ad ſecundum nego minorem; quia illæ cenſuræ feruntur & reſeruantur à Iudice per ſententiam generalem, quæ proinde pariter tolli poſſunt à confeſſario, qui † ex priuilegio poteſt tollere cenſuras latas, & reſeruatas à iure : & cum 8
tollantur in ſolo foro interno, nullum præiudicium ex hoc Tribunali aut iudici infertur, vtpote qui in foro externo adhuc punire poterit reos ſic abſolutos: eo vel maximè, quod eius reſeruatio non habet vim contra ſuperiorem auctoritatem, qualis eſt Summi Pontificis priuilegium concedentis. Ad tertium patet ex ſolutione primi, quod procedit de cenſura lata à Iudice per ſentẽtiam particularem, & contra determinatam perſonã: de qua procedũt iura citata in cõfirmatione.

SECTIO SECVNDA.

Quo pacto ſit hæc facultas regularium ab Epiſcopo independens?

PRo huius facultatis, iuriſdictioniſque, poteſtatis, quam regulares habent ad audiendas Confeſſiones ſecularium independenter ab Epiſcopo diœceſano, declaratione, ſequentes ſtatuo concluſiones.

Dico primo : huiuſmodi iuriſdictionem & facultatem eſſe perpetuã à Papa regularibus conceſſam, cum ſola hac conditione præſentandi ſe diœceſano, ſiue ordinario loci ante Concilium Trident. quæ aſſertio deducitur *ex c. ſuper Cathedram extra de ſepulturis*, & Clementina *dudum de ſepulturis*, vbi Bonifac. VIII. & Clemens V. concedunt mendicantibus ſpecialiter tamen & expreſsè Dominicanis & Franciſcanis, abſolutam & perpetuam ſine vlla limitatione facultatem excipiendi ſecularium confeſſiones, hac dũtaxat ſeruãdâ conditione, quòd ſe ordinario loci præſentent, cuius incolæ fuerint: † verba autem legis 9
tantum valent quantum ſonant, & operantur quod ſignificant: ergo, &c. Quamuis autem dicta Clementina de Dominicanis & Franciſcanis, tantùm mẽtionem faciat, eiſq; ſolis expreſsè videatur concedere hãc facultatẽ, quæ proinde de iure communi eis ante Tridentinũ competebat: verũtamen poſtea Extrauagans, *frequẽtes de iudiciis*, eiuſdem Clementinæ conceſſionẽ ad omnes quatuor mẽdicantes ordines extẽdit. Rurſus etiã virtute priuilegij cõmunicationis contẽti, in mari magno ad eos & cæteros mẽdicãtes extẽditur.

Dico ſecundo; poſt Concil. Trident. requiritur inſuper alia conditio; nimirum, pro prima vice approbatio ab Epiſcopo diœceſano per examẽ facienda, provt ipſi placuerit: nam *in ſeſſ. 23. c. 15. eiuſdẽ Synodi* ita habetur: *Decernit Sãcta Synodus, nullum etiam regularem poſſe confeſſiones ſecularium etiam Sacerdotum audire, nec ad id idoneũ reputari, niſi aut parochiale beneficium, aut ab Epiſcopis per examen ſi illis videbitur eſſe neceſſarium, aut aliàs idoneus iudicetur, & approbationem quæ gratis detur, obtineat.* Sufficere autem vnam, hoc eſt primam approbationem ab Epiſcopo obtentam pro regularibus, vt poſtea quorumcumque

cumque ſecularium eiuſdem diœceſis poſſint audire confeſſiones, patet: tum quia vnica tantùm approbatio à Concilio in præfatis verbis exigitur ac deſideratur, vt abſolutè & ſine vlla limitatione ac reſtrictione ſecularium confeſſiones audire queant: Tum etiam quia in Bulla Cruciata plumbea & originali quam ego ſæpius legi, habeatur in clauſula illa qua conceditur facultas eligendi confeſſarium &c. quòd virtute Bullæ poſſit quis eligere confeſſorem ex approbatis ab ordinario, & quoad regulares, quod poſſint eligere eum qui ſemel approbatus fuerit ab ordinario. Quo tenore verborum haud obſcurè denotatur, quod ſi virtute Bullæ Cruciatæ eligit confeſſorem ſecularis, debet eſſe approbatus nedum ab Epiſcopo diœceſano vita functo, ſed etiam à ſucceſſore præſenti: ſi verò eligit confeſſorem ex regularibus, ſatis erit quod ille fuerit ſemel approbatus à diœceſano ſiue præſenti, ſiue prædeceſſore: ergo ſignum
10 eſt quod † regularibus ſufficiens erat vnica approbatio ab Epiſcopo obtenta, ad audiendas confeſſiones quorumcumque ſecularium eiuſdem diœceſis, iuxta Cõcilij Tridentini diſpoſitionem.

Sed rogabis vtrum religioſus approbatus ab Epiſcopo vnius Diœceſis, ſi tranſeat ad alienam, tenetur adire examen coram Epiſcopo Diœceſis ad quam tranſit, & obtinere approbationem ab illo, vt legitimè poſſit confeſſiones ſæcularium audire. Rurſus, vtrum Epiſcopo ſuſpendente licentias & facultates omnibus confeſſoribus ſuæ diœceſis, ac reuocanti illas, quouſque dictam approbationem obtineant, teneatur dictus religioſus eam reuocationem, aut ſuſpenſionem habere pro rata & valida, itavt rite non poſſit nec debeat contra illam operari.

His duobus quæſitis reſpondet tertia concluſio ſub hac forma.

Neutiquam dicto religioſo ſuffragatur prima approbatio vnius diœceſani, ita vt non indigeat obtinere ſecundam ab Epiſcopo alterius diœceſis, in qua modò habet domicilium: ac proinde ſuſpenſio, aut reuocatio facta ab Epiſcopo valida eſt, & ſi fiat quoad omnes, ipſum comprehendit. Ideò concluſio ſtatuitur vt probabilis dumtaxat, & colligitur ex quadam conſtitutione Pij V. in Bulla quæ ab ipſo emanauit anno 1569. in qua explicans & reſtringens præfatum decretum Concilij Tridentini circa regulares eligendos ad audiendas ſæcularium confeſſiones, decernit; quod ſemel approbatus in vna diœceſi nõ teneatur ſubire examen in eadem diœceſi & coram eodem Epiſcopo, ſubindicans proinde, quod mutato Epiſcopo, aut mutata diœceſi tenetur ſubire nouum examen, ſi ad illud vocatus fuerit ab Epiſcopo. Quod ad praxim noſtris temporibus Dom. Chriſtophorus Delobera primum Cordubæ, deinde Plaſentiæ Epiſcopus, motibus propriis à Sede Apoſtolica obtentis, confirmantibus de nouo dictam Pij V. conſtitutionem, virtute quorum & authoritate in eiſdem ad id ſibi Apoſtolicâ conceſsâ licentiâ, cunctis confeſſariis vnius & alterius Diœceſis ſucceſſiuè ſuſpendit, & reuocauit, donec ab illo per examen præuium approbationem obtinerent. Contra quam ſuſpenſionis & reuocationis ſententiam regulares non fuerunt auſi operari, ſed quidem obedientiam præſtantes coram illo examen ſubierunt; quidam autem vt Dominicani à confeſſionibus audiendis & concionibus faciendis populo conſtanter abſtinuerunt, nec ſine ſuorum conuentuum temporali iactura, nec ſine populi dolore.

Sed rigidam nimis hanc & aliorum Prælatorum fuiſſe ſententiam, nuper huiuſmodi licentias regularibus aliàs approbatis ſuſpendentem, & in his regnis non ſine ingenti ſcandalo populi, & religionum turbatione executioni mandatam, ipſe rei euentus probauit. Bulla autem ipſa Pij V. cui innitebantur, nullum eorum ſuaſioni potuit fundamentum præbere: nam hæc & aliæ quas edidit dictus Pontifex in fauorẽ ſtatus ordinum mendicantium fuerunt per eius ſucceſſorem Gregorium XIII. moderatæ, & ad iuris communis & terminos Concilij Tridentini redactæ, prout conſtat ex ipſa Bulla Gregor. à Nauar. tranſcripta *in manuali latino ad calcem capitis vltimi*, quæ incipit; *In tanta negotiorum mole*. Et infra. *Nos hac varietate cognita &c. ſtatuimus de prædictis & aliis omnibus litteris & conſtitutionibus, quæ ab eodem prædeceſſore eiſdem de rebus pro quorumcũque regulariũ etiam mendicantium ordinibus & congregationibus quomodolibet emanarunt, ac omnibus & quibuſcunque in eis contentis, eam deinceps diſpoſitionem atque deciſionem pro ſubiecta materia futuram eſſe, quæ ſiue ex iure veteri, ſiue ex ſacris dicti Concilij decretis, ſiue aliàs, legitimè ante dictarum litterarum & conſtitutionum editionem erat, & ſi ipſæ non emanaſſent futura fuiſſet: ad quam diſpoſitionem & deciſionem ſuúmque priſtinum ſtatum illa omnia reducimus; quin etiam abrogamus omnia irritantia, & alia decreta, & quæcumque aliæ noſtris ſtatutis, ordinationi, & reductioni aduerſantia, decernentes illa pro infectis haberi &c.* Præter hanc reductionem dictæ conſtitutionis Pij V. ad terminos iuris communis & Concilij Tridentini, cuius præfati Prælati ignari non debebant eſſe, fuit etiam pro parte Catholici Hiſpaniarum Regis Philippi II. per eius Ambaſſatorem ſupplicatum, coram eodem ſummo Pontifice à dicta conſtitutione, vt eã melius informatus vellet pro his ſaltem Regnis reuocare. Quæ ſupplicatio neque debuiſſet eoſdẽ Prælatos latere. Et aliàs cũ eſſet ſuper conſtitutione contraueniente Concil. Trident. in Hiſpania generaliter recepto, & cuius obſeruãtia cunctis Principibus Chriſtianis in eiuſdẽ Cõfirmationis Bullæ sũmo opere commendatur, operabatur effectũ ſuſpenſiuum: prout latius docuimus *in quæſtione ſelecta de appellationibus*, quibus adiũgere placet illa quæ docet Nauarrus *in manuali c. vltimo, Miſcellaneo primo, de præſentatione confeſſariorum regularium*; nimirum quod ſecũdũ terminos iuris communis in dicta Clementina *dudum*, & Concilio Lateranenſi ſub Leone V. *ſeſſ. 11.* tenentur Prælati ſuos religioſos coram Epiſcopis, ſiue ordinariis præſentare, vt de eorum beneplacito poſſint in ipſorum Diœceſibus liberè ſubditorum confeſſiones audire, & eos abſoluere à peccatis, ſalutari impoſita pœnitentia, &c. Quâ præſẽtatione ſemel & rite facta, ſi Epiſcopus nolit ſine iuſta cauſa præſentatum ad prædictum munus admittere, poterit religioſus ſic præſentatus exercere dictum munus, perinde ac ſi fuiſſet admiſſus, ex præfata Clementina §. *ſi vero*. Nec obſtat clauſula, citata ex Tridentino *c. 15. ſeſſionis* 23. propter tria. Tum quia huiuſmodi præſentatus & ſine iuſta cauſa ab Epiſcopo reiectus, habetur pro approbato ab illo, non ſecus atque religioſus petens licentiam tranſeundi ad regulã ſtrictiorẽ, & ſine iuſta cauſa negatam

negatam, habetur pro licentia donato, ex *cap licet de regularibus.* Tum etiam, quia non eſt credendum, Concilium Tridentinum voluiſſe. derogare iuri communi Clementinæ *dudum*, & conciliari Synodi Lateranenſis *vbi ſupra*: quod nunquam cenſetur derogatum, niſi fiat de illo expreſſa mentio, ſecundum doctrinam communiter receptam Archidiaconi *ſuper cap.* 1. *de conſtitut. in Sexto & Felin.* in cap. *nonnulli de reſcriptis.* Tum denique quia oportet concordare iura, quoties ad concordiam reduci valent, ex cap. *cum expediat de electione in ſexto. & leg. præcipimus de appellationibus*; vt vitetur correctio iuris quæ eſt odioſa; iſta autem admittunt hanc concordiam, videlicet quod diſpoſitio Tridentini limitetur per duo priora, ob rationem ſpecialitatis in eis adductam, ſcilicet, *ad frænandam aliquorum Epiſcoporum duritiem*, vt *in cap.* 1. *de ſupplenda negligentia prælatorum* decernitur. Nam contingit quandoque leges etiam poſteriores limitari per priores, ex *lege ſed & poſteriores ff. de legibus.*

SECTIO TERTIA.

Quis virtute Bullæ crucatæ poſſit Confeſſarium eligere, & quis in confeſſarium eligi poſſit?

PEræ precium eſt clauſulam Bullæ, in qua hoc priuilegium conceditur & fauorabilis facultas eligendi confeſſarium, ad huius quæſtionis declarationem, in medium proferre: quæ in originali Bullæ ſic habet. *Item quò omnes & ſinguli prædicti purius ad Deum preces fundere, & efficacius diuinùm auxilium implorare poſſint, conceditur vt poſſint eligere confeſſorem ſecularem, vel cuiuſcumque etiam mendicantium ordinum regularem ex iis qui ab ordinario, & quoad regulares ſemel tantum approbati fuerint, & ab eo quorumcumque peccatorum & cenſurarum (etiam Sedi Apoſtolicæ & in Bulla Cœnæ Domini reſeruatarum) plenariam indulgentiam & remiſſionem ſemel in vita, & ſemel in mortis periculo. Aliorum verò Sedi Apoſtolicæ non reſeruatorum &c. toties quoties confitebuntur, abſolutionem & remiſſionem mediante ſalutari pœnitentia ſecundum culparum exigentiam obtinere.* Ex quibus verbis ſequentes placet deducere aſſertiones.

11 Prima eſt, quod † omnes & ſinguli fideles in regnis, in quibus priuilegium Bullæ cruciatæ viget, poſſunt quemlibet Clericum præsbyterum ſecularem ex approbatis ab ordinario eiuſdem diœceſis eligere in confeſſarium, eiuſdem inquam diœceſis, cuius eſt pœnitens: eò quòd ſic fuit declaratum non ſemel, aut iterum à ſacra Cardinalium congregatione, & pluribus Hiſpaniæ Epiſcopis reſcriptum. Intellige etiam ex approbatis ſimpliciter quoad tempus, & quoad perſonas. Vnde approbatus ad audiendas confeſſiones duntaxat fœminarum, aut religioſorum, non eſt eligibilis virtute Cruciatæ, quia non eſt approbatus ſimpliciter; bene tamen approbatus ad audiendas confeſſiones virorum vt ſic: quia iſte cenſetur approbatus ſimpliciter, & habens ſufficientiam ad audiendas confeſſiones virorum quorumcumque ſtatus, cenſetur habere ſufficientiam de iure requiſitam.

12 Secunda aſſertio; † quicumque regularis approbatus in ſuo ordine eſt eligibilis per Bullam cruciatam, dummodo ordinario loci præſentetur, eò quod iuriſdictio ad audiendas confeſſiones competens regularibus, eſt de iure communi, & Papalis ac perpetua, ſola indigens dicta præſentatione ante Tridentinum ex Bonifacio VIII. *cap. ſuper cathedram de ſepulturis*, & Clementina *dudum, de ſepulturis.* In qua licet fiat mentio de ſolis Dominicanis, & Franciſcanis, veruntamẽ Extrauagans *frequentes de iudiciis* extendit hanc Clementinam ad quatuor ordines mendicantes, & per mare magnum, fit ad omnes mendicantes ſiue regulares extentio: Sed per Concilium Tridentinum, *ſeſſ. 23. cap.* 15. exigitur conditio pro prima vice, approbatio ab ordinario obtinenda per examen, vel provt ipſi placuerit. Cui reſolutioni fauet Bulla Cruciata plumbea, qaæ in clauſula de eligendo confeſſario inquit, quod habens Bullam poſſit eligere in confeſſarium quemcunque ex approbatis ab ordinario, & ex regularibus eum qui ſemel fuerit approbatas.

Vtrum autem regularis ſemel approbatus in vna diœceſi tranſiens ad aliam, teneatur coram eius Epiſcopo ſubire nouum examen ſi vocetur ad illud, aut ratum habere decretum talis Diœceſani, reuocantis ac ſuſpendentis regularibus licentias audiendi Sacramentalem confeſſionem, quamdiu examen coram ipſo non ſubeant? Tertia aſſertio ſit iuxta probabilem quorumdum iuniorum oppinionem. Attenta noua diſpoſitione Pij V. edita anno 1569. poteſt Diœceſanus huius reuocationem & ſuſpenſionem facere, vti aliqui hiis temporibus fecerunt, & illa facta effectum ſuſpenſiuum operabitur, eò quòd in dicta Bulla ſolum cauetur pro regularibus, ne ſemel approbatus in vna Diœceſi, teneatur in eadem & coram eodem Epiſcopo examen ſubire. Quare ſecundum dictæ conſtitutionis terminos regularis ſemel approbatus in vna Diœceſi, ſiue in eadem manens, ſiue ad aliam tranſlatus, ſuperueniente nouo Epiſcopo, poteſt per illum ad nouum examen vocari; & interim ſuſpendi ab obtenta licentia ad audiendas ſæcularium confeſſiones. Verùm rigidam nimis hanc fuiſſe opinionem Prælatorum, licentias regularibus ſemel approbatis ſuſpendentium, atque in his regnis non ſine ingenti ſcandalo populi Chriſtiani, & religionum turbatione executioni mandatam, ipſe rei euentus comprobat. Quapropter ſit Quarta aſſertio Bullam Pij V. nihil contra ius commune operatam fuiſſe, quâ tamen dicti Prælati zelo Dei, licet non ſecundum ſcientiam, moti fuerunt. Probatur aſſertio primò: quia hæc & aliæ conſtitutiones editæ à Pio V. in fauorẽ ſtatus ordinum mendiçantium, fuerunt per eius ſucceſſorem Gregor. XIII. moderatæ & ad ius commune, atque ad terminos Concil. Trident. redactæ; provt conſtat ex ipſa Bulla Gregor. XIII. à Nauarro tranſcripta *in manuali latino ad calcem capitis vltimi* quæ incipit. *In tanta negociorum mole* &c. & infra; *Nos hac varietate cognita &c.* cuius tenor conſtat ex *ſect. præcedenti.* Vnde tum per huiuſmodi reductiones factas à Gregor. dictæ conſtitutionis Pij V. ad terminos iuris communis & Concilij Tridentini; tum per ſupplicationem interpoſitam à Rege Hiſpano Philippo II. operantem effectum ſuſpenſiuum, caruit ſua executione, cuius ſupplicationis interpoſitæ dicti Prælati non habuerunt notitiam, nam ſi illam habuiſſent, fortè non tanto vſi eſſent rigore.

Pro cuius exacta declaratione ſciendum eſt † 13 huiuſmodi

huiusmodi facultatem mendicantium ad excipiendas secularium confessiones, habuisse tres status pro diuersis temporibus. Quorum Primus fuit ante Bonifacium VIII. in quo talis facultas fuit absoluta sine vlla conditione audiendi confessiones omnium secularium, venientium ad eorum conciones; ab Alexandro IV. Vrbano IV & Clemente IV. quasi de iure communi concessa. Secundus fuit post eumdem Bonifacium, qui *in dicta extrauaganti super cathedram de sepulturis*, ob reuerentiam Episcopis debitam, eandem facultatem concessit Dominicanis, & Minoribus cum duplici limitatione seu conditione: nimirum quod Confessarij eligerentur à suis Prælatis, scilicet Prouincialibus, Prioribus, vel custodibus: & quod sic electi præsentarentur Episcopo loci petita licentia, licet non obtenta ex tunc. Hæc fuit ampliata per Benedictum. II. *in extrauaganti inter cunctas de priuilegiis*, absque conditione personaliter comparendi, nisi tantum verbo aut scripto præsentandi electos. Quæ postea fuit confirmata, & innouata à Clemente V. in dicta Clementina, *dudum*, *de sepulturis*; ac tandem à Ioanne XXII. *in extrauaganti frequentes, de iudiciis*, eadem constitutio fuit iussa obseruari, ac extensa ad Eremitas Sancti Augustini, & Carmelitas. Tertius status fuit post Tridentinum Concilium, per cuius declarationem huiusmodi facultas dependet ab Episcopi Diœcesani licentia. Quapropter nunc in hoc statu, videnda sunt duo quæ ingerunt difficultatem. Primum dubium est, vtrum religiosis mendicantibus, & his qui fruuntur eorum priuilegiis, sufficiat vnius Diœcesani approbatio, vt in tota Ecclesia possint confessiones secularium audire per sua priuilegia secluso priuilegio Bullæ Cruciatæ?

In quo dubio affirmatiuam partem sequuntur Enriquez *lib. 8. de indulgentiis cap. 13.* Medina *l. 2. q. 19. art. 6. circa finem*; qui ait hanc opinionem esse probabilem etiam in praxi; Pallacios *in 4. d. 17. disp. 7.* & Corduba *in summa Hispan. q. 10.* quorum fundamentum est: quoniam Concilium vnicam tantum petit approbationem Episcopi, vagè sumptam in confessario, vt sit idoneus, siue sit loci, siue sit ordinarius confessarij, siue pœnitentis. Neque determinat cuius debeat esse, an istius, vel illius debeat esse: vbi autem lex maximè fauorabilis, non distinguit, nec restringit aut determinat; neque nos distinguere, aut restringere, aut determinare debemus: ergo vnius Episcopi approbatio sufficit, quicumque ille sit, &c.

Verùm pars negatiua est communiter recepta, ac proinde à nobis sustinenda; de qua videndi sunt Suarius *to. 4. in 3. p. disput. 28. sect. 7. dub. 3.* Vazquius *tomo 4. in eandem 3. p. q. 93. art. 3. dub. 4.* Fagundez *lib. 7. in præcepta Eccles. cap. 2.* Toletus *lib. 3. cap. 13.* Filliucius *tom. 1. tit. 3. cap. 9.* Emanuel Sa. V. *confessor. n. 4.* Layman *tit. 6. cap. 11.* Rodericus *in Bulla §. 9. dub. 2.* Villalobos *1. p. titulo 9. difficul. 54.* Bonacina *de pœnitentia disp. 5. q. 7. puncto 4.* Diana *tit. 4. moralium resolut. de Sacramentis resolut. 144.* Azorius *lib. 5. moralium resolut. c. 3. q. 7.* & Cardinalis Lugo *de Sacramento pœnitentiæ disp. 21. sect. 2.* Sed non ea ratione, quâ ipse ab inconuenienti mouetur, nimirum, quia si vnica approbatio vnius Episcopi sufficeret pro toto mundo, & quilibet Episcopus posset quoscumque Sacerdotes totius mundi approbare, approbatio requisita à Concilio reduceretur ad meram cæremoniam: nam licet ita esset adhuc approbatio petita à Concilio, non esset mera cæremonia; multum enim prodesset illa approbatio ab Episcopo impertita, nam esset testimonium sufficientiæ confessarij sic approbati. Qui enim esset Confessarius idoneus ad cunctos fideles vnius Diœcesis, idoneus quoque esset ad omnes fideles aliarum Diœcesum, siquidem in vnaquaque Diœcesi inueniuntur omnes hominum status, scilicet, Clericorum Agricolarum, Quiritum, siue procerum, mercatorum, mercenariorum, &c. Omissa ergo & reiecta hac ratione; alia est quæ fulcit hanc partem, nimirum, quia Concilium voluit vt facultas data, vel danda Confessariis, esset dependens ab Episcopi Diœcesani approbatione, & ad eiusdem tantùm diœcesis oues limitata, ob debitam Episcopis obedientiam & iurisdictionum distinctionem seruandam: ac simul vt vnusquisque Episcopus melius suas oues, atque earum particulares pastores siue parochos cognosceret.

Secundum est; vtrum pro regularibus sufficiat sola diœcesani licentia petita, licet non obtenta? in quo dubio sustinenda est sententia negatiua, quæ triplici via suadetur. Primò quia † cuncta 14
priuilegia concessa regularibus ante Tridentinum Concilium quoad munus concionandi & audiendi secularium Confessiones fuere per ipsum reuocata tribus in locis; nimirum *sess. 5. cap. 2. de reformatione*, & *sess. 23. de reformatione cap. 15.* & *sess. 24. de reformatione c. 4.* In quibus locis Concilium requirit licẽtiam, & approbationem ordinarij, nedum petitam, verùm etiam concessam, vel concedendam regularibus ad hoc, vt possint confessiones sæcularium audire, & populo concionari saltem extra suas Ecclesias: ergo. Secundò probatur ex Pontificum Bullis eorumdem priuilegiorum reuocatoriis. Prima est Pij IV. edita die 13. Martij, anno 1565. post Concilij Tridentini publicationem. Secunda fuit edita à Pio V. anno 1571. quæ incipit *Romani*; in qua reuocando priuilegia concessa regularibus quoad officium audiendi sæcularium confessiones, statuit vt semel approbatus à suo Diœcesano possit non ab eodem, sed ab eius successore pro ipsius conscientiæ quiete examinari, & antequam examen subeat, licentia obtenta possit suspendi, aut reuocari. Tertia Bulla fuit à Gregorio XIII. expedita quæ incipit; *In tanta negotiorum mole*, per quam huiusmodi priuilegia ad statum Concilij Tridentini reducit. Quarta fuit Bulla Clementis VIII. edita die 7. Decembris anno 1604. §. *præterea volumus, ibi: Regulares autem non solum à prædicto Vicario nostro* (scilicet in vrbe) *& à locorum ordinariis respectiuè* (scilicet extra vrbem) *sed etiam à suis superioribus approbati sint.* Quinta extat Bulla Gregorij XV. expedita die 5. Februarij anno 1622. in qua reuocat regularibus priuilegia concionandi extra proprias Ecclesias sine licentia ordinarij loci, prohibétque ne in Ecclesiis propriis concionem habeant sine ordinarij benedictione, aut illo contradicente, iuxta Concilij dispositionem. Vltima & nouissima Bulla fuit expedita ab Vrbano VIII. die. 22. Septembris anni 1628. quæ incipit. *Cum sicut accepimus*; in qua reuocat cuncta priuilegia hucusque religionibus, tam mendicantibus, quàm monacha-

libus etiam Societati Iesv conceſſa, excipiendi ſecularium confeſſiones abſque præuio ordinarij examine & approbatione. Igitur rebus vt nũc non ſufficit regularibus ſola licentia petita & non obtenta, vtpote quæ præuio examine & approbatione non indiget. Tertiò probatur ex declarationibus Sacræ Congregationis Eminentiſſimorum Cardinalium, in quibus decernitur regulares indigere approbatione ordinarij non vtcumque, ſed ordinarij eiuſdem loci in quo reſident, ad audiendas ſecularium confeſſiones. Ita habetur in quadam declaratione miſſa ad Archiepiſcopum Valentinum, ibi: *Approbatum ab alio quàm à Valentino Epiſcopo in Diœceſi Valentina non cenſeri approbatum ab ordinario.* Fuit quoque alia miſſa ad Epiſcopum Abbulenſem anno 1593. in qua declaratum fuit; quod
15 † approbatus ad audiendas confeſſiones certi generis perſonarum, vel in certa Eccleſia, non cenſetur approbatus ſimpliciter, ac proinde quod non poteſt virtute Bullæ Cruciatæ, aut Iubilæorum eligi ad audiendas confeſſiones aliarum perſonarum, vel extra illas Eccleſias ipſi deſignatas. Tertiam adducit Barboſa *in ſuis ad Concilium declarationibus ſeſſ. 23. cap. 15.* in qua decernitur, quud exterus Sacerdos approbatus ab ordinario pœnitentis, poteſt illius confeſſiones audire, & non aliter. Quartæ & quintæ meminit Bellarminus *in declaratione eiuſdem ſeſſionis & capitis Concilij memoratæ*; in quibus decer-
16 nitur, *quod † approbatus ab vno Epiſcopo, non cenſetur approbatus ab ordinario in aliena.* Quamplures aliæ extant ſimilis ſeſſionis declarationes, quas breuitatis gratia omittimus. Quæ tamen omnes videntur habere vim nedum contra ſæculares, ſed etiam contra quoſcumque regulares, quia abſolutè & abſque vlla diſtinctione aut reſtrictione declarant, quis & qualis debeat eſſe approbatus ab ordinario, vt valeat ſecularium Confeſſiones audire. Ex quibus tandem conuincitur, non ſufficere regularibus poſt Concilium Tridentinum ſolam ordinarij licentiam petitam licet non obtentam, ſed vlterius requiri licentiam & approbationem ab Ordinario conceſſam.

Videndum autem eſt, vtrum regularibus ſufficit vnica licentia & approbatio, ita vt illa obtenta ſemel à ſui loci ordinario non poſſint à ſucceſſore eiuſdem loci ſuſpendi, aut impediri ab officio concionandi, atque audiendi ſecularium confeſſiones, niſi nouum coram illo ſubeant examen. Et quidem in hoc puncto tenenda eſt pars affirmatiua, cui non obſtant ſupradicta loca Concilij, Bullæ, aut Cardinalium declarationes. Quod per ſingula ſic declaro. Inprimis loca Concilij non obſtant, quoniam ex illis tantum licet colligere, non poſſe regulares in hoc ſtatu poſt Concilium audire ſecularium confeſſiones ſine ordinarij licentia & approbatione; & quoad hoc eorum priuilegia antiqua eſſe reuocata. Verumtamen non licet ex eis deducere, quod illis non ſufficiat vnica licentia & approbatio ſemel obtenta ab ordinario loci, aut quod hæc poſſit per ſucceſſorem in eadem Diœceſi ſuſpendi, aut reuocari.

Sed neque Bullæ adductæ habent vim contra regulares, vt ex illis colligi valeat regularium licentias & approbationes ſemel obtentas, poſſe per Diœceſanos ſuſpendi, aut reuocari ad libitum. Nam inprimis Bullam Pij V. conſtat fuiſſe à Gregorio XIII. reuocatam in dicta Bulla; *In tanta negotiorum mole*, & reductam ad terminos Concilij, & inſuper fuiſſe ſuſpenſam per ſupplicationem interpoſitam Romæ, ab Ambaſiatore Philippi II. vt aduertit Salgado *de retentione Bullarum*, 1. *p. cap.* 4. Bulla autem Clementis VIII. ſolùm extenditur ad Prouincias Italiæ, vt patet ex eius contextu, vnde in Hiſpania non fuit recepta. Fuit quoque ab ea ſupplicatum per Regem Catholicum Hiſpaniæ pro ſeruanda quiete Religionum, ne ſi huc extenderetur diſſidium pareret, ſicut factum fuit cum dicta Bulla Pij V. Ac tandem vt ex eius titulo conſtat, intendit duntaxat tollere quorumdam ordinum priuilegia, per quæ prætendebant audire ſecularium confeſſiones independenter omnino ab ordinariorum licentia, etiam ſemel petita & obtenta. Bulla vero Gregorij XV. fuit ſuſpenſa per ſupplicationem, quam ex iuſſu Philippi IV. eius Ambaſiator dux Baſtranæ interpoſuit ad ſedandas diſcordias ortas ex ſpolio prætenſo à Gubernatore tunc temporis Toletanæ Diœceſis, vt bene notat Lezana, *tomo* 1. *c.* 10. Hinoſoſa *deciſionibus regularibus V. Confeſſarius*, §. *in nomine Sanctiſſimæ*, Carranza *in ſuo* 2. *informi pro religionibus* excuſſo Matriti, & Auguſtinus Velez *in ſuo ſpeciali tractatu relato* à Diana *tomo* 7. *ſummæ moral.* Bulla † tandem Vr- 17
bani VIII. quæ magis videtur vrgere, eò quòd ſit reuocatoria cunctorum priuilegiorum ordinibus conceſſorum, non habet vim in noſtra Hiſpania, quia non fuit in ea recepta, neque ad praxim reducta, eò quòd neque fuit per Senatum Regium Caſtellæ, ſiue Indiarum regiſtrata, quam eſſe conditionem eſſentialem vt reſcripta Pontificum obligent, docent Solorzano, *tom.* 2. *de iure Indiarum lib.* 3. *cap.* 25. & Salgado *in dicto tomo de retentione Bullarum*, quapropter conſtat iſtas Bullas tam incertæ virtutis ad ſpolium non ſufficere.

Sed neque vim habere declarationes relatas Eminentiſſimorum Cardinalium, inde colligitur quod neque habent vim præcepti aut iuris obligantis, quia variæ ſunt & adinuicem ſibi aduerſantes, neque extendendas fore vltra eum caſum, ad cuius deciſionem ſancitæ fuerunt, aduertit Ioannes Sanchez *in ſelectis diſp.* 44. *notabili* 1. Quam ob cauſam Vrbanus VIII. 2. Auguſti anno 1632. expediuit ſpeciale Breue, in quo determinat quod nulli Cardinalium declarationi detur fides, niſi fuerit ſignata & ſubſcripta ab Eminentiſſimo Cardinali Secretario eiuſdem Sacræ Congregationis: vt aduertunt Boſius *de Iubilæo ſect.* 3. *caſu* 2. §. 7. & Diana *tom.* 1. *tractatu* 10. *de leg. reſolut.* 29. & *tom.* 5. *tractatu* 12. *reſolut.* 52. Igitur cum nulla adductarum declarationum habeat has notas, ſignum eſt eas nullam ad intentum vim habere. Obſtare tamen videtur declaratio Sacræ Congregationis deputatæ à Sanctiſſimo Innocentio X. ſuper controuerſiis vertentibus inter Epiſcopum Angelorum in Indiis Occidentalibus, & reliquos Societatis Iesv edita die 16. Aprilis anni 1648. quam & idem Innocentius per Breue ſpeciale editum die 14. Maij eiuſdem anni authoritate Apoſtolica confirmauit. Declaratio autem ſic habet (ſuppoſita dubitatione pro parte dicti Epiſcopi) *Reſpondit; eiſdem regularibus, qui confeſſiones perſonarum ſecularium audiunt ſine approbatione Epiſcopi loci, vel prædi-*

cant

cant in Eccleſiis ſui ordinis non petita illius benedictione, aut in aliis Eccleſiis abſque eius licentia, vel in Eccleſiis etiam ſui ordinis ipſo contradicente, poſſe Epiſcopum in vim conſtitutionis fœlicis recordationis Gregorij XV. quæ incipit: Inſcrutabili Dei prouidentia; tanquam *Sedis Apoſtolicæ delegatum adminiſtrationem Sacramenti pœnitentiæ ac munus prædicationis interdicere, eósque iuris remediis coercere & punire.* Et infra ad aliam interrogationem factam pro parte ipſius Societatis, videlicet; *An Epiſcopus regularem pro confeſſionibus ſemel approbatum ſine noua cauſa ſuſpendere poſſit ab ipſis Confeſſionibus audiendis?* Sic reſpondit. *Regulares aliàs liberè ab Epiſcopo præuio examine approbatos ad audiendas confeſſiones perſonarum ſecularium, ab eodem Epiſcopo ſuſpendi non poſſe ſine noua cauſa, eáque ad confeſſiones ipſas pertinente.* De Bulla autem Pij V. 34. in ordine *tomo* 2. Bullaris conceſſa, inſtante & ſupplicante Sereniſſimo Rege Catholico non ad petitionem Regularium, quæ proculdubio eſt illa, cuius meminit Emanuel Sa *vbi ſup.* an ſit reuocata per Bullas Pontificum mitigantes exemptiones regularium, reſpondit Congregatio, agẽdum cum Sanctiſſimo, an velit declarare bullam non eſſe reuocatam? *Illam tamen non ſuffragari niſi in locis vbi eſt defectus Parochorum.* Cum igitur hæc declaratio
18 ſit † ſententia lata à Sacra Congregatione, & quoad omnes partes à Sanctiſſimo Innocentio X. confirmata, habenda eſt pro re iudicata, & Res iudicata pro veritate. Dixi, cuius meminit Sà *vbi ſuprà*, id eſt, *in ſummula verbo Confeſſor, numero 5.* dicens: *Illud ſcio ex Bullis Pij V. religioſum ab aliquo Epiſcopo approbatum non poſſe ab eodem iterum examinari, quod ſi ſit ex mendicantibus: nec à ſucceſſore. Quod an ſit poſtea validè reuocatum, aliorum iudicio relinquo. Ego interim non puto, meæque opinioni exiſtimo fauere decreta Congregationis Concilij, &c.*

Hinc veniunt aliqui caſus reſoluendi. Primus eſt de ſpolio facto ab Epiſcopo *de la puebla de los Angeles*, apud Indos in Patribus Ieſuitis, qui anno præterito Patres Ieſuitas à poſſeſſione quam habebant ſuorum priuilegiorum audiendi confeſſiones ſecularium, in illis Indiarum Prouinciis, quæ vulgo *noua Hiſpaniæ* dicuntur, per ſententiam & publicum edictum deiecit; ex quo ingens ſcandalum in eiſdem Prouinciis etiam cum rebellionis periculo. Epiſcopus ad huiuſmodi ſpolium proceſſit, motus præallegatis Concilij Tridentini locis, Pontificum Bullis, & Cardinalium declarationibus. Patres autem Societatis ſe defendebant ſuis priuilegiis; fuere namque † eis conceſſa priuilegia audiendi con-
19 feſſiones ſecularium, & abſoluendi à reſeruatis etiam in Bulla Cœnæ, in Prouinciis vtriuſque Indiæ cum vnica tantum approbatione, à ſuo Generali, vel ab aliquo Epiſcopo illarum Prouinciarum ſine indigentia alterius. Fuere inquam, hæc priuilgia eis conceſſa à Gregorio XIII. in Bulla *cum ſicut accepimus*, edita anno 1573. & in altera quæ incipit, *Vniuerſis Chriſti fidelibus*; expedita anno 1573. & in altera eiuſdem tenoris expedita anno 1584. Fuitque prima conceſſio prorogata à Gregorio per viginti annos, videlicet ab anno 1573. vſque ad annum 1593. Eadem priuilegia fuerunt prorogata à Gregorio XIV. in Bulla, *Vniuerſis Chriſti fidelibus*, edita anno 1591. per alios viginti annos, ſcilicet vſque ad annum 1611. Sed nouiſſimè approbatæ & renouatæ fuerunt Bullæ præfatæ vtriuſque Gregorij, & priuilegia in eis conceſſa Societati perpetuata per Paulum V. in Bulla *Quantum religioſi Societatis* Iesv, expedita anno 1606. pridie Nonas Septembris: quæ priuilegia non fuiſſe reuocata per dictam conſtitutionem nouiſſimam Vrbani VIII. quæ maioris roboris eſſe videtur; conſtat tum ob rationem nuper aſſignatam, nimirum quia nec recepta, nec à Senatu Regio Indiarum fuit regiſtrata aut acceptata; tum etiam quia Vrbanus hoc priuilegium Ieſuitis à Gregorio XIII. conceſſum pro Indiarum Prouinciis, illud anno ſequenti de nouo ſpeciali Bulla conceſſit: quod eſt ſignum ſuæ intentionis non fuiſſe, in priori Bulla edita anno 1628. illud reuocare; alioquin inconſtantiæ vitio tantus Pontifex laboraret, dum priuilegium à ſe vno anno reuocatum, anno immediatè ſequenti de nouo concederet. Tum quia illa conſtitutio Vrbani non fuit ſufficienter promulgata & intimata extra curiam Prælatis religionum: quam tamen conditionem eſſe neceſſariam, vt conſtitutio obliget Religioſoſos, præſertim quando eſt priuilegiorum reuocatoria, docent Azorius *tomo 1. lib. 5. cap 22. quæſito 7.* Bonacina *de priuilegiis diſp. 1. q. 3. puncto 8.* & Salas *diſp. 20. ſect. 18.* ſequuti Sotum *lib. 1. de iuſtitia q. 2. art. 4.* cuius manifeſtum indicium eſt, quod Cardinalis Lugo in ſuo *tractatu de pœnitẽtia* edito anno 1638. hoc eſt decem annis poſt dictam Vrbani conſtitutionem, illius neutiquam meminit; Ergo quia aut illius notitiam non habuit, aut cognouit illam robore omnino carere, vt bene notat Quintana Dueñas *tomo 1. ſingularium moralis Theologiæ tractatu 3. ſingulari 15.* Tum denique quoniam vt idem author notat *ſingulari 17.* ad prædictam Vrbani conſtitutionem; Reuocantur quidem Confeſſiones priuilegiorum conceſſorum ordinibus ante Tridentinum, ſed non priuilegia de nouo poſt Tridentinum eis conceſſa; vt patet ex contextu Bullæ ibi: *In vim priuilegiorum, aut conformationum eiuſmodi, quas, vel hactenus obtinuerint, vel in futurum obtinebunt*, vbi illud relatiuum, *quas*, ad ſolas confirmationes refertur, non ad priuilegia, alioquin diceret, *quæ*, & non *quas*. Ob hæc ergo priuilegia in ſuo vigore permanentia, & neutiquam ab Vrbano vulnerata, Iudices cõſeruatores pro Societate Iesv nominati, illam ad priſtinam poſſeſſionem ante attentatum ſpolium reſtituerunt: & Senatus Regius iuſſit Epiſcopum Hiſpaniam remeare, pro quiete & pace in illis Indiæ prouincis tuenda & conſeruãda. Sed iam conſtat ex Sacræ Congregationis noua declaratione, quam vim habeant dicta Societatatis priuilegia.

Secundus caſus eſt, quod poſſunt regulares virtute ſuorum priuilegiorum abſoluere ſeculares à peccatis reſeruatis Epiſcopo, imo & Sedi Apoſtolicæ, exceptis illis quæ continentur in Bulla Cœnæ, quamuis contrarium ſenſerint Trulleno, Ferdinandus de Mendoza, & alij citati & refutati à Quintana Duennas *vbi ſup ſingulari 14.* & duobus ſequentibus: probaturque Primò ex Bulla Pauli III. *cũ inter cunctas*, edita anno 1545. ante Tridentinum; in qua conceditur Ieſuitis & per communicationem aliis religionibus mendicantibus, facultas abſoluendi ab omnibus caſibus & cenſuris Epiſcopo & Sedi Apoſtolicæ reſeruatis (exceptis contentis in Bulla Cœnæ) quæ exceptio firmat regulam in

contrarium,

contrarium. Hoc autem priuilegium non eſſe reuocatum per Bullas Clementis VIII. & Pauli V. expeditas anno 1609. & 1617 patet; quia iſtæ Bullæ ſolùm loquuntur cum regularibus intra Italiam, neque ad Hiſpaniam aut Indias extenduntur, in quibus nec receptæ nec publicatæ fuerunt. Vnde minus bene Thom. de Bene *lib. de comitiis dub. 4. ſect. 31. corollario* 1. ait, per hanc poſteriorem Bullam ſcilicet Pauli V. ſublatam eſſe omnibus regularibus facultatem abſoluendi à caſibus Epiſcopo reſeruatis. Sed neque reuocatum fuiſſe per declarationem Gregorij XIII. datam Archiepiſcopo Neapolitano anno 1577. eò quòd fuit Epiſtola quædam priuata ad quemdam particularem Prælatum miſſa, nec ſufficienter extra illud territorium promulgata, quæ proinde vim legis non habuit nec habere potuit. Ac tandem nec fuiſſe reuocatum per Bullam Vrbani VIII. in qua vtpote nouiſſima totum pondus eſt contrariæ oppinionis; tum ob dictum defectum receptionis & prædicationis in Hiſpania: tum quia per illas tantum reuocantur confirmationes priuilegiorum antiquorum, ſed non priuilegia de nouo poſt Tridentinum conceſſa regularibus, vt ex eius contextu probauimus. Tum denique quia ipſe Vrbanus anno ſequenti ſcilicet 1624. idem priuilegium pro Ieſuitis confirmauit, quod & cæteri mendicantes per communicationem participant. Secundò probatur quia hoc priuilegium non tollitur per Concilium Tridentinum *ſeſſ. 14. cap. 6. ibi: cum nihil poſſint in caſibus reſeruatis &c.* eò quòd Concilium hîc loquatur de ſolis ſacerdotibus, nullam iuriſdictionem habentibus ordinariam ſeu delegatam, vt liquet ex contextu. At regulares habent iuriſdictionem delegatam per priuilegia Eugenij IV. Vrbani IV. Sixi IV. Iulij II. & Pauli III. in dicta Bulla *cum inter cunctas*; in qua vt dictum eſt, concedit expreſsè Ieſuitis, & per communicationem omnibus regularibus maximè mendicantibus, facultatem abſoluendi ab omnibus caſibus & cenſuris reſeruatis (exceptis duntaxat contentis in Bulla Cœnæ Domini), nec non commutandi quæcumque vota exceptis quinque reſeruatis, videlicet: Religionis, Caſtitatis, vltra marinum, Romæ, & Compoſtellæ: dixi à caſibus reſeruatis & cenſuris, nam vt
20 ſcitè aduertit Nauarrus, † caſus non eſt cenſura: ac proinde dum prohibetur, aut reſtringitur abſolutio à caſu reſeruato, non prohibetur nec reſtringitur abſolutio à cenſura, niſi ipſa quoque ſit ſpeciailiter reſeruata.

Denique probatur, quia hoc priuilegium regularium eſt inſertum in iure communi in dicta Clementina *dudum &c.* quod proinde non cenſetur derogari per generales derogationes, niſi de eo fiat expreſſa mentio, vt notant Gregorius Lopez *lege 2. tit. 18. partita 3.* & Sanchez *tomo 2. conſiliorum lib. 7. capit. 1 dubio 23. ex doctrina gloſſæ in leg. ares ff. de iudic.* Bartoli & Baldi *in authentico, Cod. vbi de crimine agi oportet*, & Felini *c. 1. de reſcriptis*: nec non quia dicta facultas ſtabilitur, & renouatur per priuilegia de nouo eiſdem conceſſa poſt Tridentinum in Bulla Pij V. edita anno 1567. Clementis VIII. *Romanus Pontifex.* anno 1592. & Pauli V. *Quantum* anno 1606. quibus conſonat quædam declaratio Eminentiſſimorũ Cardinalium die 22. Maij anni 1594. Quibus non derogare decretum nouiſſimum Vrbani VIII. dictum eſt, eò quòd tantùm reuocantur antiquorũ priuilegiorum Confirmationes, ibi: *In vim priuilegiorum aut Confirmationum eiuſmodi, quas, vel hactenus obtinuerint, vel in futurum obtinebunt, &c.*

Tertius caſus eſt, quod regulares vtriuſque ſexus poſſunt virtute Cruciatæ eligere Confeſſarium intra & extra Religionẽ, qui eos à quibuſvis peccatis mortalibus non reſeruatis abſoluat. Oppoſitum acriter defẽdit Cardinalis Lugo *diſp. 20. de pœnitẽtia ſect. 9.* anno 194. eò quòd † omnis 21
vſus Cruciatæ in ordine ad Sacramentum pœnitentiæ prohibitus eſt à Pio V. ann. 1571. ſpeciali Breui, quo determinat cunctos regulares quoad Sacramentum pœnitentiæ, ſubditos manere diſpoſitioni ſuorum Prælatorum. Rurſus quia aliàs magna ex parte corrueret obſeruantia & perfectio regularis, quam Pontifices in ſuis decretis intendũt. Sed noſtrum corollarium probatur ex Bullis Clementis VIII. & Vrbani VIII. editis anno 1595. & anno 1630. In quibus declarant priuilegium Cruciatæ locum non habere neque habuiſſe in regularibus, quantum ad hunc articulum eligendi Confeſſarium & obtinendi abſolutionem à caſibus reſeruatis; vbi particula, *&*, poſita inter illas duas partes, reſoluit ambas in vnam, ita vt vna declaret alteram, & fiat ſenſus; ne ſcilicet regulares poſſint eligere confeſſarium, qui eos abſoluat à reſeruatis iuxta obſeruationem iuris, vt patet ex *lege; cum vtriuſque iuris.* Neque ſequitur corruptio regularis obſeruantiæ; hæc enim ſatis ſaluatur dum prohibetur regularibus abſolutio à grauioribus criminibus, ſcilicet, à reſeruatis, prout in vnaquaque religione ſpecialia, & grauiora quædam crimina reſeruantur. Et aliàs iſta parua corruptio compenſatur ex alia parte, dum nimius rigor temperatur, ne arcus multoties ac nimis inflexus rumpatur. Pro hac quoque opinione ſunt Trullene *lib. 1. §. 7. c. 1. dub. 9.* Rodericus *in ſumma tom. 3. c. 3.* Ludouicus à Cruce *diſp. 1. c. 1. dub. 12.* & Leander à Sacramento *tom. 1. tract... diſp. 12. q. 62.* Rurſus probatur ex eo † quod in dubiis benignior pars eſt ſe- 22
quenda & interpretanda iuxta *legem temper. ff. de regulis iuris, & caput finale de tranſaction.* Inſuper quoties ſub opinione verſatur, vtrum confeſſarius habeat iuriſdictionem, licitum eſt confeſſario miniſtrare Sacramentum pœnitentiæ, & pœnitenti illud recipere ſub opinione probabili, licet minus probabili, dummodo vere probabilis ſit; quoniam in eo euentu Eccleſia confert iuriſdictionem, ſicut in errore communi propter communem vtilitatem, & ingentia incommoda euitanda, ex Bonacina, Sanchez, Leſſio, Caſtro, Palao, Maldero & aliis, quos citat & ſequitur Diana 2. *tractatu de opinione probabili reſolut.* 2. De Bulla quoque Pij V. cui innititur hic Author, iam dictum eſt fuiſſe ſuſpenſam per ſupplicationem Hiſpani Ambaſſatoris, quod prædictum Cardinalem latuit. Dices; ſequitur ex hac doctrina poſſe religioſum virtute Cruciatæ abſolui à quocumque confeſſario, ab omnibus peccatis, & cenſuris, à quibus poteſt abſolui per confeſſarium à Prælato deputatum, pro audiendis ſubditorum ipſius confeſſionibus? Reſpondeo admittendo ſequelam; neque hoc reputandum eſt inconueniens, quia Pontifices præfati tantùm prohibuerunt vſum Cruciatæ regularibus quoad abſolutionem à reſeruatis. Verum id eſſe

in

in cæteris religionibus ait *vbi supra* Quintana Dueñas; secus in Societate IESV, vbi viget praxis contrariæ & feruentioris disciplinæ obseruantia.

Sed puto idem dicendum esse de illa atque de aliis religionibus, stando in contextu Bullarum, quibus Gregorius XIII. Clemens VIII. & Gregorius XV. vsum Bullæ Cruciatæ quoad hunc articulum, religiosis Societatis specialiter interdixerunt: quia duntaxat illis prohibent vsum Cruciatæ quantum ad absolutionem à reseruatis: Quare eis fortè obstabit praxis recepta quæ est gum interpres, sed neutiquam feruentior disciplina, quàm in aliis religionibus mendicantibus, ad quas religiosi Societatis de iure communi vtpote ad obseruatiores, & perfectiores transire possint.

Quartus casus est, quod regulares ex priuilegio Sixti IV. quod habetur in supplemento *folio* 58. possunt in sua Diœcesi semel approbati audire confessiones quorumcumque secularium ad eandem Diœcesim accedentium, causa confitendi sua peccata. v. g. Regularis Salmanticæ incola, & ibi approbatus ab ordinario Salmantino, potest audire confessiones secularium illuc venientium ex Zamorensi, siue Abulensi, siue Ciuitatensi Diœcesi; non tamen extra, sed tantùm intra Salmantinam Diœcesim pro qua fuit approbatus, intellige de iure communi, aut etiam ex vi dicti priuilegij Sixti IV. Nam cum priuilegio Bullæ Cruciatæ possunt regulares tam intra quam extra suam Diœcesim, pro qua fuerunt approbati ab ordinario, confessiones quorumcumque secularium excipere: quandiu oppositum non fuerit declaratum, aut priuilegium Bullæ non fuerit à Sede Apostolica restrictum pro tali Diœcesi. Dixi *secularium*; nam dispositio prælegata Tridentini in regularibus, non petit conditionem illam approbationis obtinendæ ab ordinario, nisi tantùm quoad audiendas confessiones secularium. Quare pro excipiendis confessionibus aliorum regularium, eorum facultatem non limitat, sed relinquit in terminis iuris communis, antequam talis dispositio conderetur. Vnde sicut ante Concilium Tridentinum poterat quilibet Sacerdos, siue regularis, siue secularis sine alia approbatione per solam potestatem in sui ordinatione receptam, quorumcumque pœnitentium confessiones audire: ita modò post dictum Concilij decretum (etsi ad excipiendas confessiones secularium indigeat ordinarij approbatione) potest regularium confessiones excipere sine illa, dummodo pœnitens à suo Prælato, aut confessario pro illo licentiam obtineat.

Hinc venit soluenda alia difficultas præcedentibus affinis, tres casus inuoluens, nimirum: Vtrum Abbates Monachales habentes Prioratus suis Abbatiis annexos cum cura animarum, possint cum sola approbatione ab Episcopo Diœcesano obtenta, quemlibet sic approbatum siue ex religiosis sui conuentus, siue etiam secularem nominare, seu præsentare ad audiendas confessiones, & alia Sacramenta ministranda? Rursus vtrum semel amotum Vicarium ab vno Prioratu possit Abbas in eodem Prioratu aut in alio instituere, seu nominare sine noua approbatione, vltra priorem cum qua fuerat primo ad animarum curam approbatus? Rursus vtrum Abbas Cisterciensis monasterij de Sobrado, possit idem facere respectu cuiusdam Prioratus annexi Abbatiæ Sancti Iusti, quæ eidem monasterio per Bullam Pontificiam cum omnibus suis pertinentiis fuit aggregata.

Pro cuius difficultatis luce, & casuum inuolutorum enodatione supponenda est praxis, quã habent huiusmodi Abbates monachales in iure Bullarum suarum, aut saltem in consuetudine præscripta & immemoriali fundatam, maximè in Regno Galleciæ, vbi monasteria ordinum S. Bernardi, habent plures Ecclesias parochiales secularium annexas cum cura animarum, quas vulgo *prioratus* vocat, in quibus Vicarios instituunt ad nutum amouibiles, non collatione, aut Canonica institutione, sed solùm simplici quadam nominatione siue præsentatione, qui sic nominati & præsentati vt illius parochiæ curam suscipiant, indigent sola approbatione Ordinarij ad pœnitentiæ & aliorum Sacramentorum administrationem. Quâ obtentâ in nullo alio à Diœcesano dependent, ita vt si populus iustam habeat querelam contra parochum, non ad Episcopum, sed ad Abbatem recurrunt vt eum puniat, aut etiam ab officio amoueat. Quinimo si Episcopus in visitatione aliquos defectus personales talis parochi religiosi inuenerit, (pro defectibus enim ad officium parochi pertinentibus potest illum plectere & ab officio amouere) Abbati denuntiat, vt ipsum puniat aut priuet officio pro criminum qualitate. Hæc est praxis, qua suppositâ; Dico primò resoluendo primum casum, quod ipsis Abbatibus regularibus priuatiuè conuenit tales vicarios præsentare: eò quòd hæc præsentatio eis conuenit, velex Bullis Pontificibus eis specialiter concessis, vel ex consuetudine præscripta, quæ habet vim priuilegij, idque habet vsus absque vlla Episcoporum contradictione receptus.

Nec non in aliis ordinibus possidentibus Ecclesias parochiales, idem vsus increbuit, v. g. in ordine fratrum Prædicatorum, qui in prouincia Castellæ possidet Ecclesias parochiales, Sanctæ Mariæ de Nieua, & Sancti Petri de las Dueñas, intra Diœcesim Segouiensem existentes, Priores conuentuales ex approbatis ab ordinario ad audiendas secularium confessiones nominant, seu præsentant vnum ex suis subditis, qui munus parochi atq; curam animarum habentis exerceat, pro tempore quo eisdẽ Prælatis placuerit.† Neque in regularibus exigitur alia approbatio ab Ordinario quàm approbatio ad audiendas secularium confessiones, vt patet *ex sessione* 23. *c.*15. vbi pro aliis Sacramentis administrandis nulla specialis approbatio Episcopi desideratur. Vnde quemlibet Sacerdotem simplicem ad eorũ administrationem posse à parocho habente ordinariam iurisdictionem deputari, tenet opinio communiter recepta ab Enriquez *lib.*11.*c.*3.§.4. Thom.Sanch.*lib.*3.*de matrim.disp.*20.*n.*10. Suario *to.*3.*in* 3.*partem disp.*72.Roderic. 1.*p. summæ in* 2.*edit. c.*219.& aliis. Huiusmodi autem supposita approbatione ad audiendas confessiones semel obtenta, Vicarium siue parochum sic nominatum ab Abbate seu Priore non amplius dependere ab Episcopo Diœcesano in talis officij retentione & executione, aut remotione ab illo, tenet communis praxis, nec non communis opinio Doctorum, de qua videre licet Thom. Sanch.*lib.*7.*summæ.c.*29.Hieron.Rodrig.*in cõpẽdio*

23

dio reſolut.15. num.13. Leſſium *lib.2. de iuſtitia. c.41.dub.12.§.vbi notandum.* Emanuelē Rodrigez *tom.3.quæſt.regular.q.53. artic.2.* Sylueſtrum V. *religio 7.q.3.* Antonium Cuch. *lib.3. inſtitut.moral. tit.1.num.154.* & Roſella *V.monachus n.4.* id ipſum probatur *ex cap.cum ad monaſterium.de ſtatu monachorum*, & Clementina, *quia regulares de ſupplenda negligentia*; necnon ex formula, qua tum regulares ipſi à ſuis prælatis præſentati, tum ſeculares Præbyteri præſentati à ſecularibus parochis, licentiam, & approbationem à Diœceſanis Epiſcopis obtinentes, ad officium curæ animarum exercendum, nominantur, quibus nulla fit collatio, aut inſtitutio canonica, ſed ſola ſimplex approbatio & licētia conceditur ad audiēdas confeſſiones & cætera Sacramenta miniſtāda, ſine iniuria tamē proprij parochi. Huc accedit quod licet Epiſcopus Diœceſanus poſſit ac debeat huiuſmodi parochias monaſteriis annexas viſitare quando opus fuerit, & curam habere de idoneo miniſtro, & intra viſitationem religioſum ibi præfectum pro defectibus in adminiſtratione Sacramētorum, & in regimine Eccleſiæ commiſſis punire, iuxta decretū Concilij Tridentini *ſeſſ. 7.c.7.& 8.* Secus pro perſonalibus, pro quibus tamen debet eius prælatum monere vt eum puniat, ſeu etiam amoueat pro qualitate delicti: ita tenet vſitata praxis. Atq; etiam ſi populus querimoniā habeat aduerſus talem parochum regularem, nō ad Epiſcopum Diœceſanū, ſed ad eiuſdem Abbatē ſiue Priorē recurrat, vt præmiſſa informatione illū puniat, aut amoueat, in cuius amotione neutiquā poteſt Abbas ab Epiſcopo Diœceſano impediri, provt in iudicio cōtradictorio monaſteriū de Moreruela contra Epiſcopū Zamorenſē, authentica ad id Eminentiſſimorū Cardinaliū declaratione obtēta, Victor euaſit. Cōpetit autē Epiſcopo Diœceſano priuatiuè examen & approbatio religioſi nominati, vel nominādi in talē parochū, per allegatū Tridentini decretum *ſeſſ.23.cap.15.*

Dico ſecundò reſoluendo caſum ſecundum, quod talis religioſus nominatus à ſuo Abbate in officium parochi, & ſemel approbatus ab ordinario loci, ſi ab officio cum cauſa aut ſine illa per ſuum Abbatem remoueatur, poteſt iterum nominari in eadem, vel alia parochia annexa ſine noua Diœceſani approbatione. Huius aſſertionis ratio euidens eſt, quod tunc iſte religioſus iam habeat conditionem vnicè ex parte Diœceſani requiſitam, videlicet approbationem ad excipiendum ſecularium confeſſiones, & cætera Sacramenta miniſtranda. Quæ ſi fuit abſolutè & non ad determinatū tempus conceſſa, nō expirat in regularibus ſaltem intra eandem Diœceſim, etiam per noui Epiſcopi aduentum, iuxta à nobis ſuperius
25 dicta. Ex quibus conſtat † in regularibus vnicam duntaxat ſufficere & requiri licētiam, ſaltem reſpectu eiuſdem Diœceſis: tum ex reuocatione priuilegiorum conceſſorum à Pio V. facta à Gregorio XIII. in Bulla quæ incipit: *in tanta negotiorum mole*; reducente illa ad terminos iuris cōmunis, & Concilij Tridentini: Tū ex ſupplicatione interpoſita per Ambaſiatorē Regis Hiſpaniæ, tū deniq; ex textu Bullæ plumbatæ id expreſsè affirmantis.

Dico Tertiò reſoluendo tertium caſum: quod cum per Bullam annexionis Abbatia S. Iuſti fuerit annexa Abbatiæ de Sobrado, cū omnibus ſuis pertinentiis & feligreſiis abſq; vlla limitatione, aut excluſione, vt ex contextu ipſius bullæ ſupponimus, ita vt per dictam Bullā Abbas de Sobrado ſubrogetur loco antiqui Abbatis S. Iuſti, conſequēter ille poteſt in cunctis Prioratibus & parochiis annexis, quidquid olim poterit iſte. Hoc aſſertum probatur: tū quia † ſubrogatū de- 26
bet ſapere naturā illius loco cuius ſubrogatur, *ex leg.eum qui ff.ſi quis cautio*, &c. *Eccleſia S. Maria, de conſtit.§.vt lite pendente.* Tum etiam quoniam dictus Abbas de Sobrado non tenetur ad maiorem reſidentiam faciendam in abbatia S. Iuſti, quàm tenebatur olim propriusillius Abbas. Quinimo hæc reſidentia accipienda eſt iuxta morem patriæ: vnde cum in Galleciæ Regno ſoleant parochiales Eccleſiæ id eſt Feligreſiæ componi ex pluribus populis, ſeu vicis, & Eccleſiis minoribus annexis, quandoque ad vnam, quandoque ad duas leucas diſtātibus: ſecularis beneficiarius ſiue parochus reſidēdo in capite, hoc eſt in antiquiori, ſeu principaliori Eccleſia, & ponēdo vicarios in aliis annexis, cenſetur in illis & in tota Feligreſia reſidere: igitur idem iudicium eſt faciendum de reſidentia Abbatis regularis reſpectu ſuæ Abbatiæ, & Eccleſiarū ei annexarum. Quas tamen tenebitur certis temporibus perſonaliter viſitare, eſt enim iuriſdictio huiuſmodi Abbatum adinſtar Epiſcopalis. Vnde ſicut Epiſcopi ſuas Diœceſes ex præallegato Concilij decreto, ita & Abbates ſuas Abbatias cum annexis certis temporibus perſonaliter viſitare tenentur. Quæ obligatio maximè vrget Abbatem de Sobrado reſpectu Abbatiæ S. Iuſti, ſiquidē loco Abbatis proprij olim in illa reſidentis eſt ſubrogatus.

Dices ſufficere viſitationem Epiſcopi Diœceſani, qui Eccleſias omnes ſuæ Diœceſis quantūcumq; exemptas, tenetur viſitare ex Concilij decreto. Reſpondeo minimè ſufficere, neq; per viſitationem Epiſcopi excuſari Abbatem ab obligatione eaſdem Eccleſias viſitandi, (niſi aut per Bullam aggregationis, aut per conſuetudinem legitimè præſcriptam excuſetur.) Quod mihi non perſuadeo, quoniam † ad idem munus viſitatio- 27
nis poſſunt duo Prælati ſiue iudices ſub diuerſis titulis & rationibus obligari: Epiſcopus, vt Diœceſanus, & vt Sacramentum Confirmationis ſimul miniſtret, atq; vt cotrigat defectus vicariorū circa vſum Sacramentorū: Abbas verò vt parochus proprietarius, & immediatus, atq; vt defectus vicariorū regulariū ſibi ſubditorum perſonales emendet. Ex quibus liquidò conſtat tertij caſus reſolutio, nimirū poſſe Abbatē de Sobrado in Feligreſiis & Prioratibus Abbatiæ S. Iuſti annexis ponere vicarios cum cura animarū, ſemel poſitos amouere, & ſemel amotos iterū nominare, ſuppoſita prima Diœceſani licētia & approbatione.

Sed pro exacta reſolutione tertij caſus operoſius videndum eſt. Vtrum regularis ad effectum eligēndi confeſſarium qui eum abſoluat à reſeruatis, poſſit vti priuilegio Bullæ Cruciatæ? In quo dubio partiti ſunt Doctores in tres ſentētias. Prima abſolutè negans eſt, quam tuentur Corduba, Enriquez, Roder. Acoſta, Miranda, & vterq; Ledeſma, Suarius, *tom.4.de relig.tract.8.lib.2.c.6.* & Villalob. *tom.2. tract.2. clauſul.6.* quos ſequitur Cardinalis Lugo *vbi ſup.* relatus; idque ſuadent primò ex reſponſis Summorum Pontificum & Cardinalium, qui de hac quæſtione interrogati, & conſulti, negatiuè reſponderunt. Secundò ex ſpecialibus priuilegiis mendicantium, quibus omnino interdicitur vſus Bullæ Cruciatæ quantum ad effectum eligendi confeſſorem, & obtinendi abſolutionem à reſeruatis: quæ

priuilegia

priuilegia per dictam Bullam non derogantur. Tertiò, ex speciali Bulla Clementis VIII. ad instantiam Procuratoris Generalis Ordinis Carmelitani discalceati, nec non ex priuilegio Gregorij XIII. concesso Societati Iesuitarum anno 1575. prohibente eis, ne vtantur Bulla Cruciatæ, sine licentia Prælatorum, ad effectum eligendi Confessarium, qui eos absoluat à reseruatis. Atque ex simili Responso Vrbani VIII. dicentis, quòd non fuerit sua intentio in hac clausula Bullæ comprehendere regulares; atque ex eo quod concessio Pij IV. dantis licentiam in sua Bulla Regularibus sumendi illam, & vtendi sine licentia Prælatorum, iam per sequentes Bullas est derogata; maximè per Bullam Pij V. cuius meminit dictus Cardinalis Lugo *vbi supra.*

Secunda sententia è diametro opposita absolutè affirmans est, quam tuentur Salmanticenses Magistri, Toletus *in summa folio 269. casu 26.* Thomas Sanchez in *selectis disp. 44.* quam etiam ex sequacibus prioris sententiæ, reputant probabilem Corduba, ac Rodericus, affirmantes propterea non esse damnãdos Regulares qui priuilegio Bullæ ad huiusmodi effectum vtuntur. Quæ sententia à suis authoribus probatur. Tum quia per illam clausulam Bullæ, quæ habetur in illa à temporibus Pij V. *pro expressis habentes* &c. derogantur cuncta priuilegia etiam regularium; tum etiam quia in facultate vescendi ouis & lacticiniis expresè excipiuntur regulares. Secus in facultate eligendi Confessarium, & vbi lex non excipit, aut restringit, nec nos excipere, aut restringere debemus, maximè quia priuilegia, vtpote fauorabilia sunt amplianda. Tum etiam quia virtute Iubilæi possunt mendicãtes eligere Confessariũ ad prædictũ effectum; ergo pariter & virtute Bullæ Cruciatæ. Consequentia patet; quia priuilegia mendicantium non magis derogantur per Iubilæa, quàm per Bullam Cruciatam; Tum denique ex duplici inconueniẽti quod sequitur ex opposita sententia, nimirum quod operaretur Summus Pontifex cõtra suam intentionẽ, quæ est augere & multiplicare subsidium Regium; Rursus quod cum reseruatio sit stricti iuris, & hominum magna fragilitas, vergeret in graue animarum periculum.

27 Deinde quod† in religionibus, vbi est frequens casuum reseruatio, fieret iugum Dei intolerabile.

Tertia sententia est Ludouici de la Cruz *disp. 1. cap. 1. dub. 12.* dicentis; regulares non posse virtute Bullæ eligere Confessarium extra suam religionem sine licentia Prælatorum suorum ad obtinendã bsolutionem à reseruatis; bene tamẽ intra propriam religionem ad obtinendam absolutionem à non reseruatis. Primam partem probat ex dicta Bulla Clementis VIII. edita anno 1599. confirmata per breue Vrbani VIII. editum anno 1630. cui standum, quia est posterius; vbi tantùm prohibetur regularibus vsus Bullæ, ad effectum eligendi Confessorem extra ordinem, qui eos absoluat à reseruatis, tum suis Prælatis, tum Sedi Apostolicæ, ibi: *Quoad Sacramenti Pœnitentiæ administrationem ordinariæ dispositioni suorum Prælatorum, & Sedi Apostolicæ, quoad sibi reseruata, subiecti sint, eorumdem tenore præsentium perpetuò declaramus.* Ait Vrbanus, confirmando & declarando præfatam Clementis VIII. Bullam. Secundam partem inde probat quod id non prohibetur regularibus in præfatiq; Bullis dictorum Pontificum.

Verùm aduersus primam & tertiam sententiã stat possessio regulariũ minimè per ipsam clausulam Bullæ reuocata. Etenim † leges communes reuocantur per posteriores, etiam de eis nulla facta mentione, quoties prior nequit compati cum posteriori, vt ostendimus *in tractatu de legibus, lib. 6. c. 27.* huiusmodi autem priuilegium prohibens regularibus, ne Sacramentaliter confiteantur aliis quàm deputatis à suis Prælatis, habet quidem vim legis communis vtpote contentum in corpore iuris *in extrauaganti, inter cunctas de priuilegiis.* Sed licet per nullam posteriorem legem cũ ipso incompatibilẽ reuocetur, bene tamen per Bullæ concessionem. Tum etiam quia per dictam clausulam Bullæ Cruciatæ solùm excipiuntur à derogatione priuilegia concessa circa Indulgentias, non circa Sacramẽtorum administrationem, &c. ac proinde per illã non manet derogatum priuilegium eligendi Confessarium, &c. quod est meo iudicio argumentum irrefragabile: alioquin non restringeretur illa exceptio ad solos mendicantes, siquidem etiã regulares non mendicãtes siue monachales sunt prohibiti per sua priuilegia Pontificia, confiteri Sacramentaliter aliis quàm deputatis à suis Prælatis, aliàs isti saltem possent eligere Confessarium extra ordinem qui eos absolueret à reseruatis. Ratio autem excipiendi mendicantes fuit, quòd gaudeant pluribus gratiis & indulgentiis præ cæteris religionibus. Neque obstant illa verba generalia Bullæ *facultades, gracias, y priuilegios, &c.* nam debent intelligi iuxta subiectam materiam, scilicet indulgẽtiarum. Rursus fauet nostræ sententiæ, quod dictæ constitutiones Clementis, & Vrbani ipsis vitâ functis spirauere, & reuocatæ per sequentes Bullas censentur, maximè quia Bulla Cruciata sequenti anno promulgata, non censetur eadem cum Bulla anni præcedentis etiam eiusdem Pontificis. Nam hoc priuilegium est annuale, & cessat completo anno promulgationis, censetúrque multiplicari & reperi singulis annis, sicut legatum relictum in singulos annos distribuendum, censetur plura annua legata quolibet anno repetita *ex leg. cum in singulos ff. de annuis legatis.* Rursus cum Sixtus V. sibi reseruasset crimen procurati aborsus, ita vt nec per Bullam Cruciatã posset absolui, nec per Bullas sequentes posset absolui: quod tamen nemo admittit: ergo similiter in nostro casu, &c.

28 Nec per hanc facultatem eneruatur rigor monasticæ disciplinæ, sicut nec per licentiam datam sanctimonialibus à Tridentino *sess. 25. c. 10. præter ordinarium autem Confessorem alius extraordinarius ab Episcopo, & aliis superioribus bis, aut ter in anno conferatur, qui omnium confessiones audire debeat:* Nec eneruatur per facultatem concessam in Iubilæis solemnibus & generalibus eligendi confessarium etiam pro reseruatis, præterquam quod ista relaxatio, si quæ sit, satis compensatur, dum per illam maiora pericula & sacrilegia vitantur. His accedit quod ex parte Regis Hispani rogatus fuit Vrbanus VIII. ne in sua Bulla exprimeret dictam exceptionem regularium, necnó quod in Bulla Latina siue Plũbea sic habetur: *Itẽ vt omnes & singuli prædicti melius ad Deũ preces fundere possint, &c.* igitur potiùs in maiorẽ conscientiæ puritatem, quàm in detrimẽtũ regularis disciplinæ tale priuilegiũ conducit.

DVBIVM APPENDIX EST.

Vtrum Confeſſarius alicuius Principis ſuo muneri ſatisfaciat, abſoluendo eum à peccatis perſonalibus de quibus confitetur, nihil interrogando de peccatis defectuoſi regiminis de quibus non confitetur?

CAsvs eſt, quod quidam Princeps ſupremus habens valde defectuoſum regimen: quia ſcilicet † plurima peccata, tum omiſſionis, tum etiam commiſſionis 29
in regimine perpetrat, vt minus dignis aut etiam indignis officia, dignitates, Magiſtratus, & Epiſcopatus conferendo, & permittendo ſuis Miniſtris, vt Rempublicam tributis vexent, & ſimilia: de quibus tamē ipſe non confitetur, niſi de aliis, quæ vt homo ſiue vt perſona priuata committit: v.g. de mendaciis, de iuramentis ſine neceſſitate, de odio, & ſimilibus; habétque aliàs Confeſſarium doctum, & timoratæ conſcientiæ, de quo inquiritur: An ſatisfaciat ſuo muneri coram Deo, abſoluendo hunc Principem à peccatis perſonalibus, ſeruatis aliàs debitis conditionibus, nihil eum monendo aut interrogando de defectibus & peccatis in regimine perpetratis, nec minus notoriis quàm nociuis Reipublicæ.

Reſpondeo concluſione negante. Quam probo ex Caietano *in ſumma. V. interrogationes Confeſſarij*: vbi pro certo ſupponit, proprij muneris † Confeſſoris eſſe, nedum vt medici, ſed etiam 30
vt iudicis interrogare pœnitentem, quando ſcit, vel dubitat eum omittere aliquid neceſſariò in confeſſione pandendum: Cuius hæc ſunt verba. *Scito primò quod vt in verbo confeſſor, tractatum eſt; Confeſſor tenetur ad interrogandum pœnitentem in caſu quo putat, aut rationabiliter dubitat omitti aliquid neceſſariò confitendum, ſi non interrogat: quia tenetur Iudex diſcernere omnia neceſſariò diſcernenda ante ſententiam abſolutionis, alioquin iudicis officio abutitur. Vnde ſi ad neceſſaria diſcernendum oportet interrogare, tenetur interrogare: & quia † abuſus Sacramentalis iudicis eſt Sacrilegium, proculdubio peccatum eſt mortale nolle interrogare de neceſſariis &c.* 31
Idémque confirmat authoritate Iuris Canonici *in cap. omnis vtriuſque ſexus de pœnitentiis & remiſſionibus*, ſtatim adducendo. Et poſt pauca ſubiungit Caietanus. *Vbi autem Confeſſor bona fide putat non eſſe opus interrogatione, non peccat: quia præcepta affirmatiua quale eſt de interrogando, intelliguntur pro loco & tempore, & ſecundum omnes prudentia circumſtantias.* Hæc ille. Ex quibus planè colligitur lethale Sacrilegium committere dictum Confeſſarium, qui pœnitentem Principem non interrogat de peccatis defectuoſi regiminis; & quia notoria ſunt, non poteſt eum bona fides excuſare.

Secundò eandem concluſionem probo ex Nauarri expreſſa ſententia, qui veſtigiis Caietani inhærens, huic ſimile conſilium reſoluens *lib. 3. Conſiliorum, titulo de præbendis, & dignitatibus conſilio 15.* negatiuam quoque partem defendit in caſu, quod quis habens contra ius commune & ſpeciale Concilij Tridentini plura beneficia, accedens ad Sacramentalem confeſſionem, non ſe accuſaret de huiuſmodi beneficiorum pluralitate: *in quo tenetur Confeſſarius* (inquit Nauarrus) *eum interrogare. Nec enim illum debet audire donec prius interroget: an licitè retineat illa plura beneficia, cum probabiliter dubitare poſſit confeſſarius de iuſta cauſa retinendi illa: vt in ſpecie determinat Caietanus V. interrogationes confeſſarij.* Hæc Nauarr. qui ſtatim concludendo ſubdit, quod in dubio tenetur pœnitentem abſoluere: quia poteſt ſubeſſe aliqua iuſta cauſa & diſpenſatio, quæ eum à peccato ſaltem mortali excuſaret, quam non tenetur Confeſſario oſtendere &c. Tertiò probatur *ex dicto cap. omnis vtriuſque ſexus de pœnitentiis, & remiſſionibus*, expendendo illa verba †: *Sacerdos autem ſit diſcretus & cautus, vt more periti medici ſuperinfundat vinum & oleum vulneribus ſauciati, diligenter inquirens & peccatoris circunſtantias & peccati. Ex quibus prudenter intelligat, quale debeat ei præbere conſilium, & cuiuſmodi remedium diuerſis experimentis vtendo, ad ſaluandum ægrotum.* 32
Quibus planè ſignificatur muneris prudentis & periti confeſſarij eſſe, pœnitentem interrogare de neceſſariis ad confeſſionem: alioquin ſuo munere abutetur. Quartò probatur ex † duplici mu- 33
nere Confeſſoris: agit namque in Sacramento confeſſionis partes iudicis ac medici; vt conſtat ex præallegata *cap. omnis vtriuſque ſexus:* ſed ratione vtriuſque muneris tenetur pœnitentem interrogare, quando rationabiliter dubitat illum omittere aliquid de neceſſitate confitendum: nedum quando ſibi eſt notoria taciturnitas nociui & iniuſti regiminis, vt in noſtro caſu ſupponimus. Vt Iudex quidem, quoniam alioquin officio iudicis abutitur, abſoluendo reum de crimine neque confeſſo, neque in iudicio probato, & de quo neque reus ſe purgauit, quæ abſolutio prorſus eſt inualida. Vt medicus v.g. quia officio medici non ſatisfacit, qui infirmum relinquit incuratum ab occulta ægritudine, quam ob defectum interrogationis, medico non propalauit, & conſequenter neque medicus ei conueniens remedium adhibuit. Hæc eſt mea ſententia ſub correctione peritioris.

Vltimò probatur ex munere Conſiliarij, Magiſtri, Doctoris, ac ductoris, quod habet Confeſſarius erga Regem ſiue Principem ſupremum cuius eſt Confeſſarius, qui non ſolùm eſt eius in Sacramentali confeſſione Iudex & medicus, ſed etiam Conſiliarius & magiſter ac ductor, ad quem hac ratione pertinet † Regem inſtruere 34
de neceſſariis ad ſalutem & commonere de defectibus in regimine Reipublicæ nociuis; vt conſtat ex conditionibus quas Alphonſus cognomento ſapiens petit in Regis confeſſario *lege 3. tit. 9. partita 2. ibi. Debe ſer home muy letrado, é de buen ſezo, é leal, é de buena vida, é ſabidor de el vzo de la yglesia. El Letrado a menester que ſea para que entienda bien las eſcrituras, e las ſaga entender al Rey è le ſepa dar conſejo de ſu anima quando ſe le confeſſare. &c.* Huic autem muneri conſiliarij non ſatisfaceret, niſi in confeſſione Sacramentali, nedum extra illam, Regem non commonefaceret de pernitioſis defectibus in regimine, qui ipſi à Vaſallis ad

culpam

culpam imputantur. Quod amplius sic declaro. Aut enim confessarius iudicat huiusmodi omis-
35 sionem pandendi in confessione † regiminis talem defectum prouenire ex malitia, aut ex ignorantia: Si primum, tenetur illum repellere à confessione, ne illam inualidam faciat quousque obicem tollat. Si secundum, tenetur ab illo ignorantiam remouere, instruendo eum de eis peccatis, quæ in se & in suis Ministris tenetur vitare, & quibus debet se in confessione Sacramentali accusare, ne iuxta Euangeliũ verificetur, quod cœcus cœco ducatum præstans, ambo in foueam cadant. In hanc quoque sententiam facit (quod valde notandum est, & ex diuinis lit-
36 teris, atque ex humanis constat historiis) † ministros Dei, quandoque iubente Deo, sæpe autem Deo volente, Pricipes suos de occultis delictis grauiter obiurgasse; Sic enim Nathan Propheta Regem Dauidem de adulterio cum Bethsabe vxore Vriæ occultè perpetrato, grauiter reprehendit *lib. 2. Reg. cap. 12.* Elias Propheta, Regem Achab de violenta Vineæ Naboth vsurpatione, ex iussu Dei obiurgauit, & in vindictam fœdam ei mortem prænuntiauit. *lib. 3. Reg. cap. 21.* Ioannes Baptista vt refertur *Mathei* 14. Herodem Regem de incestu cum Herodiade vxore Fratris sui Philippi admonuit concionando. Beatus Ambrosius Imperatorem Theodosium de cæde Thessalonicæ perpetrata acriter reprehendit, & Ecclesiæ ingressum ei interdixit, donec Imperator indictam pœnitentiam impleret, quam
37 & deuotus ac humilis excepit. † Sanctus Frãciscus de Paula Minimorum fratrum Fundator, vt constat ex eius vita scripta per fratrem Marcellum Sanseuerina *lib. 2. cap. 7.* Alphonsum II. Regem Neapolitanum Patrem Ferdinandi; Ludouicum XI. eius filium Carolum VIII. atque eius succæssorem Ludouicum XII. Galliæ Reges acriter & Christiana libertate obiurgauit, de occultis criminibus in Populi regimine commissis, de quibus ipsos conscientia minimè remordebat.

Primum quidem obiurgauit, monens vt ageret pœnitentiam ad placandam diuinam iustitiam, quæ ipsi minabatur grande malum, sci-
38 licet amittendi Regnum, & † moriendi sine corona, sicut de facto contigit ob insolitas gabellas, quibus populos vexabat. Secundum ve-
39 rò acriter reprehendit, & † offerenti eidem Sancto viro magnam auri copiam, pro ædificando magnifico conuentu sui ordinis in Romana ciuitate, dixit se nolle eam pecuniam accipere, quia non erat cõgrua Eleemosyna sanguis Pauperum ad templorum constructionem; neque Deus vult sibi templa dicari ex sanguine pauperum; quod & miraculo comprobauit. Accipiens enim Sanctus vir vnum scutum aureum manu sua, statim sanguinei coloris factum est. Vide (inquit) ô Rex, qualiter tua pecunia de sanguinibus pauperum subditorum congregata est. Tertium quoque sua reprehensione compulit, vt intra ipsiusmet cellam sumeret vnam rigidissimam disciplinam pro suis peccatis, de quibus eum obiurgauerat, ita vt quando Rex exiuit de cella sancti viri, eduxit faciem lachrymantem, & roseo rubore suffusam, ex rigore disciplinæ & reprehensionis proueniente. Quartum denique scilicet Ludouicum XII. Caroli VIII. in regno successorem, tanta libertate de quibusdam criminibus occultis reprehendit, vt lachrymis perfusus publicè affirmaret, numquam existimasse † viuere virum in terra tantæ sanctita- 40
tis, & qui eum accusauerat de peccatis, quæ soli Deo erant nota. Verùm huius veritatis nullum maius testimonium, & exemplum possumus adducere, quàm Sancti Ludouici IX. eiusdem Galliæ Regis, qui morti appropinquans, vt refertur *lib. 2. chronicæ de regno Gallia*, filio suo ac successori cõmendauit, vt suis Confessariis, ac Consiliariis permitteret liberã facultatẽ ipsum monendi; *Ita gerete, vt qui tibi sunt à confessionibus & Consiliis liberè admoneant.* Et merito tam salubre Consilium dedit hic Sanctus Rex filio suo, qui in Regni solio futurus erat successor. Nam considerabat † triplicem illam artem quam 41
vnusquisque Rex profitetur: nimirum Ethicam, Oeconomicam, & Politicam; Ethicam quidem in ordine ad se; Oeconomicam in ordine ad suam domum, & Politicam in ordine ad populum quem gubernat. Gerit etenim Rex triplicem personam; videlicet Ethici, hoc est hominis priuati in ordine ad se & personales actiones; Oeconomi, id est Patrisfamilias, qui curam debet suæ domus habere; & Politici, in ordine ad Rempublicam cui præest, & cui dominatur. Certum quoque est Regem † in vna- 42
quaque ex his tribus artibus & professionibus posse delinquere; potest namque delinquere vt Ethicus, id est vt persona priuata contra Decalogi, & Sãctæ matris Ecclesiæ præcepta, quæ ipsum pariter ac cæteros homines ad sui obligãt obseruantiam. Rursus potest delinquere, vt Oeconomus in regimine suæ familiæ, sicut & alij patres familias, siquidem non est magis, quàm illi, impeccabilis, aut in gratia confirmatus. Quod autem possit delinquere in Politica, & vt Rector populi; vtinam non esset hæc veritas tot experimentis confirmata, sed eam clamitant Reipublicæ Calamitates, pauperum miseriæ, populorum desolatio, bella intestina & cruenta, Gabellæ insolitæ, & quamplura alia damna Rempublicam vexantia, & vsque ad vltimum spiritum perducentia, quæ ex defectuoso regimine ortum ducunt. Igitur † dum Rex accedit ad Tri- 43
bunal Sacræ confessionis, tenetur cõfiteri vt triplex persona; vt priuata sua peccata personalia pandendo; vt Oeconomus, defectus in regimine familiæ commissos ostendendo, & vt Politicus & Populi Rector, defectus commissos in eo regimine Clauibus Ecclesiæ subiciendo. Quod si non faciat, quis eum absoluet de peccatis non confessis? nemo sanè. Ergo morietur non absolutus ab illis, & sic mortem incurret æternam; quam vt vitet, tenetur eum Confessarius admonere, vt sic admonitus, & de iam præteritis in regimine peccatis impetret remissionem, & futura præcaueat. Neque † Principem 44
ab huiusmodi piaculo excusat vulgaris sententia dicentium; damna, & vitia regiminis non Principi, sed eius Administris, Consiliariis & Magistribus fore imputãda: quippe qui ratione officij, & iuramenti fidelitatis præstiti tenentur quod bonum est suo Principi consulere, & quod malum dissuadere, quibus proinde Princeps potest securus, & indemnis se conformare. Non inquam hæc excusatio, licet vulgaris, ei prodest, eò quod ipse non subest, sed præest suis Administris ob excellentiam Monarchici regiminis. Vnde quando aut est commonefactus de vitioso, & nociuo regimine: aut quando regiminis

vitia & nocumenta ſunt nota (efficit autem illa nota miſerorum planctus , & communis populi clamor) tenetur in vtroque foro tales Adminiſtros, ſiue Conſiliarios, & Magiſtratus errantes contra bonum publicum, corrigere, emendare, etſi opus fuerit, ab officio deponere, &
45 † in eorum loca alios magis idoneos ſubrogare, illis ſcilicet quatuor virtutibus ornatos à Iethro Moyſis ſocero *Exod.* 18. aſſignatis, nimirum ſapientes, timentes Deum, in quibus ſit veritas, & qui oderint auaritiam. Alioquin iam Princeps ſuorum Adminiſtrorum conſentit peccato:
46 † facientes autem & conſentientes, diuino & humano iure eâdem pœnâ plectuntur.

Id ipſum per congruam contrapoſitionem comprobatur. Reges Angliæ, (inquit Theodorus *in elencho nuperorum motuum illius Regni*) clamitant Regem Anglicanum neque errare in regimine, neque iniuriam inferre poſſe: quia quæcumque actio erronea aut iniurioſa à Rege proficiſcens, non ipſi, ſed eius Adminiſtris & Magiſtratibus eſt imputanda: eò quòd iſti tenentur potiùs officio ac dignitati ſeu Magiſtratui renunciare, quàm in ſuo Rege actionem erroneam aut iniurioſam permittere. Optimæ ſunt leges; vtinam ad vnguem à Regnicolis ſeruarentur ſicut clamitant! Sic enim nunquam tot errores, tot iniurioſas actiones, & Reipublicæ nociuas Carolo I. imputarent, ob quas & ei caput Plebeij amputârunt iniquiſſimè, quin aliquis ex talibus adminiſtris officio renuntiauerit, in quo iam à legibus, & à veritate defeciſſe conuincuntur. Licet ergo, vbi huiuſce Parlamentariæ leges extant, nec Rex ſe accuſare in Sacramentali foro de defectibus in regimine, nec illos pandere omittentem Confeſſarius admonere teneatur: verùm vbi tales leges non extant, è contrario; & ipſe Rex in dicto foro de defectibus in Politico regimine commiſſis tenebitur ſe accuſare: & confeſſarius illos omittentem pandere tenebitur de eiſdem illum admonere, vt ſic admonitus cum præpoſito emendæ concepto, beneficium abſolutionis legitimè & validè obtineat; quod aliàs Confeſſarius neque ritè, neque validè impendere poteſt.

QVÆSTIO IX.

Regularis.

Vtrum Religioſus recurrens ad Papam, vel ad Superiorem ſui Ordinis, ſine licentia Prælati ordinarij excuſetur à culpa, & pœnis fugitiui?

SVMMARIVM QVÆSTIONIS NONÆ.

1 *Nomendatura fugitiui ſecundum diuinas ac humanas literas.*
2 *Monachi quando fugitiui dicuntur, quando Apoſtatæ.*
3 *Religioſus recurrens ad Papam vel ad Superiorem ſine licentia Prælati, poteſt facere hunc recurſum tripliciter.*
4 *Apoſtata à religione quis.*
5 *Peccatum lethale Apoſtaſiæ in quo conſiſtit.*
6 *Apoſtata ordinis Dominicani ipſo facto eſt excommunicatus.*
7 *Inobedientia contra Superiorem eſt materia grauis in religione, & peccatum contra charitatem.*
8 *Religioſus ad ſuum Superiorem confugiens, ab omni culpa excuſatur, ſi eſt perſona grauis & probatæ famæ, & quando ex conſilio prudentum virorum huiuſmodi exitum capeſſit.*
9 *Leges in præſumptione fundatæ, quando deeſt veritas præſumptioni, amittunt vim obligandi.*
10 *Arma ſumere contra Abbatem in ſui defenſionem licitum eſt.*
11 *Defenſio omnis permiſſa eſt iure naturali, ſi præſtetur cum moderamine inculpatæ tutelæ.*
12 *Religioſus nullas literas poteſt mittere aut ſcribere ad Papam ſine licentia ſui Prælati: A qua tamen regula excipiuntur duo caſus,* ibid.
13 *Pater eget ſeruitio religioſi dupliciter.*
14 *Præceptum iuris naturæ & Diuini in extrema neceſſitate præeminet omni voto & vinculo.*
15 *In concurſu duorum præceptorum illud præualet quod eſt maius & vinculi ſtrictioris.*
16 *Obligatio iuris naturalis non abſoluitur per profeſſionem Religionis.*
17 *Propter Religionis obſeruantiam non ſunt pietatis officia erga parentes prætermittenda.*
18 *Inanis eſt actio, quam excludit inopia creditoris.*
19 *Relinquere parentes eâ neceſſitate oppreſſos, vt ſine filij ope vitam tranſigere commodè non valeant, inuoluit duplicem malitiam; alteram tentationis Dei, alteram impietatis.*
20 *Non ſunt ad Religionem admittendi filij qui parentes eorum ope indigentes in ſeculo relinquunt.*
21 *Potior eſt in dominio ille, cui prius res traditur, licet præuenerit alter in titulo.*
22 *Deo ſimul dicata non poſſunt contra ipſius voluntatem in alios vſus conuerti.*
23 *Factum legitimè retractari non debet, licet caſus poſtea eueniat, à quo non potuit inchoari.*
24 *Ex iure ciuili pater poteſt vendere filium pro ſui neceſſitate ſubleuanda.*
25 *Religioſus eſt mortuus morte ciuili, nec velle aut nolle proprium habet, &c.*
26 *Obligatio implendi votum cadit ſub diuino, & naturali præcepto in ordine gratiæ.*
27 *Summus Pontifex poteſt ob rationabilem cauſam diſpenſare cum Religioſo ad Sedem Apoſtolicam recurrente.*
30 *Multi Religioſi ſunt in ſtatu damnationis, & quare?*
31 *Bulla Pauli III. in quâ licentia teſtandi conceditur Clericis de Ordine Sancti Iacobi, aliiſque Clericis beneficiariis aliorum Ordinum, videlicet militiæ Calatrauæ, Alcantaræ & Monteſiæ, ad finem vſque expenditur.*

IN † à nomendatura fugitiui incipiamus. 1
Primò ſciendum eſt, fugitiuum dici à fugiendo,

fugiendo, quasi ille in Religionibus appelletur fugitiuus, qui fugit, vel fugam capit excundo è clausstro monasterij sine licentia legitimi superioris. Et licet quantum ad primariam nominis significationem, nomen fugitiui significet eum, qui consuetudo est aufugiendi, cũ animo non reuertendi ad illum à quo aufugit. Vnde fugitiuus seruus dicitur qui à Domino ea mente recedit, ne ad illum redeat, etiamsi mutato consilio ad eum postea reuertatur: quive extra Domini domum fugæ causa vt se à Domino cælaret, mansit: & qui eò se confert, vnde illum dominus recuperare aut abducere non possit. Hinc res quæ parum durant, aut citò euanescunt, & non reuertuntur in pristinam formam, *fugitiuæ*, seu *fugaces* vocãtur: vt *fugitiuum argentum* dicitur à Terentio *in Heaut*: & à Martiali canitur *lib.* 1.

Gaudia non remeant, sed fugitiua volant,

Et *lib.* 7.

Viue vel rapto, fugitiuaque gaudia carpe.

Et de Tantalo in pœnam delicti canit Ouidius *lib.* 2. *de Tristibus*,

Quærit aquas in aquis & poma fugacia captat.

Et Distichus occasionem describens in Athenæo Salmantino sic habet.

Artis opisque potens occasio rapta beabit,
Aggerat ac lacrimas, cum fugitiua volat.

Hinc Agar, fugiens domum Saræ animo non reuertendi, etsi postea monente Angelo redierit, verè fugitiua fuit, de qua propterea *Geneseos* 16. dicitur: *Affligente igitur eam Sarai fugam iniit.* Et infra: *à facie Sarai Dominæ meæ ego fugio.* Sed qui incendium domus, aut ruinam aut hostem inuadentem, aut præceptoris seueram disciplinam effugiunt, propriè fugitiui non sunt, etsi vulgo sic appellentur. Verùm iam in
2 ampla significatione eos † milites, qui è castris sine licentia ducis, & eos monachos qui è clausstro sine licentia Prælati exeunt, etiam cum animo reuertendi, fugitiuos appellamus. Imo eos religiosos qui exeunt sine sui superioris licentia cum animo nec intrandi aliam religionem, nec redeundi ad propriam, apostatas potius quàm fugitiuos esse, & dici debere, ex superius dictis constat, & in vtrosque seuerâ disciplinâ, militiæ ac religionis leges animaduertunt. Secundò no-
3 tandum est † religiosum recurrentem ad Dominum Papam, vel ad Superiorem sine licentia Prælati à quo, posse facere hunc recursum vno ex tribus modis; nimirum, aut causa vagandi, siue aliquam obtinendi commoditatem: aut causa vitandi grauamen sibi à Prælato ordinario illatum, vel inferendum: aut causa videndi parentes suos in seculo relictos, & in necessitate constitutos. Quæ necessitas potest esse duplex, videlicet, aut extrema, aut grauis citra extremam. Vnde vt certa ab incertis separemus;

Dico primò, quando Religiosus primo modo, aut ex prima causa recurrit ad Superiorem sine vlla licentia tam Prælati à quo, quàm Prælati ad quem confugit, re vera est fugitiuus, & in fugitiui pœnas incurrit. Quæ sententia præterquã quod est communiter recepta; vt videre est apud D. Thomam. 2. 2. *q.* 12. *art.* 1. Bañesium *ibidem dub.* 1. *concluſ.* 6. Caietan. *ib.* Nauarrum *super c. non dicatis*, & *lib.* 2. *consiliorum tit. de appellat. consilio* 4. & *lib.* 5. *tit. de Apostasia consilio vnico*, Roderic *to.* 2. *quæstion. regular. q.* 53. *art.* 10. & alios recentiores: Suadetur primò, quoniam licet iste non sit Apostata à Religione, quem Nauarrus *vbi supra* sic definit. † *Apostata à re-* 4
ligione, est Religiosus expresè, vel tacitè professus, qui deserit Religionem, quam professus est sine transitu ad aliam, cum animo non reuertendi ad suam. Iste autem sic confugiens non est desertor Religionis, quippe qui nec transit ad aliam, nec vadit cum animo non reuertendi ad suam: ergo non est Apostata. Et cum aliàs habitum non dimittat, neque excommunicationem latam incurrit contra Apostatas, per temerariam habitus dimissionem *in cap. vt periculosa, de Clerici, vel monachi in sexto*, vbi sic habetur. *Vt periculosa Religiosis vagandi materia subtrahatur, districtius inhibemus, ne de cætero aliquis quamcumq; Religionem tacitè, vel expresè professus in scholis, vel alibi, temere habitum suæ Religionis dimittat*, &c. *Si quis temerarius violator extiterit, excommunicationis sententiam ipso facto incurrit.* Sed neque † peccatum lethale Apostasiæ commit- 5
tit; quod in egressu à monasterio cum animo non reuertendi ad obedientiam, etiam habitu retento, consistit. Quo in casu habitus retentio non excusat sic fugientem à crimine Apostasiæ, quia habitus non facit monachum, cui nulla in iure imposita est excommunicatio. Quamuis in pluribus Religionibus priuata lege huiusmodi Apostatæ excommunicationis gladio feriantur, vt in nostra Dominicana *distinctione* 1. *cap.* 20. sub his verbis. *Quicumque* † *apostata-* 6
uerit ipso facto sit excommunicatus; quam sententiam ferimus ex nunc præsenti statuto; quæ neque hunc fugientem ad Superiorem comprehendit, eò quòd fugit sine animo deserendi Religionem & obedientiam, vnde actum Apostasiæ non committit. De quo videndus est Caietanus *in summa V. excommunicatio c.* 6. vbi dictam constitutionem, *vt periculosa* ad vnguem examinat, & expendit. Licet enim hæc ita se habeant; verùm huiusmodi Religiosus sic confugiens ad Superiorem sine licentia Prælati à quo, & quin vocetur à Superiori, verè & simpliciter est vagus ac fugitiuus: ergo pœnis talium est obnoxius. Minor est expressa eiusdem Caietan in dicto *art.* 1. *q.* 12. vbi adnotat dupliciter contingere religiosum aliquem sine licentia cum habitu exire de clausstro: nimirum *vel cum animo deserendi suam religionem & nullam aliam intrandi; & iste verus est apostata, quem neque à culpa, neque à pœnis apostasiæ habitus retentio excusat: vel exit sine animo descrendi religionem propter prælatorum rigorem, aut propter libidinem vagandi, aut aliquid huiusmodi, & talis non est apostata, sed fugitiuus & vagus. Et quod hoc sit verum patet ex hoc, quod apostasia consistit in retrocessione à religione: ac per hoc, qui retrocessioni à religione nunquam consensit, nunquam in apostasiam incurrit, quamuis incurrat peccatum inobedientiæ & rebellionis contra præceptum prælati exeundo, sicut etiam stans in clausstro & nolens pertinaciter obedire prælato aliquid iustè præcipienti, rebellis est, non apostata.* Hactenus Caietanus; cuius sententiam sensu & verbis amplectitur Nauarr. *in dicto consilio vnico de apostasia*, ex qua depromitur prima ratio efficaciter probatiua nostræ assertionis. Secundò probatur à Bañesio *in præallegata conclusione* 6. *dub.* 1. ex eo quòd talis religiosus recedens à monasterio sine licentia sui prælati, etiam cum intentione temerè vagandi, redeundi tamen ad clausstrum, licet non sit apostata, neque excommunicationis vinculo innodatus, quoniam neque habitum dimittit,

neque

neque religionem in effectu deſerit, nihilominus peccatum lethale ex genere committit,
7 quia eximit ſe † ab obedientia ſui prælati quam vouit ſolemniter, quæ eſt materia grauis in religione: eſt quoque huiuſmodi peccatum contra Charitatem ex adiuncta circumſtantia propter graue ſcandalum, & grandem turbationem, quæ inter religioſos manentes intra clauſtrum ſolent ex huiuſmodi receſſibus exoriri; quapropter triplicem malitiam huiuſmodi fuga ſubinduit; videlicet inobedientiæ ex obiecto in materia graui, atque ſcandali, & perturbationis in Communitate ex adiuncta circumſtantia.

Dico ſecundò; fugitiuus etiam cenſendus eſt religioſus recedens è clauſtro ſine licentia prælati, vt confugiat ad ſuperiorem cauſa grauaminis vitãdi. Hæc aſſertio defenditur à Banneſio *vbi ſupra*, & à Petro Martyre *in ſuo ſummario p. 4. capit. 18.* & Roderico *in prædallegato artic. 10. §. ad 3. aduerſus Nauarrum in cap. non dicatis, & lib. 2. conſiliorum tit. de appellat. conſilio 4.* dicentem; licitum eſſe vnicuique religioſo à ſuo cõuentu abſque Prælati licentia, vt per viam appellationis aut ſimplicis querelæ ad Superiorem recurrat. Pro quo citat Baldum *in leg. 2. ff. de his qui ſunt ſui, vel alieni iuris, & in cap. ad noſtram de appellatione*: quatenus aſſerit, quod Abbate nimis in monachos ſæuiente, eis licet de monaſterio fugere ad ſuperiorem: nec dicuntur apoſtatæ. Sed noſtra concluſio ſuadetur primò ex eodẽ *c. ad noſtrã*, ibi; *Remediũ appellationis nõ ideo eſt inuentum, vt alicui à religionis & ordinis obſeruantia exorbitanti debeat ſua nequitia patrocinium exhibere, & cap. reprehenſiblis, eodem titulo*, ibi; *nec ſubiecti contra Eccleſiaſticam diſciplinam in vocem appellationis erumpant.* Quod ius antiquum renouans & confirmans Tridentina Synodus *ſeſſ. 25. cap. 4. de regularibus*, ſic decernit. *Nec liceat regularibus à ſuis conuentibus recedere, etiam prætextu ad Superiores ſuos accedendi, niſi ab eiſdem miſſi aut vocati fuerint: qui verò ſine prædicto mandato in ſcriptis obtento repertus fuerit, ab ordinariis locorum tanquam deſertor ſui inſtituti puniatur.* Ex quibus tale deducitur argumentum. Actus prohibitus à iure vt graui pœna puniendus, eſt culpa lethalis, vt communis tenet Doctorum ſententia; Atqui iſte recurſus religioſorum ad ſuperiorem ſine licentia Prælati à quo, etiam per viam appellationis & grauaminis propulſandi cauſa, eſt prohibitus à iure, & à Tridentini Synodo grauiſſimâ pœnâ religioſi inſtituti deſertoribus debitâ punitur: ergo iſte recurſus eſt culpa lethalis. Et cum aliàs ſit in materia inobedientiæ, & pœnis fugitiuorũ multetur: cõſequẽs eſt illũ eſſe inobediẽtiæ crimen, ac fugitiui delictum, quod ex obiecto & ratione materiæ grauis in religioſis eſt peccatum mortale ex genere. Subinduit quoque, ab extrinſeca circumſtantia etſi regulariter ei adiuncta, malitiam perturbationis & ſcãdali, quod ex huiuſmodi receſſibus inter religioſos oritur. Secũdò probatur quia propterea in priori caſu peccat religioſus mortaliter recedendo à clauſtro, quia eximit ſe ab obedientia ſui Prælati, quam ſolemniter vouit: ſed etiam in hoc ſecundo caſu eximit ſe ab eadem obedientia: ergo pariter peccat mortaliter. Dixi *ex genere ſuo*; nam in indiuiduo & ceſſante circumſtantia ſcandali ac perturbationis, poterit eſſe culpa duntaxat venialis, vt notat Bañeſius *vbi ſupra*. Quinimo & poterit quandoque talis exitus ab omnis culpæ labe purgari: vt Rodericus *ad calcem dicti articul.* 10. aduertit, dicens † ab omni culpa excuſari religioſum ad 8
ſuum Superiorem confugientem, quãdo eſt perſona grauis & probatæ famæ, de qua non poteſt ſuſpicari animus fugiendi; & quando huiuſmodi exitum capeſſit ex conſilio prudentum virorum ſibi illum licere ſuadentium: necnon quando ſæuitia Prælati ordinarij eſt tanta in eum vexando, vt non aliter eam redimere valeat, quàm recurrendo ſine licentia ad Superiorem. Tertiò, ex Bulla ſuadetur Sixti V. contra illegitimos, vbi obiter de hiſce religioſis fugã capientibus prætextu recurrendi ad ſedem Apoſtolicã, ſermonẽ faciens, ſic ait. *Quod ſi diceret ſe ad Apoſtolicã ſedẽ confugere, ob grauamina ſibi à ſuis ſuperioribus illata, ideo ab ipſis licentiã obtinere non potuiſſe nõ propterea recipiatur* (intellige niſi in carceribus) *niſi fide dignorũ teſtimonio de licẽtia petita & eis denegata conſtiterit.* Non autem tam acerba pœna Sanctiſſimus Sixtus in illos animaduerteret, niſi grauis culpæ reos iudicaret. Verumenimvero, quia iſta lex, & ſimiliter lata à Tridentina Synodo in loco nuper allegato in præſumptione fundantur, cui poteſt veritas deeſſe: † Leges autem in præſumptione fundatæ 9
quando deeſt veritas præſumptioni, amittunt vim obligandi, vt *in tractatu de legibus* ſcripſimus: propterea ſi fide digno teſtimonio conſtet, huiuſmodi religioſum recurrere ad ſuperiorem, aut per viam appellationis, aut ob vitandum grauamen ſibi illatum, aut ob euadendum nimiam ſæuitiam Prælati, à quo petitam licentiam obtinere non valuit: tunc pœnæ harum legum non ſunt in illum exequendæ.

Vltimò probatur ſatisfaciendo tribus argumentis Nauarri *vbi ſupra*. Quorum Primum eſt, quod edictum de appellando eſt permiſſorium, quatenus vnicuique grauato à ſententia grauante permiſſum eſt iure naturæ & humano appellare, vt tenet vltima gloſſa communiter recepta *in lege, qui reſtituere, ff. de rei vindicat.* Qua ratione dicitur *in leg. 1. ff. de appellat. cap. cum inter, de exception.* & in Clementina *Paſtoralis, de re iudicata*, beneficium appellationis eſſe iure naturæ debitum, ac proinde nemini denegandum, ſed neque alicubi in iure religioſis prohibetur illo vti. Secundum deſumitur *ex cap. ad noſtram, & cap. reprehenſibilis*, iam citatis: vbi à contrario ſenſu deducitur beneficium appellationis ad propriam innocentiam tuendam, vnicuique eſſe concedendum. *Et in cap. de priore, eodem titul.* iubetur caſtigari grauiter Prior, qui appellationem ſubdito etiam in caſu correctionis, ſi immoderata ſit, non admittit. Et notat Baldus *in dicta lege 2. §. Dominorum, ff. de his qui ſunt ſui, vel alieni iuris*: & *in prafato cap. ad noſtram*, dicens; quod Abbate nimis in monachos ſæuiente, licet eis fugam capere de monaſterio ad Superiorem, quin dicantur Apoſtatæ. Quinimo
† licitum eſt eis (ait Cardinalis *in Clementina* 10
1. §. præfatæ, de ſtatu monachorum,) arma ſumere contra Abbatem, in ſui defenſionem. Tertium deprimitur *ex c. ad Romanam 1. & 2. de appellat.* vbi conceditur quibuſcumque oppreſſis facultas vtendi remedio appellationis: & conſequenter à fortiori recurrendi immediatè per viã ſimplicis querelæ ad Roman. ſedem, atq; ad Concil. generale, cui Papa præſidet per ſe, vel per legatũ à qua cõceſſione nuſquã religioſus inuenitur excluſus.

A quibus tamen facili negotio noſtra aſſertio vindicatur. Ad Primum enim fateor, licitum eſſe religioſo eum recurſum ad ſuperiorem per viam appellationis, vel ſimplicis querelæ, omiſſa licentia Prælati à quo, in caſu aſſignato à Baldo, nimirum, quando Prælatus nimis rigida ac ſæua correctione ſubditum vexat; quam aliter ſubditus miſer vitare non poteſt, niſi per ſpeciales leges ſuæ religionis ob finem maioris perfectionis, beneficio appellationis renuntiauerit: tunc enim illo vti non poterit. Quod qualiter contingere poſſit, & in quibus religionibus ex toto, vel ex parte obſeruetur, alibi, videlicet *in tractatu de legibus*, & *in quæſtione de appellationibus* ſcripſimus. Verùm citra hunc caſum, non licet religioſis prætextu cuiuſcumque grauaminis vitandi ad Superiorem ſine licentia, per viam appellationis, aut ſimplicis querelæ recurrere. Quòd ſi faciant, rei criminis inobedientiæ, & pœnis fugitiuorum obnoxij fiunt. Quid ergo faciet religioſus, qui à ſuo Prælato aliquanto grauamine vexatur, à quo licentiam in ſcriptis recurrendi ad ſuperiorem obtinere non valet? Patienter ſuſtineat ob bonum religionis, ad quam non litigare, ſed obedire venit. Nec enim vt habetur *in præallegato cap. Ad noſtram*, remedium appellationis ideò inuentum eſt, vt à religionis & ordinis obſeruantia reſilienti, debeat ſua nequitia patrocinium exhibere.

Ad ſecundum reſpondeo; id ſolùm conuincere, quòd licet etiam religioſis vti remedio appellationis ſeruatis ſeruandis, hoc eſt non friuolæ aut inutilis, neque ad nequitiæ & inobedientiæ patrociniũ, ſed ad innocentiam tuendã, & Tyrannicum grauamen propulſandum. Et hinc requiſito prælato à quo, & teſtimonio fide digno obtento de licentiæ petitæ denegatione, atque de non admiſſa appellatione (niſi prudenter timeat præcludendum ſibi fore receſſum à Prælato ſic requiſito) vt eo teſtimonio munitus, neque ab ordinarijs locorum tanquam deſertor ſui inſtituti puniatur, neque ab alijs Prælatis conuentuum iuxta Sixti V. Conſtitutionem in carcerem detrudatur. Alioquin cum iſtæ leges in præſumptione fundentur, quandoque veritati contraria, continget innocentem in foro interiori, reum in externo iudicari, & vt talem pœnas taxatas ſubire. Nec aliter habet ius ſubditus grauatus recurrendi ſine licentia Prælati à quo, cuius ſignum euidens eſt, quod Prælatus à quo habet ius, eum etiam extra ditionem ſuam quærendi, & eum inuentum ab itinere incepto in clauſtrũ reuocãdi; alioquin ſi ſuã diligentiã omittat, nec ſuo muneri ſatisfaciet, nec deſinet à viſitatore grauiter corripi. Igitur ſubditus nõ habet ius recurrẽdi ad Superiorẽ ſine licentia etiã per viã appellationis, aliter quàm ſeruatis prædictis conditionibus, ſiquidem bellum iuſtũ ex vtraq; parte dari non poteſt. Illud autẽ dictũ Cardinalis, videlicet poſſe ſubditum contra Prælatum nimis ſæuientem arma ſumere, cum grano ſalis eſt accipiendum, nimirum in eo caſu in quo habet locum iuſta defenſio, per illam iuris naturalis regulam: *vim vi repellere licet*: & ſi ſæuitia in violentam aggreſſionem tranſeunte, Prælatus gladio aut fuſte ſubditum impetat, cui tunc procul dubio licebit ſe defendere cum moderamine inculpatæ tutelæ. Quoniam † beneficium 11
iuſtæ defenſionis vſque ad aggreſſoris internecionem cum moderamine inculpatæ tutelæ, omnibus ius naturæ concedit.

Ad tertium fateor, à beneficio & remedio appellationis nullum religioſum per ius commune eſſe excluſum: poteſt tamen ei per ſpeciales ſui ordinis conſtitutiones, quas ipſe vouit ſeruare, prohiberi. Sed neque Dominicani, quibus recurſus & appellatio ad extraneos, hoc eſt ad extra ordinem, iudices interdicitur, à iure appellandi & recurrendi ad ſedem Apoſtolicam, ſunt excluſi, eò quòd neque Summus Pontifex, extraneus iudex, neque Sedes Apoſtolica, extraneum tribunal reſpectu religioſorum cenſetur; vtpote cùm omnes religiones ſint immediatè Sũmo Pontifici ſubiectæ, qui eſt omnium religioſorum verus Prælatus, habens erga illos nedum iuriſdictionis, ſed & rei dominatiuam poteſtatem, qua & eorum vota irritare poteſt. Verùm huiuſmodi religioſorum recurſus ad ſedem Apoſtolicam, vel ad Concilium generale eam repræſentans, ſine licentia Prælati inferioris cautè fieri debet, ſeruatis conditionibus ſuperius adnotatis: alioquin iſte recurſus grauis, & periculoſus erit, neq; eos à pœnis & culpa fugitiuorũ excuſabit.

Quibus ſuppoſitis veniũt explicãdi duo caſus ſpeciales. Primus eſt, quem tetigit Nauarrus *lib. de ſtatu Monachorum & canonicorum regula, Conſilio* 13. de quodam Canonico regulari fugiente ad curiam ſine licentia ſui Prælati, qui ſimul portabat litteras ſociorum ad Dominum Papam, quod licitè poteſt capi à ſuo Prælato etiã extra territoriũ, qui in hoc caſu ius habet, vt litteras poſſit aperire & rumpere. Ratio primi ſumitur ex *leg. 1. C. de ſeruis fugitiuis*, quatenus determinat curiæ vel cohorti obligatũ, aufugiẽtẽ, poſſe ab ipſa curia vel cohorte cuius eſt, capi: & ex *lege 1. C. vbi cauſa ſtatus*, quatenus diſponit ſeruũ à Domino fugientẽ, etiam extra prouinciã poſſe capi à Domino, vel de eius mandato à quocunq; alio. Quæ etiam habent locum in vxore fugiente maritum, & in religioſo fugiente à monaſterio, ſicut notant Bartolus, Baldus, & Salicetus à Nauarr. citati, vtpote quorũ aſſertiones in iure diuino & humano fundẽtur. Sumitur quoq; ex Clementina *I. de ſtatu monach. & Canonic. reg.* contra Monachos & Canonicos regulares, euntes ſine licẽtia ad curias animo nocẽdi monaſterio, & ex Trident. *ſeſſ. 25. c. 4. de regular.* prohibẽte, ne quis regulariũ recedat à cõuentu etiã prætextu adeundi ſuperiores, niſi ab illis ſit miſſus, aut vocatus.

Ratio ſecundi eſt, quoniam † religioſus nullas 12
litteras poteſt mittere, aut ſcribere etiam ad Papam ſine licentia ſui Prælati, qui proinde habet ius illas capiendi, ac legendi, ſiue rumpendi, ſicut & habet aliarum rerum ſui conuentus plenam adminiſtrationem: cuius etiam ſunt quæcumque litteræ & Epiſtolæ à religioſis ſcriptæ. Ab hac tamen vniuerſali regula excipiuntur duo caſus. Alter eſt, quando religioſus ſcribit, vel agit iuridicè ſuper accuſatione contrà ſuum Prælatum, cuius tunc licentia non indiget. Alter eſt, quando per ſuam conſtitutionem habet priuilegium ſcribendi Epiſtolas ſine licentia prælati: quo priuilegio gaudent in Dominicano ordine Magiſtri, & Prædicatores generales, cuius caſus non meminit Nauarrus. In hiis namque caſibus Prælatus non habet ius litteras rumpendi aut legendi, alioquin daretur bellum iuſtum ex vtraque parte.

Secundus caſus, qui venit explicandus in cõfir-

mationem dictorum, eſt determinatus à Sixto V. in duabus conſtitutionibus, quarum ſecunda eſt declaratiua primæ; vbi decernit quod religioſi itinerantes ſine licentia in ſcriptis, ad aliam prouinciam, vel ad alium Conuentum eiuſdem prouinciæ, recipiantur à Prælato ad quem diuerterint in carceribus, ſub pœna priuationis officij, gradus, vocis actiuæ & paſſiuæ ipſo facto incurrenda, & quod non poſſit aliter iudicari. Inſuper quòd huiuſmodi itinerandi licentia ab ordinarijs locorum examinetur: & qui ſine illa inuenti fuerint, cuſtodiæ mancipentur iuxta diſpoſitionem Concilij Tridentini *ſeſſ.* 27. *c.* 4. etiam ſub prætextu adeundi ſuperiores. Vtrum autem ab hac pœna excipiendi ſint illi qui ſunt noti, ac de quibus nequit mala ſuſpicio haberi? res dubia eſt. Nam Petrus Martyr *ſecunda Dominicarum conſtitutionum cap.* 71. & ſequenti, affirmatiuam tuetur partem: quæ & rationi & menti legiſlatoris videtur conformis. Sed in praxi eſt negatiua: experientiâ enim conſtat, Prælatos recipientes amicos & notos habentes opinionem virtutis, diuertentes ad eorum conuentus ſine licentia, fuiſſe à prælatura abſolutos, eò quòd eos in carcere non recepiſſent; eò quòd dicta Sixti V. conſtitutio neque diſtinctionem, neque vllam facit exceptionem, & vbi lex nec diſtinguit, nec excipit, nec nos diſtinguere, aut excipere debemus. In Dominicano ordine ſtrictè adeò acceptata fuit hæc conſtitutio recipiendi in carcere itinerantes ſine licentia ſub pœna priuationis officiorum, vt in quatuor capitulis continuis generalibus fuerit amplexata, ſcilicet Romæ anno 589. Venetiis anno 592. item Romæ, anno 595. Valleoleti anno 605. Quæ proinde iam habet vim conſtitutionis; etiam ſecluſa ea quæ à Sixto V. emanauit. Rurſus pro eodem ordine notandum eſt, quòd ex variis mandatis Congregationis regularium, Clementis VIII. ac dictæ conſtitutionis Sixti V. ſtabilitum eſt, nullum fratrem Dominicanum poſſe ire ad Romanam curiam, ſine licentia Generalis in ſcriptis exprimente negocium ad quod vadit: (licet *in cap. de itinerantibus dicatur; nullus ad curiam vadat ſine licentia Magiſtri ordinis, vel capituli generalis.*) Et qui aliter iuerit, in carcere per ſex menſes mancipetur, & ſit priuatus vtraque voce per biennium, ſimilique pœna ſubiaceant Prælati eos recipientes, niſi grauamen paſſus à ſuo Prælato nolente ei dare licentiam, conſtet teſtimonio fide digno de licentia petita & non obtenta: quam exceptionem fuiſſe factam à Sanctiſſimo Sixto V. in ſecunda ſua conſtitutione, ſuperius adnotauimus; & meritò, nè ſcilicet talis religioſus indefenſus maneat, ac naturalis defenſionis iure deſtitutus.

His iam ſuppoſitis ac prælibatis, maior ſe offert difficultas circa tertium caſum, ſiue modum recurrendi ad ſuperiorem ſine licentia Prælati à quo, videlicet quando ſubditus recedit à monaſterio, vt parentibus in neceſſitate conſtitutis ſubueniat.

In qua omnes Doctores conueniunt in vno, & in alio diſcriminantur. Conueniunt quidem in eo; quòd ſi parentum neceſſitas fuerit extrema, tunc ſufficiet ſubdito licentia petita & non obtenta, dummodò commodè eam petere poſſit. Alioquin ſi ob ſæuitiam prælati & iuſtum metum quòd ipſum detineret, petitionem licentiæ omitteret, neque alia via poſſet Superiorem commonere, niſi coram illo perſonaliter comparendo, in foro conſcientiæ à culpa & pœnis fugitiuorum immunis erit, etſi in foro externo, quod in præſumptione quandoque veritati contraria fundatur, fortè eas pœnas ſubiret. Hæc communis ſuppoſitio probatur à Caietano 22. *q.* 101. *artic.* 4. *in ſolutione ad* 4. ſic dicente. † *Dupliciter contingit patrem egere ſeruitio religioſi. Primò citra extremam neceſſitatem: ſecundò in extrema neceſſitate; & tunc tenetur filius petita licet non obtenta licentia Superioris, patri ſubuenire. Et* 13
ratio eſt, quia † *præceptum iuris naturæ & Diuini in extrema neceſſitate præeminet omni voto & vinculo: Nec ſolùm pro patre, ſed pro quocumque homine in ſeculi neceſſitate tenetur quilibet: non enim vota debent eſſe impeditiua iuſtitiæ. Vnde ſicut licet furari propter extremam neceſſitatem alterius: ita licet actualem obedientiam prælato ſubtrahere & furari bona Eccleſiæ, ſi aliter non poteſt patri ſubuenire. Nec oppoſitum ſenſit hic author, qui de neceſſitate paterna non de neceſſitate humana loquitur, hoc eſt de neceſſariis patri à filio, & non de neceſſitate abſolutè à quocunque homine.* 14
Hæc Caietanus, quibus conſentiunt Nauarrus *in Manuali cap.* 14. *num.* 14. Medina *in ſumma lib.* 1. *cap.* 14. §. 14. *Corduba ſuper regula Franciſcana cap.* 2. *quæſt.* 6. & Rodericus *tom.* 2. *Regalarium quæſt.* 57. *artic.* 3. Quæ ſententia, etſi veriſſima ſit, venit tamen limitanda in illo vnico Verbo, quod Caietanus obiter, & per tranſennam interſerit. *Nec ſolùm pro patre, ſed pro quocumque homine in ſeculi neceſſitate tenetur quilibet &c.* Quod cum grano ſalis eſt intelligendum, ita vt ſenſus ſit. Quilibet in ſeculo exiſtens, tenetur charitatis præcepto cuilibet alteri in extrema neceſſitate conſtituto ſubuenire, ſecundum modum ſibi poſſibilem, & cuius neceſſitas ei ſit nota & occurrens. Ratio autem ſubiuncta, *non enim debent vota &c.* non huius proximè dicti, ſed alterius præcedentis, ſcilicet, *tenetur filius petita licet non obtenta licentia &c.* Alioquin ſi religioſus pro quocumque ſeculari extremam neceſſitatem patienti, teneretur è monaſterio exire, omnes exire tenerentur, & nullus tuta conſcientia poſſet in clauſtro remanere, cum extrema neceſſitas numquam deficiat, & ſemper tangat aliquos ſeculares. Verùm quia nec ſemper occurrit, neque eſt nota religioſo, qui etiam factus eſt impotens moraliter ad illius ſubuentionem, & iudicio prudentum, poteſt per alios in ſeculo manentes commodius ſubleuari, neque inſtat præceptum honorandi parentes, erga alios ſcilicet extraneos; ideò deficit obligatio alterius præcepti affirmatiui, videlicet ſuccurrendi extremam neceſſitatem patienti, reſpectu religioſi erga extraneum in ſeculo commorantem, quoad receſſum à monaſterio. Verùm enimverò, ſi Religioſus pergens ad aliquod miniſterium ſuæ obedientiæ, inueniret aliquem ſecularem extreme indigentem, cui commodè de ſuo peculio, aut de eleemoſynis petitis poſſet ſubuenire, procul dubio tunc teneretur ex charitatis præcepto ad talem ſubuentionem. Sed numquid indigeret tunc licentia Prælati? Reſpondeo indigere quidem licentia

licentia petita licet non obtenta, ad subueniendum illi de bonis Conuentus, aut de suo peculio in conuentu relicto : nulla autem licentia indigere ad subueniendũ illi de Eleemosynis petẽdis aut petitis in via, aut etiã de suo peculio in via consumendo, quãdo cũ licentia pergit extra monasterium. In quo sensu potest etiam Caietani dictum intelligi. Sed quid dicendum, si religioso in clausstro commoranti fiat obuiam pauper extremè indigens? Respondeo tunc non teneri exire cum sola licentia petita, sed satisfacere charitatis præcepto, si Prælatum commonefaciat, vt tali necessitati procuret per se, vel per ministrum succurrrere, siue de bonis communitatis, siue de peculiis fratrum, aut de Eleemosynis extra Conuentum postulandis.

Discriminantur verò Doctores circa secundum casum, hoc est quando pater aut mater religiosi graui necessitate, citra extremam opprimitur; in tres sententias. Prima asserit hoc in casu teneri religiosum charitatis præcepto claustrum deserere, licentiâ petitâ licet non obtentâ, vt parenti graui necessitate oppresso succurrat : neque Prælato contradicenti & contrarium mandanti debere obedire. Quam tuetur Corduba *super regula Franciscana. cap. 2. q. 2.* secutus Adrianum *quæst. 1. art. 3.* Richardum & Henriquum de Gandauo *quodlibeto 6. quæstion. 28.* & alios, quos pro eadem sententia refert Sanchez *lib. 4. in præcepta decalogi capit. 20.* qui eam
15 suadent quadrupliciter. Primò quia † in concursu duorum præceptorum, illud præualet, quod est maius & vinculi strictioris, cui minus cedit, ac desinit obligare in conspectu maioris. Sed ex his duobus præceptis concurrentibus, nimirum præstandi obedientiam Prælato prohibenti religioso exitum è claustro, & exhibendi pietatis obsequium parenti in graui necessitate constituto, qui sine opera & subsidio filij religiosi illam redimere, aut vitam commodè transigere non potest : maius & strictius est istud secundum, quàm primum ; eò quòd præceptum pietatis in hiis quæ pertinent ad materiam de honorandis parentibus, est iuris naturalis, antecedénsque ad votum religionis quod est iuris Diuini positiui duntaxat, ac superueniens iuri naturali, quod proinde illud abrogare non valet : ergo illud & non istud est obseruandum.

Secundò : nam præceptum de honorandis parentibus, & eis subueniendi in graui necessitate etiam citra extremam, parit obligationem iuris naturalis, de cuius fontibus producitur ac dima-
16 nat : † obligatio autem iuris naturalis non absoluitur per professionem religionis, quæ est de consilio, propter duo. Tum quia consilia ordinantur ad meliorem & exactiorem præceptorum impletionem : tum quia præceptum de honorandis parentibus est de per se, obligatio autem voti superueniens est de per accidens : quod verò conuenit homini per se, non potest tolli per id quod eis superuenit per accidens : ergo.

Tertiò : nam religiosus magis tenetur subuenire patri carnali in necessitate constituto, quàm obedire patri spirituali scilicet Prælato : hac enim de causa Christus Dominus Mathæi 15. redarguit Pharisæos, qui intuitu religionis honorem parentibus debitum subtrahere docebant, dicens : *Irritum fecistis mandatum Dei propter tra*[illegible]*tiones vestras.* Quo testimonio probat D Th. 22. *q.* 101. *art.* 4. quod † propter religionis 17
obseruantiam non sunt pietatis officia erga parentes prætermittenda. Atqui hoc verificari non potest, nisi in nostro casu religiosus debeat præferre officium pietatis patri carnali exhibendum, mandato Prælati contrarium præcipientis : ergo.

Quartò probatur à simili : nam seruus fugiens à domino suo ad superiorem, non censetur fugitiuus in iure ciuili ; *ex lege, quis sit 16. §. item ff. de ædil. edicto* : quia tunc vtitur iure suo : nec miles deserens castra sine licentia Ducis ad subueniendum parentibus suis, habetur pro desertore militiæ, neque venit vt talis puniendus, *ex lege 4. §. vltimo. ff. de re militari* : ergo pariter neque religiosus recedens à clausstro sine licentia prælati, ob finem subueniendi parentibus, censendus est fugitiuus; quia vtitur iure sibi à natura concesso : Maximè si ad superiorem confugiat, vt ab eo licentiam commorandi extra clausstrum, siue retento habitu sui ordinis, siue etiam illo dimisso, iniustè sibi à Prælato inferiori denegatam, obtineat.

Secunda sententia huic è diametro opposita ait; religiosum in eo euentu solùm teneri ad exhibendum parenti carnali ea, quæ potest sine regularis obseruantiæ detrimento, v.g. consilium, orationem & honorem : secus autem alia, vt sunt obsequia corporalis subuentionis. Hanc sequitur Alexander Alensis cum aliis, quos suppresso nomine refert Rodericus *tom. 2. Regularium q. 57. art. 2.* Quæ suadetur dupliciter. Tum quod nemo tenetur dare id quod non habet : religiosus autem est pauper ex voto, nullius rei temporalis dominium habens. Tum etiam quoniam religiosus tenetur magis obedire patri spirituali, quàm carnali, eò quòd illa prima obligatio est religionis, quæ est virtus præstantior pietate, cuius est hæc secunda obligatio impendendi parentibus subsidia temporalia.

Tertia sententia & veluti media, ait sub distinctione ex parte temporis : nimirum, quod si pater carnalis incurrit grauem necessitatem, ad cuius subuentionem indiget subsidio filij ante eius professionem, tunc præferenda est patris necessitas professioni ; secus verò quando pater incurrit dictam necessitatem post emissam à filio professionem. Hanc tenent D. Thomas *quodlibeto 3. artic. 16. & 22. quæstion. 101. artic. 4. ad 4.* Caietanus *ibidem.* Rodericus *in dicta quæst. 57. art. 3. & 4.* Medina *in sua instructione. capit. 14. §. 14.* Sanchez *vbi supra.* Et quoniam hæc est verior sententia, pro illius declaratione.

Dico Primò : Filius quando inuenit parentem carnalem graui necessitate citra extremam oppressum, post emissam religionis professionem, neutiquam potest sine licentia Prælati obtenta clausstrum deserere, vt illi opem ferat. Hæc conclusio statuitur, aduersus authores primæ sententiæ. Et probatur primò ex verbis Angelici Doctoris *in dicta solutione ad 4.* quæ sic habent. *Ad quartum dicendum, quod aliud dicendum est de eo qui est adhuc in seculo constitutus, & aliud de eo qui est iam in religione professus. Ille enim qui est in seculo si habet parentes, qui sine ipso sustentari non possunt, non debet eis relictis religionem intrare, quia transgrederetur præceptum de honoratione parentum.*

Quamvis quidam dicant, quod etiam in hoc caſu licitè poſſet eos differere, eorum curam Deo committens. Sed ſi quis rectè conſideret, hoc eſſet tentare Deum, cum habens ex humano conſilio quid ageret, periculo parentes exponeret, ſub ſpe Diuini auxilij. Si verò parentes ſine eo vitam tranſigere poſſent, licitum eſſet ei deſertis parentibus religionem intrare: quia filij non tenentur ad ſuſtentationem parentum, niſi cauſa neceſſitatis; vt dictum eſt. Ille verò qui eſt iam in religione profeſſus, reputatur iam quaſi mortuus mundo. Vnde non debet occaſione ſuſtentationis parentum exire clauſtrum, in quo Chriſto conſepelitur, & ſe iterum ſecularibus negotiis implicare: tenetur tamen ſalua ſui prælati obedientia, & ſuæ religionis ſtatu pium ſtudium adhibere, qualiter eius parentibus ſubueniatur. Hactenus D. Thomas, cuius verba interpretatur Caietanus de neceſſitate parentum graui citra extremam, dicens; *Si verò pater citra extremam eſt neceſſitatem, tunc religioſus tenetur adiuuare patrem ſaluo ſuo ſtatu, & non aliter, hoc eſt ſalua obedientia & regulari obſeruantia; ſicut filius vxoratus non tenetur patri niſi ſaluo ſtatu coniugali. Et hoc eſt quod in littera dicitur. &c.* Differentia itaque à D. Thoma aſſignata in filio antequam ſit religioſus, vel poſt, non reſpectu neceſſitatis extremæ paternæ, ſed reſpectu cuiuſcumque neceſſitatis, in qua filius tenetur ex præcepto pietatis parenti operas ſuas exhibere, eſt intelligenda. Nec enim vt vrgeat huiuſmodi præcepti obligatio, exigitur neceſſitas extrema, ſed ſufficit neceſſitas grauis habens magnam latitudinem. Quinimo per hanc intelligentiam (ſubdit ille) poſſent diuerſæ doctorum opiniones ad concordiam reduci.

Secundò probatur ratione, qua vtitur Angelicus Doctor in locis allegatis ſub hac forma. Religioſus per profeſſionem reputatur mortuus morte ciuili ſiue ſpirituali; per huiuſmodi autem mortem extinguitur obligatio in religioſo, impendendi opem temporalem parentibus, ſicut per mortem corporalem: ergo non peccat neque contra pietatis præceptum agit religioſus, ſi in clauſtro maneat ſub obedientia ſui prælati, parentum ope prætermiſsâ. Quæ ratio amplius confirmatur, ex eo quòd nullus debitor factus impotens ſoluere, tenetur debitum ſoluere durante impotentia ſoluendi, vt conſtat
18 *ex leg. nam is ff. de dolo, dicente*; † *inanis eſt actio, quam excludit inopia creditoris*: Sed religioſus per profeſſionem factus eſt impotens ad reddendum debitum miniſterium parentibus in ſeculo exiſtentibus abſque propria culpa, quia nullam commiſit tradendo ſuam voluntatem prælato, & abdicando à ſe dominium omnium rerum; quâ ſuppoſitâ traditione factâ ex vi profeſſionis emiſſæ, iam neque ſine culpa poteſt exire à Monaſterio, niſi de licentia prælati, neque habet vnde parentibus ſuccurrat: id enim poſſumus, quod iure & licitè poſſumus: ergo.

Dico ſecundò, quando parens eſt in neceſſitate graui conſtitutus, antequam filius religionem ingrediatur, tunc tenetur filius parenti carnali ſubuenire potiùs quàm ingredi religionem: ſecùs autem poſt emiſſam profeſſionem. Hæc aſſertio pro prima parte ſtatuitur aduerſus authores ſecundæ ſententiæ, & ſuadetur. Primò Quia eſt communiter recepta à Summiſtis, vt à Syluestro. *V. religio. 2. q. 7.* Angelo *eodem verbo n. 11.* à Roderico *in dicta q. 57. arti. 4. & to. 3. q. 13. art. 5.* & Petro Martyre *in dicto cap. 28. 4. partis*: atque ab Angelico Doctore *in præfata ſolutione ad 4.* præfertur contrariæ opinioni dicentium, filium in hoc caſu poſſe licitè religionem ingredi, committendo parentes graui neceſſitate oppreſſos prouidentiæ Dei, qui pluit ſuper iuſtos & iniuſtos. Sed hoc (ait ille) eſſet tentare Deum, parentes ſub ſpe Diuini auxilij, periculo exponendo; quibus humano conſilio, & humana induſtria poſſet ſubuenire. Secundò probatur ratione deſumpta ex præfatis authoribus, † relinquere parentes in ſæculo ea 19
neceſſitate oppreſſos, vt ſine filij ope vitam tranſigere commodè non valeant, inuoluit duplicem malitiam; alteram tentationis Dei, & alteram impietatis, quarum vtraque eſt ex ſuo genere mortalis: illa quidem contra religionem, ſi ea intentione operetur filius, vt parentes egenos Diuinæ cuſtodiæ committat; altera verò contra pietatem præceptam in quarto decalogi præcepto de honorandis parentibus; ergo.

Tertiò probatur; quia in hoc caſu obligatio quarti præcepti de exhibendo honorem & obedientiam patri carnali, currit abſolutè & ſine concurſu alterius præcepti, ſcilicet de obediendo patri ſpirituali, (etenim loquimur de filio adhuc in ſeculo, aut in nouitiatu exiſtente;) vtriuſque enim quoad hoc eadem eſt ratio, quia nondum eſt ſubiectus patri ſpirituali, ſcilicet prælato, erga quem per ſolam votorum ſolemnium emiſſionem ſubiicitur: ergo tunc nulla eſt ratio excuſans filium ab obligatione obediendi patri carnali, pium obſequium ab ipſo poſtulanti, eo quòd neque pro tunc inſtat aliqua obligatio obediendi patri ſpirituali.

Quartò probatur ex canone, *ſi qui filii diſtinction. 30.* deſumpto ex Concilio Grangenſi *cap. 26.* vbi ſic habetur; *Si qui filii parentes, maximè fideles deſeruerint, occaſione Dei cultus, hoc iuſtum iudicantes, & non potiùs debitum honorem parentibus reddiderint, vt hoc ipſum in eis venerentur, quòd fideles ſunt, anathema ſint.* Ex quo canone planè cùm Roderico *vbi ſupra* licet colligere, † non eſſe ad religionem admittendos 20
filios, qui parentes egenos & eorum ope indigentes in ſeculo relinquunt. Nam tam filij ſic intrantes religionem, quàm Prælati eos recipientes grauiter peccant; quippè qui eorum impietati cooperantur. Profeſſio nihilominùs ab huiuſmodi filiis emiſſa valida eſt, licet peccaminoſa, eò quòd nullo iure irritatur, ſed eſt de numero illarum rerum quæ illicitè fiunt, factæ tamen valent. Quod probatur duplici exemplo adducto à Nauarro *titulo de Regularibus lib. 3. Conſilio 26.* Nimirum & illius qui excommunicationis vinculo irretitus profeſſionem religionis emittit, qui validè profitetur, licet peccat profitendo, ex *cap. cùm illorum, de ſententia excommunication.* Atque illius, qui cum ſit æris alieni debitor in magna quantitate, & obligatus ad ratiocinia, ingreditur religionem, & in ea profitetur, tam ingreſſus quàm profeſſio valent, ſed in vtroque actu peccat: ergo ſimiliter quamuis filius qui eſt debitor prædictæ ſubuentionis parentibus egenis exhibendæ, peccet ingrediendo Religionem, & profitendo in illa, valebunt tamen eius ingreſſus, & profeſſio.

Dices irritam eſſe per Sixti V. conſtitutionem profeſſionem illorum, qui ſunt obnoxij debitis,

& obligati ratiociniis ſupra ſuam facultatem:ergo pariter per eandem conſtitutionem irrita erit profeſſio filij obnoxij debito ſubueniendi parentibus egenis. Reſpondebis aut dictam conſtitutionem iam expiraſſe, poſtquam fuit à Gregorio XIII. ad terminos iuris communis redacta: aut, illâ gratis in ſuo robore admiſsâ, negabis conſequentiam, vtpote quæ ſolùm de grauatis ære alieno, ac debitis ciuilibus,non de grauatis debito naturali, quale eſt filiorum erga parentes, procedit. Vnde cum filius huiuſmodi debito naturali ſubueniendi parentibus conſtrictus, per vota ſolemnia, ſimul Religioni ſuam perſonam tradat, hæc ſecunda obligatio
21 extinguit priorem:Quoniam † potior eſt in dominio ille cui prius res traditur, licet præuenerit alter in titulo; vt ſcitè deducit Baldus *ex lege. Quoties Co. de Rei vindicat.* Deinde ſecunda pars præterquàm quod coincidit cum prima concluſione, & ideo eiſdem Argumentis pro illa factis,manet probata. Vlteriùs probatur; Primò ex lege adducta *Quoties Co. de rei vindicat.* vbi decernitur, quòd ſi ille qui debet centum v. g. duobus, aut tribus creditoribus,prætermiſſo antiquiori, cui debebat priùs ſoluere,ſoluat recentiori, peccabit quidem ſoluendo,neutiquam tamen competit antiquiori rei vindicatio: ergo pariter qui Religionem ingreditur;relictis parẽtibus egenis in ſeculo,peccat quidem, ſed nullatenus poſt emiſſam profeſſionem tenetur hoc naturale debitum ſuccurrendi parentibus ſoluere; quippe qui profitendo ſe & omnia ſua tradidit Religioni Secundò quia in concurſu duorum præceptorum,illud diximus præualere quod eſt ſtrictioris vinculi & obligationis:in hoc autem euentu ſtrictior eſt obligatio voti ſolemnis quàm præcepti honorandi parentes & illis ſubueniendi:vtpote quia illud eſt primæ tabulæ, & negatiuum obligans ſemper & pro ſemper:iſtud verò pertinet ad ſecundam tabulam, & eſt affirmatiuum obligans ſemper,ſed non pro ſemper,
22 niſi pro loco & tempore. His adde † quòd Deo ſemel dicata non poſſunt contra ipſius voluntatem vſurpari & in alios vſus conuerti; Religioſus autem ex vi profeſſionis manet Deo dicatus: ergo non poteſt ob parentum egeſtatem, ad ſecularem occupationem redire. Tertiò probatur exemplo illius filij, qui ſua bona, ſiue patre indigente tunc, ſiue poſtea, per ſuperuenientem egeſtatem,in pauperes erogaret,aut in alios vſus vanos prodigeret;neutiquam pater poſſet ea bona repetere, etiam ſi ob ſuperuenientem miſeriã
23 eis indigeret,iuxta illã regulã iuris *in ſexto:† factum legitimè retractari non debet, licet caſus poſtea eueniat,à quo non potuit inchoari:* Igitur ſimiliter Religioſus qui ſe & omnia ſua tradidit per vinculum profeſſionis, nec ipſe repeti à parente poteſt ad ſubleuandam eius ſuperuenientem miſeriam, nec tenetur, ſine licentia obtenta à clauſtro, exire ad eius ſubleuationem, ad quam tamen tenetur ante profeſſionem, ſi pater tunc egeret,quia tunc vrgebat obligatio præcepti de honorandis parentibus:quæ tamen extinguitur per nouum ſtatum profeſſionis,per quem factus eſt impotens ad ſubueniendum, vel ſimpliciter, vel ſaltem ſine licentia Prælati,& per vinculum fortius voti ſolemnis, in cuius conſpectu ceſſat prior obligatio.

Verùm Petrus Lenanderius *de priuilegiis*, 4. *parte q.*60. & Nauarrus *in Conſilio nuper allegato* 26. *de Regularibus & in Manuali cap.* 14. & Rodericus *tom.*3. *Regul. q.*13. *art.*5. tripliciter aduerſus hanc doctrinam inſurgunt. Primò quia obligatio filij ad parentem carnalem eſt prior & iuris naturalis, cui proinde per votum ſuperueniens præiudicari non poteſt:eo vel maximè,quod votum ſemper emittitur cum hac tacita conditione,niſi res venerit ad talem ſtatum, à quo incipere non poſſet. Secundò quia actio ex contractu, vel quaſi contractu competens vni aduerſus alium non extinguitur per ingreſſum religionis, aut ſi extinguitur eo quòd monachus pro mortuo cenſetur morte ciuili, tamen ex edicto, hoc eſt *ex lege tutela. ff. de capit. diminut.* reſtituitur. Vnde adhuc poſt religionis ingreſſum & emiſſam profeſſionem poterit ex obligatione, qua prius tenebatur, conueniri iuxta tradita à Doctoribus *in authentico, cauſa, quæ cum monacho. Cod. de Epiſcopis & Clericis, & authentico de Sanctis Epiſcopis*, §. *prouidere* : ergo pater carnalis ea neceſſitate in ſeculo oppreſſus, vt ſine ope filij profeſſi cogatur mendicare, poterit illum repetere. Tertiò quia † pater pro ſui neceſ- 24
ſitate ſubleuanda poteſt vendere filium iure ciuili,ex *leg. 2. Cod. de patre qui filium*:quod verum habet etiam, quando pater eſt deportatus propter inceſtuoſas nuptias, *ex leg. filia Cod. de patria poteſtate, & authentico de inceſtis & nefandis nuptiis* : ergo nulla eſt ratio ob quam pater erga filium profeſſum debeat iure ſuo priuari.

Sed ab hiis facili negotio noſtræ aſſertionis ſecunda pars vindicatur. Ad primam namque obiectionem negatur antecedens pro ſecunda parte. Ad ſecundam negandum eſt antecedens. Quinimò talis obligatio extinguitur per mortem ciuilem, quam religioſus per profeſſionem incurrit. Ad tertiam admiſſo antecedenti neganda eſt conſequentia, quia dum filius profeſſionis vinculo adſtringitur, priuatur quidem carnalis pater iure ſuo, non tamen irrationabiliter, aut ſine cauſa, ſed ob cauſam vinculi ſtrictioris, ſcilicet, votorum ſolemnium, per quæ profitens Dei ſeruitio mancipatur, & à parentis dominio emancipatur. Et nihilominus filius manet obligatus ad alendos parentes egenos in ſeculo ſuperſtites,iuxta modum ſuæ poſſibilitatis, & ſaluâ Religionis obſeruantiâ, & obedientiâ Prælati; videlicet de eleemoſynis,aut Miſſarum atque concionum ſtipendiis; vel, vt moris eſt in hac noſtra Hiſpaniæ prouincia, aliquam capellaniam, vel curatum miniſtrando,de licentia Prælati,& habitu ordinis retento.

Rogabis autem;vtrùm,ſi filius ex profeſſione fiat omnino impotens, ſiue inhabilis ad parenti egeno aliquo ex modis præfatis ſubueniendum, teneatur tunc monaſterium ei pro ſuo captu ſubuenire? Quidam annuunt,eò quòd monaſterium ſuccedit religioſo loco filij & hæredis; hæredes autem tenentur præſtare alimenta parentibus eorum, quorum ſunt hæredes *ex lege ſi quis à liberis, ff. de liberis cognoſcen.* Alij verò renuunt, de quorum numero eſt Rodericus *in dicta q.*57. *art.*3. & quidem veroſimilius;eo quòd monaſterium non abſolutè ſuccedit Religioſo loco filij aut hæredis, ſed cum limitatione, hoc eſt,quantum ad capeſſendam hæreditatem, iura & legalia debita, quæ tangunt venientem ad religionem: non verò quantum ad naturalia debita, orta ſcilicet ex naturali obligatione filiorum erga parentes. Quod ſi filio habili li-

centia alendi parentes denegetur à Prælato, iam pro inhabili moraliter reputatur.

Dico tertiò; etsi filius professus teneatur in eo euentu secundum modum suæ possibilitatis patri egeno subuenire, salua Religionis & obedientiæ obseruãtia, non tamen potest claustrum exire sine licentia petita & obtenta Prælati. Hæc cõclusio statuitur aduersus eosdẽ authores Secũdæ sententiæ, & pro authoribus Tertiæ. Et pro prima parte patet ex dictis, quia præceptũ de honorandis parentibus nedum ad spiritualia obsequia, sed etiam ad temporalia subsidia parentibus impendenda extenditur, quatenus sine obedientiæ detrimento impendi possunt. Vnde religiosi timoratæ conscientiæ habentes parentes egenos, de licentia Prælatorum eos alere satagunt de eleemosynis emendicatis, aut de Missarum, siue concionum stipendiis, aut Curatum aliquem administrando extra claustrum, ad idque existimant se naturali vinculo teneri.

Deinde pro secunda parte, quæ etiam militat aduersus authores primæ sententiæ; suadetur primò, quia iste religiosus Prælato præcipienti ne exeat à claustro, ob causam alendi pa-
25 rentes egenos, tenetur obedire; cum † sit mortuus morte ciuili, nec velle, aut nolle proprium habeat, nullâque iam eum tangat obligatio subsidij temporalis exhibendi, nisi ea, quæ respicit extremam necessitatem: hæc enim cum sit intrinseca naturæ humanæ, comminitatur illum in quouis statu; alioquin sic exiens Prælato renuente, fugitiui culpam & pœnas incurrit. Secundò quia Prælatus habet ius prohibendi huic religioso huiusmodi exitum à claustro, eo quòd iste exitus non est adeò intrinsecè bonus, etiam ex fine alendi parentes egenos, quin respectu religiosi possit fieri malus, cum regularis obseruantia per huiusmodi egressus, & eleemosynarum emendicationes valdè relaxari soleat, & respectu talis subiecti potest esse periculosus: ergo tunc subditus non habet ius resiliendi, aliàs daretur bellum iustum ex vtraque parte, quod est impossibile. In hoc enim discriminatur hoc præceptum partiale de impendendo patri egeno subsidia temporalia, ab altero de impendendo eidem honorem & subsidia spiritualia: quod huius materia sunt actus intrinsecè boni, quorum oppositum est intrinsecè malum, quod proinde à Prælato præcipi non potest, neque ei præcipienti illud est obediendum. Materia autem illius sunt actus non adeò intrinsecè boni, quin respectu religiosi, & regularis obseruantiæ, possint reddi mali & incongrui, quos proinde potest Prælatus prohibere. Tertiò probatur ab inconuenienti, quod genus argumenti in moralibus est magni momenti: sequuntur enim ex contraria opinione plurima pericula, & scandala. Nam plures religiosi prætextu subleuandi inopiam parentis carnalis huic opinioni adhærentes, cum sola licentia petita, & non obtenta, è claustris exirent, quæstuosis eleemosynis operam darent, & ob eum finem oppida implerent; sicque neruus obedientiæ, & regularis obseruantiæ paulatim decideret, ingentiáque hinc secularibus scandala præberentur.

Ex his ad primum ex adductis pro prima
26 opinione, neganda est minor: nam etiam † obligatio implendi votum est iuris Diuini ac naturalis, quod dictat implendam esse promissionem cuicumque factam maximè Deo, cuius impletio cadit sub Diuino & naturali præcepto in ordine gratiæ; cui proinde in religioso qui se & omnia sua tradit religioni, non est præferenda obligatio implendi præceptum naturale pietatis, quoad temporalem subuentionem.

Ad secundum neganda quoque est minor. Ad cuius priorem probationem dices; quod licet assumere statum religiosum, & vota solemnia emittere, sit de Consilio: attamen supposita eorum emissione & status assumptione, impletio votorum cadit sub Diuino ac naturali præcepto: nam etsi vouere sit voluntatis, reddere autem Deo vota, id est implere, necessitatis est. Ad posteriorem verò probationem; Respondetur ex eleganti Caietani doctrina *in loco præallegato ex q.* 101. Videlicet, quod præceptum de subueniendo parentibus egenis est prius voto, & ex iuris naturalis fontibus emanat eius obligatio, filium obligat diuersimodè iuxta diuersum statum in quo illum inuenit; quia affirmatiuum est. Nec enim eodem modo obligat filium liberum & vxoratum: illum enim obligat ad commanendum cum patre egeno: istum verò ad commanendum cum vxore. Similiter nec eodem modo obligat ad subueniendum patri carnali, filium secularem, & religiosum: nam illum obligat simpliciter, sed istum non nisi iuxta conditionem sui status; hoc est, ad pium studium adhibendum, & salua religionis obseruantia, vt dependenter à licentia Prælati, parentis necessitati succurrat.

Ad tertium neganda est maior præmissa, intellecta de religioso in sensu composito & supposita professione, & de parte carnali citra extremam necessitatem constituto; tunc enim magis spirituali patri, scilicet Prælato, quàm carnali tenetur obedire, iuxta illud Pauli ad Hæbreos 12. *quantò magis obtemperabimus Patri Spirituum, & viuemus?* Christus autem Pharisæos objurgans, Matthæi 15. quod irritum fecissent mandatum Dei de parentibus honorandis, adiecit; *propter traditiones vestras*, id est humanas, quibus proculdubio mandatum Dei erat præferendum: atqui impletio votorum religionis non est ex humana traditione, sed ex Diuino præcepto.

Ad quartum dato antecedenti, negabis consequentiam. Quoniam ius ciuile non tantam obedientiam postulat in milite & seruo erga ducem & dominum, quantam petit ius Diuinum in religioso erga suum Prælatum, cui fortiori vinculo se per votum solemne adstringit. Ob quam rationem leges quoque Ecclesiasticæ ius Diuinum munientes, seuerius in religiosos animaduertunt, claustrum deserentes sine licentia obtenta à Prælato, siue causa subueniendi parentibus carnalibus, siue gratia adeundi Superiorem, etiam Summum Pontificem, siue vtriusque causa simul: dum eos iudicat fugæ reos, & fugitiuorum pœnis mulctandos.

Ad fundamentum verò secundæ sententiæ patens est solutio ex dictis; nimirum teneri filium religiosum nedum ad spiritualia, sed etiam ad temporalia subsidia exhibenda parentibus carnalibus, de licentia Prælati, & secundum modum sibi possibilem sine regularis obseruantiæ detrimento.

Hinc colligo Primò; posse † Summum Pon- 27
tificem dispensare cum religioso ad Sedem Apostoli

Apostolicam recurrente, vt causa alendi parentes carnales in egestate constitutos, viuat in seculo extra clausstrum, & sine habitu sui ordinis. Ratio huius corollarij est; quia huiusmodi dispensatio non fit in iure diuino, sed in gestatione habitus, quæ est de Ecclesiæ institutione. Etenim habitus non facit monachum, nec est iuris diuini, sed est humanum inuentum, scilicet quoddam signum distinctiuum vniuscuiusque religionis, à Patribus, siue Patriarchis institutum, & à Sede Apostolica confirmatum; in quo proinde summus Pontifex potest ob rationabilem causam dispensare, qualis est parentum carnalium egestas, cui filius religiosus multoties non potest subuenire, nisi vitam in Clericali habitu transigendo.

28 Colligo secundò; quod † iste religiosus sic dispensatus tenetur tria vota obseruare v.g. votum obedientiæ, in affectu scilicet habendo animum obediendi summo Pontifici, & ordinario loci eius vices gerenti, aut etiã Prælato sui ordinis, si ad ipsũ reuertatur: votũ verò castitatis simpliciter, in affectu & effectu: & votum paupertatis dispensando bona mobilia sibi obuenientia, de licentia illa generali à Papa concessa, quando cum ipso ad viuendum in habitu Clericali dispensauit: aut de licentia ab ordinario Diœcesis petita & obtenta prima vice, quando se coram illo præsentauit; alioquin erit apostasiæ criminis reus. Hoc corollarium probat Bañesius 22. *q.* 12. *dubio* 1. ex eo quod apostata est ille, qui recedit ab statu essentiali religionis cum animo non redeundi ad illum: atqui iste religiosus viuens in seculo sine animo seruandi modo dicto vota solemnia, retrocedit ab statu essentiali religionis, neque habet animum redeundi ad illum, vt supponimus; ergo verè apostata est censendus.

Rogabis; Vtrum iste possit aliquod beneficium Ecclesiasticum, curatum vel simplex cum titulo obtinere, vt de illius reditibus parentes alat? Respondeo posse quidem si ad id specialiter dispensetur, minimè autem ex vi generalis dispensationis obtentæ ad vitam Clericalem, eò quòd in generali concessione non veniunt ea, quæ quis non esset verosimiliter concessurus, si de eis fieret expressa mentio, *ex cap. Si Episcopus, de pœnitent. & remission. in sexto.* Et quia titulus Ecclesiastici beneficij tribuit verum dominium beneficiario, quod pugnat cum voto paupertatis *ex cap. cum ad monasterium, de statu monachorum.* ibi. *Nec*
29 *existimet* † *Abbas, quod super habenda proprietate possit cum aliquo monacho dispensare: quia abdicatio proprietatis sicut & custodia castitatis adeò est annexa regulæ monachali, vt contra eam nec Summus Pontifex possit licentiam indulgere.*

Si tamen ex speciali dispensatione illud obtineat, gerit se non vt dominus, sed vt fructuum dispensator, vt Papæ vicarius, ad vsum tantùm illud habens beneficium, cuius dominium in domino Papa manere censetur; Quemadmodum de Franciscanorum bonis ac de Episcopatibus religiosorum alibi scripsimus. Idémque de religiosis Sancti Ioannis, siue equitibus, siue Clericis ordinum militarium & Canonicis regularibus Sancti Augustini, beneficia Ecclesiastica etiam curata habentibus dicendum puta; nimirum, quod fructus & reditus huiusmodi commendarum, siue beneficiorum de licentia suorum Magistrorum in vsus necessarios consumunt, eáque debent administrare cum animo seruandi modo prædicto vota solemnia: alioquin improprietatis crimen contrarium voto paupertatis incurrent.

Colligo tertiò cum Bañesio *vbi supra*; † multos ex his religiosis recensitis esse in statu damnationis, eò quòd obliti voti paupertatis viuunt sicut cæteri seculares: Hoc est, possident suas commendas, siue beneficia regularia, aut vicariatus cum affectu proprietatis, disponendo de eorum reditibus tanquam absolutum dominium habentes, dum eos in ludis, luxuriis, ac in aliis vsibus illicitis sine licentia nedum expressa, verùm nec tacita, aut interpretatiua superioris expendunt. Quinimo bona in huiusmodi commendis & beneficiis comparata, causa mortis testamento, siue legato suis consanguineis relinquunt; cum tamẽ neque ad tales sumptus faciendos, neque ad sic testandum, siue legandum, vllam licentiam à Superiore sui ordinis habeant. Verumenimverò, si aliqui eorum huiusmodi licentiam soleant obtinere (provt à Clericis ordinis Calatrauæ accepi) ad id solùm extenditur, vt suis domesticis, siue cõsãguineis, causa mortis ex simplici memoriali subscripto, non ex testamẽto, quãdam bonorũ mobiliũ portionẽ, in qua Prior, siue Abbas monasterij consenserint, relinquant, in totóque residuo succedit ipsum monasterium. Cuius doctrinæ ratio fundamentalis est, quam assignat Vazquius *opusculo de reditibus. capit.* 3. *dub.* 8. sequutus Nauarrum *q.* 3. *de reditibus.* videlicet quia isti religiosi beneficiarij nullius rei dominium habent; sed tantùm sunt dispensatores redituum, nudam habentes administrationem, ad superioris nutum reuocabilem, qui & illos à beneficiorum administratione, & bona ab eis conquisita repetere potest. Hoc autem est signum manifestum, horum bonorum dominium potius apud monasterium, quàm apud ipsos, aut apud Ecclesiam esse, siquidem eis ab intestato decedentibus monasterium succedit, non Ecclesia. Recipientésque ab eis bona erogata sine licentia, aut vltra metas, ad quas expressa, vel rationabilis licentia, siue interpretatiua extenditur, restituere monasterio tenentur; quia contra iustitiam ea recipiunt. Quemadmodum de aliis religiosis vouentibus strictam paupertatem, sine licentia bona sibi quoad vsum applicata, erogantibus, & de recipientibus illa, tenet communis sententia Doctorum; quam referunt, & sequuntur Nauarrus *vbi supra*, & Vazquius *opusculo citato dub.* 9.

Sed quid dicendum sit, quæres, quando isti religiosi non possunt ab administratione suorum beneficiorum amoueri? Respondet Vazquius *in dicto dub.* 8. illos esse veros dominos sicut cæteros beneficiarios seculares, de quibus proinde pariter est philosophandum. Quomodo autem verum dominium, ac proprietas cum voto paupertatis compatiatur, non declarat; nisi fortè velit dicere istos esse tunc absolutos à voto paupertatis, per collationem ipsis talium beneficiorum à Vicario ordinis, vel à Diœcesano loci factã, sicut dixerat *dub.* 7. de religiosis ad Episcopatum assumptis, à quo ad nutum nequeunt amoueri. Sed verius alibi diximus cum D. Th. vtrosque non dominos, sed merè suorum reditum dispensatores esse. Quinimo si Vazquij opinio esset vera, omnes isti Clerici ordinum militarium in beneficiis & prioratibus constituti, (præterquam in Prioratibus Conuentuum,

qui

qui ſunt triennales) eſſent Domini ſuorum beneficiorum, redituum, ac bonorum ex illis comparatorum, ac per conſequens à voto paupertatis abſoluti : ſiquidem omnia huiuſmodi beneficia ordinum Sancti Ioannis, Sancti Iacobi, Alcantaræ, & Monteſiæ ſunt perpetua, collationéque ſuperioris dantur in titulum, nimirum, vel Magiſtri, vel Prioris conuentus, vel Diœceſani, quando beneficium eſt extra ordinis ipſius territorium; nullatenúſque ſunt ad nutum amobilia, vt Vazquius putauit, niſi quando per modum Vicariæ, aut ſubſtitutionis ad tempus committuntur. Quod tamen neutiquam eſt admittendum, neque dictus Author admittit.

De licentia autem teſtandi, ſiue legandi, ſiue cauſa mortis relinquendi ſuis domeſticis, vel conſanguineis aliquam portionem ex reditibus beneficiorum conquiſitam, quam obtinent, vel à Prioribus ſui conuentus, vel à Magiſtro, vel à Senatu ordinum militarium, habentibus ad hoc facultatem per Bullas Summorum Pontificum conceſſam, duo aduertere opus eſt. Primò quod huiuſmodi licentia ſiue priuilegium relinquendi portionem aliquam domeſticis, ſiue conſanguineis, ad pia duntaxat opera poteſt ac debet extendi, cum bona Eccleſiaſtica ſint, quorum non dominium, ſed nuda diſpenſatio eis competit. Vnde hæc portio non ſuperflua, neque ad luxum conſanguineorum, ſed tantum ad ſtudium aut aliud honeſtum officium debet eſſe ſufficiens & neceſſaria. Secundò quod neque in huiuſmodi beneficiariis arguit verum dominium, niſi ſolum ad miniſtrationem & vſum talium honorum. Nam etſi cum voto paupertatis dominium non compatiatur, neque ordinaria facultas teſtandi aut legandi: benè tamen adminiſtratio & vſus, atque facultas teſtandi ſiue legandi ex priuilegio, vt ſcitè notat Nauarrus *tractatu de reditibus quæſtion.* 3. Mota, *de fundatione ordinis militiæ Sancti Iacobi libr.* 2. *capit.* 2. *in ſolutione ad* 18. & Vazquius *in dicto opuſculo capit.* 3. *dubit.* 4. Reſtat pauca de ſingulis militiæ ordinibus adnotare, quæ ex eorum conſtitutionibus deduximus, & ſuper quibus, dum Primarij munere fungeremur in Salmantina Academia, conſulti fuimus.

Primò igitur de ordine Sancti Iacobi no-
31 tanda eſt † Bulla Pauli III. ad inſtantiam Caroli V. expedita, cuius mentionem facit dictus Mota *in ſuo tractatu libr.* 1. §. 39. in qua Summus Pontifex facultatem facit Prioribus Conuentuum de Vlles, & Sancti Marci Legionenſis, vt poſſint Clericis eiuſdem ordinis in beneficiis, aut aliter extra conuentum degentibus licentiam teſtandi concedere triennalem, id eſt ſingulis trienniis finiendam & repetendam, dummodo quintam partem ſuorum bonorum Conuentui ſuæ profeſſionis relinquant.

Paritérque Clericis beneficiariis aliorum ordinum, videlicet, militiæ Calatrauæ, Alcantaræ, & Monteſiæ, à ſuperioribus concedi ſolet licentia teſtandi, vel quaſi teſtandi in fauorem ſuorum, vel familiarium, vel conſanguineorum, certam portionem bonorum conquiſitorum extra Conuentum, dummodo reſiduum Conuentui profeſſionis relinquant. Quam tamen licentiam Magiſtri aut Priores horum ordinum iure communi concedere non poſſunt, niſi ex priuilegio ſummorum Pontificum, prout ex eorum Bullis conſtat, in fauorem eorumdem ordinum expeditis. Quod tamen neque ad fratres intra Conuentum commorantes, neque ad moniales eorumdem ordinum, quæ vulgo Commendatariæ appellantur, extenditur. Nam præfata Bulla Pauli III. & alia eiuſdem in fauorem ordinis Calatrauæ expedita, non loquuntur de monialibus, neque de Clericis conuentualibus, ſed ſolùm de equitibus commendatariis, & fratribus Clericis extra conuentum degentibus. Et cum aliàs priuilegium iſtud ſit odioſum, & aliquantò rigorem voti paupertatis relaxans, non eſt vltra proprium caſum extendendum, neque amplius quàm ad eos, de quibus in Bullis fit mentio. Et ita in praxi ſeruandum conſului non ſemel monialibus Sancti Spiritus ordinis militiæ Sancti Iacobi, Salmanticenſibus: ne ſcilicet aliquid teſtamento, aut legato cauſa mortis alteri relinquerent, cum neque ad id vnquam eis ſolita ſit concedi licentia à Magiſtro, vel Senatu Regio ordinum militarium, niſi duntaxat cum hac limitatione: quod de arbitrio, ſiue permiſſione dicti Senatus, aut de licencia Prælatæ ſuæ poſſint, dum viuunt extra cauſam mortis, ex nunc protunc aliquod pignus, vel moderatam ſupellectilem conſignare, tali, aut tali perſonæ tribuendam. Sed hic modus conſignandi, ſiue relinquendi de licentia Superioris perfectioribus quoque religioſis & ſtrictioris obſeruantiæ, licitus eſt, neque omnino inconſuetus.

Quod verò attinet ad ordinem militiæ Calatrauæ, conſtat eius beneficia curata eſſe amobilia (de quibus fortè Vazquij dictum ſuperius relatum intelligendum, eſt) ex illa clauſula inſerta in eorum præſentatione. *Por el tiempo que mi merced y voluntad fuere*; vt refertur in eiuſdem ordinis ſtabilimentis, *titul.* 12. *cap.* 6. Rurſus *tit.* 33. *capit.* 3. ſtabilitur; equites, & commendatarios dicti ordinis ex gratia & conceſſione Pauli III. poſſe de omnibus ſuis bonis tam mobilibus quàm immobilibus quouis modo acquiſitis condere teſtamentum; & *capit.* 4. *ſequenti*, ordinatur Clericos in beneficiis exiſtentes, poſſe cauſa mortis de omnibus ſuis bonis mobilibus diſponere, non quidem ſolemniter teſtando, ſed ſimpliciter ſub ſcripto memoriali, aliquam eorum portionem ſuis domeſticis aut conſanguineis relinquendo: dummodo reſiduum (adimpleta huiuſmodi diſpoſitione) applicetur conuentui. De bonis autem immobilibus per eoſdem obtentis & comparatis, diſponitur *titul.* 3. *capit.* 7. ipſo facto poſt eorum mortem ſuccedere in illis Conuentum; Quæ tamen in vtilitatem & expenſas collegij Salmantini eiuſdem ordinis & in ibi ſtudentium iubentur conuerti.

Tandem notato pro Clericis militiæ Sancti Ioannis (qui ſicut & equites ſtrictiori vinculo paupertatis adſtringuntur) ſpeciale

ipſorum

ipsorum statutum, quo indulgentur, vt de bonis cunctis patrimonialibus in fauorem cuiuscumque voluerint, testari possint de licentia Magistri: verumtamen de bonis in beneficio, aut rectoria aut commenda acquisitis, quintam dumtaxat partem testamento de licentia eiusdem Magistri cui voluerint, relinquere possunt; in residuo autem conuentus succedit, sicut etiam inuiolabiliter succedit in cunctis bonis patrimonialibus ab intestato decedentium.

Hinc colligitur minus veram esse resolutionem Dianæ *part. 5. tractatu 15. Miscellaneo 2. resolutione 92.* ex Sanchez *in summa lib. 7. tom. 2. cap. 8.* & Hurtado *in 22. tom. 2. disputat. 160. section. 7.* depromptam; nimirum, quod commendatarij equites ordinum Calatrauæ, Alcantaræ, & Sancti Iacobi possint ad libitum sine vlla licentia Magistri disponere de reditibus Ecclesiasticis, sicut de bonis patrimonialibus, idémque possunt commendatarij Sancti Ioannis; quia licet strictæ paupertatis votum emittant, sunt tamen (ait Hurtado) in vsu illius laxati, eò quòd licet isti omnes sint verè religiosi, & voto paupertatis adstricti, & reditus commendarum sint Ecclesiastici: Verumtamen consuetudo eorum paupertatem ita interpretata est, & aliàs Ecclesiæ commendantur eis titulo seculari, id est militari, vt scilicet seruent virtutem in militia. Sed proculdubio verior est sententia Nauarri *in dicto tractatu de reditibus quæstion. 1. & 5. numero 30.* Roderici *tom. 2. regularium quæstion. 57. articul. 5.* Azorij *1. parte lib. 13. capit. 4. quæst. 10.* & Mota *capit. 4. §. 4.* dicentium; hos commendatarios de reditibus Ecclesiasticis non pro libito, sed de licentia Magistri posse testari; quam licentiam, vel initio collationis commendæ, vel per triennia repetita, vel singulis annis obtinent, iuxta formam constitutionum vniuscuiusque Ordinis: idque certo certius est de commendatariis Sancti Ioannis, quorum votum paupertatis*, sicut & castitatis strictissimum est, eos proinde priuans dominio ac proprietate bonorum, vnde eorum votum consuetudo laxare non potuit. Quare interrogo à Patre Hurtado: aut isti commendatarij Sancti Ioannis sunt in vsu laxati à voto paupertatis, de facto, aut de iure. Si de facto tantùm, non excusantur à culpa, quia consuetudo laxans legem solùm de facto, non excusat à culpa vt palam est. Si de iure; hanc laxationem in votis efficere non valet consuetudo, quæ contra Diuinum ius nec præualere, nec illud laxare potest. Votorum autem impletio est de iure Diuino. Quare melius ad licentiam dispensantem in vsu, quàm ad consuetudinem vsum votorum laxantem, recurramus.

QVÆSTIO X.

Selecta, Regularis, præcedenti adnexa.

Vtrum ritè & iustè Prouincialis Carmelitanus ad correctionem duorum fratrum sibi subditorum vsque ad exilium processerit, contra simplex mandatum sui Generalis, ad quem causa vitandæ correctionis confugerunt?

SVMMARIVM QVÆSTIONIS DECIMÆ.

1 *Beneficium appellationis omnibus hominibus iure naturæ conceditur, ob vitandum grauamen illatum à iudice inferiore, quod neque iure ciuili, neque canonico Religiosis denegatur.*

2 *Appellatio semel legitimè interposita suspendit iurisdictionem iudicis à quo, & eius actum, atque sententiæ latæ executionem.*

3 *Ex regula iuris inferior in superiorem nullam habet potestatem.*

4 *Bullæ Pontificiæ in aliquibus casibus à Senatu supremo Regio iustè detinentur, absque læsione debitæ obedientiæ.*

5 *Detentio Bullarum & supplicatio à primo summi Pontificis mandato, iure ipso Canonico permissa est.*

6 *Summi Pontifices propter negotiorum molem sæpius concedunt non concedenda.*

7 *Rescripta Principum secularium admittunt supplicationem fieri ab eorum executione sine crimine inobedientiæ.*

8 *Senatus Regis non potest per viam violentiæ, ad se aduocare aut recipere causas Religiosorum pertinentes ad monasticam correctionem.*

9 *Remedium appellationis non prodest alicui, vt à religionis obseruantia exorbitanti debeat suæ nequitiæ patrocinium exhibere.*

PROPONITVR species facti, (cuius resolutio haud parum confirmat doctrinam quæstionis præcedentis) quæ sic habet. Duo fratres Carmelitani aliàs veneratione digni, sed parum in obedientia versati, ob quosdam excessus correcti fuere à suo Prouinciali, qui & causa correctionis eos à Curia Regia relegauit, & duobus conuentibus extra curiam assignauit:

ad idque dictus Prouincialis habuit in ſui fauorem, tum Regis, tum Apoſtolici Nuncij decreta, non obſtante illorum ad hos recurſu. Sed dicti fratres vt exilij pœnam vitarent, Romam petierunt, ad ſuum Generalem confugientes ſine licentia petita ſui Prouincialis; à quo Patre Generali obtinuerunt ſimplex mandatum, quo eos dicto Prouinciali commendat, & vt benignè recipiat atque à pœnis promeritis abſtineat, commonefacit Prouincialem. Qui eos non obſtante huiuſmodi ſimplici mandato, iubet indictum exilium implere: inquiritur an Prouincialis iuſtè procedat?

1 Videtur quod non; quia † beneficium appellationis omnibus hominibus iure naturæ conceditur ad propriam innocentiam tuendam, & ob vitandum grauamen à Iudice inferiori illatum, quod nullibi in iure ciuili aut Canonico religioſis denegatur, vt colligitur *ex cap. ad noſtram*, & *cap. reprehenſibilis, de appellation.* & ex Clementina, *Paſtoralis de re iudicata*, & aliis *in præcedenti quæſt. cõcluſione* 2 citatis; à fortiori que licet religioſis recurſus pro vitando grauamine per viam ſimplicis querelæ nedum ad Sedem Apoſtolicam, ſed etiam ad ſuum intra proprium ordinem, Superiorem: ergo immunis à culpa fuit fuga horum religioſorum ad ſuum Generalem, vtpote à iure ſibi conceſſa.

2 Deinde, † quia appellatio ſemel legitimè interpoſita, ſuſpendit iuriſdictionem iudicis à quo, & eius actum, atque ſententiæ latæ executionem, vt alibi *in quæſt.* videlicet *de appellatione* fusè docoimus: Atqui recurſus horum fratrum fuit per viam appellationis ad ſuum Generalem, tanquam ad iudicem Superiorem, cuius ſimplex mandatum habet vim latæ ſententiæ inhibentis Prouincialem ab vlteriori cauſæ cognitione, & dictos fratres à pœnis excuſante: dicitur enim ſimplex, non quia mandati inhibitorij vim non habeat, ſed quia dictum Prouincialem præcepto aut cenſura ad ſui impletionem non cogit: ergo ſuſpendit executionem exilij, & cuiuſuis alterius pœnæ à Prouinciali

3 indictam. Denique quia hos † fratres protegit alia regula iuris, videlicet, quod inferior in Superiorem nullam habet poteſtatem: ergo cum dictum mandatum protegens hos religioſos, & eos à pœnis liberans, ſit Generalis ordinis, qui eſt legitimus ſuperior reſpectu Prouincialis, conſequens eſt hunc illi reniti non poſſe, neque contra illud aliquid agere.

Verùm his non obſtantibus pars affirmatiua eſt ſuſtinenda, quæ aſſerit dictum Prouincialem iuſtè hos religioſos, non obſtante ſimplici mandato ſui Generalis, ad exilij indicti impletionem cogere, provt aſſeruimus dum ſuper hoc caſu in Regia curia conſulti fuiſſemus. Quæ aſſertio ſuadetur primò, quia ſi aliqua ratione teneretur dictus Prouincialis parere mandato Generalis, maximè ob debitum obedientiæ: atqui illud non frangit non parendo: ergo iuſtè procedit. Maior præmiſſa cum conſequentia eſt nota: & minor probatur à ſimili de mandatis Summorum Pontificum, in eorum Bullis ac reſcriptis contentis, quibus licitè non paretur vſque ad ſecun-

4 dam & tertiam iuſſionem. † Vnde Bullæ Pontificiæ licitè detinentur in quibuſdam caſibus à ſupremo Senatu Regio abſque læſione debitæ obedientiæ. Qui caſus in legibus noſtri Regni Hiſpaniæ exprimuntur, quarum alibi facimus mentionem: eámque † detentio- 5
nem Bullarum & ſupplicationem, à primo Summi Pontificis mandato iure ipſo canonico permiſſam eſſe, conſtat ex *cap. ſanè de officio iudicis delegat.* & *cap. ſi quando de reſcriptis.* & *cap. cùm teneamus, de præbendis*; vbi Alexander III. ſic ait: *Æquanimiter ſuſtinemus, ſi pro eo mandatum noſtrum non duxeris exequendum* & Gregorius XIII. *in ſua conſtitutione* quæ incipit: *In tanta negotiorum mole, qua Romanus Pontifex aſſiduè premitur, vix vitari poteſt, ne aliqua interdum exiliant, quibus poſtea recognitis neceſſe eſt moderationis remedium adhibere.* Et poſtquàm retulit varietatem Sanctiſſimi Pij V. circa priuilegia ordinibus mendicantibus à ſe conceſſis, dum priùs illis conceſſa priuilegia circa conciones ad populum habendas, confeſſiones ſecularium audiendas, ſepulturas, quartam funeralium &c. animaduertens, quòd ex illis multæ orirentur lites, ea poſtea aut reſtrinxit, aut reuocauit: ſubdit Gregorius. *Nos hac varietate cognita, ſtatuimus de prædictis & aliis omnibus litteris & conſtitutionibus, quæ ab eodem prædeceſſore pro quorumcumque regularium etiam mendicantium ordinibus quomodolibet emanarunt &c. Ad quam diſpoſitionem & deciſionem, ſuúmque priſtinum ſtatum, illa omnia reducimus*, ſcilicet ad ſtatum iuris communis & Concilij Tridentini. In qua reduxit priuilegia à Pio V. conceſſa ad terminos iuris communis, teſtatur ſe ad huiuſmodi reductionem faciendam moueri, quoniam † Summi 6
Pontifices ſæpius concedunt, quæ non ſunt concedenda, propterea quod valdè occupati ac præpediti inueniuntur in tanta negotiorum mole. Secundò probatur ab alio ſimili de reſcriptis Principum ſæcularium, † quæ admittunt ſup- 7
plicationem fieri ab eorum executione ſine crimine inobedientiæ, vt habetur *in authentico de mandatis Principum; & lege 29. tit. 18. partita* 3. vbi ſic habetur. *Et ſi fueren contra los derechos de el Rey, non deben ſer las primeras cartas cumplidas, ca non han fuerça ninguna, ò contra el bien Publico, o de el Rey; o en daño de tercero.* Et amplius colligitur ex quatuor legibus prioribus nouæ recopillationis *lib. 4. titul. 14.* in quibus fundatur conſuetudo & praxis iudicum inferiorum, in non exequendo primas prouiſiones ſiue chartas Regias: eò quòd tum non dubitatur de poteſtate, ſed de voluntate Principis concedentis mandatum: propterea quod vt ſcitè Salgado notat in ſuo *lib. de retentione Bullarum*, à principio Principes ſolent eſſe faciles in concedendis gratiis, & expediendis mandatis fauorabilibus, reſpectu quorum proinde facilis eſt ſubreptio & deceptio: ad quod vitandum inconueniens, permittitur iudicibus inferioribus, vt ſine inobedientiæ nota poſſint à primis & ſecundis chartis regiis ſupplicare, eáſque executioni non mandare: igitur pariter dictus Prouincialis ſine crimine inobedientiæ potuit primum, & ſimplex mandatum ſui Generalis non implere.

Tertiò probatur; nam *in dicto cap. ad noſtram*, &, *cap. Reprehenſibilis, de appellation.* prohibetur religioſis appellatio à correctione

ſui

sui Prælati. Quapropter *leg. 4. tit. 5. lib. 2.*
8 *nouæ recopilationis* interdicitur † Senatibus Regijs, ne per viam violentiæ ad se aduocent, aut recipiant causas religiosorum, pertinentes ad eorum visitationem & monasticam correctionem, propter damna & scandala, quæ sequuntur ex eo, quòd defectus religiosorum sæcularibus coram propalentur: ergo iniusta fuit horum religiosorum appellatio. Vltimò probatur, quia Regis Catholici decretum, & similiter decretum Illustrissimi Nuncij, quibus hos religiosos suo Prouinciali corrigendos & puniendos remiserunt, fuere decisiua. Respectu quorum, status materiæ non fuit in melius mutatus ex parte dictorum religiosorum, qui potiùs inobedientes extiterunt, Romam sine licentia confugientes. In qua fuga contrauenerunt dispositioni Concilij Tridentini, *sess. 25. cap. 4.* iubenti, quod nullus regularis sine licentia Prælati à suo Monasterio recedat, etiam prætextu ad suos superiores accedendi, nisi ab eisdem missus, vel vocatus fuerit: Qui verò sine prædicto mandato in scriptis obtento repertus fuerit, ab ordinarijs locorum tanquam desertor sui instituti puniatur, id est, non tantùm vt fugitiuus, sed vt Apostata. Cùm igitur isti duo religiosi Romam petierint ad suum Generalem sine licentia confugiendo, ne exilium sibi à suo Prouinciali indictum implerent, suâ culpam aggrauarunt, & pœnam Apostasiæ à Concilio pro huiusmodi fugitiuis assignatam incurrerunt: non est cur eis dolus & malitia suffragetur, sed condignè à Prouinciali pœnâ ante fugam promeritâ & ipsis indictâ multentur.

Ad primum pro contraria parte argumentum adductum, Respondeo, admisso antecedente, negando consequentiam. Nam etsi iure communi religiosi beneficio appellationis ac recursus ad superiorem non priuentur, nisi eis per priuatas suæ religionis leges interdicatur: Verùm id fieri debet seruatis conditionibus de iure requisitis, & à Tridentina Synodo atque à Sixto V. *vbi suprà* assignatis; nimirum, quòd religiosus dum per viam appellationis aut simplicis querelæ ad superiorem recurrit pro grauamine vitando, licentiam Prælati à quo in scriptis obtineat, aut secum ferat fide dignum testimonium de licentia petita & sibi denegata: alioquin lethalis culpæ est reus, & fugitiuorum pœnis obnoxius, prout in dicta conclusione secunda quæstionis præcedentis declaratum relinquimus: à quibus isti religiosi excusari non valent, qui sine dictis conditionibus Romam petierunt.

Ad secundum negabis minorem præmissam: quia isti religiosi non appellando, sed clandestina fuga è claustro & prouincia recesserunt, alioquin debuissent coram Prouinciali à quo appellabant, ipsam appellationem interponere, & de illa non admissa ferre fide dignum testimonium ad Generalem. Nec aliter appellatio suspendit actum iudicis inferioris, nisi coram illo legitimè & intra tempus iure præscriptum interposita, & ab eodem admissa, aut iniustè denegata, maximè in religionibus, in quibus vt habetur *in dicto cap. ad nostram*: † remedium 9
appellationis non prodest alicui, vt à religionis & ordinis obseruantia exorbitanti, debeat sua nequitia patrocinium exhibere.

Ad tertium, admisso antecedenti neganda est consequentia. Nam quamvis inferior non habeat potestatatem iurisdictionis in superiorem, quatenus nec illum inhibere, aut eius iurisdictionem fugere, aut limitare potest: neque potest illum pœnis vllis temporalibus siue spiritualibus scilicet censuris punire, nihilominùs potest illius priori mandato non parere, aut ab illo supplicare, & expectare secundam, imò & tertiam iussionem, absque inobedientiæ crimine, prout ex iuribus prælegatis ostensum relinquimus; eò quòd tunc Iudex siue Prælatus inferior non de potestate dubitat Superioris, sed de voluntate, præsertim quando primum mandatum Superioris est simplex & absque cognitione causæ, aut ex falsitatis expressione, vel veritatis taciturnitate præsumitur expeditum; neque vllam pœnæ inflictæ mitigationem, aut sententiæ latæ ab inferiori reuocationem, aut illius inhibitionem, vel causæ ad se reuocationem continet: quale esse constat mandatum ab istis duobus religiosis adductum, quod propterea causam eorum in eodem statu in quo erat ante fugam, relinquit, superaddita nouæ culpæ, scilicet fugæ & inobedientiæ circūstantia.

TRACTATVS II.

ALIAS VNDECIM

CONTINENS QVÆSTIONES; ſcilicet ab XI. vſque ad XXI. incluſiuè.

QVÆSTIO XI.

Vtrum Epiſcopus poſſit diſpenſare in irregularitate, quam Iudex laicus incurrit per ſententiam mortis, ſiue mutilationis latam, & executioni mandatam?

SVMMARIVM QVÆSTIONIS XI.

1 *Supponitur Iudicem laicum in dicto caſu irregularitatem incurrere, teſtimonio omnium Doctorum, tam Theologiæ quàm vtriuſque Iuris.*

2 *Duo canones expreſſi, in quibus dicta irregularitas contra iudices laicos ſententiam ſanguinis executioni mandantes, ſtatuitur.*

3 *Vtrum Epiſcopus loci poſſit cum iudice laico in huiuſmodi irregularitate diſpenſare? à Doctoribus pro & contra diſputatur.*

4 *Affirmantium Doctorum fundamenta duo. Primum deſumptũ ab authoritate Epiſcopi, qui poteſt diſpẽſare cum ſibi ſubditis in caſu dubietatis. Alterum ab eiuſdẽ poteſtate diſpenſandi in omni irregularitate, excepta homicidij voluntarij, mutilationis, Bigamiæ, &c.*

5 *Sententiam negantem qui tuentur; eademque tanquam verior approbatur.*

6 *Communis praxis & conſuetudo recepta, eſt optima legum interpres.*

7 *Ex Concilio Tridentino ſeſſ. 24. cap. 6. declaratur quouſque ſe extendit poteſtas, quam habent Epiſcopi ad diſpenſandum in irregularitatibus & ſuſpenſionibus.*

8 *Diſpenſationes duarum irregularitatum reſeruantur Sedi Apoſtolicæ, & excipiuntur à poteſtate ordinaria Epiſcoporum.*

9 *Epiſcopum non poſſe diſpenſare in irregularitate ex homicidio iuſto proueniente, probatur.*

10 *Duæ à Concilio conditiones aſſignantur requiſitæ in ea Irregularitate ſeu ſuſpenſione, quam Epiſcopi poſſint & valeant diſpenſare.*

11 *Notorium iuris eſt, quod vel in actis proceſſus iudicialiter eſt probatum, vel per ſententiam iudicis in Tribunali eſt dictum.*

12 *Indictio belli iuſti à ſupremo Principe facta habet vim ſententiæ iudicialis.*

13 *Non eſſe condemnandos Epiſcopos, qui cum iudice laico in dicta irregularitate ex rationabili cauſa quandoque diſpenſant, pro concluſione probatur.*

IN qua difficultate vnum ſupponimus, & aliud inquirimus. † 1 Supponimus quidem iudicem laicum in dicto caſu irregularitatem incurrere. Non ſolùm quia id omnes Doctores, tam Theologiæ, quàm vtriuſque Iuris tanquam certum ſupponant, vt quibuſdam Neothericis placet, de quorum numero eſt Ægidius Coninc. *diſput. 18. de irregul. dub. 10.* dicens; textus iuris Canonici, ex quibus Doctores huiuſmodi irregularitatem deducunt, potiùs eam ſupponere ſtatutam, quàm illam ſtatuere: eò quòd *in cap. aliquantos diſtinct. 51.* quòd Auila *de irregular. diſput. 5. ſect. 2. dub. 1.* & Layman. *lib. 3. tract. 3. part. 3. cap. 7.* dicunt eſſe optimum textum, in quo ſic habetur: *Aliquantos, ex his, qui poſt acceptam Baptiſmi gratiam in forenſi exercitatione verſati ſunt, & obtinendi pertinaciam ſuſceperunt &c.* & infra. *Aliquantos, ex curialibus, qui cum parerent poteſtatibus, quæ ſunt ſibi imperata, fecerunt* &c. quem tamen alij dicunt non loqui de iudicibus, niſi tantùm de Aduocatis, & aliis miniſtris inferioribus. Suarius verò *diſputat. 47. ſect. 7. de cenſuris*, hanc irregularitatem colligi *ex cap. ex litteris de exceſſibus Relatorum*: quem tamen textum reiicit Leſſius *c. 2. de irregul. dub.* qui eam deducit *ex cap. Clericis*, & *cap. ſententiam, ne Clerici vel Monachi in ſexto*; de quibus tamen ipſe Suarius ait, non loqui de iudicibus laicis, ſed tantùm de Clericis, quibus ibi prohibetur, ſententiam ſanguinis proferre. &c. Vnde in tanta opinantium diſcordia colligunt præfati Doctores huiuſmodi irregularitatem contra iudices laicos non eſſe expreſſam in iure, ſed potiùs ſupponi ſtatutam per extrinſecam eorum authoritatem. Ex quo alij tale formant argumentum. Nulla cenſenda eſt irregularitas,

quæ in iure non sit expressa, vt habetur *in cap. is qui de sententia excommunicationis in sexto*, ibi: *irregularitatis tamen, cum id non sit expressum in iure, laqueum non incurrit.* Quin ad eam inducendam sufficiat consuetudo communi Doctorum opinione firmata, idque tanquam commune principium docent Suarius *disput.* 40. *sect.* 4. *num.* 13. & 15. Valencia, Cornejus, & alij quos refert, & sequitur Diana *tom.* 4. *tract.* 2. *resol.* 60. Et cùm huiusmodi restrictio sit fauorabilis ex *dicto cap. is qui*, potiùs extendenda est, quàm limitanda; sicut è contra omnis clausula odiosa, aut non satis clara, potiùs limitanda est, vt benè notat Suarius *vbi supra sect.* 5. *num.* 6. *circa finem.*

Verùm tamquam certa, & indubitata tenenda est nostra suppositio. Neque enim credendum est tot tantósque Doctores Theologiæ, & vtriusque Iuris peritos, supponere huiusmodi irregularitatem propter sententiam sanguinis in iudicibus laicis contractam, quin eam in iure Canonico expressam vidissent. Et quidquid sit de canonibus adductis à præfatis auctoribus, ex quibus eam prætendunt vti expressam deducere, de quo esto fides apud suos auctores. Mihi † duo sunt canones expressi, in quibus dicta irregularitas contra iudices laicos sententiam sanguinis executioni mandantes, statuitur: Nimirum *in c. si quis viduam. distinction.* 50. cum Gloss. Verbo, *præcepto*, ibi: *si homicidij aut facto, aut præcepto, aut consilio, aut defensione consciusfuerit. &c.* intellige, non admittatur ad Clericatum. Certum autem est iudicem laicum in dicto casu proferendi scilicet, & exequendi sententiam sanguinis, fieri præcepto, & consilio, conscium & participem homicidij. Secundus canon habetur *in cap. allegato Aliquantos*; *distinct.* 51. ibi; *aliquantos ex curialibus, qui cùm parerent potestatibus, quæ sunt sibi imperata fecerunt &c.* Quibus in verbis non solùm Ministri inferiores, & executores sententiæ latæ à Iudice, videlicet, Scribæ & Apparitores, Baliui, & Satellites comprehenduntur, sed etiam ipse Iudex principalis & immediatus ferens sententiam, & illam iubens executioni mandari: eò quòd iste sit etiam minister iustitiæ, vtpotè, qui in nomine alterius superioris, videlicet Regis aut Principis eius ditionis profert sententiã sanguinis, & illam mandat executioni. Ideóque dum reus condemnatus fertur ad supplicium, voce Præconis non dicitur, eam iustitiam fieri à Prætore vel Magistratu ferente sententiam, sed à Rege seu Principe eius ditionis, cuius ipse Prætor, siue Magistratus est Minister; qui propterea non sibi; sed Regi siue Principi attribuit eam iustitiæ executionem, cuius & ipse potiùs est executor ac minister, quàm principalis imperans. Cùm ergo in præfatis verbis comprehendantur omnes iustitiæ Ministri inferiores, & executores, non est ab horum numero excludendus Iudex ferens sententiam, qui vt iustitiæ, & superioris Principis Minister procedit.

Hâc igitur suppositione vt certâ, & indubitatâ admissâ, vertimus in dubium. † Vtrum Episcopus loci possit cum iudice laïco in huiusmodi irregularitate dispensare. In quo bipartiti sunt Doctores, in duásque extremè oppositas sententias diuisi. Alij enim tuentur affirmatiuam, de quorum numero sunt Caietanus *in summ.* Verbo *irregularitas*, Couarruuias, Barbosa cum multis, quos citat in collectaneis super Concilium *sess.* 24. *cap.* 6. §. 3. & *in allegationibus, alleg.* 39. *num.* 47. Suarius *de censura disput. citata sect.* 6. Molina *disput.* 19. Auila *part.* 7. *disput.* 6. *sect.* 5. *dub.* 1. Filliucius *tract.* 19. *num.* 262. Nauarrus *in summa cap.* 17. *num.* 240. Enriques *lib.* 14. *cap.* 17. Viualdus *de irregul. nu.* 327. Lessius *cap.* 2. *de irregul. dub.* 4. Emmanuel Sà *in summ.* Verbo *irregularitas*; Trullench. *in bulla lib.* 1. §. 7. *cap.* 2. *dub.* 17. Ludouicus à cruce, Diana *tom.* 4 *resolut.* 69. & 70. *tractatu* 2. & *tom.* 7. *tract.* 2. *resol.* 26. cum aliis multis ab ipso allegatis. Quorum fundamenta sunt duo. † Primum est, quia iuxta communem sententiam Episcopus loci potest dispensare cum sibi subditis in casu dubietatis: in dubio enim an res egeat dispensatione, potest Episcopus declarare non egere, vel ad cautelam dispensare, vt benè notat Pater Sà, *vbi suprà num.* 1. Atqui huiusmodi irregularitas in iudice laïco est incerta & valdè dubia, vtpote in iure non satis expressâ: igitur non est cur in illa non valeat Episcopus dispensare. Secundum est, quòd Episcopus habet generatim potestatem, dispensandi in omni irregularitate, excepta homicidij voluntarij, mutilationis, Bigamiæ, & defectus natalium: Sed irregularitas, quam incurrit Iudex laicus, ob sententiam sanguinis latam, non est homicidij voluntarij (& idem dicito de mutilatione voluntaria) vtpote, quia nomine homicidij voluntarij in iure semper intelligitur homicidium peccaminosum quinto præcepto Decalogi prohibitum. Occisio autem siue mutilatio à iudice imperata non est peccaminosa, sed iusta, vtpote legibus, & iustitiæ conformis; ergo non comprehenditur nomine homicidij. Hoc fundamentum colligitur ex ratione Caietani, quæ longè diuersa est, & maioris momenti ab illâ, qua mouetur Couarruuias, cuius ratio est: quod homicidium commissum sine peccato censetur casuale, ac proinde dispensabile ab Episcopo ex Concil. Trident. Quæ tamen ratio, quâ authoritate dicitur, eâdem reiicitur. † Sententiam verò negantem tuentur Bañesius *de iustitia & iure, q.* 64. *art.* 8. quamuis sibi aliquantulum contrarius 2. 2. *quæst.* 40. *dub.* 4. Vbi dixerat Prælato inferiores, habentes priuilegiũ dispensandi generatim in quacumque irregularitate, excepta homicidij voluntarij, mutilationis, Bigamiæ, & defectus natalium, posse in huiusmodi irregularitate Iudicis laici dispensare: (quod à fortiori concedere tenebatur Episcopis, vtpote quibus ex potestate ordinaria competit totum, quod aliis Prælatis inferioribus competit ex priuilegio) Aragonius 2. 2. *quæst.* 64. *art.* 8. Salonius *in eodem art.* 8. *controu.* 4. Amilla *in summ.* Verbo *irregularitas*; Bonacina *tom.* 1. *disput.* 7. *de irregularitate punct. vltim.* §. *sed mihi probabilius*, & alij quamplures, quos plena manu congessit Barbosa *in collectaneis super Concil.* §. 31. *citato.* Et quia hæc est verior sententia, statuitur à nobis pro prima conclusione; quæ suadetur primò † ex communi praxi, & consuetudine recepta, quæ est optima legum interpres. Consuetum namque est, Iudices laicos huiusmodi irregularitate implicatos, non recurrere pro eius dispensatione obtinenda ad Episcopos, qui nec audent illa dispensare, sed potius recurrere ad sedem Apostoli-

cam, aut etiam quandoque ad Nuncios, & Legatos à latere, si fortè eorum delegata potestas ad huiusmodi dispensationem concedendam specialiter extendatur. Secundò suadetur † ex Concilio Tridentino *sess. 24. cap. 6.* Vbi declaratur potestas, quam habent Episcopi ad dispensandum in irregularitatibus & suspensionibus: decernitúrq; eis licere in quibuscumq; irregularitatibus & suspensionibus dispensare ex delicto occulto prouenientibus: excepta ea, quæ incurritur, ex homicidio voluntario, & ea, quæ est deducta ad forũ contẽtiosum, intellige, durante lite, & fori contentiosi iudiciali progressu. † Vbi reseruãtur Sedi Apostolicæ, & excipiuntur à potestate ordinaria Episcoporum, dispensationes duarum irregularitatum: videlicet, eius quæ incurritur ex homicidio voluntario, & eius, quæ deducitur ad forũ contentiosum. Per homicidium autem voluntarium ibi intelligitur tam illud, quod est iniustum, quinto præcepto Decalogi prohibitum, quàm illud quod est iustum, quale est, quod committit iudex laicus in proferendo & exequendo sententiam sanguinis iustam, & miles occidendo hostem in bello iusto: huiusmodi enim occisionem iustam etiam appellari nomine homicidij in iure, constat ex *Clement. 1. de homicidio voluntario sive casuali, & ex toto titulo de homicidio.* Igitur cum potestas Episcoporum non extendatur ad ea, quæ sibi Papa reseruat, licet attento iure communi, & secluſa reseruatione, possint Episcopi in suis Diœcesibus totum, quod Papa potest in tota Ecclesia: & huiusmodi irregularitatis dispensatio, quæ incurritur ex defectu lenitatis sit *in dicto cap. 6. Concilij* reseruata summo Pontifici, consequens est illam ab Episcopis concedi non posse. Verùm quamuis dicta exceptio irregularitatis ex homicidio voluntario, in contextu Concilij tantum supponat pro ea, quæ incurritur ex homicido iniusto, quod mihi verius est, licet illud non aduerterit Bonacina, nimis rationi factæ innitens; adhuc non sequitur † Episcopum posse dispensare in irregularite ex homicidio iusto prouenient: quoniam Concilium ibi dumtaxat loquitur de suspensionibus, & irregularitatibus ex delicto prouenientibus, ac proinde non egebat excipere illas, quæ sine delicto prouenium ex defectu significationis, aut lenitatis, cuiusmodi sunt Bigamia, & irregularitas ex sententia iusta, aut occisione iusta in iudice, aut milite contracta. Vnde sicut nec Bigamiam excepit, ita neque istas irregularitates sine delicto prouenientes debuit excipere.

Tertiò suadetur *ex eodem cap. 6. Concilij.* Vbi dum dicitur Episcopis licere in quibuscumq; suspensionibus & irregularitatibus ex delicto occulto prouenientibus dispensare, † duæ à Clerico conditiones assignantur requisitæ in ea irregularitate, seu suspensione, quam Episcopi possint, & valeant dispensare: Videlicet, quòd proueniat ex delicto, & quod sit occulta, vt ex ipso patet contextu. Sed in ea irregularitate, quam iudex laicus exequendo sententiam sanguinis, aut miles occidendo hostem, in bello iusto incurrit, neutra conditio reperitur: neque enim talis irregularitas prouenit ex delicto, sed potius ex actu virtutis, scilicet iustitiæ vindicatiuæ, quem iudex in exequendo sententiam iustam sanguinis, & miles in occidendo iniustum hostem exercet: neque est occulta, sed potius notoria notorietate iuris, & facti. Nam vt tenet communis sententia Doctorum, † notorium iuris est, quod vel in actibus processus iudicialiter est probatum, vel per sententiam iudicis in tribunali est indictum: & si executioni mandetur pœna à iudice per sententiã inflicta, iam res fit notoria notorietate facti, quantum est de se, licet in aliis oppidis vel ciuitatibus ignoretur: huiusmodi enim ignorantia est per accidens, quæ proinde non obstat rei, quæ de se est notoria notorietate iuris, aut facti. Et vtraque notorietas concurrit in dicta irregularitate iudicis & militis, contracta ex solo defectu lenitatis; eò quòd sententia iudicis pro Tribunali sedentis, prolata in causa sanguinis, iam efficit illam notoriam notorietate iuris; quòd si pœna sanguinis in reo executioni mandetur, iam huiusmodi pœna fit notoria per se loquendo, notorietate facti. Eadémque notorietas tam iuris, quàm facti inuenitur in morte, quam miles in bello iusto hostibus infligit: quia † indictio belli iusti à supremo Principe facta, habet vim sententiæ iudicialis, quâ Princeps intendit iniuriam ab iniustis inuasoribus vlciſci, & propterea quando de facto in tali bello mortes hostibus inferuntur, iam fit notoria pœna notorietate facti, vtpote in conspectu totius exercitus inflicta, licet à longè distantibus per accidens ignoretur.

Vltimò probatur, satisfaciendo fundamentis prioris sententiæ. Ad quorum primum respondetur negando minorem: constat enim ex dictis huiusmodi irregularitatem iudicis laici neque incertam, neque dubiam esse. Ad secundum respondetur; vel negando minorem, quia etiam huiusmodi irregularitas potest dici prouenire ex homicidio voluntario, quod in iure latius patet quàm occisio peccaminosa, & iniusta: vel admissa minori & consequentia, negatur intentum principale; quamuis enim occisio iusta à iudice laico executioni mandata, non sit propriè homicidium, adhuc non sequitur posse Episcopum in illa dispensare, sicut nec potest dispensare in irregularitate Bigamiæ, quæ prouenit ex defectu significationis sine delicto.

Secunda conclusio sit; nihilominus † non sunt condemnandi Episcopi, qui cum iudice laico in dicta irregularitate ex rationabili causa quandoque dispensent. Hæc conclusio probatur, quia nullus condemnandus est ex eo, quòd in materia fauorabili & sine præiudicio tertij sequitur opinionẽ probabilem, & secundum illam operatur. Etenim vna ex cõditionibus concurrẽtibus in opinione probabili est, quod possit sequi tuta conscientia, alioquin probabilis non esset, vt ex disputatione de hoc argumẽto à nobis discussa abundè patet. Atqui opinionem primam asserentem Episcopum posse cum iudice laico in irregularitate ab ipso ob sententiam sanguinis contracta dispensare, esse valde probabilem, tum probabilitate intrinseca prouenient à rationibus, quibus fulcitur: tum etiam probabilitate extrinseca, prouenient ab auctoritate Doctorum qui illam tuentur, manifestum est. Imò in materia fauorabili, qualis est ista de dispensando in irregularitatibus, non requiritur intrinseca probabilitas, sed sufficit extrinseca virorum non infimæ notæ, ob quorum auctoritatem non potest euidenter conuinci contrarium. Quis enim dicere audeat, opinionem relatam, quæ pro se habet tot tantósque authores, Iuris & Theologiæ

strenuè

ſtrenuè peritos, vt Caietanum, Nauarrum, Suariũ Couarruuias, Leſſium, & alios recenſitos, non eſſe probabilem ſaltem extrinſeca probabilitate & ſufficienti, excuſare à culpa Epiſcopos, qui ei conformentur, & iuxta illam operentur. Ego ſaltem eos non condemnarem poſt conceſſam talem diſpenſationem: ante factum minimè conſulerem, quia adhæreo contrariæ opinioni, ſed poſt factum minimè condemnarem; quia iuxta opinionem probabilem, & quæ à pecato excuſat, operantur.

QVÆSTIO XII.

De poteſtate Epiſcoporum ad abſoluendum à crimine hæreſis occulto in foro Sacramentali: Vtrum Epiſcopus poſſit ſuo Diœceſano talem abſolutionem impendere? Deinde vtrum ſuppoſito quod probabilior ſit opinio negatiua, poſſit talem hæreticum abſoluere à crimine, & excommunicatione, vtendo ſua opinione minus probabili?

SVMMARIVM QVÆSTIONIS XII.

1 *Facultas abſoluendi à crimine hæreſis occultæ data Epiſcopis à Concil. Trid. poſtea eſt abrogata.*

2 *Communis error facti ſupplet defectum iuriſdictionis in miniſtro.*

3 *Excommunicatus decedens cum ſignis ſufficientibus veræ contritionis, poteſt poſt mortem abſolui, & in loco Sacro ſepeliri.*

4 *Corpus excommunicatum ſepultum in loco Sacro inde extrahendum eſt, & procul ab Eccleſiaſtica ſepultura proiiciendum.*

5 *Ex Bulla Gregorij XII. excommunicationis pœnâ multantur, qui quouis diſputandi vel indaganda veritatis colore, Societatis* IESV *inſtitutum, conſtitutiones & c. impugnant.*

6 *Nomen profeſſionis analogum eſt, dicitúrque de profeſſione ordinaria & extraordinaria.*

7 *Profeſſio ſimpliciter dicta, & quæ de iure communi fit in Eccleſia, non eſt abſque abdicatione Dominij.*

8 *Poteſtas Ordinaria, quando eſt in iure coarctata, poteſt ſubdelegari.*

9 *Effectus excommunicationis ſuſpenditur, quando quis iniuſtè excommunicatus, per viam appellationis pro ſui defenſione ad ſupremum Senatum recurrit.*

10 *Excommunicatio iuſta ſiue iniuſta ſemper eſt timenda.*

1 RESPONDEO ad primum quæſitum concluſione negatiua: Cuius ratio eſt, quia † facultas hæc abſoluendi à tali crimine hæreſis occultæ, data Epiſcopis à Concilio Tridentino *ſeſſ. 24. cap. 6.* iam eſt derogata: tum communi praxi Eccleſiæ, & Eminentiſſimorum Cardinalium Congregationis ſuper cauſis fidei; tum etiam ſpeciali declaratione ſummorum Pontificum Pij V. & Gregorij XIII. quam referunt Dominus Franciſcus Pegna 3. *p. directorij inquiſitorij in ſcholio ad quæſt. 92.* & Nauarrus *in ſumma c. 27. num 175.* quos etiam refert, & ſequitur Suarius *tom. de cenſuris diſp. 27. ſect. 3.* quorum ſententia mihi magis arridet, vtpote, quia certior, & ſecurior eſt: cui proinde Epiſcopi conformari tenentur.

Ad ſecundum quæſitum; Reſpondeo nihilominus Epiſcopum tenentem contrariam opinionem, poſſe abſoluere reũ Diœceſanũ à tali crimine hæreſis, verámq; & validã fore huiuſmodi abſolutionem: eò quòd ſequitur opinionem probabilem, licet minus certam & ſecuram; vt idem Suarius fatetur *vbi ſupra.* Hoc probat communis regula Theologorum & Iuriſtarum deprompta *ex lege Barbarius. ff. de officio Prætoris*, nimirum quod † communis error facti ſupplet defectum 2
iuriſdictionis in Miniſtro, qui exercet dubiam & probabilem, quam habet bona fide ſecundum communem aliorum æſtimationem, quamuis opinio hæc, & æſtimatio probabilis, in re ſit falſa, & iuriſdictio æſtimata ſit nulla. Supplet igitur iſte communis error facti in Epiſcopo iuriſdictionem, quam in tali caſu concurrentibus dictis conditionibus Eccleſia tacitè ei concedit, vt poſſit abſoluere Diœceſanum ab hæreſi occulta, exterius tamen prolata, quam neque eſſe ſublatam Epiſcopis per Bullam Cœnæ poſt Concilium, teſtantur Emanuel Sà *in ſumm.* Verbo *Epiſcop. num. 37.* & Corduba *in ſumma q. 8.* cum Viualdo *q. 13. de abſolutione ab excommunicatione* & Bañeſio *2. t. quæſt. 11. art. 1. dub. 2.*

Hinc colligo primo cũ Suario *vbi ſup. n. 3.* quod ſi † excommunicatus deceſſerit ante obtentã ab- 3
ſolutionem ab excommunicatione, cum ſignis tamen ſufficientibus veræ contritionis, ſicut poteſt poſt mortem abſolui vt ſuffragiis Eccleſiæ fruatur: ita etiam vt in loco Sacro ſepeliatur. Quod ſi caſu contingat eius corpus iam eſſe in loco Sacro ſepultum, quantocius eſt abſoluendum, ne ipſum exhumari, & à tali loco extrahi neceſſe ſit: hoc enim ex eiſdem iuribus prælegatis manifeſtè colligitur.

Colligo ſecundò; quod † corpus excommu- 4
nicati ſepultum in loco ſacro, (intellige ſi ob defectum ſignorum veræ contritionis prius non abſoluatur defunctus, iuxta doctrinam præcedentis corollarij) inde extrahendum eſt, & procul ab Eccleſiaſtica ſepultura proiiciendum, dummodo à corporibus aliorum fidelium diſcerni poſſit: imò & locus ipſe expurgandus tunc eſt, ac reconciliandus aſperſione aquæ benedictæ; ſicut fit in Eccleſiæ dedicatione. Prima pars huius corollorarij deducitur *ex eodem c. Sacris*, quod ſic diſponit. Secũda verò *ex c. cõſuluiſti, de conſecratione Eccleſiæ.* Et eius diſpoſitionis ratio eſt, quia per huiuſmodi excommunicati corpus polluitur ac violatur quodammodo locus ſacer, à qua proinde violatione purgandus eſt, antequam ibi aliorum fidelium corpora ſepeliantur, aut diuina officia celebrentur; vt colligitur *ex capit. vnico de conſecratione Eccleſiæ,*

ſiæ, vel altaris in ſexto, argumento à paritate rationis, de iſta, atque de aliis violatoribus, de quibus loquitur iſte textus.

Venit quoque ſoluendus caſus de quodam ciue Montenſi apud Belgas; qui litigans ſuper hæreditate obtinenda contra quemdam religioſum Societatis IESV, qui ſe dicebat religioſum non profeſſum: intulit hanc conſequentiam. Iſte non eſt profeſſus: ergò non eſt religioſus. Inquiritur, an iſte ciuis Montenſis ob illationem huius conſequentiæ, & in illa pertinaciter perſeuerans, incurrerit excommunicationem latam in Bulla Gregorij XIII. contra negantes religioſos Societatis poſt emiſſa tria prima vota ſimplicia, eſſe verè religioſos?

Reſpondeo affirmatiuè, niſi dictus ciuis Montenſis explicet ſe loqui de quacumque profeſſione. Pro cuius concluſionis declaratione ſuppono duo. Primum eſt quod† Gregorius XIII. 5
in Bulla *Aſcendente Domino*, in fauorem Societatis Ieſu expedita, grauibus pœnis, inter alias, pœna excommunicationis latæ mulctat eos, qui quouis diſputandi, vel etiam indagandæ veritatis quæſito colore, directè, vel indirectè Societatis inſtitutum, conſtitutiones, vel etiam præſentes litteras aut aliquem earum articulum impugnare, vel eis contradicere audeat. Vbi de tribus votis ſimplicibus præmiſerat dicens: *Sed & Scholares ipſos, & biennio probationis à quolibet eorum peracto, tria vota ſubſtantialia prædicta tametſi ſimplicia emiſerint, aut emittent in futurum, verè & propriè religioſos fuiſſe, & eſſe, & fore, & vbique, & ab omnibus, cenſeri, ac nominari debere, non ſecùs atque ipſos tum Societatis, tùm quorumvis aliorum regularium ordinum profeſſos &c.* Necnon idem Gregorius XIII. in alia bulla, quæ incipit *quantò fructuoſius*, ſubdit; quòd huiuſmodi tria vota ſimplicia emittentes, bonorum ſuorum iuſtas ob cauſas dominium pro ſuperiorum arbitratu retinere valent; & probant Suar. *lib.* 4. *de religione*, & Sanch. 2. *p. ſummæ lib.* 7. Ex quibus liquet iſtos alumnos Societatis eſſe verè religioſos ex vi trium votorum ſimplicium, ſed non profeſſos, nec abdicantes à ſe dominium rerum temporalium.

6 Secundum eſt, quòd† nomen profeſſionis analogum eſt, analogicéque dicitur de illa profeſſione communi, & ordinaria, quæ ſecundùm cõmune ius in Eccleſia talis appellatur, tanquam de analogato magis principali; atq; de alia extraordinaria, quæ fit præter ius commune, tanquam de analogato minùs principali. Vnde quia analogum per ſe ſumptum ſtat pro famoſiori ſignificato; ita nomen profeſſionis abſolutè prolatum ſupponit pro illa profeſſione, quæ fit ſecundum ius cõmune Eccleſiæ, qualis eſt illa, quæ fit à religioſis per tria vota ſolemnia, & cum traditione ſolemni, qua ſe religioni, ac eius ſuperiori tradunt, reſpectu cuius altera non meretur nomen profeſſionis, niſi tantùm ſecundum quid & cùm aliquo addito.

His ſuppoſitis probatur noſtra aſſertio. Primò quia ex dicta Bulla, quæ incipit, *Aſcendente Domino*; conſtat alumnos Societatis ex vi trium votorum ſimplicium, quæ emittunt biennio peracto, fieri verè, ac ſimpliciter religioſos, non ſecùs atque aliorum ordinum profeſſos; & tamen non eſſe profeſſos ſimpliciter, neque ea profeſſione, quæ de iure communi fit in Eccleſia, feriuntúrque excommunicationis pœna, quicumque oppoſitum dixerint: Ergo qui audet dicere alumnum Societatis, qui tria vota ſimplicia emittit, non eſſe religioſum, ſiquidem non eſt profeſſus, manifeſtè præfatæ bullæ contradicit, & incurrit pœnas in illa contentas. Secundò quia præfatus ciuis ſuſtinens dictam cõſequentiam, & illationem; Alumnus Societatis non profeſſus non eſt religioſus, aſſentitur huic æquipollenti: nullus eſt religioſus in Societate, qui non ſit profeſſus: aut huic; Omnis religioſus Societatis, ſi verè & ſimpliciter eſt religioſus, verè & ſimpliciter eſt profeſſus. Hæc autem aſſertio expreſsè damnatur à Gregorio XIII. in dicta bulla ſub pœnis ibi ſtatutis: ergo illas incurrit dictus ciuis Montenſis. Minor patet, quia ibi ſtatuitur, quod alumni Societatis per ſola tria vota ſimplicia, verè & ſimpliciter fiunt religioſi; & quòd non ſunt profeſſi, ſiquidem contraponuntur profeſſis eiuſdem Societatis & aliorum ordinum: ergo.

Tertio: nam verè & ſimpliciter profeſſi abdicant à ſe Dominium rerum temporalium, cum † profeſſio ſimpliciter dicta, & quæ de iure 7
communi fit in Eccleſia, non inueniatur abſque abdicatione Dominij ex *cap. cum ad monaſterium, de ſtatu Monachorum*: Sed ex bulla eiuſdem Gregorij: quæ incipit, *quantò fructuoſius*: iſti religioſi Societatis per vota tria ſimplicia non abdicant à ſe Dominium bonorum temporalium: ergo non ſunt verè & ſimpliciter profeſſi, & tamen ſunt verè & ſimpliciter religioſi, vt definit Gregorius, in prædicta bulla: ergo latius patet in Societate Religioſus, quàm profeſſus; ac per conſequens iſta duo non ſe habent conuertibiliter, & qui oppoſitum aſſeuerat cum pertinacia, dictæ Bullæ contradicit. Et oppoſitum videtur ſentire & aſſeuerare cum pertinacia dictus ciuis Montenſis, dum in dicta illatione monitus ſemel, & correptus ab Archiepiſcopo Cameracenſi perſeuerat. Dixi in aſſertione, *niſi explicet ſe loqui de quacumque profeſſione*: eò quòd adhibens hanc explicationem, congruentem ſenſum adhiberet verbis bullæ Gregorij, ac proinde eius pœnas neutiquam incurreret. Poſſet namque dicere, quod loquebatur de profeſſo ſimpliciter, & ſecundum ius commune, atque de profeſſo ſecundum quid, cum aliquali traditione ſine ſolemnitate tamen votorum: ita vt ſenſus ſit, qui non eſt profeſſus aliqua ex his duabus profeſſionibus; neq; eſt religioſus. Et iſte ſenſus eſt verus, & cõformis modo ſentiendi, ac loquendi alumnorum ſapientiorum Societatis, qui ſolent dicere: iſte frater emiſit primam profeſſionem, ſcilicet, trium votorum ſimplicium: & merito; quia cum illis tribus votis fecit religioſus quamdam traditionem, quâ ſe tradidit religioni Societatis, ac poteſtati Dominatiuæ Prælatorum, & promiſit paupertatem, caſtitatem, & obedictiam ſeruare, quãdiu à religione per Prælatum ſuperiorem non expellatur: ergo aliqualiter eſt profeſſus, ſicut & religioni traditus. Vnde ſi neque iſto modo eſt profeſſus, bene ſequitur quod neque ſit religioſus. Quare ſi dictus ciuis Montenſis ita ſuam illationem explicet, & interpretetur, neutiquam veritati, aut decreto Sũmi Pontificis contradicit: nec illo pacto pœnas impoſitas incurrit.

Colligo quartò; vt ad præcipuæ quæſtionis maiorem explicationem redeamus, poteſtatem abſoluendi hæreticis à crimine per accidens occulto

cultò hæresis, & ab excommunicatione annexa, non fuisse ablatam per Bullam Cœnæ, quia in illa reseruatur Summo Pontifici tantùm absolutio ab hæresi, quæ impenditur ex vi alicuius priuilegij, concessi in fauorem hæreticorum pœnitentium: non autem quæ impenditur ex potestate ordinaria qualis est potestas Episcoporum. Benè autem fuisse sublatam Episcopis per alia rescripta, & priuilegia edita in fauorem Iudicum fidei, in quibus conceditur eis priuatiuè facultas absoluendi à crimine hæresis. Verumtamen huiusmodi potestas, etiamsi admittatur in Episcopis, iuxta opinionem probabilem Vialdi, & Bañesij, in locis præallegatis, non potest alteri subdelegari; eò quòd licet sit ordinaria, tamen est coarctata à Concilio Tridentino *in dicta sess. 24. capit. 6.* ibi: *Idem & in hæresis crimine in eodem foro conscientiæ eis tantum, non eorum Vicariis sit permissum.*

8 Et licet † potestas ordinaria regulariter loquendo subdelegari possit, non tamen quando est in iure coarctata, sicut est potestas Episcoporum in Concilio ad absoluendum ab hæresi per accidens occulta: In quo Emanuel Sà, & Corduba *vbi supra* minus verè senserunt. Si tamen Episcopus vtens dicta probabili opinione, velit subditum aliquem aliquando à tali crimine hæresis absoluere, post factum non condemnabo; & ante factum consulerem, vt eum simul ab aliis peccatis absoluat, sic enim absolutio impensa vndequaque tenebit.

Colligo vltimò resolutionem alterius casus, de quodam excommunicato pro causa iniusta, & citato per excommunicationem, de comparendo Romæ per Auditorem Cameræ: de quo inquiritur, an interim possit possidere beneficia simplicia sibi ab Episcopo collata, Missam audire, ac Sacra percipere.

Respondeo; quod cùm Auditor Cameræ sit inferior ad Rotam, si iste sit pro causa iniusta excommunicatus, comparet Romæ, aut

9 † recurrit per viam appellationis ad supremum Senatum scilicet Rotæ pro sui defensione, interim suspenditur effectus excommunicationis, etiamsi aliàs iusta sententia fuisset lata. Vnde interim licitè potest beneficia retinere, donec per sententiam legitimam executiuam sit ab illis spoliatus. Cum enim hoc spolium beneficiorum sit pœna exigens executionem, quam nullus in se ipsum tenetur exercere, ideo nempe iste tenetur se spoliare beneficiis. Potest etiam sacris officiis adesse, & Sacra percipere: tum quia interposita appellatio suspendit effectum excommunicationis: tum etiam adhuc sine interposita appellatione, cum hæc excommunicatio fuerit iniustè lata, potest iste Ecclesiæ Sacramentis communicare secretò, & cessante scandalo, quia

10 † excommunicatio iusta siue iniusta semper est timenda.

QVÆSTIO XIII.

Vtrum Iudex Scholasticus Salmantinus sit omnino exemptus à iurisdictione Episcopi Salmanticensis; hoc est; Vtrum sit exemptus à tali iurisdictione non solùm ratione officij Chancellariæ, sed etiam ratione dignitatis Scholastriæ, quam habet in Ecclesia Cathedrali eiusdem ciuitatis?

SVMMARIVM QVÆSTIONIS XIII.

1 *Partem negatiuam huius quæstionis sequuta fuit olim Rota, ad instantiam Reuerendissimi Episcopi Salmantini.*

2 *Quibus non obstantibus Scholasticum Academiæ Salmanticensis plenè & omninò exemptum esse à iurisdictione Episcopi Salmantini, statuitur, & validis argumentis confirmatur.*

3 *Academia Salmanticensis est vna ex magis insignibus totius Orbis.*

4 *Eiusdem Academiæ encomium.*

5 *Scholastico Salmantino competit iurisdictio priuatiuè supra omnes personas Vniuersitatis.*

6 *Consuetudo & obseruantia continuata, fidelis est omnium dubiarum dispositionum interpres.*

7 *Scholasticus Iudex Salmantinus non habet dignitatem Scholastriæ ab Episcopo Salmanticensi, vtpote cuius dispositio Sedi Apostolicæ reseruatur.*

8 *Eadem nunc de facto ad Regem Catholicum Hispanum deuoluta est, qui iure Patronatus eligit personam, quam vt idoneam proponit ipsi Supremus Cameræ Regiæ Senatus.*

PARTEM † negatiuam sequuta fuit olim Rota, quæ in vna decisione coram Domino Seraphino Oliuario habita, qui postea fuit eiusdem Sacræ Rotæ Decanus, decreuit ad instantiam & fauorem Reuerendissimi Episcopi Salmantini, dictum Scholasticum non esse omninò exemptum ab illius iurisdictione, eò quòd licet sit exemptus ab illa, ratione officij Chancellariæ, & Iudicis Apostolici, non tamen ratione dignitatis Scholastriæ, quam habet in Ecclesia Cathedrali ciuitatis Salmantinæ, vtpote,

ratione cuius eſt capitularis, & pars illius Capituli, quod eſt ſubiectum iuriſdictioni Reuerendiſſimi Epiſcopi. Quod ſi totum Capitulum eſt ſubiectum iuriſdictioni proprij Epiſcopi, oportet & omnes eius partes eſſe eidem iuriſdictioni ſubiectas: nam pars debet ſuo toti conformari. Potiſſimúmque fundamentum, quo dictus Dominus Seraphinus Oliuarius Sacræ Rotæ Auditor ſuam deciſionem fundauit, deſumptum fuit *ex cap. capella de priuilegiis*, vbi Innocentius III. decreuit de quibuſdam Canonicis Capellæ Ducis Burgundiæ, exemptis ratione Canonicatuum, illos nihilominus eſſe ſubiectos ratione Eccleſiarum Parochialum, quas ab Epiſcopo Lingonienſi obtinebant: idémque iudicium faciendum eſſe de Scholaſtico Salmantino, pronunciauit dictus Dominus Seraphinus; nimirum, quod licet ratione officij Chancellariæ ſit exemptus à iuriſdictione Reuerendiſſimi Epiſcopi, non tamen ratione dignitatis Scholaſtriæ, quam habet in Eccleſia Cathedrali.

2 Quibus tamen non obſtantibus † ad inſtantiam Doctoris Domini Franciſci Gaſca Salazar moderni Scholaſtici Salmantini, præſuppoſitis teſtibus vigore remiſſoriæ pro parte eiuſdem Scholaſtici legitimè examinatis, productiſque priuilegiis, & conſtitutionibus eiuſdem Vniuerſitatis, Sacræ Rotæ Auditores concorditer tenuerunt prædictum caput *cum Capella*, non obſtare, quominùs dictus Scholaſticus Academiæ Salmanticenſis dicatur plenè, & omnino exemptus à iuriſdictione Epiſcopi Salmantini. Vnde ſub die quinta Iunij anni 1581. à præfata deciſione Domini Seraphini recedentes, decreuerunt pro manutentione ad fauorem dicti Scholaſtici, ſtantibus Apoſtolicis priuilegiis, eorúmque tenore inſpecto, & conſtitutionibus Academiæ, & obſeruantia per teſtes remiſſoriales legitimè probata, dictum Scholaſticum etiam reſpectu dignitatis Scholaſtriæ in Eccleſia Salmantina exiſtentis, à iuriſdictione Reuerendiſſimi Epiſcopi Salmantini pro tempore præſidentis exemptum eſſe: ac minimè mutanda, quæ eandem interpretationem ſemper habuerunt, *ex lege minimè ff. de legibus*, quæ deciſio habita fuit & pronunciata coram Domino Franciſco Peña Sacræ Rotæ Auditore, ac proinde à nobis ſtatuitur pro concluſione.

3 Et probatur primò; quia † Academia Salmanticenſis eſt vna ex magis inſignibus totius orbis, meritóque annumerata inter maiores totius orbis à Clemente V. Romano Pontifice, in Clementina prima de Magiſtris ibi: *in Salmantino per Hiſpaniæ Prælatos*, & propoſita veluti idæa, & exemplar, cui debent cæteræ vniuerſitates conformari, ſecundum Lucium Marineum Siculum *lib. 2. rerum Hiſpaniæ*, Antonium Poſſeuinum *lib. 1. bibliothecæ cap. 5.* & Midendorpium *de Academiis totius Orbis part. 1.* Et merito; 4 † cùm in illa ſpeciali quadam prærogatiua litterarum omnium conſideat domicilium, & commune liberalium artium, & ſcientiarum emporium, ac linguarum Hebraicæ, Græcæ, Arabicæ, & Chaldeæ floreat peritia. Ob quam rationem eſt multis Romanorum Pontificum donata priuilegiis, & innumeris Regis Hiſpaniæ munita præſidiis. Cui proinde debuit præfici Iudex Apoſtolicus, Summo Pontifici immediatè ſubiectus, & omnino ab Epiſcopi Salmantini iuriſdictione exemptus.

Secundò probatur ex Apoſtolicis reſcriptis Eugenij IV. & Innocentij VIII. ſucceſſiuè per Iulium II. Leonem X. & Clementem VII. confirmatis, in quibus † tribuitur Scholaſtico Salmantino iuriſ- 5
dictio priuatiuè ſupra omnes perſonas Vniuerſitatis Salmanticenſis, hoc eſt, ſupra omnes Doctores, Magiſtros, Licentiatos, Bacalaureos, & ſtudentes in codice eiuſdem Vniuerſitatis adſcriptos, & ſuper omnia collegia tam ſæcularia quàm regularia in eandem Vniuerſitatem incorporata, eâ conditione, & priuilegio, vt nullus de Vniuerſitate poſſit coram quocumque alio iudice, præterquam coram dicto Scholaſtico conueniri: neque huiuſmodi priuilegia conceſſa enuntiantur illi tanquam conſeruatori, ſeu contemplatione alicuius alterius particularis qualitatis, ſed vt Scholaſtico abſolutè, ſub nomine, & qualitate Scholaſtici: ita vt fateri neceſſe ſit ipſum non ſolùm vt conſeruatorem, ſeu in ſolis negotiis Academiam reſpicientibus: ſed ſimpliciter, & abſolutè etiam vt dicta dignitate Scholaſtriæ præditum, exemptum eſſe: eò quòd quando priuilegium conceſſum alicui eſt proportionabile, ſub omnibus qualitatibus in eo concurrentibus, & ſimul eſt conceſſum ſub nomine appellatiuo, tunc potius cenſetur abſolutè conceſſum, quàm contemplatione alicuius certæ qualitatis, ex doctrina Abbatis communiter recepta in *capit. quoniam Abbas numer. 8.* Decij *ibidem, numer. 41.* & Beroi *numer. 88.* Verſu *ex verbis Abbatis*, & *conſilio 115. numer. 1.* Verſu *præterea vbicumque libr. 2.* Vbi idem Abbas eandem confirmat ſententiam, nimirum quod illa expreſſio dignitatis, & qualitatis Scholaſtici operatur, vt diſpoſitio cenſeatur facta de illo, veluti de tali qualis enuntiatur. Cum igitur dicta iuriſdictio, & priuilegium in præfatis reſcriptis concedatur Scholaſtico Salmantino ſub nomine Scholaſtici, potius cenſenda eſt conceſſa ſimpliciter, & abſolutè, quàm contemplatione alicuius particularis qualitatis: ac proinde cum abſoluta exemptione ab Epiſcopo Salmantino.

Tertiò probatur ex † conſuetudine præ- 6
ſcripta, & obſeruantia continuata, quæ omnium dubiarum diſpoſitionum ſolet eſſe fidelis interpres, vt habetur *in leg. de interpretatione, ff. de legibus in capit. cum dilectus de conſuetudine*, §. *dictus verò*, & *in capit. certificari, de ſepulturis.* Vnde quamuis dicta exemptio eſſet in dubio, tamen conſuetudo, & obſeruantia continuata legitimè per teſtes comprobata tolleret omnino dubium, & certam redderet dictam exemptionem. Atqui teſtes vigore remiſſoriæ examinati Salmanticæ conformiter deponunt, Scholaſticum Salmantinum ſemper fuiſſe in hac poſſeſſione

exemptio

exemptionis, & Episcopos eiusdem ciuitatis numquam contra Scholasticos iudices processisse, ita vt etiam in casibus, in quibus per visitationem erat contra Capitulares Ecclesiæ Cathedralis procedendum, semper ab Episcopis exceptos fuisse dictos Scholasticos: quod testes propositis aliquot actibus & exemplis, satis patenter ostendunt. Ex quibus longa consuetudine, & obseruantia continuata roboratis, colligitur manifestè exemptio respectu dignitatis scholastriæ: vt testantur Syluanus *conf. 63. & 65. numero* 17. Menochius *conf.* 37. *numero* 97. Aymus *conf.* 101. *numer.* 3. Gabriel *conf.* 89. *numer.* 17. *&* 18. & Socinus *conf.* 145. *lib.* 1. *num.* 2.

Ex quibus ruit fundamentum prioris decisionis, desumptum *ex cap. cum Capella de priuilegiis*, editæ coram Domino Seraphino Sacræ Rotæ Auditore sub die 13. Decembris anni 1582. eò quòd termini illius textus valdè à nostro casu sunt diuersi. Nam ibi exemptio tributa Canonicis Capellæ Ducis Burgundiæ erat restricta ad illam qualitatem, quòd essent Canonici illius capellæ, & ideo neutiquam eximebat illos, respectu alterius qualitatis, videlicet, quatenus ab Episcopo Lingonienſi Ecclesias Parochiales obtinebant: vt apertè indicat textus ibi: *Quocirca mandamus quatenus in quantum exempti sunt eiusdem ratione Capellæ, Apostolicis Priuilegiis deferas reuerenter, sed in quantum ratione Parochialium Ecclesiarum, vel aliàs iurisdictionem tuam respicere dignoscuntur, officij tui debitum in eosdem liberè prosequaris &c.* In casu autem nostro concessio exemptionis non est restricta ad Scholasticum vniuersitatis; quinimo nec restringi rationabiliter potuisset, cum ipsa Vniuersitas nullam talem habeat in Ecclesia Salmantina Scholastriæ dignitatem: & cum talis dignitas in ea Ecclesia consistat, debuisset ad illam in præfata Ecclesia consistentem restringi; cuius oppositum constat ex priuilegio Eugenij IV. relato per Clementem VII. *vbi supra.*

Tum etiam propter aliud discrimen, quod inter nostrum casum, & casum dicti capitis *cum capella* versatur: nimirum quia Canonici illi Parochiales Ecclesias ab eodem Episcopo Lingonienſi obtinebant, vt indicant illa verba textus: *qui Parochiales Ecclesias à te tenent*, & ideo non poterant dici
7 à iurisdictione Episcopali exempti: † Scholasticus autem Iudex Salmantinus non habet dignitatem Scholastriæ ab Episcopo Salmanticensi; vtpote cuius dispositio tanquam dignitatis electiuæ Sedi Apostolicæ reseruatur, eâ conditione, vt occurrente illius vacatione, viro idoneo eligendo per diffinitores negotiorum ipsius Academiæ, aut maiorem partem eorum clausträliter congregatos, conferatur: & sic electus per Archiepiscopum Toletanum pro tempore existentem, auctoritate Apostolica vel per Sedis Apostolicæ Legatum, vel per Nuncium ab ipsa Sede potestatem legati de latere habentem, infra tempus à iure statutum confirmetur; Cum eo addito, quod propterea dicto Archiepiscopo Toletano nulla potestas, aut iurisdictio, aut Superioritas supra Scholasticum Salmantinum tributa, vel concessa esse censeatur. Qua igitur ratione talem iurisdictionem, & Superioritatem Dominus Episcopus Salmanticensis prætendere poterit?

Verùm quamuis electio iudicis Scholastici Salmantini ita fuerit dispositа per Apostolicas constitutiones, maximè † per constitutionem 8
33. tamen iam de facto deuoluta est ad Regem Catholicum Hispaniæ, qui iure Patronatus Scholastria vacante, etiam per mortem vltimi possessoris ad eam eligit personam, quam vt idoneam proponit ipsi Supremus Cameræ Regiæ Senatus: vt contigit annis præteritis vacante dicta Scholastria per mortem Doctoris Ioannis de Lanos, & Valdes, & volentibus atque conantibus Diffinitoribus negotiorum Vniuersitatis, ad electionem Scholastici procedere, non peruenerunt ad effectum intentatæ electionis, quia fuerunt præpediti, & prohibiti à dicto Senatu Regio, dicente; dictam electionem ad Catholicum Regem iure Patronatus priuatiuè pertinere. Et ita de facto Rex Catholicus præsentauit in dicta Scholastria Doctorem Dominum Franciscum Arias, qui sic præsentatus, & electus, fuit ad possessionem dictæ Scholastriæ pacificè admissus: per cuius obitum ad eandem fuit eius immediatus successor Doctor P. Gabriel Decespedes per Regem Catholicum electus, & in possessione illius firmatus. Deincépsque quotquot in eâdem Scholastria successerunt, à Rege Catholico fuerunt ad illam quouis modo vacantem, siue per obitum, siue per promotionem vltimi possessoris, electi, & in illius possessione nemine contradicente firmati; ita vt iam Rex Catholicus in electione Scholastici Salmantini suam intentionem firmauerit.

QVÆSTIO XIV.

De iuribus & censibus antiquis, emptis ad rationem de viginti milliaribus pro vno milliari soluendo Iuristæ, aut Censualistæ. Vtrum lex Principis disponens, vt huiusmodi iura & census deinceps constituantur, & eleuentur ad rationem de triginta milliaribus pro vno soluendo, esset iusta adeò, vt etiam personas, & communitates Ecclesiasticas obligaret?

SVMMARIVM QVÆSTIONIS XIV.

1 *Emptiones iustæ non possunt rescindi vlla lege;*

& quæ iuſto pretio emuntur, nequeunt mutari in frandem emptoris.

2 *Legi Principis iuſtè de bono publico diſponenti, non ſolùm laici, ſed etiam Eccleſiaſtici parere tenentur.*

3 *Legis iuſtæ conditio debet communem vtilitatem reſpicere, & ad bonum commune Reipublicæ ordinari.*

4 *Agriculturæ reſtauratio eſt Regno valdè neceſſaria.*

5 *Vtilitas theſauri Regij in bonum totius Regni debet redundare.*

6 *In corpore naturali ægrotante, ſingula eiuſdem membra per ſympathiam dolorem perſentiunt.*

7 *Moneta omnium aliarum mercium eſt pretium.*

8 *Mutatis temporibus mutantur leges.*

NOn deſunt Theologiæ, & Iuris Canonici profeſſores, qui partem negatiuam tuentur, eò quòd huiuſmodi iura, & cenſus fuerunt à Iuriſtis, & Cenſualiſtis empta iuſto contractu, & iuſto pretio, tunc temporis cur-
1 rente, & per legem Principis taxato. † Emptiones autē iuſtæ non poſſunt reſcindi vlla lege: & quæ pretio iuſto emuntur, nequeunt mutari, aut innouari in fraudem emptoris, & cum eius detrimento, ac damno. Igitur lex Principis diſponens, vt iura, & cenſus, quæ iuſto contractu, & iuſto pretio fuerunt empta ad rationem de viginti milliaribus, pro vno ſoluendo ſingulis annis, deinceps reducantur & conſtituantur ad rationem de triginta milliaribus, pro vno ſoluēdo, eſſet iniuſta, vtpote, manifeſtum irrogans damnum ac detrimentum emptoribus, ac proinde neutiquam obligaret perſonas, & communitates Eccleſiaſticas; imo neque ſeculares in foro conſcientiæ ad illius obſeruantiam tenerentur, quamuis ad eam pœnis lege taxatis à iudicibus compellerentur.

Verùm hoc non obſtante, ſuſtinenda eſt pars affirmatiua, ideſt, ſententia affirmans huiuſmodi legem ita de iuribus & cenſibus antiquis diſponentem fore iuſtiſſimam, ac proinde non ſolùm laicas, ſed etiam Eccleſiaſticas perſonas, & communitates ad ſui obſeruantiam in foro conſcien-
2 tiæ obligare; vtpote cum † legi Principis iuſtè de bono publico diſponenti non ſolùm laici, ſed etiam Eccleſiaſtici parere teneantur, cum ſint Principis ſubditi, & vaſſalli, ac partes Reipublicæ, quæ ſuo toti debent conformari; vt ex profeſſo *in tractatu de legibus* oſtendimus.

Dixi, de iuribus & cenſibus antiquis: Nam iura noua, quæ abhinc paucis annis de Theſauro Regio empta, & ex mediis annatis empta fuerunt, iam Regis edicto reſciſa, & abolita omnino ſunt, in fauorem eiuſdem Regij Theſauri, præcedente quorumdam ſapientum miniſtrorum conſilio, qui ad id ſubſcribendum moti fuerunt ex eo, quòd dicta iura vili pretio fuerunt empta ab emptoribus, magnámque ab illis ſic emptis vtilitatem conquiſierunt, cum ingenti Regij Theſauri detrimento, quod proinde videbatur reſarciri per quamdam debiti compenſationem edicto huiuſmodi noua iura auferente, & annullante. Quare noſtra aſſertio ſolùm de iuribus & cenſibus antiquis procedit, id eſt, quæ abhinc multis annis empta fuerunt pretio iuſto tunc temporis currente, id eſt, ad rationem de viginti milliaribus, ad minus pro uno milliari ſoluendo. In qua dicimus legem diſponentem, quod deinceps huiuſmodi iura, & cenſus non ſoluantur niſi ad rationem de triginta milliaribus, fore iuſtam, ab omnibúſque tam laicis, quàm Eccleſiaſticis, & regularibus in foro conſcientiæ obſeruandam. Quæ aſſertio ſuadetur: Primò ex † legis iuſtæ conditione, quæ debet reſpicere 3
communem vtilitatem, & ad bonum commune Reipublicæ ordinari. Hāc autem legem reſpicere bonū commune, & cōmuni vtilitati totius Regni proſpicere, inde patet; quod licet emptoribus & poſſeſſoribus huiuſmodi iurium & cenſuum minuatur aliquod intereſſe, nihilominus maior eſt vtilitas, quàm conſequentur ex moderatione mercium ad victum & veſtitum conuenientium, quorum pretia proculdubio minuentur: necnon ex moderatione pretij in conductione domorum, in ſtipendiis officialium, in faciliore ſolutione cenſuum & iurium, & in maiori eorum ſecuritate. Secundò ſuadetur; quia nullus eſt cōuentus, nullus locus prius, nullum oppidum, nullus titulus, nullus Maioratus, aut perſona particularis eſt vt in plurimum, qui non ſit magnis oneribus oppreſſus, & pluribus cenſibus contra ſe oneratus: ac proinde tantum emolumenti accipiet ex beneficio dictæ legis, quantum damni recipiat ex eiuſdem legis rigore, ſiquidem ſi pauciores reditus ex iuribus aut cenſibus à ſe emptis accipiat, etiam ex cenſibus venditis contra ſe pauciores reditus ſoluat. Tertiò ſuadetur ex alia vtilitate minimè contemnenda, quæ ex tali lege proculdubio ſequetur: nimirum, quod erunt in Republica plures homines dantes operam † agricul- 4
turæ, cuius reſtauratio eſt valde neceſſaria in Regno: & pauciores dediti luxui, & otio. Nam videntes homines honoris aut auaritiæ cupidi, pretium iurium & cenſuum eſſe tam exceſſiuum, hoc eſt in triginta milliaribus pro vno milliari ſoluendo per dictam legem taxatum & conſtitutum, abſtinebunt ab emptione iurium & cenſuum, ſuáſque pecunias ad emenda alia bona immobilia conuertent: illíſque ement potius agros, arua, vineas, & oliueta, ſicque agriculturam exercebunt, erúntque pauciores, qui luxui, & otio ſint dediti, quales ſunt in vnaquaque Republica illi, qui ex iuribus aut cenſibus ſine vllo labore viuunt. Ement quoque potius homines præfatæ conditionis & qualitatis, paſta ad paſcendum greges ouium, & armatorum; quibus ſic multiplicatis, Reſpublica carnibus abundabit, quæ in macello & extra illud moderato pretio vendentur. Ex quo fiet, vt quantum damni ex rigore dictæ legis in iuribus & cenſibus emptores receperint, tantum emolumenti in conducendis paſtis pro gregibus, atque in emendis carnibus habebunt, ita vt damnum & detrimentum perpeſſum in primo, compenſetur in hoc ſecundo.

Quartò ſuadetur eadem aſſertio ex † vtilitate 5
Theſauri Regij, quæ in bonum totius Regni redundat. Nam quantò minus de reditibus ſoluerit Iuriſtis, edita dicta lege, tantò magis cumulus illius Theſauri augebitur. Propterea enim puteo comparatur, qui dum minus aqua euacuatur, tantò magis abundat in commodum & vtilitatem vicinorum qui putei aquis indigent, & illas in domeſticos vſus eruunt. Ac proinde, quantò cumulus ille pecuniarum Regi

deſtina

destinatarum maior fuerit, Rex minùs indigebit, minúsque indigens, minus Vasallos & subditos grauabit, abstinebitque ab insolitis tributis, & gabellis, quibus Respublica vexatur. O vtinam tempus illud aureum resurgat, in quo Princeps tributis, & gabellis abstineat insolitis, vt sic Respublica aliquantulum respiret. Quintò suadetur: nam si huiusmodi lex ex aliquo capite esset iniusta, maximè ex damno, quod inferat Iuristis, & Censualistis; sed ex hoc capite nullam iniustitiam contineret dicta lex, quia nullam iniuriam irrogat, nullúmve damnum infert Iuristis & Censualistis antiquorũ iurium, & censuũ possessoribus, qui illa emerunt ad rationẽ viginti milliariũ, ab hinc viginti, aut quadraginta annis. Quod sic ostendo. Petrus v. g. qui abhinc viginti annis emit aliquod ius vel aliquem censum pro pretio viginti milliarium, pro vno milliari singulis annis recipiendo, iam decursu viginti annorum, viginti milliaria recepit, ac proinde totum principale recuperauit, quo dictum ius, vel censum emit: Paulus verò ab hinc quadraginta annis aliquod ius, vel aliquem censum emit pretio viginti milliarium, pro vno milliari singulis annis soluendo, iam decursis quadraginta annis, quadraginta milliaria recepit, ac per consequens totum principale duplicauit, quo dictum ius, vel censum emit. Igitur si post decursos viginti aut quadraginta annos, augeatur illi pretiũ iurium vel censuum ad triginta milliaria, in nullo est damnificatus, si quidem in toto suo principali est reintegratus: Maximè cum aliàs maneat in possessione iuris, siue census reddituantis illi vnum milliare singulis annis pro pretio triginta milliarium, melioratis quoque bonis hypothecatis, vtpote, cum minore onere, & ad minorem reditum obligatis, cum faciliori quoque solutione redituum, & maiori illorum securitate. Igitur dicta lex vndequaque esset iusta, & ex nullo capite iniustitiam retineret. Confirmatur amplius hic discursus exemplo, quod habemus de censibus redimibilibus, qui annis præteritis emebantur in regno, ad rationem de quatuordecim milliaribus pro vno milliari singulis annis soluendo: & lege, siue edicto Principis eleuatum est illorum pretium ad viginti milliaria cum prohibitione, ne deinceps minori pretio vendãtur, aut emantur. Quæ lex licet initio rigida visa fuerit, tamen ab omnibus vasallis fuit accepta, & vsque nunc inuiolabiliter obseruata, tamquam & conueniens: quoniam damnum, quod Censualistis videbatur inferre, abundè ex aliis vtilitatibus recensitis manebat compensatus.

6 Vltimò suadetur hæc doctrina: quia sicut † in corpore naturali ægrotante æquum est, vt omnia ac singula membra illius per concomitantiam & Sympathiam aliquem dolorem vel languorem persentiant: ita & in corpore Mystico Reipublicæ, siue regni, quod corpus naturale debet imitari, veniente in diminutionem ac detrimentum, omnia eius membra, & res omnes pariter in diminutionem ac detrimentũ veniunt. Quod & experientia testatur, dum experimur inuiti omnia membra, & res omnes huius Regni in decrementum, ac diminutionem venisse. Nam in ciuitatibus, villis, & populis multò minor est vicinitas, quàm abhinc quadraginta annis solebat. Quinimo in multis populis nulla mansit vicinitas, & omnes domus diruta sunt, quoniam earum habitatores Agricolæ præ multitudine grauaminum, præ vilitate pretij, quo suos fructus vendebant, præ excessiuo pretio, quo reliquas merces ad victum & vestitum emebant sibi necessarios, & præ multiplici monetæ varietate illas reliquerunt, non valentésque eas conseruare, aut morti succubuerunt, aut ad alias terras confugerunt. Thesaurus quoque Regius ad tantam diminutionem peruenit, vt neque pro alenda aula Regia, neque pro salariis soluendis Ministrorum Iustitiæ, & belli sufficiat. Pasta etiam herbarum pro alendis gregibus ouium & armentorum, excessiuo pretio conducuntur, grana tritici, & hordei abhinc sex annis nihilo æstimantur, cum ingẽti Dominorũ, Equitũ, Ecclesiasticorũ & agricolarum detrimento, qui de illorum pretio se, & suas familias alere debebant. Ac tandem 7
†Moneta ipsa, quæ omnium aliarum mercium est pretium, tanta varietate est conquassata, vt ad magnam diminutionem & detrimentum peruenerit. Nam aurea & argentea vix ægrè inuenitur, neque habet detetminatum pretium, sed ad libitum vnusquisque eam permutat: quandoque enim scutum aureum vendit quadraginta & octo, quandoque quinquaginta, & amplius realibus. Ærea verò & vulgaris, quæ Prouincialis est, præ multitudine, quæ ex Regnis extraneis intrauit, & præ nimio pondere, nullius est æstimationis: quin potius omnibus est impedimento, & oneribus exosa. Si ergo omnia hæc Reipublicæ membra, & partes in diminutionem venerint, considerabilémque mutationem passa sint, cur census & iura antiqua, quæ etiam sunt partes Reipublicæ ægrotantis, aliquam mutationem non patientur, & in aliquam diminutionem non venient? cum æquum sit, omnes ac singulas partes corporis ægrotantis, siue naturalis, siue mystici, per concomitantiam & sympathiam, aliquem dolorẽ, vel languorem sentire, & in aliquod decrementũ venire. Minimum autem decrementum iurium & censuum antiquorum est, vt deinceps ad pretium triginta milliariũ erigãtur, neq; minori pretio vlterius emãtur.

Ex quibus respondetur ad fundamentum, contrariæ opinionis; nimirum quod sicut †mutatis temporibus mutantur leges, & pro varietate temporum mutantur fructuum & mercium pretia: ita etiam pro varietate temporis, & pro exigentia præsentis, oportet iurium, & censuum antiquorum mutari pretium. 8

QVÆSTIO XV.

De verbali salutatione, qua Concionatores initio concionis salutare solent Dominos Episcopos per hæc verba, *Illustrissime Domine*. Vtrum eadem possint, aut debeant Capitulum absente Episcopo salutare.

SVMMARIVM QVÆSTIONIS. XV.

1 *Capitulum & Episcopus vnum constituunt corpus*

pus, inter illóſque Societas quædam eſt indiuiſibilis.

2 *Capitulum fungitur vice Epiſcopi & illum repræſentat, tam in ſpiritualibus quàm in corporalibus.*

3 *Deitas communicata Creaturis per gratiam, eſt quædam diuinæ naturæ participatio.*

4 *Subrogatum recipit naturam, qualitates & conditiones illius, loco cuius ſubrogatur.*

5 *Cæremoniæ Eccleſiaſticæ nouæ non ſunt introducendæ, nec antiquæ immutandæ ſine licentia expreſſa Congregationis Sacrorum rituum.*

6 *Conſuetudines immemoriales & laudabiles non tolluntur per Ceremoniale.*

7 *Conſuetudinis magna eſt vis in materia præeminentiarum & Ceremoniarum Eccleſiaſticarum.*

8 *Iniurioſum eſt Reuerentiam vni ſuperiori ratione excellentioris ſuæ dignitatis debitam, dare alteri inferiori.*

9 *Dignitas Epiſcopalis comparata cum Cardinalatu, habet ſe ſicut excedens & exceſſum &c.*

10 *Dignitas Epiſcopalis eſt de iure diuino, à Chriſto immediatè in Apoſtolis inſtituta.*

11 *Summus Pontifex Romanus dicitur Vrbis & Orbis Epiſcopus.*

12 *Cardinalitia dignitas eſt inuentum humanum.*

13 *Titulus Illuſtriſſ. &c. à Concionatoribus debetur Epiſcopis ratione Superioritatis, ex conſuetudine, ex priuilegio, ex lege ciuili, & ex lege Canonica.*

14 *Conſuetudo habet vim priuilegij legitimè conceſſi.*

15 *Rubricæ Cæremonialium habent vim & authoritatem legis Eccleſiaſticæ & deciſionis Canonicæ.*

16 *Princeps expediens ſuam ſchedulam decidentem in vno caſu, extenditur eius deciſio ad omnes ſimiles caſus.*

17 *In materia præſcriptionis vel adquiſitionis iurium, non poteſt fieri tranſitus de vna perſona in aliam.*

18 *Priuilegium perſonale non egreditur perſonam.*

19 *Dignitas Epiſcopalis eſt ſuprema in Eccleſia etiam reſpectu Cardinalatus.*

20 *Vſque ad tempus Bonifacij VIII. Epiſcopi non creabantur Cardinales, ne ſcilicet deſcenderent de maiori ad minorem gradum.*

EST quidem pro parte affirmatiua ſunt tria argumenta. Primum deſumitur ex doctrina Valẽcuelæ Velazquez *conſ.* 184. *num.* 103. *& ſeqq.* aſſerentis † Capitulum & 1
Epiſcopum conſtituere vnum corpus, inter illóſque eſſe quamdam Societatem indiuiſibilem, cuius Epiſcopus eſt caput, Canonici autem & Capitulares ſunt corpus, ibi: *Nam Capituli caput eſt Epiſcopus, & Capitulares eius membra reputantur, & dicuntur: ideóque iura Epiſcopo indulta, eius Capitulo conceſſa videntur* &c. *eſt enim inter eos Societas quædã indiuiſibilis, ex qua reſultat, quòd quamuis Capitulum non haberet, vti habet hoc ſuo proprio, poſſit gaudere priuilegio, & prærogatiuis Domini Epiſcopi.* Regulare enim eſt quod indiuiduus Socius gaudet priuilegio Socij &c. Igitur cum ex hac doctrina Capitulum gaudeat priuilegio Domini Epiſcopi propter indiuiduam inter eos Societatem, videtur poſſe ac debere Capitulum gaudere eadem verbali ſalutatione, quæ exhibetur à Concionatoribus Domino Epiſcopo. Secundum eſt deſumptum ex quibuſdam Epiſtolis plurium Eccleſiarum Cathedralium, reſcriptis ad Eccleſiam Cathedralem Pacenſem, in qua annis præteritis fertur caſus huius quæſtionis contigiſſe cum duobus Canonicis Magiſtralibus, qui ſucceſſiuè concionãtes Capitulo in abſentia Epiſcopi eiſdem verbis ſalutarunt: in quibus Epiſtolis refertur in aliis Eccleſiis introductam eſſe conſuetudinem, exhibendi Capitulo in abſentia Epiſcopi dictam ſalutationem verbalem, quia plures Concionatores initio ſuæ concionis ſemel, & iterum illam Capitulo in abſentia Epiſcopi exhibuerunt. In omnibus autem Cathedralibus Eccleſiis Hiſpaniæ eadem militat ratio propter Societatem, ſimilitudinem & communicationem, quæ inter illas verſatur: eò vel maximè quod † Capitulum fungitur vice 2
Epiſcopi, & illum repræſentat, vt tenet Rebufus cum aliis ab ipſo citatis *in praxi beneficiorum, titulo de volunt. num.* 55. dicens: *Capitulum fungitur vice Epiſcopi, tam in ſpiritualibus, quàm in temporalibus, maximè in eis, quæ ſpectant ad iuriſdictionem Epiſcopi, & etiam in omnibus neceſſariis Capitulum in locũ Epiſcopi ſuccedit, & tanquam neceſſarius adminiſtrator, omnia, quæ ad merum & myſticum imperium pertinent, adminiſtrare poteſt, &c.* Igitur ratione huius repræſentationis, debetur Capitulo eadem ſalutatio verbalis, abſente Epiſcopo, quæ ipſi præſenti exhiberi ſolet. Tertium argumentum procedit ex eo, quòd huiuſmodi ſalutationem verbalem dari Capitulo, abſente Epiſcopo, cedit in maiorem eiuſdem Epiſcopi authoritatem; quia quantò ſubditi fuerint præeminentiores, & honoratiores, tantò arguitur maior authoritas, & dignitas in Superiore. Deus enim, qui eſt inter omnes ſupremus, appellatúrque Rex Regum, & Dominus Dominantium, ſuam † Deitatem communicat Creaturis, hoc 3
eſt, hominibus iuſtificatis per gratiam, quæ ex communi ſententia Theologorum eſt quædam diuinæ naturæ participatio: per quam proinde homines iuſti efficiuntur filij, & amici Dei, eiuſdémque Dei nomine gaudent. Propterea namque *Pſalmo* 81. dicitur in perſona Dei, loquentis ad iuſtos: *Ego dixi, Dij eſtis, & Filij excelſi omnes.* Et Ioannis, *cap.* 1. *dedit eis poteſtatem filios Dei fieri.* Similiter Chriſtus Dominus de quo canit Eccleſia: *tu ſolus Sanctus, tu ſolus Dominus, tu ſolus Altiſſimus. &c.* Et qui eſt lux mundi iuxta illud eiuſdem *Ioann. cap.* 1. *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum,* non dedignatus eſt ſua axiomata Apoſtolis cõmunicare, dicẽs ad illos *Matth.* 5. *Vos eſtis lux mũdi &c.* Igitur ꝯ quæ propria ſunt Dei, & Chriſti Domini, communicantur hominibus iuſtis, hocque cedit in maiorem Dei, & Chriſti authoritatem, & ſuperioritatem; Cur non cedet in maiorem Epiſcopi authoritatem & ſuperioritatem, ſi velit communicari Capitulo eandem veniam verbalem, quæ ipſi debetur, aut quæ ipſius eſt propria.

Verùm his non obſtantibus ſententia negatiua ſtatuitur pro concluſione, quæ diſtrictius eſt probanda à nobis, ne alij Concionatores deinceps in ſimilem errorem prolabantur. Et ſuadetur primò ex vulgari illo iuris axiomate, nimirum quod † ſubrogatum recipit naturã, qualitates, & conditiones illius, loco cuius ſubrogatur, 4
modò

modò ſubrogatio fiat expreſſa, ſiue tacita, modò fiat in perſonis, ſiue in rebus ; vt notant omnes Iuriſperiti *in lege ſi cum §. qui iniuriarum. ff. ſi quis caution.* Cum quo textu concordant Camillus Gallus, *de verbor. ſignif. lib. 5. c. 17.* Verardus *in topicis legalibus loco 93.* Ioannes del Caſtillo *lib. 4. controuerſiar. cap. 36. & lib. 5. cap. 89. à num. 83.* Cardinalis Tuſcus littera G. *concluſ. 757.* Velaſcus *in axiom. iuris littera 5. à numer. 56.* & Maurus Giurba ad conſuetudinem Menſan. *cap. 12. Gloſſa 2. & conſ. 99. à n. 13.* Atqui venia verbalis per huiuſmodi verba *Illuſtriſſime Domine*, quæ modò ſolet exhiberi Dominis Epiſcopis à Concionatoribus, per conſuetudinem introducta, & ſubrogata fuit loco illius veniæ Ceremonialis, quæ olim fiebat, & dabatur ſolis Epiſcopis per inclinationem profundam capitis : Ergo cum venia verbalis loco illius ſubrogata fuerit, pariter ſolis Dominis Epiſcopis, ſicut illa olim, ſolis illis debebatur. Maior præmiſſa, cum conſequentia eſt nota; & minor præmiſſa conſtat ex Cæremoniali Epiſcoporum per Sanctiſſimum Clementem VIII. approbato, quod *lib. 1. cap. 4.* ſic habet. *De gubernatoribus verò ciuitatum præſentibus, præeminentia ſemper ſit Epiſcopi tam intra, quàm extra Eccleſiam &c.* & *cap. 22. eiuſdem libri*, loquens de concionatore, & venia, ſiue ſalutatione quam debet exhibere Epiſcopo præſenti, ait : *Inter concionem, cum conuertit ſe ad Epiſcopum caput profundè inclinet*; Et iterum ſubditur: *in ceremonial. Rom. lib. 1. cap. 22. Aduerte tamen ſi in choro ſint plures dignitates diuerſorum graduum, & ſit vna multò excellẽtior quàm altera, vt quia Legatus adeſt ſimul cum Magiſtratu : vel Epiſcopus Cardinalis ſimul cum loco tenente : quod eo caſu tunc ſolùm debetur reuerentia ſummo, id eſt, Legato, & non Magiſtratui; aut ipſi Cardinali ſolũ, & non loco tenenti. Non enim fit regulariter reuerentia illi, qui alteri reuerentiam facit, ſed ſoli ei fit reuerentia, qui ibi ſummus eſt omnium, &c.* Cum igitur quando Epiſcopus adeſt Capitulo in choro, & præſidet illi, ſit ſupremus omnium, cui cæteri omnes reuerentiam exhibent, ſolùm illi ex dicta regula Ceremonialis Eccleſiaſtici, debetur reuerentia profundæ capitis humiliationis. Neque verba Ceremonialis adducta admittunt Societatem, aut communicationem in huiuſmodi venia, & reuerentia, propterea quod ter vtũtur hac dictione *ſolũ*, quæ eſt excluſiua: & taxatiua, ſiue limitatiua, vt notat Albericus in Dictionario verbo *ſolum*. Et colligitur *ex lege fin. Codice de legibus.*

5 Secundò ſuadetur; quia † ceremoniæ Eccleſiaſticæ nouæ non ſunt introducendæ, nec antiquæ ſunt immutandæ, ſine licentia expreſſa Congregationis Sacrorum Rituum, provt determinauit eadem Sacra Congregatio de Ritibus, in vna Vrbis, die 12. Februarij anno 1612. Sed dicta verbalis venia eſt ceremonia Eccleſiaſtica, dum exhibetur Dominis Epiſcopis à concionatoribus : Ergo non eſt danda Capitulo in abſentia Epiſcopi : quia hoc eſt introducere nouam ceremoniam Eccleſiaſticam, contra determinationem dictam Sacræ Congregationis de ritibus. Maior præmiſſa cum conſequentia eſt nota : Minor autem præmiſſa probatur dupliciter. Tum quia vt dictum eſt, ſubrogata eſt huiuſmodi verbalis venia, & ſalutatio loco illius antiquæ profũdæ humiliationis, quam Ceremonialia Eccleſiæ indicant *vbi ſupra*, in quibus commendatur, notatur, & præcipitur exhiberi Epiſcopis : ſubrogatum autem ſapit naturam & conditiones illius, loco cuius ſubrogatur : tum etiam quia conſuetudine eſt in Eccleſiam introducta, omnéſque Hiſpaniæ Eccleſiæ hanc obſeruant conſuetudinem ab hinc multis annis. Conſuetudo autem maximè decurſu decem annorum præſcripta, eſt ſufficiens conſtituere ceremoniam Eccleſiaſticam, non ſolùm reſpectu Eccleſiæ vniuerſalis, ſed etiam reſpectu cuiuſcumque Eccleſiæ particularis. Vt enim refert Grauantus *in Rubricis Breuiarij tom. 2. ſect. 10. c. 2.* Vt aliqua ceremonia ſit Eccleſiæ, non requiritur, quod ſit expreſſa in Ceremoniali, ſed ſufficit, quod illi non repugnet, & aliàs ſit ſtabilita per conſuetudinem, reſpectu illius Eccleſiæ, in qua practicatur, ibi : *proprios mores vnaquæque Eccleſia habet, & laudabiles conſuetudines, quas non tolli à Ceremoniali Romano, neque à Rubrica Breuiarij, ſæpe declarauit Sacra rituum Romana Congregatio.* Idem quoque ſentit, & refert Barboſa *in ſumma Apoſtolica collectaneo 222.* dicens: † *Conſuetudines immemoriales, & laudabiles non tolluntur per ceremoniale* : Sacra Congregatio rituum in Brunduſina die 17. Septembris anno 1611. & in alia Euorenſi die 17. Iunij anno 1606. Et cùm Ceremoniale Epiſcoporum *lib. 1. cap. 23.* approbet conſuetudines particulares cuiuſcumque Eccleſiæ, pro ceremoniis eiuſdem Eccleſiæ ibi : *pro conſuetudine Eccleſiarum, &c.* & *lib. 2. cap. 24.* ibi. *ideo relinquetur hoc faciendum iuxta conſuetudinem Eccleſiarum.* Et *capit. 28.* ibi : *vel conſuetudo Eccleſiæ ſuadebit &c.* † Tanta que eſt vis conſuetudinis in materia præeminentiarum, & ceremoniarum Eccleſiaſticarum, quòd licet non habeat omnia requiſita conſuetudinis immemorialis, adhuc eſt obſeruanda; *ex cap. cum olim de conſuet.* vt notat ibi : Baldus, notauit primo, & *ex lege obſeruare, §. antequam ff. de officio Proconſ.* vt notant Tirachellus *de nobilit. cap. 20.* Apicella *allegat. 13. n. 16.* Maſtrillus *de Magiſt. lib. 4. cap. 14.* & *deciſ. 130. n. 16.* Hermoſilla *ad 5. part. tom. 1. in prologo gloſſa 2.* & Auguſtinus Barboſa *tomo 6. in collectaneis ad caput cum olim de conſuetud.* Conſuetudo autem hæc ſalutandi Epiſcopos initio concionis, eos interpellando Reuerendiſſimos & Illuſtriſſimos Dominos, nedum eſt præſcripta ſed etiam immemorialis, quia abhinc quamplurimis annis eſt in vſu in omnibus Hiſpaniæ Eccleſiis. 6

Tertiò probatur quia † iniurioſum eſt reuerentiam, & veniam vni Superiori ratione ſuæ ſuperioritatis, & excellentioris dignitatis debitam, dare alteri inferiori : vt ſi quis nomenclaturam Dominationis, verbo aut ſcripto daret ei, qui nullo gaudet titulo : aut ſi nomenclaturam Excellentiæ daret ei, qui non eſt de Magnatibus qui vulgo in Hiſpania dicuntur *Grandes* : aut ſi quis nomenclaturam Eminentiæ, verbo vel ſcripto tribueret Epiſcopo, vel Archiepiſcopo non Cardinali : proculdubio hæc actio eſſet iniurioſa, & à culpa non vacans, niſi quis per inuincibilem ignorantiam excuſaretur. Sed dicta venia verbalis ſolis Epiſcopis debetur ratione ſuperioritatis, & excellẽtioris dignitatis illorum: Ergo illam dare inter concionandum alteri inferiori, quale eſt Capitulum, reſpectu Epiſcopi, procul dubio eſt actio iniurioſa. Maior cum conſequentia eſt nota : minor autem præmiſſa probatur, inprimis ſupponendo quod † dignitas Epiſcopalis eſt maior cunctis Eccleſiaſticis ordinibus, 8 9

dinibus, & communitatibus, excepto Cardinalatu, cum quo tamen comparata habet ſe ſicut excedens, & exceſſum reſpectu illius. Nam in eo quod diuinum eſt, ac diuini iuris, excedit Epiſcopatus: in eo autem quod eſt humanum ac humani iuris, excedit Cardinalatus, provt alibi docemus, nimirum *tom.3.diſp.1. c.4.dub.vlt.* quod ſic
10 impræſentiarū declaramus. †Dignitas Epiſcopalis eſt de iure diuino, à Chriſto Domino immediatè in Apoſtolis inſtituta, quos Chriſtus Dominus inſtituit, & conſecrauit in Epiſcopos totius
11 Eccleſiæ, ita vt † ſummus Pontifex Romanus
12 dicatur, & ſit Epiſcopus Vrbis, & Orbis. †Cardinalitia autem dignitas eſt inuentum humanum, vtpote à ſummis Pontificibus inſtituta, vt Cardinales iuuarent Romanum Pontificem, & ei aſſiſterent in regimine totius Eccleſiæ. Vnde quando Romanus Pontifex aliquem ad Cardinalatum aſſumat, hac verborum formula vtitur: *Eſto mecum Princeps ad regendum Eccleſiam Dei.* Et in hoc præeminent Cardinales Epiſcopis loco & officio; vtpote, quia eorum regimen extenditur ad totam Eccleſiam: Regimen autem Epiſcoporum dumtaxat & iuriſdictio, ad
13 vniuſcuiuſque Diœceſim extenditur. Igitur † dicta verbalis venia ſolis Epiſcopis debetur inter concionandum, ratione Superioritatis & excellentioris dignitatis: debetur inquam, ex conſuetudine, ex priuilegio, ex lege ciuili, & ex lege canonica. Ex conſuetudine quidem, quia conſuetudine nedum præſcripta ſed etiam immemoriali, quæ ſupponit titulum, introductum eſt, vt Concionatores Epiſcopum in Eccleſia præſentem ſub nomine Illuſtriſſimi Domini ſalutarent: ac proinde huiuſmodi conſuetudo non indiget alio titulo, aut eius probatione, quia habet pro ſe præſumptionem iuris, & de iure, quæ regulariter non admittit probationem in contrarium; vt ſcitè notant *ex c.1. de præſcript. in ſexto* Burſatius *conſ.127.n.29.* Maſcardus *de probation. conſ.1277. numer.28.* Ioannes Gutierres *libr.3. practic. quæſt. 17.* Molina *de primogeniis lib.2. cap.6.* & Felinus *ſuper cap. cum nobis de præſumption. n.7.*

14 Ex priuilegio autem; quia † conſuetudo habet vim priuilegij legitimè conceſſi, vt bene notant Gloſſa, & Iuriſperiti *in cap. ſuper quibuſdam, de verborum ſignificatione §. præterea.* eò quòd leges & iura æquiparant priuilegium conſuetudini, & conſuetudinem priuilegio; vt notant Couarruuias *in cap. cum in officiis de teſtamentis n.9.* Baldus *in cap. cum olim in 6. de conſuetudine & in lege obſeruare ff. de offic. Proconſ. §. antequam* & Tiraquellus *in tractat. de nobil. cap.22. num.55.* & colligitur hæc doctrina *ex leg.5. tit.2. lib.7. Recop.* ibi: *que tienen por priuilegio, ò por coſtumbre.* Quibus in verbis lex æquiparat priuilegium & conſuetudinem: vnde ei, qui habet ius acquiſitum per conſuetudinem præſcriptam, competunt interdicta vulgaria deprompta *ex lege 1. ff. de itiner. actu §. Iulianus, ex cap. auditis, & cap. cum olim de præſcript.* & *c. quod tranſlationem de offic. legati.* Nimirum, *quouſque ingreſſus eſt, eo ipſo interdictum competere: & tantum præſcriptum, quantum poſſeſſum: atque vti poſſidetis, ita poſſideatis.* Quæ ſufficiunt ad conſequendam in iudicio manutentionem, ſecundum communem ſententiam vtriuſque iuris Doctorum, quos referunt, & ſequuntur cum Baldo *ſuper cap. licet cauſam, de conſuet.* Menochius *conſ.126.* Valenzuela Velazques *conſ.176.* Lara *de capellaniis lib.2. cap.1. n.50.* & Caſtillo *de tertiis tom.7. cap.41. n.64.* Sufficiunt quoque huiuſmodi interdicta, & priuilegia ad conſequendam in iudicio proprietatem; quia conſuetudo legitimè præſcripta habet vim firmandi huiuſmodi ius, vt ſcitè notant Iuriſperiti cum Abbate *in cap. fin. de conſuet.*

Ex lege verò ciuili; quia *in leg.18. tit.1. lib.4. nouæ recopil.* deſiderans Princeps limitem ponere in nimietate vrbanitatum, ſub certis pœnis prohibet, ne quis aliquam perſonam præter ibi exceptam, initio orationis aut Epiſtolæ, ſpeciali venia, aut obſequio, aut titulo ſalutet. Inter exceptas autem perſonas, memorantur Epiſcopi, quibus permittitur, vt ſub nomine Dominationis ſalutentur. Et meritò; quia vt ibi notat Narbona, Prælatis, & Superioribus, Archiepiſcopis & Epiſcopis ratione Excellentiæ honor, & magnum humanitatis officium debetur. Neq; obſtat, quod hæc lex ſit ciuilis, vt non comprehendat Eccleſiaſticos ex defectu poteſtatis iuriſdictionis in legiſlatore: eò quòd quotieſcumque lex ciuilis declarat Canonicam, nec aduerſatur immunitati Eccleſiaſticæ, ſed potius promulgatur pro vtilitate publica, & ad vitanda ſcandala, ordinatúrque ad bonum regimen ſubditorum, etiam obligat Eccleſiaſticos ſaltem quantum ad vim directiuam, vt tenet communis Doctorum ſententia, cuius ſatis meminimus *in noſtro tractatu de legibus.* Minus quoque obſtat, quod in dicta lege ſolùm permittatur Epiſcopis nomen Dominationis, & non nomen Illuſtriſſ. quod tamen datur illis in dicta ſalutatione verbali, vltra vel præter dictæ legis permiſſionem. Nam conſuetudo, quæ eſt optima legum interpres, vtrumque introduxit, tum propter conuenientem vtriuſque nominis aſſociationem; tum etiam quia licet Epiſcopis extra chorum & propriam Eccleſiam, & quando ordinario habitu incedunt, ſolum nomen Dominationis debeatur, iuxta dictæ legis diſpoſitionem, quæ in hoc ſenſu eſt intelligenda: verumtamen Epiſcopo in choro aſſiſtenti, & capa ſerica coloris coccini vel violacei induto, Dominatio Illuſtriſſima debetur, quia ibi præſidet tanquam Princeps eiuſdem Eccleſiæ, finito officio miſſæ ſolemnis, benedictionem populo daturus.

Ac tandem debetur eis dicta venia ex lege Canonica, quia †Rubricæ ceremonialium, nimi- 15
rum Epiſcoporum & Romani habent vim, & auctoritatem legis Eccleſiaſticæ, & deciſionis Canonicæ, vt notant Ioannes Andreas, & Oſtienſis *ſuper cap. Conſuluit, de ſeruis non ordinandis*, Menochius *conſ.52. & conſ.902.* Stephannus Gratianus *tom.1. diſceptationū forenſium diſp.111. num.7.* Theodoſius Rubius *in ſua deciſione*, quam ad litteram refert Gratianus *diſceptation.298. numer. 28.* Atqui in Rubricis adductis ſupradictorum ceremonialium præcipitur, veniam illam antiquam per profundam capitis humiliationem, ſolis Epiſcopis præſentibus eſſe dandam à Concionatoribus; loco cuius ſubrogata eſt per conſuetudinem venia verbalis, ſub nomine Illuſtriſſimæ Dominationis: Ergo & hæc ſimiliter ex lege ac deciſione canonica ſolis Epiſcopis debetur.

Vltimò probatur noſtra concluſio, quia eſt deciſa iam in propriis terminis, in caſu ſimili, qui annis præteritis contigit in litigio, inter tribunal Sanctæ Inquiſitionis, ſiue Apoſtolicos Inquiſitores

Inquisitores ciuitatis Compostellanæ ex vna parte, & Archiepiscopum eiusdem ciuitatis, atque Capitulum Cathedrale ex altera? Illis quidem prætendentibus, vt eo die, quo adsunt in Ecclesia Cathedrali ad promulgandum fidei edictum, daretur ipsis à Concionatore quædam venia verbalis, non quidem sub nomine Illustrissimæ Dominationis, nisi tantùm sub titulo Sancti Tribunalis, vel Venerabilium Inquisitorum: Istis verò omnino renuentibus. Pro cuius litigij compositione expedita fuit Matriti die 19. Ianuarij anni 1645. à Rege Catholico Philippo IV. In qua determinauit, quod Archiepiscopo præsente, ipsi soli salutatio verbalis daretur: illo verò absente, neque Tribunali Sanctæ Inquisitionis, neque Capitulo Cathedrali fieret aliqua verbalis salutatio, nisi tantùm humiliatio capitis, siue genuflexio ad Sanctissimum, siue ad altare, sub his verbis. *Y que la cortesia, y ceremonia, que se debe hacer, se haga à el Obispo hallandosse en aquella Yglesia, y que en su ausencia solo la haga al Santissimo Sacramento, conforme a lo dispuesto por el ceremonial Romano, y no a la Inquisitione ni al Cabildo, &c.* Quod in dicta Ecclesia Compostellana vsque hodie inconcussè obseruatum est, debétque in aliis Ecclesiis, & simili-
16 bus casibus obseruari; eò quòd quando† Princeps expedit suam schedulam decidentem in vno casu, extenditur illius decisio ad omnes similes casus, & ad cuncta tribunalia, ex communiter percepta Iurisperitorum sententia.

Ex his patens fit solutio ad argumenta partis contrariæ. Ad primum quidem respondetur, quod Valenzuela *in loco cit.* loquitur de illa Iurisdictione, quam habet Episcopus simul cum Capitulo habente adiunctos per priuilegium Apostolicum, cum quibus & non aliter potest procedere iudicialiter in criminalibus contra Capitulares, iuxta formam à Concilio Tridentino præscriptam, &c. Non autem loquitur de iurisdictione ordinaria; hæc enim non competit Capitulo, nisi sede vacante; tunc enim tota iurisdictio transit ad Capitulum, vt & ipsum illam transferat in suos Vicarios: per quos, & non aliter debet illam exercere, iuxta præscriptam etiam formam à Concilio Tridentino. Minúsque loquitur dictus auctor, de honorificis actibus & obsequiis debitis Episcopo ratione superioritatis, & Excellentioris dignitatis, quæ sunt aliis inferioribus incommunicabiles. In subsequentibus autem verbis eiusdem auctoris ibi: *Est enim inter eos societas quædam indiuisibilis, ex qua resultat, quod quamuis Capitulum non haberet, vti habet, hoc iure proprio, possit gaudere priuilegio, & prærogatiuis Domini Episcopi: Regulare enim est, quod indiuiduus socius gaudet priuilegio socij, &c.* clarè demonstrat se loqui de Capitulo vnito cum suo Episcopo; tunc enim Capitulum gaudet per quandam concomitantiam honorificentiis, & prærogatiuis Episcopalibus: separatum verò & absente Episcopo nulla Episcopali gaudet prærogatiua, sicut neque vllam habet Iurisdictionem aut potestatem, nisi tantùm ad redituum mensæ Capitularis administrationem, & rerum Ecclesiæ conseruationem.

Ad secundum respondetur ex dictis epistolis, nihil conuinci etiam admissâ eâ hypothesi. Tum quia illi Concionatores, qui verbalem salutationem dederunt Capitulo in absentia Episcopi, id fecerunt ex ignorantia & bona fide, erant enim religiosi huiusmodi Vrbanitatis ignari. Tum etiam, quia id contigit vno aut altero actu, non autem pluribus continuatis, quæ tamen plurium actuum continuatio requiritur ad præscriptionem: † 17
In materia autem præscriptionis, vel adquisitionis iurium, non potest fieri transitus de vna persona in aliam, aut de vna Ecclesia in altera, eò quòd est ius odiosum, quod proinde non potest extendi vltra personam possidentem. Cui competunt edicta superius citata, *tantum præscriptum, quantum possessum; vti possidetis, ita possideatis, &c.* Quod confirmauit Rota *in decisione* 321. *num.* ibi, *quod ei vtilitatem & ius priuatum acquirit, qui præscribit, nec vltra præscriptio extenditur, quàm possessio, nec aliam personam, &c.* vt cum communi sententia tenent Ludouicus *decis.* 569 *numero* 1. Farinacius *decis.* 469. *numer.* 1. & Rota idem declarauit *decis.* 321. *numer.* 22. verbis præcedentibus: *quod ei vtilitatem, &c.* & Bartolus *in lege* 1. §. *si quis hoc interdicto, &c.*

Ad alteram verò probationem ex Rebuffo desumptam; respondetur illum in allegatis verbis loqui de Capitulo in sede vacante: tunc enim, & non aliàs repræsentat Episcopum, & fungitur vice illius; in iurisdictionalibus dumtaxat, non autem in honoribus & prærogatiuis Episcopalibus; vt ipsemet auctor se explicat in verbis subsequentibus dicens: *non succedit nec fungitur vice Episcopi in his, quæ competunt Episcopo iure, vel priuilegio singulari; quia in his nullam communionem habent Canonici cum Episcopo, quia* † *priuilegium personale non egreditur perso-* 18
nam. Et merito; quia huiusmodi prærogatiuæ Episcopales sunt propriæ Episcopi, veluti quarto modo pertinentes ad quartum prædicabile, quod conuenit omni, soli, & semper, secundum communem dialecticorum doctrinam; quod proinde alteri non potest conuenire. Viuente autem Episcopo Capitulum neque in Iurisdictionalibus fungitur vice Episcopi; quia nullam iurisdictionis potestatem habet, vt dictum est, nisi tantùm quandam œconomicam potestatem administrandi suos reditus, ac disponendi necessaria ad cultum diuinum, & ad horarum canonicarum recitationem.

Ad Tertium; negamus cedere in maiorem Episcopi auctoritatem, si venia verbalis sub nomine Illustrissimæ Dominationis daretur Capitulo absente Episcopo: quinimo id cederet in magnm dignitatis Episcopalis detrimentum, quia huiusmodi priuilegium & prærogatiua debetur Episcopo ratione suæ excellentioris dignitatis & singularis, ratione cuius etiam debentur alia priuilegia, quæ nefas esset tribuere Capitulo, verbi gratia debetur illi fieri liberum à patria potestate, eò quòd consequitur titulum Ducis, Comitis, siue Marchionis, &

ſicut iſti habent dictam prærogatiuam, teſte Iaſone, *in lege, qui ſe patris C. vnde liberi*, Maſtrillo *libr. 4. capit. 3.* & Balthaſare de Angelis *in prato Codicis ſuper legem ad ſimilitudinem, C. de Epiſcopis, & Clericis numer. 2.* Ita & Epiſcopus liberat ſe à patria poteſtate, & ſimul acquirit titulum Conſiliarij Regis, vt notant Gumier *in practica Sanct. verbo conſilia l. 6. titul. 9. Partit. 2.* ibi Gloſſa *verbo à conſeiar leg. 4. titul. 4. lib. 2. recopill.* Gregorius Lopez *in lege 11. titul. 5. partit. 3.* Bouadilla *in politica lib. 2. capit. 16. & ſeqq.* Ioannes Garcia *de nobilit. gloſſ. 9. numer. 49.* & alij, quos refert, & ſequitur Solorzanus *tom. 2. de Indiar. gubern. lib. 3. capit. 7. à numer. 71.* ratione quarum prærogatiuarum † dignitas Epiſcopalis eſt ſuprema in Eccleſia, etiam reſpectu Cardinalatus, vt ait Gloſſa *in cap. quamquam 2. quæſt. 7.* dicens: quod Epiſcopus eſt maior Presbytero Cardinali. Idem autumant Bartolus *in l. 1. §. ſi quis appellationem, ff. de appell.* Zerola *in praxi verbo Epiſcopus verſ. 35.* ita vt † vſque ad tempus Bonifacij VIII. Epiſcopi non creabantur Cardinales, ne ſcilicet deſcenderent de maiori ad minorem gradum: quod iam diximus intelligendum eſſe in eo quod eſt iuris diuini, vtpote, cum fuerint immediatè inſtituti à Chriſto Domino in Apoſtolis, in quorum locum ſucceſſerunt, iuxta Tridentinum Concilium, *cap. 4. ſeſſ. 24. de Sacramento Ordinis*: pluréſque titulos honorificos debitos Epiſcopis in ſignum honoris & reuerentiæ, refert Martha *de iuriſdict. 2. p. capit. 34. numer. finali*, inter quos ait deberi illis nomen Illuſtris, quod in iure pro eodem vſurpatur cum Illuſtriſſimo, vt notat Iaſon *in lege 1. titul. de officio eius numer. 2.* Vnde ſicut nefas eſſet, dictas prærogatiuas tribuere Capitulo; ita & nefas eſt tribuere ei dictam veniam verbalem. Neque eſt eadem ratio de Deo, & Chriſto Domino, quorum prærogatiuæ, & Excellentiæ ſunt infinitæ, & aliàs non communicantur creaturis, niſi per quandam analogam participationem ac finito modo. Deus enim de Deo, & hominibus iuſtis; Et lux mundi de Chriſto, & Apoſtolis prædicantur analogicè. De illo quidem vt de analogato principali, & per eſſentiam tali: de iſtis verò vt de analogatis minus principalibus, & per quandam participationem talibus; ratione cuius nullam diminutionem, aut detrimentum in Deo, & Chriſto Domino, eorum attributa & axiomata patiuntur.

* *
*

QVÆSTIO XVI.

An liceat quandoque animalia bruta adiurare, & contra illa ſententiam Excommunicationis proferre?

SVMMARIVM QVÆSTIONIS XVI.

1 *Proceſſus fulminati contra locuſtas, bruchos, &c. ſunt omnino ſuperſtitioſi, & tacitam dæmonis inuocationem admiſcent.*
2 *Animantia bruta ſunt incapacia excommunicationis & anathematis.*
3 *Anathema in V. T. quomodo ſumitur.*
4 *Anathema in iure Canonico eſt effectus excommunicationis, & anathematizatio idem quod maledictio.*
5 *Excommunicatio quid ſit.*
6 *Solus homo Chriſtianus eſt capax excommunicationis & anathematizationis.*
7 *Diuinatio quid ſit.*
8 *Vana obſeruatio eſt ſpecies ſuperſtitionis. In quo conſiſtit*, ibid.
9 *Modus legitimus coniurandi animantia nociua.*
10 *Quatuor ſunt conditiones, quibus concurrentibus ſemper aliquis impetrat quod petit.*

IN hac quæſtione Caſſaneus *in ſpeciali tractatu de hoc argumento*, approbat proceſſus confici ſolitos vſque ad excommunicationis ſententiam, contra huiuſmodi bruta animalia; quem & aliqui Neotherici ex parte ſequuntur, moti tum ex frequenti vſu conficiendi proceſſus contra huiuſce animalia nociua in Gallia, & in noſtra Hiſpania: tum ex effectu vtili, quem ex huiuſmodi proceſſibus & exorciſmis, cum excommunicatione aduerſus talia animalia lata, experimur.

Verùm contraria ſententia reprobans huiuſmodi proceſſus, & lata Anathemata ſeu excommunicationes aduerſus nociua hæc animalia bruta, eſt communiter recepta & probata à peritioribus Doctoribus, de quorum numero ſunt, Nauarrus *in manuali c. 11. & 27. & lib. 5. Conſiliorum titul. de ſententia excommunicationis Conſilio 5. & 52.* Delrius *lib. 6. Magicæ circa finem monito 11.* cum Ciruelo *lib. 3. de ſuperſtitionibus cap. 10.* conſtanter aſſeuerante huiuſmodi † proceſſus fulminatos contra locuſtas, bruchos, & ſimilia bruta animantia, eſſe omninò ſuperſtitioſos, & vanam obſeruantiam, atque tacitam dæmonis inuocationem etiam admiſcere. Quæ ſententia à nobis ſtatuitur pro concluſione. Et ſuadetur Primò, prænotando † huiuſmodi animãtia bruta eſſe omnino incapacia excõmunicationis & anathematis, eò quòd

3 quòd † anathema licet in veteri Testamento sumatur pro actu separandi, vel pro re separata ab officiis, honoribus & commerciis quibus similes res gaudere solent : (sic enim *Iosue* 6. sumitur anathema pro separatione à fauore & commercio communi aliis rebus similibus: in eodémque sensu montes Gilboe fuerunt à Dauide maledicti siue anathemazati, ideſt priuati beneficio roris & pluuiæ, quo cæteri vicini montes fruebantur;) tamen † in iure
4 Canonico & apud Theologos, Anathema est effectus excõmunicationis, & anathematizatio est idem quod maledictio, supponítque pro actu separandi hominem Christianum; vel pro ipsomet homine Christiano separato à consortio fidelium & Sacramentorum communicatione, quibus priuat excommunicatio,
5 † quæ est pœna Ecclesiastica priuans hominem fidelem & baptizatum communicatione Sacramentionem & aliorum spiritualium beneficiorum. Quo præsuppoſito ac prænotato;
6 formatur sic argumentum. Solus † homo Christianus siue baptizatus habens superiorem, est capax excommunicationis & anathematizationis : ergo vanum est contra animalia bruta huiusmodi sententiam proferre, ac proinde vana quoque est eorum citatio, & in iudicium vocatio, quæ sunt media ad talis sententiæ probationem : quando enim finis est vanus, vana quoque sunt media ad illum ordinata. Secundò quoniam teste D. Thoma 2.2. *quæst. 96. articul.* 3. huiusmodi brutorum animalium adiuratio, id est ad iurandum prouocatio est vana, quia talis adiurationis incapacia sunt : nisi adiuratio principaliter & directè ad dæmones dirigatur, & indirectè, ac minus principaliter ad animantia bruta, vt ad instrumenta mota per dæmones ad nocendum hominibus : alioquin talis adiuratio est vna ex speciebus superstitionis traditis ab eodem D. Thoma 2.2. *q.* 92. *art.* 2. & annotatis à Nauarro *in dicto cap.* 11. *&* 27. *Manualis numer.* 23. Quarum prima est nimius & superfluus cultus Deo exhibitus. Secunda est idololatriæ, qua exhibetur cultus latriæ alicui creaturæ, gratia honorandi illam
7 cultu Deo debito. Tertia est † diuinatio, qua exhibetur cultus Diuinus dæmoni, gratia addiscendi aliquid ab ipso vt à Magistro. Quarta denique est vana obseruatio, qua exhibetur cultus Diuinus dæmoni, vt ab illo opera humana dirigantur. Ad hanc speciem videtur reduci animalium brutorum directa adiuratio, in qua includitur dæmonum inuocatio vel expressa, vel tacita & implicita, quatenus quis nititur aliquid consequi aut efficere per causas, neque ex virtute naturali, neque ex supernaturali, neque ex aliqua Ecclesiæ dispositione ad id ordinatas. Eodémque pede claudicat processus factus, & sententia lata contra huiusmodi animalia bruta, vtpote quorum sunt incapacia : ergo vt superstitiosa, & dæmonis inuocationem inuoluentia,
8 sunt damnanda. Tertiò : nam huiusmodi † vana obseruatio quæ est species superstitionis, teste Angelico Doctore in loco proximè allegato, consistit in assumendo res vanas ad aliquem effectum extraordinarium, ad quem non habent virtutem naturalem de se, aut supernaturalem ex Diuina eleuatione seu ordinatione, aut Ecclesiæ ordinatione; in qua proinde ingeri solet dæmonis inuocatio. Sed talis est huiusmodi animantium brutorum, vt locustarum, bruchorum, & nubium adiuratio, vel coniuratio directa; (eò quòd ista non mouentur à se ipsis ad nocendum hominibus aut eorum agris) hoc est non operantur ex præcognitione finis : ergo, &c. Quartò probatur exemplo Nauarri, qui cùm in allegato consilio 52. fuisset consultus, de quibusdam piscibus nociuis & insolitis, venientibus in mare Adriaticum, Vtrum possent illius portus inquilini ad eos abigendos, vti processu, excommunicatione, anathemate, siue maledictione, vel aliqua coniuratione ad ipsos directa? Respondit negatiuè. Cuius responsio Romæ & in tota Italia accepta fuit, eò quòd huiusmodi animantia bruta, vt locustæ, mures, & pisces, sicut & nubes, neque excommunicari, neque citari, neque maledici, neque coniurari aut adiurari possunt, in ordine ad actus proprios, vtpote in quibus nec peccãt nec demerentur, ac proinde neque aliqua pœna sunt digna. Nec obstat, quod plures coniurationes superstitiosæ & vanæ sortiantur effectum; hoc enim contingit Deo permittente, & diabolo procurante ad nos decipiendum, sicut contigit Sauli consulenti Pytonissam, ad euocandam animam Samuelis, quæ sibi euentum futuri belli prænuntiaret. Nam teste D. Thoma 2.2. *q.* 174. *art.* 5. *ad* 4. etsi dæmones animam alicuius Sancti euocare non valeant, neque cogere ad aliquid agendum : potest tamen hoc fieri Diuina Virtute, vt dum diabolus consulitur, ipse Deus per suum nuntiũ veritatem enuntiet, sicut per Eliam veritatem respondit nuntiis Regis, qui mittebantur ad consulendum idolum Acharon 4. *Regum* 1. sícque dum Saul dæmonem in Pythonissa consulebat, Deus misit animam Samuelis, vt contra iniquum Regem sententiam mortis prænuntiaret. Quamuis etiam dici possit (subdit Angelicus Doctor) non veram fuisse animam Samuelis, sed dæmonem in persona illius loquentem, quem sacer textus Samuelem nominat, eò quòd illum repræsentabat; & quia loquitur secundùm opinionem Saulis & astantium, qui ita opinabantur.

Quapropter † modus legitimus coniu- 9
randi huiusce animantia nociua per exorcismos est, quem Nauarrus *vbi supra numer.* 13. & Delrius *loco citato* insinuant; nimirum vt indicto ieiunio, & præmissa Sacramentali populi confessione, Sacerdos Veste Sacra indutus, recitet Symbolum Athanasij, & orationem Dominicam cum Angelica salutatione, obsecrans Deum, vt per Christi filij sui incarnationem, natiuitatem, passionem, crucem & mortem, atque resurrectionem fuget ea nociua animantia, præcipiátque rigidè dæmonibus, in potestate à Christo accepta & sibi data, vt abstineant à tali vsu damnoso; sícque confidendum est in Diuina misericordia, quod huiusmodi oratio sortietur effectum per modum impetrationis. Nam teste D. Thoma 2.2. *quæst.* 83. *artic.* 15. *ad* 2. † Quatuor assignantur à Sanctis Pa- 10
tribus conditiones, quibus concurrentibus semper aliquis impetrat quod petit, vt scilicet pro se petat necessaria ad salutem, piè, & perseueranter.

Ex quibus facili negotio diluuntur fundamenta contrariæ opinionis. Ad primum enim reſpondetur illum vſum potius abuſum eſſe, vtpote ſuperſtitionis vitio infectum, etſi aliquando à culpa ob ignorantiam homines talia exercentes excuſentur. Ad ſecundum verò patet ex vltimo noſtro argumento, & eius appendice notabili.

QVÆSTIO XVII.

De Miſſæ ſacrificio, & eius valore.

Vtrum ſit tantus, vt ſi offeratur pro pluribus, tantumdem proſit illis, ac ſi pro vno duntaxat offeratur?

SVMMARIVM QVÆSTIONIS XVII.

1 *Authores de hac materia tractantes in tres ſententias diuiduntur.*
2 *Sacrificium eſt infiniti valoris ratione rei contentæ & oblatæ.*
3 *Chriſtus immolatur in Sacramento Euchariſtiæ.*
4 *Sacerdos gerit imaginem Chriſti in cuius perſona & virtute verba pronunciat conſecrationis.*
5 *Oratio eò plus prodeſt, quò pro pluribus effunditur.*
6 *Virtus ac dignitas Chriſti eſt infinita quoad ſufficientiam ad ſatisfaciendum pro omni pœna.*
7 *Sacrificium dupliciter offertur; nimirum vel oblatione communi & generali, vel oblatione ſigillata.*
8 *Sacrificium Miſſæ, non tantum pluribus prodeſt ad ſatisfactionem, quàm ſi pro vno duntaxat offertur.*
9 *In Sacramento Euchariſtiæ duo ſunt diuerſa; nimirum ratio Sacramenti, & ratio Sacrificij.*
10 *Sacrificium conſiſtit in obligatione, conſecratione, & conſumptione.*
11 *Sacrificium eſt formaliter de prædicamento actionis.*
12 *Euchariſtia aliter operatur vt Sacramentum, aliter vt Sacrificium.*
13 *Oblatio Chriſti triplex.*
14 *Sola oblatio Chriſti in cruce fuit infiniti valoris.*
15 *Actiones Theandricæ Chriſti quæ ſint.*
16 *Qui altari deſeruit de altari debet viuere.*
17 *Sacrificium miſſæ quomodo operatur ſatisfactionem pœnarum.*
18 *Portio valoris ſatisfactorij reſpondens Sacrificio Miſſæ eſt duplex.*
19 *Sacrificium Miſſæ non extenditur ad paruulos baptizatos, neque ad excommunicatos, neque ad hæreticos, Iudæos, &c.*
20 *Pro infidelibus non baptizatis non poteſt offerri miſſa aut inſtitui Capellania, quia non ſunt membra Eccleſiæ. Poteſt tamen pro eorum conuerſione, dici à Sacerdote aliqua collecta vel oratio,* ibid.

DE huius quæſtionis argumento tractant, Scotus *quodlibeto* 20. Syluester V. *Miſſa* §. 4. Paludanus *in* 4. *d.* 45. *quæſtion.* 2. Caietanus 3. *p. q.* 79. *artic.* 5. *& ex profeſſo tom.* 2. *opuſculorum q.* 2. Sotus *lib.* 9. *de iuſtitia q.* 2. *art.* 2. ac plures alij iuris Canonici profeſſores, allegati à Syluestro *vbi ſupra.* † qui in tres ſententias diuiduntur; 1
duæ ſunt extremæ, & vna eſt media. Prima illarum eſt Caietani, affirmatiuam partem abſolutè tenentis, quam ſuadet Primò; quoniam hoc † ſacrificium eſt infiniti valoris ratione 2
rei contentæ & oblatæ, hoc eſt ratione corporis & ſanguinis Chriſti Domini in ſe ipſis, in quibus vt ſic eſt dignitas infinita, ac proinde infinitum in oblationem refundens valorem: infinitum autem pluribus applicatum, aut inter plures diſtributum, non minuitur; neque vnus homo ex aliorum participatione patitur detrimentum; ergo, &c. Secundò probatur ex duobus locis Angelici Doctoris, in quibus haud obſcurè fauet huic ſententiæ. Primus habetur 3. *p. q.* 79. *art.* 5. ad calcem corporis; ibi. *Quamuis hæc oblatio ex ſui quantitate ſufficiat ad ſatisfaciendum pro omni pœna, tamen fit ſatisfactoria illis pro quibus offertur, vel etiam offerentibus, ſecundum quantitatem ſuæ deuotionis, & non pro tota pœna.* Secundus habetur *eadem* 3. *p. q.* 83. *art.* 1. vbi ait † Chriſtum 3
immolari in Sacramento Euchariſtiæ, eò quòd *in cap. ſemel immolatur, de conſecratione, d.* 2. ſumpto ex Auguſtino *in lib. ſententiarum Proſperi*, dicitur Chriſtum fuiſſe ſemel immolatum in ſemetipſo, quotidie tamen immolari in hoc Sacramento; *Et in ſolutione ad* 3. ſubdit, quod ſicut in Chriſti immolatione idem fuit Sacerdos & hoſtia, & in huius celebratione Sacramentali idem eſt Sacerdos, & hoſtia quodammodo, quia † Sa- 4
cerdos gerit imaginem Chriſti, in cuius perſona & virtute verba pronunciat ad conſecrandum. Ex quorum locorum Primo; ſic arguitur. Hæc oblatio ex ſui quantitate habet vim ſatisfaciendi pro tota pœna quod denotat infinitam, limitatur autem ex affectu deuotionis offerentis, vel eius pro quo offertur: deuotio verò vnius non minuit nec impedit deuotionem alterius; ergo ex pluralitate ſuſcipientium ſiue offerentium, non minuitur ſingulorum fructus. Quemadmodum neque eorum quos Sol ſimul illuminat, vel calefacit, vnius illuminatio, ſiue calefactio minuit aut impedit alterius illuminationem, aut calefactionem. Ex ſecundo autem tale deducitur argumentum. Immolatio Chriſti in qua ſemetipſum obtulit, & in qua ſimul fuit Sacerdos & hoſtia, fuit infiniti valoris in ratione ſatisfactionis. Atqui in Sacramento Euchariſtiæ immolatur Chriſtus, qui ſimul eſt Sacerdos & hoſtia; ergo talis immolatio etiam eſt infiniti valoris in ratione ſatisfactionis. Tertiò probatur ex Hieronymo *in cap. non mediocriter de conſecratione. d.* 5. dicente; cùm pro cunctis animabus Pſalmus, vel miſſa dicitur ſiue offer-

tur;

tur ; nihilominus quàm si pro vno diceretur,
5 accipitur:& Auguſt.relato 1.q.8.dicente † orationem eò plus prodeſſe quò pro pluribus funditur. In quo videtur fundari Eccleſiæ ritus & conſuetudo, offerendi ſcilicet hoc ſacrificium, tam pro viuis quàm pro defunctis, & pro omnibus adſtantibus, dum ſacerdos ait : *Memento Domine omnium famulorum famularúmque tuarum, & omnium circunſtantium, quorum tibi fides cognita eſt, & nota deuotio &c.* Inſuper *memento omnium, qui nos præceſſerunt cum ſigno fidei, & dormiunt in ſomno pacis.* Qui tamen ritus damnandus foret, ſi quò pro pluribus offertur, eò minus prodeſſet ſingulis : ergo &c. Quartò probatur ex alio fundamento, cui præcipuè innititur Caietanus : nimirum, quia licet determinatus gradus gratiæ correſpondeat Euchariſtiæ, quatenus Sacramento ex virtute operis, hoc eſt ex opere operato, ſicut & in cæteris Sacramentis contingit ; tamen quantitas ſatisfactionis correſpondetur eidem Euchariſtiæ vt ſacrificio, non ex virtute operis, ſed ex ſolo affectu deuotionis ſumentis aut offerentis, aut etiam eius pro quo offertur, menſuratur & graduatur, quod non obſcurè videtur innuere An-
6 gelicus præceptor *in allegato art.5.* ita vt † virtus ac dignitas Chriſti oblati, quæ eſt infinita quoad ſufficientiam ad ſatisfaciendum pro omni pœna, tantum ſatisfactionis valorem in ſingulis offerentibus, & eis pro quibus offertur, infundit, quantus ſingulorum affectibus deuotionis reſpondeat. Et cum iſti non ſe impediãnt, aut minuant, vt dictum eſt; hinc fit vt neque Sacrificium minus proſit ſingulis, quò pro pluribus offertur.

Secunda ſententia media via incedens, eſt
7 Sylueſtri *vbi ſupra*, aſſerentis huiuſmodi † Sacrificium poſſe dupliciter offerri; nimirum, vel oblatione communi & generali, hoc eſt referendo Sacerdote intentionem ſuam ad multitudinem fidelium in communi : vel oblatione ſigillata, hoc eſt referendo intentionem ad ſingulas perſonas ſigillatim & in particulari. Quod ſi fiat oblatio primo modo, non tantum ſingulis prodeſt (ait ille) : bene autem ſi fiat ſecundo modo. Fundamentum Sylueſtri nullum aliud eſſe poteſt, niſi quod quantitas ſatisfactionis reſpondens huic Sacrificio, dependeat maximè ex applicatione & intentione miniſtri, quæ proinde minuitur in ſingulis quibus fit applicatio generalis ; ſecus autem in ſingulis quibus fit applicatio ſigillata & ſpecialis. Quod poteſt amplius confirmari, ex eo quòd miſſæ defunctorum plus illis proſunt, quàm miſſæ viuorum defunctis applicatæ, ob illarum ſpeciale officium, & ob intentionem Sacerdotis ad animas defunctorum ſpecialiter applicatam, nec non ob orationes & collectas ſpecialiter ad eaſdem defunctorum animas directas. Rurſus fauet vſus fidelium, qui pro ſpecialibus neceſſitatibus miſſas exigunt priuatas, in quibus & Sacerdos in primo loco ſpeciales neceſſitates commendat, deinde communes ; qui vſus in eo fundatur, quod hoc Sacrificium plus proſit habentibus ſpecialem affectum, & eis pro quibus ſpecialiter applicatur, quàm aliis qui nec habent ſpecialem affectum, nec pro eis fit ſpecialis & ſigillata applicatio.

Tertia ſententia aliorum quos allegauimus, imò & ab omnibus Doctoribus fere communiter receptà, aſſerit † Sacrificium miſſæ non 8
tantum pluribus prodeſſe ad ſatisfactionem, quàm ſi pro vno dutaxat offerretur. Quam proinde ſtatuimus pro concluſione. Et pro eius declaratione prænotandum eſt; † Primò in Sacra- 9
mento Euchariſtiæ vltra orationes & collectas quas Eccleſia inſtituit & adiunxit, & quæ tantùm operantur per modum meriti & impetrationis, reperiri duo valde diuerſa; nimirum rationem Sacramenti & rationem Sacrificij, quorum vnum poteſt ſine altero reperiri, quod eſt manifeſtum ſignum diſtinctionis vnius ab alio. Nam dum Euchariſtia in pyxide aſſeruatur, eſt verum Sacramentum & dum percipitur à fidelibus percipitur verum Sacramentum, & tamen nec eſt neque percipitur verum Sacrificium. Rurſus, dum in die Paraſceues à celebrante conſumitur hoſtia, quæ fuerat in calice aſſeruata, & die præcedenti conſecrata, eſt verum Sacramentum & tamen non eſt verum miſſæ Sacrificium. Etenim illo die nó celebratur verum miſſæ Sacrificium, eò quòd † iſtud conſiſtit in 10
oblatione, conſecratione, & conſumptione; ex quibus tribus actionibus miſſæ Sacrificium completur & integratur, quarum ſola conſumptio eo die Paraſceues reperitur, quæ ſola ſine duabus præcedentibus non conſtituit miſſæ Sacrificium verum & integrum, niſi ſecundum quid, hoc eſt quantum ad vnam partem ſiue actionem, quæ eſt conſumptio. Neque propterea excuſamus à peccato mortali non audiendi Sacrum eos, qui in die Paraſceues, ſi feſtum in eo contingat, illam miſſæ partem audire voluntariè omittant : nam qualiſcumque ſit illa pars miſſæ, ſiue Sacrificij, tenentur fideles, ſi feſtum ſit, quantum eſt de ſe, eam audire, hoc eſt niſi aliunde ad id impoſſibilitentur.

Secundò prænotandum eſt, rationem Sacrificij non in re contenta, hoc eſt non in corpore & Sanguine Chriſti, ſed in ea triplici actione fortiter conſiſtere, eò quòd nomẽ Sacrificij pro actione ſupponit : eſt enim † Sacrificium for- 11
maliter de prædicamento actionis, vt ita dicam. Vnde cum actio Sacerdotis offerentis & Sacrificantis, ſit finita & finiti valoris ; hinc fit quod licet res contenta & oblata, ſcilicet corpus & ſanguis Chriſti, Domini ſint valoris infiniti quoad ſufficientiam, neutiquam huiuſmodi valorem infinitum in Sacrificium, hoc eſt in Sacerdotis actionem refundunt.

Tertiò prænotandum eſt, quod Euchariſtia vt Sacramentum, operatur effectiuè phyſicè gratiam in ſuſcipientibus debitè diſpoſitis, & ex opere operato, ſicut cætera Sacramenta : attamen vt Sacrificium operatur duntaxat moraliter, id eſt ſatisfactoriè, quatenus per modum ſatisfactionis operatur nedum in ſumentibus, ſed etiam in offerentibus, & eis pro quibus offertur, relaxationem pœnæ temporalis pro peccatis debitæ. In quibus proinde ſupponitur vita gratiæ & lethalis culpæ remiſſio, quem effectum ſatisfactorium etiam operatur huiuſmodi Sacrificium, in virtute paſſionis Chriſti ; ac per conſequens ex vi operis ſeu ex opere operato, nimirum, iuxta menſuram virtutis deriuatæ ab ipſo Chriſto.

Quibus præſuppoſitis ac prænotatis, probatur noſtra aſſertio: Primò, nam hoc Sacrificium in quantum tale, eſt valoris finiti, ſed finitum quò in plures diſtribuitur, eò ſingulis minus

contingit,& à ſingulis minus capitur:ergo intentum. Minor eſt nota lumine naturali. Maior autem præmiſſa oſtenditur ex principiis Theologiæ. Quoniam Sacrificium vt dictum eſt, conſiſtit formiter, non in re oblata, ſed in actione offerentis; ideóque diximus Sacrificium miſſæ conſiſtere, in illa triplici actione Sacerdotis offerentis & ſacrificantis, videlicet oblatione, conſecratione, & conſumptione; aut ſi malueris in vltima, provt ſupponit & connotat alias duas præcedentes: Conſumptio enim coreſpondet mactationi agni Paſchalis. Atqui actionem ſacerdotis offerentis, eſſe finiti valoris & virtutis ad ſatisfaciendum, patet ex diſcrimine quod verſatur inter ſatisfactionem & meritum ex vna parte, & offenſam ſiue iniuriam ex alia; quod hæc crèſcit ex dignitate perſonæ offenſæ, ita vt quantò hæc ſit dignior, tantò & illa ſit grauior. Vnde ex infinitate Dei offenſi infert ſchola Thomiſtarum cum ſuo authore 3.p.q.1.art.2. offenſam peccati lethalis eſſe infinitæ grauitatis moralis. Satisfactio verò & meritum creſcunt ex dignitate perſonæ operantis, ita vt quantò perſona ſatisfaciens, aut merès eſt dignior, tantò cæteris paribus eſt dignior eius actio ſatisfactoria ſiue meritoria. Cum ergo Sacerdos offerens in Sacrificio miſſæ, ſit dignitatis finitæ, eiuſque gratia, virtus ac deuotio, quantumcumque ille ſit Sanctus, ſint finitæ intentionis, conſequens eſt eius Sacrificium ſiue actionem debere quoque eſſe dignitatis ac valoris finiti. Confirmatur primò & declaratur amplius hæc ratio, exemplo Beatæ Virginis, quæ obtulit puerum Ieſum Deo Patri in templo per manus Simeonis: certum eſt oblationem qua Sacerdos in miſſa corpus & Sanguinem Chriſti offert, non eſſe maioris valoris ad ſatisfaciendum, quàm fuit oblatio, qua Beata Virgo eundem Chriſtum in tenera ætate obtulit in templo; hæc autem oblatio non fuit infiniti valoris, quia licet res oblata eſſet infinitæ dignitatis, tamen perſona offerens erat finitæ dignitatis, vtpote pura creatura: igitur nec oblatio Sacerdotis poteſt eſſe infiniti valoris. Conſidereinus itaque
13 † tres eiuſdem Chriſti Domini oblationes. Prima fuit illa, qua Beata Virgo illum obtulit in templo. Secunda fuit illa cruenta qua ipſe Chriſtus Dominus vt Summus Sacerdos & Hoſtia, ſe ipſum obtulit in Cruce. Tertia eſt hæc quotidiana & incruenta, qua eumdem Chriſtum
14 offert Sacerdos in miſſæ Sacrificio. E quibus † ſola ſecunda fuit infiniti valoris, quia in ea non ſolùm res oblata, ſed etiam perſona offerens fuit infiniti valoris, reliquæ autem duæ fuere valoris finiti; quia licet res oblata ſit infinitæ dignitatis, perſona tamen offerens finitæ dignitatis eſt.

Nec obſtat quod Sacrificium miſſæ ſit memoriale paſſionis, quæ fuit infiniti valoris, iuxta illud Chriſti; *Hæc quotieſcumque feceritis, in mei memoriam facietis.* Et illud Pauli. *Quotieſcumque manducabitis panem hunc, mortem Domini annunciabitis donec veniat.* Non inquam obſtat, quoniam prototypus non refundit totam ſuam dignitatem in imaginem ipſius repræſentatiuam. Quis enim dicet imaginem Cæſaris, aut imaginem Chriſti totam eius dignitatem haurire? etſi eodem cultu veneretur, propterea quod idem eſt motus in imaginem, & in rem cuius eſt ima-
15 go. Confirmatur ſecũdò: nam propterea † actio-

nes Theandricæ Chriſti, id eſt Dei viriles, fuerunt infiniti valoris, v.g. ieiunium, dilectio Dei, obediẽtia & mortis acceptatio, quia in illis ſeipſum offerebat, & ſubiciebat, ita quod tam perſona oblata ſiue ſubiecta, quàm perſona offerẽs ſiue ſubiciens, erat infinitæ dignitatis: igitur cæteræ actiones, cuiuſcumque ſint illæ, in quibus deeſt infinitas ex parte offerentis, licet non deſit ex parte rei oblatæ, erunt valoris finiti.

Secundò probatur, quia miſſæ Sacrificium vt tale eſt, prodeſt offerenti, & eis pro quibus offertur per modum ſolutionis debiti, quia prodeſt per modum ſatisfactionis: ſolutio autem debiti & ſatisfactio quoad plures extenditur, ieò minus ſingulos tangit: ergo minus ſingulis prodeſt, &c. Maior ſupponitur ex tertio notabili, & minor præmiſſa patet experientia, qua compertum eſt, quod ſi aliquod debitum pluribus ſoluatur, v.g. ſi viginti aurei ſoluantur quinque creditoribus, minus accipitur ab vnoquoque quàm ſi vni duntaxat ſolueretur.

Tertiò probatur ab inconuenienti duplici, quod ſequitur ex oppoſita ſententia Caietani. Primum eſt, quod Sacerdos poſſit pro vna miſſa accipere plures pictantias, quotquot voluerit, ſiquidem nullus ex conferentibus pictantias, patitur detrimentum ex eo, quod pro aliis pluribus applicetur; imo ſingulis æquè prodeſt, ac ſi pro vno duntaxat offeratur: Conſequens autem eſſe falſum, oſtendimus *in tractatu de Simonia*, vbi ex communi ſententia Theologorum diximus, cum tribus conditionibus duntaxat poſſe Sacerdotem accipere duas, vel ad ſummum tres pictantias pro vna miſſa; nimirum, quando vna pictantia non ei ſufficit pro diario victu & veſtitu, & quando non habet aliunde, vnde ſibi ſuccurrat pro diario victu & veſtitu, & quando non paciſcitur ſe oblaturum miſſam in ſolidum pro illo, qui vnam ei confert pictantiam: quia tunc ratione pacti & promiſſionis acceptatæ, tenetur Sacerdos miſſam in ſolidum pro vna pictantia offerre: alioquin contra iuſtitiam ſecundum aliquos graues authores, & ſecundum omnes contra fidelitatem peccabit. Quæ doctrina intelligenda eſt, ſtando in iure communi & naturali, dictante eos † qui altari 16
deſeruiunt, de altari debere viuere & ali, ac proinde Sacerdotem non habentem alia bona quibus ſibi ſuccurrat, poſſe pro vna miſſa ſtipendium accipere ſufficiens, pro congrua ſui ſuſtentatione. Nam extat Bulla Vrbani VIII. prohibens, ne pro vna miſſa plures pictantiæ accipiantur, quouis prætextu & colore quæſito: Vnde vbi fuerit acceptata, ius condidit particulare, cui parendum eſt; abſque læſione tamen iuris Diuini ac naturalis. Dixi vbi fuerit acceptata; nam in Regnis Hiſpaniæ dubitaui ſemper de eius acceptatione. Ex hoc autem ſumere licet nouum argumentum contra Caietani opinionem. Nam ſi liceret plurimas pictantias pro vna miſſa accipere, eò quòd ſit infiniti valoris, & ſingulis æquè prodeſſet, iniqua eſſent huiuſmodi Summorum Pontificum decreta id prohibentia, quod tamen nefas eſt dicere: ergo. Secundum inconueniens eſt, quod Sacerdos vnâ miſſa poſſet ſatisfacere illi cui debentur decem: v. g. maximè ſi in illa adhibeat deuotionem vt decem, ſiquidem iuxta deuotionis menſuram augetur miſſæ valor. Vnde in nihilo defraudaretur ille cui deberentur decem, ad eum mo-

dum

dum quo satisfaceret quis ei, cui debet quinquaginta drachmas, si daret ipsi vnum argenteum habens valorem & pondus quinquaginta drachmarum: consequens autem esse falsum, patet ex fidelium vsu, non de facili condemnando. Etenim nullus Christianus quantumcumque doctus, contentus est vna Missa, si ei debeantur decem; imo rationabiliter esset inuitus, daretúrque ei actio in tribunali Ecclesiastico petendi à dicto Sacerdote decem Missas, provt habet communis praxis Ecclesiasticorum tribunalium. Alioquin valde fideles deterrerentur ab Eleemosynarum promissis, elargitione, neque defuncti tot Missas testamentales relinquerent, singulas taxatis eleemosinis remunerandas; nec viui tot Eleemosinas taxatas lege Synodali Sacerdotibus & conuentibus offerrent, pro totidem Missis pro ipsorum necessitatibus celebrandis. Hinc etiam deducitur falsitas secundæ sententiæ Syluestri, in eo quod ait Sacrificium Missæ æqualiter prodesse singulis, pro quibus applicatur sigillatim. Nam cum sit valoris finiti, & finitum eò minus capitur à singulis, quò pluribus applicatur, quocumque modo fiat talis applicatio. Id ipsum conuincit alia ratio facta pro nostra
17 † sententia, desumpta ex eo quòd Sacrificium Missæ operatur satisfactionem pœnarum per modum solutionis debiti, & ex opere operato per virtutem à Christo ipsi communicatam.

Ex his facili negotio Respondetur ad argumenta pro prima sententia. Ad primum namque neganda est maior pro vltima parte, nimirum, quod infinitas rei oblatæ, refundat infinitum valorem in Sacrificium quod est actio offerentis. Ad secundum Respondeo, Angelicum Doctorem in allegatis locis, non sentire contra nostram sententiam: nam sensus & mens eius in priori loco tantum fuit, quod Sacrificium Missæ est valoris infiniti, quoad rem contentam & oblatam quæ est corpus & Sanguis Christi, sed non quoad ipsam oblationem, quæ est actio offerentis, in qua formaliter consistit Sacrificium, cuius valor finitus obtingit omnibus offerentibus, scilicet, Sacerdoti, danti Eleemosinam, & audientibus Missam secundum quantitatem affectus & deuotionis actualis: cæteris autem iustis nullam habentibus memoriam, aut deuotionem ad hoc numero Sacrificium, tantum prodest, (& quidem singulis æqualiter) vt membris viuis Ecclesiæ propter vnionem charitatis, ex opere operato ipsius Sacrificij. Quod haud obscurè innuit Sanctus Doctor in verbis antecedentibus, dum ait: *Quod hoc Sacrificium non est institutum ad satisfaciendum, sed ad spiritaliter nutriendum, per vnionem ad Christum & ad membra eius, sicut & nutrimentum vnitur nutrito. Sed quia hæc vnitas fit per charitatem, ex cuius feruore aliquis consequitur remissionem non solùm culpæ, sed etiam pœnæ, inde est quod ex consequenti per quandam concomitantiam ad principalem effectum homo consequitur remissionem pœnæ, non totius, sed secundum modum suæ deuotionis & feruoris: in quantum verò Sacrificium, habet vim satisfactionis; sed in satisfactione magis attenditur affectus offerentis quàm quãtitas oblationis; vnde & Dominus dicit Lucæ 21. de vidua quæ obtulit duo æra, quod plus omnibus misit.* Et concludit; quod licet hæc oblatio ex sui quantitate, hoc est ratione rei oblatæ, sufficiat ad satisfaciẽdum pro tota pœna, tamen quoad efficaciam non satisfacit pro tota pœna, sed tantùm secundum quantitatem deuotionis in offerentibus, & his pro quibus offertur, & tamen si valoris esset infiniti, hæc oblatio totam pœnam illis relaxaret. In posteriori vero loco, satis se explicat Sanctus Doctor dum ait, quod in hac Missæ incruenta oblatione non est simpliciter idem Sacerdos & Hostia, sed quodammodo, idest per quandam repræsentationem, quatenus scilicet, Sacerdos gerit & repræsentat personam Christi. Vnde non sequitur tanti esse valoris hanc Sacerdotis oblationem incruentam, quanti fuit oblatio illa cruenta, qua Christus Dominus se ipsum obtulit in ara crucis: sicut neque ille qui Regem repræsentat est tantæ dignitatis, quantæ est Rex quem repræsentat. Ad tertiam Respondetur; verbum Hieronymi intelligẽdũ esse vno ex duobus modis: vel quod Psalmus & Missa non minus prodest ipsi offerenti, quando pro pluribus offert, ac si pro vno tantum offerret, quia nullus pro aliis defraudatur à merito suæ orationis, iuxta illud Psalmistæ; *Oratio mea in sinu meo reuertetur*, id est, licet pro aliis fundatur, ad orantem reuertitur. Vel quod Psalmus & Missa æquè plures iuuat, quatenus vnitos per charitatem: secus de illo effectu quem operatur per modum satisfactionis. Verbum autem S. Augustini simili modo potest explicari, vel facilius, quod loquitur de profectu extensiuo; nam quoad extensionem, oratio eò plus prodest quò pro pluribus funditur; id est quò pro pluribus funditur, ad plures extenditur eius effectus, licet minus obtingat singulis, quàm si vni soli applicaretur.

Ad quartum neganda est maior pro secunda parte. Nam iam ostendimus effectum satisfactorium correspondentẽ huic Sacrificio virtute passionis Christi, & ex opere operato ei correspondere: ac proinde in gradu finito ac limitato, qui nec soli affectui deuotionis adæquatè commensuratur, sed simul quantitati pretij oblati & affectui deuotionis. Quod patet exemplo viduæ adducto à Diuo Thoma; nam valor illius oblationis qua obtulit duo æra minuta, tum ex affectu deuotionis viduæ offerentis, tum etiam ex pretio oblato, qualecumque fuerit illud, auctus fuit. Pro cuius maiori declaratione adnotare licet, quod † 18
portio valoris satisfactorij respondens Sacrificio Missæ diuiditur in duas partes. Vnam applicat Ecclesia & Sacerdos vt illius minister pro illis, quos nominat in canone: & alteram applicat Sacerdos sua peculiari intentione, pro illis quos sigillatim commemorat, & quò pro pluribus, eò minus singulis obtingit vna & altera portio. Verùm licet ad omnia membra viua Ecclesiæ, vnita per charitatem & indigentia satisfactione, necnon ad animas purgatorij, licet iam sint extra Ecclesiam in illo verbo; *Pro redemptione animarum suarum*; & in illo, *Qui dormiunt in somno pacis*: non tamen † extenditur ad paruulos 19
baptizatos, qui nullius pœnæ sunt debitores, neque extenditur ad excommunicatos, neque ad hæreticos, Iudæos, aut Schismaticos,

vtpote ab Eccleſia ſeparatos; niſi in die Paraſceues, in qua ex Eccleſiæ diſpenſatione oratur pro eis.

29 Hinc colligo primò, quod † pro infidelibus non baptizatis non poteſt offerri miſſa aut inſtitui Capellania; eò quòd iſti non ſunt membra Eccleſiæ, pro quibus proinde miſſæ ſacrificium offerri non poteſt, neque poteſt ordinari vt pro eis offeratur: inſtitui autem capellaniam pro illis, idem eſt atque inſtitui ſeu ordinari & iuberi vt pro eis offeratur. Cum hoc tamen ſtat bene, vt in capellaniæ erectione ſiue fundatione, ſimul inſtituatur quod aliqua oratio ſiue collecta dicatur à Sacerdote, pro huiuſmodi infidelium, Paganorum conuerſione, ſicut & fundatur pro fidei propagatione atque extenſione.

Colligo ſecundò cum Soto *in loco præallegato*, legitimam intelligentiam illius teſtimonij parentis Auguſtini, *in libro de cura pro mortuis agenda*; dum ait. *Suffragia illis defunctis proſunt, qui cum viuerent, vt ſibi poſſent prodeſſe, meruerunt.* Quæ talis eſt; nimirum, omnibus illis qui deceſſerunt in gratia, & ſunt vniti Chriſto per charitatem, proſunt ſuffragia pro eis oblata, quia omnes iſti meruerunt vt ſuffragia pro ipſis oblata ſibi proſint. Quod patet, tum quia eo ipſo quod decedant in gratia & charitate, habent ius ad hoc, quod oblatio pro eis facta à quocumque homine iuſto, ſibi proſit. Tum quia propterea in canone Miſſæ abſolutè & ſine reſtrictione dicitur: *qui dormiunt in ſomno pacis: & omnibus in Chriſto quieſcentibus.* Tum denique quia ita ſe explicat idem Auguſtinus *Epiſtola ad Rennatum*, quam explicationem amplectuntur Magiſter *in 4. d. 45.* & D. Thomas *ibidem quæſt. 2. artic. 1. quæſtiuncula 2.* & *in additionibus ad tertiam partem q. 11. art. 6. ad 3.* Ex quibus liquet minus veram eſſe intelligentiam Caietani *opuſculo citato*, dum ait, eis tantùm defunctis prodeſſe ſuffragia, qui dum viuerent meruerunt, vt ſibi poſt mortem prodeſſent, id eſt, qui in vita fuerunt affecti ad claues Eccleſiæ & indulgentias, aut habuerunt curam ſatisfaciendi ſiue offerendi ſuffragia pro defunctis: ſic namque eis proderunt poſt mortem aut indulgentiæ, aut ſuffragia, aut Sacrificia, iuxta illud Euangelij teſtimonium, *in qua menſura menſi fueritis*, ſcilicet in vita; *remetietur & vobis*, ſcilicet poſt mortem. Verùm prior explicatio vtpote magis genuina, ac magis fauorabilis eſt ſuſtinenda.

QVÆSTIO XVIII.

An in articulo mortis, poſſit rite & rectè quis abſolui à quocumque etiam ſimplici Sacerdote, à quibuſcumque caſibus etiam reſeruatis Superiori?

SVMMARIVM QVÆSTIONIS XVIII.

1 *Sententia affirmatiua huius Quæſtionis ſine limitatione eſt tenenda.*

2 *Nulla eſt caſuum reſeruatio in articulo mortis.*

3 *Extra articulum mortis Sacerdotes nihil poſſunt in caſibus reſeruatis.*

4 *Facultas abſoluendi habet ſe adinſtar facultatis diſpenſandi, cum vtraque in quadam poteſtate conſiſtat.*

5 *Facultas diſpenſandi nulli infert præiudicium niſi ſoli concedenti.*

6 *Beneficium Principis, maximè quando non eſt contra ius aut legem communem, latè eſt interpretandum.*

7 *Abſolutum coram Deo nefas eſt ab humano iudice puniri.*

8 *Abſolutus in articulo mortis à caſibus & cenſuris reſeruatis, non tenetur tranſacto eo articulo recurrere ad Superiorem pro ratificanda abſolutione.*

9 *Conſtitutus in periculo probabili mortis, & conſtitutus in mortis articulo, quomodo differant.*

SENTENTIAM affirmantem cum quadam limitatione, ſcilicet hac, niſi ſit præſens proprius Parochus pœnitentis, aut ſuperior qui reſeruauit tales caſus; tenet Nauarrus in *Manuali cap.* 27. cum Syluestro, Soto, & aliis ibi citatis. Cuius limitationis ratio eſt, quod præſente proprio Sacerdote vel Superiore, ceſſat neceſſitas petendi abſolutionem ab alieno vel à ſimplici Sacerdote; Ceſſante autem neceſſitate, ceſſat facultas in alieno aut ſimplici Sacerdote: ergo. Tum etiam argumento à ſimili; nimirum, quia interdictus ab Epiſcopo poſſidente, (etiam lite pendente ſuper proprietate) illo præſente & non requiſito, non poteſt abſolui à ſimplici Sacerdote in mortis articulo, & ſi moriatur ſic abſolutus, non manet bene abſolutus, (ait idem Nauarrus): ergo nequo in dicto caſu poterit abſolui à ſimplici Sacerdote, præſente Superiori à quo facta eſt reſeruatio.

Verùm ſine vlla limitatione, † tenenda eſt 1
ſententia affirmans, poſſe in mortis articulo quemcumque abſolui, à quibuſcumque caſibus etiam reſeruatis per quemlibet Sacerdotem, ſiue præſens ſiue abſens ſit proprius Sacerdos, aut Superior. Ita ſentiunt Nauarrus *lib. 5. conſiliorum. tit. de pœnitentiis & remiſſionibus conſil. 15.* & Emanuel Sà *in ſuis aphoriſmis. v. abſolutio, numero* 4. Eſtque eorum ſententia communiter recepta, ſuadetúrque Primò, ex Concilio Tridentino *ſeſſ. 14. cap. 7.* vbi poſtquam dicitur Summos Pontifices in tota Eccleſia, necnon Epiſcopos in ſua diœceſi, atrociorum criminum abſolutionem ſibi rite & rectè quandoque reſeruare, ſubditur in hæc verba. *Verumtamen piè admodum, ne hac ipſa occaſione aliquis pereat in eadem Eccleſia Dei, cuſtoditum ſemper fuit, vt † nulla* 2
ſit reſeruatio in articulo mortis, atque ideo omnes Sacerdotes quoſlibet pœnitentes à quibuſuis peccatis & cenſuris abſoluere poſſint: † extra quem articu- 3
lum Sacerdotes cum nihil poſſint in caſibus reſeruatis, id vnum pœnitentibus perſuadere nitantur, vt ad Superiores & legitimos iudices pro beneficio abſolutionis accedãt. Quibus in verbis Concilium abſolutam, generalem, ac ſine vlla limitatione ac diſtinctione facultatem, tribuit cuilibet Sacerdoti etiam ſimplici, abſoluendi à caſibus reſeruatis pœnitentem in articulo mortis, ſiue abſit,

abſit, ſiue adſit parochus pœnitentis: vbi autem lex nec reſtringit nec diſtinguit, nec nos reſtringere aut diſtinguere debemus: Igitur in vno & altero caſu, ſimplex Sacerdos gaudet facultate abſoluendi pœnitentem in articulo mortis conſtitutum, à quibuſuis caſibus reſeruatis.

Secundò probatur à paritate rationis. Nam † facultas abſoluendi habet ſe adinſtar facultatis diſpenſandi, cum vtraque in quadam poteſtate conſiſtat: Atqui facultas diſpenſandi latè eſt interpretanda, cum ſit quoddam priuilegium; vt probat cum multis Thomas Sanchius *lib.* 8. *de matrimonio diſp.* 2. nimirum cum Gloſſa *Canone hi qui* 15. *quæſt.* 8. & *cap. dudum, de præbendis in ſexto*, Bartolo *leg.* 2. *num.* 2. *ff de verborum obligat.* Baldo *ibidem num.* 11. Federico *conſilio* 163. Calderino *conſilio* 1. Oldrado *conſilio* 152. Gutierrez *lib.* 2. *quæſtion. Canon. cap.* 15. *num.* 125. Couarruuias 4. *decret.* 2. *p. cap.* 8. §. 8. & ex Theologis cum Molina *tom.* 1. *de iuſtitia, tractat.* 2. *diſputat.* 177. Enriquez *lib.* 7. *de indulgentiis cap.* 3. Sayro *in ſuo theſauro caſuum tom.* 1. *lib.* 6. *c.* 11. Ludouico Lopez 2. *p. inſtructorij cap.* 9. Roderico *in ſumma tom.* 1. *ſecundæ edition. c.* 166. & Emanuele Sa. V. *diſpenſatio n.* 1. & aliis quamplurimis, quos breuitatis ſtudio omitto recenſere. Quorum ratio efficax eſt, quoniam † facultas ſiue 5
poteſtas diſpenſandi, nulli infert præiudicium niſi ſoli concedenti, qui ſuam poteſtatem in totum, vel ſecundum partem communicat alteri, videlicet miniſtro inferiori, quem vult facere ſuæ ſupremæ poteſtatis participem: nec ex parte eius cui conceditur reperitur aliquod odium: ac per conſequens tanquam Principis beneficium, eſt latè interpretanda. Quæ ratio cum pariter currat in poteſtate abſoluendi, probat hanc quoque eſſe latè interpretandam, ac proinde ea gaudere ſimplicem Sacerdotem, ſiue adſit ſiue abſit proprius Sacerdos pœnitentis, in articulo mortis conſtituti.

6 Tertiò probatur, nam † beneficium Principis ſiue priuilegium eſſe latè interpretandum, maximè quando non eſt contra ius, aut legem communem; niſi tantum præter ius, & in fauorem Principis concedentis præiudicium, conſtat *ex cap. olim de verborum ſignificat. & leg. beneficium ff. de conſtitut. Principis*, & probant Gloſſa dictæ legis *beneficium* & *in cap. ordinarij, de officio ordin. in ſexto.* Innocentius *cap. quod dilectio, finali de conſangu.* & ibi Abbas *num.* 7. Alexander de Neuo *num.* 5. Bartholus *in dicta leg. beneficium num.* 3. Iaſon ibi *num.* 24. *&* *num.* 32. Angelus V. *priuilegium num.* 3. & ibi Syluester, *quæſt.* 3. Armilla *num.* 4. Tabiena *quæſt.* 3. *num.* 4. & alij quos refert & ſequitur, Thomas Sanchez *lib.* 8. *de matrimonio diſp.* 1. *num.* 4. Sed huiuſmodi priuilegium, quod in articulo mortis poſſit pœnitens abſolui per quemcumque ſimplicem Sacerdotem, à quibuſcumque criminibus etiam lethalibus, & cenſuris etiam reſeruatis, eſt beneficium Principis Eccleſiæ, id eſt à Summis Pontificibus conceſſum, immò à Chriſto Domino authore Sacramentorum datum, & per Apoſtolos traditum, ac per Summos Pontifices fidelibus Eccleſiæ declaratum, nullius legis aut iuris communis læſiuum, neque in ſupremi Principis ſcilicet Chriſti, aut etiam eius Vicarij præiudicium qui hoc beneficio voluit ſuos fideles afficere, pro conueniente Eccleſiæ regimine, ne oppreſſis aliquando deficeret ſalutis remedium neceſſarium, ſolúmque vergit in aliquale Superioris Prælati reſeruantis præiudicium, quod ex maiori commodo ſubditi in negotio ſalutis ſpiritualis inde ſequuto abundè compenſatur. Igitur latiſſimè eſt interpretandum; ac proinde in quouis euentu ſiue præſentiæ ſiue abſentiæ parochi, poterit conſtitutus in articulo mortis abſolui à quibuſcumque caſibus & cenſuris etiam reſeruatis per ſimplicem Sacerdotem: hæc enim & non alia poteſt eſſe huius beneficij ac priuilegij lata interpretatio.

Nec obſtant rationes in contrarium adductæ à Nauarro. Non quidem Prima; quia licet præſente parocho aut proprio Sacerdote, ceſſet neceſſitas ex parte ſimplicis Sacerdotis, cuius non eſt abſolutio neceſſaria in præſentia alterius; non ceſſat verò ex parte ipſius pœnitentis, qui ſemper conſideratur in articulo mortis, quæ præcipuè eſt attendenda, vtpote ob quam dictum beneficium fuit conceſſum: eo vel maximè quia poſſet pœnitens in illo articulo habere maiorem conſolationem in confitendo ſua peccata ſimplici Sacerdoti, quàm parocho, vel alteri Sacerdoti approbato ab Ordinario, qua non eſt priuandus in tanta neceſſitate conſtitutus. Nec obſtat ſecunda ratio; quoniam exiſtimo verius eſſe, quod interdictus ab Epiſcopo loci, eo præſente & non requiſito poſſit abſolui rite & rectè à ſimplici Sacerdote in articulo mortis, vtpote in quo ex priuilegio Eccleſiæ conceſſo, ceſſat omnis reſeruatio in foro interno; verum tamen eſt, quod cum interdictum reſpiciat forum externum iudiciale, poſſet Epiſcopus ſiue Ordinarius loci interdictum illud reproducere, quoad effectum externum, & quoad pœnas temporarias, & priuationes Eccleſiaſticæ ſepulturæ; quia quantum ad forum contentioſum & externum, nihil illi profuit abſolutio in foro interno & Sacramentali impenſa, tenetur tamen Prælatus mitiùs ſe habere cum defuncto ſic abſoluto, certior factus de eius Sacramentali in articulo mortis abſolutione: nam † congruum 7
valde eſt vt abſolutus coram Deo, non luat pœnas iuris coram humano iudice.

Hinc colligo ſecundò, † ſic abſolutum in ar- 8
ticulo mortis à caſibus & cenſuris reſeruatis, non teneri tranſacto eo articulo ſuperuiuentem, recurrere ad Superiorem reſeruantem pro ratificanda ſiue obtinenda abſolutione ab illis, propter tria. Tum quia in eo articulo nulla eſt caſuum reſeruatio ex dicto Eccleſiæ priuilegio: nemo autem tenetur ad Superiorem reſeruantem recurrere, ſi ſemel ſupponatur abſolutus ab inferiori miniſtro, niſi pro verè reſeruatis. Tum etiam quoniam in eo articulo nedum indirectè, ſed directè ſupponitur abſolutus à reſeruatis; nemo autem ſemel abſolutus ab inferiori tenetur recurrere ad Superiorem, niſi quando directè abſoluitur à non reſeruatis, & à reſeruatis indirectè. Tum denique à ſimili; nam conſtitutus in extrema neceſſitate arripiens clam à diuite cibum ad ſui ſuſtentationem, eâ tranſactâ & veniens ad pinguiorem fortunam, non tenetur talem cibum diuiti reſtituere, quia quando illum arripuit

non erat cibus alienus, cum omnia in illo ſtatu eſſent communia, & nemo reſtituere tenetur ratione rei acceptæ niſi alienum.

Colligo ſecundò, doctrinam Emanuelis Sa *vbi ſupra*, & aliorum neothericorum aſſerentium eodem priuilegio gaudere † conſtitutum in periculo probabili mortis, quo gaudet conſtitutus in mortis articulo, non eſſe veram, niſi cum quibuſdam limitationibus. Quod ſic oſtendo. Hoc intereſt inter vnum & alterum ſtatum, quod articulus mortis contingit, quando vel infirmus ratione infirmitatis, iudicio medici deſperata ſanitate morti appropinquat, vel reus per ſententiam iudicis, ſecluſa omni appellatione, eſt damnatus ad mortem infra breue tempus ſubeundam; vterque eſt articulus mortis, ille quidem ab intrinſeca, iſte verò ab extrinſeca cauſa proueniens. Probabile autem periculum mortis contingit, quando quis adgreditur negotium, aut inchoat opus, in quo quandoque vita periclitatur: vt ſi quis prælium cum hoſtibus dimicaturus ingrediatur, vel ſi nauigationem periculoſam ſiue longam ſubeat, vel ad triremes damnatus rapiatur, vel mulier prægnans partui appropinquet. Igitur in iis caſibus, aut cum ſimplici Sacerdote, adeſt parochus vel approbatus ab Ordinario virtute Bullæ Cruciatæ eligendus, vel datur tractus temporis, quo pœnitens poſſit parochum ſiue approbatum Confeſſarium adire, vel ad ſe vocare: & tunc neutiquam poteſt per ſimplicem Sacerdotem à lethalibus peccatis ſeu reſeruatis validè abſolui: aut ſolus adeſt ſimplex Sacerdos, neque eſt tractus temporis quo pœnitens valeat proprium, aut approbatum Confeſſarium adire, vel ad ſe vocare: & tunc validè poteſt per ſimplicem Sacerdotem abſolui. Sed manet cum obligatione recurrendi, tranſacto tali periculo, ad Superiorem pro abſolutione à reſeruatis. Ratio primi eſt, quoniam tunc ceſſat extrema neceſſitas, & non ceſſat criminum ſiue Cenſurarum reſeruatio, ac proinde eſt caſus extraneus ab illo, pro quo tale priuilegium Eccleſiæ eſt conceſſum, ad quem proinde non debet extendi. Ratio verò ſecundi eſt, quia tunc iam probabile periculum mortis tranſit, & reducitur ad anguſtias quodammodo articuli mortis, ac per conſequens gaudere debet aliqua ex parte eodem priuilegio. Ratio denique tertij eſt, quia tunc nec ceſſat caſuum reſeruatio vt dictum eſt, nec directè abſoluitur à reſeruatis, niſi ſolum indirectè. Rurſus quia alioquin redderetur otioſa & friuola Superioris reſeruatio, ſi in tam frequentibus euentibus ceſſaret, poſſet enim vnuſquiſque facillimè ſibi fingere periculum probabile mortis, v. g. ſi febri continua, licet leui, aut dolore ſtomachi, vel pleuritidis laboraret, aut iter aſſumeret latrunculis, ſiue graſſatoribus frequentatum, quod eſt inconueniens.

9

Colligo tertiò, illam clauſulam Bullæ Cruciatæ qua dicitur, vt virtute huius Bullæ poſſis abſolui à quibuſuis caſibus & Cenſuris reſeruatis &c. per quemcunque Sacerdotem approbatum ab Ordinario, ſemel in vita & ſemel in morte, nihil nobis ſpeciale concedere in hac parte poſtrema. Nam in eo quod ait, vt poſſis virtute huius Bullæ à quibuſuis caſibus & Cenſuris reſeruatis abſolui ſemel in morte, totum hoc concedit cunctis Chriſti fidelibus in articulo mortis independenter à Bulla cruciata, priuilegium antiquius à Chriſto Domino authore Sacramentorum deriuatum, ab Apoſtolis trad tum, & à Summis Pontificibus declaratum. Id autem quod ſubditur, eam abſolutionem nos poſſe accipere à quocumque Sacerdote approbato per Ordinarium, multò minus eſt, quàm quod nobis dictum priuilegium antiquius concedit; ſiquidem nobis concedit poſſe nos talem abſolutionem accipere à quouis Sacerdote etiam ſimplici. Nec ideo priuilegium Bullæ eſt vacuum aut inane, ſat enim eſt vt in priori parte aliquod ſpeciale beneficium fidelibus concedat, quamuis in alia parte, ſcilicet poſtrema duntaxat, explicet, aut quod ius commune diſponit, aut quod antiquius & vniuerſalius priuilegium abundantius concedit.

QVÆSTIO XIX.

Vtrum poſſit Summus Pontifex in ſolemni voto continentiæ Ordinis Sacri, aut Religionis diſpenſare?

SVMMARIVM QVÆSTIONIS XIX.

1 *Quædam huic quæſtioni neceſſariò prætermittenda exponuntur.*
2 *Epiſcopi Presbyteri & Diaconi quales debeant eſſe?*
3 *Continentia Clericorum ab Eccleſia in ſuis miniſtris admiſſa, ad quid eos obligat.*
4 *Clerici etiam ex voto adiuncto & implicitè emiſſo tenentur ad Cœlibatum.*
5 *Prohibitio Clericis interdicens matrimonium, ſola lege Eccleſiaſtica vel conſuetudine eſt inducta.*
6 *Votum ſolemne continentiæ dupliciter fieri poteſt; expreſsè ſcilicet & tacitè.*
7 *Eccleſia neminem cogit ad vouendum.*
8 *Duo vota ſolemnizantur in Eccleſia.*
9 *Vota emiſſa à Religioſis Societatis* IESV *peracto biennio nouitiatus, etſi faciant eos verè Religioſos, non tamen faciunt eos profeſſos.*
10 *Votum ſolemnizatur per profeſſionem.*
11 *Societas non vocat profeſſos niſi eos qui vltima vota emittunt ſolemnia, obedientiæ ſcilicet, caſtitatis & paupertatis.*
12 *Euangelica paupertas conſiſtit in abdicatione dominij ac proprietatis.*
13 *Abdicatio perfecta dominij ac proprietatis, eſt de eſſentia ſtatus Religioſi perfecti & conſummati per profeſſionem.*
14 *Religioſi imperfectioris Religionis poſſunt de iure communi ad aliam perfectiorem tranſire.*
15 *Tres opiniones Caietani de voti ſolemnitate.*
16 *Votum ſimplex non minus obligat apud Deum quàm ſolemne.*

17 *Eſſen*

17 *Essentia matrimonij qua in re consistit.*
18 *In Ecclesia Orientali siue Græca & olim in primitiua Ecclesia, non est nec fuit annexum votum continentiæ ordinibus sacris.*
19 *Tempore Apostolorum coniugatis licitum erat ad Sacerdotium ascendere.*
20 *Duo vota duntaxat, professionis scilicet & ordinis sacri, habent impedire matrimonium contrahendum, ac dirimere contractum.*
21 *Solemnitas voti in quo essentialiter & formaliter consistit.*
22 *Votum professorum est essentialiter solemne, suppositâ Ecclesiæ approbatione.*
23 *Essentiæ rerum in indiuisibili consistunt non in conflato ex duabus rationibus.*
24 *Votum solemne professionis, specie essentiali differt à voto solemni ordini sacro annexo.*
25 *Peccata Sacerdotis, Episcopi aut Religiosi non variant speciem, nisi voto aduersentur; vel eorum fornicatio est adeò publica vt scandalum pariat*, ibid.
26 *Pluribus votis simplicibus aut solemnibus de eadem materia adstrictus, non tenetur eam votorum multiplicationem in confessione declarare, nisi iuramento & voto de eadem materia sit adstrictus.*
27 *Iuramentum & votum, etsi de eadem re, sunt vincula diuersæ rationis. Vtrumque quomodo obligat*, ibid.
28 *Votum Ordini Sacro annexum potest à Papa dispensari.*
29 *Sacerdotium & matrimonium non sunt de se incompatibilia.*
30 *Causa legitima dispensationis huiusmodi voti est duplex.*
31 *Dispensatio voti solemnis continentiæ Clericis sine honesta causa à Pontifice concessa, est valida.*
32 *Papa est conditor iuris positiui humani & Ecclesiastici.*
33 *Sacro ordine initiatus sine legitima causa ad contrahendum matrimonium dispensatus, licet validum sit eius matrimonium, tamen peccat lethaliter &c.*
34 *Votum castitatis emissum in Sacri Ordinis susceptione, est vinculum iuris Diuini ac naturalis, adeóque nequit à Papa sine iusta causa dispensari.*
35 *Papa dispensante cum aliquo, antequam ordine Sacro initietur, ne deinceps teneatur ad castitatem seruandam, hâc dispositione positâ initiatus ordine Sacro neque nubendo, neque petendo debitum, peccat.*
36 *Doctorum opiniones duæ, de dispensatione voti solemnis professionis in religione approbata.*
37 *Custodia castitatis est de intrinseca ratione monachismi & status religiosi.*
38 *Matrimonium consummatum est iure naturali ac Diuino indissolubile.*
39 *Polygamia lege Diuina ab ortu legis gratiæ abolita est.*
40 *Summus Pontifex potest in voto solemni professi dispensare, in casu speciali & vrgentis causæ boni communis, &c.*
41 *Summo Pontifici regimen totius Ecclesiæ incumbit, & ei Spiritus S. magis assistit.*
42 *Votum solemne religionis regularis tria includit, scilicet promissionem Deo factam, castitatem perpetuam & solemnitatem.*
43 *Ex quatuor quæ includit votum solemne continentiæ religiosi, nullum est indispensabile.*
44 *Papa dispensat in voto vt Dei Vicarius ac delegatus.*
45 *Votum solemne paupertatis non est minus solemne, nec minus de essentia professionis, quàm votum castitatis.*
46 *Diuisio fructuum ac decimarum Ecclesiæ, in quatuor partes, quando & à quo facta.*
47 *Finis dictæ quadripartitæ diuisionis fuit, tribuere vnicuiq; parti dominiũ suæ portionis.*
48 *Religiosi facti Episcopi habent dominium portionis sibi assignatæ non secus atque Clerici.*
49 *Facultas testandi à Papa iis concessa, eodem tenore quo aliis Episcopis ex Clericatu assumptis.*
50 *Episcopi non tenentur subuenire Ecclesiæ aut pauperibus titulo iustitiæ aut debito legali, nisi solo titulo charitatis & misericordiæ.*
51 *Episcopi ex monachatu assumpti, absoluti manent à voto paupertatis.*
52 *Episcopus de monachatu assumptus quomodo debet alteri Prælato obedire.*
53 *Votum paupertatis ex sententia D. Thomæ non tollitur in Episcopo ex religione assumpto, sed commutatur.*
54 *Papa non potest variare essentias rerum, nec potest absoluere religiosum professum à voto solemni castitatis, quamdiu manet in eo statu, & in sensu composito.*
55 *Res consecratæ ac benedictæ, à Caietano in duas classes distinguuntur.*
56 *Papa dispensante vt Dei Vicario, censetur Deus dispensare.*
57 *Papa potest dispensare ob legitimam causam in aliquo iure Diuino & naturali.*
58 *Quæ tamen dispensatio non à potestate Papæ ordinaria, sed à quadam potestate delegata, quam ei Christus reliquit, procedit.*
59 *Papa qualem potestatem dispensandi à Christo accepit.*
60 *Natura votorum qualis.*
61 *Ratio cur Papa potest dispensare in votis solemnibus professionis.*
62 *Papa quando in votis simplicibus, aut etiam in votis solemnibus Professionis dispensat, verè in iure naturali ac Diuino dispensat.*
63 *Triplex causa dispensandi in votis à D. Thoma assignatur.*
64 *Potestas residens in Ecclesia ad dispensandum in votis, qualis.*
65 *Summus Pontifex potest relaxare iuramenta.*
66 *In præceptis iuris naturalis solus Deus eiusdem iuris author valet dispensare, vel cui specialiter ipse commisit.*
67 *Dispensatiua legis Diuinæ facultas non est annexa ordini gratiæ secundum se, & in omnì statu. Ratio cur*, ibid.
68 *Christus concessit Petro & successoribus eius specialem potestatem absoluendi à peccatis & à censuris.*
69 *Voti obligatio pendet ex præcepto iuris Diuini, & humani.*
70 *Cessatio, interpretatio, commutatio & dispensatio voti quando contingit. Harum effectus*, ibid.
71 *Lex voti non potest dispensari, quin relaxetur ius Diuinum & naturale.*
72 *Dogma fidei est in Ecclesia dari dispensationis potestã*

poteſtatem in votis ſimplicibus Chriſtianorum.

73 *Quæ diſpenſatio non ſolùm eſt iuris interpretatio, ſed etiam vera iuris relaxatio.*

74 *In Eccleſia eſt poteſtas dirimendi matrimonium ratum.*

75 *Profeſſio ſolemnis dirimit matrimonium ratum.*

76 *Diſpenſatio tam in votis, quàm in matrimonio rato ſine legitima cauſa conceſſa, nedum illicita ſed inualida eſt.*

77 *Voto ſimplici caſtitatis adſtrictus, & ſine legitima cauſa diſpenſatus, ſi matrimonium contraxerit, non poteſt debitum petere.*

78 *Religioſus diſpenſatus ſine legitima cauſa in votis ſolemnibus ſi vxorem ducit, matrimonium eſt inualidum.*

79 *Religioſus legitimè diſpenſatus in votis ſolemnibus, à tempore diſpenſationis & mutationis habitus, liber eſt ab obligatione recitandi horas Canonicas.*

80 *Omnis diſpenſatio habet hanc conditionem, vt tamdiu duret, quamdiu durauerit eius cauſa.*

1 IN hac † quæſtione aliqua ſunt neceſſariò præmittenda, in quibus aut nulla, aut minor eſt Doctorum diſcordia. Primũ eſt quod videtur in titulo ſupponi, nimiru in ſuſceptio ne ordinis ſacri inuolui, ſiue annecti votum ſolemne continentiæ, & quidẽ eſſe annexam continentiã ordini ſacro, aut iure Diuino, vt quidam cum Maiore *in* 4. *diſp.* 24. *q.* 2. relati à Sanchez *tom.* 2. *de matrimonio*, *lib.* 7. *diſp.* 27. autumarunt: aut ſaltem, quod verius eſt, ex ſtatuto antiquiſſimo Eccleſiæ, manifeſtum fit ex ipſius Eccleſiæ diffinitionibus ac decretis *in cap. Rurſus, qui clerici vel monach. c.* 2. *de Clerico coniugato, cap. ſi quis eorum*, quod eſt ex 6. *ſynodo, cap.* 6. & *cap. erubeſcant d.* 32. *Clementina vnica de conſanguin. ex epiſtola Siricij Papæ ad Hymericum Tarraconenſem Epiſcopum*; in qua præcipiens Clericis cælibatum, eam legem confirmat, & *cap.* 1. & *cap. diaconi*, & *cap. de iis, diſtinct.* 28. & *diſtinct.* 27. *cap.* 1. ibi: *Si dixerit non poſſe in caſtitate permanere, non ordinetur.* Quod eſt Martini Pontificis, & *cap.* 1. & *cap. placuit d.* 31. & Concilio Carthaginenſi. 2. *c.* 2. & refertur *cap. cum in præterito, diſtinct.* 84. ibi. *Gradus iſti tres conſcriptione quadam caſtitatis*
2 *per conſecrationem annexi ſunt*: † *Epiſcopos, inquam, Presbyteros & Diaconos, ita placuit, vt condecet Sacroſanctos Antiſtites & Dei Sacerdotes, necnon & Leuitas, vel qui Sacramentis Diuinis inſeruiunt, continentes eſſe in omnibus.* Et nouiſſimè in Tridentina Synodo *ſeſſ.* 24. *canone* 9. anathema dicitur eis, qui cum Lutheranis affirmare auſerint, Clericos in Sacris inſtitutos aut regulares caſtitatem profeſſos, poſſe matrimonium conttahere, aut ab
3 eiſdem contractum eſſe validum. † Continentia autem iſta Clericorum ſiue cælibatus ab Eccleſia in ſuis miniſtris admiſſa, ob eorum omnimodam munditiem, eos obligat ad abſtinendum nedum à nuptiis, ſed etiam ab omni actu venereo, non minus quàm ſi ex voto eſſet promiſſa, cùm iura præallegata de abſoluta & omnimoda caſtitate loquantur. Vnde Sacris initiatus, in quolibet actu venereo ſacrilegium committit; & ſi quis coniugatus inuita vxore Sacro Ordine initietur, non poteſt petere debitum, quia per Ordinis Sacri ſuſceptionem priuatur iure petendi, quo tamen non priuaretur, ſi ſolo voto abſtinendi à nuptiis eſſet adſtrictus; ſed neque fornicando extra matrimonium, peccaret contra votum, vt cum multis tenet Sanchez *diſput. citata, numer.* 19. & *diſput.* 38. *numer.* 21. *eiuſdem libri* 7.

Secundum eſt, † Clericos non ſolùm ad 4
huiuſmodi cælibatum ex antiquo Eccleſiæ ſtatuto, ſed etiam ex voto adiuncto, & implicitè emiſſo, in Sacri Ordinis ſuſceptione teneri, cuius annexio fuit quoque ex Eccleſiaſtico ſtatuto; defendit communis opinio D. Thomæ *in* 4. *diſtinct.* 37. *quæſtion.* 1. *art.* 1. Richardi *ibidem*, Capreoli *diſtinct.* 33. *art.* 1. Caietani *in opuſculis tom.* 1. *tract.* 27. Abulenſis *ſuper Matthæi cap.* 5. *quæſt.* 200. Soti *lib.* 7. *de iuſtitia quæſt.* 4. *art.* 2. & *quæſt.* 5. *art.* 3. *ad* 2. & *in* 4. *diſtinct.* 38. *quæſt.* 1. *art.* 1. Medinæ Complutenſis *lib.* 5. *de Sacrorum hominum continentia, cap.* 2. Azorij *lib.* 13. *inſtitutionum moralium, cap.* 12. *quæſtion.* 6. & *cap.* 14. *quæſt.* 10. vtriuſque Ledeſmæ Banneſij 2. 2. *quæſt.* 12. *art.* 1. Abbatis, Hoſtienſis, Gloſſæ *in cap. coniugatus de conuerſatione coniugatorum*; & in extrauaganti *Antiquæ Ioannis* 22. *de voto* & *in cap. vnic. de voto in* 6. Sylueſtri Ioannis Gutierrez *lib.* 3. *de ſponſalibus, cap.* 3. & aliorum, quos plena manu congeſſit & ſequitur Thomas Sanchez *lib.* 7. *de matrimonio diſputat.* 23. *quæſt.* 2. aduerſus minus communem opinionem Scoti *in* 4. *diſtinct. citata* 37. *quæſtion. vnica*, Cardinalis *in Clementina ad noſtram, de hæreticis*, Innocentij *cap. placet de conuerſat. coniugatorum* Valentiæ 4. *p. tractatu de Sacramento Ordinis diſput.* 9. *quæſt.* 5. *punct.* 5. & *in controuerſiis lib. vnico de cælibatu cap.* 2. & Nauarri *lib.* 4. *conſiliorum titulo de ſponſalibus, conſilio* 10. vbi probat, poſſe Papam diſpenſare cum Sacerdote vt vxorem ducat; ex eo quod hæc † prohibitio Clericis inter- 5
dicens matrimonium, ſola lege Eccleſiaſtica, vel conſuetudine eſt inducta: & quod, licet talis diſpenſatio daretur à Papa ſine iuſta cauſa, eſſet valida: & neutrum diceret, ſi intelligeret Ordini Sacerdotali annecti votum caſtitatis, quia tunc prohibitio ducendi vxorem eſſet ex iure Diuino ratione voti, & eius diſpenſatio ſine iuſta cauſa eſſet inualida. Sed *in ſumma cap.* 22. *num.* 18. & 52. probat ordinibus ſacris eſſe annexum votum ſolemne caſtitatis ex ſtatuto Eccleſiæ *ex cap. decernimus d.* 23. *cap. placuit*, & *cap.* 1. *diſtinct.* 31. ibi: *Niſi quis ſe victurum caſtè promiſerit*, & *cap.* 11. *de voto in* 6. & *cap.* 1. *de Clerico coniug.* & *c.* 1. & *cap. ſi quis eorum*, & *cap. erubeſcant, d.* 43. & *cap.* 1. *diſtinct.* 28. & *cap. de iis, eadem d.* 28. quod eſt Toletani Concilij II. & *cap. cum olim, de Clerico coniugato*, ibi: *Nos igitur attendentes, quod Orientalis Eccleſia votum continentiæ non admiſit*: ergo ſupponit illud votum ab Eccleſia Occidentali fuiſſe admiſſum. In quo videtur ſententiã correxiſſe; neq; enim virum doctum pudere debet, ſententiam quandoque retractare ex Innocentio III. *in cap. qualiter & quando de accuſationibus*, id approbante, ibi: *Non pudeat vos errorem veſtrum corrigere, qui poſiti eſtis vt aliorum corrigatis errores, quia apud diſtrictum iudicem, in*

quo

qua mensura mensi fueritis, remetietur & vobis.

Tertium est, huiusmodi votum continentiæ annexum ordini Sacro, non tam verbis exprimi à suscipientibus ordinem sacrum, quàm facto ipso; hoc est ipsius ordinis sacri susceptione, & tacitè votum illud castitatis emittunt, ad quod sic emittendum Ecclesia suo præcepto & statuto eos cogit : imo subdit Nauarrus *in dicto cap. 22. num. 18.* ideo hos ordines esse ac dici sacros, quia tale votum habent annexum, per quod veluti consecrantur, ac à minoribus ordinibus discriminantur, quod mihi non placet : nam etiamsi tale votum esset eis annexum ex statuto Ecclesiæ, quod in Ecclesia Latina potuit non esse, sicut de facto non est in Græca ; adhuc essent ordines sacri, & à minoribus ordinibus discriminarentur : nimirum per hoc quòd minores ordines ad quædam alia officia extrinseca sacrificio Altaris ordinantur, vt Ostiarius ad ostia Ecclesiæ claudenda & aperienda, Exorcista ad pellendos dæmones, Lector ad legendas Prophetias legi solitas ante Missæ introitum, & Acolytus ad ceroferarium portandum, & lucernas accendendas: Subdiaconatus verò, diaconatus & Presbyteratus ad ipsum Missæ Sacrificium celebrandum, & ad ea quæ ipsum comitantur, immediatè ordinantur. Igitur sicut in religione approbata aliquibus signis & factis absque vlla verborum prolatione, inducitur tacita professio solemnis, v. g. quæ fit expleto anno probationis continuo, & habita ætate legitima non reclamante nouitio, aut monasterio, per gestationem habitus, qui externo signo non distinguitur ab habitu professorum, licet interno distinguatur, scilicet benedictione, vt contingit in Dominicanorum ordine, & aliis secundum Clementinam, *cap. de Regularibus* ac Sanctum Thomam *in 4. distinct. 3. & art. 3. quæstiuncula 1. ad 3.* vbi eam vocat votum interpretatiuum. Contingit quoque tacita professio, quando quis professionem inualidam expressis verbis factam, postea adueniente legitimo tempore tacitè ratificat, & vtrouis modo contingat, pariter nouicium obligat atque ex-
6 pressa : † Ita votum solemne continentiæ dupliciter fieri potest ; & expressè, vt quando religiosus solemnem emittit professionem ; & tacitè, hoc est facto & opere ipso, vt quando quis sacrum suscipit ordinem. Nec
7 obstat quod † Ecclesia neminem cogit ad vouendum, imo nec cogere potest *ex cap. integritas 32. q. 1.* Nam Ecclesia solùm statuit, vt qui ordines sacros assumpserit, fiat inhabilis ad matrimonium, & votum castitatis emittat. Vnde eo ipso quod quis voluntariè ordinem sacrum suscipit, voluntariè quoque vult ordini sacro annexa, ac proinde castitatis votum, quod est illi ex statuto Ecclesiæ annexum : alioquin si velit ordinem sacrum recipere, & neutiquam castitatem vouere, peccabit mortaliter frangens Ecclesiæ præceptum in materia graui, insupérque manebit inhabilis ad Matrimonium, non quidem ex vi voti quod nullum fuit, quia cum sit priuata lex quam vouens sibi propria voluntate imponit, hac deficiente, & illa deficit, scilicet ex vi statuti ac præcepti Ecclesiastici. Vnde neque iste sic Sacris initiatus, sine castitatis voto fornicando sacrilegus erit, quippe cuius fornicatio nulli voto contrariatur. In quo votum ab aliis officiis differt; nam ad alia officia potest quis inuitus, ab Ecclesia cogi, v. g. vt habitum honestum gestet, vt comam non nutriat Clericus, vt à venatione desistat, &c. ad vouendum autem inuitus cogi nequit, quia illa non ex propria dependent voluntate, sicut istud.

Quartum quod supponitur in titulo quæstionis, est huiusmodi votum continentiæ annexum ordinum Sacrorum susceptioni, esse solemne: eò quòd teste D. Thoma 22. q. 88. *art.* 7. †duo 8
tantum vota solemnizantur in Ecclesia, videlicet quod fit in sacri ordinis susceptione, & in professione alicuius certæ regulæ, siue religionis per Sedem Apostolicam approbatæ. Quod probat dupliciter. Tum quod hæc dumtaxat vota habeant vim impediendi Matrimonium contrahendum, & dirimendi iam contractum, quod est effectus voti solemnis. Tum quod solemnitas voti non adhibetur, nisi quando vovens mancipatur Dei obsequio, siue alicui Diuino ministerio, per exhibitionem sui ipsius ad nouum statum specialem ; quod in hiis duobus votis solum contingit. Quam doctrinam vt authenticam postea approbauit ac diffiniuit Bonifacius VIII. *in cap. vnico de voto* sub his verbis. *Nos igitur attendentes, quod voti solemnitas ex sola institutione Ecclesiæ est inuenta &c. Præsentis declarandum duximus oraculo sanctionis, illud solum votum debere dici solemne, quantum ad post contractum Matrimonium dirimendum, quod solemnizatum fuerit per susceptionem sacri ordinis, aut per professionem expressam, vel tacitam factam alicui de religionibus per Sedem Apostolicam approbatis.* Quam determinationem renouauit & confirmauit Ioannes XXII. *in sua extrauaganti, Antiquæ de voto*; æquiparans votum continenriæ ordini sacro annexum, voto professionis in conditione solemnitatis, & effectu dirimendi subsequens Matrimonium.

Hinc colligo primò † vota emissa à religio- 9
sis Societatis Iesu peracto biennio nouiciatus, nec non coadiutoris temporalis ac spiritualis, quæ post biennium acto tempore emittunt, etsi faciant eos verè religiosos, non tamen eos facere professos. Cuius ratio est manifesta. Nam Bonifacius *in dicto cap.* inquit (idemque est modus loquendi Ioannis XXII.) †votum solemnizari per professionem : Atqui 10
vota religiosorum Societatis emissa peracto biennio nouitiatus, & alia duo coadiutorum tẽporalis & spiritualis sunt simplicia, vt determinat Gregorius XIII. in suis duabus constitutionibus; in quibus statuit illos per huiusmodi vota esse verè ac propriè religiosos, in obedientia perpetua & irreuocabili ex parte vouentis manentes, reuocabili verò ex parte ipsius religionis, quæ eos potest eiicere. Quodsi volũtariè egrediantur ad seculum, declarat eos apostasiæ crimini & pœnis obnoxios, & inhabiles ad matrimonium contrahendum, atque ad professionem emittendam in aliis religionibus etiam mendicantibus, eorúmque vota nihilominus esse simplicia. Confirmatur ex vsu ipsius Societatis, † quæ non vocat professos nisi eos, qui 11
vltima vota emittunt solemnia, obedientiæ, castitatis, & paupertatis, domósque vbi isti specialiter habitant, vocat domos professas, vel professorum. Signum igitur euidens est, quod re-

liquos votis ſimplicibus adſtrictos, quamdiu ad hæc vltima vota non peruenerunt, non exiſtimat profeſſos, de quo videndus Rodericus *tom.3.regularium q.1. art.6.* Dices, Ieſuitæ peracto biennio non ſunt profeſſi: ergo ſeculares; quia non eſt dare medium inter ſecularem & profeſſum, nec per illam emiſſionem trium votorum poterunt reddi inhabiles ad matrimonium, quod licitum eſt cuilibet laico per Euangelicam legẽ, vt notat Syluest. V. *obedientia* §.5. & Panormitanus *cap. olim de Clerico coniugato.* Rurſus poſſunt habere proprium, ſiquidem per illa vota ſimplicia non abdicant à ſe dominium & proprietatem ſuorum bonorum, ac proinde non ſunt pauperes, nec religioſi; cum abdicatio proprietatis, ſicut & cuſtodia caſtitatis, ſit adeò annexa regulæ monachali, vt nec contra eam poſſit Summus Pontifex indulgere, vt determinat Innocentius III. *in cap. cum ad monaſterium, de ſtatu monachorum.* Nec ſatis eſt dicere alumnos Societatis per ea prima vota emiſſa, peracto probationis biennio, abdicare à ſe vſum bonorum propriorum, quia eis vti non valent abſque ſui Prælati licentia, licet eorum habeant proprietatem, quod ſufficit ad hoc, vt verè religioſi ſint. Sed contra hoc eſt, quod religioſus non conſtituitur per ſolam abdicationem vſus, vtpote per quam non eſt pauper; nam teſte Paulo *ad Galatas* 4. pupillus quandiu eſt ſub tutore, non habet vſum propriorum bonorum, cum tamen non ſit pauper ſed dominus omnium bonorum ſuorum: religio-
12 ſus autem conſtituitur per † Euangelicam paupertatem, quæ in abdicatione dominij ac proprietatis conſiſtit, ſecundum Innocentium III. *in dicto cap. cum ad monaſterium.* Reſpondeo Ieſuitas cum huiuſmodi tribus votis ſimplicibus emiſſis eſſe non ſeculares ſimpliciter, niſi in actu primo, & potentia veluti remota, quia dimitti poſſunt à religione, & ad ſeculum redire: ſed eſſe verè religioſos, etſi reuocabiliter adſtrictos & obligatos, obedientiæ, paupertati, & continentiæ perpetuæ, quos proinde iuſtè potuit Summus Pontifex inhabilitare ad matrimonium, ſi ad ſeculum ex proprio motu redirent. Et licet habeant proprium, illud quidem habent per dominium impeditum quoad vſum; quod ſufficit ad ſaluãdam veram rationem religionis in ſtatu imperfecto, & veluti in via & tendentia
13 ad perfectum. † Abdicatio autem perfecta ſcilicet dominij ac proprietatis, & non tantùm quoad vſum, eſt de eſſentia ſtatus religioſi perfecti & conſummati per profeſſionem. Nã ſicut licet puer & vir conueniant vniuocè in ratione ſpecificationis, tamen puer habet ſtatum imperfectũ reſpectu ſtatus viri, quia non extenditur illius potentia ad eos actus, ad quos extenditur potentia iſtius. Ita licet religio Ieſuitarum emittentium vota ſimplicia, vniuocè conueniat in ratione generica cum aliis religionibus profeſſorum, & ſit eadem ſpecie & numero cum religione eorumdem Ieſuitarum emittentium ſolemnem profeſſionem, tamen eſt protunc in ſtatu imperfecto, & veluti puerili, in via & tendentia ad ſui conſumationem per vota ſolemnizata, quæ proinde protunc votis ſimplicibus & abdicatione imperfecta dominij, duntaxat quoad vſum contenta eſt.

Hinc colligo ſecundò aduerſus Thomam Sanchez Societatis digniſſimum alumnum *lib.7 de matrimonio diſp.25. n. vltimo* hanc noſtram doctrinam minimè pugnare cum verbis & ſenſu Bullæ, quam Gregorius XIII. edidit anno 1584. & incipit; *Aſcendente Domino.* Quæ eſt declaratiua & ſimul confirmatiua alterius prioris in fauorem eiuſdem Societatis editæ, in qua continentur tres clauſulæ, cum quibus ſpecialiter videtur noſtra doctrina pugnare. In Prima determinat Pontifex alumnos Societatis, qui poſt biennium tria vota ſimplicia emittunt, cum retentione dominij, eſſe propriè & verè religioſos non ſecus atque ipſos profeſſos (ideſt ſicut ipſos profeſſos, nam ly *non ſecus*, per æquipollentiam ſatis explicatur per ly *ſicut*, quia de æquipollentibus eadem eſt ratio)

In ſecunda determinat huiuſmodi Societatis alumnos per dicta vota ſimplicia eſſe religioſos, non ſecus atque profeſſos cuiuſcumque alterius religionis.

In tertia denique ait, condemnando errorem eorum, qui ſiniſtrè interpretantes priorem conſtitutionem aſſeruerunt, huiuſmodi alumnos Societatis per vota ſimplicia non eſſe verè religioſos, vſque ad profeſſionem emiſſam per vota ſolemnia, quod iſti id dixerunt, non attendentes ad Bonifacij VIII. decretum, *in cap. vnico de voto*, decernentis voti ſolemnitatem ex ſolo ſtatuto Eccleſiæ dependere, quod planè de ſolemnitate eſſentiali accipiendum eſt, de accidentali namque nullus eſſet error id fateri.

Verùm cum nulla ex dictis clauſulis pugnare noſtram doctrinam fit manifeſtum, ex eo quòd pro prima clauſula verificatur, quatenus ait alumnos Societatis per tria vota ſimplicia, cum retentione dominij eſſe veros religioſos, non ſecus, id eſt ſicut ipſos profeſſos, ly *ſicut* denotante conuenientiam ſpecificam, ſed non conuenientiam omnimodam quoad ſpeciem & ſtatum: cum quo ſtat bene illos in eo ſtatu votorum ſimplicium eſſe minus profeſſos, quàm in poſteriori profeſſionis, in quo interuenit abdicatio perfecta, nedum quoad vſum, ſed etiam quoad dominium & proprietatem. Quemadmodum licet puer ſit homo ſicut vir, quia conueniunt in vna ratione ſpecifica hominis, cum hoc ſtat, ſtatum pueri eſſe imperfectiorem ſtatu viri, aliqua enim pertinent ad iſtum quæ non pertinent ad illum, & ad aliqua ſe extendit potentia viri, v. g. ad generandum, ad diſcurrendum, & gubernandum, ad quæ non extenditur potentia pueri. Deinde ſecunda, quatenus ait hos alumnos per vota ſimplicia eſſe religioſos verè & proprie, non ſecus, id eſt ſicut profeſſos cuiuſlibet alterius religionis, verum habet; ly *ſicut* denotante conuenientiam eſſentialem genericam, ſed non ſpecificam, aut accidentalem quoad ſtatum. Nec enim Summus Põtifex vult in dicta Bulla omnes religiones ab Eccleſia approbatas eſſe eiuſdem athomæ ſpeciei & profeſſionis eſſentialis, cum certum ſit ſecundum iura alias eſſe aliis perfectiores, & † reli- 14
gioſos profeſſos vnius ſcilicet imperfectioris, poſſe de iure communi ad aliam perfectiorem tranſire. Imo neque vult intra eandem religionem Societatis eſſe omnimodam æqualitatem ſtatus, quin potius diſtinguit in illa tres, vel quatuor gradus ſiue ſtatus, per quos gradatim aſcendendo, eius alumni quaſi euntes de virtute in virtutem, de minus perfecta tranſeunt ad perfectiorem, ſcilicet de tribus ſimplicibus reuocabiliter

vocabiliter & sub conditione emissis ex parte religionis, transeunt ad vota coadiutorum etiam simplicia, & inde ad statum perfectissimum professionis perueniunt, in quo perfectam faciunt sui traditionem, castitatémque cum perfecta obedientia, & paupertate profitétur. Quapropter dum sunt in primo & secundo statu, minus perfecti sunt non solùm quàm professi aliarum religionum, sed etiam quàm professi eiusdem Societatis : quod est assertum nostræ, & communis doctrinæ.

Tertiæ autem clausulæ minimè opponitur nostra doctrima : quia hucusque non explicuimus, in quo consistat voti solemnitas, quod tamen iam in sequenti notabili pergimus declarare. Igitur pro huius quinti notabilis declaratione, operæ præcium est in memoriam reuo-
15 care il las† tres opiniones, quas de voti solemnitate refert Caietanus 2. 2. *quæstion.* 88. *articul.* 7. Quarum Prima asserit voti solemnitatem consistere in quadam speciali benedictione seu consecratione vouentis : nam duplex tantùm votum solemnizatur, alterum in professione religionis approbatæ, & hoc fit cum benedictione, vt tradit Dionysius. *cap.* 2. *&* 6. de Ecclesiastica hierarchia ; ritum quoque huiusmodi monachorum benedictionis iuxta morem antiquum seruandum, habet Pontificale Romanæ Ecclesiæ : Alterum per Sacri ordinis susceptionem, quæ fit cum consecratione vouentis. Secũda opinio ait consistere voti solemnitatem in solo statuto Ecclesiæ, acceptantis tale votum vt solemne per hoc, quod inhabilitet vouentem ad matrimonium. Ita Scotus *in* 4. *d.* 38. *quæst. vnica*, Paludanus *q.* 4. *artic.* 4. Abulensis *cap.* 30. *numerorum quæst.* 109. Michaël de Medina *lib.* 4. *de sacrorum hominum continentia controuers.* 7. *c.* 22. Pallacios *in eodẽ* 4. *distinct. citat. disp.* 2. Azorius *lib.* 12. *instit. moralium. c.* 6. *q.* 12. *&* 7. Nauarrus *infra* citandus, & alij quos refert & sequitur Thomas Sanchez *lib.* 7. *de matrim. disp.* 25. *num.* 2. quod sibi isti authores persuadent Primò ex Bonifacio VIII. *in c. vnico de voto in sexto* dicente, *quod voti solemnitas ex sola Ecclesiæ constitutione est inuenta.* Et quia Cæ-
16 lestinus III. *c. Rursus qui Clerici vel vou.* ait: † votum simplex non minus obligare apud Deum quàm solemne : ante cuius tempora, & Alexandri III. *in cap. insinuante*, & *cap. meminimus, eodem titulo*, non est audita in Ecclesia distinctio voti simplicis ac solemnis ; cuius proinde nec Augustinus super *Psalmum* 75. vbi nonnullas votorum species commemorat, mentionem fecit. Sed neque Hugo Victorinus sermon. 53. *de institutione monastic.* & *lib.* 2. *de Sacramentis, parte* 12. eius meminit ; nam ibi solùm diuisit votum in publicum & occultum, quod est signum manifestum voti solemnitatem ab Ecclesia fuisse inuentam. Secundò, hac ratione ad quam omnes aliæ quas Thomas Sanchez inculcat, reducuntur : posita Ecclesiæ constitutione sic acceptante votum, vt dirimat matrimonium, ponitur voti solemnitas, & illa ablata, aufertur & ista : ergo in illa sola consistit essentia & ratio voti solemnis. Consequentia est nota ex eo quod per hoc indagamus essentias rerum ; antecedens autem ostenditur. Nam si Ecclesia statueret, vt votum continentiæ emissum coram tribus testibus esset solemne, & inhabilem redderet vouentem ad matrimonium, reuera fieret solemne, cum tamen de se esset simplex. Rursus vota beatarum & tertiariarum Sancti Dominici, ac Sancti Francisci, siue quarumlibet aliarum religionum, necnon eorum fratrum, quos donatos vocant, sunt simplicia, per quæ tamen vouentes tradunt se Prælato religionis in obsequium Dei, ad viuendum cum castitate & obedientia. Imò nomen donatorum ex eo desumptum videtur, quod Deo donentur, nec ob aliam rationem desinunt esse solemnia, nisi quia Ecclesia illa non acceptauit sicut solemnia, nec voluit per illa inhabilitare vouentes ad matrimonium : ergo. Denique, quia vota professorum in aliqua religione nondum approbata, cuiusmodi erant religionis Sancti Dominici & Sancti Francisci, antequam ab Honorio III. approbarentur & confirmarentur, non essent solemnia nisi tantum simplicia, ob defectum solius Ecclesiæ statuti approbantis, eóque adueniente transirent in solemnia per vouentium ratificationem tacitam aut expressam : ergo &c.

Tertia opinio asserit essentiam voti solemnis in sola traditione vouentis consistere, statutum verò Ecclesiæ acceptantis concurrere ad solemnitatem, vel præsuppositiuè duntaxat, vel concomitanter, vt conditionem, sine qua non consisteret ratio solemnitatis ; ad eum modum quo dicimus, † essentiam ma- 17
trimonij consistere in mutua contrahentium traditione & acceptatione, circunstantias verò ab Ecclesia præscriptas, vt quod celebretur coram parocho & testibus, nec intra gradus affinitatis, vel consanguinitatis prohibitos &c. requiri vt conditionem, sine qua essentia matrimonij non consisteret. Huius opinionis videtur esse D. Thomas *in* 4. *d.* 38. *quæstion.* 3. *articul.* 2. *quæstiuncula* 3. *& articul.* 3. *quæstiuncula* 2. *&* 3. *&* 22. *quæstion.* 88. *articul.* 7. quem sequitur vniuersa schola Thomistarum (excepto Caietano, qui potius fauet secundæ sententiæ, licet obscurè se explicet *in dicto articul.* 7. *dubio* 1.) vt sunt Capreolus *in eodem* 4. *d.* 33. *quæstion. vnica articul.* 1. Deza *ibidem articul.* 3. Sotus *in* 4. *d.* 38. *quæstion.* 2. *articul.* 1. *& articul.* 2. *& lib.* 7. *de iustitia quæstion.* 2. *articul.* 5. Petrus de Ledesma *de matrimonio, quæstione* 53. *articul.* 2. *dubio vnic.* Durandus, D. Bonauentura, Richardus *in eadem disputat.* 38. Valentia 22. *disputat.* 6. *quæst.* 6. *puncto* 5. *&* 4. *part. de matrimonio, disputat.* 10. *quæstion.* 5. *punct.* 3. cum Couarruuias, Barbosa, Vgolino, & aliis quamplurimis Iuristis ac Theologis, quos plena manu congessit Thomas Sanchez *in dicta disp.* 25. *n.* 7.

Et quidem duæ Priores opiniones deficiunt à veritate simpliciter, licet aliquid veritatis contineant. Prima quidem deficit propter duo. Primò quia voti solemnitas non potest consistere in eo, quod sine voto solemni potest saluari ; Atqui sine benedictione vlla vouentis, saluatur votum solemne, tum in professione tacita, voluntate deliberatâ admissâ, quæ sine vlla externa benedictione, continet vota solemnia tacita vera, & non tantum præsumpta. Tum etiam in professione expressa religionis Sancti Dominici, quæ fit sine benedictione

vouentis,

vouentis, cum ſola benedictione habitus adhibita immediatè poſt ſolemnem profeſſionem vouentis: necnon in profeſſione Societatis Ieſu & aliarum quarumdam religionum, in quibus nec perſonæ profitentes, nec veſtes benedicuntur. Secundò; nam etiam poteſt reperiri conſecratio ſine voti ſolemnitate, vt ſi Eccleſia nunc ſtatueret ordini Sacro non annecti votum, aut illud quod de facto eſt annexum, non habere vim dirimendi matrimonium. Imò de facto nunc † in Eccleſia orientali ſiue Græca & olim in primitiua Eccleſia non eſt, nec fuit annexum votum continentiæ ordinibus Sacris, quod patet. Nam vt bene notat Sotus *lib. 7. de iuſtitia q. 5. artic. 3.* licet diſpenſabile ſit poſt Sacerdotium ad matrimonium tranſire, nunquam tamen in Eccleſia de facto diſpenſatum fuit, bene autem poſſe diaconatum & ſubdiaconatum, vt conſtat ex *Concilio Arelatenſi 4. & canone diaconi d. 27.* & vſus Græcorum probat: etſi Caietanus contrarium ſentiat *q. 12. quodlibeti 1. ex canone, aliter d. 31.* ibi *Græcorum*
19 *Sacerdotes in matrimonio copulantur.* Verùm † tempore Apoſtolorum coniugatis licitum erat ad Sacerdotium aſcendere, iuxta illud Pauli 1. ad Thimotheum 3. & ad Titum, *Epiſcopum vnius vxoris virum.* Sed ex proximis Apoſtolorum temporibus, Eccleſia Romana profeſſa fuit cælibatum in ſuis initiatis Sacris ordinibus, prohibendo eis nuptias & coniugij vſum, *in canone Presbiteris. d. 27.* vbi Calixtus I. qui ſedit anno 214. & præceſſit Sylueſtrum, & Concilium Nicenum per annos centum, quia hoc Concilium fuit celebratum anno 315. renouat dictam prohibitionem *iuxta Sacrorum canonum definitionem*, ait ille; quæ tamen conſtitutio antiqua, & à Calixto renouata, fuit aliquandiu relaxata, & permiſſus Clericis mos ille antiquus ducendi vxores ſuaſu Panutij, qui in Concilio Niceno Zelo indiſcreto eam permiſſionem poſtulauit; Vnde nec citra peccatum id faciebant Sacris initiati. Nec mos Græcorum fuit illis ex ſtatuto aliquo Eccleſiæ conceſſus, ſed eſt antiquis eius conſtitutionibus & canonibus contrarius, licet ipſi ſe defendant *ex canone 31. 6. Synodi*, qui refertur à Gratiano *in canone, quoniam, diſp. 31.* ſed perperam, quia illa Synodus non fuit legitima, eò quòd damnauit Papam Honorium vt hæreticum, & Origenem etiam vt hæreticum, iniuſtè quidem, vel quia illi canones non fuerunt conditi in ſexta Synodo, ſed poſt 27. annos in Trullo, & ſine præſentia Romani legati; Synodus autem ſexta fuit approbata ab Adriano Papa, ſolùm in his quæ Romanorum Pontificum decretis non repugnarent. E contra Sotus *in dicto art. 3.* putat cælibatum Sacerdotum eſſe de iure Diuino, vtpote ex traditione Apoſtolorum acceptatum, ex quo ſequeretur eſſe indiſpenſabilem à Summo Pontifice; quod tamen negat idem Sotus. Illeſcas *tomo 1. ſuæ Pontificalis* ait; quod Primus qui indixit cælibatum Clericis, fuit Lucius I. anno 254. quare ille Calixtus author canonis *præsbiteris*, fuit II. qui ſedit anno 1119. & ita notatur in margine decreti Plantiniani. Aliis placet primum huiuſmodi cælibatus inſtitutorem fuiſſe Martinum I. qui ſedit anno 650. de quo maneat fides apud authores.

Secunda etiam opinio deficit propter tria. Tú quia eſſentia voti ſolemnis non poteſt conſiſtere in eo, quod eſt effectus eſſentiæ ſolemnitatis: Atqui ius dirimendi ſubſequens matrimonium ex ſtatuto Eccleſiæ, eſt effectus ſolemnitatis voti, teſte D. Thoma *in allegato art. 7.* dicente in argumento *ſed contra*, quod hæc † duo 20
vota duntaxat, ſcilicet profeſſionis & Sacri ordinis habent impedire matrimonium contrahendum, ac dirimere contractum, quod eſt effectus voti ſolemnis: ergo nequit eſſe illius eſſentia. Tum etiam ait, nunquam adhiberi ſolemnitatem, niſi vbi homo mancipatur alicui miniſterio ſiue ſtatui, vt nuptialis ſolemnitas non adhibetur, niſi quando coniuges ſibi inuicem ſui corporis dominium tradunt: & voti ſolemnitas non adhibetur, niſi in Sacro ordine, in cuius ſuſceptione vouens mancipatur Sacro miniſterio ac diuino cultui, atque in profeſſione certæ regulæ ab Eccleſia approbatæ, per quam vouens per abrenunciationem ſeculi & propriæ voluntatis, ſtatum perfectionis aſſumit. Quibus in verbis Sanctus Doctor haud obſcurè denotat ad eſſentiam ſolemnitatis voti, maximè pertinere quemdam fixum & immobilem ſtatum, quem vouens aſſumit tradendo ſe immobiliter alicui Sacro miniſterio in Dei obſequium. Tum denique quia alumni Societatis per vota tria emiſſa, poſt biennium manent inhabiles ad matrimonium contrahendum in ſeculo, ſi ad illud voluntariè redeant, vt determinat Gregorius XIII. in ea Bulla quæ incipit, *Aſcendente Domino*; quæ tamen vota diffinit eſſe ſimplicia: ergo ſolemnitas voti non poteſt conſiſtere in ſola vi dirimendi obſequens matrimonium, ex ſtatuto Eccleſiæ. Ad hoc argumentum quod ſibi oppoſuit Thomas Sanchez *in dicta diſput. 25. & in diſp. 27. quæſt. vltima*, nullam adhibet reſponſionem: quod mihi eſt euidens ſignum, eum aut illius oblitum, aut ſolutionis inſcium fuiſſe. Quare dicendum eſt cum authoribus Tertiæ ſententiæ, † ſolemni- 21
tatem voti eſſentialiter & formaliter in ea traditione conſiſtere, qua vouens quemdam ſtatum ſeu modum fixum de ſe & immobilem viuendi aſſumit, in obſequium Dei, licet dependeat ab Eccleſiæ ſtatuto: vt à conditione neceſſariò antecedenter, ſiue concomitanter requiſita. Et quia huiuſmodi traditio ſolùm in duobus votis recenſitis, ſcilicet Sacri ordinis & profeſſionis certæ regulæ inuenitur, ideo in illis duntaxat voti quandoque ſolemnitas reperitur, quamuis in vnius & alterius traditione ingens diſcrimen authores huius opinionis inueniant. Nam in illo vouens mancipat ſe Sacro miniſterio altaris; quin moriatur ſeculo, aut dominium ſui corporis, in Prælatum gerentem vicem Dei & Eccleſiæ transferat: in iſto verò profitens religionem approbatam funditus moritur ſeculo, negátq; omnino ſuam voluntatem, & dominium ſui corporis in Deum, in Religionem, & in Prælatum eius vices gerentem transfert, dicens: *ero tibi & tuis ſucceſſoribus obediens, vſque ad mortem*, quod eſt ſignum, vnum ab altero ſpecie diſtingui, ſicut & modi traditionis ſpecie diſtinguuntur. Hæc aſſertio ſuaderur Primò, quia eſt expreſſa Angelici Doctoris in locis prælegatis. Secundò patet, labefactando fundamenta duorum priorum opinionum. Fundamentum primæ, quod innitebatur illis verbis Diui Thomæ *in dicto art. 7.* ſolemnitas voti attenditur ſecundum ſpecialem benedictionem vel

conſecra

conſecrationem, nihil conuincit, quia verbum *attenditur*, & ly *ſecundum*, non importat identitatem, ſed tantùm concomitantiam ſcilicet benedictionis cuiuſdam, quæ adhiberi ſolet de more antiquo in profeſſione monachi: hæc autem non ſolemnitas eſſentialis, ſed ſolùm cæremonialis & accidentalis eſt, conſecratio etiam ſuſcipientis Ordinem Sacrum poteſt ſine voto continentiæ ſaluari, quod accidentaliter illam ex ſtatuto Eccleſiæ concomitatur, vt dictum eſt.

Ad fundamentum quoque primum ſecundæ opinionis peruia eſt ſolutio, Bonifacij VIII. decretum tantùm procedere de ſolemnitate vnius & alterius, quoad effectum dirimendi matrimonium, vtpote ex ſequentibus verbis, ibi; *Præſentis declarandum duximus oraculo ſanctionis, illud ſolum votum debere dici ſolemne, quantum ad poſt contractum matrimonium dirimendum, quod ſolemnizatum fuerit per ſuſceptionem Sacri Ordinis, aut per profeſſionem expreſſam vel tacitam factam alicui de religionibus per Sedem Apoſtolicam approbatis.* Inſuper verificatur, ſolemnitatem voti ex ſola inſtitutione Eccleſiæ eſſe inuentam, quatenus ab iſta illa dependet præſuppoſitiuè, & vt à conditione neceſſariò requiſita. Vel ſi malueris, dicas Bonifacium in ea decretali Epiſtola, non ex cathedra definientem, ſed vt Doctorem priuatum ſectatorem ſecundæ opinionis loquutum fuiſſe. Ad aliam partem eiuſdem fundamenti; Reſpondetur, illud argumentum eſſe negatiuum. Ex eo enim, quòd antiqui illi Doctores non fecerint mentionem expreſſam diſtinctionis voti ſimplicis à ſolemni, non ſequitur ex natura rei, inter vtrumque votum non extare talem diſtinctionem. Ad Secundum autem fundamentum, vt reſpondeamus, opus eſt vti hac diſtinctione; nimirum, poſito ſolo ſtatuto Eccleſiæ ponitur ſolemnitas voti. Si ponatur ſtatutum iſtud cum iudicio prudenti & diſcretione, verum eſt: ſecus autem ſi abſque tali iudicio & diſcretione ponatur; vt re vera poneretur in caſu argumenti, ſi Summus Pontifex ſtatueret, votum ſimplex continentiæ emiſſum coram tribus teſtibus fieri ſolemne, ac dirimere ſubſequens matrimonium, vbi nulla traditio, nulliúſque ſtatus, qui teſte D. Thoma 2. 2. *quæſt.* 183. *articul.* 1. *& quæſt.* 184. *articul.* 4. *& quæſt.* 186. *articul.* 6. *& quodlibeto* 3. *articul.* 16. dicit immobilitatem, interueniret aſſumptio. In eo namque caſu tale votum fieret ſolemne non ſimpliciter, niſi tantùm ſecundum quid, hoc eſt quantum ad effectum dirimendi matrimonium, eſſétque talis ſolemnitas æquiuocè ac diuerſæ rationis ab illa, quæ in votis profeſſionis & Sacri Ordinis inuenitur. Vnde nec in votis beatarum ac tertiariarum ſiue donatorum inuenitur ſolemnitas, licet per illa fiat aliqualis traditio; eò quòd modus harum viuendi non eſt fixus & immobilis, vtpote à quo voluntariè ſecedere valent, & ad alium ſtatum tranſire. Sed neque alumnorum Societatis vota emiſſa, finito biennio probationis ſunt ſolemnia, licet per illa ſe tradant religioni ad viuendum in caſtitate & obedientia, vt notat Gregorius XIII. in ſua Bulla, ibi. *Statuimus atque decernimus tria vota huiuſmodi & ſimplicia, ex huius Sedis inſtitutione, ac noſtra etiam declaratione & confirmatione, eſſe verè ſubſtantialia religionis vota, ac in dicta Societate tanquam in religione approbata, per Sedem eandem admiſſa fuiſſe & eſſe, ac per nos admitti, &c.* Tamen quia hæc traditio licet ſit abſoluta ex parte vouentis, eſt conditionata ex parte Societatis, dependens ab hac conditione, quamdiu Prælato placuerit eos non abiicere, propterea deeſt illis votis conditio præcipua ſolemnitatis, quæ eſt aſſumptio ſtatus, ſiue modi viuendi fixi & immobilis, à quo non valeant liberè & impune reſilire. Ex quo manet argumentum quoad omnes eius probationes diſſolutum, etiam quoad illam adiectam de votis emiſſis initio Religionum, antequam à Sede Apoſtolica approbarentur, nam eodem claudicarent pede; poſſent enim ſic vouentes tunc ab eo viuendi genere reſilire ob defectum approbationis Eccleſiæ, qua tamen conditione ſuppoſitâ, redderetur ſtatus ille fixus & permanens, ac proinde vota fierent ſolemnia.

Hinc colligo primò, minus conſequenter Thomam Sanchez *in eadem diſputat.* 27. *num.* 17. dixiſſe, votum Ordini Sacro annexum per ſe & eſſentialiter eſſe ſolemne inſtar voti profeſſorum; eò quòd Bonifacius VIII. vtrumque votum *in cap. vnico de voto præallegato*, in ratione ſolemnis omnino æquiparat. Sed noſtrum corollarium patet. Tum quia non ſatis conueniunt hæc duo, ſcilicet quod votum continentiæ Ordini Sacro annexum, ſit per ſe & eſſentialiter ſimplex, à quo non diſtinguatur niſi accidentaliter, hoc eſt ſpecie accidentali, ſicut homo albus diſtinguitur ab homine ſecundum ſua eſſentialia conſiderato: Cum ergo hic author fateatur ſecundum, non debuit fateri Primum. Tum etiam, quia † votum profeſſorum eſt eſſen- 22
tialiter ſolemne, ſuppoſita Eccleſiæ approbatione, ob intrinſecam traditionem qua profitens per ſua vota ſe tradit Deo & religioni, moriendo ſeculo, & transferendo dominium ſui in Religionem, in obſequium Dei, ad ſeruandam obedientiam, caſtitatem, & paupertatem: votum autem caſtitatis Ordini Sacro annexum, tantùm eſt ſolemne accidentaliter ex ſtatuto Eccleſiæ præcipientis votum caſtitatis ſuſcipienti Ordinem Sacrum, per quem Eccleſiaſticis ac Diuinis miniſteriis ſe mancipat. Igitur huiuſmodi vota licet intra genus Religionis vniuocè conueniant, tamen in ratione voti ſolemnis differunt eſſentialiter, ſicut id quod eſt tale eſſentialiter, differt ab illo quod eſt tale accidentaliter, qua ratione differt ignis ab ignito, vel calidum per ſe, ab eo quod eſt calidum accidentaliter. Vnde votum illud obedientiæ, quod ſuſcipiens Presbyteratus Ordinem emittit, dicens Prælato: *Promitto tibi & tuis ſucceſſoribus obedientiam & reuerentiam*, tantum eſt ſimplex, quia Eccleſia non ſolemnizauit niſi votum continentiæ annexum Ordini Sacro, quod eſt manifeſtum ſignum huiuſmodi ſolemnitatem

accidentariè tali voto conuenire, & non eſſentialiter : alioquin etiam voto obedientiæ annexo Presbyteratui conueniret. Tum denique, quia attritio (quo exemplo vtitur dictus author) quamuis adiuncta Sacramento induat vim contritionis, faciens de attrito contritum habitualiter, quoad effectum conferendi ſuſcipienti Sacramentum mortuorum gratiam remiſſiuam peccatorum, tamen nunquam tranſit in contritionem; eò quòd vna ſpecies nequit in aliam tranſire, ſed ſemper differt ab illa, ſicut actus imperfectus, ab actu perfecto pœnitentiæ virtutis. Igitur licet votum de ſe ſimplex ex ſtatuto Eccleſiæ habeat ſolemnitatem & vim dirimendi ſubſequens matrimonium, nunquam tamen poterit tranſire in votum eſſentialiter ſolemne.

Colligo ſecundò aduerſus Dominum Caietanum *in dict. art. 7. dub.* 1. minus verè explicuiſſe eſſentiam voti ſolemnis, dum ait illam nec in ſtatuto Eccleſiæ ſeorſum, nec in traditione vouentis ſeorſum, ſed in vtroque ſimul & ex æquo conſiſtere. Quod probatur
23 primò; quia † eſſentiæ rerum in indiuiſibili conſiſtunt, non in conflato ex duabus rationibus. Secundò; quia eſſentia voti ſolemnis nequit conſiſtere in eo quod ſine illa poteſt ſaluari: Atqui ſtatutum Eccleſiæ & traditio vouentis ſimul poſſunt ſaluari, & de facto ſaluantur ſine voti ſolemnitate, puta in votis tribus obedientiæ, continentiæ, & paupertatis, quæ emittunt Ieſuitæ finito biennio probationis, quibus ſe tradunt religioni in obſequium Dei: ergo, &c.

Colligo Tertiò aduerſus eundem Thomam Sanchez *diſput. citata 27. quæſt. vltima, concluſione* 1. *&* 2. Sacerdotem, aut Sacro Ordine initiatum profeſſum, non ſatisfacere confeſſioni, manifeſtando ſe initiatum eſſe Sacro Ordine; neque profeſſum ſatisfacere dicendo ſe fornicatum fuiſſe contra votum caſtitatis. Cuius rationem reddit, quod iſta duo vota nec differunt ſpecie eſſentiali inter ſe, nec à voto ſimplici, niſi per ſolam Eccleſiæ conſtitutionem, decernentis illa dirimere matrimonium, non autem votum ſimplex caſtitatis. Sed noſtrum corollarium eſt Paludani *in 4. diſtinct. 38. quæſt. 4. art.* 1. Emanuelis Roderici *in ſumma 2. editionis, tomo 1. capit. 35. numer.* 5. & Petri de Ledeſma *in ſumma capit.* 19. *de Sacramento pœnitentiæ dub.* 1. *&* 2. ſuadetúrque ratione contraria, quæ veroſimilior eſt, & principiis Theologiæ confor-
24 mior; nimirum, quia † votum ſolemne profeſſionis ſpecie eſſentiali differt à voto ſolemni Ordini Sacro annexo, ſicut tale eſſentialiter differt ab eo, quod eſt tale accidentaliter; & vtrumque ratione ſolemnitatis incluſæ, ob traditionem & noui ſtatus fixi & immobilis aſſumptionem, differt ſpecie ſaltem in genere moris, à voto ſimplici de eadem materia. Cum ergo ſecundum Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 14. *capit.* 5. opus ſit in confeſſione manifeſtare eas circunſtantias quæ mutant ſpeciem, & ſecundum veriorem Theologorum ſententiam, eas quoque quæ notabiliter aggrauant, oportet Sacerdotem fornicantem circunſtantiam voti ſolemnis in confeſſione pandere, vtpote quæ illud peccatum conſtituit in grauiori ſpecie ſacrilegij, aut ſaltem in ſpecie moris notabiliter aggrauat; ob eandémque rationem tenetur Sacerdos profeſſus, circunſtantiam voti ſolemnis continentiæ pandere in confeſſione, vt exactè & integrè peccatum fornicationis manifeſtet. Verùm ſatisfaciet manifeſtando votum ſolemne religionis, tacito voto ſolemni Ordinis Sacri, imo & tacito ſtatu Sacerdotis, aut etiam Epiſcopi, ſi fortè & hunc contingat lapſu carnis maculari: in quo à Paludano & Petro de Ledeſma *in locis præallegatis* diſſentio.

Ratio prioris dicti eſt, quia ſicut tota obligatio voti Ordinis Sacri, continetur eminenter in obligatione voti ſolemnis Religionis, ita tota malitia violationis voti Ordinis Sacri, continetur eminenter formaliter in violatione voti ſolemnis profeſſionis, ad eum modum quo forma inferior continetur in Superiori; verbi gratia, anima ſenſitiua continetur in rationali. Vnde abundè manifeſtatur ſacrilega fornicatio Sacerdotis profeſſi, explicando ſe voto ſolemni profeſſionis adſtrictum eſſe. Ratio dicti poſteriotis eſt, quia † peccata Sacerdotis, 25
Epiſcopi aut Religioſi non variant ſpeciem, niſi voto aduerſentur, ſed neque eorum ſtatus ſunt circunſtantiæ notabiliter aggrauantes, ac proinde nec confitendæ; vt benè notant quoad primum, Caietanus 1. 2. *quæſt.* 7. *articul.* 1. & quoad vtrumque Nauarrus *ſuper capit. conſideret de pœnitentia, d.* 5. *& in ſumma capit. 6. numer.* 13. & Enriquez *lib.* 5. *de pœnitentia, cap.* 5. cum quibus conſentit Thomas Sanchez *in dicta quæſtion. vltima diſputationis 27. numer.* 30. *&* 33. Hæc autem doctrina ſic limitanda eſt, videlicet, niſi fornicatio Sacerdotis, Epiſcopi aut Prælati religionis ſit adeò publica, vt ſcandalum generet; tunc enim iam ratione ſtatus ſpecialem malitiam ſubinduit contrariam ſtatu, aut illam notabiliter aggrauat, eò quòd iſti tenentur ex officio populum ſiue Communitatem, aut ſubditos, nedum verbo paſcere, ſed etiam ſuo exemplo ædificare. Ac proinde hoc in caſu tenetur Sacerdos ſui Sacerdotij, Epiſcopus ſuæ dignitatis, Prælatus religionis ſuæ Prælaturæ, ſui ſtatus circunſtantiam detegere in confeſſione. Sícque veniunt interpretandæ & concordandæ variæ prima facie Doctorum opiniones. Nam illi qui dicunt, Sacerdotem, Epiſcopum, aut Prælatum religionis fornicantem, teneri in confeſſione pandere eam ſtatus circunſtantiam, vtpote notabiliter aggrauantem, de quorum numero ſunt Rodericus, Paludanus, & Petrus de Ledeſma præallegati, intelligendi ſunt, quando horum fornicatio parit ſcandalum: Illi verò qui id negant, de quorum numero ſunt Enriquez *vbi ſupra*, Stunica *de voto q.* 4. Pallacios *in* 4. *d.* 16. *diſputat.* 3. & Thomas Sanchez *vbi ſupra*, intelligendi ſunt quando fornicatio eſt occulta, ita vt nullum pariat ſcandalum; etſi hic vltimus author minus conſequenter loquens ad ſuam opinionem, fateatur *numer.* 27. *&* 34. profeſſum fornicantem, etſi eius votum ſolemne non differat ſpecie à voto ſimplici continentiæ

tinentiæ, valde tamen probabile esse non satisfacere integritati confessionis, dicendo se contra votum castitatis peccasse fornicando, sed teneri circunstantiam status religiosi manifestare, vtpote notabiliter aggrauantem intra eandem speciem. Nec non ob eandem rationem, religiosum Societatis votis simplicibus adstrictum fornicantem, teneri fateri se religiosum esse. Verùm etsi primum dictum coincidat cum nostra sententia, ratio tamen cui innititur non conuenit, quia non ob grauitatem circunstantiæ, sed ob differentiam specificam voti solemnis à voto simplici, prouenit ea obligatio. Secundum verò dictum minus consonat veritati & ipsius sententiæ, quia cum illa vota sint simplicia, licet faciunt vouentem religiosum ex priuilegio, vt multis placet, vel ex determinatione Gregorij XV. in dicta Bulla, quæ est nostra & ipsorum Iesuitarum sententia; tamen ille status religionis pro tunc non est professionis, nec consummatus, sed imperfectus & in via tendens ad sui consummationem per vota solemnia; ac proinde non adeò illa circumstantia auget malitiam fornicationis, vt necesse sit eam pandere in confessione, sed satisfaciet Iesuita illis votis simplicibus adstrictus, dicens se fornicatum fuisse contra votum simplex castitatis: imo nec hic author *num. allegato* 34. dicit id verum esse, sed tantùm probabile, cuius proinde contrarium erit etiam probabile. Vnde cum pœnitens possit sequi in fauorem sui in Sacramento opinionem probabilem, vtendo iure suo, manifestè sequitur huiusmodi Iesuitam facere satis, si dicat in confessione se fornicatum fuisse contra votum simplex castitatis, quia vtitur iure suo, sequendo opinionem probabilem, cui & Confessarius tenetur se conformare. 26

Colligo vltimò cum communi Doctorum sententia, † eum qui se pluribus votis simplicibus, aut solemnibus de eadem materia adstrinxit, non teneri eam votorum multiplicationem in confessione declarare: bene tamen si iuramento & voto de eadem materia sit adstrictus. Ratio primi dicti est, quia illa vota non inferunt diuersa vincula, sed tantùm efficinnt vnum vinculum sæpius repetitum & confirmatum. Quapropter Laïcus qui sæpius vouit castitatem, si in fornicationem aut molliciem lapsus fuerit, satisfaciet dicens se contra votum simplex castitatis id fecisse. Similiter religiosus qui prius in vna religione, & postea in alia ad quam transiuit professionem emisit, faciet satis, si fateatur se contra votum solemne castitatis molliciem aut fornicationem commisisse. Nec enim oportet eam votorum de eadem materia multiplicationem in confessione detegere, cum sit duntaxat eiusdem vinculi, & obligationis repetitio ac confirmatio. Sed neque opus est religioso illum perfectioris religionis statum ad quem transiuit, detegere in confessione; quia ea circumstantia non magis auget malitiam peccati, quàm esse hominem sanctiorem, aut sapientiorem, aut pluribus beneficiis diuinis affectum. Quæ circunstantiæ minimè sunt de necessitate in confessione detegendæ, nisi specialem malitiam scandali, aut ingratitudinis ingerant.

Ratio verò secundi dicti est opposita primo, quia † iuramentum & votum, etsi de eadem re, sunt vincula diuersæ rationis. Iuramentum etenim obligat ob reuerentiam Deo debitam, ne scilicet Deus adducatur in testem falsi: votum verò obligat ob fidem præstitam Deo. Quapropter qui est iuramento & voto adstrictus, verbi gratia ad castitatem, habet duas obligationes: alteram reuerentiæ, & alteram fidelitatis erga Deum; ac proinde si violet castitatem, duabus inficitur malitiis diuersi sacrilegij; altera irreuerenciæ, & altera infidelitatis, in seruando promissionem, quas opus est detegere in confessione. 27

Hiis itaque præmissis ac prænotatis, operæ precium est respondere propositæ quæstioni, quæ duas continet partes. Prior de dispensatione voti solemnis sacro ordini annexi. Secunda de dispensatione voti solemnis religionis; quibus eodem ordine figillatim est satisfaciendum.

Quantum igitur attinet ad votum ordini sacro annexum, sententia communiter recepta tenet, † illud posse à Papa dispensari, de qua videndi sunt, Abbas, *cap. cum olim de cleric. coniug.* Caietanus *tomo* 1. *opuscul. tractatu* 27. *de dispensat. matrim. in occidentali Ecclesia q. vnica.* Ledesma 2. *p.* 4. *q.* 55. *artic.* 3. *Sotus in* 4. *d.* 38. *q.* 1. *art.* 1. *& lib.* 8. *de iustitia q.* 2. *art.* 3. *&* 4. Ludouicus Lopez 2. *p. art. instruct. cap.* 49. Petrus de Ledesma, *de matrimonio q.* 53. *art.* 3. Nauarrus, *lib.* 4. *Consiliorum, titulo de Sponsalibus, Consilio* 10. Azorius *lib.* 13. *institutionum moralium c.* 13. *q.* 5. & Thomas Sanchez *lib.* 8. *de dispensationibus, disputat. à num.* 1. *vsque ad* 5. Quæ sententia præterquam quod est communiter recepta, & vsu Sedis Apostolicæ confirmata; Suadetur primò ex eo, quòd Ordinibus sacris aut nullum votum continentiæ est annexum, aut quod verius est, votum illis annectitur ex statuto Ecclesiæ, iubentis sacris initiandos voto castitatis adstringi, ob reuerentiam debitam Diuino cultui & sacris ministeriis: nec tale votum iure Diuino aut naturali dirimit matrimonium, nisi solo Ecclesiastico, in quo vtpote humano potest Papa dispensare. Secundò, quia † Sacerdotium & matrimonium non sunt de se incompatibilia, imno compatiuntur aliquando iustè, data dispensatione cum iusta causa; & aliquando iniustè, scilicet, si dispensatio sine iusta causa concedatur. Tertiò quia de facto Sedes Apostolica sæpius cum initiatis sacro ordine dispensauit, vt vxorem ducerent, verbi gratia, Alexander VI. dispensauit cum Cæsare Diacono Cardinali vt vxorem duceret. Deinde cum Domino Antonio Lusitano, Priore de Olrato ordinis militaris Sancti Ioannis dispensatum fuit, vt fieret eques miles, & cingeret ensem, ac nuberet, qui & postea in Gallia nupsit. Postea nostris temporibus dispensatum fuit ad instantiam Philippi II. Regis Catholici cum Archiduce Alberto Diacono Cardinali, vt duceret vxorem Elizabetham Castellæ Infantem. Rursus Clemens VIII. dispensauit cum Roderico Enriquez Diacono & Archidiacono Matriti, & Paulus V. 28 29

cum Franciſco Chacon Archidiacono Toleti, & cum Lupo de Mendoza Subdiacono, vt vxores ducerent, quas de facto duxerunt in virtute obtentæ diſpenſationis. Et quia res iudicata habetur pro veritate, hiis iudiciis manſit firmum, Sedem Apoſtolicam poſſe in huiuſmodi voto continentiæ ſolemni diſpenſare cum Sacerdote & cum Epiſcopo, eò quòd iſti non alio ſtrictiori voto, quàm eodem quo Subdiaconus & Diaconus, repetito in ſuſceptione Sacerdotij & Epiſcopatus, obligantur ad ſeruandam caſtitatem.

30 Quæ autem debeat eſſe huiuſmodi † cauſa ad hanc diſpenſationem concedendam iuſtè requiſita? diſſentiunt authores prædicti. Nam Catherinus *lib. 6. in Caietanum in ea Quæſt. An Papa diſpenſare poſſit in voto ordinis Sacri*; Azorius, & Thomas Sanchez *in locis proximè citatis*, ſentiunt requiri cauſam boni communis; propterea quod nullum bonum particulare ipſius Clerici poteſt ſufficere ad compenſandum tantum bonum, quantum eſt Clericorum continentia, ſiue ad vitandum ſcandalum & malum publicum, quod ex matrimonio Clerici ſequeretur. Et quia ex tali diſpenſatione, ob cauſam priuatam & bonum particulare conceſſa, labefactaretur ſtatus Eccleſiaſticus, cuius continentia eſt illi annexa ex generali Eccleſiæ ſtatuto, quod proinde nequit legitimè diſpenſari, niſi ob vrgentiſſimas cauſas, & propter bonum aliquod publicum, puta ob pacem alicuius Regni vel prouinciæ; aut ne Regnum, vel prouincia à Catholica fide deficiant, quæ fuit cauſa diſpenſandi cum Archiduce Alberto, vt nuberet Elizabethæ, ad gubernandum in pace Belgicas prouincias, & eas in fide & obedientia Eccleſiæ Romanæ conſeruandas. Caietanus verò *tomo 1. opuſculorum, tractatu 27. q. citata, verſiculo quoad tertium,* & *tomo 3. tractatu vltimo in reſponſione ad 12.* & Richardus *in 4. d. 38. art. 9. quæſt. 1.* aiunt; ſufficere ad huius diſpenſationis honeſtatem, maius bonum particulare ipſiuſmet Clerici, quàm ſeruatam caſtitatem. Fateor ex hiis opinionibus mihi ſemper priorem magis arriſiſſe, ſed poſteriorem video magis vſu Summorum Pontificum confirmatam. Nam citati ſummi Pontifices, qui prædictas diſpenſationes conceſſerunt, minimè eas ob cauſam communem (exceptâ eâ quæ Archiduci Alberto conceſſa fuit) niſi tantùm ob cauſas particulares moti conceſſerunt: nimirum, vel quia Clericus ipſe carnis tentationibus frequenter adeò vrgebatur, vt continere non poſſet, meliúſque eſſet nubere quàm vri; vel propter bonum ſpeciale fœminæ ducendæ in vxorem, videlicet, ne maneret aliquantulum diffamata cum conſanguineorum amaritudine: aut quia tantæ qualitatis eſſet, ac tanti maioratus, vt tantum virum in Clericatu conſtitutum, & non alium poſtularet. Et cum aliàs diſpenſator ſine rationabili cauſa peccet lethaliter, dicendum foret hos Pontifices in dictarum diſpenſationum conceſſione peccaſſe lethaliter, quod non eſt de facili admittendum, nec de facili ſunt dicti Summi Pontifices condemnandi vt mali diſpenſatores, cùm factum Superioris ſemper debeat cenſeri legitimum ſecundum regulam iuris, & cùm ſententia iudicis maximè ſupremi tranſeat in rem iudicatam, & res iudicata habeatur pro veritate.

Fateor quidem nunquam poſſe occurrere cauſam etiam communem nedum particularem, ob quam poſſit honeſtari diſpenſatio cum toto ſtatu Eccleſiaſtico, aut condi lex prohibens initiandis Sacro ordine, ne voto, aut ſtatuto Eccleſiæ teneantur ad caſtitatem ſeruandã, cum maius ſit bonum in caſtitate Clericorum effulgens, quacumque occurrente cauſa: nulla enim poteſt eſſe huius ad illud digna ponderatio. Quare indiſcretum fuiſſe zelum Panutij in Concilio Niceno diximus *ſupra*, poſtulantis, relaxationem huiuſmodi ſtatuti Eccleſiæ obligantis Clericum ad cælibatum. Quem imitatus fuit Abbas *in cap. cum olim. de Clerico coniug. num. 5.* dicens; ſalubre fore ſtatutum, relinquens Clericos liberos ad matrimonium ineundum ſi velint, eò quòd experientia doceat pleroſque non continere, ac votum caſtitatis in ipſorum ſpeciale detrimentum redundare. In quo (ait ille) Eccleſia ageret vices peritiſſimi medici, qui ceſſat applicare medicinam ægrotis, quando eam non prodeſſe illis experitur. Verùm iniqua aliquorum conſuetudo non debet præbere anſam relaxandi, ſiue abrogandi ſtatutum de cælibatu à Clericis, ſeruando tam antiquum, à principio naſcentis Eccleſiæ, à Patribus priſcis proximè poſt tempora Apoſtolorum approbatum, & ex Sacra ſcriptura deductum, ob magnæ decentiæ rationem, ad Sacris miniſteriis circa altare inſeruiendum. Vnde licet poſſit occurrere cauſa ſpecialis, ad diſpenſandum cum vno vel altero initiato, quod & rarò fieri debet, ne labefactetur ſtatus Eccleſiaſticus, non tamen ad diſpenſandum cum omnibus initiatis, neque ad abrogandum generale Eccleſiæ ſtatutum, reſpectu deinceps initiandorum.

Hinc colligo primo, † diſpenſationem in 31
huiuſmodi voto ſolemni continentiæ Clericorum ſine honeſta cauſa à Pontifice conceſſam, validam eſſe. Hoc corollarium eſt communiter apud præfatos authores receptum, cuius ratio ſumitur ex diſcrimine verſante inter ea, quæ ſunt iuris Diuini ac naturalis ex vna parte; & ea quæ ſunt iuris poſitiui humani, & Eccleſiaſtici ex alia: quod diſpenſatio in illis conceſſa à Papa ſine legitima cauſa non valet, bene tamen in iſtis: eò quòd cum † Papa ſit con- 32
ditor huiuſmodi iuris poſitiui, humani, & Eccleſiaſtici, qua poteſtate illud valet condere, eadem & poteſt illud relaxare diſpenſando; & mutare, priſtinam legem abrogando, & nouam condendo ſiue iuſtè ſiue iniuſtè, vt bene Nauarrus *vbi ſupra* ponderauit: in huiuſmodíque iure maximè habet locum illud tritum axioma inter regulas iuris computatum; *multa quidem fieri non rite, quæ tamen ſemel facta valent.*

Colligo ſecundò, huiuſmodi † Sacro Ordine 33
initiatum ſic diſpenſatum ſine legitima cauſa ad matrimonium contrahendum; validum quidem fore illius matrimonium, ſed peccare lethaliter, tum nubendo, tum petendo debitum. In hoc quoque corollario conueniunt Doctores, excepto Soto & Ludouico Lopez aſſerentibus, hunc Sacro Ordine initiatum ſic abſque iuſta cauſa diſpenſatum, poſſe licitè nedum reddere ſed etiam petere debitum, ad inſtar illius qui cum voto ſimplici Religionis

peccat

peccat nubendo, sed non petendo, aut reddendo debitum post primam matrimonij consummationem. Verùm ratio huius corollarij est potentissima, quia scilicet iste initiatus sic dispensatus, nubit cum impedimento impediente, & sine impedimento dirimente subsequens matrimonium. Quod nubat cum impedimento impediente, patet: nam nubet cum
34 † voto castitatis emisso in Sacri Ordinis susceptione, cuius vinculum cum sit iuris Diuini ac naturalis, nequit à Papa sine iusta causa dispensari, ac proinde hac sublata manet indispensatum. Vnde & iste Clericus peccat lethaliter nubendo & petendo, adinstar illius qui cum voto simplici castitatis nubit, qui nubendo, & petendo, quotiescumque petierit peccat, sed non reddendo, nam ad reddendum tenetur ex lege ipsa matrimonij. Quod autem nubat sine impedimento dirimente, patet; quia per talem dispensationem validam tollitur solemnitas eius voti, quoad vim dirimendi subsequens matrimonium, vtpote quæ tantum est iuris humani Ecclesiastici.

35 Colligo tertiò, quod † Papa dispensante cum aliquo, vel aliquibus, antequam Ordine Sacro initientur, aut etiam condente legem vniuersalem, ne deinceps initiandi teneantur ad castitatem seruandam, tunc hac lege, vel dispensatione supposita, Sacro Ordine initiatus, neque nubendo, neque petendo debitum, peccat: eò quòd nec nubit cum impedimento dirimente, neque cum impedimento impediente. Nam nec tenetur ad castitatem ex vi statuti Ecclesiæ quod abrogatur ex vi talis noui statuti Pontificij, neque ex vi voti, quia nullum emittit in susceptione Ordinis Sacri. Nam cum hoc votum annectatur Ordini Sacro per statutum antiquum & generale Ecclesiæ, per illud nouum statutum superueniens tollitur hæc annexio, manétque initiandus Ordine Sacro liber ab ea obligatione emittendi votum continentiæ. Idem namque est dispensare Papam cum Clericis initiandis in futurum, atque facere, ne illi votum continentiæ emittant, ac proinde cessaret tunc tale votum omnino; per quam doctrinam conciliantur Doctores allegati. Nam Sotus & Ludouicus Lopez dicentes, posse Clericum dispensatum licitè nubere & petere debitum, intelligendi sunt in hoc posteriori casu, quando Papa dispensat cum postea initiandis Sacro Ordine; eò quòd in his cessat votum continentiæ, & lex Ecclesiæ interdicentis Clericis nuptias. Cæteri verò negantes Clericum dispensatum sine legitima causa, licitè posse nubere, aut petere debitum, intelligendi sunt in priori casu, quando Papa dispensat cum iam initiando sine legitima causa.

36 Quantum verò attinet † ad dispensationem voti solemnis professionis in religione approbata; in duas opiniones valde celebres Doctores, tam Theologiæ quàm Iuris Canonici professores diuiduntur. Alia namque opinio negat, posse Ecclesiam in huiusmodi voto ob quamcumque causam quantumcumque vrgentissimam dispensare; quam tuentur D. Thomas 2.2.*q.*88. *art.*11. Albertus Magnus *in* 4. *d.* 38. *art.*16. eam communem appellans. Altisiodorensis *lib.*3. *summæ tract.*28.*cap.* 1.*quæst.*2. Capreolus *in* 4.*d.*33. *art.*3. *ad* 1. *Aureoli*, Sotus *in eodem* 4.*d.*38.*q.*2. *art.*2. & *lib.*7. *de iustitia*,*q.*4. *art.*2. Turrecremata, Syluester V. *votum*. Glossa *in cap. cum ad monasterium*. Aragonius *in dicto art.* 11. *D. Thomæ*, & alij relati à Soto *vbi supra*, & à Thoma Sanchez *disput.*8. *lib.*8. *de dispensationibus*, quam & probabilem reputat D. Bonauentura *in eodem* 4. *dist.*38.*art.*2. *quæst.*1. *& quæst.*3. subdítque vtramque opinionem posse sustineri. Quam & suadere possumus primò ex Innocentio III. *in cap. cum ad monasterium, de statu monach.* ibi. *Abdicatio proprietatis, sicut etiam custodia castitatis adeò est annexa regulæ monachali, vt contra eam nec summus Pontifex possit licentiam indulgere*. Quibus †verbis denotat Innocentius III. custodiam castitatis esse de intrinseca ratione monachismi & status Religiosi: ex quo proinde sumunt authores huius opinionis primum argumentum, quod possumus ad hanc formam reducere. Papa non potest mutare essentias rerum quia omnino sunt inuariabiles: Sed de essentia status religiosi est perpetua custodia castitatis voto firmata: igitur nequit Papa ab illa absoluere religiosum; quod tamen faceret dispensando cum illo, vt vxorem duceret. Secundum sumitur ex illa regula iuris; *semel Deo dicatum non potest in alios vsus conuerti*. Quæ fundamentum habet *in cap. vltimo Leuitici*, ibi, *animal quod quis Deo deuouit, sanctũ erit nec mutari poterit*. Ex qua tale efformatur argumentum. Res quæ semel Deo consecrantur, aut benedicuntur in eius honorem & cultum, dum eædem perseuerant, non possunt non esse consecratæ, ac benedictæ, vtpote à quibus non potest auferri consecratio, aut benedictio; ex quo fit etiam, vt nec ad alios vsus humanos transferri valeant: vt calix semel consecratus non potest non esse consecratus, & aqua benedicta non potest non esse benedicta. Rursus Episcopus non potest fieri non Episcopus, nec Sacerdos potest fieri non Sacerdos, nec baptizatus potest fieri non baptizatus. Atqui religiosus per vota solemnia suæ professionis consecratur Deo, mancipatur Dei cultui, ac benedicitur: ergo non potest per vllam potestatem fieri non religiosus, aut in alios prophanos vsus, cuiusmodi est coniugalis copula, destinari.

37 Tertium ducitur ex natura ipsiusmet professionis; cuius votorum essentiam & maximè voti castitatis diximus superius, consistere in traditione facta Deo. Per illa enim vouens moritur ciuiliter, renunciat seculo, & negat suam libertatem, abdicátque à se sui corporis & suorum bonorum dominium, conferens illud in Deum, & Prælatum vicem Dei gerentem. Sed iuri naturæ repugnat rem vni homini traditam, auferri & tradi alteri, inuito primo Domino: Igitur eidem iuri fortius repugnabit, religiosum traditum Deo, auferri ab eius speciali Dominio, & in dominium coniugis transire. Quartum sumitur ab inconuenienti quadruplici, quod sequitur ex opposita sententia. Primum est posse Papam in iure Diuino ac naturali dispẽsare, cuius conditor est superior, nẽpe Deus: quod tamen est falsum, sicut falsũ est inferiorẽ posse in lege superioris dispẽsare. Sequela autem patet, nam vinculum voti est iuris Diuini ac naturalis. Vnde Votum simplex castitatis iure Diuino & naturali impedit matrimonium: solemne verò, eodem iure Diuino

ac naturali illud dirimit, vt ex communi ſententia probat Thomas Sanchez *lib.7. de impedimentis, diſp.16.num.4.* Et patet ex eo, quod de iure Diuino ac naturali eſt, rem vni traditam inualidè tradi alteri, quia non poteſt transferre in alium, quod iam non habet in ſua poteſtate, iuxta regulam iuris traditam *in c. quod autem de iure patronatus.*

Secundum eſt, quod etiam Summus Pontifex poſſet diſpẽſare in matrimonio conſummato, & in Polygamia, nimirum, vt quis ſimul plures habeat vxores. Conſequens autem eſt
38 abſurdum† cum matrimonium conſummatum eſt iure naturali ac Diuino indiſſolubile; nam quos Deus coniunxit, homo non ſeparet; iuxta dictum Chriſti Domini in Euangelio *Math.19.*
39 & † Polygamia iam lege Diuina ab ortu legis gratiæ abolita eſt, vt conſtat ex nouiſſima definitione Concilij Tridentini *ſeſſ.24.canone 2.* ſub hiis verbis. *Si quis dixerit, licere Chriſtianis plures ſimul habere vxores, & hoc nullâ lege Diuina eſſe prohibitum, anathema ſit.* Sequela autem patet. Nam ſi ratio boni communis, v.g. alicuius Regni vel prouinciæ, pacificatio ſiue conuerſio ad fidem, poteſt eſſe cauſa diſpenſandi cum religioſo, vt tranſeat ad nuptias, etiam ſimilis ratio poſſet occurrere, vt Rex coniugatus conſummato matrimonio relicto, duceret aliam vxorem, aut cum vtraque ſimul permaneret: atque etiam vt quis religioſus de ſanguine Regio poſt initum matrimonium ratum cum Maria verbi gratia, adhuc ſuperſtite, diſpenſatus relicto habitu profeſſionis, nuberet alteri, nimirũ Annæ: quia id exigeret pax Regni, aut ſucceſſio Regiæ prolis: quo caſu iſte haberet duas vxores ſimul, ſcilicet Mariã & Annam. Tertium eſt quod etiam Papa haberet poteſtatem diſpenſandi in impedimentis iure naturali dirimentibus matrimonium, v.g. in primo gradu conſanguinitatis. Idque ſuadet & ratio boni communis; nam poſſet contingere, vt ad pacem Regni vel ad eius conuerſionem conduceret tanquam medium vnicum, ac ſecundum humanam prouidentiam neceſſarium, quod Rex filiam, vel ſororem duceret in vxorem: quam tamen facultatem non eſſe in Summis Pontificibus admittendam, oſtendimus in ſpeciali quæſtione, quam de hoc argumento ſcripſimus cum Thoma Sanchez *in dicto lib. 8. de diſpenſationibus, diſputatione. 6.* aduerſus Loazes, Angelum, Borgaſium, Enriquez, & Baſilium Legionenſem, qui in hac parte minimè ſunt audiendi.

Quartum eſt, fœcunditatem carnis & bonum corporale, quandoque præponderare continentiæ promiſſæ in profeſſione; Conſequens eſt contra illud Eccleſiaſtici 26. *omnis ponderatio non eſt digna continentis animæ.* Sequela patet, nam cauſa diſpenſandi in voto, debet excedere bonitatem materiæ Deo promiſſæ: nulla autem ratio boni corporalis quantumuis communis, excedit bonum continentiæ, quod eſt altioris ordinis, vtpote ſpirituale: imo neque ſpiritualis, alioquin damnaremus factum D. Mathæi, qui noluit diſpenſare cum Iphigenia Moniali, vt nuberet cuidam Regi promittenti ſe & ſuos, mediante eo matrimonio, Catholicam fidem ſuſcepturos.

Sed ſecunda ſententia, cui tanquam ve-
40 riori adhæreo, aſſerit † poſſe Summum Pontificem in voto ſolemni profeſſi diſpenſare, ac religioſo profeſſo in caſu ſpeciali & vrgentis cauſæ boni communis, licentiam concedere vt vxorem ducat. Hæc eſt iam ferè ab omnibus Doctoribus, tum Theologiæ, tum Iuris Canonici profeſſoribus recepta; de quorum numero ſunt. Thomas *in 4. d.38. quæſt.1. art. 4. quæſtiuncula 1.* Durand. *ibi, q.2.* Paludanus *q.4. artic.* Richardus *art. 9. q.1.* Maior *q.14.* Aluarus Pelagius *lib.1. de planctu Eccleſiæ art.46. littera C.* Ioannes Gerſon *1 part. in regulis moralibus, tractatu de matrimonio Alphabeto 25. littera L. & 3.p. Alphabeto 67. littera T.* D. Antonius. *2.p.tit.11. cap.2. §. 9. & 3.p.tit.1. cap.15. §.3.* Caietanus *2.2.q.88. art. 11. & tomo 1. opuſculorum tract. 27. de diſpenſ. matrim. in Occidentali Eccleſia, & tomo 3. tract. vltimo in reſponſione ad articulum 12.* Catharinus *lib.6. in Caiet. quæſt. Vtrum Papa poſſit diſpẽſare in voto profeſſi,* Stunica *de voto q.6.num.104.* & latiſſimè Medina *lib. 5. de ſacrorum hominum continentia c.21.* Nauarrus *lib.3. conſilior. tit. de regula, conſilio 13. & in Manuali cap. 12. num. 7. in contrario 2. de regula num.17.* Azorius *lib.12. inſtitution. moral. cap.7. q.1.* Rodericus *1. p. ſummæ 2. editionis cap.141. & 1. tomo quæſtion. regular. q.15. art.2. & tomo 3. q.1. art. 5.* Petrus de Ledeſma *q.61. de matrimonio art.2. ad 4.* Emanuel Sa V. *Votum,* Enriquez, Toletus, Petrus de Soto, Herueus, Gandauo, Maironis, & propè innumeri Iuriſtæ, quos plena manu congeſſit, & ſequitur Thomas Sanchez *in dicta diſp.8. de diſpenſationibus, num.7.*

Et ſuadetur Primò; quia de facto Pontifices diſpenſarunt cum aliquibus monachis, vt vxorem ducerent ex vrgenti cauſa boni communis, v.g. cum Ramiro Monacho Benedictino, vt nuberet, & Regnum Aragoniæ acciperet gubernandum: & Cæleſtinus III. diſpenſauit (vt refert Caietanus) cum Conſtancia Monacha filia Regis Rogerij, vt nuberet Henriquo VI. In dubiis autem ſtandum eſt ſententiæ Superioris, *ex cap. ad aures, de tempor. ordinandorum,* & *cap. quid culpatur 23.q.1* quia factum Superioris cenſetur legitimum, maximè Summi Pontificis, cui † regimen totius Eccleſiæ incumbit, & 41
Spiritus Sanctus magis aſſiſtit. Tum, quod ſententia Iudicis Superioris maximè Papæ habetur pro re iudicata, & res iudicata habenda eſt pro veritate. Cùm igitur ex ſententia Summorum Pontificum conceſſæ fuerint huiuſmodi diſpenſationes, validæ quidem cenſendæ ſunt ac legitimæ; ac proinde iam tranſierunt in rem iudicatam. Vrgeo hoc argumentum. Aut iſtæ diſpenſationes fuerunt validæ, aut non: (ſiue Pontifices peccauerint ſiue non, eis indulgendo, de quo non curo in præſentiarum.) Si demus ſecundum: ergo non ſtamus ſententiæ, & facto ſupremi Principis ac Iudicis contra allegatos canones: ſi demus primum: ergo facto Pontificum diffinita manet facultas eorum, ad diſpenſandum in votis ſolemnibus religionis approbatæ. Admiſſáque hac conceſſione per fide dignam hiſtoriam, quæ contradici non poteſt, parum aut nihil probabilitatis retinet prior ſententia, quæ attento duntaxat iure communi procedit, vt benè notat Nauarrus *in præallegato conſilio 13. de regularibus.*

Secundò; quia Eccleſia non ſemel diſpenſauit

fauit in voto solemni continentiæ ordini Sacro, & religioni militari equitum Sancti Ioannis, quod exemplis superius adductis constat. Sed votum solemne religionis, nihil speciale habet, quod magis obstet dispensationi: ergo similiter erit dispensabile. Minor pa-
42 tet, quia † tria includit votum solemne religionis regularis, nimirum, promissionem Deo factam, materiam v.g. castitatem perpetuam, & solemnitatem. Ex parte nullius fit magis indispensabile, quàm votum solemne ordinis Sacri, aut religionis militaris in equitibus illius: non ex parte promissionis, quia vtrobique est promissio Deo facta, & vtraque promissio est verè votum integræ ac perpetuæ castitatis, & vtriusque voti obligatio est iuris Diuini ac naturalis; neque ex parte materiæ, quia vtriusque est eadem materia, scilicet integra & perpetua continentia: neque ex parte solemnitatis, quia aut vtriusque voti solemnitas est ex Ecclesiæ institutione, & humani iuris Pontificij inuentum, vt volunt Rodericus & Nauarrus *vbi supra*; quæ opinio mihi non placet, & *infra* est refutanda. Aut quod verum est, solemnitas votorum religionis regularis approbatæ, est illis conueniens ex natura rei, vtpote in qua consistit essentia professionis. Solemnitas autem voti continentiæ Clerici & militis Sancti Ioannis est illis annexa, ex iure humano Pontificio, tamen illâ Ecclesiæ institutione suppositâ manet votum illud indissolubile, vtpote cuius vinculum & obligatio est iuris naturalis ac Diuini, quia hoc conuenit illi ex intrinseca ratione voti, etiamsi esset simplex, & à solemnitate accidentali independens.

43 Tertiò probatur; quia † ex quatuor quæ includit, vel concernit votum solemne continentiæ religiosi nullum est indispensabile: nimirum votum ipsum, quod in promissione voluntaria ac deliberata consistit; materia illius, scilicet, continentia; traditio in qua essentialis solemnitas sita est, & ipsa professio per quam religiosus Dei obsequio mancipatur & veluti consecratur, ac seculo moritur. Ostenditur assumptum. Inprimis votum istud non redditur indispensabile ratione sui, quia votum simplex castitatis & religionis est vinculum obligans ad sui obseruationem, pariter de iure Diuino ac naturali, in quo est eiusdem rationis cum voto solemni, de eadem materia, conueniítque cum illo vniuocè, etsi differant specificè, ob conditionem solemnitatis inclusam in vno & non in altero: igitur cum votum simplex castitatis & religionis sit dispensabile à Papa, frequentérque ab illo dispensetur, non obstante obligatione iuris Diuini ac naturalis: cur solemne attenta sola ratione voti non erit dispensabile? Deinde quod ratione materiæ non sit indispensabile, patet. Nam licet non sit digna ponderatio continentis animæ, vt dicitur *Ecclesiastic.* 26. ibi solum fit comparatio continentiæ ad bona externa corporis, vt ex parente Augustino D. Thomas *in dicto artic.* 11. *in solutione ad vltimum* interpretatur. Vnde alia bona sunt excellentiora continentiæ, videlicet Contemplatio, Oratio, Martyrium, & Religio, quorum vota dispensabilia sunt: igitur à fortiori & votum continentiæ est dispensabile. Et dato, continentiam excedere quodcumque aliud bonum particulare, ob cuius causam nequeat dispensari: exceditur tamen à bono communi, puta, vnius Regni, vel Prouinciæ, ob cuius proinde causam, potest ac debet ea causa vrgente dispensari. Rursus quod non sit indispensabile ratione traditionis, patet: Quoniam licet iuri naturali ac Diuino repugnet rem traditam vni, transire in dominium alterius; hoc intelligitur cum duabus limitationibus, scilicet quod non exigat contrarium ratio boni communis, & quod illa translatio fiat inuito priori Domino, quorum neutra obstat dispensationi voti solemnis continentiæ; non quidem Prima, quia sicut leges præscriptionis rem vnius transferunt legitimè in dominium alterius, scilicet præscribentis, ob rationem boni communis, hoc est, ad vitandas lites, & ad puniendam negligentiam hominis socordis circa bona sua, & ne rerum dominia manerent incerta: ita id exigente ratione boni communis, legitimè poterit religiosus traditus Deo & Religioni per votum solemne continentiæ, transire in dominium coniugis dispensato eo voto. Nec secunda, quia dum † Papa dispensat vt Dei Vicarius ac 44
delegatus in eo voto, prudenter censetur Deum ipsum delegantem dispensare, ac cedere iuri sui dominij, quod ex vi voti speciale erga eum religiosum adquisierat: cui proinde nulla fit iniuria, si religiosus dispensatus ob rationem maioris boni ducat vxorem: nemo enim patitur iniustum volens. Denique quod nec ratione professionis sit indispensabile, patet; Quoniam licet religiosus professus, in quantum talis, & in sensu composito non possit non esse professus, tamen in sensu diuiso nihil obstat, quominus manente eodem subiecto scilicet Petro v.g. possit fieri non professus, separando ab illo per dispensationem vota professionis; ad eum modum quo à calice consecrato, potest manente eadem materia argentea auferri consecratio, destructa solùm forma illius artificiali: licet in quantum consecratus & in sensu composito, non possit non esse consecratus.

Quartò probatur à simili voti solemnis paupertatis, quod † non est minus solemne, nec 45
minus de essentia professionis, quàm votum castitatis: & tamen est dispensabile; de factóque dispensatur, quoties Monachus assumitur ad Episcopatum: quod probat Sotus *lib.* 10. *de iustitia, q. vltima art.* 7. hoc argumento, cuius solutionem ipse fatetur se nescire. Clerici seculares assumpti ad Episcopatum, acquirunt verum dominium bonorum Ecclesiasticorum, hoc est redituum, decimarum & fructuum quoad illam portionem, quæ ipsis obtingit. Sed monachi quando assumuntur in Episcopos, eodem modo assumuntur atque Clerici, eodémque modo atque eodem tenore verborum illis, ac istis sua portio bonorum adiudicatur, vt patet ex Bullis assumptionis, consecrationis, & consignationis pensionum, in quibus Pontifex ait, se illis concedere liberam & plenariam curam & administrationem Ecclesiæ, in spiritualibus & temporalibus, nec non redituum & fructuum mensæ Episcopalis: igitur etiam sunt illorum veri domini sicut Clerici. Consequentia est nota: & vtraque præmissa est certa. Maior quidem, nam post † fa- 46
ctam diuisionem fructuum ac decimarum Ecclesiæ in quatuor partes per Simplicium Papam circa annum 470. hoc est circa tempora Parentis

rentis Auguſtini, quorum vna pars aſſignata fuit Epiſcopo, alia Clero ſiue Capitulo, alia pauperibus, & alia Fabricæ: ex quo tempore vnuſquiſque cæpit habere dominium ſuæ portionis, quod tamen non habebat ante illa tempora. Nam tempore illo antecedente quod cucurrit à principio naſcentis Eccleſiæ, vſque ad tempora Simplicij Papæ, & Auguſtini, cuncta bona Eccleſiarum conducebantur ad vnum aceruum ſiue cumulum pro indiuiſo, cuius diſpenſator erat Epiſcopus, diſtribuens ſingulis provt iuſta & æqua ratio exigebat, ob cuius fortè minus rectam diſpenſationem, mota fuit Eccleſia facere dictam quadripartitam diuiſionem, vt notat Sotus *in dicto lib. 10. de iuſtitia q. 4. art. 2. & 3.* Minor verò præmiſſa conſtat ex eo, quod in Bullis aſſumptionis Monachorum ad Epiſcopalem dignitatem, eodem modo ac tenore verborum, conceditur eis plenaria poteſtas ac cura Eccleſiarum in ſpiritualibus ac temporalibus, atque Clericis aſſumptis. Tum quia aliàs dominium illius portionis menſæ Epiſcopalis maneret incertum, id eſt abſque certo domino, quod iura abhorrent; ob cuius inconuenientis vitationem, leges præſcriptionis transferunt dominium rerum alienarum in præſcribentem. Tum etiam, quod
74 † finis dictæ quadripartitæ diuiſionis fuit, tribuere vnicuique parti dominium ſuæ portionis. Verumenimuerò, etſi D. Thomas tribus in locis proponens hoc argumentum, videlicet *in 4. d. 38. quæſtion. 1. articul. 4. quæſtiuncula 1. ad 3. & ad 5. & 22. quæſtion. 88. articul. 11. ad 4. & quæſtion. 185. articul. 8. ad 3.* vniformiter negat, religioſos promotos ad Epiſcopatum abſolui à voto paupertatis: eò quòd nihil vt proprium habere poſſunt, niſi duntaxat tanquam diſpenſatores bonorum Eccleſiæ; ſuffragante quoque huic ſententiæ textu, quem citat idem Angelicus Doctor *in canone ſtatutum 18. quæſtion. 1.* ibi; *Monachum Canonica electio à iugo monaſticæ profeſſionis abſoluit, & Sacra Ordinatio de monacho Epiſcopum facit*: & infra. *Epiſcopus ordinatus ad altare, quid acquirere potuit, reſtituat:* iuncto alio *ex capit. de monachis 16. quæſtion. 1.* vbi decernente, quod monachus promotus ad Epiſcopatum non debet à priori propoſito diſcedere, ſubdit Sanctus Doctor: quod ſi religioſus factus Epiſcopus obtineat licentiam teſtandi à ſede Apoſtolica, illa diſpoſitio non valet in vi teſtamenti, ſed tantùm in vi diſpenſationis, quæ ex Papæ licentia extendit ſuum effectum etiam poſt mortem: cum tamen diſpenſatio commiſſa ex iure ordinario religioſo facto Epiſcopo, non duret niſi vſque ad mortem excluſiuè, poſt quam tamen valet teſtamentum.

48 Sed ſentio cum Soto, quod † religioſi facti Epiſcopi habent dominium portionis ſibi aſſignatæ, non ſecus atque Clerici, ſiue illa portio ſit pinguis, ſiue tenuis, contra Caietanum *in dicto artic. 8. quæſtionis 185.* quod mihi perſuadeo, tum rationibus iam perpenſis: tum quia ſi malè diſpenſarent ea bona dicti Epiſcopi ex religione aſſumpti, tenerentur ad reſtitutionem, quod nullus admittet, ſed neque admittere poteſt; cum experientia hucuſque compertum ſit, nullam talem reſtitutionem poſt mortem horum Epiſcoporum factam fuiſſe

Tum quod † facultas à Papa illis conceſſa teſtandi, ſub eadem forma ac tenore verborum expeditur, atque conceſſa aliis Epiſcopis ex Clericatu aſſumptis; ac proinde eorum teſtamentum nedum in vi diſpenſationis, ſed etiam in vi teſtamenti & vltimæ voluntatis valet poſt eorum mortem, non minus quàm iſtorum. Tum etiam, quia aliàs huiuſmodi Epiſcopi non ſolo titulo miſericordiæ, ſed etiam titulo iuſtitiæ tenerentur pauperibus & fabricæ ſubuenire, vtpote diſpenſatores alienorum bonorum, quibus incumbit ex officio cura adminiſtrandi bona, quæ aut fabricæ, aut pauperum ſunt propria: quod tamen eſſe falſum patet, quia † 50 nec fabricæ Eccleſiæ, nec pauperibus tenentur ſubuenire titulo iuſtitiæ, aut debito legali, niſi ſolo titulo charitatis & miſericordiæ; quo etiam Eccleſiarum Parochialium Rectores, & Præbendati cathedralis Eccleſiæ tenentur: cum hoc diſcrimine, quod Epiſcopi tenentur maiores ſuppetias erogare, & ampliores Eleemoſynas elargiri, cæteris paribus, eò quòd pinguiores obtinent fructus: & incumbit eis cura ſalutis ſpiritualis ſubditorum totius Diœceſis, ad quam nedum ſpiritualia, verùm etiam temporalia ſubſidia conducunt, vtpote cum multi homines maximè mulierculæ ob egeſtatem in peccatum miſerè labantur. In ſecundo gradu Rectores parochialium, quibus cura ſalutis ſpiritualis ouium ipſius parochiæ incumbit: & in tertio gradu præbendarios titulus miſericordiæ conſtringit, licet iſtos minus ſtrictè, vtpote quibus nulla animarum cura incumbit; ſtrictius tamen quàm laicos, qui nec decimis, nec vllis Eccleſiaſticis reditibus potiuntur. Non inquam fabricæ, vtpote cui à principio aſſignata fuerit ſua portio condiſtincta & condiuiſa, à portione menſæ Epiſcopalis. Sed neque pauperibus, quorum portio aut nunquam fuit apud Epiſcopos (quod dubitanter adſtruit Sotus) aut ſi aliquando fuit apud illos, nimirum quando aceruus erat communis, ante dictam illius quadripartitam diuiſionem, aut etiam aliquanto tempore poſt ipſam, quod mihi verò ſimilius apparet. Verumtamen iam ab illis fuit abſtracta & ſeparata per ſedem Apoſtolicam, in beneficiis præſtimonialibus, quæ Sedes Apoſtolica à menſa Epiſcopali ſeparauit, & deſtinauit pro alendis in ſtudio ſtudentibus pauperibus, necnon filiis ſecundis Procerum, ad maiorem tum Eccleſiæ, tum familiarum nobilium ſplendorem. Ex quo tempore Epiſcopi minimè portionem retinent apud ſe, ac proinde nec titulo iuſtitiæ tenentur illis ſubuenire, ſed alteriori duntaxat, ſcilicet charitatis & miſericordiæ, eis de ſuperfluo ſuorum redituum ſubuenire adſtringuntur. Dixi, *de ſuperfluo*, quia ſiue reditus menſæ Epiſcopalis ſint tenues ſiue pingues, eorum dominium habet Epiſcopus, vtpote cui tota illa portio eſt applicata & conſignata, vt illam tanquam propriam poſſideat, & de illa tanquam de proprio curam habeat, quia iſte fuit finis quadripartitæ diuiſionis: ſicut & illius priſtinæ, quam ius gentium fecit in bonis antea communibus, introducens meum ac tuum. Et quoniam in huiuſmodi reditibus Epiſcopalis menſæ, non eſt facile diſtinguere partem cuius Epiſcopus ſit Dominus, & exceſſum cuius non ſit Dominus, vt rectè Sotus aduerſus Caietanum arguit. Quare verius Epiſcopis attribuitur

dominium

dominium totius portionis, cum obligatione elargiendi pauperibus eleemosynas de illius superfluo, secundum prudentis viri existimationem. Hinc constat vtramque præmissam nostri discursus esse veram, ac proinde conclusionem ex illis illatam, nimirum, † Episcopos
51 ex monachatu assumptos absolutos manere à voto paupertatis, neque absque legitima causa, sed ob legitimam satis, scilicet ob rationem boni communis, quam assignat D. Thomas *in eodem articulo* 8. nimirum perficiendi non seipsos qui iam censentur perfecti, sed alios, hoc est, suos subditos in spiritualibus & temporalibus, quorū proinde possessionē habere debent.

Tria tamen restant declaranda. Primum quidem, quid sentiendum sit de sententia Angelici Doctoris. Secundum est, à quibus votis & legibus religionis maneat monachus assumptus ad Episcopatum absolutus ex vi consecrationis, & à quibus non. Tertium est, quomodo sint concordandi illi textus citati ex canone *statutum*, & canone *de monachis*, prima facie sibi inuicem aduersantes; dum vno dicitur, monachum manere ex vi assumptionis ad Episcopatum à iugo regulæ absolutum: & in altero eum non debere à priori proposito discedere.

Igitur ad primi quæsiti declarationem, dico Sanctum Thomam loquutum fuisse in tribus locis præallegatis, secundum illum pristinum statum, in quo extabat cumulus siue aceruus decimarum & aliorum reditum Ecclesiæ indiuisus, cuius Episcopus dispensator & non dominus erat: qui proinde nostræ doctrinæ non aduersatur, quæ de eodem cumulo iam quadripartito & singulis dominis applicato procedit. Nec D. Thomas negat, posse monachum in aliquo casu specialissimo ob rationem boni communis manere absolutum, per Papæ dispensationem à voto paupertatis: imò id concedit *in loco citato ex* 4. *sententiarum*: nam dum ibi fatetur, posse Papam dispensare cum monacho in voto continentiæ, vt vxorem ducat, tacitè id ipsum admittit de voto paupertatis & obedientiæ; quod tam certum est, quantò debet esse, quod monachus ducens vxorem manet omnino liber à regula monachali, ac per consequens absolutus à voto obedientiæ, quippe qui nulli Superiori intra religionem tenetur obedire: atque à voto paupertatis, quippe qui paternæ hæreditatis, ac dotis vxoris fit dominus, ac cæterorum bonorum, quæ durante matrimonio acquirit; in quibus & filij legitimi succedere possunt ac debent.

Sed solùm negat Sanctus Doctor, huiusmodi dispensationem de facto interuenire, quoties monachus in Episcopatū promouetur: nam cum hæc promotio sit frequens, noluit tam frequentem dispensationem in voto solemni paupertatis admittere, sicut neque illam in aliis duobus votis admisit, eo vel maximè quod eorum obligatio compatibilis videbatur cum statu ac dignitate Episcopali, vt in explicatione secundi quæsiti patebit.

Pro qua operæ pretium est reminisci illius trimembris diuisionis, quam idem Sanctus Doctor facit *in dicto articul.* 8. *quæstionis* 185. *de obseruantiis religionis*. Aliæ namque sunt (ait ille) quæ non obstant Pontificali officio, quin potius adiuuant illud, vt sunt tria vota solemnia, obedientiæ, castitatis, & paupertatis: aliæ sunt quæ obstant officio Pontificali, & illud impediunt, vt sunt silentium, solitudo, & prolixa ieiunia. Denique aliæ sunt indifferentes, quæ nec obstant nec impediunt semper, etsi aliquando molestæ sint, & nonnihil impediant, vt sunt abstinere à carnibus, vestiri lineis, &c. Igitur ab obseruantiis primi generis ait Sanctus Doctor, non manet Episcopus assumptus de religione absolutus, quia non manet absolutus à voto obedientiæ, cuius obligatio non tollitur, sed vel commutatur, ita vt qui ante tenebatur obedire Prælato religionis, deinceps teneatur soli Papæ obedire: vel manet in promptitudine animi, id est in proposito obediendi Superiorem si quem habuerit. Cùm enim obedientia sit virtus ad alterum, in quo sit Prælatura, vt quando monachus monasterij fit Abaas, non tenetur obedire alteri, quia alter non est Abbas: neque sibiipsi quia non est alter: sed tenetur habere propositum obediendi Abbati, quando eum habuerit sibi præfectum. Haud dissimiliter † Epis- 52
copus de monachatu assumptus, non tenetur actualiter alteri Prælato obedire, sed sufficit si virtualiter, & in præparatione animi obediat; ideſt cum proposito conditionato obediendi Prælatum si eum sibi Superiorem habuerit: imo in consecratione nouo voto simplici obediendi Summo Pontifici, antiquum & solemne votum obedientiæ confirmat. Nec manet absolutus à voto castitatis, quæ non est incompatibilis cum eo statu, quinimo illum valdè perficit ac decorat. Ideóque cælibatum solemni voto in religione promissum, de nouo simplici voto confirmat in sui consecratione; in qua omnes Episcopi Occidentalis Ecclesiæ cælibatum promittunt. Hoc ipsum iudicium fecit D. Thomas de voto paupertatis, dicens † illud non tolli, sed commutari in Episcopo 53
ex religione assumpto; non enim tollitur, quia nihil vt proprium possidet: commutatur autem aliqualiter, quatenus datur ei facultas dispensandi reditus & fructus Ecclesiasticos, vsque ad mortem excluſiuè, nec non paternam hæreditatem adeundi, non iure dominij, sed titulo dispensatoris, cui Ecclesia post eius mortem succedat.

Ab obseruantiis verò secundi generis manet omnino absolutus Episcopus assumptus ex religione: ab aliis autem tertij generis, nec absolutus manet omnino, nec illis ligatus debito legali aut coactiuo, nisi tantùm decentiæ & honestatis, super quibus proinde secum, sicut Prælatus religionis rationabiliter potest dispensare. Vnde inferre licet, Dominicanos Episcopos non teneri sub mortali abstinere à carnibus in die natalis Domini occurrente in sexta feria, quia absoluti manent à iugo regulæ; quinimo eorum regula prohibens esum carnium, nec coactiua est, nec præceptiua aut obligans ad culpam, nisi tantùm ad pœnam. Rursus quia dictis Episcopis licitum est etiam ea die habere suos commensales præbendarios, & Vicarium Generalem, quibus valde molesta fieret talis à carnibus abstinentia.

Hinc colligitur manifesta eorum textuum concordia. Nam in primo, scilicet Canone *statutum*, fit sermo de obseruantiis tertij generis, à quibus manet absolutus monachus factus

Epiſcopus: in ſecundo verò Canone *de monachis*, fit ſermo de obſeruantiis primi ac ſecundi generis, à quibus proinde non debet diſcedere. Vel dicendum eſt, quod *in cap. ſtatutum*, fit ſermo de debito legali, & vi coactiua legum, quæ nomine iugi ſignificatur, & ab hoc iugo manet monachus promotus in Epiſcopum abſolutus, (exceptis votis obedientiæ & caſtitatis) *in cap.* verò *de monachis*, fit ſermo de debito decentiæ & honeſtatis, à quo dictus Epiſcopus non debet diſcedere.

Iam ad argumenta adducta pro prima opinione, ex dictis haud difficilis eſt reſponſio. Ad primum enim deductum *ex cap. cum ad*
54 *monaſterium*; Reſpondetur † Papam non poſſe variare eſſentias rerum, & ideo nec poſſe abſoluere religioſum profeſſum à voto ſolemni caſtitatis, quandiu manet in eo ſtatu & in ſenſu compoſito, ſicut nec poteſt fieri, quod corpus album quandiu manet ſub albedine & in ſenſu compoſito, fiat nigrum. Cum hoc tamen ſtat, quod Papa poſſit abſoluere religioſum per diſpenſationem à voto ſolemni caſtitatis in ſenſu diuiſo, & ſeparando illum ab ſtatu profeſſionis. Quemadmodum enim idem corpus album poteſt mutari in nigrum, immutatis manentibus eſſentiis albedinis & nigredinis, per ſolam ſtatus mutationem in eodem ſubiecto: ita idem homo poteſt de religioſo fieri vxoratus per Papæ diſpenſationem, immutatis manentibus eſſentiis religionis & matrimonij, per ſolam ſtatus in eodem ſubiecto mutationem. Vnde ſenſus illorum verborum Innocentij III. *in dicto cap. Cum ad monaſterium*; *vt contra eam nec Summus Pontifex poſſit licentiam indulgere*, iſte eſt, contra regulam monachalem, de cuius eſſentia eſt abdicatio proprietatis & cuſtodia caſtitatis, nec Summus Pontifex poteſt licentiam indulgere in ſenſu compoſito, id eſt, durante ſtatu regulæ monachalis: benè tamen eo amiſſo: vel erit iſte, contra eam nequit Pontifex licentiam pro libito, ac ſine vrgenti cauſa concedere, hoc enim ſignificat verbum Indulgendi.

Ad ſecundum reſpondetur; pariter diſtinguendo maiorem præmiſſam, res conſecratas & benedictas non poſſe non eſſe tales in ſenſu compoſito, & quandiu manet in illis conſecrationis & benedictionis forma; benè tamen in ſenſu diuiſo, atque tali formâ deſtructâ, & tunc benè poſſe ad alios vſus conuerti. Aut diſtinguas ſic. Huiuſmodi res ſemel conſecratæ ſiue benedictæ, non poſſunt in alios vſus conuerti de lege ordinaria, & extra vrgentem neceſſitatem, verum eſt: non poſſunt in alios vſus conuerti in caſu ſpecialiſſimo vrgentis neceſſitatis; falſum. Nam Dauid & eius milites fame oppreſſi *lib. 1. Regum cap. 21.* panes propoſitionis comederunt, qui tamen erant ſacrati & ſolis Sacerdotibus reſeruati: & aliàs ſiti periturus licitè poſſet in calice conſecrato ſitim extinguere; in quo etiam caſu vrgentis & communis neceſſitatis, fatemur poſſe ex Papæ diſpenſatione, religioſum relicto monachiſmo in ſtatum & vſum coniugij conuerti. Vel ſi maluе-
55 ris, vtere diſtinctione ſatis acutè à Caietano meditata, qui rerum conſecratarum ſeu benedictarum in duas claſſes diſtinguit. Alia namque ſunt (ait ille) quarum benedictio ſiue conſecratio eſt conſtitutiua, vtpote eas formaliter & completiuè conſtituens benedictas, ſeu conſecratas, reddénſque illas ad vnum ſacrum vſum deſtinatas, atque ad alios inhabiles. Cuius generis ſunt calicis, Epiſcopi, & Sacerdotis conſecratio, quæ proinde eodem ſubiecto manente non poſſunt non eſſe conſecratæ, ob formam moralem conſecrationis & vnctionis oleo ſacro impreſſam, vel ob characterem indelebilem in illis receptum. Aliæ verò ſunt, quarum benedictio ſiue conſecratio non eſt conſtitutiua, ſed tantùm inuocatiua, vtpote per quam inuocatur duntaxat nomen Dei Omnipotentis, vt eiſdem rebus vtentibus opem ferat. Huius generis benedictione ſeu conſecratione, menſa, nauis, & arma benedicuntur, & Imperatores conſecrantur, ac Reges vngi ſolent in quibuſdam Regnis. Quapropter huiuſmodi res manent habiles ad alios vſus prophanos, vt experientia conſtat: taliſque eſt benedictio monachi, ſi quam recipit in ſua profeſſione; neque enim per illam taliter deſtinatur ad ſeruiendum Deo intra clauſtra in obedientia, caſtitate, & paupertate, vt non maneat habilis & aptus ad alios humanos vſus.

Ad tertium patet ex tertia ratione facta pro ſecunda ſententia: vbi oſtendimus quod dum monachus, diſpenſatus ob rationem boni communis, vxorem ducit, eique dominium ſui corporis tradit, in nullo iuri naturali contradicit; eò quòd ius naturale tantum prohibet, ne res vni tradita, tradatur alteri inuito primo Domino, & ſine exigentia boni excellentioris, quale eſt bonum commune totius Regni aut prouinciæ. Quæ duo deficiunt in noſtro caſu: nam
† Papa diſpenſante vt Dei Vicario, cenſetur 56
Deus diſpenſare cum monacho vt vxorem ducat; voluntariéque abdicat à ſe dominium illud ſpecialiſſimum, quod erga monachum acquiſierat ex vi profeſſionis, permittens vt tranſeat in dominium vxoris. Quæ diſpenſatio non conceditur, niſi quando eam neceſſitas vrgens petit, & exigentia boni communis, quod præſtat bono priuato monachi degentis intra clauſtra.

Ad Quartum vt reſpondeamus, ſingula inconuenientia expendendenda ſunt. Et quidem ingenuè fatemur, † Papam poſſe diſpenſare 57
ob legitimam cauſam in aliquo iure Diuino & naturali: alioquin nec in votis ſimplicibus poſſet diſpenſare, quæ non minus quàm ſolemnia ſunt iuris Diuini & naturalis, cuius tamen oppoſitum quotidiana oſtendit experientia. Verum eſt, † huiuſmodi diſpenſationem non à 58
poteſtate Papæ ordinaria procedere, qui vt ſic inferior eſt iure Diuino ac naturali, ſed à quadam poteſtate delegata, quam ei Chriſtus Iuris Diuini ac naturalis author reliquit, ne Eccleſiæ ſuæ deficeret in neceſſariis. Videns enim frequentes fore filiis Eccleſiæ occaſiones non implendi vota ſemel emiſſa, ne in tanta ac tam frequenti neceſſitate relinqueret Eccleſiam ſine remedio, maximè cùm iam poſt eius aſcenſum in Cœlum, non ſit ad ipſum iuris Diuini ac naturalis authorem recurſus, voluit ſuo Vicario committere ac delegare hanc poteſtatem in illo diſpenſandi, quoties ob legitimam cauſam viderit expedire: de quo amplior inferius redibit ſermo.

Secundum

Secundum & tertium inconueniens non sequitur. Quia tam certum est Sedem Apostolicam posse dispensare in aliquo iure Diuino & naturali, scilicet, votorum & iuramentorum, quàm in aliis iuris Diuini ac naturalis casibus non posse. Vnde aliqua regula assignanda est, ad dignoscendum in quo iure diuino ac naturali possit dispensare, & in quo non possit. Duplicem regulam ad dignoscendum assignare possumus. Alteram quidem à posteriori, & veluti à signo: alteram verò à priori. Regula à posteriori hæc est. Ex eo quod aliquando Sedes Apostolica dispensauit in vno & nunquam dispensauit in alio, signum est posse in illo & non in isto dispensare. Nam sicut in naturalibus ex eo quod natura nunquam fecit aliquid, colligunt Philosophi illam non posse id facere, nam si potuisset, aliquando fecisset: ita in moralibus, ab eo quod Sedes Apostolica nunquam fecit, colligimus eam id non posse facere, bene autem posse id quod aliquando fecit. Vnde quia scimus eam aliquando dispensare in votis solemnibus professionis nedum simplicibus, ac iuramenta relaxare, nunquam autem dispensare de facto in matrimonio consummato, in vxorum pluralitate, aut in primo consanguinitatis gradu, rectè colligimus in illa esse potestatem ad primum, sed non ad secundum. Regula autem à priori hæc est, quod Sedes Apostolica in illo iure diuino ac naturali potest dispensare, ad cuius dispensationem accipit à Christo Domino potestatem delegatam & commissam; non posse autem dispensare in illo, ad cuius dispensationem non accepit à Christo Domino
59 talem potestatem. Accepit verò à Christo Domino † talem potestatem ad dispensandum illud, cuius dispensatio melior est in Ecclesia ipsa, quàm non ipsa; id est ex qua consulitur bono regimini Ecclesiæ, absque scandalo & morum Christiani populi corruptela, sed non accepit à Christo talem potestatem ad dispensandum illud, cuius non dispensatio melior est ipsa, quàm non ipsa, eò quòd melior esset in eo casu obseruantia iuris Diuini, quàm eius dispensatio seu relaxatio. Vnde quia ex dispensatione in votis solemnibus professionis nulla sequitur morum corruptio, nulla status religiosi labefactatio, & aliàs in casu specialissimo esset expediens ob rationem boni communis, scilicet, conuersionis vnius Regni, aut ipsius pacificationis; propterea Christus Dominus, ne regimini suæ Ecclesiæ in tam vrgenti necessitate minùs prouidus fuisset, voluit in ea relinquere huiusmodi delegatam potestatem, ad dispensandum in solemnibus votis professionis. Sed quia ex dispensatione iuris Diuini ac naturalis in matrimonio consummato, in Polygamia, & in primo gradu consanguinitatis, licet id videretur exigere ratio boni communis, ingens sequeretur morum corruptio, ac boni regiminis destructio, potiùs quàm ordinatio, ad illam faciendam noluit Christus relinquere delegatam Ecclesiæ potestatem; quin potiùs voluit respectu horum seruari inuiolabiliter leges Diuinas ac naturales, quod patentius fit ad singulos casus descendendo. Et quidem in primo casu matrimonij consummati nulla esse potest causa dispensandi, quia iuxta nostram regulam à priori assignatam, graniora incommoda sequerentur ex tali dispensatione, quàm ex negatione sequeretur. Ad quam regulam reducitur illa quam assignat Canus, *relect. de pœnitentia 5.* dicens aliquas esse leges Diuinas & naturales, quarum obseruatio nunquam est impeditiua maioris boni, neque vergit in salutis spiritualis detrimentum, cuiusmodi sunt leges de honorando parentes, de non furando & non mentiendo, ad quorum dispensationem non relinquit Christus in sua Ecclesia potestatem: alias verò esse, quarum obseruatio aliquando impedit maius bonum, & vergit in salutis spiritualis detrimentum, vt sunt leges de residentia pastorum in suis parochiis siue diœcesibus. Et de insolubilitate matrimonij rati atque de obseruantia votorum ac iuramentorum, ad quorum dispensationem Christus reliquit in sua Ecclesia potestatem, vtpote eius suaui regimini necessariam, non quidem vt frequenter fiat talis dispensatio, sed solùm in aliquo casu speciali; & ob causam rationabilem & vrgentissimam. Igitur quia lex de insolubilitate matrimonij consummati est primi generis, ideo ad illam dispensandam vel relaxandam nulla relicta fuit Ecclesiæ potestas. Ex eius enim relaxatione, in aliquo etiam specialissimo casu, sequeretur patens via ad frequentiùs petendam illam, labefactaretur quoque status matrimonialis, & coniuges affectarent rixas & contentiones in se inuicem, ad facilitandam coram Sede Apostolica sui coniugij dissolutionem; ex qua etiam peruerteretur filiorum educatio, qui est principalis finis matrimonij. Idem dicendum de lege prohibente Polygamiam: ex eius enim relaxatione crescerent dissidia & inuidiæ inter vxores, & periret pax domestica, atque incongrua valde esset filiorum ex diuersis vxoribus educatio. Quod si post matrimonium ratum, monachus dispensatus in casu specialissimo, ob dictam rationem boni communis, duceret vxorem aliam, non duas vxores simul haberet, sed vnam duntaxat, scilicet secundam; nam prior desiuit esse vxor dissoluto matrimonio rato, per subsequentem professionem. Similiter in tertio casu de impedimentis iure naturali dirimentibus matrimonium, nulla est potestas in Ecclesia ad dispensandum in illis; exceptis votis solemnibus professionis; quia † hæc est natura votorum, 60
vt eorum materia aliquando mutetur & fiat inutilis, vel maioris boni impeditiua. Cæterum ex aliorum impedimentorum dispensatione ingentia sequerentur incommoda, quibus nullum bonum quantumcumque commune præponderare valet. Nam ex dispensatione in primo gradu consanguinitatis semel concessa, tot essent inter fratres & sorores, in eadem domo cohabitantes, & sæpe in eodem lecto condormientes, fornicationes, tot luxuriæ sub spe dispensationis obtinendæ, quot numerari non possunt, perirétque decentia amica naturæ, sororum ad fratres, & filiarum ad parentes, ob quam nunquam (vt alibi ostendimus) fuit dispensata aut permissa talis commixtio: sed neque permitti potest aut debet, nisi genus humanum reduceretur ad pristinum illum statum, in quo fuit necessaria ob sui conseruationem, quia aliàs omnino extingueretur,

tur, niſi Pater cum filia, aut frater cum ſorore coniugium inirent. Iam de quarto caſu ſiue inconuenienti dicendum eſt, quod quando diſpenſatur cum monacho profeſſo vt vxorem ducat, non dari eam diſpenſationem ſolùm ob bonum corporale ipſius, aut carnis fœcunditatem, quæ vt ſic, nequit bono continentiæ præponderare, ſed ob rationem boni communis, quod continentiæ monachi præponderat. Neque propterea damnamus factum Sancti Apoſtoli Mathæi, nolentis diſpenſare cum Iphigenia vt nuberet Hirtaco Regni ſucceſſori: imo neque Iphigenia voto ſolemni caſtitatis erat adſtricta, cum nondum eo tempore religiones eſſent in Eccleſia à ſede Apoſtolica approbatæ; ſed tantùm ſimplici, in quo ſe poſſe diſpenſare Apoſtolus non potuit ignorare. Sed neque ipſe Hirtacus talem promiſſionem fecerat de ſui ac totius Regni cõuerſione; apochrypha enim id tradit hiſtoria. Vnde ſi Apoſtolus Mathæus in eo voto Iphigeniæ non diſpenſauit, non fuit quia non potuit, ſed quia noluit eam à propoſito in quo firmiter perſeuerantem videbat, diuertere, ob iuſtiſſimam cauſam, nimirum vt ipſe fieret Martyr Virginitatis, & in voto Iphigeniæ choros Virginum ſequentium agnum immaculatum futuros initio naſcentis Eccleſiæ feliciter conſecraret.

61 Hinc colligo primò; † rationem ob quam Papa poteſt diſpenſare in votis ſolemnibus profeſſionis, nõ eſſe quia ſolemnitas ſit de iure humano Pontificio: vt putant Sotus, Paludanus, Abulenſis, Azorius, & Thomas Sanchez, cum aliis relatis *ſuperius initio huius quæſtionis*; quam etiam ſecutus fuit Nauarrus *lib. 3. conſiliorum titulo de regularibus conſilio 13. in Manuali cap. 12. numer. 75. & in commentario 2. de regulàr. numero 17.* dicens, quod etſi obligatio ſit de iure Diuino, eius ſolemnitas eſt de ſtatuto Eccleſiæ, & inuentum iuris humani Pontificij, ad quam Pontifices tres conditiones poſtularunt, nimirum, quod conſtet ex tribus votis, obedientiæ, caſtitatis, & paupertatis. Quòd huiuſmodi vota emittãtur in religione per ſedem Apoſtolicam approbata, & in manibus eius qui poſſit vouentem incorporare religioni: & cum hæc ſint de iure humano Pontificis, propterea Summus Pontifex poteſt in hac ſolemnitate diſpenſare. Sed cum oſtenſum fuerit huiuſmodi ſolemnitatem eſſe de iure Diuino ac naturali, vtpote in ſola traditione conſiſtentem, hæc ratio ruit. Aliud enim eſt ſolemnitatem profeſſionis depẽdere ex ſtatuto Eccleſiæ, vt à conditione præſuppoſita ſiue remota; aliud verò illam eſſe formaliter de ſtatuto Eccleſiæ & iuris humani Pontificij. Primum fatemur, ſed negamus ſecũdum. Nam bene ſtat, aliquem contractum eſſe de iure Diuino & naturali, atque dependere vt à conditione ab aliquo humano ſtatuto, vt patet in matrimonio, & in contractu emptionis ac venditionis: in illo quidem, quia eſt de iure naturali, vt contractus, & de iure Diuino vt Sacramentum inter perſonas habiles initum, ſuppoſito ſtatuto Eccleſiæ declarantis in Tridentina Synodo *ſeſſ. 24. decreto de reformatione matrimonij*, quæ ſint perſonæ habiles, nimirum, illæ duntaxat quæ contrahunt coram parocho & duobus teſtibus: In iſto autem, quia eſt de iure Diuino ac naturali, vt res venales emantur iuſto pretio, ſuppoſito tamen ſtatuto Principis taxantis iuſta pretia rebus venalibus. Haud diſſimiliter dicimus, ſolemnitatem profeſſionis & traditionem, qua vouens ſui dominium transfert in Deum & Religionem, eſſe de iure Diuino & naturali, dependenter tamen à quadam humana conditione præſuppoſita, hoc eſt ab ſtatuto Pontificis ſiue Eccleſiæ approbantis eam Religionem, & acceptantis illam tanquam de numero approbatarum. Igitur ratio ob quam Papa poteſt diſpenſare in horum votorum ſolemnitate, non eſt quia ſit de iure humano; ſed quia licet ſit de iure Diuino & naturali, vt reuera eſt, tamen Pontifex habet à Chriſto Domino delegatam poteſtatem ad diſpenſandum in eo iure Diuino, in aliquo caſu ſpecialiſſimo, & ob cauſam boni communis, quia ita ſuaue Eccleſiæ regimen poſtulauit, ne ei deficeret in neceſſariis.

Colligo Secundò; † Papam quando in votis ſimplicibus diſpenſat, aut etiam aliquando in votis ſolemnibus profeſſionis, verè in iure Diuino ac naturali diſpenſare, provt diſpenſatio eſt iuris relaxatio. Hoc corollarium deducitur aduerſus Durandum *in 4. d. 33. quæſtion. 1.* Maiorem *d. 27. quæſtion. 6.* Catharinum *lib. 6. in Caietanum in ea quæſt. Vtrum Papa diſpenſare poſſit in voto religioſorum*, Sotum *in 4. d. 18. quæſt. 1. articul. 5. ad 1. & lib. 7. de iuſtitia, quæſt. 4. articul. 1. ad 2.* Suarium 3. *part. ſuper quæſt. 74. de Euchariſtia art. 2. diſput. 43. ſection. 4. & lib. 6. de religione capit. 9.* Turrecrematam, *in ſumma de Eccleſiaſtic. lib. 3. capit. 54.* & ſuper *cap. coniunctiones 35. quæſtion. 2.* & Couarruuias 4. *decret. 2. part. cap. 6. §. 9.* & Sylueſter V. *votum 4. §. 3. dicto 3.* & alios tum Theologos, tum Iuriſtas relatos & refutatos à Thoma Sanchez, *lib. 8. de diſpenſationibus diſp 6. n. 4.* aſſerentes, nullam eſſe poteſtatem in Eccleſia diſpenſandi in iure Diuino aut naturali, ad quod ſpectat votorum obligatio, provt diſpenſatio eſt iuris relaxatio, niſi tantum provt eſt authoritatiua declaratio id ius in tali euentu non obligare. Pro qua opinione, citat etiam Sanctum Thomam *quodlibeto 4. art. 3. in corpore & ad 1.* ſed falsò omnino, quia ibi ſolùm diſputat, vtrùm veræ aquæ ſint ſupra cœlos, nec leuiter verbum diſpenſationis vſurpat. Sed noſtrum corollarium eſt potiùs expreſſa ſententia Angelici Doctoris *in 4. d. 38. q. 1. art. 4.* vbi refutatâ primâ ſententiâ concludit, dicens. *Ideo aliter dicendum, quod in voto poteſt diſpenſari, etiam ſecundum quod diſpenſatio eſt iuris relaxatio ex aliqua legitima cauſa*: Et *22. q. 88. art. 10.* probat in Eccleſia eſſe poteſtatem diſpenſandi in votis dupliciter. Tum in argumento *ſed contra*, ex diſpenſatione legis communis, arguit diſpenſationem voti, quod eſt lex particularis: nam illa habet maius robur ex voluntate communi, quàm lex voti quæ habet robur ex voluntate particulari: diſpenſatio autem boni communis verè eſt relaxatio iuris: ergo à fortiori, diſpenſatio voti erit iuris relaxatio. Tum in corpore articuli; quia ſicut lex reſpicit id quod eſt bonum vt in pluribus, ita votum eſt de meliori bono: ſicut autem bonum vt in pluribus poteſt ex aliquibus circunſtantiis reddi malum, ac proinde præbere cauſam diſpenſa- 62

tioni: ita melius bonum potest ex aliquibus circunstantiis reddi malum, vel minus bonum, vel maioris boni impeditiuum, ac proinde præbere causam dispensationis quod frustraneum foret, nisi in Ecclesia esset potestas dispensandi in votis: igitur, &c. Nec obstat quod D. Thomas *in solutione ad 2. eiusdem articuli*, ait Prælatum dispensantem in voto non dispensare in iure Diuino naturali, sed solùm facere, quòd res cadens sub voto, iam non contineatur sub illo, nec sit materia congrua illius: non inquam obstat, quoniam sensus & mens Sancti Doctoris est, quod Prælatus dispensans in voto, non dispensat in lege naturali in communi de adimplendis votis, bene tamen dispensat in lege Diuina naturali in particulari, subtrahendo materiam à voto, & tollendo vinculum voti respectu huius vouentis. Ideó-
63 que assignat † triplicem causam dispensandi in votis; nimirum, quia materia promissa Deo redditur mala, vel inutilis, vel maioris boni impeditiua. Cum D. Thoma consentiunt Panormitanus *in cap. Proposuit, de concessione præbendarum, num.* 12. Nauarrus *in Manuali cap.* 12. *num.* 63. Paludan. *in* 4. *d.* 38. *q.* 4. *art.* 3. Palacios *disput.* 3. Canus *relect. de pœnitentia p.* 5. *circa finem.* Raphaël de la Torre *tom.* 1. *de religione q.* 88. *art.* 10. *disp. vnica*, Thomas Sanchez *dicto lib.* 8. *de dispensationibus disp.* 6. & 8. & communiter Summistæ. V. *dispensatio*; vno aut altero excepto, & Abulensis *Numerorum cap.* 30. *quæst.* 102.

64 Quorum sententia suadetur Primò. † Potestas residens in Ecclesia ad dispensandum in votis, est potestas ad tollendum voti vinculum in perpetuum ex rationabili causa, etiam quando supponitur eius obligatio: Sed vinculum voti est iuris Diuini naturalis: ergo per huiusmodi dispensationem relaxatur ius Diuinum naturale in particulari, respectu vouentis cum quo fit dispensatio. Consequentia est nota, & Minor apud omnes vnius & alterius opinionis est certa; imò ideo authores primæ negant per voti dispensationem relaxari illius vinculum formaliter, quod existimant esse iuris Diuini naturalis, in quo Papa dispensare non potest. Maior autem colligitur *ex cap.* 1. & 2. *de voto* & *ex cap. veniens extra, qui Cleri. vel vou.* vbi Pontifex dispensat cum quadam fœmina vt nuberet, quæ vouerat castitatem, & voti vinculo tenebatur, vt patet ex illis verbis subiunctis: *Quod de fide mentita, & voto violato congrua imponatur satisfactio.* Idem probat vsus Prælatorum communis, qui quoties dispensant in votis, existimant se non solùm interpretari, sed etiam tollere vinculum voti, siue isto siue illo modo fiat. Nam sicut dispensans in lege humana, scilicet ieiunij, tollit vinculum talis legis & obligationem ieiunandi; ita dispensans in voto tollit illius vinculum & obligationem in perpetuum: quæ proculdubio est legis naturalis Diuinæ. Secundò pro-
65 batur. Certum est † posse Pontificem relaxare iuramenta, *ex cap. si verò de iureiurando*: vbi dicitur, iuramenta facta ex metu esse valida, sed tamen relaxanda: igitur pariter potest in votis dispensare. Consequentia patet, quia vtrobique consurgit obligatio iuris Diuini; nam sicut de votis dicitur *Psalmo* 49. *Redde Altissimo vota tua*; ita *Mathæi* 5. dicitur; *Reddes Domino iuramenta tua.* Tertiò probatur ex D. Thoma 1. 2. *q.* 97. *artic.* 4. *ad* 3. asserente, quod † in 66
præceptis iuris naturalis solus Deus qui est eiusdem iuris author valet dispensare, vel cui ipse specialiter committeret: Atqui ad suaue Ecclesiæ regimen expediebat hanc potestatem relinqui Pontifici ex commissione Dei, vtpote eius Vicario: igitur ex tali Dei commissione potest in votis dispensare, tollendo obligationem iuris Diuini naturalis. Quemadmodum sæpius contingit, Legatum Pontificis in eius legibus, & Vicarium Regis in eius absentia in legibus ciuilibus dispensare, imo & contractus initos inter ciues & ipsum Regem rescindere, quando id iudicat ad bonum Reipublicæ temporalis expedire.

Quartò suadetur ab inconuenienti duplici, quod sequitur ex contraria opinione: nimirum, quod si hæc potestas tantum esset ad declarandum, vel interpretandum legem Diuinam in aliquo casu speciali non obligare; eò quòd eius materia reddita sit mala, vel inutilis, vel melioris boni impeditiua, ea declaratio, siue interpretatio non esset actus iurisdictionis, sed prudentiæ ac doctrinæ: ac proinde potius conueniret Theologiæ aut Iurisprudentiæ peritis, ac etiam Medicis, qui melius iudicarent de infirmitate, aut imbecillitate & impotentia vouentis ad votum implendum, quod tamen non est admittendum: ergo. Secundum inconueniens est, quod hæc potestas delegata ad dispensandum in votis fuisset in omni statu, scilicet, legis naturæ, legis scriptæ, & legis gratiæ; eò quòd in omni statu ad bonum populi fidelis, regimen expediens fuit dari hanc dispensandi in votis potestatem, ne Deus deficeret suo populo in necessariis; alioquim contingeret vouentem offerre Deo tanquam rem gratam, id quod malum, inutile, aut impeditiuum maioris boni esset. Ob quam rationem probat D. Thomas *in articulo præallegato*, dari in lege gratiæ huiusmodi potestatem: hoc autem etiam est inconueniens: quia sic talis potestas esset ad ordinem gratiæ consecuta, & non specialiter Petro & suis successoribus commissa. Pro huius argumenti maiori luce sciendum est; Primò facultatem declarandi siue interpretandi votorum impletionem, posse competere Iuris doctis ac Medicis modo dicto: verùm facultatem declarandi illam, & interpretandi authoritatiuè, ita vt tutum ac certum omnino reddat eum, cum quo fit talis dispensatio, non Iuris doctis, sed solùm Summo Pontifici competere: quia sic interpretari legem est solius conditoris, aut eo superioris, vt habetur *in cap. inter, de sententia excommunic. cap. ideo* 25. *quæstion.* 1. *cap. sicut enim* 11. *quæstion.* 1. & *lege finali ff. de legibus.* Et sicut hæc facultas interpretandi authoritatiuè Diuinam legem, competit Summis Pontificibus ex ipsius Dei commissione, ita dicimus facultatem dispensandi in lege Diuina circa vota, competere illis ex solius Dei commissione.

Sciendum est secundò; † huiusmodi dispen- 67
satiuam seu declaratiuam legis Diuinæ facultatem circa vota, non esse annexam ordini gratiæ secundum se & in omni statu, eò quòd est potestas spiritualis pertinens ad claues, cuius actus est iurisdictionis. In lege autem naturali & scripta non fuerunt claues, vt est in confesso

apud omnes Theologos: ac proinde talis poteſtas fuit ſpecialiter commiſſa Petro & eius ſucceſſoribus, in illis verbis Chriſti Domini *Matthæi* 18. *Quodcumque ſolueritis ſuper terram erit ſolutum & in cœlis.* In quibus conſtat Eccle-
68 ſiaſtica traditione †Chriſtum conceſſiſſe Petro & ſucceſſoribus eius ſpecialem poteſtatem abſoluendi à peccatis & cenſuris, necnon diſpenſandi Chriſti ac Sanctorum merita per indulgentiarum conceſſionem, & ad alia quæ ad paſcendum Chriſtianum gregem, & pro debita Chriſtianæ Reipublicæ gubernatione ſunt neceſſaria. Atqui non minus ad hunc finem erat neceſſaria poteſtas diſpẽſandi in promiſſionibus Deo factis: igitur & hæc etiam in dictis verbis fuit conceſſa. Quare non inconuenit dicere, hanc eſſe excellentiam legis Euangelicæ propriam, quam proinde non oportuit aliis legibus communicari. Nec tamen Deus defecit illis in neceſſariis. Tum, quod in lege naturæ non erant adeò frequentia vota: ſolius namque voti emiſſi à Iacobo Geneſis 28. de ſoluendis decimis, meminit ſacer textus. Tum, quod in lege ſcripta, Sũmo Sacerdoti in Ephod & rationali reuelabatur ſolutio dubiorum, ad populi regimen neceſſaria. Dicitur enim *Leuitici* 13. *ſi difficile atque ambiguum iudicium eſſe perſpexeris &c. ſurge & aſcende ad locum quem elegerit Dominus Deus tuus, &c. & facies quodcumque dixerint, qui præſunt loco, quem elegit Dominus.* De poteſtate autem ſpeciali diſpenſandi in votis, provt diſpenſatio relaxat ius Diuinum, vero ſimilius eſt illam non fuiſſe communicatam Summo Sacerdoti legis ſcriptæ, ob rationem dictam; quòd ibi non fuerunt claues, ad quas pertinet talis poteſtas, & quòd ſit propria excellentia legis gratiæ: præterquam quod de hiis quæ à ſola libera voluntate Dei dependent, vt ſæpiùs docet D. Thomas, nihil certò ſtatuere poſſumus, niſi id quod nobis fuerit reuelatum; nihil autem hucuſque fuit nobis circa talem diſpenſationem in iure Diuino, ac poteſtatem pro Sacerdotibus legis veteris Diuina reuelatione traditum.

Vltimò probatur ſatisfaciendo tribus argumentis, quæ pro aduerſa opinione militare & noſtræ obſtare videntur. Primum eſt, quod etiam commiſſa fuiſſet Pontificibus facultas diſſoluendi matrimonium ratum, cuius vinculum eſt de iure Diuino naturali: vtpote cum eius relaxatio quandoque non ſit minùs expediens bono Regimini Reipublicæ Chriſtianæ, quàm votorum ſimplicium diſpenſatio.

Secundum eſt, quia non videtur dari caſus, in quo locum habeat voti diſpenſatio, provt eſt iuris Diuini naturalis relaxatio. Nam ſi materia promiſſa perſeuerat in ſtatu melioris boni, nulla poteſt eſſe cauſa iuſta diſpenſandi: ſi autem reddita eſt mala, inutilis, aut maioris boni impeditiua, iam ceſſat obligatio voti, vtpote quod debet eſſe de meliori bono, ac proinde nulla indiget diſpenſatione.

69 Tertium eſt, † quod voti obligatio pendet ex hiis duabus præmiſſis, ſcilicet; *redde Altiſſimo vota tua*, quod eſt præceptum iuris Diuini; & quia tu vouiſti tua libera voluntate, ex qua oritur immediatè obligatio voti, quæ formaliter eſt iuris humani, vtpote orta ex libera vouentis promiſſione, & in hac diſpenſat Pontifex, remanente illæſo iure Diuino naturali, quod continetur in priori præmiſſa. Quemadmodum permanente illæſo iure naturali, dictante puniendos eſſe malefactores, poteſt Princeps diſpenſare in lege humana particulari, quâ præcipit hoc aut illud eſſe faciendum, vel mutando materiam legis naturalis, ad quam mutationem ceſſat illius obligatio. Poteſt etiam diſpenſare in tali punitione particulari, quando iudicat id expedire in maius bonum Reipublicæ: ergo. Similiter quando Pontifex diſpenſat in voto, non relaxat ius illud Diuinum commune, dictans vota eſſe reddenda Deo; ſed in iure illo particulari humano, quod oritur ex libera vouentis voluntate, aut mutat eius materiam, quando videt id cedere in maiorem Dei gloriam.

Ad primum horum reſpondebitur abundè in Tertio corollario. Ad ſecundum operæ prætium eſt explicare differentiam inter hæc quatuor; ſcilicet, ceſſationem voti, interpretationem, diſpenſationem & commutationem: quod
† ceſſatio contingit, quando materia voti red- 70
ditur omnino impoſſibilis, aut mala ſiue nociua in ſe abſolutè. Interpretatio eſt dubium de vtilitate vel inutilitate materiæ promiſſæ. Commutatio fit quando res promiſſa mutatur in aliam, manente eadem obligatione. Diſpenſatio verò eſt, quando ſuppoſita obligatione voti ex cauſa rationabili, tollitur in perpetuum. Rurſus ceſſatio voti nullius virtutis eſt actus, ſed fit per ſolam rerum contingentiam, & ſubtractionem materiæ promiſſæ. Interpretatio eſt actus virtutis quæ nuncupatur *Epicheia*: Diſpenſatio verò eſt actus pertinens ad iuſtitiam diſtributiuam iuriſdictionis clauium; & ſimiliter commutatio, quando fit à Superiori. Denique ceſſatio tollit vinculum voti in perpetuum, & etiam diſpenſatio: Secus interpretatio; nam ceſſante impedimento reuiuiſcit antiqua voti obligatio. Commutatio verò relinquit eandem voti obligationem circa aliam materiam, in quam prima fuit commutata. Res exemplo fit manifeſta. Petrus vouit abſtinentiam à carnibus perpetuam; ſi ob continuam & incurabilem infirmitatem reddatur ei impoſſibilis, aut nociua & mortifera talis abſtinentia, ceſſat in perpetuum vinculum voti. Si verò dubitatur de inutilitate materiæ promiſſæ, aut fragilitate vouentis ad eius impletionem, tunc locum habet diſpenſatio, provt eſt iuris interpretatio. Quod ſi petat ob maiorem ſui commoditatem, aut gloriam Dei, commutari abſtinentiam à carnibus, in quaſdam eleemoſynas quotidie elargiendas pauperibus, vel orationes recitandas; tunc habet locum commutatio. Ac tandem ſi per talem abſtinentiam à carnibus impediatur Petrus à meliori bono, v.g. ab officio concionandi, vel à legendo in cathedra; tunc habet locum diſpenſatio ex cauſa legitima, provt eſt iuris relaxatio, per quam tollitur in perpetuum voti obligatio: non quia materia voti ſit mala in ſe, ſed quia redditur minùs bona reſpectiuè, hoc eſt reſpectu vouentis, aut maioris boni impeditiua. Quod euidentiùs patet in vxorato, qui vouit non petere debitum: & in eo qui ob nimiam fragilitatem facilè ſuccumbit tentationibus, & votum emittit caſtitatis; Vtriuſque voti materia eſt in ſe de meliori bono, & magni meriti eius obſeruatio; ſed reſpectu vouentis eſt

minùs

minus conueniens,& maioris boni impeditiua: in illo quidem, quia eius obſeruatio eſt nimis moleſta matrimonio:in iſto verò, quia ei melius eſt nubere,quàm vri;& ideò vtrumque eſt dignum diſpenſatione.

Ad Tertium Reſpondetur; diſpenſationem quidem in lege particulari humana poſſe fieri ſine relaxatione illius iuris naturalis communis, *obediendum eſt præceptis Superioris, aut puniendi ſunt malefactores*: eò quòd obligatio humanæ legis non oritur immediatè ex illo principio,ſed ex ipſa humana lege, ſupra quam habet conditor, & eius ſuperior poteſtatem. At-
71 tamen † lex voti non poteſt diſpenſari, quin relaxetur ius Diuinum & naturale, dictans vota eſſe Deo reddenda; non quidem in communi, quia vt ſic, ſemper manet illæſum; ſed in particulari,quatenus dictat hoc votum in particulari eſſe Domino reddendum, quia voti obligatio immediatè oritur ex tali iure Diuino & naturali, non ex humana vouentis voluntate.Sed hac ſuppoſita vt conditione,oritur in vouente vinculum iuris Diuini ac naturalis ſicut ſuppoſita voluntate illius, qui vult emere aut vendere merces, vt conditione oritur in eo obligatio iuris Diuini ac naturalis, emendi ac vendendi iuſto prætio. Vnde nequit votum diſpenſari, provt diſpenſatio eſt iuris relaxatio, quin ſimul ius Diuinum naturale in particula-
72 ri relaxetur. Quare concludendo dico, † quod in Eccleſia detur poteſtas ad diſpenſandum in votis ſimplicibus Chriſtianorum, eſt dogma fidei: quia id conſtat ex modo loquendi Conciliorum,ac Summorum Pontificum in ſuis decretis,in quibus frequenter huiuſmodi diſpenſationis fit mentio: atque ex communi traditione Eccleſiæ ab Apoſtolorum temporibus vſque ad hæc noſtra deriuata. Eccleſia autem in rebus ad fidelium mores pertinentibus, & adeò ad illos neceſſariis, qualis eſt votorum diſpenſatio, errare non poteſt, neque oppoſitum abſque erroris nota affirmari valet. Quod
73 autem hæc † diſpenſatio non ſolùm ſit iuris interpretatio, ſed etiam vera iuris relaxatio,eſt ita certum, vt oppoſitum nulla probabilitate ſuſtineri poſſit. Rurſus quod hæc diſpenſatio, non ſit ſolius iuris humani relaxatio, aut ſola mutatio materiæ promiſſæ, ſed etiam iuris Diuini naturalis particularis relaxatio, eſt opinio probabilior & veritati conformior, ac magis intelligibilis, eò quòd lex Diuina naturalis, dictans vota eſſe Deo reddenda, dictat etiam eorum immutabilitatem, vtpote quæ in ipſa promiſſione Deo facta eſſentialiter includitur:igitur non poteſt tolli obligatio voti,quin mediatè vel immediatè ſupra ipſam legem Diuinam cadat diſpenſatio: quod argumentum ſibi opponens Suarius *loco citato numer.* 14.reliquit inſolutum.

74 Colligo tertiò; † in Eccleſia eſſe quoque poteſtatem dirimendi matrimonium ratum. Hoc corollarium ſtatuitur aduerſus Scotum *in* 4. *d.* 31. *q.* 1. Paludanum, Almainum & alios Theologos relatos à Thoma Sanchez *loco ſtatim citando*.Nec non contra Sotum *lib.*7. *de iuſtitia quæſt.*2. *artic.*5. *& in* 4. *d.*27. *quæſt.*1. *artic.* 4. Et Raphaëlem de la Torre *in dicta diſputat.vnica,in ſolutione ad* 2.negantes Chriſtum reliquiſſe Petro & eius ſucceſſoribus talem poteſtatem; eò quòd matrimonium ratum eſt tra ditio perſonarum. Votum autem ſolum eſt promiſſio Deo facta: atqui magnam cauſaret in Eccleſia perturbationem,ſi res traditæ auferrentur à ſuis dominis, quibus inuitis etiam ingens inferretur iniuria:nulla autem eſſet perturbatio,ſi res promiſſa,non tradatur promiſſario, id exigente iuſta cauſa; nulla quoque irrogatur iniuria Deo votorum promiſſario, cui ex promiſſione noſtra nullum prouenit emolumentum. Vnde videmus poſſe Pontificem ſponſalia diſſoluere, ſed non matrimonium: ea ratione, quod illa in ſola promiſſione conſiſtant, hoc verò in traditione. Sed noſtrum corollarium eſt communis ſententia Iuriſtarum, cui conſentiunt D. Antoninus 3.*part.titul.*1.*cap.*21. §.3 Nauarrus *in manuali cap.*22. *numer.*21. Caietanus *tomo* 1.*opuſculorum, tractat.* 28. *quæſtion. vnica.* Enriquez *lib.* 11. *de matrimonio. cap.* 8. *numer.* 11. Rodericus *tomo* 3. *quæſtionum regular.*cum Michaële de Medina & Thoma Sanchez *lib.* 2. *de matrimonio,diſput.* 14. *& diſp.*19. Suadetúrque Primò ex vſu & praxi Summorum Pontificum,qui ſæpius in matrimonio rato diſpenſarunt.Nam Martinus V.& Eugenius IV. ſuis Bullis,quas teſtatur D. Antoninus ſe vidiſſe,haud ſemel in matrimonio rato diſpẽſarunt. Paulus III. (ait Nauarrus) ad ſui inſtantiam, ter vel quater diſpenſauit. Caietanus quoque refert, ſuo tempore plures diſpenſationes factas fuiſſe;& Enriquez refert Gregorium XIII. vna die cum vndecim diſpenſaſſe. Quorum proinde Pontificum ſententia habenda eſt pro re iudicata, & res iudicata pro veritate: eo vel maximè, quod factum Superioris ſemper cenſetur legitimum,& in dubio ſtandum eſt illius ſententiæ ac iudicio, *ex cap ad aures,de tempor. ordinan. & canone culpatur* 23. *quæſt.*1. Secundò quia† profeſſio ſolemnis dirimit matrimonium 75
ratum, vt conſtat ex noua definitione Concilij Tridentini *ſeſſ.*24.*can.*6.*Si quis dixerit matrimonium ratum,non conſummatum, per ſolemnem religionis profeſſionem alterius coniugis non dirimi, anathema ſit*, licet incertum ſit quo iure illud dirimat. Nam Sotus, & alij relati à Durando *in* 4. *d.* 27. ſentiunt profeſſionem habere vim dirimendi matrimonium ratum ex natura rei, quia eſt vinculum minus perfectum, quod proinde non debet impedire tranſitum ad ſtatum perfectiorem. At Michaël de Medina & Rodericus *in dicto artic.*4. dicunt hanc vim dirimendi conuenire profeſſioni,ex ſolo iure Eccleſiaſtico & Eccleſiæ ſtatuto; eò quòd Papa poteſtate ordinaria vtens diſpenſat in matrimonio rato,& legem vniuerſalem condidit permittentẽ ſponſis,vt intra bimeſtre ante conſummationem poſſint liberè ad religionem tranſire. Sed mihi probabilior eſt opinio Scoti *in* 4.*d.*32.Bonauenturæ *d.*27.Thomæ Sanchez *dicta diſp.*19. & aliorum aſſerentium, illud dirimere iure Diuino poſitiuo, quod Eccleſiæ innotuit per Chriſti Domini reuelationem: nam *quos Deus coniunxit homo non ſeparet*, vt dicitur in Euangelio *Mathæi* 19. Quo denotatur,quod ſicut matrimonium eſt inſtitutum à Deo, ex qua inſtitutione eſt indiſſolubile: ita ex ſolo Dei beneplacito & inſtitutione poteſt diſſolui. Igitur certum eſt matrimonium ratum diſſolui per ſolemnem profeſſionem,ſiue iſto ſiue illo modo.Atqui Papa poteſt diſpẽſare in vinculo profeſſionis,ex iuſta cauſa boni communis; vt dictum

ctum eſt: ergo à fortiori poterit diſpenſare in matrimonio rato. Patet conſequentia per regulam illam: *ſi vinco vincentem te, vinco te.* Tertiò probatur: quia non minus ſuaui regimini Eccleſiæ expediebat, quod Chriſtus Dominus relinqueret in ea poteſtatē delegatam, ad diſpenſandum in matrimonio rato, quàm ad diſpenſandum in votis ſimplicibus, ne deficeret ei in neceſſariis. Atqui non obſtante immutabilitate voti & eius vinculo, quod eſt iuris Diuini naturalis, Chriſtus reliquit in Eccleſia poteſtatem delegatam, ad diſſoluendum illud media diſpenſatione: Igitur non obſtante indiſſolubilitate matrimonij rati, & eius vinculo, quod eſt iuris Diuini naturalis, debuit Chriſtus Dominus debito conuenientiæ & condecentiæ, relinquere in Eccleſia ſimilem poteſtatem delegatam, ad illud media diſpenſatione diſſoluendum: alioquin deficeret ei in multis caſibus exigentibus talem diſpenſationem, ob rationem alicuius maioris boni. Dixi non obſtante eius intrinſeca indiſſolubilitate: quia bene ſtat matrimonium ratum eſſe naturaliter indiſſolubile, per ordinem ad cauſas naturales, quia ſcilicet ipſi contrahentes illud ſua voluntate non valent diſſoluere: & tamen eſſe diſſolubile per cauſam ſuperiorem, ſcilicet poteſtate Diuina. Quemadmodum etſi cœlum, v. g. dicatur & ſit incorruptibile, per ordinem ad cauſas naturales; nihilominus hoc non obſtat, quominus Diuina potentia poſſit corrumpi ac diſſolui.

Nec obſtat ſimiliter matrimonium ratum conſiſtere in quadam traditione: nam vt dictum eſt ſuperius, res propriæ vnius ob rationem boni communis traduntur præſcribenti per leges præſcriptionis, citra vllam proprij domini iniuriam. Ex quo manet ſolutum contrariæ opinionis fundamentum.

76 Colligo Quartò; huiuſmodi † diſpenſationem tam in votis, quàm in matrimonio rato ſine legitima cauſa conceſſam, nedum illicitam ſed inualidam eſſe. Ratio huius ſumitur ex diſcrimine, quod verſatur inter ea quæ ſunt iuris humani Eccleſiaſtici; & ea quæ ſunt iuris Diuini ſiue naturalis. Nam in illis diſpenſatio Papæ etiam ſine legitima cauſa valet; quippe qui habet ſupra illud ius, ſupremam ordinariam & liberam omninò iuriſdictionis poteſtatem condendi, paritérque relaxandi: in iſtis verò diſpenſatio facta ſine legitima cauſa eſt inualida, quia ſupra ius Diuinum aut naturale, nec ſupremam, nec ordinariam, nec liberam omnino habet Papa poteſtatem, niſi tantùm delegatam, cum limitatione relaxandi illud ex iuſta cauſa; vnde hac ſublata, diſpenſatio eſt inualida, vtpote à non habente poteſtatem iuriſdictionis proficiſcens. Hinc veniunt duo caſus difficiles enodandi. Primus eſt de illo

77 † qui voto ſimplici caſtitatis adſtrictus, ſine legitima cauſa diſpenſatus matrimonium contraxit, poteritne debitum petere, aut non? Reſpondeo non poſſe: quia cum votum iſtud ſua natura & iure naturali, habeat vim impediendi matrimonium, in quo iure non potuit Papa validè diſpenſare ſine cauſa, adhuc poſt matrimonium tenetur iſte illud implere, in quantum poſſit: adeſt tamen illi cauſa iuſta obtinendi diſpenſationem, quam & Epiſcopus proprius poterit concedere ex conſuetudine, aut etiam ſi non ſit facilis recurſus ad Pontificem, quoniam hæc abſolutè non eſt diſpenſatio in voto caſtitatis, niſi ſolùm in quadam illius circunſtantia. Vnde iſte vxore mortua adhuc tenebitur votum caſtitatis implere. Secundus eſt de † religioſo, qui diſpenſatus ſine legitima 78
cauſa in votis ſolemnibus vxorem ducit, nunquid matrimonium erit validum necne? Reſpondeo non eſſe validum ſiue bona fide, ſiue mala contrahatur. Ratio primi eſt, quod iuxta noſtram ſententiam, huiuſmodi ſolemnitas conſiſtat in traditione, quâ profitens ſe Religioni in obſequium tradit, per quam ex natura rei & iure naturali manet incapax, vt tradat ſe alteri, ac proinde eodem iure naturali dirimitur matrimonium: quod vinculum nequit Papa ſine iuſta cauſa diſpenſare. Ratio ſecundi eſt, quòd bona fides contrahentium, etſi eos à culpa excuſet, non tamen reddit validam diſpenſationem; ac proinde cum inualida diſpenſatione contrahentes, inualidum quoque matrimonium contrahunt, in quo nec debitum petere nec reddere licitè valent. Iuxta tamen opinionem aliorum, aſſerentium huiuſmodi ſolemnitatem prouenire ex ſolo iure Eccleſiaſtico, & ſtatuto Eccleſiæ, ex quo profeſſio (aiunt illi) habet vim dirimendi matrimonium, quam denuo repetit & approbat Thomas Sanchez *in dicta diſput.* 8. *n.* 10. ſicut valida eſt diſpenſatio, ita validum matrimonium: Sed nequiuit coniux debitum petere; quia fuit relaxatum validè votum ſolemne, quoad vim dirimendi quæ eſt de iure Eccleſiaſtico, ſed non quoad vim impediendi, quæ eſt de iure Diuino naturali. At quia quoad vtramque vim, vinculum voti ſolemnis profeſſionis eſt de iure Diuino naturali, quoad neutram hoc in caſu manet validè relaxatum. Vnde coniuges nec reddere nec petere debitum poſſunt, vtpote inualido matrimonio cuiuncti.

Colligo Quintò & vltimò, cum eodem Thoma Sanchez *dicta diſput.* 8. *num.* 10. † huiuſmo- 79
di religioſum legitimè diſpenſatum in votis ſolemnibus, à tempore diſpenſationis & mutationis habitus, manere liberum ab obligatione recitandi horas canonicas. Cuius ratio eſt, quod per talem diſpenſationem extinguitur ſtatus profeſſionis in huiuſmodi religioſo diſpenſato, maximè quando incipit vti illa, quod fit quando relicto habitu religionis induit ſeculare, nam ſic diximus intelligendum eſſe decretum Innocentij III. *in cap. cum ad monaſterium*, ibi. *Abdicatio proprietatis, ſicut & cuſtodia caſtitatis adeò eſt annexa regulæ monachali, vt contra eam nec Summus Pontifex poſſit licentiam indulgere*; id eſt in ſenſu compoſito, manente religioſo in ſtatu monachatus. Cum quo tamen ſtat, vt in ſenſu diuiſo, id eſt relicto monachatu, poſſit Papa diſpenſando facere, vt de monacho fiat ſecularis & tranſeat ad nuptias: ergo relicto monachatu, iſte non tenetur ad onera illi annexa, quorum vnum eſt penſum horarum. Patet conſequentia, nam ſicut acceſſorium ſequitur naturam principalis: ita deſtructo principali, deſinit acceſſorium. Hinc ſequitur primò minus bene dixiſſe Rodericum *tom.* 1. *ſummæ* 2. *editionis cap.* 141. *n.* 15. hunc diſpenſatum teneri ad penſum horarum ſoluendum, quouſque ad nuptias tranſeat; eò quòd toto illo tempore antecedente nuptias, non deſinit eſſe religioſus,

sus, siquidem nec statum incompatibilem assumpserit, per quem status religiosus destruatur. Cuius signum euidens est; quod si mutato proposito nollet transire ad nuptias, censeretur verè religiosus sine vllo alio actu, cogeretúrque ad claustrum redire, ne in seculo maneret nuptias differendo. Nam cogeretur quidem redire ad claustrum, non quia non desierit esse religiosus, sed quia tunc cessaret causa dispen-
80 sationis, ac proinde & ipsa dispensatio: † Omnis enim dispensatio habet secum conditionem tacitam, vt tamdiu duret, quandiu durauerit eius causa. Sequitur secundò falsò dixisse Nauarrum *in cap. quando, & in Manuali cap. 7. num.* 20. quod religiosus dispensatus vt nubat, tenetur ad pensum horarum, quia per talem dispensationem vt sic, non desinit esse religiosus, nisi dispensaretur cum hoc addito expresso, vt desineret esse religiosus. Verùm iam ostendimus, ex vi talis dispensationis desinere esse religiosum, ac proinde eum non teneri ad onera religionis: sicut effectus per sententiam à Religione secundum communiter receptam sententiam, cum sit iam legitimè extra claustrum, manet liber ab oneribus religionis, & consequenter ab Officio Diuino, nisi aliàs sit Sacro Ordine initiatus. Nec est simile de degradato ab ordinibus Sacris: hic enim iuxta omnium sententiam tenetur ad pensum horatum, quia ex sua culpa, ob quam meruit pœnam degradationis, non debet commodum reportare.

QVÆSTIO XX.

De Adiunctis.

An ex decreto Concilij Tridentini habeant cum Episcopo aliquam Iurisdictionem totalem aut partialem?

SVMMARIVM QVÆSTIONIS XX.

1 *Concilij Tridentini statutum de conseruanda pace inter Episcopum & Capitulares refertur.*
2 *Tria quæ exinde licet colligere proponuntur.*
3 *Episcopus sine adiunctis potest in visitatione aduersus Capitulares procedere.*
4 *Episcopus in visitatione, non tam iudici, ordinarij, quàm Patris atque Prælati munus exercet.*
5 *In Ecclesiis non exemptis à Iurisdictione Episcoporum, non tenetur Episcopus ex decreto Concilij vocare adiunctos.*
6 *Casus, in quibus potest Episcopus liberè sine adiunctis procedere etiam in Ecclesiis exemptis.*
7 *Limitatio non debet extendi vltra verba & decretum Legislatoris.*
8 *Iurisdictionis potestas residens in Episcopo erga omnes personas Ecclesiasticas sibi subditas, est sola & ordinaria.*
9 *Officium Assessoris in quo versatur.*
10 *Assensus adiunctorum est conditio modificans ordinariam potestatem Episcopi, ad eius vsum ex Concilio necessario requisita.*
11 *Formalis ratio iurisdictionis non saluatur in iudicio adiunctorum.*
12 *Capitulares sunt illi, qui sunt de corpore Capituli, vt Dignitates & Canonici.*
13 *Portionarij, Capellani & Cantores, non potiuntur adiunctorum beneficio de lege ordinaria.*
14 *Capitulares, quibus Adiunctorum fauor est concessus, possunt illi cedere, ac eum renuntiare.*
15 *Gratia non debet esse onerosa, nec libertas debet in obligationem conuerti.*
16 *Episcopi & eorum Vicarij in Ecclesiis Indiarum procedunt contra Capitulares sine adiunctis.*
17 *Vsus adiunctorum extenditur, (existente dispositione Concilij) ad omnes Ecclesias tam Cathedrales & Collegiatas exemptas & non exemptas.*
18 *Attento iure communi Episcopus procedens iudicialiter & extra visitationem contra aliquem ex suis Capitularibus, consensum aliorum Capitularium debet requirere.*
19 *Duo capitula Concilij, in quibus statuitur huiusmodi iurisdictio Adiunctorum, loquuntur generaliter de quibuscumque Ecclesiis, &c.*
20 *Ratio motiua Concilij in vtroque cap. fuit pax & concordia seruanda inter Prælatos & ipsorum Capitula.*
21 *Vtrum beneficium Adiunctorum ad Portionarios extendatur, videtur controuerti inter Doctores Iuris.*
22 *Portionarij habent vocem actiuam & passiuam in electione Adiunctorum.*
23 *Attento iure communi soli Canonici Capitulum faciunt.*
24 *Attento iure communi scripto Dignitates & Portionarij non excluduntur à corpore Capituli.*
25 *Portionarij vel ex consuetudine, vel priuilegio &c. habentes vocem in Capitulo de lege ordinaria, sunt eo ipso de corpore Capituli.*
26 *Contra hos non potest Episcopus vel eius Vicarius procedere in criminalibus sine Adiunctis.*
27 *Prælatus sine consilio Capituli, non potest instituere vel deponere Prælatos inferiores, &c.*
28 *Vsus Adiunctorum extenditur ad quoscumque qui sunt de Capitulo.*
29 *Capitulum Sede vacante, in causa criminali contra aliquem de Capitulo mota, potest cum Adiunctis procedere.*
30 *Capitulum Sede vacante succedit Episcopo in iurisdictione.*
31 *Vicarius à Capitulo constituendus qualis esse debeat?*
32 *Sub nomine Episcopi in iure & rescriptis regulariter intelligitur eius Vicarius.*
33 *Vicarius potest generales censuras discernere, & causas matrimoniales examinare.*

34 *Tertius, qui eligitur in casu discordiæ, non debet esse Capitularis eiusdem Ecclesiæ.*

35 *Inter dantem & accipientem debet esse distinctio personalis.*

36 *Dispositio Concilij circa electionem tertij in casu discordiæ, quomodo est interpretanda.*

37 *Concilium semper voluit authoritatem Episcopi extollere supra Capitulum.*

38 *Tertius coniudex eligendus in quauis causa, debet esse neuter, & propitius cum æqualitate ad vtramque partem.*

39 *Conditiones requisitæ, vt aliqua declaratio Congregationis Cardinalium habeatur pro authentica & ei fides adhibeatur.*

40 *Declaratio à Sacra Congregatione pronunciata, quando eius obtentio patitur defectus iuridicos, ob quos laborat vitio subreptionis, censenda est nulla & inualida.*

41 *Rex Hispanus est protector Concilij.*

42 *Adiunctorum Iurisdictio quamdiu duret.*

43 *Episcopus potest procedere contra Capitularem delinquentem sine adiunctis, quando Capitularis habet Curatum alicuius Ecclesiæ, in cuius ministerio delinquit.*

44 *Adiunctorum Iurisdictio in socio delinquentis remanet.*

45 *Delinquente vno ex adiunctis, non est recurrendum ad Capitulum, sed cum altero potest Episcopus vel eius Vicarius de causa criminali Capitularis cognoscere.*

46 *Iurisdictio Adiunctorum quomodo appellanda.*

INTER alia quæ Sacra Tridentina Synodus in Spiritu Sancto legitimè congregata, sanxit, in illo celebri *de Reformatione* decreto *sess.* 25. † apprimè
1 necessarium, ac saluberrimum statutum fuit illud, quod *cap.* 6. *eiusdem sessionis* pro conseruanda pace inter Episcopum & Capitulares, atque ad quorumdam Episcoporum petulantiam, & nimis seueram disciplinam erga ipsos Capitulares, necnon aduersus quorumdam Capitulorum prauam consuetudinem, & exemptiones, quibus Episcoporum iurisdictioni se opponebant, coercendam stabiliuit in hæc verba. *Statuit Sancta Synodus, vt in omnibus Ecclesiis Cathedralibus & collegiatis, decretum sub felicis recordationis Paulo III. quod incipit,* Capitula Cathedralium, *obseruetur, non solùm quando Episcopus visitauerit, sed & quoties ex officio seu ad petitionem alicuius contra aliquem ex contentis in dicto decreto procedat: ita tamen vt cum extra visitationem processerit, infra scripta omnia locum habeant. Vult, vt Capitulum initio cuiuslibet anni, eligat ex Capitulo duos, de quorum Consilio & assensu Episcopus, seu eius Vicarius, tam informando processum quàm in cæteris omnibus actibus vsque ad finem causæ inclusiuè, coram Notario tamen ipsius Episcopi, & in eius domo aut cõsueto tribunali, procedere teneatur. Vnũ autem tantùm sit vtriusque votum, possitque alter Episcopo accedere; quod si ambo ab Episcopo discordes in aliquo actu seu interlocutoria sententia fuerint, tunc intra sex dierum spatiũ cum Episcopo tertium eligant, & si in electione tertij etiam discordent, ad viciniorem Episcopum electio deuoluatur, & iuxta eam partem cum qua Tertius conueniet, articulus in quo erat discordia, terminetur; aliàs processus & inde sequuta nulla sint, nullosque perducant iuris effectus. In criminibus tamen ex incontinentia prouenientibus, de qua* in decreto de concubinariis, *& in atrocioribus delictis depositionem aut degradationem requirentibus, vbi de fuga timetur, ne iudicium illudatur & ideo opus sit personali detentione, possit initio solus Episcopus ad summariam & necessariam detentionem procedere, seruato tamen in reliquis ordine præmisso, &c.* Et infra subditur; *Qui verò non obtinent dignitates, nec sunt de Capitulo, hi omnes in causis Ecclesiasticis Episcopo subiiciantur, non obstantibus quoad hoc suprà dictis priuilegiis, etiam ex fundatione competentibus, &c.* Et paulo post: *Hæc autem omnia & singula in iis Ecclesiis locum non habeant, in quibus Episcopi, aut eorum Vicarij ex constitutionibus seu priuilegiis, aut consuetudinibus, siue concordiis, seu quocumque alio iure maiorem habent potestatem, authoritatem ac iurisdictionem, quàm præsenti decreto sit comprehensum, quibus Sancta Synodus derogare non intendit.* Ex quibus tria † haud obscurè licet colligere. Primum est Iurisdictionem Episcopi non semper, 2
sed in casu speciali, nempe extra visitationem cum tribus conditionibus in causis capitularium restringi ac limitari; seu quod de consilio & assensu duorum ex Capitulo electorum, vsque ad finem causæ procedatur, & quod huiusmodi progressus, & actus fiant coram Notario & in consueto tribunali ipsius Episcopi: ac tandem quod ad capturam non possit Episcopus se solo procedere, nisi in criminibus ex incontinentia prouenientibus, vel aliis atrocioribus; & vbi de fuga timetur, opusque sit personali detentione, atque ad effectum summariæ duntaxat informationis. Secundum est; huiusmodi restrictionem & modificationem Iurisdictionis Episcopi non nisi pro causis illorum qui sunt de Capitulo requiri. Tertium est, neque etiam habere locum pro causis Capitularium in iis Ecclesiis, in quibus ex antiquo priuilegio, cõsuetudine, vel concordia, amplior potestas & iurisdictio Episcopis competit. Solùm enim hæc iurisdictionis Episcopalis modificatio extenditur ad illas Ecclesias, siue Cathedrales siue Collegiatas, quæ exemptione, consuetudine, aut alio speciali iure se aduersus Episcopi iurisdictionem tuebantur, vt Congregatio Cardinalium *decis.* 24. censuit ac declarauit. Aliáque sunt occurrentia discussione digna, ad quorum intelligentiam, decem dubia sequentia oportet enodare.

DVBIVM I.

Vtrum Episcopus in aliquo casu possit sine Adiunctorum consilio & assensu procedere?

IN hoc dubio, ratio dubitandi sumitur ex eo, quod authoritas & iurisdictio Episcopi eadem omnino & indiuisibilis est, ac proinde nequit secundùm vnam rationem limitari ac restringi, quin secundum se totam limitetur & restringa

reſtringatur: Sed limitatur ac reſtringitur à Concilio pro caſibus occurrẽtibus extra viſitationem: ergo pro omnibus, tam pro illis qui in viſitatione, quàm pro eis qui extra illam occurrunt, intelligitur reſtricta ac limitata. Confirmatur. Nã omnis limitatio quæ extenditur ad Eccleſias exemptas, etiam ad non exemptas debet extendi: Sed hæc limitatio Epiſcopalis iuriſdictionis extenditur ad Eccleſias exemptas, vt ex præfata Cardinalium deciſione prænotauimus; ergo eadem cenſetur extendi ad non exempta: ac proinde reſpectu cuiuſcumque Capituli tenet prædicta modificatio, maximè cũ ſit fauor factus Eccleſiis, qui propterea eſt ampliandus, iuxta communẽ Iuris regulã, quæ tradit fauores eſſe ampliandos. Sed pro veritatis declaratione.

Reſpondeo dicendum primò, † Epiſcopum
3 ſine adiunctis poſſe in viſitationem aduerſus Capitulares procedere. Hæc concluſio probatur Primò ex contextu Concil. Trident. quod nõ exigit hanc conſilij & conſenſus adiunctorum conditionem, niſi extra viſitationem ſub illis verbis: *Ita tamen vt cum extra viſitationem proceſſerit, infra ſcripta reſeruentur, &c.* Ergo ex mẽte Concilij, quãdo Epiſcopus procedit extra viſitationẽ, liberè poteſt vti ſua poteſtate, abſq; indigentia conſilij & conſenſus Adiunctorum.

Secundò probatur ex irrefragabili reſponſo Congregationis Cardinalium, miſſo ad Epiſcopum Abulenſem anno Domini 1588. die 21. Martij, cuius mentionem facit Marzilla Cæſar Auguſtanus *lib. 4. declarationum Concilij tom. 7. cap. 20.* Cum enim Abulenſis Epiſcopus inter alia dubia, hoc à Sacra Cardinalium Congregatione explicandum popoſcerit: An Epiſcopus viſitando poſſit ſolus ſine adiunctis Capitularibus, peccata & exceſſus Capitularium, quos correctione ac punitione dignos repererit, corrigere, punire, & emendare? Reſponſum fuit illi, non teneri Epiſcopum in præfata viſitatione adhibere adiunctos, ſed liberè poſſe per ſe ipſum aliqua Capitularium crimina corrigere, punire & emendare; non tamen pœnam ordinariam, ſed eam quæ magis ad emendationem, quàm ad punitionem ſpectat, infligendo. Cuius rationem eam eſſe exiſtimo, quod † Epiſcopus in viſitatio-
4 ne non tam Iudicis ordinarij, quàm Patris atque Prælati munus exercet; ac proinde neutiquam à ſociatione adiunctorum, ex decreto Concilij dependet: hæc enim non paternæ poteſtatis ac muneris, ſed iuriſdictionis ac virgæ iudicis, qua Epiſcopi extra viſitationem ſolent vti, temperatiua eſt.

Dico ſecundò, † in Eccleſiis tam Cathe-
5 dralibus quàm Collegiatis, non exemptis à Iuriſdictione Epiſcoporum, non tenetur Epiſcopus ex decreto Concilij vocare adiunctos, neque illos poſſunt huiuſmodi Eccleſiarum Capitula eligere. Hæc concluſio etiam probatur ex contextu Concilij. Etenim tam *in dicto cap. 6. ſeſſ. 25.* quàm *in cap. 4. ſeſſ. 6.* quod incipit, *Capitula Cathedralium*, ſolis Eccleſiis exemptis concedit Concilium fauorem adiunctorum; eò quòd cùm exemptionis titulo aduerſus iuriſdictionem Epiſcoporum ſe opponerent, & illam omnino ſubterfugere conarentur, quod tamen indecens & ab Epiſcoporum dignitate alienum Concilium iudicauit: ideo, tum præfatæ Epiſcoporum dignitati, tum etiam Eccleſiarum earumdem exemptioni & libertati ex parte conſulens, Epiſcoporum iuriſdictionẽ, erga Capitula moderamine Adiunctorum temperauit: ergo hæc modificatio Epiſcopalis iuriſdictionis, tantùm tenet reſpectu earum Eccleſiarum, quæ ſe ante Concilium aduerſus Epiſcopos titulo exemptionis defendebant. Confirmatur Primò ex irrefragabili Cardinalium declaratione, *deciſ. 248.* relata à Marzilla *vbi ſupra*: vbi expreſſis verbis decernitur, quod fauor & priuilegium Adiunctorum illis ſolis Capitulis ſit, quæ conſuetudine, priuilegio, aut alio iure ſe ab Epiſcoporum Iuriſdictione eximere intendebant. Et quia veluti fortuita & fictitia erat hæc exemptio atque libertas, ideo Concilium ſanxit priſtinam iuriſdictionem Epiſcopis fore reſtituendam, quam tamen vt leuius admitterent Capitula, prædicto moderamine adiunctorum voluit temperare: ergo. Confirmatur ſecũdò; nam in calce præfati decreti *c. 6. ſeſſ. 25.* (vt conſtat ex verbis vltimo loco relatis) ait Concilium, ſe in prædicto moderamine non loqui cum illis Eccleſiis, reſpectu quarum amplior & liberior iuriſdictio Epiſcopis competebat, quia vbi nullus erat titulus exemptionis etiam præſumptæ, voluit Concilium prædictam Iuriſdictionem Epiſcoporum coarctare, quaſi talis ratio illam coarctandi in præcedenti decreto eſſet allegata exẽptio: vnde hac ceſſante ceſſare quoq; voluit Conciliũ prædictam moderationem. Ex quo tale deducimus argumentum. Ceſſante cauſa ceſſare quoque debet effectus: Sed totalis cauſa ob quam Concilium conceſſit adiunctorum priuilegium aliquibus Capitulis, fuit illorum exemptio antiquior decreto Concilij: ergo ibi ceſſat hoc priuilegium, vbi nulla præceſſerat exemptio, ac proinde Capitula quæ ante Concilij decretum nullo iure exemptionis gaudebant, neque adiunctorum fauore debent gaudere.

Dico tertiò; in aliis etiam caſibus poteſt Epiſcopus liberè ſine adiunctis procedere, † etiam 6
in Eccleſiis exemptis, v.g. quando totum Capitulum deliquit; & quando perſonæ contra quas procedit non ſunt Capitulares, hoc eſt, de numero illorum qui habent vocem in Capitulo, & etiam quando delictum Capitularis eſt incontinentiæ, vel atrocius, poſtulans degradationem ſiue depoſitionem, & aliàs de fuga timetur, poteſt Epiſcopus ſine adiunctis ad Canonici capturam & ad ſummariam informationem procedere. Hæc concluſio non aliter probatur, quàm reddendo rationem de ſingulis caſibus. In primo namque poteſt Epiſcopus ſine adiunctis procedere contra Capitulum, quia omnes Capitulares quando delinquunt, fiunt indigni fauore Adiunctorum, & quia dum omnes delinquunt, nullus remanet qui in iudicem valeat eligi, ſiquidẽ Iudex contra ſeipſum nullus debet eſſe, munúſq; Iudicis & Rei in eãdẽ perſonam reſpectu eiuſdẽ nequeunt coincidere: coincidere autem opus eſſet, ſi toto Capitulo peccãte, aliquis ex Capitulo ad ſimul iudicandũ cum Epiſcopo eligeretur. Vnde huic rationi innixa Cardinalium Congregatio id ipſum cenſuit. Epiſcopo enim Segobienſi interroganti per ſuas litteras, an ad Epiſcopum vel ad alium ſuperiorem pertineat facultas procedendi contra Capitulares, quando vniuerſum Capitulum deliquit: & dato quod ad Epiſcopum pertineat

de conſilio & aſſenſu adiunctorum procedere teneatur? Sic reſpondendum cenſuit; nempe huiuſmodi facultatem procedendi pertinere ad Epiſcopum etiam abſque adiunctis, quando totum Capitulum deliquit, modò delictum non ſit in perſonam Epiſcopi, vel in eius contemptum, vel vbi Epiſcopus non habeat intereſſe: tunc enim facultas contra Capitulares deuoluitur ad Epiſcopum viciniorem. Cuius reſponſionis meminit Marzilla *in loco præallegato pag.* 565. Circa quam aduerte, meritò adimi facultatem Epiſcopo contra Capitulares in noſtro caſu, quando delictum totius Capituli aliquo modo cedit contra perſonam Epiſcopi, & deuolui ad viciniorem: eò quòd ſicut peccante toto Capitulo, iniquum eſſet iudices ex eodem Capitulo eligere pro eadem cauſa; ita peccante Capitulo contra Epiſcopum, iniquum eſſet Epiſcopum animaduertendi pro tali delicto retinere facultatem. In primo enim caſu Iudicis & Rei: & in ſecundo Actoris & Iudicis munia eadem perſona ſubiret: quæ duo pariformiter naturale ius abhorret. Deinde quoad ſecundum caſum patet noſtra concluſio; quia fauor adiunctorũ, tantũ illis qui ſunt de corpore Capituli factus eſt, vt ſtatim oſtendam: ergo contra quoſcumque alios, qui vocem in Capitulo non habent, ſine adiunctis poteſt Epiſcopus procedere. Quoad Tertium verò, probatur ex contextu præfati decreti, in quo talis facultas expreſsè Epiſcopis conceditur.

Ad rationem dubitandi; Reſpondeo negando maiorem pro ſecunda parte. Nam licet Epiſcopi facultas eadem & indiuiſibilis ſit formaliter, & ex parte ſubiecti, tamen virtualiter & ex parte obiecti eſt diuiſibilis: & hac ratione poteſt quoad aliquas perſonas & quoad aliquos actus limitari, manente libera & expedita quoad alias. Ad confirmationem patet ex dictis, negandam eſſe maiorem; non enim † debet limi- 7
tatio amplius extendi quàm ex verbis & decreto legiſlatoris conſtet. Imo conditio ipſa limitationis eſt, vt non extendatur ad ea, ad quæ expreſsè in reſcriptis non extenditur. Et licec hæc fauoris ſubinduat rationem, reſpectu Capitulorum, ac proinde ex hac parte ſi abſolutis verbis proferretur, ad omnia Capitula eſſet extendenda: quia tamen determinatè ſit Capitulis exemptis, non patitur ampliationem & extenſionem ad alia Capitula.

DVBIVM II.

Vtrum aliqua Iuriſdictio Adiunctis à Concilio conceda tur?

AD ſecundum dubium, ratio dubitandi deſumitur ex triplici capite, ex quo videtur ex vi decreti præfati, tribui ſpecialis iuriſdictiõ adiunctis, ab Epiſcopi iuriſdictione conditincta. Primò ex communi modo loquendi, quo vulgò dicitur iuriſdictio accumulata, id eſt cõiuncta & ſuperaddita iuriſdictioni Epiſcoporum. Secundò quia in præfato decreto decernitur, quod Epiſcopus de conſilio & aſſenſu adiunctorum procedere teneatur: & quod ſi aliàs fiat proceſſus, totum ſit irritum & inane. Sed actus iuriſdictionis nequit fieri irritus, niſi propter defectum alicuius eſſentialiter requiſiti: ad actum igitur iuriſdictionis Epiſcopalis in cauſis Capitularium extra viſitationem, eſſentialiter adiunctorũ conſiliũ & aſſenſus deſiderantur; ac proinde in ipſis ſaluatur eſſentia & ratio iuriſdictionis. Tertiò; nam *in eodem c. 6. ſeſſ. 26.* determinat Sancta Synodus ſeruari decretum ſub Paulo III. celebratum, quod incipit, *Capitula cathedralium*, & habetur *in cap. 4. ſeſſ. 6.* vbi habetur, quod nullis priuilegiis vel conſuetudinibus, aut concordiis obligantibus præciſè ſuos authores, Capitula Cathedralia ſe tueantur, quominus ab Epiſcopis vel aliis maioribus Prælatis per ſeipſos ſolos, vel cum illis, quibus ſibi videbitur, adiunctis, viſitari corrigi & emendari poſſint &c. In quibus verbis illud relatiuum, *ſibi*, videtur referre Capitula; quibus proinde conceditur facultas viſitandi, corrigendi, & emendandi delicta ſimul cum Epiſcopo, quæ facultas proculdubio eſt iuriſdictionis: Ergo talis eſt facultas quam Adiuncti à Capitulo accipiunt. Ita tenet Ludouicus Sarauia *in ſuo tractatu, quæſt. 3.*

Sed pro veritatis declaratione duas ſtatuo concluſiones, Reſpondeo dicendum primò. In adiunctis nullam ſaluari iuriſdictionem totalem aut partialem. Hæc concluſio probatur; Primò quia † iuriſdictionis poteſtas reſidens in 8
Epiſcopo, erga omnes perſonas Eccleſiaſticas ſibi ſubditas, etiam Capitulares, eſt ſola & ordinaria: Ergo nequit extra Epiſcopum reperiri. Conſequentia patet, quia nulla forma extra ſuum ſubiectum adæquatum, & cuius eſt propria, poteſt de lege ordinaria reperiri. Antecedens autem probatur ex communi ſenſu Iuriſtarum, & ex præallegato decreto Concilij Trident *cap. 4. ſeſſ. 6.* in quo Capitula cathedralia Epiſcopis tanquam ordinariis in viſitatione, correctione & emendatione, ſubiiciuntur. Secundò quia ille Tertius adiunctus, quem caſu diſcordiæ decernit Concilium à viciniore Epiſcopo fore eligendum, nullam accipit iuriſdictionem: non enim illam poteſt dare Epiſcopus vnius Diæceſis contra Epiſcopum alterius; ergo à fortiori neque aliqua iuriſdictione gaudent alij duo adiuncti à Capitulo electi. Conſequentia patet. Nam electus in caſu diſcordiæ à viciniori Epiſcopo eſt nobilior adiunctus, vtpote cuius ſuffragio cauſa eſt finienda; ergo ſi ex hoc capite non gaudet aliqua iuriſdictione, minus illa gaudebunt alij duo à Capitulo electi. Tertiò, nam Adiuncti eliguntur vt aſſeſſores Epiſcopi: at munus Aſſeſſoris vt ſic, non petit iuriſdictionis poteſtatem; eò quòd ſolùm ad Aſſeſſorem pertinet conſiliari. Vnde † eius 9
officium ſolùm verſatur, vt dicit Iuriſconſultus, *in cognitionibus, poſtulationib. libellis, & dictis, Epiſtolis, & decretis*, in quibus actibus nulla admiſcetur iuriſdictio. Ergo maior patet ex verbis Concilij in allegato *cap. 6.* quibus munus Adiunctorum ſic deſcribitur; *vt Capitulum initio cuiuſlibet anni eligat duos, de quorum conſilio & aſſenſu Epiſcopus procedere teneatur.* Vbi aduerte, quod de ſolo Epiſcopo dicitur, *procedere teneatur*; quia hoc verbum denotat iuriſdictionem, quæ ſolùm in illo reſidet, qui officio tenetur ad cauſas ſubditorũ iudicandas. Adiunctis verò attribuitur tantùm Conſiliũ & aſſenſus, dũ dicitur, *de quorũ Conſilio & aſſenſu*, quæ aſſeſſoris munus nõ excedũt; licet Saraueta *vbi ſup.* dicat Aſſeſſo-

rum

rum munus ſolo conſilio gaudere, quod eſt voluntatis, non aſſenſu, qui eſt neceſſitatis; cum tamen vtrumq; in Aſſeſſoribus reperiatur, alioquin merus eſſet Conſultor, non Aſſeſſor, qui ad munus Aſſeſſoris aſſumitur.

Confirmatur, & declaratur amplius hæc ratio. Iuriſdictionis poteſtas ſolùm eſt in Superiore reſpectu ſubditorum, teſte D. Thom. 2. 2. *quæſt.* 67. *articul.* 1. vbi probat nullum poſſe iudicare niſi ſibi ſubditum, vel per commiſſionem, vel per ordinariam poteſtatem. At Capitulares non ſunt ſubditi reſpectu adiunctorum, neque hi reſpectu illorum poſſunt dici ſuperiores, cum nulla reſpectu eorum fungantur poteſtate: ergo nulla eis ineſt iuriſdictio. Minor patet, nam quæcumque poteſtas iuriſdictionis, per quam Iudex conſtituitur ſuperior reſpectu ſibi ſubiectorum, aut conuenit ei per commmiſſionem; quo pacto Vicarius ſpecialis fungitur poteſtate iuriſdictionis ab Epiſcopo, per ſubdelegationem deriuata, & in vniuerſum omnis delegatus hoc modo à delegante poteſtatem habet: aut eſt poteſtas ordinaria, neque ſunt alij modi fungendi publ ca poteſtate, vt *in artic. præallegato*, inſinuat D. Thomas. Sed adiuncti neutro modo illam participant: non primo, quia illa poteſtas nõ committitur eis ab Epiſcopo, qui ſicut ſolus eſt ordinarius Iudex capituli, ita ſolus ille poteſt per commiſſionem iuriſdictionis poteſtatem delegare: & à fortiori neque ſecundo modo, quia non ſunt iudices ordinarij, ſiquidem ſolius Epiſcopi eſt, ordinaria poteſtas iuriſdictionis erga Eccleſiaſticas perſonas: eo vel maximè, quod Adiuncti non ſunt Superiores ad alios Capitulares, ſed eis æquales, vtpote æqualiter ad idem corpus Capituli pertinentes: ac proinde nequeunt ex vi talis electionis Capituli fungi poteſtate iuriſdictionis, reſpectu aliorum Capitularium, vulgari regula iuris atteſtante, quod æqualis in æqualem non habet poteſtatem. Ita tenet Seraphinus *deciſion.* 12. 13. cum aliis ab ipſo citatis, qui inferunt Rotam demonſtraſſe, ſententiam Epiſcopi & adiunctorum eſſe ſub hac forma ferendam. *Ego N. Epiſcopus de conſilio & aſſenſu adiunctorum ita pronuncio.*

10 Dico ſecundò; † nihilominus conſilium & aſſenſus adiunctorum, eſt conditio modificans poteſtatem ordinariam Epiſcopi, ad eius vſum neceſſariò ex decreto Concilij requiſita, ſine qua talis poteſtas circa cauſas Capitularium aſſignatas à Concilio, eſt omnino ligata & impedita. Hæc concluſio probatur Primò; nam ex præfato decreto Concilij ita dependet iuriſdictio Epiſcopi in cauſis prædictis Capitularium, à Concilio & aſſenſu adiunctorum, vt ſine illo actus iuridici fiant irriti & inanes: ſed non dependet ab illo, vt à ratione formali;
11 eò quòd vt dictum eſt, † formalis ratio iuriſdictionis non ſaluatur in iudicio adiunctorum: ergo dependet ab eorum conſilio & aſſenſu vt à conditione neceſſariò requiſita.

Secundò probatur & declaratur amplius concluſio, prænotando quod multoties contingit, poteſtatem iuriſdictionis alicuius Iudicis ſiue Prælati ab actibus alterius iuriſdictionem non habentis modificari, & veluti impediri vt à conditione neceſſariò requiſita, ſine qua actus talis poteſtatis neutiquam validus, & legitimus poteſt eſſe. Sicut enim in naturalibus potentiæ operatiuæ aliquando à quibuſdam dependent conditionibus, ſine quibus in ſuas operationes minimè ſe poſſunt explicare, ita in moralibus huiuſmodi potentiæ iudicum ac Prælatorum à quibuſdam dependent conditionibus, ſine quibus in ſuos actus ſe explicare non valent. Quo pacto Iuriſdictio iudicis merè ſecularis & illiterati, dependet à iudicio Aſſeſſoris, ſine quo ſententia ab illo prælata eſſet nulla; ſimiliter poteſtas ordinaria Prælatorum in religionibus in diſpoſitione rerum temporalium, in diſtributione quorumdam præmiorum, atque officiorum largitate, ſæpenumero dependet à diſcretorum Patrum Conſilio & ſenſu, ſine quibus Prælati ad huiuſmodi actus procedere non valent; cum tamen iuriſdictio in ſolo Iudice, & non in Aſſeſſore, & authoritas ſupra religioſos in ſolo Prælato, & non in Patribus à conſiliis reſideat. Eſt aliud aptiſſimum exemplum in dominio, quod Pater habet ſupra peculium Caſtrenſe à filio milite acquiſitum in bello, hoc enim dominium directè eſt in ſolo parente, tamen habet illud impeditum quoad vſum, dum viuit filius, cui ſoli propter priuilegium militare, concedunt iura vſum Caſtrenſis peculij. Quo ſuppoſito, ſic argumentor. In prædictis caſibus poteſtas iuriſdictionis, authoritas & dominium reſidens in vno, dependet vt à conditione neceſſariò requiſita ab actibus alterius: ſed non diſſimiliter poteſtas ordinaria reſidens in Epiſcopo ex decreto Concilij fit dependens à conſilio & conſenſu adiunctorum, propter priuilegium capitulare & fauorẽ Canonici. Ergo talis dependentia non eſt niſi vt à conditione requiſita, & Epiſcopi poteſtatem modificante, quâ remotâ remoueretur prohibens, & maneret expedita virtus illa iuriſdictionis, quæ antea erat impedita; ſicut remoto prohibente, manet cauſa naturalis expedita & libera, ad agendum abſque alicuius noui adquiſitione aut additione.

Ex his patet ſolutio ad rationes dubitandi. Ad primam enim & ſecũdã Reſpondetur, quod tãtùm probant Adiunctorum iudicium eſſe conditionẽ, ſine qua proceſſus in cauſis Capitularium legitimus & validus non erit. Ad tertium reſpondetur Primò admiſſa maiore, videlicet quod illud relatiuum *ſibi*, referat Capitula: negando minorem, non enim à Capitulis datur facultas adiunctis, vt iudicibus ordinariis, ſed vt aſſeſſoribus & modificantibus poteſtatem Epiſcopi ordinariam. Reſpondetur ſecundò, & melius, quod relatiuum ſibi, non Capitula, ſed Epiſcopos referat; vnde nomine adiunctorum ibi, aut intelliguntur Vicarij, quos Epiſcopi in viſitatione, correctione, & emendatione Capitularium quandoque ſibi aſſociant: aut intelliguntur adiuncti à Capitulo electi, quos tenetur Epiſpopus ſibi aſſociare, vt aſſeſſores duntaxat, in correctione & emendatione Capitularium, non tamen in viſitatione, vt ſuperius relinquitur explanatum. Vnde prima pars illius diſiunctiuæ ad actum viſitationis; ſecunda verò ad actum correctionis & emendationis eſt referenda, ita vt ſenſus decreti ſit; Capitula nullis priuilegis, &c. ſe tueantur, quominus ab Epiſcopis per ſe ipſos ſolos viſitari vel cum ſibi adiunctis corrigi & emendari poſſint.

DVBIVM III.

Vtrum Capitulares huic adiunctorum priuilegio poſſint cedere?

AD cuius declarationem operæ pretium eſt prænotare, qui ſint illi quos nomine Capitularium ſignificamus, & quibus fauor hic adiunctorum conceditur; vt ſic explicatum maneat, quot & quæ perſonæ hoc fauore potiantur, & poſſint illum renuntiare. Igitur hoc adiunctorum priuilegio tantùm gaudent, ipſa Capitula ſiue Cathedralia, ſiue Collegiata,
12 & eorum Capitulares, † id eſt qui verè ſunt de corpore Capituli, vt reuera ſunt Dignitates, & Canonici. Quod patet ex verbis præfati decreti Concilij *capit. 6.* quæ ſic habent: *Qui non obtinent dignitatem nec ſunt de Capitulo, in cauſis Eccleſiaſticis Epiſcopo ſubiiciantur, non obſtantibus &c.* Quaſi velit Concilium ſolos eos qui habent dignitatem aut Canonicatum in Capitulo, frui beneficio adiunctorum, & cæteros omnes nullatenus, ſed ſubiectos eſſe plenè Epiſcopi iuriſdictioni ſine vlla reſtrictione. Idem patet ex quibuſdam declarationibus Rotæ, & Congregationis Cardinalium relatis à Marzilla, *vbi ſupra lib. 4. cap. 20. à pag. 566. & cap. 22. à pag. 568. & ſequent.* Quibus reſponſum fuit, adiunctorum fauorem omnibus & ſolis Capitularibus, ideſt dignitatibus & Canonicis ac eorum Capitulis aliquo exemptionis titulo munitis, fuiſſe conceſſum.

Ex hoc notabili colligere licet vnicum co-
13 rollarium. Nempe † Portionarios, nedum Capellanos & Cantores, etſi in Capitulo habeant vocem, non potiri adiunctorum beneficio de lege ordinaria. Quod manifeſtè probatur, ſiquidem omnes & ſoli Capitulares, videlicet Dignitates & Canonici hoc beneficio potiuntur, vt dictum eſt: At Portionarij, Capellani & Cantores non ſunt de numero iſtorum; neque ex eo quod habeant vocem in Capitulo (vt in aliquibus Eccleſiis ex antiquo more portionariis conceditur) efficiuntur de corpore Capituli. Vt enim Felinus *in proœmio Decretalium, &c.* & Gloſſa *in Clement. 2. de ætate & qualitat, &c.* teſtantur. *Habens vocē in Capitulo non operatur ad hoc, quod aliquis efficiatur de corpore Capituli. &c.* Dixi de lege ordinaria, nā aliquando ex ſpecialibus priuilegiis, poſſunt aliqui iſtorum etſi Capitulares non ſint, fauore adiunctorum gaudere: imò & ab Epiſcoporum iuriſdictione totaliter eximi, durante priuilegio. Quod in tribus vel quatuor caſibus contingit. Primus eſt, quando Proportinarij, vel Capellani iuuantur priuilegio alicuius Vniuerſitatis. Secundus eſt, quando iuuantur aliqua concordia à Pontifice confirmata, non in forma communi ſed ſpeciali, & ex certa ſcientia à cauſæ cognitione. Quod quidem patet: tum ex decreto Concilij, in quo huiuſmodi concordiæ obligātes ſuos authores & ſucceſſores excipiūtur: tum etiam quia illas exceptas voluit eſſe, ac declarauit Cardinalium Congregatio anno 1586. die 19. Nouembris, cuius meminit præfatus Marzilla *vbi ſupr.* Tertius eſt; ſi fortè contingat prædictos Portionarios in aliqua Eccleſia ex priuilegio ſiue ſpeciali ſtatuto fieri Capitulares: tunc enim Capitularium fauoribus debent gaudere. Quartus eſt, quando aliqui illorū ſubeunt munus collectorum Cameræ Apoſtolicæ; hi enim frui debent priuilegio collectorum, qui ab Epiſcopo viſitari & corrigi non poſſunt, vt in quadam reſponſione miſſa ad Epiſcopum Segobienſem explicuit Congregatio Cardinalium, vt videre licet apud eundem Marzillam *pag. 565.*

His itaque firmiter ſtatutis, ac breuiter prænotatis, ad dubitationem noſtram accedo. Con-
14 cluſio eſt affirmatiua; nempe † ſingulos Capitulares quibus adiūctorum fauor eſt conceſſus, poſſe illi cedere, ac eum renuntiare. Contrarium tenet Serauia *quæſt. 7. ſui tractat.* Sed eam tenet Seraphinus *deciſ.* 341. cum aliis, quos citat & ſequitur. Hæc concluſio probatur Primò: nam hæc eſt generalis conditio fauoris ac priuilegij, vt poſſit renuntiari. Cum enim priuilegium ſit ius ſingulare contrà ius commune indultum, quicumque poteſt ad terminos iuris communis reduci, ac proinde iuri particulari cedere: ſed hæc coarctatio iuriſdictionis Epiſcopi per conſilium & aſſenſum adiunctorum, eſt priuilegium conceſſum Canonicis ac reliquis Capitularibus: ergo poteſt ab eis renuntiari. Secundò probatur ex regula iuris *in 6. Quæ in gratiam alicuius conceſſa ſunt, non debent in eius damnum retorqueri.* Sed ſi Canonicus non poſſet cedere huic iuri Adiunctorum, aliquando in eius damnum vergeret, ac proinde iam fauor & gratia non eſſet, quod tamen non eſt dicendum: ergo. Confirmatur & declaratur amplius hæc ratio:
15 nam † gratia non debet eſſe onerosa, neque libertas debet in obligatione conuerti, quia hoc eſt contra naturam fauoris, libertatis & gratiæ: at ſi Capitularis huic fauori cedere non poſſet, gratia in onus & obligationem conuerteretur: ergo. Tertiò, nam Capitularis poteſt ſicut & quilibet alius vti iure ſuo: ſed à iure habet, quod ante iudicem ſuum, cauſam dicere poſſit; vt patet *ex cap. pulſatus 3. quæſt. 6.* vbi habetur in hæc verba: *Pulſatus ante ſuum iudicem cauſam dicat: ante non iudicem ſuum pulſatus (ſi voluerit) taceat: pulſatis verò quoties appellauerint, inducię dentur.* Cum igitur Epiſcopus ſit legitimus de iure iudex Capitularium, poſſunt coram illo duntaxat, Capitulares ſi voluerint, cauſam ſuam dicere, prædictum priuilegium adiunctorum renuntiando; ſicut de facto multoties in quibuſdam Capitulis renuntiarunt. Idque contigiſſe Capitularibus Eccleſiæ Aſturicenſis, teſtatur Fiſcalis Epiſcopi eiuſdem Eccleſiæ, in quodam memoriali edito anno 1614. *folio* 1. 17. & 19.

Neque obſtat, quod priuilegium conceſſum in fauorem Communitatis, non valet renuntiari à priuata perſona, quæ eſt pars communitatis; & hoc videtur conceſſum fuiſſe in fauorem communitatis ſeu Capituli vt ſic, &c. Quia reuera per ſe primò non concernit communitatem ſed perſonas, ac proinde ex principiis priuilegij perſonalis debet regulari, eiúſque conditiones ſequitur; vnde conditio priuilegij renuntiabilis ei competit, ſicut & eſſentia perſonalis.

DVBIVM IV.

Vtrum hoc beneficium adiunctorum ad omnes Ecclesias Cathedrales & Collegiatas extendatur?

DIPARTITI sunt authores in duas sententias. Prima negãs est, eò quòd eius authores existiment, quòd huiusmodi adiunctorũ beneficiũ ex dispositione Cõcilij ad solas Ecclesias exẽptas extẽdatur. Quod suadent primò ex ipso contextu *dicti capitis 6. Concily, sessione 25.* prope finem, ibi. *Hæc autem omnia & singula in iis Ecclesiis locum non habeant, in quibus Episcopi aut eorum Vicarij, ex constitutionibus vel priuilegiis, aut consuetudinibus, siue concordiis, seu quocumque alio iure maiorem habẽt potestatẽ, authoritatẽ ac iurisdictionem, quã præsenti decreto sit cõprehensum: quibus Sancta Synodus derogare non intendit.* Quibus verbis denotat Concilium se nolle derogare constitutionibus, priuilegiis, consuetudinibus, siue concordiis, quibus Episcopi vel eorum Vicarij in suis Ecclesiis habent maiorem iurisdictionem, quàm illo decreto sit comprehensum, hoc est iurisdictionem magis absolutam & liberam, à quacumque limitatione, quod de non exemptis verificatur: ac proinde decretum istud de iudicãdo causas criminales Capitularium cum adiunctis, ad solas Ecclesias exemptas videtur extendi ex Concilij dispositione, & ita fuisse decisum ac declaratum à Sacra Cardinalium Congregatione interpretum Concilij referunt, & testantur additio ad Nauarrum *consilio 9. de officio Iudicis ordinario.* Riccius *in collectaneis decision. collecta* 751. Cerola *in praxi Episcoporum*, verbo *capitulum*, Seraphinus *decisione* 493. Sarauia *in suo tractatu de iurisdictione adiunctorum quæst.* 11. & 12. Rota *decisione* 743. Hieronimus Venetius *in examine Episcoporum lib. 4. cap. 27.* & Augustinus Barbosa *in tractatu de canonicis cap. 28. & in collectaneis nouissimis ad Concilium super dicto cap. 6. num. 3.*

Secundò; quia *in hoc cap. 6.* Patres Concilij declararunt completè id quod inceperant *in cap. de reformatione session. 6.* quod sic habet. *Capitula Cathedralium & aliarum maiorum Ecclesiarum, illorúmque personæ nullis exemptionibus, consuetudinibus, sententiis, Iuramentis, concordiis, quæ tantùm suos obligent authores non etiam successores, tueri se possint, quominus à suis Episcopis & aliis maioribus Prælatis per se ipsos solos, vel illis quibus sibi visum fuerit adiunctis secundum canonicas sanctiones, toties, quoties opus fuerit, visitari, corrigi, & emendari etiam authoritate Apostolica possint & valeant.* Quo decreto Concilium iurisdictionem Episcoporum ampliare, & nullatenus limitare voluit aut minuere. Id ipsum fecit *sessione 24. cap. 20. de reformatione*; vbi causas omnes ad forum Ecclesiasticum pertinentes, etiam beneficiales in prima instantia coram Ordinariis locorum duntaxat cognosci decernit. Et *infra* subdit, quod causæ matrimoniales & criminales non Decani, Archidiaconi, aut aliorum inferiorum iudicio etiam visitando, sed Episcopi tantùm examini & iurisdictioni relinquantur: etiamsi in præsenti inter Episcopum & Decanum siue Archidiaconum aut alios inferiores, super causarum istarum cognitione lis aliqua in quacumque instantia pendeat. Atqui per huiusmodi adiunctorum vsum restringitur & minuitur valde Episcoporum iurisdictio: eò quòd hoc beneficium siue priuilegium adiunctorum est quoddam genus exemptionis, licet limitatum. Ergo non est credendum, Concilium quod in locis præallegatis voluit authoritatem & iurisdictionem Episcoporum magnificare & extendere, illam voluisse minuere, & restringere dictum priuilegium ad omnes Ecclesias extendendo.

Tertiò suadetur exemplo † Ecclesiarum In- 16
diarum, in quibus regulariter Episcopi & eorum Vicarij procedunt contra Capitulares sine adiunctis, allegantes in erectionibus suarum Ecclesiarum nihil super hoc cautum fuisse, ac proinde in iuris antiqui dispositione fuisse relictas. Eámque consuetudinem valere constat, quia consuetudo valet etiam contra ius commune, quando est præscripta vel legitimè introducta, *ex cap. non est, de consuetudine in sexto*: qualis est ista, vt scilicet Episcopi in regnis Indiarum Occidentalium, in inquirendis, corrigendis, & puniendis Capitularium excessibus, non teneãtur Canonicorum consensum requirere. Tum etiam, quia dictæ Ecclesiæ non sunt exemptæ, vtpote nuper erectæ, & fere omnes post promulgationem Concilij Tridentini erectæ fuere, paucis exceptis, quas refert Solorzanus *tomo 2. de iure Indiarum lib. 3. cap. 14. numero 65.* erectas, paulo ante dicti Concilij promulgationem. Et exemptio non præsumitur nisi probetur, eò quòd semper standum sit pro iurisdictione ordinaria, ita vt Iudex ordinarius possit vti sua iurisdictione, etiamsi non sit in possessione subiectionis contra eum qui allegat exemptionem, donec contrarium probetur consuetudine aut priuilegio adquisitum: vt scitè probat idem Solorzanus *loco citato* ex communi sententia Iuristarum.

Hiis non obstantibus verior est oppositа 17
sententia, asserens † huiusmodi vsum Adiunctorum extendi, existente hac dispositione Concilij, ad omnes Ecclesias tãm Cathedrales & Collegiatas, exemptas & non exemptas, quam tenent Nauarrus *consilio de officio ordinarij*; Valençuela *consilio* 184. Gregorius Lopez *leg. 9. tit. 14. partit. 1.* Solorzanus *tom. 2. c. 3. & cap. 14. num. 79.* Et Sarauia *vbi supra num. 3. & num. 19.* vbi inquit; Romæ ita responsum fuisse à clarissimis aduocatis Merendà & Andrea, Nauarri opinionem obseruari debere, nisi specialiter in erectionis Ecclesiæ indulto caueatur, quod adiunctorum iure vti non debeat.

Ad cuius sententiæ (quæ & nostra assertio est) probationem præmittenda sunt duo. Primum est quod notat Felinus *in cap. irrefragabili, de officio ordinarij*; Gregorius Lopez *leg. 9. tit. 14. & leg. 15. tit. 22. Partita 1.* Valençuela *consilio citato*, Solorzanus *in dicto cap. 14. num. 57.* & Ludouicus Sarauia cum aliis multis, quos plena manu congessit *in suo tractatu de iurisdictione adiunctorum q. 1. n. 11. ex cap. nouit. & c. Quanto, de his quæ fiunt à Prælat. c. scitote. 6. 9. 3. & cap. Episcopus nullius, 17. 9. 7.* nimirum † attento iure
communi Episcopum procedentem iudicialiter 18
& extra visitationem contra aliquẽ ex suis capitularibus, consensum, siue consilium aliorum

Capitularium

Capitularium requirere debere. Quod ius licet Canonicorum negligentia omiſſum fuerit, & paulatim introductum, vt Epiſcopi vel eorum Vicarij abſq; Canonicorum interuentu, dictam iuriſdictionem exercerent: illud tamen reſtaurare volens Sancta Synodus Tridentina ex parte, *ſeſſion. 6. cap. 4. de reformatione* inchoatiuè, & plenius *ſeſſion. 25. c. 6. de reformatione*, cauet vt procederent ſimul cum duobus adiunctis, ſingulis annis ad hoc munus eligendis ex eodem Capitulo, & ſeruando formam *in dicto cap. 6. Concilij* latius præſcriptam. Secundum eſt, quod huiuſmodi beneficium Adiunctorum conceſſum fuit Patribus Concilij, ad ſedandas contentiones & diſcordias ante Concilium inter Epiſcopos & Capitula Cathedralia, & Collegiata, ſuper correctione & punione Capitularium exorta, vt notat Nauarrus *conſilio citato numer. 3.* inſuper in recompenſationem aliarum facultatum iuriſdictionalium, quibus tum Capitula ipſa maximè Cathedralium, tum eorum Decani & Archidiaconi gaudebãt: vt conſtat ex titulo de officio Archidiaconi *in decretalibus*, & *ex cap. 20. citato ſeſſionis 24. eiuſdem Concilij*, quam proinde iuriſdictionem, ſiue quaſi iuriſdictionem adiunctorum fauorabilem eſſe capitulis, & pro ſe iuris communis aſſiſtentiam habere, probant Sarauia *quæſt. 1. proximè citata numero 12. & ſequenti*, Puteus *deciſione 107. libr. 1.* Rota *deciſione 615. in prima parte*, & Solorzanus *dicto capit. 14. numer. 59.* proptereáque in omnibus fere Eccleſiis Hiſpaniæ receptam eſſe tanquam iuri & rationi conformem, atque valde vtilem & neceſſariam: Eò quòd teſte Nauarro *vbi ſupra*, *numer. vltimo*; *Experientia conſtat conuenire Reipublicæ, vt aliquorum Prælatorum plus volentium dominari, quam paſcere gregem, & pro libito amore vel odio, abſoluere & condemnare hos, & illos Capitulares ſibi reſiſtentes vel obſequentes, potentia obuietur per adiunctorum duorum Canonicorum, vt prædictum ſtatuit Concilium, &c.*

Hiis præſuppoſitis ac prænotatis, probatur
19 noſtra aſſertio. Primò quia hæc duo †Capitula Concilij, in quibus ſtatuitur huiuſmodi Iuriſdictio vel quaſi iuriſdictio adiunctorum, loquũtur generaliter de quibuſcumque Eccleſiis Cathedralibus ſiue collegiatis, exemptis, & non exemptis: ergo generaliter ſunt intelligenda: quia vbi lex non diſtinguit aut reſtringit, nec nos diſtinguere aut reſtringere debemus; ac proinde dicta duo Capitula vendicant ſibi locum in omnibus præfatis Eccleſiis, in quibus Epiſcopi non adquiſierunt ius pacificum ante prædictum Concilium, aliquo titulo legitimo, vltra poteſtatem quæ ipſis datur per ius commune. Secundò probatur, quia
20 † ratio motiua Concilij in vtroque capite fuit pax & concordia ſeruanda, inter Prælatos & ipſorum Capitula. Quæ ratio militat in omnibus Eccleſiis prædictis, tàm exemptis, quàm non exemptis: & lex extenditur ad limites rationis in qua fundatur, vt ſcitè notat Panormitanus *in cap. ſuggeſtum & c. meminimus de appellationibus.* Tertiò id ipſum ſuadetur ex primo notabili, quod iſta diſpoſitio Concilij ſit fauorabilis & conſona iuri communi, ac proinde ſit amplianda, & extendenda ad quaſcumque Eccleſias Cathedrales & collegiatas, ita vt facultas data Epiſcopis ad procedendum contra ſuos Capitulares criminaliter, & extra viſitationem, competat eis cum ea moderatione & limitatione aſſignata à Concilio *vbi ſupra*, nimirum, quod adiungant ſibi duos de Capitulo ductos, de quorum conſilio aut conſenſu procedant.

Dixi *vel quaſi iuriſdictio.* Quia licet omnes Doctores Iuriſperiti qui de hoc argumento tractant, ſupponãt hanc eſſe in huiuſmodi Adiunctis iuriſdictionem, & eam nomine iuriſdictionis appellent: tamen nonnihil habet quæſtio hæc potius de nomine, quàm de re: pro certo enim habendum eſt, quod ſuperius docuimus *dubio 2. concl. 2.* nimirum conſilium & aſſenſum adiunctorum eſſe conditionem neceſſariam, & modificantem poteſtatem Ordinarij, ad eius vſum neceſſariò ex decreto Concilij requiſitam, ſine qua talis poteſtas circa cauſas Capitularium criminaliter cognoſcendas, eſt omnino veluti ligata & impedita: ſiue hæc conditio modificans appelletur nomine iuriſdictionis, ſiue nomine conditionis neceſſariò requiſitæ ad vſum ordinariæ iuriſdictionis Prælati, quod mihi veroſimilius eſt. Nam veroſimilius eſt poteſtatem iuriſdictionis ordinariæ, in ſolis Epiſcopis & eorum Vicariis propriè reperiri erga omnes perſonas Eccleſiaſticas ipſis ſubditas, etiam Capitulares.

Cum hucuſque dictis etiam ſtat doctrina, à nobis ſupra *dubio 1. concluſ. 2.* tradita: videlicet Epiſcopos non teneri in Eccleſiis non exemptis requirere conſilium & aſſenſum adiunctorum: hoc eſt quando id priuilegium à principio publicationis Concilij non receperunt, ſed voluerunt in ſua conſuetudine & concordia relinqui. Vnde *in dicto capit. 6.* ſeruatur Epiſcopis ſalua omnis poteſtas, quæ vltra ibi ſtatutam competeret eis ex ſtatuto, priuilegio, conſuetudine, concordia, vel quocumque alio iure, cùm tamen Eccleſiarum Capitulis nihil tale reſeruetur; quin potius *in allegato cap. 4. ſeſſionis. 6.* tolluntur eis iura ſibi quæſita per exemptionem, conſuetudinem, priuilegium, vel alium modum, adeò quòd Epiſcopi poſſunt tanquam delegati authoritate Apoſtolica contra illa procedere.

Ad primum autem pro contraria ſententia Reſpondetur, illam exemptionem Concilij quia ſingularis eſt, potius firmare regulam in contrarium. Nam dum Concilium excipit ab vſu adiunctorum ſolas Eccleſias, in quibus Epiſcopi ex conſuetudine, priuilegio, vel concordia habent maiorem Iuriſdictionem, quàm illo decreto ſit comprehenſum, denotat manifeſtè ſe velle extendere dictum vſum adiunctorum, ad reliquas Eccleſias ſiue exemptas ſiue non exẽptas, in quibus Epiſcopi talem maiorem iuriſdictionẽ non haberẽt; ac proinde declarationi citatæ, vtpote minus authẽticæ non eſt ſtandum, quin potius ſtandũ eſt ei reſponſo Romæ dato, cuius meminit Sarauia *vbi ſup.* nimirum opinionem Nauarri obſeruari debere, niſi ſpecialiter in erectionis alicuius Eccleſiæ indulto caueatur, quod adiunctorũ vſu vti non debeat. Ad ſecundum; vel admiſſa maiori præmiſſa, neganda eſt minor. Quia licet Concilium ampliet & extendat in locis citatis Iuriſdictionem Epiſcoporum quoad Eccleſias, perſonas, & negocia ſubditorum; cum hoc tamen ſtat quod *in dicto capite ſexto ſeſſionis 25.* eandem iuriſdi-

ctionem limitauerit & restrinxerit secundum quid,& quantum ad modum duntaxat cognoscendi causas criminales Capitularium, hoc est, quod in eis procedant cum consilio & assensu duorum Capitularium, de eodem capitulo singulis annis eligendorum.

Ad Tertium dicendum est, cum Sarauia *q. 11. sui tract.* in qua specialiter disputat hanc quæstionem; Vtrum Ecclesiæ erectæ in Cathedrales post Tridentinum gaudeant vsu adiunctorum? quam & affirmatiuè resoluit, ex eo, quod huic iurisdictioni ius commune assistit. Tum etiam, quia Episcopi earumdem Ecclesiarum de nouo erectarum nullam suæ iurisdictionis diminutionem allegare possunt, cùm tam ipsi, quàm illæ de nouo creentur, & in vnum veluti corpus coagulentur, vnusquisque cum iuribus sibi in similibus Ecclesiis concessis & competentibus. Vnde patet eundem vsum seruari debere in Ecclesiis Indiarum erectis in Cathedrales, vt bene notat Solorzanus *in dicto c. 14. n. 72.* Nam licet in earum erectionibus, excepta nouissima Trugillana, nihil de adiunctis peculiariter sit cautum: verumtamen in omnibus ea clausula reperitur, quod vtantur & fruantur omnibus Iuribus, consuetudinibus, gratiis & indultis, & priuilegiis quibus gaudent & fruuntur aliæ Ecclesiæ Cathedrales Hispaniæ, & præcipuè Hispalensis, quæ primis temporibus earum omnium Typus & Metropolitana constituta fuit. Ac proinde cùm in omnibus fere Ecclesiis Hispaniæ, & maximè in Hispalensi vsus adiunctorum receptus sit, nihil esse videtur, cur dictis Indiarum Ecclesiis denegari debeat per regulam æqui paratorum. Vnde licet aliquando ob nimiam Prælatorum potentiam, non sinantur vti huiusmodi priuilegio adiunctorum à Concilio Ecclesiis Cathedralibus concesso: tamen iam Metropolitanæ, & quæ ante promulgationem Concilij Tridentini erectæ fuere, quibus aliæ nouiores & suffraganeæ conformari debent, dicto priuilegio vtuntur, & singulis annis adiunctos eligunt de Capitulo ad hoc ius conseruandum: quod maximè expediens esse videtur in eis Ecclesiis, vtpote in quibus Prælati clariores sunt, & pro summo imperio & honore quem habent & exercent, nihil non sibi arrogant & vsurpant circa Capitulares sibi subiectos. Vnde multò magis ibi expedit eis, potestatis frænum hoc adiunctorum medio aliquatenus temperare.

DVBIVM V.

Vtrum beneficium adiunctorum ad portionarios extendatur?

21 IN qua dubitatione inter Doctores Iuris, qui de ea tractant, † duæ circunferuntur opiniones, quasi inter se oppositæ. Primam affirmantẽ sequuntur Barbosa *in collectaneis ad dictum cap. 6. Tridentini.* Seraphinus *decisione 98.* Riccius *resolutionum practicarum capit. 36. & in collectaneis decisione 751.* & Verallus *decisione 91. parte 1.* asserentes, portionarios verè esse de corpore Capituli, non quidem attento iure communi, sed ex consuetudine, vel priuilegio, vel statuto, aut in ipsa Ecclesiarum erectione, aut post illam facto: ac proinde gaudere debere tali beneficio adiunctorum; quod ex dicta dispositione Concilij extenditur ad omnes, qui sunt de Capitulo. Idque suadent Primò, quia † huiusmodi portionarij siue medij siue integri 22
habent vocem actiuam & passiuam in electione adiunctorũ, qui ex dispositione Concilij debent esse de corpore Capituli. Secundò *ex decision. 4. Rotæ parte 2.* vbi datur portionariis Ecclesiæ Hispalensis manutentio in sua quasi possessione interessendi omnibus actibus Capitularibus exceptis tribus, nimirum, Electione Prælati, administrarione bonorum mensæ Archiepiscopalis, & admissione prouisorum ad Canonicatus, dignitates, & portiones eiusdem Ecclesiæ. Tertiò id probant exemplo Dignitatum, quæ licet non sint de Capitulo attento iure communi, tamen iam consuetudine siue priuilegio effecti sunt de Capitulo, *ex decisione Rotæ 98.* ideóque gaudent beneficio adiunctotum ex ipso Concilij decreto id exprimente. Ergo pariter de Portionariis siue integris, siue mediis, hoc ipsum affirmandum est. Vltimò, quia cum similis quæstio nuper mota esset inter portionarios Ecclesiæ Quitensis, & eius Decanum & Capitulum: ipsi pro se allegarunt clausulam erectionis cuius tenor est: *Quod portionarij ipsi habeant vocem in Capitulo, etiam cum dignitatibus & Canonicis, tam in spiritualibus, quàm in temporalibus, præterquam in electionibus & aliis à iure prohibitis casibus & quod Hispalensis Ecclesiæ consuetudo in omnibus obseruetur, &c.* in qua portionarij sũt de corpore Capituli.

Secunda opinio negans est, quam tenent Sarauia *in suo tractatu de iurisdictione adiunctorum quæst. 23.* vbi refert plures decisiones, in quibus declaratum fuit portionarios non esse de corpore Capituli pro Ecclesiis, Hispalensi, Cordubensi, Cartaginensi, Calagurritana, & Taraconensi; Farinacius *decisione 55.* Glossa *in Clementina 11. de ætate & qualitate &c.* Felinus *in cap. cum olim, de re iudicata*, Genuensis *in praxi Archiepiscoporum cap. 85.* & alij, quos refert & sequitur Solorzanus *in dicto cap. 12. à numer. 12.* Eámque suadent primò, quia ex dispositione Concilij vsus adiunctorum solùm extenditur ad eos, qui sunt de Capitulo & ad dignitates: Portionarij autem neque sunt Dignitates vt perspicuum est; neque sunt de Capitulo, quamuis habeant in aliquibus casibus vocem in Capitulo. Non enim valet hæc consequentia; Quis habet vocem in Capitulo: ergo est Capitularis. Quod patet ex quadam declaratione Cardinalium interprætum Concilij, adducta à Marcilla *super dicto cap. 6. Tridentini*, quæ sic habet: *Congregatio Concilij censuit, non ex eo quod Portionarij integri, & dimidij habeant vocem in Capitulo, illos esse Capitulares, sed tunc inter Capitulares censeri debere, cum ex Apostolico priuilegio, consuetudine, aut Ecclesiæ Statuto inter Capitulares connumerentur, &c.* Ideo si ipsi talibus facultatibus non potiantur, Episcopus poterit contra illos non cum adiunctis procedere. Et subdit Solorzanus: nisi in ipsa erectione Ecclesiæ specialiter caueatur, vt sint de corpore Capituli.

Secundò, quia † attento iure communi soli 23
Canonici Capitulum faciunt, non Dignitates, neque portionarij, *ex cap. nouit. & c. quanto, & c. eam scitur, debis quæ fiunt à Prælato & cap. eam te, de rescriptis, c. cum olim de re iudicata, & c. finali de præbendis in sexto.* Ex quibus textibus probat

Solorzanus *vbi ſupra, numer.6.* Canonicos duntaxat attento iure communi facere Capitulum, pro quo citat Abbatem, Decium, Felinum, Gregorium Lopez, Dominum Valençuelam & Azorium *tomo 2.lib.3. cap.11.* verſu *quæritur, an habens dignitatẽ*; exceptis Eccleſiis Indiarum (ait ille) vtpote nuper erectis, in quibus ex ſtatuto erectionis Dignitates faciunt capitulum cũ Canonicis, & habent vocẽ in electionibus etiam canonicis, neq; Canonicatus eis annecti poteſt.

Sed non video diuerſitatem inter has duas opiniones; provt illam inuenerunt Sarauia *vbi ſupra*: quia authores vtriuſque fatentur Portionarios, & dignitates non eſſe Capitulares de iure communi, & dicunt ſimul fieri Capitulares interueniente conſuetudine, vel priuilegio, vel ſtatuto in erectione Eccleſiæ aut poſt illã facto.

Quapropter media ſententia eligitur à no-
24 bis tribus aſſertionibus declaranda. Prima eſt, † attento iure communi ſcripto (quidquid ſit de non ſcripto per cõſuetud nem introducto) Dignitates & portionarij integri & dimidij non ex-
25 cludũtur à corpore Capituli. Secunda eſt, † portionarij, qũi aut ex ipſa Eccleſiæ erectione, aut ſtatuto ſuperuenienti, aut conſuetudine vel priuilegio quæ habent vocem in Capitulo de lege ordinaria, eo ipſo ſunt de corpore capituli, atque intra Capitulares recenſendi. Dixi de lege ordinaria, nam ſi quis extraneus de commiſſione aut de legatione Superioris præſideat in Capitulo, & in vno aut altero negotio duntaxat pro vna vice habeat vocem in capitulo, iſte non propterea eſt cẽſendus Capitularis. Tertia eſt, † cõtra hos nõ poteſt Epiſcopus vel eius Vicarius procedere in criminalibus ſine adiũctis.

Prima aſſertio probatur, quia in duobus prioribus capitibus allegatis *ex lib.3. decretaliũ* pro ſecunda opinione, Alexander III. ſolùm de-
26 terminat, quod † Prælatus ſine conſilio Capituli, non poſſit inſtituere vel deponere Prælatos inferiores, vt Abbates & Abbatiſſas, aut alia negotia Eccleſiæ tractare, & quod abſentium nomina non ſubſcribat. Cuius rationem reddit dicens: *quia tu & fratres vnum corpus ſitis, & quia hoc eſt Sanctorum Patrum inſtitutionibus cõtraire.* In *Tertio* autem decernit Cæleſtinus III.
27 quod † Prælatus nõ faciat præſentationes in Eccleſiis collegiatis ſibi ſubiectis, niſi de conſilio & conſenſu Capituli, vel maioris partis: niſi de conſuetudine vel priuilegio competat ſoli Prælato ius præſentandi ad officia: nulla mentione facta de dignitatibus aut portionariis, quinimo neque de Canonicis ſub hoc nomine expreſſis.

Deinde in ſequentibus capitibus *de reſcriptis & re iudicata* Alexandri III. & Innocentij III. tantùm fit mentio, quod Capitula tunc temporis conſtabãt ex Archidiaconis & Canonicis. In *Tertio* verò *de prebendis in ſexto*, quod eſt Bonifacij VIII. agitur de Capitulo Narbonẽſi, quod in illo eſſent dignitates, perſonatus, & officia à Canonicis obtenta, quorum collatio ad ipſos vel communiter vel particulariter pertinebat. Fuiſſe quoque dignitates, & perſonatus in Eccleſiis Cathedralibus à primis temporibus erectionis earum, conſtat ex titulis de officio Archidiaconi, & Primicerij &c, qui habentur *in libro 1. decretalium*, ex Alexandro III. Gregorio III. Innocencio III. & ex libro Romani ordinis.

Secunda aſſertio probatur argumentis adductis pro prima opinione, quæ illam dumtaxat conuincunt: neque opus eſt aliter ſatisfacere. Denique Tertia patet ex contextu dicti *cap.6. ſeſſ.25.* vbi † vſus Adiunctorum extenditur ad 28
quoſcumque qui fuerint de Capitulo: ergo illo debent frui Portionarij, qui conſuetudine vel ſtatuto vel priuilegio ſint effecti de capitulo, & habeant vocem in illo de lege ordinaria per conſuetudinem, priuilegium vel ſtatutum firmata. Cúmq; habere vocem in capitulo actiuã, & paſſiuã, in negociis ordinariis ipſius Capituli, præſertim in electione adiũctorũ, ſit actus proprius membrorum ipſius Capituli, & veluti actus vitalis illius corporis myſtici, non ſecus atque humana vox eſt actus vitalis & proprius hominis: quicumque habuerint hanc vocem in Capitulo, eo ipſo erunt de corpore Capituli. Neque in hoc æſtimanda eſt declaratio illa adducta à Marzilla, quia deſunt illi conditiones requiſitæ vt ſit authentica, inferius enumerandæ: ac proinde contra huiuſce conditionis portionarios non poterit Epiſcopus vel eius Vicarius iudicialiter in criminalibus ſine adiunctis procedere.

Ad primum autem ex adductis pro ſecunda opinione, quatenus militant contra noſtram ſecundam & tertiam aſſertionem, neganda eſt minor, ad cuius probationem patet ex dictis. Ad ſecundum neganda eſt maior præmiſſa, ſi de iure communi ſcripto loquatur. Iuris namque canonici Doctores ſecuti ſuas gloſſas, id attribuunt textibus citatis, quod in eis non inuenitur ſcriptum, quos etiam ex parte ſecutus Azorius Theologus, loco allegato quæſtioni à ſe propoſitæ, nimirum; *An habens dignitatem, perſonatum vel officium in Cathedrali Eccleſia ſine Canonicatu, ferre poſſit ſuffragium in capitulo*: Reſpondet cum Abbate & Innocentio *in cap. ſcriptum, de electione* & *c.2. de inſt.* quod attento iure, provt colligitur *ex c.nouit. & c.quanto, de his quæ fiunt à prælatis*, habentes dignitatem, perſonatũ vel officium ſine Canonicatu, carẽt iure eligendi & ferendi ſuffragium in Capitulo: eò quòd ibi dicatur, quod Canonici & Epiſcopus vnum collegium quaſi corpus efficiunt, & nihil dicitur de aliis qui canonicatum non habẽt. At priuilegio, ſtatuto, vel conſuetudine qui dignitatẽ vel perſonatum ſine canonicatu habet, poteſt ſuffragium ferre in Canonicorum Capitulo, provt in quibuſdam Eccleſiis contingit. Verùm *in c.quãto* citato, nulla fit mentio de Canonicis, niſi tantùm de fratribus, vt iam diximus, *& in c.nouit.* poſtquam Alexander III. dixerat loquens cum Patriarcha Hieroſolymitano, *qualiter tu & fratres tui vnũ corpus ſitis, &c.* ſubdit paragrapho; *Innotuit, quod tu ſine conſilio fratrũ Canonicorũ ſancti Sepulchri, Abbates, & Abbatiſſas & alias Eccleſiaſticas perſonas inſtituis & deſtituis &c. ideoque id authoritate Apoſtolica prohibemus: nos enim tales inſtitutiones & deſtitutiones carere decernimus robore firmitatis.* Vbi nomen fratrum ad ſolos Canonicos applicauit: ea fortè ratione, quod in Eccleſia Sancti Sepulchri ſoli Canonici eſſent inſtituti in eius erectione, abſque dignitatibus & perſonatibus; ac proinde non ſumitur ex eo efficax argumentũ, ad excludẽdũ attento iure ſcripto dignitates & perſonatus à corpore Capituli Eccleſiæ cathedralis vel collegiatæ, quæ fuerit à principio cũ Canonicis ac dignitatib. erecta; vel illas poſt ſui erectionem abſq; limitatione vel reſtrictione aliqua, in ſuum Collegiũ admiſerit.

DVBIVM

DVBIVM VI.

Vtrum Sede vacante Capitulum in causa criminali contra aliquem de capitulo mota, debeat procedere cum adiunctis?

RATIO dubitandi à parte negatiua est, quod Concilium *in dicto cap.6.sessionis 25.* solùm loquitur de Episcopo & eius Vicario, eisque præscribit formam procedendi criminaliter cum duobus adiunctis, contra criminosos qui sunt de corpore Capituli: ac proinde talis dispositio non videtur extendenda ad Capitulum Sede vacante.

29 Verumtamen † hanc quæstionem mouens Sarauia *in suo tractatu de iurisdictione adiunctorum, quæstione* 17. *&* 32. resoluit affirmatiuè, & tangit Solorzanus *in dicto cap.*14.*num.* 85. eidem resolutioni subscribens: Cum quibus proculdubio tenenda est pars affirmatiua, quæ præterquam quod est vsu & consuetudine Ecclesia-

30 rum firmata, suadetur primò; quia † Capitulum Sede vacante succedit omnino Episcopo in iurisdictione, provt decernitur à Tridentino *sessione 24. capit.*16. ibi. *Item officialem seu Vicarium infra octo dies post mortem Episcopi constituere, vel existentem confirmare omnino teneantur: qui saltem in iure canonico sit Doctor vel Licentiatus, vel aliàs quantum fieri poterit idoneus.* Quibus in Verbis duo denotantur. Primum est, totam iurisdictionem Episcopi vita functi radicari in Capitulo sede vacante, quod tenetur infra octo dies post mortem Episcopi, illam in Vicariũ vel Vicarios à se nominandos transferre. Secundũ

31 est, quod huiusmodi † Vicarius à Capitulo constituẽdus, debeat esse regulariter Doctor vel Licentiatus in iure Canonico; non tamen prohibetur quin aliquando sit Theologus, si aliàs prudentia & experientia polleat, quibus sit idoneus ad negotia tractanda, & ferendum iudicium, provt ex illis postremis Verbis, *vel aliàs quantum fieri poterit idoneus*, rectè colligit Solorzanus *vbi supra.* Igitur eadem forma præscripta à Concilio Episcopo & eius Vicario, procedendi cum adiunctis contra Capitulares, censetur præscribi Capitulo Sede vacante, in quod transfertur iurisdictio Episcopi, & ab illo in

32 suos Vicarios. Secundò suadetur, quoniam † sub nomine Episcopi in iure & rescriptis regulariter intelligitur eius Vicarius, eò quòd eadem est vtriusque ordinaria potestas iurisdictionalis, ita vt vnius ad alterum nequeat fieri appellatio: vt scitè notat Solorzanus ibidem *numer.* 47. cum Garcia, Flaminio, Narbona, & aliis, iuncta declaratione *cap.* 3. *sessione* 25. Tridentini ibi. *quod censuræ Generales à nemine prorsus præterquam ab Episcopo discernantur*: per quam clausulam non excluditur eius Vicarius, qui tum propter identitatem iurisdictionis, tum ratione repræsentationis, quia nimirum repræsentat dignitatem & iurisdictionem Episcopalem: Tum etiam per commissionem ac delegationem ipsi ab Episcopo factam, † potest gene-

33 rales censuras discernere, sicut & potest causas matrimoniales examinare & cognoscere, non obstante quod Tridentinum *sessione* 24.*cap.*20. huiusmodi causas matrimoniales soli Episcoporum examini relinquit. Nam vt notat Sanchez *lib.*3. *de matrimonio, disputatione* 29. declaratum fuit per dictum decretum, non excludi Episcoporum Vicarios ob rationes assignatas, qui tamen expressè excluduntur in eadem *sessione Concilij cap.*6. à potestate absoluendi à crimine hæresis ibi; *Idem & in hæresis crimine in eodem foro conscientiæ eis tantùm, non eorum Vicariis sit permissum*; quia talis exclusio expressa fuit necessaria, alioquin neque ab ea potestate absoluendi in crimine hæresis, manerent Vicarij Episcoporum exclusi. Et quia hæc est singularis exceptio, firmat regulam in contrarium. Tertiò probatur argumento desumpto ex oppositionibus & electionibus Canonicatuum affectorum, scilicet Doctoralium & Magistralium ac Pœnitentiariorum, in quibus licet proprium sit Episcopi assistere, præsidere, & suffragium ferre: tamen eo absente, Vicarius loco illius subrogatur, eò quòd in Bullis Sixti IV. & Leonis X. & in Tridentino *sessione* 5.*cap.*1. *de reformatione & sessione* 24. *cap.* 15. *de reformatione* relatis *in lege* 24. *titulo* 3. *libro* 1. *recopilationis*, iubentibus has præbendas in Ecclesiis Cathedralibus institui; dicitur, quod earum prouisio est ordinariæ authoritatis: & promiscuè in illis fit mentio de Ordinario, & eius Vicario. Vnde sic explicatas fuisse schedulas regias, disponentes erectionem similium præbendarum in Ecclesiis Indiarum, pro Ecclesia Limensi, vbi hæc dubitatio orta fuerat anno 1632. licet in illis tantùm fieret mentio de Episcopo, & non de illius Vicario, refert Solorzanus *dicto cap.* 14. *numer.* 44. Et merito quidem, quia dictæ schedulæ regiæ emanarunt ad effectum exequendi in Ecclesiis Cathedralibus Indiarum Bullas Sixti IV. & Leonis X. atque præfata Tridentini decreta, in quibus iubetur institutio huiusmodi præbendarum. Et cum in illis dicatur, earum prouisionem & electionem faciendam esse cum assistentia & suffragio ordinarij, visum fuit ad eundem sensum explicandas fore Regias schedulas id ipsum disponentes, sub nomine Episcopi in Ecclesiis Indiarum nuper erectis. Ac proinde sicut sub nomine Episcopi, in iure & rescriptis ac decretis Concilij, venit intelligendus eius Vicarius proper identitatẽ iurisdictionis vtriusque: ita & venit intelligendum Capitulũ Sede vacante & eius Vicarius, quia iurisdictio Episcopi mortui trãsit in Capitulũ, & à Capitulo trãsfertur in Vicarios ab ipso institutos.

DVBIVM VII.

Vtrum Tertius qui eligitur in discordia iuxta formam Concilij, debeat esse Capitularis eiusdem Capituli?

QVAESTIO hæc fuit mota anno præterito 1647. inter Illustrissimum Dominum Episcopum Conchensem & eius Capitulum, occasione puniendi quemdam Canonicum eiusdem Ecclesiæ Conchẽsis, pro eo quod censuras tribunalis contra ipsum latas contempsit, & manibus dilaniauit, ac pedibus conculcauit: introductáque criminali lite aduersus præfatum reum, super articulo incarcerationis, discordarunt Vicarius Illustrissimi Episcopi, & adiuncti. Cúmq; procederent ad electionem Tertij iuxta

formam Concilij, diſcordarunt, ac proinde iuxta eandem formam à Concilio præſcriptam, ad Epiſcopum viciniorem ſcilicet Albaricinenſem recurerunt, vt nominaret tertium coniudicem in diſcordia: qui nominauit Dominium Andream Mangellum Illuſtriſſimi Nũcij Auditorẽ, in Regia curia commorantem. Quam nominationem Capitulum Conchenſe recuſauit ad Rotam appellando, & litteras inhibitorias attulit, quibus dictus Dominus Auditor ſe inhibitum declarauit, cauſam ad Rotam remittendo: prætenditque Capitulum Conchenſe, tertium iſtum eligendum in caſu diſcordiæ, debere eſſe Capitularem eiuſdem Eccleſiæ Conchenſis: pro quo præſentauit quandam declarationem Cardinalium interpretum Concilij Tridentini, obtentam ad petitionem eiuſdem Eccleſiæ Conchenſis per eius Procuratorem Romæ interpoſitam, die 13. Septembris anni 1618. Pontificatus autem Sanctiſſimi Pauli Papæ V. anno 14. quæ ſic habet. *Sacra Congregatio Cardinalium Concilij Tridentini interpretum, conſuit tertium qui eligitur in caſu diſcordiæ inter Epiſcopum & Capitulum ex præſcripto capitis 6. ſeſſione 25. eiuſdem Concilij, debere Canonicatum vel dignitatem in eadem Eccleſia obtinere.* Quam declarationem eſſe veram ac fide dignam, vtpote Illuſtriſſimi Cardinalis Domini Horatij Lancelloti ſigillo munitam, & vt moris eſt, expeditam, teſtatur ſuis teſtimonialibus Ioannes Dominicus Spinola Protonarius Apoſtolicus Sanctiſſimi Domini Papæ, nec non curiæ cauſarum Cameræ Apoſtolicæ generalis Auditor: in quibus teſtimonialibus dicta declaratio inſerta continebatur

34 Verùm pro contraria parte, nimirum quod † tertius qui eligitur in caſu diſcordiæ, non debeat eſſe Capitularis eiuſdem Eccleſiæ, plurima ſunt argumenta quæ illam veriorem ſuadent. Primò quidem, quia hoc opponitur directè diſpoſitioni Concilij *in dicto c. 5. ſeſſ. 25.* ibi: *Vt Capitulum initio cuiuſlibet anni, eligat ex Capitulo duos, de quorum conſilio & aſſenſu Epiſcopus vel eius Vicarius tam in formando proceſſum &c.* per quam diſpoſitionem Capitulum conſideratur, vt vna perſona politica, & vnum corpus myſticum in ſuis duobus adiunctis repræſentatum, contra poſitum ad Epiſcopum vel eius Vicarium, qui gerit vicem alterius perſonæ, & reſpectu quorum tertius qui eligitur, debet eſſe diſtinctus. Si autem eſſet de eodem Capitulo, eadem perſona eſſet tertius ſui ipſius: quod non minus repugnat, quàm quod in naturalibus corpus producat ſe ipſum: & quod naſcatur ex ſeipſo, & quod vna perſona ſit conſanguinea aut cognata ſui ipſius. Rurſus, quod eadem perſona exerceat officia diuerſa atque contraria: vt quod ſit Iudex, & tertius: vel quod ſit Iudex, & aduocatus in eadem cauſa, quod iura

35 abhorrent, *in cap. finali de inſtitution.* ibi, *cum* † *inter dantem & accipientem debeat eſſe diſtinctio perſonalis; & cap. per noſtras, de iure patronatus, & lege prætor. ff. de tutor & Curat. & lege finali Cod. de aſſeſſoribus, & lege ſi plures ff. de pactis;* vt cum multis reſoluit Auguſtinus Barboſa *de officio Epiſcopi part. 3. allegation. 72.* Si autem tertius in noſtro caſu eſſet de eodem Capitulo, eadem perſona in eadem cauſa diuerſa munia ſubiret, ſcilicet iudicis & tertij, iudicis & patroni: quod contradictiones naturales inuoluit.

Secundò probatur: nam ſi Concilium vellet tertium fore eligendum de corpore eiuſdem Capituli, ſicut id expreſſit in adiunctis, pariter expreſſiſſet in tertio, qui eligitur in diſcordia. Neque enim poteſt in mentem viri prudentis venire, quod Concilium circunſtantiam adeò grauem omitteret conſultò, nimirum quod tertius eligendus eſſet de eodem Capitulo, ſed prorſus eam exprimeret: argumento *legis ſi quis forte ff. de pœnis & capit. 1. de frigidis, & maleficiatis.*

Tertiò, quia † diſpoſitio Concilij circa ele- 36
ctionem tertij in caſu diſcordiæ inter Epiſcopum ſiue Vicarium & adiunctos, eſt indefinita ac proinde generaliter accipienda per regulam dialecticorum, quod in doctrinalibus indefinita æquipollet vniuerſali, approbata *in lege ſi pluribus ff. de legatis & lege Iulianus, eodem titulo*: cum eadémque generalitate defert Concilium electionem tertij ad Epiſcopum viciniorem, quæ proinde generaliter eſt facienda abſque vlla limitatione aut reſtrictione: ac per conſequens abſque hac limitatione, quòd debeat tertius eligi præcisè de Capitulo, per regulam iuris; vbi lex non diſtinguit aut reſtringit, nec nos diſtinguere aut reſtringere debemus. Igitur quicumque alius Clericus cuiuſcumque Communitatis aut dignitatis ſit, eſt eligibilis in tertium iuxta generalem Concilij diſpoſitionem: alioquin talis reſtrictio & limitatio eſſet contra regulas ac determinationes Iuridicas.

Quartò probatur ab inconuenienti, quod ſequitur ex contraria ſententia: nimirum quod etiam Epiſcopus poſſet ſuum Vicarium, aut Vicarius poſſet Epiſcopum eligere in tertium coniudicem cum adiunctis in caſu diſcordiæ. Conſequens eſt abſurdum, neque à Capitularibus vllo pacto admittitur: ergo & illud ex quo ſequitur. Sequela patet, nam ex Epiſcopo & eius Vicario, vnus tantùm iudicat cũ adiunctis, ac proinde ſi de corpore Capituli in adiunctis repræſentati valet produci tertius, qui eligitur in diſcordia; Cur de corpore Epiſcopi ac Vicarij non poterit produci in caſu diſcordiæ tertius? cum fortior hîc militet ratio, quia maior diuerſitas inter Epiſcopum & eius Vicarium reperitur, quàm inter adiunctos & Capitularem eiuſdem Capituli, quippe qui omnes ſunt ſocij ac fratres, & partes integrantes, idem corpus mixticum, ſcilicet idem Capitulum. Quod ſi Capitulum iudicat non poſſe eligi in tertium Epiſcopi Vicarium, quando Epiſcopus cauſam criminalẽ cognoſcit, aut è contra; quia ambo conſtituunt vnum & idem tribunal: quare iudicabit ex eodem Capitulo conſtituente cum adiunctis idem corpus mixticum, poſſe eligi in tertium, alium ſui Capitularem? aut cur velit ex diſpoſitione Concilij deducere Secundum & non Primum?

Quintò probatur: nam † Concilium ſem- 37
per voluit authoritatem Epiſcopi extollere ſupra Capitulum, ita vt hoc ſemper illi maneret ſubiectum & inferius: vt bene aduertit Nauarrus *vbi ſupra*; ob quam tarionem *in cap. 4. de reformatione, ſeſſione 6.* Capitula Cathedralium Eccleſiarum poteſtati Iuriſdictionali Prælatorum ſubiecit, dicens. *Capitula Cathedralium*

&

& aliarum maiorum Ecclesiarum, illorúmque personæ nullis exemptionibus, consuetudinibus, sententiis, iuramentis, concordiis, quæ tantum suos obligent authores, tueri se possint, quominus à suis Episcopis & aliis maioribus Prælatis per se ipsos solos, vel illis quibus sibi videbitur adiunctis, iuxta Canonicas sanctiones toties quoties opus fuerit, visitari, corrigi, & emendari etiam authoritate Apostolica possint & valeant; hoc est nedum tanquam ab ordinariis, sed etiam tanquam ab Apostolicæ sedis delegatis. Et *cap.20. de reformatione sess.24.* iussit causas omnes Ecclesiasticorum etiam beneficiales, in prima instantia coram solo Ordinario fore tractandas, abrogando quascumque antiquas siue præsumptas Decanorum & Archidiaconorum Iurisdictionales potestates: & *in dicto cap. 6. sessionis 25.* disposuit, vt in causis criminalibus circa Capitulares motis, processus formaretur coram Notario ipsius Episcopi, & in eius domo aut loco pro tribunali deputato & consueto: & quod adiunctorum tantum sit vnum suffragium, Episcopúsque solus aut eius Vicarius gauderet alio integro suffragio. In quo proculdubio superioritatem in ordinarij Iurisdictione recognouit. Atqui si in casu discordiæ tertius qui eligitur, esset de eodem Capitulo, eius authoritas maneret superior Episcopi authoritate, quia illa tunc gauderet duobus suffragiis, & ista vno duntaxat. Vnde illa in proferendo sententiam semper vinceret istam, eò quòd talis tertius semper se conformaret consilio & assensui adiunctorum; vt scitè notat Aluarus Pelagius *libro 2. de planctu Ecclesiæ cap.26.* ibi. *Nono, quia communiter Canonici in Capitulis suis Episcopis ex malitia & contumacia contradicunt, nisi eorum faciant voluntates.* Tum etiam quia ob amicitiam, societatem & fraternitatem quam inter se profitentur, habentur pro suspectis in iure, *ex cap. cum inter, de exceptionibus*, & *cap. cum R. Canonicus, de officio iudicis delegati libro 1. decretalium*, vbi Innocentius III. determinat, quod Canonicus in causa Canonici recusari poterit, quia cum sit socius illius, est suspectus apud partem aduersam: quam suspicionem ex quadam æquitate dispensauit Concilium in duobus adiunctis, in recompensationem quarundam iurisdictionum, quibus Decanus & Archidiaconus Capituli olim ante Concilium in causis criminalibus & matrimonialibus vti solebant; vt liquidò ex contextu dicti *cap.20. sessione 24.* constat. Neque oportebat aliam dispensationem facere in tertio qui eligitur, vtpote quæ à iure communi
38 exorbitat; quod disponit † tertium coniudicem eligendum in quauis causa, debere esse neutrum, & propitium cum æqualitate ad vtramque partem, *in lege 1. Cod. de dotis promission.* & *lege 29. titulo 4. partita 3.* ibi: *que tomen vn hombre bueno, que sea commun al enquerer el derecho para ambas partes.* Vbi Gregorius Lopez *Glossa 5. circa finem*, diffiniens huiusmodi tertium coniudicem ait; *& quia vt hîc dicitur, tertius qui debet eligi, debet esse communis amicus partibus.*

Hinc restat ad declarationem assertam Sacræ Congregationis interpretis Concilij, pro Ecclesiarum Capitulis adductam respondere. Igitur dicimus, illam neque authenticam esse neque in forma probante: imo nullius roboris aut momenti, propterea quòd multis defectibus laborat. Primò quia non apparet subscripta nomine Cardinalis Præfecti dictæ Congregationis, neque signata sigillo Secretarij eiusdem Congregationis, quæ sunt † con- 39
ditiones requisitæ ad hoc, vt aliqua declaratio dictæ Congregationis habeatur pro authentica, & ei fides adhibeatur, ex constitutione Sanctissimi Vrbani VIII. edita die 2. Augusti anni 1631. & ex alio decreto lato à Sacra Congregatione super librorum prohibitione die 29. Aprilis, anni 1621. sine quibus conditionibus cæteræ declarationes quæ vulgo circumferuntur, & ab authoribus allegantur, suppositæ & apocryphæ censentur, ita vt nullam fidem etiam ex sola vrbanitate mereantur, vt notat Dominus Valençuela *tomo 2. consilio 184.* Fagundez *de præceptis Ecclesiæ tractatu 2. lib. 8. cap.8.* Sousa *in Bulla Cœnæ cap.73. disputat.110.* & Salgado *de supplicatione ad Sanctissimum p.2. cap.3. §. 5.* Secundò, quia facultas data à Sixto V. huiusmodi Congregationi Cardinalium, fuit tantùm ad declaranda dubia Concilij, & insuper cum ea conditione, vt de dubiorum declarationibus consuleretur Summus Pontifex, ita vt sine eius consultatione præmissa, nulla declaratio habeat firmitatem; vt plenè constat ex dicta Sixti V. constitutione, quæ est 75. edita anno 1588. & continetur *tomo 2. Bullarum*: & idem restantur Rodericus *tomo 1. regularium quæstionum q.11. art.2.* Salas *de legibus q.21. section.12.* & Nicolaus Baldelius *lib.5. disputationum Theologiæ moralis de legibus disp. 13.* Constat autem vtramque conditionem deficere dictæ declarationi, vtpote quæ nec cadit supra aliquod dubium Concilij, quin potius eius dispositioni contradicit; qua manifestè excluditur in casu discordiæ tertius eligendus de eodem Capitulo, nec fit in illa mentio de præmissa consultatione Summi Pontificis. Tertiò quia dicta declaratio fuit obtenta ad instantiam eiusdem Ecclesiæ Conchensis contra eius Episcopum, quæ obtentio non fuit Iuridica, vtpote in præiudicium potestatis ordinariæ Episcopi, sine vlla eius citatione. Neque enim ipse Episcopus, aut aliquis eius procurator, fuit citatus intra vel extra Romanam curiam, neque vllus ei fuit datus locus defensionis. Quinimo admissa dicta declaratione, ordinaria potestas expoliaretur possessione præscripta, post promulgationem Concilij Tridentini, quam habet eligendi tertium in casu discordiæ, qui nec eiusdem Capituli Conchensis, neque alterius sit Capitularis. Nam tempore Domini Andreæ Pacheco anno 1630. in causa criminali mota contra Dominum Didacum del Castillo, Canonicum eiusdem Ecclesiæ Conchensis, vnanimi consensu Domini Episcopi & Adiunctorum, fuit electus in tertium licentiatus Alfonsus Gonzalez de Lara, Administrator hospitalis Regij S. Iacobi ciuitatis Conchensis, qui nec Canonicatum nec dignitatem in Ecclesia Conchensi aut in alia possidebat, in eáque possessione fuerat ordinarius Conchensis à tempore promulgati Concilij: & fuit vsque ad tempus huius litis, à qua possessione non potest deiici per dictam assertam Cardinalium declarationem. Tum etiam quia hæc continuata possessio à tẽpore promulgati Concilij, fuit quædam illius interpretatio, nimirum

quod tertius eligendus iuxta diſpoſitionem *capitis 6. ſeſſione 25.* non debet eſſe de eodem capitulo : quia ſecundum doctrinam Bartholi *lege emptor fundi ff. de vſucapio*, Baldi *conſilio* 245. Surdi *conſilio* 140. & Molinæ *libro 2. cap. 7.* communiter receptam : *poſterior qualitas poſſeſſionis declarat, quod à principio fuerit dubia intentionis.* Tum etiam, quia ſi dicta declaratio admittatur, induceretur ſpolium poſſeſſionis, in qua Epiſcopus Conchenſis & eius ordinaria Iuriſdictio inuenitur : quod tamen non eſſe admittendum (etiamſi fiat per cõmiſſionem aut reſcriptum Principis) antequam poſſeſſor citetur & audiatur in Iudicio, detúrque ei locus defenſionis, alioquin ſtatim eſt reſtituendus ſpoliatus etiam prædo, iuxta regulam vtriuſque iuris communiter receptam, *ex titulo de reſtitutione ſpoliatorum per totum*, & *lege authoritate, Cod. vnde vi*, & *lege 2. & 7. titulo 13. libro 4. recopilationis*; vbi diſponitur quod huiuſmodi prouiſiones & reſcripta obediantur, ſed minimè executioni mandentur ibi. *Y ſi pareciere carta nueſtra pordonde mandaremos dar la poſſeſſion que vno tenga a otro : y la tal carta fuere ſin audiencia, que ſea obedecida, y no cumplida*, &c. Vnde licet demus † dictam declarationem fuiſſe verè & realiter à Sacra Congregatione pronuntiatam, adhuc cenſenda eſt nulla & inualida; propterea quod eius obtentio patitur prædictos defectus Iuridicos, ob quos laborat vitio ſubreptionis & obreptionis, ratione cuius eſt nullius valoris iuxta commune principium Iuris Canonici *in cap. Poſtulaſti*, & *cap. ſuper litteris, de reſcriptis*, ibi : *cum mendax præcator carere debeat penitus impetratis*; & infra. *Vt hij qui priori modo falſitatem exprimunt, vel ſupprimunt veritatem, in ſuæ peruerſitatis pœnam, nullum ex illis litteris commodum conſequantur.* Vnde recognoſcens Senatus Regius, has nullitates in tali aſſerta declaratione contentas, ad inſtantiam dicti Domini Epiſcopi Conchenſis & Fiſcalis Regij, iuſſit cum ſuis teſtimonialibus retineri. Cuius mandati tenor eſt. *Sin Embargo de Lauto de Viſta de Veinte y ſeis de Iullio deſte año Seretienent eſtos memoriales en el Conſejo Madrid doce de Octubre de* 1647. Eò vel maximè quod ſpatio viginti nouem annorum currente, ab anno 1618. in quo dicitur fuiſſe obtentam vſque ad annum 1647. in quo fuit à Senatu Regio detenta, nullus auctor ex his qui ſcripſerunt, fecit illius mentionem, neque fuit inter declarationes Concilij typis mandatas inſerta, neque aliqua Eccleſia Cathedralis, vel Collegiata illius meminit, neque vllum Capitulum etiam Conchenſe illa vſum fuit in tanta cauſarum criminalium mole, quanta ſolet occurrere, & in tribunalibus Eccleſiaſticis cum adiunctis verſari. Quod eſt manifeſtum ſignum, illam aut ſuppoſitam, aut pro inualida refutatam fuiſſe; quæ proinde vtpote de falſitate ſuſpecta, & menti Concilij contraria, † cuius ipſe Rex Hiſpanus eſt protector, *ex Bulla ipſius Concilij, & ex lege 59. & 61. titulo 4. & lege 81. titulo 5. lib. 2. recopilationis*, nullum effectum operatur, nullíque Eccleſiæ vel Capitulo aduerſus Ordinarij Iuriſdictionem fauere, aut prodeſſe poteſt, quouſque Summus Pontifex, ad quem interpoſita eſt appellatio ſuper hoc, ſententiam proferat diffinitiuam : quem ſperamus relicturum diſpoſitionem Concilij in ipſius legitima intelligentia, videlicet, quod tertius eligendus in caſu diſcordiæ non debet eſſe de eodem Capitulo, de quo ſunt adiuncti, ſed potius neutralis, reſpectu vtriuſque partis.

Verùm iam die 12. Auguſti 1651. prolata fuit ſententia declaratoria à Sacra Congregatione, ſequentis tenoris. *Inſtante Epiſcopo Conchenſi ac nonnullis Epiſcopis Regnorum Hiſpaniæ, citato Agente Eccleſiarum eorumdem Regnorum, necnon Agente Capituli Conchenſis, fuit de nouo propoſitum dubium in S. Congregatione Eminentiſſimorum Cardinalium S. Concilij Tridenti interpretum : An tertius in caſu diſcordiæ inter Epiſcopum, & adiunctos debeat eſſe Capitularis eiuſdem Eccleſiæ, ſæpius reſolutum ita debere eſſe, & potiſſimum in Conchenſi*, 1618. 1643. 1647. & 1648. *Communicatíſque vtrique parti informanti ſcripturis, ac aliis Iuribus hinc inde exhibitis, & illis plenè diſcurſis, eadem S. Congregatio cenſuit tertium eſſe omnino debere Capitularem eiuſdem Eccleſiæ. Franciſcus Cardinalis Cherubinus, Franciſcus Paulutius, S. C. C. Secretarius.*

Sed quam iuſtificationem habeat in ſe hæc Eminentiſſimorum Cardinalium declaratio, quámve conformitatem cum contextu Concilij, aut quam vtilitatem ad Capitulares Eccleſiarum ? alius iudicet. Interim, vtinam iudicet Regius Senatus, ad quem pro parte Prælatorum Hiſpaniæ, vt puto, interpoſita eſt ſupplicatio.

DVBIVM VIII.

Vtrùm ceſſet iuriſdictio Adiunctorum, ſtatim atque profert diffinitiuam ſententiam ?

HANC quæſtionem omiſit Ludouicus Sarauia *in ſuo tractatu de adiunctorum Iuriſdictione*; Sed illius meminerunt Felicianus à Bega, Epiſcopus Pacenſis *in cap. ſi quis, de foro competenti*, & Solorzanus *vbi ſuprà num.* 87. pro qua, & citatur Doctor Ioannes de Sahagum primarius Salmantinus, qui in partem affirmatiuam inclinant. Verùm contraria videtur tenenda ex ipſo contextu Concilij *in dicto cap. 6.* ibi : *de quorum Conſilio & aſſenſu Epiſcopus vel eius Vicarius tam in formando proceſſum, quàm in cæteris omnibus actibus vſque ad finem cauſæ incluſiuè, coram Notario tamen ipſius Epiſcopi & in eius domo, aut conſueto Tribunali procedere teneatur.* Igitur nedum vſque ad ſententiam diffinitiuam † ſed etiam vſque ad plenam eius execu- 42
tionem per quam ad finem cauſæ peruenitur, durat adiunctorum iuriſdictio ; ſiquidem de eorum conſilio & aſſenſu, Epiſcopus vel eius Vicarius vſque ad finem cauſæ incluſiuè procedere tenetur.

Pro maiori autem luce Doctrinæ hucuſque traditæ, aduertere opus eſt; quod ſi † Capitula- 43
ris delinquens habeat ſimul beneficium Curatum eiuſdem vel alterius Eccleſiæ, delinquátq; in eius miniſterio, tunc ſine adiunctis poterit Epiſcopus, vel eius Vicarius contra ipſum procedere. Cuius ratio eſt. Nam quando duplex officium in eandem concurrit perſonam, illius conſideratio habetur, cuius contemplatione

actus

actus de quo tractatur, gestus reperitur : quod & decisum fuisse in Rota referunt Seraphinus *decisione* 1058. & Solorzanus *in loco prælegato numero* 89. Idque amplius confirmatur exemplo Episcopi habentis simul temporalem iurisdictionem, ac dominium alicuius oppidi vel Castri: ratione cuius subiicitur legibus aliorum dominorum secularium, in his quæ vt talis dominus gerit vel iudicat: ita vt legitimè & iuridicè ab ipsius & eius iudicum sententia, possit appellari ad Regium Senatum: eadémque prorsus militat ratio in nostro casu.

DVBIVM IX.

Vtrum delinquente altero Adiunctorum determinanda sit causa criminalis ipsius cum socio?

HAnc dubitationem tangit Ludouicus Sarauia *in suo tractatu quæstione 6. num.* 11. remissiuè duntaxat, dicens; Consule Doctores, scilicet Borrellum *in summa decisionum parte* 1. *titulo* 43. & Valascum *in lege imperium, de iurisdictione, numero* 282. Verùm non remissiuè, sed resolutiuè debuisset eam tractare, vtpote cum hæc sit vna ex propriis quæstionibus ad eam materiam pertinentibus, de qua suum tractatum instituit per 35. quæstiones digestum.

Quapropter, vt huic quæstioni satisfaciam,
44 Respondeo † eo in casu totam Adiunctorum Iurisdictionem vel quasi iurisdictionem in socio delinquentis remanere, ac proinde cum eo solo processum ab Episcopo vel eius Vicario, contra criminosum confici debere. Quæ conclusio suadetur Primò, à simili patronorum, è quibus si deficiant duo, v.g. in tertio remanet totum ius patronatus. Et similiter delinquente toto Capitulo, excepto vno, in illo solo qui non deliquerit, saluatur tota Iurisdictio Capituli. Secundò, quia dum Capitulum elegit initio anni duos adiunctos, iuxta formam præscriptam à Concilio *in dicto cap. 6.* iam functum est officio suo, ac proinde delinquẽte vno ex duobus nominatis, non potest alterum eligere loco illius, nisi fortè vterque adiunctus delinquat: tunc enim poterit Capitulum alios duos eligere ad cognoscendum simul cum Episcopo vel eius Vicario de crimine priorum. Et hoc consuetudine potius, quàm Concilij expressione est introductum; cum hic casus fuerit omnino à Concilio omissus. Tertiò; quia si totum Capitulum nemine excepto delinquat, tunc non deuoluitur iudicium ad Superiorem, sed solus Episcopus vel eius Vicarius cognoscet causam criminalem Capitularis: quia ita declarauit Sacra Congregatio Cardinalium interpretum Concilij, vt referunt Farinacius & Marzilla *super dicto cap. 6. Concilij*, & Seraphinus *decisione* 1050. *num. 6.* Ergo
45 † pariter delinquente vno ex adiunctis, non est recurrendum ad Capitulum, sed cum altero poterit Episcopus vel eius Vicarius de causa criminali Capitularis, (quicumque sit ille) cognoscere.

DVBIVM X.

Quænam sit, aut quomodo appellanda huiusmodi Adiunctorum Iurisdictio?

VXta Dialecticum Axioma, dictitans loquendum esse cum pluribus, & sentiendum cum paucis, appellamus in titulo huius dubitationis Iurisdictionem adiunctorum, eam quæ tantùm est quasi Iurisdictio, vel vt supra ostendimus, conditio restringens siue limitans nonnihil Iurisdictionem in solo Episcopo, vel eius Vicario residentem, sine qua huius sententia in causa criminali Capitularis lata, fit inualida. Quod enim ad eius valorem requiratur copulatiuè consilium & assensus, non constituit iurisdictionem, aut munus iudicum in Adiunctis, sicut neque in assessoribus: qui propterea iudices non appellãtur, nisi laxato vocabulo. Cùm ergo huiusmodi quasi Iurisdictio concessa adiunctis à Concilio *in dicto cap. 6.* non sit priuatiua: eò quòd non priuat alterum sua iurisdictione, hoc est neque Episcopum aut eius Vicarium ex vna parte, neque adiunctos ex altera priuat munere ipsos tangente: neque sit cumulatiua, eò quòd in Iurisdictione cumulatiua datur locus præuentioni, ita vt Iudicis præuenientis sententia valeat; vt contingit quando in oppido vel ciuitate sunt duo Iudices ordinarij æquali iurisdictione gaudentes. Atqui in concursu Adiunctorum cum Episcopo vel eius Vicario non datur locus præuentioni, quia neutrius partis præuenientis sententia valeret, quin potius esset inualida, iuxta Concilij dispositionem: erit propterea talis Iurisdictio appellanda simultanea & aggregatiua, sicut 46
contingit in simultanea collatione beneficiorũ, aut præbendarum Episcopo & Capitulo simul competenti, quæ valida est, si ab vtroque simul fiat; inualida autem si ab vno sine altero fiat, vt bene notat Sarauia *quæstione* 4. *sui tractatus*: corrigens modum loquendi Illustrissimi Episcopi Asturicensis in sua Relatione, qui non Petrus vt vocat Sarauia, sed Antonius de Caceres dicebatur, vbi hanc quasi iurisdictionem cumulatiuam dictitat; neque propterea sententia Episcopi & adiunctorum contra Capitularem, ferenda est sub hac forma simultanea : *Nos Episcopus, & N. Adiuncti ita pronuntiamus:* sed sub ista. *Ego N. Episcopus de Consilio & assensu N. Adiunctorum ita pronuntio*; eò quòd huiusmodi Iurisdictio aut totaliter, aut saltem principaliter in toto Episcopo vel eius Vicario residet, vt ex superius dictis constat.

QVÆSTIO

QVÆSTIO XXI.

Vtrum Epiſcopi conſecratio poſſit validè fieri per vnum tantùm Epiſcopum, aut ſine Bullis præſentibus?

SVMMARIVM QVÆSTIONIS XXI.

1 *Conſecratio Epiſcopi facta per vnum duntaxat Epiſcopum, cum duobus aſſiſtentibus non Epiſcopis, eſt illicita & peccaminoſa, vtpote facta contra formam præſcriptam in Pontificali Romano.*
2 *Quæ tamen conſecratio licet illicitè fiat, valida poteſt eſſe in foro conſcientiæ.*
3 *Ordinatio Epiſcopi poteſt validè fieri abſque aſſiſtentia trium Epiſcoporum de Summi Pontificis diſpenſatione.*
4 *Recenſentur Pontifices, qui ita de facto cum electis ad Epiſcopatum diſpenſauerunt.*
5 *Ad validam collationem cuiuſcunque Sacramenti ſufficit vnus Miniſter.*
6 *Adminiſtrans aliquod Sacramentum ſolemniter, tenetur ſub peccato mortali ritus & cæremonias conſuetas ex Eccleſiæ ſtatuto ſeruare.*
7 *Non omnes traditiones Apoſtolicæ ſunt immediatè de iure Diuino.*
8 *Inter illa quæ ſunt iuris Diuini ſtatuta & requiſita ad ſolemnem celebrationem Sacramentorum, magnum eſt diſcrimen.*
9 *Maria Regina Scotiæ in carcere detenta, propriis manibus ſe communicauit.*
10 *Extra Curiam Romanam, vt valida ſit conſecratio Epiſcopi, requiritur expeditio & oſtenſio litterarum Apoſtolicarum.*
11 *Conſecratio Epiſcopi ex Paludani ſententia, valet, etiamſi fiat ante beneplacitum Summi Pontificis.*
12 *Conſecratio Epiſcopi facta per tres Epiſcopos, vel per vnum cum diſpenſatione, valida eſt, etiamſi fiat ſine præſentatione litterarum Apoſtolicarum.*
13 *Conſecratio Epiſcopi poteſt eſſe valida ſine litterarum Apoſtolicarum præſentatione, dummodo conſtet de Summi Pontificis conſenſu & beneplacito.*
14 *Scriptura non eſt de eſſentia priuilegij aut gratiæ à Principe conceſſæ.*
15 *Collatio beneficij ſeu dignitatis facta à Pontifice, dicente* fiat, *habet vim electionis, &c.*
16 *Cui doctrinæ non obſtat extrauagans Bonifacij.*
17 *Facta æquè probantur per teſtes ac per inſtrumenta.*
18 *Conſecratio Epiſcopi non eſt via aut introitus ad poſſeſſionem Epiſcopatus.*
19 *Conſecratio Epiſcopi antecedenter ad beneplacitum & conſenſum Summi Pontificis non ſolùm eſt illicita, ſed etiam inualida.*
20 *Solus Papa habet poteſtatem conferendi characterem Epiſcopalem.*
21 *In aliquo caſu vrgentis neceſſitatis poteſt validè & licitè Epiſcopus conſecrari extra Curiam, ſine præſentibus litteris Apoſtolicis, dummodo de illarum expeditione per teſtes fide dignos conſtet.*
22 *Conſecratus bona fide ſine præſentibus litteris Apoſtolicis, non tenetur conſecrationem reiterare etiam ſub conditione.*
23 *In materia Sacramentorum, quando quis operatur cum opinione probabili, licet in re ſit falſa, Sacramenta adminiſtrata ſunt valida.*
24 *Refertur legitima interpretatio Canonis* Porro *Sancti Anacleti Papæ, &c.*

IN hac quæſtione duo inuoluuntur, quæ ſigillatim ſingulis difficultatibus ſunt diſcutienda: nimirum, *Vtrum ſit valida conſecratio Epiſcopi per vnum tantùm Epiſcopum facta.* Et; *Vtrum ſimiliter ſit valida ſi fiat abſque Bullis præſentibus?*

DIFFICVLTAS I.

An conſecratio Epiſcopi facta per vnum duntaxat Epiſcopum, cum duobus aſſiſtentibus non Epiſcopis ſit valida, ita vt non ſit opus eam reiterare etiam ſub conditione?

IN hac difficultate omnes Doctores conueniunt in vno, & diſcriminantur in alio. Conueniunt quidem in aſſerendo, † huiuſmodi Conſecrationem illicitè fieri & eſſe peccaminoſam, vtpote factam contra formam præſcriptam in Pontificali Romano, *titulo de Conſecratione.* In cuius Rubrica ſic habetur. *Adſint duo ad minus Epiſcopi aſſiſtentes, qui induuntur rocheto, & ſi ſint regulares, ſuperpelliceo, amictu, ſtola pluuialis coloris, tempori, & Officio Miſſæ conuenientis, & mitra ſimplici alba; & quiſque habeat ſuum Pontificale.* Et infra. *Electus ſine bireto, & aſſiſtentes Epiſcopi ſine mitris; & ſenior aſſiſtentium verſus ad Conſecratorem, dicit. Reuerendiſſime Pater, poſtulat Sancta mater Eccleſia Catholica, vt hunc præſentem Presbyterum ad onus Epiſcopatus ſubleuetis. Conſecrator dicit; Habetis mandatum Apoſtolicum? Reſpondet Epiſcopus ſenior aſſiſtentium: Habemus. Conſecrator dicit: legatur.* Quæ præſcriptio habet vim præcepti: eo vel maximè, quod in ipſa Bulla Clementis VIII. qua proponit huiuſmodi Romanum Pontificale renouatum & reformatum, atque in Plantinianis Typis recuſum, ab omnibus obſeruandum, vtitur verbis præceptiuis, dicens. *Et hoc noſtrum Pontificale, ſic reſtitutum & reformatum in omnibus vniuerſi terrarum orbis Eccleſiis, Monaſteriis, Ordinibus, & locis etiam exemptis, ſi quæ ſunt, recipi & obſeruari præcipimus:* Et infra; *Omnibus igitur & ſingulis Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, Abbatibus & cæteris Eccleſiarum Prælatis, nec non aliis quibſcunque perſonis Eccleſiaſticis, ſæcularibus & regularibus vtriuſque ſexus, ad quos id ſpectat, præcipimus ac mandamus; Vt omiſſis, quæ ſic ſuppreſſimus & aboleuimus cæteris omnibus* 1

Pontificali

Pontificalibus, hoc nostrum in suis Ecclesiis, Monasteriis, Conuentibus, Ordinibus, militiis, Diœcesibus, & locis prædictis recipiant, illoque posthac perpetuò vtantur. Cum igitur in dicta consecratione per vnum Episcopum tantùm facta, non seruetur forma præscripta in Pontificali Romano Clementis VIII. cuius & insuper præceptum violatur; consequens est, dictam consecrationem esse illicitam, & tam Consecrantem, quàm Consecratum peccare. Et cum aliàs sit materia grauis, non excusarentur à culpa lethali, nisi interueniret Summi Pontificis dispensatio, quę certum est posse in ritibus, Cæremoniis & legibus Ecclesiasticis dispensare ob rationabilem causam. Verùm cum iuxta regulam Iuris, multa malè fiunt, quæ tamen semel facta valent; † quamuis dicta Consecratio illicitè fiat, valida tamen in foro conscientiæ esse poterit. In quo Doctores in duas oppositas sententias diuiduntur. 2

Prima sententia negans est eorum, qui existimant assistentiam trium Episcoporum necessariam esse ad cuiuscunque Episcopi consecrationem, atque à Christo Domino traditam, ac proinde esse de iure Diuino, in quo Papa dispensare non potest. Huius sententiæ sunt Vazquius 3.*p. tomo* 3. *disp.* 243. *de Sacramento ordinis. c.* 6. *disp.* 238. *c.* 7. *& disp.* 240. *c.* 5. *& sequentibus*. Bellarminus *lib.* 4. *de notis Ecclesiæ c.* 8. Bernard. *de Sacramentis disp.* 49. *sectione* 2. Coninch. *disp.* 20. *dub.* 9. Philibertus Marchinus *de ordine, p.* 2. *c.* 12. Ochagauia *de Sacramentis disp.* 1. *dub.* 18. Citantur etiam pro eadem sententia Isambertus *in* 3. *p. de Sacramento ordinis disp.* 6. *art.* 1. *propos. vlt.* & Cardinalis Caietan. 3. *p. quæst.* 67. *art.* 3. sed immeritò; vt postea videbimus. Probántque præfati authores suam sententiam, Primò; quia ex traditione Apostolica habemus, Consecrationem Episcopi fieri debere per tres Episcopos adminus: Quod autem Apostoli tradiderunt, à Christo Domino acceperunt, & ideo est de Iure Diuino; Quod autem est de Iure Diuino in materia Sacramentorum, est de essentia illorum, nec potest à Papa dispensari. Traditio autem hæc colligitur ex illo Pauli testimonio 1. *ad Timoth.* 4. *Noli negligere gratiã, quæ est in te, quæ data est tibi per Prophetiam cum impositione manuũ Presbyterij.* Per presbyterium autem significatur concursus trium Episcoporum, qui manus imponunt super caput ordinandi, siue consecrandi, ex Aniceto Papa *in Epistola de ordinatione Sancti Iacobi Minoris ibi: Si autem non minus quàm tribus Apostolis tantus vir fuit ordinatus Episcopus Hierosolymorum, patet profectò eam formam instituente domino tradidisse, non minus quàm à tribus Episcopis debere Episcopũ ordinari, &c.* Et ex Ioanne III. *in Epistola*, quæ habetur *tomo* 2. *Conciliorum* ibi: *omnia quæcumque maxima Concilia affirmant illum non esse Episcopum, qui minus quàm à tribus Episcopis, Metropolitani etiam authoritate fuerit ordinatus*: atque ex Concilio Niceno, Carthaginensi, Lateranensi, & aliis, quæ congerit Vazquius *vbi supra*. In Carthaginensi autem specialiter sic habetur: *Episcopus cum ordinatur, duo Episcopi ponant & teneant Euangeliorum Codicem super caput & ceruicem eius, & vno super eum fundente benedictionem, reliqui omnes qui adsunt manibus suis caput eius tangant, &c.*

Secundò probant suam sententiam ex Damaso Papa *Epistola* 4. quæ habetur *tomo* 1. *Conciliorum*, arguente eos Episcopos non posse conferre ordines Sacros, eò quòd sint consecrati à solo vno Episcopo: quæ consequentia non valeret, nisi quia Corepiscopi non sunt verè Episcopi, eò quòd à solo vno Episcopo fuerint ordinati.

Secunda sententia affirmans, est eorum, qui dicunt † ordinationem Episcopi posse validè fieri absque assistentia trium Episcoporum, de Summi Pontificis dispensatione: nec talem assistentiam esse de iure diuino, tanquam essentialiter ad valorem talis ordinationis requisitam. Huius sententiæ sunt Filliucius *tom.* 1. *quæst. Mor. tract.* 9. *de Sacram. ordinis cap.* 5. *quæst.* 8. Leander *de Sacramentis tract.* 6. *cap.* 6. *quæst.* 4. Cardinalis Lugo *de Sacramentis Theoremate* 6. *exemplo* 9. Episcopis Villa Roël 1. *p. sui regiminis Ecclesiastici quæst.* 1. *art.* 9. Solorzanus *tom.* 2. *de Iure Indiarum lib.* 3. *cap.* 6. Machado *tomo* 2. *lib.* 4. *p.* 6. *tract.* 2. *documento* 9. & 6. Layman *lib.* 10. *tract.* 9. *cap.* 5. Vgolinus *de potestate Episcopi cap.* 2. Photius *tomo* 2. *lib.* 3. *cap.* 30. *quæst.* 2. Valençuela *tom.* 4. *disputat.* 9. *quæst.* 3. *punct.* 2. Diana *part.* 12. *resolut.* 27. Hugo & Turrecremata ad caput *porro, distinct.* 66. quos referunt & sequuntur Gregorius Lopez *in leg.* 28. *titul.* 5. *partita* 2. & Farinacius ad Concilium Tridentinum *sessione* 23. *c.* 1. Et quia hæc sententia verior est, statuitur à nobis pro conclusione indubitatè tenenda. Et suadetur Primò quia si assistentia trium Episcoporum ad consecrationem Episcopi esset de Iure Diuino & essentialiter requisita, neutiquam posset variari, nec sufficeret sola assistentia duorum, siquidem essentiæ rerum in vniuersum inuariabiles sunt: quod tamen constat esse falsum ex *Canone* 1. Apostolorum; vbi dicitur Episcopum debere à duobus vel tribus Episcopis ordinari: & ex Clemente Romano *lib.* 8. *constitutionum Apostolicarum, cap.* 20. id ipsum affirmante; & *cap.* 27. vbi refert de Simone Cananeo Episcopo sic dicente. *Ego Simon Cananeus constituo, à quot Episcopis debet ordinari Episcopus, scilicet, à tribus Episcopis; sin verò aliquis ab vno Episcopo ordinatus fuerit, tum is, qui ordinatus est, tum is qui eum ordinauit, deponatur. Quod si necessitas coegerit ab vno ordinari, quod propter persecutionem, aut aliam causam plures adesse non possint; asseratur decretum commissionis plurium Episcoporum*: id est consensus aliorum Episcoporum eiusdem Prouinciæ, vel Regni. Quod etiam statuitur *in cap. Episcopi*, ex Concilio Nicæno, & *in cap. ordinationes* ex Anacleto Papa: & *in cap. comprouinciales* & *cap. ab Apostolis, distinct.* 64. Atque ex Concilio Arausicano 1. *cap.* 21. vbi supponitur Episcopum validè posse ordinari per duos Episcopos, vel per vnum duntaxat, ita vt ordinatus per vnum, sit simul cum ipso ordinante deponendus: Depositio autem supponit statum vel præexistentiam dignitatis, à qua deponitur. 3

Secundò probatur; quia si talis assistentia plurium Episcoporum esset essentialiter requisita, & de Iure Diuino præscripta, non ita facilè Summi Pontifices dispensarent in ea: Constat autem illos non semel dispensasse. Nam † Gregorius I. de facto dispensauit in Anglia 4

cum electis ad Epiſcopatum in illa Prouincia, vt per vnum tantùm Epiſcopum cum duobus Abbatibus vel Canonicis poſſent conſecrari. Et Gregor. XIII. diſpenſauit cum Patriarcha Æthiopiæ, vt eius Conſecratio fieret per vnum tantùm Epiſcopum vt refert dictus Epiſcopus Villa Roël *in ſuo regimine Eccleſiaſtico* 1. *p. quæſt.* 1. *art.* 9. Et Enriquez *lib.* 10. *de ordine c.* 24. teſtatur idem factum fuiſſe in India, & Iapponia. Ac tandem Pius IV. ad inſtantiam Philippi II. Hiſpaniarum Regis, vt referunt Solorzanus, Machadus & Villa Roël *in locis præallegatis*, eandem diſpenſationem conceſſit pro Indiis Occidentalibus, cuius priuilegij tenor eſt. *Pius Papa IV. &c. ſpecialis dono gratiæ diſpenſantes, huiuſmodi ſupplicationibus inclinati, vniuerſis, & ſingulis, quos ad Cathedrales, etiam Metropolitanas Eccleſias in Indiis præfatis, nunc & pro tempore inſtitutas, illarum vacatione occurrente, Canonicè eligi, & aſſumi contigerit, vt deinceps perpetuis futuris temporibus, poſt eorum electionem & aſſumptionem huiuſmodi nullo alio ſibi obſtante Canonico impedimento, à quocunque maluerint Catholico Antiſtite, gratiam & communionem Apoſtolicæ Sedis habente habitis, & in hoc ſibi aſſiſtentibus duobus, vel tribus in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutis, ſeu Cathedralis, aut Cathedralium, aut Metropolitanarum Eccleſiarum Canonicis, prædictum conſecrationis munus recipere valeant: ac eidem Antiſtiti, vt idem munus illis authoritate præfata impendere liberè poſſit, plenam & liberam authoritatem indulgemus. Non obſtantibus quibuſuis Apoſtolicis, aut in Prouincialibus, aut Synodalibus Conciliis editis, generalibus vel ſpecialibus conſtitutionibus, & ordinationibus, necnon Eccleſiarum ipſarum Iuramento Confirmatione Apoſtolica vel quauis firmitate alia roboratis, & conſuetudinibus, cæteriſque contrariis quibuſcunque, &c.* Quæ diſpenſatio cum habeat vim priuilegij, & generalis ſit, generaliter eſt intelligenda: habuit enim duas cauſas, ſcilicet, impulſiuam, quæ fuit veluti finis, nimirum vt non incurrerent Epiſcopi ſic Conſecrati pœnas impoſitas à Concilio Tridentino, contra non recipientes conſecrationem intra bimeſtre, quod currit à die receptionis Bullarum Summi Pontificis: & motiuam, quæ fuit ingens difficultas congregandi tres Epiſcopos in illis Prouinciis Occidentalibus, ob magnam diſtantiam vnius Diœceſis ab alia. Vnde licet prima cauſa ceſſet in aliquo caſu, v. g. ante receptionem Bullarum: & quia finis legis non cadit ſub lege; ſecunda tamen cauſa ſemper manet ante & poſt aduentum Bullarum. Permanente autem cauſa motiua, permanet priuilegium, ita vt electus in Epiſcopatum poſſit vti illo ex communi doctrina Theologorum & Iuriſtarum, vt tenent, & tradunt Dinus, & Ioannes Andreas *in cap. decet de Reg. Iuris lib.* 6. Angelus *in leg. minorib. C. de his quibus, &c.* Iaſſon. *in leg. ſciendum §. ſi fundum ff. qui ſatis dare cog.* & Cardoſus verbo *priuilegium num.* 51.

5 Tertiò probatur, quia † ad validam collationem cuiuſcunque Sacramenti ſufficit vnus miniſter, nec eſt aliquod Ius Diuinum ſiue humanum, ex quo poſſit cum fundamẽto deduci, requiri plures miniſtros ad eſſentiam cuiuſuis Sacramenti. Licet enim aliqua ſint Sacramenta, in quorum adminiſtratione vltra miniſtrum conferentem, requiratur ex conſuetudine, vel ſtatuto Eccleſiæ, concurſus aliorum aſſiſtentiũ: vt in adminiſtratione Baptiſmi & Cõfirmationis, interueniunt Patrini neceſſariò neceſſitate præcepti: & in adminiſtratione Sacramẽti Ordinis, quantũ ad Presbyteros ſimili neceſſitate cõcurrere ſolent tres vel quatuor Sacerdotes, vt manus imponãt ſupra Presbyterum ordinandũ, ſimul cũ Pontifice, qui prius manus ſuper caput eius imponit. Et in officio Cœnæ Domini in cõſecratione olei Chriſmalis, & Cathecumenorũ, concurrunt cum Pontifice conſecrante duodecim Presbyteri, & ſeptem Diaconi cum ſeptem Subdiaconis, ex quibus Presbyteri ſucceſſiuè poſt Pontificem concurrunt ad halandũ & ſalutãdum oleum Chriſmale, & oleum Cathecumenorum; tamen in hiis vnus duntaxat eſt Baptizator, Confirmator, Ordinator, & Conſecrator; quia aſſiſtentia dictorum Miniſtrorum, non eſt de neceſſitate eſſentiæ Sacramenti, niſi tantùm de neceſſitate præcepti, ac de ſolemnitate Sacramenti. Quamuis igitur in conſecratione requiratur aſſiſtentia duorum Epiſcoporũ vltra conſecrantem: verumtamẽ hæc non requiritur, tanquam de neceſſitate eſſentiæ Sacramenti ordinis, niſi tantùm tãquam de neceſſitate præcepti & ſtatuti Eccleſiæ, ſiue tanquam neceſſaria ad ſolemnitatẽ talis Sacramenti. Etenim huiuſmodi ordinatio Epiſcopi pertinet ad Sacramẽtum ordinis Presbyterorum: ſiquidem ordinatio Epiſcopi ſupra Characterem Presbyteri, aut alium nouum Characterem imprimit, aut ſolũ imprimit quandam nouam extẽſionẽ præexiſtentis characteris, vtpote maioris & excellentioris poteſtatis. Vnde ſicut ſolus Pontifex imprimit Characterem Presbyteris in collatione ordinum: ita ſolus ille in conſecratione Epiſcopi confert ei aut nouũ Characterẽ, aut extẽſionem præexiſtentis. Cuius etiam euidens ſignum eſt, quod in Rubricis Pontificalis Romani citatis *num.* 1. dum agitur de concurrentibus ad Epiſcopi conſecrationem, ſolus vnus dicitur Conſecrator, cæteri autem aſſiſtentes nunquam Conſecratores appellantur, ſed nomine tantùm aſſiſtentium deſignantur.

Nec ab hac ſententia diſſentiũt Iſambertus & Cardinalis Caietanus *in loc. cit. n.* 2. Nam verba Iſamberti ſunt. *Pro ordinando aliquo in Epiſcopũ ita tres Epiſcopi Iure Diuino requirũtur, vt tamẽ ex diſpenſatione Summi Pontificis, vno tantũ Epiſcopo vel duobus tantũ Epiſcopis cum duobus Abbatibus infulatis, loco reliquorum duorũ Epiſcoporum poſſit Epiſcopalis ordinatio committi.* Ex quibus oppoſitum prioris ſententiæ potius colligitur. Cardinalis autem Caietanus *in art.* 2. *citato illius quæſt.* 67. nullum habet commentarium. In commentario verò ad *art.* 4. & 5. *eiuſdem quæſtionis*, in quibus agitur de miniſtro Sacramenti Baptiſmi ſolùm docet, quòd quando † quis adminiſtrat aliquod Sacramentum ſolemniter, tenetur ſub peccato mortali ritus & cæremonias conſuetas ex Eccleſiæ ſtatuto ſeruare. Ritus inquam & cæremonias principaliores: etenim ſi aliquam ceremoniam minoris momenti omittat, non lethale ſed tantùm veniale peccatum committet. Ex qua doctrina nihil de mente Caietani poteſt colligi ad conſecrationem Epiſcopi conducens, niſi tantùm quod peccabit mortaliter Conſecrator, ſi omittat, ſecluſa diſpẽſatione, aſſiſtentiam duorum Epiſcoporũ, 6

vtpote

vtpote cum sit ritus & cæremonia valde principalis ad solemnitatem talis consecrationis requisita. Sed minimè infertur consecrationem talem Episcopi sine dicta solemnitate fore inualidam: sicut nec inferri potest, quodcunque aliud Sacramentum solemniter administratum, ob defectum alicuius ritus & cæremoniæ ad solemnitatem requisiti, fore inualidum.

Restat vt ad fundamenta prioris sententiæ respondeamus. Ad primum itaque respondetur prænotando duo. † Primum est non omnes
7 traditiones Apostolicas esse de Iure Diuino, aut ex Christi Domini ore immediatè acceptas, siquidem multa tradiderunt Apostoli propria authoritate tanquam supremi Principes, & totius Ecclesiæ Episcopi à Christo Domino constituti; vt patet in ieiunio quadragesimali, quod proculdubio fuit ab Apostolis institutum, & tamen non est de Iure Diuino, quia non Diuina sed humana auctoritate illud Apostoli instituerint, aliàs non dispensarent in illo cum tanta facilitatè & tam frequenter Summi Pontifices: dispensant enim cum Imperatoribus & Imperatricibus, cum Regibus, & Reginis, & cum aliis Potentatibus, atque etiam cum Neothericis in fide, ne subitò ad Ieiunia Ecclesiastica obligentur. Vnde quamuis assistentia trium Episcoporum fuerit in Ecclesia introducta ex Apostolorum traditione, non ilico sequitur illam esse de Iure Diuino, aut à Papa indispensabilem. Secundum est, †
8 inter illa quæ sunt Iuris Diuini statuta & requisita ad solemnem celebrationem Sacramentorum, esse magnum discrimen. Alia enim sunt necessaria de necessitate Sacramenti & ad eius essentiam requisita, vt sunt forma & materia propria in vnoquoq; Sacramento, atque intentio ministri: alia verò sunt tantùm de necessitate præcepti, vtpote sine quibus Sacramentum non ritè fiet, factū tamē valebit. Huiusmodi sunt particula *enim* in consecratione panis, & vini, sine qua valebit Consecratio, peccabit tamen Sacerdos eam omittendo: & mixtio aquæ cum vino, sine qua prolata forma Consecrationis vini, reuera conuertetur vinum in sanguinem Christi, licet grauiter peccaret Sacerdos eam omittendo. Et panis azymus in Ecclesia Latina, est necessarius necessitate præcepti ad consecrationem, sed tamen si verba proferret Sacerdos super pane fermentato, reuera illum conuerteret in corpus Christi. Licet autem in his quæ sunt de necessitate Sacramenti non possit Papa dispensare, bene tamē in his quæ sunt tantùm de necessitate præcepti, licet sint Iuris Diuini, eò quòd id pertinet ad bonum Ecclesiæ regimen, ne Christus Dominus deficeret Ecclesiæ suæ in necessariis. Ob quam rationem Papa dispensat in votis simplicibus, & quandoque in solemnibus, licet sint Iuris Diuini; quia ad hoc reliquit Christus Dominus suis Vicariis delegatam potestatem, ne debito suæ Ecclesiæ regimini deficeret. Ob eamdémque rationem dispensare potest in ea prouincia, in qua non esset vinum, vt Sacrificium Missæ perageretur cum sola Consecratione panis, quamuis ad integritatem Sacrificij vtraque species sit de Iure Diuino requisita. Et quamuis de Iure Diuino institutum sit, vt Laici communicentur à Presbyteris, provt canit Ecclesia in officio Corporis Christi ibi; *Sic Sacrificiū istud instituit, cuius officiū committi voluit solis Presbyteris, quibus sic congruit vt sumant, & dent cæteris*: nihilominus potest dispensare cum laico in aliqua vrgente necessitate, vt propriis manibus hostiam Consecratam de altari sumat, & seipsum communicet. De factóque dispensatum fuisse cum † Maria Regina Scotiæ, quādiu fuit 9
per Elisabetam Reginam Angliæ iniustè in carcere detēta, vt propriis manibus ex hostiis consecratis à Sacerdote Catholico, & in altari sacelli coopertis relictis, vnam singulis diebus acciperet, seipsam communicando. Vnde licet assistentia trium Episcoporum, gratis detur esse de Iure Diuino ad consecrationē Episcopi: verùm quia nō est de necessitate Sacramenti, nisi tantùm de necessitate præcepti, in ea proinde potest Papa dispensare, sicuti de facto dispensauit Pius IV. cum Episcopis Americæ Occidētalis, vt constat ex eius priuilegio relato *n.* 4. Vnde iuxta primum notabile, admissa maiori præmissa, neganda est minor primi argumenti. Iuxta secundum verò, admissa maiori & minori, neganda est consequentia; nimirum quod Papa non possit dispensare in ea assistentia trium Episcoporum propterea quod sit de Iure Diuino.

Ad secundū Respondetur; Corepiscopos non esse verè Episcopos, eò quòd in sui consecratione non accipiunt totam & plenam potestatem Episcopalem ad conferendos omnes ordines, sed diminutam & partialem tantùm; v.g. ad conferendos ordines minores dūtaxat, qualem accipiunt Abbates Benedicti in sui consecratione, per vnum Episcopum cum duobus assistentibus non Episcopis; ideóque Damasus Papa huiusmodi diminutam potestatem Corepiscoporū voluit significare ac declarare à posteriori & à signo, per hoc quod per vnum tantùm Episcopum, de lege ordinaria & sine dispensatione adinstar Abbatum consecrantur.

DIFFICVLTAS II.

Vtrum valida sit consecratio Episcopi facta extra Curiam Romanam, sine litterarum Apostolicarum Præsentatione?

Consultò dicimus *extra Curiam Romanam*: eò quòd quādo Episcopus consecratur intra Curiam, vt ritè & validè fiat consecratio, satis est quod constet de consensu & beneplacito Pontificis, etiamsi tantùm viuæ vocis oraculo manifestetur: † extra Curiam verò requiritur 10
expeditio & ostēsio litterarum Apostolicarum iuxta formam præscriptam *in Pontificali Romano*: vt constat ex Rubricis citatis *difficult. præced. n.* 1. Notāter quoque diximus in titulo difficultatis, *vtrum sit valida, &c.* quia non agimus in præsenti de bonitate aut malitia Consecrationis Episcopi, sine litteris Apostolicis, nisi tantùm de eius valore: supponimus enim talē consecrationem non ritè fieri extra Curiam, sine præsētatione decreti, & mādati Apostolici: quod *in dicta Rubrica secunda Romani Pontificalis* iubetur legi ante Episcopi consecrationem. Quā præscriptam formam diximus habere vim Ecclesiastici præcepti. De valore autē talis Consecrationis sic celebratæ, siue fiat per vnum Episcopum cum dispensatione, vt contingit in America Occidentali, siue per tres Episcopos sine dispensatione, vt contingit regulariter, est dissidium inter Doctores qui diuiduntur in tres

opiniones. Quarum prima eſt eorum, qui tenent huiuſmodi Conſecrationem Epiſcopi eſſe inualidam ita vt ſic Conſecratus teneatur iterum Conſecrari in foro conſcientiæ ſaltem ſub conditione. Huius opinionis fuerunt quidam Iuniores Ieſuitæ Limenſes, impugnantes Cõſecrationem cuiuſdam Epiſcopi Paragoaci, qui fuit conſecratus ab Epiſcopo Tucumanenſi ſine litterarum Apoſtolicarum præſentatione: Quibus ſubſcripſit Diana *p.12. reſolut.98. & ſequenti*, ſibi contrarius, vt poſtea videbimus, fortè oblitus contrariæ reſolutionis, quam *p.11.* firmauerat. Fundamentum horum Authorum deſumitur *ex Bonifacij VIII. extrauaganti Iniuncta, de electione*, verſu *præſenti*, tenoris ſequentis. *Præſenti itaque perpetuò valitura conſtitutione ſancimus, vt Epiſcopi & alij Prælati Superiores, nec non Abbates, Priores, & cæteri monaſteriorum regimina exercentes, quocunque nomine cenſeantur, qui apud dictam Sedem promouentur, aut confirmationis, conſecrationis vel benedictionis munus recipiunt, ad commiſſas eis Eccleſias, & monaſteria abſque dictæ Sedis litteris, huiuſmodi eorum promotionem, confirmationem, conſecrationem ſeu benedictionem continentibus, accedere, vel bonorum Eccleſiaſticorum adminiſtrationem accipere non præſumant, nullique eos abſque dictarum litterarum oſtenſione recipiant, aut eis pareant, vel intendant. Quod ſi forſan contra præſumptum fuerit, quod per Epiſcopos, Prælatos, Abbates, Priores, & alios monaſteriorum regimina exercentes prædictos, medio tempore actum fuerit, irritum habeatur, nec quicquam interim iidem Epiſcopi, vel Prælati, Abbates, Priores vel regimina exercentes, de Eccleſiarum, vel Monaſteriorum prouentibus percipiant: eorumdem Capitula verò conuentus Eccleſiarum & Monaſteriorum ipſorum, & alij quicunque ipſos abſque huiuſmodi dictæ Sedis litteris recipientes, vel obedientes eiſdem, tamdiu ſint à beneficiorum ſuorum perceptione ſuſpenſi, donec ſuper hoc eiuſdem Sedis gratiam meruerint obtinere.* Quam conſtitutionem confirmauit, & ampliauit Iulius III. alia noua conſtitutione, quam refert Quaranta *in ſuo Bullario* verbo *beneficiorum poſſeſſio, pag. mihi* 98. & ad litteram transfert Praſſentius *in praxi Epiſcopali, proœmio de electione, & poteſtate electi, puncto* 16. *n.*4. Ex quibus tale pro hac ſententia, dicti Authores efformant argumentum. In hac extrauaganti & ſimul conſtitutione Iulij III. interdicitur cuiuſcumque Prælati per Sedem Apoſtolicam promoti, ad Eccleſiaſticam dignitatem poſſeſſio & admiſſio ad poſſeſſionem talis dignitatis, ſub grauibus pœnis impoſitis tam promoto, quàm ſubditis, ſiue Capitularibus illum admittentibus: Sed conſecratio Epiſcopi eſt admiſſio & introitus ad poſſeſſionem Epiſcopalis dignitatis; Ergo ſi fiat maximè extra Curiam ſine præſentatione litterarum Apoſtolicarum, eſt ſub dictis pœnis interdicta, ac proinde inualida. Quod amplius confirmatur; quia vt valida ſit talis conſecratio, debet Conſecrator & aſſiſtentes certificari de gratia iam facta à Sũmo Pontifice ipſi electo: hæc autẽ certitudo haberi non poteſt niſi per litteras Apoſtolicas ipſis præſentatas, vtpote cum huiuſmodi litteræ Apoſtolicæ, ſint neceſſariæ omninò ad valorem cuiuſcunque priuilegij & gratiæ factæ à Pontifice, vt tenet Suarius *lib.8. de legibus c.2. à n.*4. Cuius doctrina valde fauet huic ſententiæ. Ergo conſecratio Epiſcopi facta ſine Bullarum præſentatione eſt inualida.

Secunda ſententia eſt Paludani *de poteſtate Papæ*, citati ab Azorio *tomo 2. lib.3. c.30. q.3. column.1.* aſſerentis † conſecrationem Epiſcopi valere, etiamſi fiat ante beneplacitum & conſenſum Summi Pontificis, eò quòd Conſecratio Epiſcopi non eſt actus Iuriſdictionis, niſi tantum Ordinis: Actus autem ordinis ad ſui valorem non dependet eſſentialiter à beneplacito & conſenſu Papæ, vt patet in Epiſcopo ordinante extraneos à ſua Diœceſi, ſine licentia proprij Diœceſani, qui verè manent ordinati: quia licet talis ordinatio ſit illicita, non tamen eſt inualida. Igitur cum Conſecratio Epiſcopi ſit collatio cuiuſdam ordinis ſeu Characteris, non dependet eſſentialiter à beneplacito Superioris, dummodo fiat ab habente ſimilem poteſtatem. Quæ ratio ampliùs poteſt confirmari ex aliis Sacramentis, quæ non requirunt iuriſdictionem, v.g. Baptiſmus & Extrema Vnctio valida ſunt ſi conferantur à Sacerdote extraneo: & è contra ad valorem Sacramenti Pœnitentiæ ideo requiritur licentia proprij Prælati vel Parochi, attento Iure communi, quia eſt actus Iuriſdictionis quæ exerceri non poteſt erga non ſubditos: Igitur cum collatio Ordinis Epiſcopalis non ſit actus iuriſdictionis, ſed ſolius ordinis, ad quam Epiſcopus habet poteſtatem, in ſuo Charactere valida erit, etiamſi fiat ante Summi Pontificis beneplacitum. 11

Tertia ſententia & media via incedens inter duas priores, aſſerit † conſecrationem Epiſcopi aliàs ritè factam, videlicet per tres Epiſcopos, vel per vnum cum diſpenſatione, validam eſſe, etiamſi fiat ſine præſentatione litterarum Apoſtolicarum: ſecus verò ſi fiat ante conſenſum & beneplacitum Summi Pontificis, quam ſequuntur Azorius *in loco citato*, Barboſa *de poteſtate Epiſc. tit.1.* Verola *in praxi Bulla* Filliuc. *tom.2. q.mor. tract.41. de benefic. Eccleſiaſticis, c.6. n.2.* Solorzanus *lib.2. de iure Indiarum c.13. n.2. & lib.4. c.4. n.37.* Vgolinus *de poteſtate Epiſcopi c.2. & in Politica Indiana lib.4. c.5. §.1.* Iulius Laborius *tomo 4. variarum c.25. n.10.* Idem Barboſa *in collectaneis ad prædictam extrauagantem n.5.* Nauarrus *in c. accepta de reſtitutione ſpoliatorum à num.12.* Narbona *in leg.60.* Gloſſa vnica *lib.2. tit.4. nouæ recopilationis*, & Maſtrillus *lib.3. de Magiſtratibus c.48.* & Epiſcopus Villa Roel *in dicta p.1. q.1. art.10.* vbi ex profeſſo explicat dictam extrauagantem Bonifacij, & conſtitutionem Iulij III. citans ac referens pro ſua intelligentia Quarantam, Praſentium in locis præallegatis cum pluribus aliis Authoribus, quibus ſubſcripſit Antoninus Diana *p.11. reſol. Moral. tract.4. reſol.4.* quæ ſic ſcribitur. *An in aliquo ſingulari caſu conſecratio Epiſcopi poſſit fieri abſque Bullis præſentibus ipſius confirmationis, ſi de illis moraliter conſtet iam expeditas fuiſſe?* Et in textu ſic ait. *Suppono de conſecratione Epiſcopi eſſe maximam neceſſitatem in illa Eccleſia, quæ multum diſtaret ex Romana Curia, & de hoc caſu ego interrogatus fui ab Eminentiſſimo Principe & Domino meo amantiſſimo Cardinali Tribulcio, & in facti contingentia accidit in India in perſonam Fratris Bernardini de Cardenas, Epiſcopi de Paraguay, & tunc ego affirmatiuè reſpondi, & nunc inuenio noſtram ſententiam firmare validiſſimis* 12

dissimis rationibus, Sapientissimum & amicissimum Ioannem Solorzanum in Politica nouissimè edita; Et ideo sic ait *lib.4. c. 5. in fine.* Et postquam integrum discursum Solorzani refert sic concludit; *Hæc omnia Solorzanus vbi supra, quæ hîc apponere per extensum volui, quia resolutionem affirmatiuam à me Eminentissimo Tribulcio datam, scio à quodam Theologo tunc fuisse, sed immeritò, impugnatam, sed non expugnatam.* Verùm hic Auctor postquam hanc sententiam scripsit *in parte 11. suarum resolutionum Moralium*, impressa Lugduni anno 1655. eam omnino abstulit & abrasit *in eadem parte 11. tract. 4. resol. 4.* excusa eodem anno 1655. Venetiis, & Antuerpiæ; & loco dictæ sententiæ, hanc quæstionem ingessit. *An aliqua ignorantia secundum se lethalis, ex graui scilicet negligentia prouenies excuset à mortali violationem legum humanarum?* Quam inscriptionem illic reliquit sine vlla resolutione, & transtulit in *Indice resolutionum Moralium*, dictæ impressionis factæ Lugduni. Et in compendio omnium operum eiusdem Dianæ, edito in eadem ciuitate Lugdunensi Galliæ anno 1657. refertur resolutio dicta in fauorem Episcopi Paraguayci resumpta verbo *Episcopus fol.* mihi 223. versu *potest Episc.* Et *in p.12. resol. Moral. resol. 58. & sequenti*, oppositam sententiâ omnino scribit, dicens cum iunioribus Iesuitis Limensibus contra dictũ Episcopu Paraguaycũ conspirantibus, quod secundũ extrauagantẽ Bonifacij debeat reputari pro inualida, consecratio Episcopi facta sine litterarum Apostolicarum præsentatione. Cuius contradictionis volens excusare Dianam, Pater Dicastillus eiusdem Societatis alumnus, *tom. 1. de Sacram. tract. 4. disp. 10. dub. 5. à n. 110.* sic ait. *Ecce Diana sibi contrarius est. Id tamen (quod illi non semel contigit) non reprehensione sed gratiarum actione dignũ est. Nempe vir pro communi bono laborans, & communi vtilitati seruiens, plurima lectione diues, & copiosus pro occurrenti consultantium, & quærentiũ necessitate, aut etiam desiderio iam huic, iam illi parti adhæret, quando pars vtraque probabili ratione, & Doctorum virorum authoritate nititur, & in praxi vtrumuis operari tutum est; voluit autem nobis in medium proferre ad hũc ipsum finem, quid in vna, quid in alia occasione responderit quærentibus; quid quæso vtilius pro praxi? Hæc obiter dixerim, vt facessere iubeam nescio quos inuidos, qui hæc & si quæ sunt similia erudito viro non verentur obiicere.* Sed conuenientius eum excusare possemus, dicendo Antoninum Dianam in suis scriptis potius relatoris quàm Doctoris munus gessisse. Munus autem relatoris non dedecet contradictio, cum ipsi incumbat quandoque pro reo, quandoque pro actore, relationem facere, & quandoque pro veritate, atq; pro falsitate quandoque referre, provt in actis processus se obtulerit referendum. Sed quoniam hæc tertia sententia, quamuis ab ea Diana recesserit, est verissima, ideo pro eius declaratione.

13 Dico primò; † Consecratio Episcopi potest esse valida sine literarum Apostolicarum præsentatione, dummodo constet de Summi Pontificis consensu, & beneplacito. Hæc conclusio statuitur aduersus Auctores primæ opinionis, & pro Auctoribus tertiæ, qui omnes eam expressè defendunt. Et probatur primò: Nam vt constat ex prima Rubrica Romani Pontificalis *tit. de Episcopi consecratione citat. difficultat. præced. n. 1.* quando consecratur Episcopus intra curiam, non requiritur præsentatio Bullarum, sed sufficit beneplacitum Papæ viuæ vocis oraculo expressum; & quod hoc constet consecratori: Ergo neque essentialiter requiritur talis Bullarum præsentatio, ad valorem consecrationis Episcopi extra Curiam celebratæ. Consequentia patet, nam quod conuenit alicui per se, aut essentialiter, semper & vbicunque conuenit illi, vt tenet commune Logicorum axioma. Ergo si dependentia à Bullis Apostolicis conueniret per se consecrationi Episcopi vt esset valida, semper & vbicunque conueniret illi, ac proinde tam consecrationi extra Curiam quàm intra curiam celebratæ conueniret, neutráque esset valida sine Bullis præsentatis: quod contra dictam Rubricam & manifestam experientiam est.

Secundò probatur ratione desumpta ex Filiucio Narbona, & Mastrillo *in locis præallegatis*; nimirũ quia † Scriptura non est de essentia pri- 14
uilegij aut gratiæ à Principe concessæ. Nã licet in foro exteriori requiratur ostensio rescripti Principis vel Bullæ Pontificis, tamen in foro conscientiæ valebit priuilegium, siue gratia, etiamsi perdantur litteræ, poteritque probari earum expeditio in omnibus illis casibus, in quibus per legem expressam non sint prohibitæ probationes. Vnde si litteræ Apostolicæ. v.g. semel expeditæ amittantur à beneficiario, aliæ erunt conficiẽdæ iuxta curiæ Romanæ stylum, quamuis Iure communi sufficeret probatio duorum testium, vel etiam in conscientia, non tamen in foro iudiciali. Ergo dum gratia Pontificis facta fuerit electo in Episcopum, & data licentia vt possit consecrari; eius consecratio ad sui valorem non dependet necessariò ab scriptura Bullarum Apostolicarum.

Tertiò probatur alia ratione desumpta ex Barbosa *in loco citato de potestate Episcopi*; nimirum quia † collatio beneficij seu dignitatis 15
facta à Pontifice dicente *fiat*, habet vim electionis, nominationis, designationis, præsentationis institutionis, & confirmationis independenter à litteris, seu Bullis quæ postea conficiuntur & implentur à Notariis seu officialibus ad id munus designatis. Igitur qui in virtute talis gratiæ siue *fiat* Pontificis consecratur, quamuis nondum constet de litteris, siue Bullis scriptis, reuera manebit consecratus, & in dignitate Episcopali constitutus.

Quartò & vltimò probatur, quia † huic do- 16
ctrinæ non obstat extrauagans Bonifacij citata. Quia vt luculenter explicant Solorzanus, Episcopus Villa Roël, Azorius, Barbosa & Nauarrus *in locis præallegatis*, dicta constitutio Bonifacij VIII, & Iulij III. similiter constitutio, solùm loquuntur de possessione Episcopatus, & cuiuscumque alterius beneficij Ecclesiastici, solúmque prohibent sub dictis pœnis, ne sine ostensione Bullarum electi sumant possessionem dignitatis, ad quam fuerint electi; nec pœnæ ibi impositæ ponuntur Episcopis, nisi tantùm Capitulis eos admittentibus ad possessionem Episcopatus sine Bullarum præsentatione; & apparet ex ipso contextu. Cuius rationem præ omnibus assignat Nauarrus *in loco citato* dicens, quod hæc constitutio Bonifacij exorbitat à iure communi, secundùm quod certum est; † facta 17
æquè probari posse per testes ac per instrumen-

ta, *ex leg. in exercendis, Cod. de fide inſtrumento rum*, ac proinde ſtrictè eſt intelligenda. Nam conſtitutio exorbitans à iure communi non eſt extendenda ad alium caſum, præter illum quem exprimit. Et cum dicta conſtitutio tantùm loquatur de poſſeſſione, & aliàs exorbitet à iure communi, non debet extendi ad caſum conſecrationis Epiſcopi, qui eſt valde diuerſus à caſu poſſeſſionis Epiſcopatus: Huius ſignum euidens eſt, quod diſtinctæ Bullæ expediuntur; vna quidem pro poſſeſſione Epiſcopatus, in qua Summis Pontifex præſentatum à patrono v.g. à Rege Hiſpaniæ aſſumit & eligit ad dignitatem Epiſcopalem, & confert ei Epiſcopatum, quæ dicitur gratia Apoſtolica ſeu *fiat*, ſimúlque aſſignat electo reditus menſæ Epiſcopalis, quos proinde electus incipit percipere & facere ſuos, à die huiuſmodi gratiæ ſeu *fiat*. Inſupérque dat ei facultatem, vt per ſe vel per mandatarium apprehendat poſſeſſionem Epiſcopatus, & vt poſſit nominare & inſtituere Vicarium generalem & gubernatorem Diœceſis, ad cauſas quoque iudicialiter expediendas: quæ dicitur poteſtas iuriſdictionis, quam in omnibus recenſitis ſolent electi exercere ante conſecrationem, per quam confertur electo poteſtas ordinis, per quam poteſt Epiſcopus Sacramenta ordinis & confirmationis conferre, atque olea in die Cœnæ dominicæ conſecrare, aliáq; Pontificalia exercere. Et pro huiuſmodi conſecratione expeditur alia Bulla à Summo Pontifice, in qua concedit facultatem electo, vt à quocunque Epiſcopo Catholico habente communionem Sedis Apoſtolicæ poſſit conſecrari, iubétque ſimul vt intra trimeſtre iuxta diſpoſitionem Concilij Tridentini conſecretur. Et ideo ſi conſecratio debeat fieri per tres Epiſcopos in prouinciis Hiſpaniæ, Italiæ, & Galliæ v.g. id ipſum exprimitur in Bulla expedita pro conſecratione; ſi autem debeat fieri in America Occidentali, vbi ex diſpenſatione Pij IV. poteſt conſecratio fieri per vnum Epiſcopum aſſociatum duabus dignitatibus, vel Canonicis non Epiſcopis; hoc ipſum innuitur in Bulla expedita pro conſecratione eorum, qui in dicta America Occidentali conſecrandi ſunt.

Ex his apparet ſolutio argumenti facti pro prima opinione, ad quod neganda eſt minor
8 præmiſſa. † Conſecratio enim Epiſcopi non eſt via aut introitus ad poſſeſſionem Epiſcopatus, quia poſſeſſio pertinet ad poteſtatem Iuriſdictionis, quam Epiſcopi electi poſſunt & ſolent exercere ante conſecrationem, contra quam non vrget conſtitutio Bonifacij, quæ tantùm procedit contra poſſeſſionem acceptam ſine literarum Apoſtolicarum præſentatione. Et quamuis præfatus Diana conuictus argumentis Doctoris Solorzani, affirmauerit eamdem ſententiam & intelligentiam dictæ conſtitutionis, quando poſtea *part. 1 2. reſol.*... voluit in contrariam intelligentiam ſe vertere, & argumenta Solorzani ſoluere & eneruare, agnoſcens argumentorum vim, & ſuarum reſponſionum infirmitatem, ſuccurrit oneri dicens: *Vidiſtis quantum Laboramus in Charidi &c.* Et ad calcem ſic concludit: *Sed ſi hæ reſponſiones ad ſupra dicta argumenta, amice Lector, tibi non arrident meliores tu cogita, & nobis illas prome.* Qua pœna plectuntur, qui inconſtantiæ vitio laborant. Ad confirmationem, neganda quoque eſt minor præmiſſa: nec enim Scriptura eſt neceſſariò & per ſe requiſita ad valorem legis, ſeu priuilegij, vt etiam *in noſtro tractatu de legibus* oſtendimus: cum de iure communi ſufficiat probatio per teſtes, ſeu alia quacunque via moralem certitudinem producente.

Dico ſecundò. † Conſecratio Epiſcopi an- 19
tecedenter ad beneplacitu & conſenſum Summi Pontificis, non ſolùm eſt illicita ſed etiam inualida. Hæc concluſio ſtatuitur aduerſus Paludanum Auctorem ſecundæ opinionis. Et quidem eam ſupponunt omnes Doctores citati, pro tertia noſtra ſententia. Nam licet non omnes eam expreſsè affirment, verumtamen omnes illam ſupponunt, dum dicunt; conſecrationem Epiſcopi neceſſariò requirere ad ſui valorem, conſenſum & beneplacitum Summi Pontificis, quamuis non dependeat à litteris Apoſtolicis, dummodo per aliam viam conſtet, beneplacitum & conſenſum Papæ præceſſiſſe. Illam autem expreſsè defendit contra Paludanum Gabriel Vazquius *tom. 3. in 3. p. diſputat. 243.* agens *de Sacramento ordinis capit. 6. num. 68.* Et probatur; quia † ad conferendum Characterem 20
Epiſcopalem, qui confertur in conſecratione Epiſcopi, Solus Papa habet plenitudinem poteſtatis, vtpote cum ſit Epiſcopus vrbis, & orbis; Ideóque ſolus ille poteſt ex plenitudine ſuæ poteſtatis inſtituere Principes Eccleſiæ, cuiuſmodi ſunt Epiſcopi, vt *tomo 3. Moral. quæſtion. diſp. 6. cap. 4. dub. vltimo* oſtendimus. Vbi probamus Epiſcopos eſſe, & appellari debere Eccleſiæ Principes, ita vt dignitas Epiſcopalis in poteſtate ordinis excedat Cardinalitiã dignitatem. Cui veritati adſtipulatur Theologus Natianzenus *oration. 12. ad ciues Nacianzi* dicens: *quantum cœlum terra pretioſius eſt, tantum Epiſcoporum Principatus omnia ciuilia regna & poteſtates antecellit.* Neque nobis Doctor Solorzanus contrarius eſt, dum *tomo 2. de iure Indiarum lib. 3. cap. 7. numer.* 97. obiurgat quoſdam Indiarum Prælatos, qui ſe pleno ore Principes vocant & vocari ſinunt. Nam hac obiurgatione fortè vſus eſt ad condemnandum nimium vanitatis faſtum, quo tales Epiſcopi ſuo principatu abutuntur. Igitur cum Character Epiſcopalis & Principatus ſit adeò excellens, à ſolo Summo Pontifice de iure communi conferri poteſt, aut ſaltem de eius commiſſione & conſenſu. Vnde cuiuſlibet Epiſcopi ordinatio aliter facta non ſolùm erit illicita, vtpote celebrata contra formam præſcriptam in Romano Pontificali, vt probatum relinquimus *numer.* 10. ſed etiam erit inualida, vtpote facta & celebrata, neque à Summo Pontifice, neque ex eius commiſſione. Ad fundamentum autem adductum pro ſententia Paludani, reſpondetur negando minorem præmiſſam, intellectam de actu ordinis ſupremi, qualis eſt collatio characteris Epiſcopalis: hæc enim propter ſui excellentiam à ſolo Summo Pontifice vel ex eius commiſſione fieri poteſt. Ad Confirmationem verò pariter reſpondetur, admiſſo antecedente, negando conſequentiam. Ad cuius probationem reſpondetur, verum quidem eſſe quod in conſecratione Epiſcopi confertur illi poteſtas ordinis, & nõ iuriſdictionis: ſed quia hæc eſt poteſtas ordinis ſupremi, ideo à ſupremo Antiſtite ideſt Summo Pontifice, vel ex eius commiſſione tantùm, poteſt ac debet conferri. Nam ſi-

cut ordines Sacri inferiores, videlicet Subdiaconatus, Diaconatus, & Presbyteratus conferuntur ab Episcopo, qui est ad illos superior. Ita Ordo Episcopalis debet à supremo Antistite supra Episcopos conferri, vel ex eius commissione vt dictum est: sed non ab alio Episcopo, qui non superiori sed æquali potestate gaudet cum consecrato; & æqualis, vt communi proloquio dicitur, in æqualem non habet potestatem.

21 Hinc colligo primò; In† aliquo casu vrgentis necessitatis posse nedum validè & ritè, sed etiam licitè, & rectè Episcopum consecrari extra Curiã sine præsentibus litteris Apostolicis, dummodo constet per testes fide dignos de illarum expeditione. Ratio huius corollarij est, quod leges humanæ Ecclesiasticæ non obligant ad culpam cum vrgente necessitate, aut cum magna fideliũ incõmoditate: vt patet in legibus Ecclesiasticis ieiunij, audiendi Sacrum in diebus festis, recitandi horas canonicas, &c. Quæ minimè obligant eos, qui aliqua graui necessitate, aut incõmoditate premuntur: quia non est mens Sanctæ Matris Ecclesiæ, obligare suos filios ad harum obseruantiam, aliqua graui necessitate, vel incommoditate præpeditos; Et hùc spectat illud affatum Cardinalis Caietani *in summa* verbo *lex*; Humanæ leges habent humanas intelligentias. Igitur cum lex prohibens Episcopi consecrationem extra curiam fieri, sine præsentibus litteris Apostolicis, sit Ecclesiastica & humana, etiam debet habere humanas intelligentias, secundum quas non intelligitur obligare ad culpam, consecrantem & consecratum Episcopum, sine præsentibus litteris Apostolicis, quando aliàs constat de illarum expeditione iam facta, si vrgeat necessitas grauis, v. g. Si litteræ Apostolicæ perdantur, vel ab aliquo inimico liuore vindictæ detineantur: si non sit facile, Episcopos posthac ad consecrandum necessarios adesse vel congregari: si Diœcesis vidua ad quam est promotus Episcopus consecrandus, valde indigeat præsentia sui Episcopi, ad conferenda Sacramenta Ordinis & Confirmationis, & ad pascendum rationales oues verbo ac doctrina salutari. Tunc enim Consecrans & Consecratus ab omni culpa immunes erunt, bona fide procedentes ad Consecrationem celebrandam.

22 Colligo secundò, quod sic † consecratus bona fide sine præsentibus litteris Apostolicis, non tenetur consecrationem reiterare, etiam sub conditione. Huius ratio est, quia Sacramentum ordinis cum imprimat characterem indelebilem, non potest absolutè reiterari. Sed nec sub conditione debet reiterari, nisi quando est probabilis opinio, vel rationabilis dubietas de eius nullitate siue inualiditate. In nostro autem casu deest opinio probabilis, & dubietas rationabilis: siquidem potius adest moralis certitudo, de valore talis consecrationis. Igitur nec sub conditione est reiteran-

23 da: eò vel maximè, quòd † in materia Sacramentorum, quando quis operatur cum opinione probabili, licet in re sit falsa, Sacramenta administrata sunt valida, ita vt neque debeant sub conditione reiterari: quoniam in eo casu Ecclesia siue Pontifex Summus supplent defectum iurisdictionis, & illam conferunt ministro cum tali opinione operanti, ex communi Theologorum & Iuristarum sententia; vt tradunt Sanchez *libr. 3. de matrimonio disputat. 10.* & *in summa tomo 1. lib. 4. cap. 92.* Henriquez *lib. 2. de pœnitentia cap. 14.* Lessius *de iustitia & iure lib. 2. cap. 29. dub. 8.* Villalobos *in summa tom. 1. tractatu 1. difficultate 3.* Malderus *2. part. quæstion. 19. articul. 5.* & alij quos plena manu congessit Diana *2. part. resolut. Moral. tractatu 13. resolut. 2.* Ac per consequens, quando Consecrans Episcopum & Consecratus procedunt cum opinione probabili, etiamsi reuera esset falsa, de expeditione litterarum Apostolicarum, factum teneret, & valida esset talis ordinatio, ex tacita confirmatione Ecclesiæ, ac si fuisset expressa: nam taciti, & expressi eadem est natura, *ex cap. cum apud de sponsalibus*, iuxta communem Doctorum intelligentiam. Præterquam quod ex tali reiteratione ingentia damna sequerentur: vt quod ordinati ab illo Episcopo in eius Diœcesi, & confirmati, & confessores instituti, & pœnitentes iam confessi de suis peccatis, vellent hæc omnia Sacramenta reiterare. Ex quo tota Diœcesis contremisceret, tot scrupulis vexata; quod neutiquam est admittendum.

Colligo Tertiò pro maiori prioris difficultatis intelligentia, † legitimam interpræ- 24
tationem Canonis, *porro*, Sancti Anacleti Papæ *in decreto dist. 66.* qui desumptus fuit *ex Epistola 2. decretali eiusdem Anacleti*, quæ habetur *tomo secundo Conciliorum*; & refertur, in præfato Canone, sub his verbis. *Porro & Hierosolimitarum primus Archiepiscopus, Beatus Iacobus, qui Iustus dicebatur, & secundum carnem Domini nuncupatus est Frater, à Petro, Iacobo, & Ioanne, Apostolis, est ordinatus.* Idémque asseruit Clemens Alexandrinus *lib. 6.* relatus ab Eusebio, *lib. 2. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 1.* ibi. *Petrum, Iacobum & Ioannem, post Saluatoris ad cœlum ascensum, cùm essent à Domino summum dignitatis gradum adepti, non de gloria, & honore contendisse inter se, sed vno consensu, Iacobum Iustum Hierosolimorum Episcopum designasse.* Quibus verbis denotatur, quod licet Christus Dominus immediatè omnes Apostolos, Episcopos totius Ecclesiæ ordinarit, tribuẽs eis potestatem, tam Consecrationis, quàm iurisdictionis, vt communior tenet sententia: nihilominus dicti tres Apostoli principatum inter cæteros tenentes, nimirum Petrus, Iacobus filius Zebedei, & Ioannes eius Frater, Iacobum Alphei, seu minorem, in Episcopum primum Hierosolimorum vno consensu ordinarunt: hoc est Ecclesiam illam specialiter regendam & gubernandam ei designarunt, & visibili Consecratione, hoc est externis signis & Cæremoniis, potestatem vtramque, scilicet Ordinis, & Iurisdictionis, iam inuisibiliter à Christo acceptam, manifestarunt: hoc enim solùm operata est illa dicti Iacobi Minoris ordinatio. Et neutiquam ex illa licet colligere, tres Episcopos requiri de iure Diuino, & ex Christi institutione, ad cuiusuis Episcopi consecrationem; aut illos requiri, vt veros Ministros conferentes simul Ordinato characterem, & potestatem ordinis, siue consecrationis; vt contendunt Vazquius *in locis præallegatis*, & Auctor libri nuper editi *de excellentiis Diui*

Iacobi

Iacobi Hiſpaniarum Patroni, lib. 2. cap. 3. num. 12. Cuius opinionis falſitatem ſatis oſtendimus, *in dicta difficultate 1. numer. 3.* & ſequentibus. Neque enim talis ordinatio, ſiue Conſecratio Iacobi Minoris, facta à Petro, Iacobo, & Ioanne, fuit præſcripta ore Chriſti, aut ex eius imperio ſeu inſtitutione, ſed ex eorumdem trium Apoſtolorum benigna prouidentia facta, vt denotat Chryſoſtomus *homil. 3. in acta Apoſtol.* dicens. *Conſidera autem & aliorum diſcipulorum ſingularem modeſtiam, quo pacto concedunt ei ſolium.* Idque etiam Clemens ſignificauit illis verbis, *non de gloria & honore contendiſſe inter ſe, ſed vno conſenſu &c.* denotans dictam ordinationem non Chriſti præſcripto, ſed modeſtiæ, & benignitati trium Apoſtolorum eſſe tribuendam, qui in ea, nec Characterem, aut poteſtatem aliquam ſpiritualem, Iacobo Minori contulerunt, niſi quamdam ſpecialis Eccleſiæ deſignationem, & ſpiritualis poteſtatis, à Chriſto Domino iam acceptæ facere manifeſtationem, vnanimi conſenſu voluerunt.

TRACTA

TRACTATVS III.

CONTINENS ALIAS VNDECIM QVÆSTIONES, nimirum à XXII. vsque ad XXXII. inclusiuè.

QVÆSTIO XXII.

Vtrum Spiritus Sanctus qui est Diuinarum reuelationum author, sit aliquando carnem humanam assumpturus, & qua censura digna sit sententia affirmans?

SVMMARIVM QVÆSTIONIS XXII.

1 *Theologus Hispalensis insanæ hæresis author, duo in Deo decreta circa humani generis reparationem statuit; idémque de Spiritus Sancti humanatione, vel per vnionem hypostaticam, vel per transsubstantionem futura, multa somniat.*

2 *Cuius dogma & assertio hæretica plures errores hæreticales inuoluit, & antiquas etiam hæreses suscitat.*

3 *Ecclesia Catholica tenet & profitetur quatuordecim fidei articulos de necessitate salutis credendos.*

4 *Hæreticus est, qui pertinaciter docet nouum mysterium operationum humanæ salutis.*

5 *Adstruere Spiritum Sanctum venturum, vt sit reparator status innocentiæ in hominibus quoad corpora, animas quoque, tollendo ab eis fomitem peccati, est dogma temerarium & erroneum.*

6 *Adstruere Spiritum Sanctum humanatum fore consummatorem redemptionis Christi, & introducturum prædestinatos in gloriam, est hæresis ipsi Christo iniuriosa.*

7 *Petrus Oxomiensis nomine hæreseos damnatus, eò quòd docuit Pontificem Romanum sine generali Concilio, non esse certam regulam in diffiniendis dogmatibus fidei ac Religionis Christianæ.*

8 *In causis fidei ac Religionis nunquam à Romana Sede ad aliud tribunal admissa est appellatio.*

9 *Eutyches damnatus, quia docuit, vnionem naturarum in Christo fuisse factam, vel per vtriusque mixtionem, vel per conuersionem humanæ in Diuinam.*

10 *Hæresis Aëtij dicentis, ea quæ Deus hactenus Apostolis celauit, sibi reuelata fuisse.*

11 *Hæreticum est, statuere Spiritum Sanctum esse primogenitum.*

12 *Christus vt homo, non est filius Dei adoptiuus.*

13 *Albertus distinguit tres modos filiationis.*

14 *Impugnatur doctrina Vasquij, statuentis Christum vt hominem esse Dei Filium naturalem, nedum Dei Patris, sed etiam totius Trinitatis.*

15 *Impugnatur Neothericus Hispalensis, malè explicans mentem Augustini & Concilij Toletani, statuentium Christum vt hominem, nullo modo esse aut dici posse Filium naturalem Spiritus Sancti aut totius Trinitatis.*

16 *Refertur genuina interpretatio Patrum & Adriani I. super illa verba Math. 3.* Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui, &c.

17 *Referuntur inconnenientia & absurda, quæ ex opposita sententia sequuntur.*

HIs diebus surrexit in ciuitate Hispalensi, quidam nouus Theologus insanæ potius quàm nouæ hæresis author; *in suo manu scripto tractatu*, dicens: † Deũ duo decreta circa humani generis reparationem habuisse, in duobus signis rationis; in quorum priori decreuit (ait ille) personam Spiritus Sancti venturam in mundum humanatam, in humanitate impassibili ante originalis peccati præuisionem: in posteriori verò, iam permissâ ac præuisâ Adami culpâ in totius posteritatis pernitiem, decreuit Diuini filij incarnationem futuram in carne mortali ac passibili, in qua per passionem & mortem pro humani generis culpis satisfaceret, obtinens earum remissionem, & animabus gratiam 1

iuſtificantem & auxiliantem. Subditque dictus Nouator, hanc humanationem Spiritus Sancti fore complendam poſt Chriſti incarnat onem, nonnullis tamen ſeculis ante diem Iudicij: eò quòd Spiritus Sanctus, licet prius decretâ eius humanatione, cedere voluit Diuino verbo, vt ſuam Incarnationem prius executioni mandaret.

Tertiò addit, hanc Spiritus Sanct i humanationem, vno ex duobus modis fore in executione ponendam: nimirum aut media vnione hypoſtatica, qua Spiritus Sanctus ſibi vniet humanitatem hominis cuiuſdam præexiſtentis integram ac completam, ſua propria ſubſiſtentia: aut per tranſſubſtantiationem, conuertendo illum hominem præexiſtentem in ſuam Diuinam ac increatam perſonam, ad eum modum quo Chriſtus verbis conſecrationis ſubſtantiam panis in ſuum corpus conuertit, & quo poſſet illis verbis quæ in cruce pendens ad Ioannem protulit, dicens, *Fili ecce mater tua*; virtutem communicare conuertendi Euangeliſtam Ioannem in Mariam Virginem: & quouis modo fiat, erit verum dicere, Spiritus Sanctus eſt hic homo, & è contra; ſicut de Chriſto Domino propter idiomatum communicationem verum eſt dicere, hic homo eſt filius Dei, & filius Dei eſt hic homo; proptereáque non fore dicendam Incarnationem Spiritus Sancti, ſed humanationem: quia non de matre, nec in ventre matris carnem aſſumet, ſed humanitatem cum propria ſubſiſtentia præexiſtentem in eſſe perfecto ſine materno concurſu, in ſuæ perſonæ vnitatem adducet.

Quartò ſubdit finem huius humanationis eſſe, vt Spiritus Sanctus ſit conſummator redemptionis Chriſti per corporum & animarum glorificationem in alia vita, homines in gloriam introducendo, & vt in hac vita reparet in hominibus ſtatum innocentiæ amiſſum in protoparente; in eiſque peccati fomitem extinguat.

Hanc Spiritus Sancti futuram humanationem ſic explicatam & conſtitutam fatetur inſuper hic Nouator, hactenus nec in Sacra Scriptura reuelatam, neque in aliquo Concilio ab Eccleſia eſſe definitam: ſed ſibi ſoli, aut per Diuinam quamdam inſpirationem, aut per diſcurſum ex nonnullis ſacræ paginæ teſtimoniis depromptum. Teſtimonia autem potiora, quibus ſuam fundat opinionem, ſunt illud Matthæi II. quod in perſona Baptiſtæ duo ex eius diſcipulis interrogauerunt à Chriſto, *Tu es qui venturus es an alium expectamus?* Profecto hic alius, qui adhuc expectatur, eſt ille de quo idem Chriſtus dixit Ioannis 14. *Ego rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis.* Et illud eiuſdem capitis II. Mathæi, *Nemo nouit filium niſi Pater; neque Patrem quis nouit niſi filius, & cui voluerit Filius reuelare.* Ex quo colligitur multa myſteria vſque nunc eſſe latentia, quæ Filius in futurum reuelabit. Nec non duæ hiſtoriæ Geneſeos, altera *ex cap.25.* Coxit autem Iacob pulmentum, ad quem cum veniſſet Eſau de agro laſſus, ait: *Da mihi de coctione hac rufa.* Cui dixit Iacob; *vẽde mihi primogenita tua.* Quo ſignificatur Spiritum Sanctum in Eſau figuratum, licet prius decretum ad veniendum in hunc mundum, ceſſiſſe verbo Diuino in Iacob repræſentato, vt licet poſterius decretus eius aduentus, prius tamen exequeretur poſt præuiſam coctionem rufam originalis culpæ. Altera *ex cap.27.* vbi refert Iocobum, dum Eſau arcu & pharetra venaturus in montem, egrederetur, benedictionem Patris ſurr puiſſe, qua id ipſum ſignificatur, quod priori diximus ſignificari. Et ſubdit hic author ſuam ſententiam, vtpote nouiſſimam & nemini notam, non Patrum teſtimoniis aut Symbolis fidei poſſe confutari, ſolúmque Sacram Scripturam, aut Concilia generalia poſſe dogmata fidei ſtatuere, in eiſque nihil contra ſuam aſſertionem contineri.

Verùm † hæc aſſertio vt iacet, (abſtrahendo à conditionibus indiuiduantibus hominis iſtius, quem non ſatis ſani capitis iudicauimus, cum primùm eius doctrina ad noſtras peruenit manus cenſenda, & à proteſtatione quam ad calcem ſui tractatus facit, dicens ſe fuiſſe ſemper, eſſe, & fore correctioni Sanctæ Matris Eccleſiæ ſubiectum, & corrigi paratum à ſapientioribus, ſi aliter ſentiendum iudicauerint: qui duo tituli ipſum ex parte, tum à grauitate culpæ, tum à pœnæ quantitate excuſare poſſunt, licet non ex toto;) eſt hæretica, quamplures errores hæreticales inuoluens, nec non antiquas ſuſcitat hæreſes, quæ in hunc lapidem offenderunt. Nam Montanus, vt refert Prateolus *in ſuo elencho hæreſum* ex Nicephoro *lib. 4. hiſtoriæ Eccleſiaſticæ*, iactabat ſe eſſe Spiritum Sanctum, vt ſic multos ad ſuorum dogmatum ſequelam deceptos aſciret. Simon Magus, teſte eodem Prateolo, ſuam meretriculam Fenele, Spiritum Sanctum impudenter vocabat Manethe quoque ſectæ Manicheorum author, ſuperbiæ faſtu, & ambitionis hiatu clamabat ſe eſſe Spiritum *Sanctum* humanatum. Rurſus hæreticos vulgo appellatos Melchiſedechianos eiuſdẽ fuiſſe erroris, nimirũ quod Spiritus *Sanctus* iam fuerit incarnatus ſiue humanatus, refert Caſtro *lib.10. V. Melchiſedec §. quis autem*, ex Epiphanio *lib. de hæreticis, hæreſi 55. & 67.* dicens, eos exiſtimaſſe quod Melchiſedec Rex Salem, non fuiſſet purus homo, ſed Spiritus Sanctus, quam hæreſim refutat Epiphanius *in locis præallegatis*, vbi eam tribuit vt primo inuentori Hieraci, qui erat inſigniter doctus. De altera autem hæreſi quam iſte nouator ſuſcitat, videlicet quod Spiritus Sanctus nondum fuerit humanatus, ſed adhuc tempore futuro ſit humanitatem aſſumpturus, refert Abraham Zouius *tom. 13. annalium* anno 1209. *pag.* 130. *& ſequenti*, ex Cæſario *dialogo 5. cap.* 22. fuiſſe ab Albigenſibus nonnullis per Galliam ſparſam, ob quam ab Epiſcopis Galliæ per ſententiam damnati, & vltimo ignis ſupplicio puniti fuere. Verùm hic Albigenſium error ab iſtius Nouatoris errore multum diſſidebat; quia illi per aduentum Spiritus Sancti in carne Euangelicam legem cum ſuis præceptis ac Conciliis fore extinguendam, & in aliam nouiorem commutandam dicebant, non minus quàm per Chriſti aduentum legis Moſaicæ cæremoniæ ceſſarunt: iſte autẽ non conſumendam legem Euangelicam, ſed conſummandam & complendam per Spiritus Sancti aduentum

affirma-

affirmat. Quare eius hæresis est ipsissima, quam Nicolaus de Calabria docuit & disseminauit Barchinone circa annum 1352. dicens, *quod Spiritus Sanctus debebat futuris temporibus incarnari* : quam nomine hæresis damnatam tunc fuisse à iudicibus fidei, refert Directorum Inquisitorum 2. *part. quæst.* 21. *pag.* 266. Hoc itaque præiacto notabili, probanda venit prima pars nostræ assertionis, nimirum hoc nouum & impium dogma, esse hæresim insanam. Nam introducit nouum mysterium, quod sit principium operatiuum, siue consummatiuum humanæ salutis, ac proinde
3 nouum articulum fidei † supra quatuordecim, quos tenet & profitetur Ecclesia, vt de necessitate salutis credendos. Idem namque est, principium esse humanæ salutis, atque esse articulum fidei de necessitate saltim præcepti credendum, quoniam singula principia humanæ salutis constituunt singulos fidei articulos. Ideoque ex quatuordecim mysteriis Diuinitatis ac humanitatis Christi, conficiuntur quatuordecim articuli fidei, quos & solemnizat mater Ecclesia, & fideles de necessitate credere tenentur, vt docet D. Thomas communiter receptus 2. 2. *quæst.* 1. *art.* 5. *ad* 1. *& artic.* 8. *atque quæst.* 2. *art.* 5. *&* 7. Nam oportet homines per eadem mysteria visa in patria beatificari, per quorum fidem in hoc statu sunt viatores, iuxta illud Ioannis 17. *Hæc est vita æterna, vt cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti Iesum Christum.* Vnde sicut esset hæreticus, qui pertinaciter affirmaret dari alium articulum fidei vltra quatuordecim, quos fide, corde, sen-
4 su, & animo tenet Ecclesia; ita est † hæreticus qui pertinaciter profert esse aliud mysterium operatiuum humanæ salutis, siue primæ, quæ est gratia: siue secundæ, quæ est gloria; quale adstruitur ab isto nouatore fore humanationem Spiritus Sancti, quia idem est asserere secundum, atque asserere primum : & qui hoc secundum asseruerit, tenetur, velit, nolit, & illud primum fateri. Vnde est hæreticus propter tria; tum quia est assertor noui articuli. Tum quia contradicit communi sensui totius Ecclesiæ Catholicæ, quæ suis fidelibus quatuordecim dumtaxat articulos credendos proponit, & solemnizat, & eadem fide qua credit esse quatuordecim, credit nec esse plures nec pauciores: articulum autem de futura humanatione Spiritus Sancti, Ecclesia hucusque nec solemnizauit, neque fidelibus credendum proposuit. Tum denique quia hæc assertio habet contra se duo testimonia sacræ paginæ, videlicet illud *Deuteron.* 4. *Non addetis ad verbum quod vobis loquor, nec auferretis ex eo* : & illud *Apocalyp.* 22. *Si quis apposuerit ad hæc, apponet Deus super illum plagas scriptas in libro isto.* Certum autem est neque in his duobus libris, imo neque in tota Sacra Scriptura reuelari humanationem Spiritus Sancti, vt ipse Nouator fatetur : dicere verò hoc esse mysterium supernaturale, consummatiuum humanæ salutis, & non esse hucvsque reuelatum, neque constituere aliquem articulum fidei de necessitate credendum, insania est & implicatio in adiecto. Nec non contradicit decretis duorum Conciliorum generalium, scilicet Ephesini, & Chalcedonensis relatis à D. Thoma *q.* 10. *de potentia, artic.* 4. *ad* 13. in quibus decernitur sub anathemate nulli licere aliam fidem componere, tradere, vel docere præter contentam in Symbolo Synodi Nicenæ, in quo certum est articulum de humanatione Spiritus Sancti minimè proponi nec contineri.

Deinde secunda pars nostræ assertionis probatur, recensendo errores, quos inuoluit dicta assertio. Nam inprimis quatenus † Spi- 5
ritum Sanctum adstruit venturum, vt sit reparator status innocentiæ in hominibus quoad corpora, animas quoque, tollendo ab eis fomitem peccati; est temeraria & erronea. Temeraria quidem, quia sine fundamento in materia fidei, & contra communem Patrum sententiam statuitur : erronea verò, quia ex illa inferuntur per legitimam illationem hæretica absurda; vt quod homines eo seculo non incurrant pœnalitates ac vulnera peccati originalis; imò quod nec ipsam peccati originalis maculam contrahant, & quod in Adamo non peccauerint, contra illas Pauli voces *ad Roman.* 3. 5. *&* 11. *Omnes enim peccauerunt, & egent gloria Dei : per vnius delictum in omnes homines, in condemnationem.* Et contra specialem Concilij Tridentini determinationem, *session.* 4. *decreto de peccato originali*, quo decernit manere in Baptizatis concupiscentiam & fomitem ad certamen & agonem.

Rursus quatenus ait † Spiritum Sanctum 6
humanatum, fore consummatorem redemptionis Christi, & introducturum prædestinatos in gloriam, concernit aliam hæresim iniuriosam Christo, contra quinque expressa Noui Testamenti testimonia, nimirum *ad Heb.* 10. *&* 12. in quorum primo dicitur. *Vna enim oblatione consummauit sanctificatos in æternum.* In secundo autem; *Aspicientes in authorem fidei & consummatorem Iesum. Actorum* 4. vbi inquit Petrus. *Nec enim aliud nomen est sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri.* Iterum Paulus 1. *ad Thimoth.* 2. *Vnus enim Deus, vnus & mediator Dei & hominum homo Christus Iesus*; & ad *Roman.* 8. *Quos præscinit & prædestinauit conformes fieri imaginis filij sui : vt sit primogenitus in multis fratribus.* Ex quo loco probat D. Thomas 3. *part. quæst.* 3. *articul.* 8. congruum ideo fuisse, vt ex tribus Diuinis personis, sola filij humanitatem assumeret, quia oportebat filium Dei naturalem, tanquam exemplar & primogenitum filiorum adoptiuorum, eos ad terminum prædestinationis, id est gloriam adducere, illos sibi conformando & assimilando, quod Spiritui Sancto neque Diuino Patri conuenire potest, quorum neuter est filius naturalis aut primogenitus. Si autem Spiritus Sanctus humanatus, esset consummator redemptionis Christi, iam hæc non esset propria Christi prærogatiua, contra priora testimonia; daretúrque aliud nomen sub cœlo præter IESV Christi, in quo oporteret nos saluos fieri, maximè quoad secundam & vltimam salutem scilicet gloriam, contra tertium testimonium; essentque duo Mediatores inter Deum & homines contra quartum. Neque valet euasio authoris, dicentis ex Christo & Spiritu Sancto

humanato integrari vnũ tantùm Mediatorem, veluti ex duobus partialibus partialitate effectus : alioquin totalibus totalitate cauſæ, quia quilibet eſt totalis cauſa meritoria & redemptiua in ſua linea : Chriſtus quidem gratiæ & remiſſionis peccatorum : Spiritus verò Sanctus gloriæ animarum & corporum. Nam quomodocumque ponatur hæc integratio, iniurioſa eſt Chriſto, cuius cauſalitas meritoria & ſatisfactoria, totalis fuit, nedum cauſæ, ſed etiam effectus totalitate ; vtpote ad quoſcumque effectus gratiæ redemptiuæ, & gloriæ ei correſpondentis extenſa. Ideoque dictio illa, *vnus Mediator*, qua vtitur Paulus, excluſiua eſt cuiuſcumque alterius Mediatoris Chriſto aſſociati vel aſſociandi. Denique, ſi Spiritus Sanctus humanatus futurus eſſet conſummator gloriæ hominum, & ſpecialis illorum glorificator, potius imagini illius quàm Chriſti, dicerentur prædeſtinati conformes & ſimiles, contra vltimum Apoſtoli teſtimonium.

Præterea, quatenus hic author ſubdit ſuam doctrinam nouiſſimam eſſe, ſolúmque poſſe hæreſeos nota damnari, aut loco expreſſo Sacræ Scripturæ, aut generalis Concilij legitimè congregati, quorum neuter obuiat
7 hucuſque ; concernit errorem † Petri Oxomenſis nomine hæreſeos damnatum à Concilio Prouinciali Complutenſi, & Sixto IV. in Bulla contra ipſum Oxomenſem edita in dicti Concilij confirmationem, qua ſuam propoſitionem vt hæreticam recantare iubetur, nimirum in qua dixerat, Romanum Pontificem & Romanam Sedem, ſine generali Concilio non eſſe certam regulam in diffiniendis dogmatibus fidei ac religionis Chriſtianæ, vtpote in illis errare potentem. Cuius oppoſitum determinatum habetur in actis Chalcedonenſis Synodi, vt refert D. Thomas *quæſt. 10. de potentia articul. 4. ad 13.* dicens. *Sicut autem poſterior Synodus poteſtatem habet interpretandi Symbolum à priori Symbolo conditum, ac ponendi aliqua ad eius explanationem : ita etiam Romanus Pontifex hoc ſua authoritate poteſt : cuius authoritate ſola Synodus congregari poteſt, & à quo ſententia Synodi confirmatur, & ad ipſum à ſententia Synodi appellatur. Quæ omnia patent ex geſtis Chalcedonenſis Synodi. Nec eſt neceſſarium, quod ad eius expoſitionem faciendam vniuerſale Concilium congregetur, cum quandoque id fieri prohibeant bellorum diſſidia* : Sicuti (ſubdit ille) Agatho Papa determinauit in Chriſto dari duas voluntates & duas actiones, quam veritatẽ vt fidei dogma acceptauerunt Patres in VI. Synodo generali ideſt ſecunda Conſtantinopolitana, quæ tamen ob imminentia bella, ex cunctis Eccleſiæ Græcæ Epiſcopis congregari non potuit ; vt ipſe Conſtantinus Auguſtus in epiſtola eidem Concilio præfixa teſtatur. Nec non Leo Papa diffiniuit Chriſtum eſſe in duabus naturis poſt incarnationem ; cuius ſententiam ſunt ſequuti Patres Synodi Chalcedonenſis, inſinuátque D. Thomas his verbis, & exemplis illam particulam, *filioque*, explicantem proceſſionem Spiritus Sancti à filio, ab Eccleſia Romanóque Pontifice, ſine vllo generali Concilio, fuiſſe additam Symbolo Niceno ; quamuis verum ſit, poſtea à Concilio Florentino ſub Eugenio IV. fuiſſe confirmatam, aduerſus Græcos illam expungendam fore conantibus. Conſentit Canus *lib. 6. de locis cap. 7. §. Præterea*, dicens ; inde colligi † Ro- 8
manum Pontificem habere infallibilem authoritatem diffiniendi res fidei ac religionis ; quod in huiuſmodi cauſis nunquam à Romana Sede ad aliud tribunal admiſſa eſt appellatio ; & ſemper data eſt à quauis Synodo & Eccleſia non ad Conſtantinopolitanum, aut Alexandrinum, aut Antiochenum, aut Toletannm, ſed ad ſolum Romanum Antiſtitem : ſoliſque hæretici hac appellatione ad Concilium vel ad alium Antiſtitem à Romano vtuntur. Si autem huius non eſſet verax & infallibile iudicium in præfatis cauſis decernendis, fruſtra & ineptè ab illo ad generalem Synodum appellatio denegaretur : & §. *ſed quæris*, ſubdit hanc indefectibilem authoritatem, normam ac regulam diffiniendi dogmata fidei Romano Pontifici negantes, vt hæreticos eſſe damnatos, veluti Petrum Oxomenſem, quem ob iſtum articulum Sixtus IV. vt hæreticum damnauit, & iuſſit retractare palàm ſententiam. Nam hæc authoritas (ait Canus) in Romana Sede & eius Pontifice eſt de iure Diuino, à Chriſto conceſſa, dum Petro & eius legitimis ſucceſſoribus, quales conſtat eſſe Romanos Pontifices, huiuſmodi priuilegium conceſſit, quando ei dixit. *Ego rogaui pro te Petre vt non deficiat fides tua, & tu aliquando conuerſus confirma fratres tuos.* Et alibi ; *Paſce oues meas, &c.* Quod priuilegium ad Petri ſucceſſores ideſt Romanos Pontifices fuiſſe deriuandum, ac de facto deriuatum conſtat ex Apoſtolica traditione, per experientiam, & antiquam Eccleſiæ conſuetudinem firmata, quæ eſt optima legis ac iuris interpres.

Rurſus quatenus ait nouator iſte, aſſumptionem humanitatis ab Spiritu Sancto faciendam vno ex duobus modis ; nimirum aut per vnionem hypoſtaticam, qua vniat ſibi Spiritus Sanctus præexiſtentem quemdam hominem integrum ac perfectum, cum propria perſonalitate ; aut per tranſſubſtantiationem, conuertendo hominem in ſuam Diuinam perſonam, ſicut ſubſtantia panis virtute verborum conſecrationis conuertitur in Chriſti corpus : in priori parte ſtulta & inſana eſt eius aſſertio. Nam vel tunc Spiritus Sanctus aſſumendo illam humanitatem, deſtrueret eius propriam ſubſiſtentiam, ſubrogando ſe loco illius, & hoc congruè poneretur, ſicut de facto contigit perſonæ filij in aſſumptione humanitatis : vel relinqueret illam terminatam ſimul propria ac Diuina ſubſiſtentia, ad eum modum quo Diuina natura ſimul tribus perſonalitatibus terminata manet, quarum nulla alteram terminat. Et hoc ſtultè dicitur & temerariè contra communẽ Scholaſticorum ſententiam, apud quos nec natura creata eſt terminabilis ſimul pluribus ſubſiſtentiis : nec cum Diuina eſt ſimul compatibilis creata in eadem natura, vtpote cum illa ob ſui infinitatem exhauriat totam huius terminabilitatem, non minus quàm generatio Diuini verbi, ob ſui infinitate, totam Diuini intellectus fœcunditatem exhaurit : nec maneret Idiomatum communicatio ab authore prætenſa. Licet enim tunc hic Deus ſignata perſona Spiritus Sancti diceretur homo,

mo,sed hic homo,signata humana persona,non diceretur Deus,quia falsum esset de supposito creato affirmare Deum : vel assumendo humanitatem simul assumeret & terminaret eius connaturalem personalitatem , & hoc licet possibile , ab Scotistis iudicetur. Sed contra dicit fere tota Schola Theologorum , dicentium subsistentiam & personalitatem, quia vltimus est terminus naturæ,esse inassumptibilem & interminabilem à quacumq; alia etiã increata:verificarentúrq;tunc duæ contradictoriæ, videlicet quod ista humanitas assũpta ab Spiritu Sancto, subsisteret in se & per se,siquidem retinet suam propriam subsistentiã,à qua eius formalis & primarius effectus est inseparabilis : & non subsisteret in se , siquidem subsisteret in persona Spiritus Sancti , & non per propriam subsistentiam, vtpote terminatam & assumptam ab Spiritu Sancto,& in illo suppositam.

9 In posteriori autem parte,concernit errorẽ† Euthychetis damnatum in Concilio Chalcedonensi, dicentis vnionem naturarum in Christo fuisse factam,vel per vtriusque mixtionem, vel per conuersionem humanæ in Diuinam : quem D. Thomas *3. p. q. 2. art.* 1. ex eo impugnat, quod vtroque modo faciat Deum mutabilem contra illud *Malachiæ 3. Ego Deus & non mutor :* & *Iacobi 1. apud quem non est transmutatio nec vicissitudinis obumbratio.* Primo quidem modo, quia in mixtione neutrum ex miscibilibus manet, sed resultat tertia natura. Secundo verò modo , quia oportet terminum ad quem transsubstantiationis,desinere esse,quemadmodum desinit esse substantia panis, quæ in Christi corpus conuertitur: igitur & desineret esse homo ille, qui in Spiritum Sanctum conuerteretur, & sic hypothesis hæc destruit thesim. Dices : non oportet terminum ad quem transsubstantationis mutari,maximè,quia transsubstantiatio potest fieri sine actione,per solam successionem vnius substantiæ loco alterius ;& sic nihil in cõuenit creaturam in Deum qui vbique est , transsubstantiari. Respondeo terminum transsubstantiationis , si actio est factiua vt antiquis & sapientioribus Theologis placuit semper, non posse non mutari , quia terminus nouæ actionis factiuæ non potest non aliquid de nouo recipere, & idem sequitur, si actio sit transiocatiua quam excogitauit Scotus.Si verò solus ordo aut successio substantiarum sit , vt pauci nouiores &minus sapientiores finxerunt, adhuc necesse est terminum ad quem conuersionis, mutationem intrinsecam pati;nam cum suscipiat nouam habitudinem & respectum rationis succedentis ad substantiam quæ transsubstantiatur , oportet in aliquo nouo fundamento reali in termino ad quem recepto fundari : alioquin,cur potius in nostro casu homo in Spiritum Sanctum,quàm in aliam personam Diuinam , aut cur creatura in Deum potius, quàm in aliam creaturam præexistentem transsubstantiaretur?

Deinde in eo quod asserit , sibi & non aliis fuisse hoc mysterium humanationis Spiritus Sãcti,reuelatione aut discursu patefactum, (horum neutrum satis explicat) concernit † hæresim Aëtij dicentis, teste Prateolo, *in suo elencho lib. 1. tit.* 15. quod ea quæ Deus hactenus celasset Apostolis,sibi reuelata fuissent,contra illud *Ioannis 15. Vos autem dixi amicos, quia quæcumque audiui à Patre meo nota feci vobis.* Denique incongruè & insanè probat huiusmodi humanationem Spiritus Sancti futuram figuris veteris Testamenti,& quibusdam locis Noui in sensu allegorico & mystico intellectis ; Ex quo tamen nullius efficaciæ potest confic,argumentum, ad probanda fidei aut salutis nostræ mysteria , propter duo. Tum quia teste Angelico Doctore *1. p. q. 1. art. 10. ad primum ; Nihil sub spirituali sensu continetur fidei necessarium , quod Scriptura per litteralem sensum alicubi manifestè non tradat.* Cum igitur hæc humanatio Spiritus Sancti nullibi in Sacra Scriptura per litteralem sensum tradatur : frustra & stultè recurritur ad spiritualem & allegoricum. Tum etiam, quia iuxta regulam Sanctorum Patrum , præsertim Augustini *in Epistola ad Vincentium Donatistam,* Dionysij *in Epistola ad Titum,* Hieronymi *super Matthæi cap.* 13. ac D. Thomæ *in nuper citato artic.* Theologia Symbolica id est mystica, non est argumentatiua, quia per illam nullum valet confici efficax argumentum, nisi in sensu litterali fundetur,aut illi adiungatur:vt probat Bañesius *in eiusdem articuli commentario dub. vltimo*;præterquam quod violentæ, chimericæ, & temerariæ contra communem Patrum interpretationem sunt explicationes,quas iste nouator in dictis locis adhibet.

Alios quoque insanos errores, quorum non est numerus,concinnat hic Nouator in suis propositionibus ; vt in decima quinta , quod purior erit vnio Spiritus Sancti cum humanitate, quàm verbi Diuini, propterea quod ille humanitatem assumet impassibilem,& extra vterum maternum : in quo sapit hæresim Nestorij, & Manichei,minuentium paritatem vnionis cum carne in Christo.

In vigesima,quod melius de Spiritu Sancto humanato , quàm de Paulo verificabitur illud; *Adimpleo ea quæ desunt passionum Christi , &c.* Quæ propositio temeraria est & iniuriosa Christi satisfactioni,vndequaque infinitæ & superabundanti,ac proinde quæ minimè indigebat per Spiritus Sancti humanati opera compleri.

In trigesima tertia. subdit, † Spiritum Sanctum esse illum primogenitum,de quo ait Paulus *ad Hebræos 1. Et cum iterum introducit primogenitum in orbem terræ , dicit : & adorent eum omnes Angeli Dei.* Quæ propositio est valde temeraria & erronea. Temeraria quidem vtpote contra communem Patrum sententiam , qui de Christo hoc testimonium interpretantur: erronea verò quia ex ea sequitur per immediatam illationem, Spiritum Sanctum esse filium Dei, siquidem est primogenitus, & omnis primogenitus est filius : & consequenter esse duos filios in Diuinis:quod est hæreticum ; nisi dicat Spiritum Sanctum tunc fore filium Dei adoptiuum.Sed hoc repugnat ob rationem qua vsus fuit D. Thomas *3. p. q. 23. art.* 4. & Adrianus Papa cum Concilio Francofordiensi, & *in libro Sacro Syllabo* , edito in ipso Concilio, ad probandum contra Felicem Vrgelitanum Episcopum , & Elipandum Toletanum Archiepiscopum,quod† Christus vt homo non sit filius Dei adoptiuus ; eò quòd adoptio supponit personam esse solo affectu coniunctam adoptanti, ac proinde extraneam à natura adoptantis , & neutiquam illi substantialiter coniunctam. Persona autem Christi non est extranea à natura

11

12

Patris, ſed habens eandem naturam cum illo, cui & humanitas eſt ſubſtantialiter coniuncta, &c. Quæ ratio etiam excludit adoptionem ab Spiritu Sancto nedum abſolutè, ſed etiam quatenus homo, admiſſa eius humanatione. Ex qua doctrina venit impugnandus Vazquius 1. *tom. in 3. partem diſp.* 89. *cap.* 12. *num.* 70. *& cap.* 14. §. *Tertio colligitur*; dum aſſerit Chriſtum vt hominem eſſe filium Dei naturalem, nedum Dei Patris, ſed etiam totius Trinitatis, propter ſubſtantialem vnionem Diuinæ perſonæ cum humanitate aſſumpta, factam à tota Trinitate: ſicut cætera opera ad extra dicuntur communia toti Trinitati. Similitérque Spiritum Sanctum ſi aſſumeret humanitatem (idemque de Patre ſentiendum) dicendum eſſe filium Dei naturalem, hoc eſt totius Trinitatis ſecundum humanitatem. Quod ſibi perſuadet ex quadam do-
13 ctrina † Alberti *in* 3. *d.* 10. *art.* 13. diſtinguentis tres modos filiationis. Vnum quidem per affectum amoris & charitatis, quem conſtituit adoptio: alterum per eſſe naturale communicatum filio per generationem, quem conſtituit parentis generatio, per quam filius accipit naturam de ſubſtantia patris: & alterum per eſſe naturale quod accepit ab alio, per ſubſtantialem vnionem in eadem perſona. Ex qua doctrina ſic argúit ille: Chriſtus ſecundum humanitatem eſt filius Dei, non adoptiuus, quia non eſt extraneus: ergo eſt filius Dei naturalis. Tum vltra: ſed non eſt ſecundum humanitatem filius Dei naturalis ſecundo modo, hoc eſt per æternæ generationis productionem, quia per hanc non humanam, ſed ſolam Diuinam naturam accepit: ergo eſt filius Dei naturalis ſecundum humanitatem tertio modo, ſcilicet per ſubſtantialem vnionem Deitatis cum humanitate in eadem perſona. Atqui hæc vnio eſt opus totius Trinitatis: ergo eſt illius filius in quantum homo, ſiue ſecundum humanitatem. Quo diſcurſu id ipſum conuincitur de Spiritu Sancto, ac de Patre Diuino ſi aſſumeret humanitatem. Quod amplius confirmat, nam eo in caſu nec Pater Diuinus ſecundum humanitatem diceretur Pater verbi æterni, denominatione deriuata ab ipſa proprietate Paternitatis, (eodem modo neque homo ille ſcilicet Spiritus Sanctus, diceretur ſecundum humanitatem procedens à filio Diuino): ergo pariter neque Chriſtus vt homo diceretur filius naturalis ſolius Patris, denominatione deriuata ab ipſa proprietate perſonali Diuini filij. Conſequentia hæc patet; quia de correlatiuis eadem eſt ratio. Cum igitur Paternitas & filiatio Diuina ſint correlatiua: ſicut illa non valet extrinſecè denominare naturam alienam aſſumptam, aut perſonam ſecundum illam; ita neque iſta.

Verùm † hanc doctrinam falſiſſimam ac periculoſam eſſe, nec parùm diſſonam dictis eiuſdem authoris, probatur Primò, argumento ad hominem. Nam ſi Chriſtus cum hoc additamento, ſecundum humanitatem, vel quatenus homo eſſet filius naturalis Spiritus Sancti & totius Trinitatis, abſolutè & ſine additamento poſſet dici talis; quod tamen hic idem author negat, *eiuſdem diſputationis cap.* 14. *num.* 88. ne occaſionem præbeamus (ait ille) exiſtimandi eſſe duos Patres in Deo ab æterno generantes eundem filium; ergo &c. Sequela patet; nam quod cùm eo additamento reuera conuenit filio, & dicitur de illo, poteſt etiam de illo abſolutè prædicari, qua ratione de Chriſto abſolutè & ſine additamento dicimus quod eſt paſſus, mortuus, & ſepultus, licet hæc de illo non niſi ratione humanitatis verificentur. Rurſus ſi de Chriſto ſecundum humanitatē verificaretur eſſe filium adoptiuum Dei, etiam de illo abſolutè & ſine additamento poſſet ac deberet prædicari; vt idem author fatetur *cap.* 9. *num.* 44. vbi hac ratione confutat illos Theologos, qui aſſerebant Chriſtum eſſe filium Dei adoptiuum, cum hoc additamento, ſecundum humanitatem; neque hoc damnari in prædicto Concilio Francofordienſi, ſed ſolùm quod abſolutè & ſimpliciter ſit & dicatur filius adoptiuus; cùm tamen vtroque modo loquendi damnata fuerit dicta propoſitio, affirmans Chriſtum eſſe filium Dei adoptiuum, ſcilicet & abſolutè, & cum dicto additamento prolata. Si enim ſecundo modo non fuiſſet damnata, nulla eſſet ratio damnandi illam in primo.

Secundò contradicit Concilij Toletani XI. in confeſſione fidei diffinitioni, deſumptæ ex Parente Auguſtino *lib.* 2. *de Trinitate c.* 10. & in Enchiridion *cap.* 38. & 39. In quibus locis ait, vocem illam de cælo delapſam in Chriſti Baptiſmate & transfiguratione Mathæi 3. & 17. *Hic eſt filius meus dilectus*, non ad totam Trinitatem ſed ad ſolum Patrem æternum eſſe referendam; quæ eſt etiam communis ſententia Patrum, tam Latinorum, quàm Græcorum; nimirum Hieronymi *ſuper Math.* 3. Leonis Papæ *ſermone de transfiguratione*, Athanaſij *ſermone* 3. & 4. contra Arrianos, Anſelmi *ſuper Math.* 3. Chryſoſtomi *homilia* 15. & 57. *in Matthæum*; & Euthimij *in eodem cap.* 3. *Mathæi*, cui conſonat D. Petrus *c.* 1. *ſuæ primæ Canonicæ*, vbi verba illa dicta in transfiguratione, (& eadem ratio videtur eſſe de dictis in Baptiſmo) ad Patrem æternum referre videtur ibi. *Accipiens enim à Deo Patre honorem & gloriam, voce delapſa ad eum huiuſcemodi à magnifica gloria; Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui.* Ex quibus probant recenſiti Patres æqualitatem Filij cum æterno Patre, vt etiam fatetur Vazquius *cap.* 10. *à numer.* 57. etſi (ait ille) Adrianus I. *vbi ſupra*, in Epiſtola ad Epiſcopos Hiſpaniæ, in confirmationem veritatis diffinitæ in Concilio Francofordienſi, contra Chriſti adoptionem, illius authoritate conuocatos, eadem verba referat ad totam Trinitatem, quaſi dicta ad Chriſtum filium Dei naturalem ſecundum humanitatem; quod ſibi perſuadet ex verbo *complacui*, quod plurium perſonarum ſimul conſentientium placitum ſignificat: alioquin ſi ſolus Pater loqueretur, potius diceret *Placui*. Primæ autem interpretationis rationem reddit Auguſtinus *in dicto cap.* 38. inquiens. *Natus eſt Chriſtus de Spiritu Sancto non ſicut Filius, & de Maria Virgine ſicut filius.* Vnde infert, quis dicere audebit? ſcilicet Chriſtum eſſe filium Spiritus Sancti; & *c.* 39. ſubdit. *Nec enim Ieſus etiam Spiritus Sancti filius, aut ſuus etiam filius credi, aut intelligi poteſt.* Tertiò, quia authoritate Auguſtini probat D. Thomas 3. *p. q.* 32. *art.* 3. nequaquam dici poſſe Chriſtum ſecundum carnem filium Spiritus Sancti, aut Spiritum Sanctum Patrem Chriſti ſecundum carnem. Nec non hac ratione, dictum de aliquo ſecundum perfectam rationem, nequit

dici

dici de illo secundum imperfectam rationem: vt patet in homine, qui de Sorte prædicatur secundum veram hominis rationem, & ideo nequit de illo prædicari secundum rationem hominis picti. Sed Christus vt homo, est filius Dei secundum rationem perfectam filiationis, scilicet naturalis: ergo quamuis secundum humanam naturam sit creatus & iustificatus, (ait ille) intellige à tota Trinitate, *non tamen debet dici filius Dei, neque ratione creationis, neque ratione iustificationis, sed solùm ratione generationis æternæ, secundum quam est filius solius Patris: & ideo nullo modo debet dici Christus Filius Spiritus Sancti, neque etiam totius Trinitatis.* Quia licet fuerit conceptus de illo, vt de principio actiuo: sed non in similitudinem perfectam naturæ specificæ, quod requiritur ad rationem propriam generationis viuentium; defectu cuius non omne quod nascitur de aliquo est filius illius. Quod verificat Augustinus *vbi supra* exemplis capillorum, & vermium, qui de homine nascuntur, &c.

15 Ad hæc duo argumenta, † iste Neothericus vnam solutionem satis friuolam, potius dicam fugam, inuenit. Nam postquam sibi *in dicto c.14. num.88.* opposuit Concilij Toletani, Parentis Augustini, & D. Thomæ authoritates diminutè relatas, inquit: quod quatenus negant Christo secundum humanitatem filiationem, respectu Spiritus Sancti, & respectu Trinitatis, debent intelligi de filiatione, quæ conuenit Christo absolutè & ratione æternæ generationis: secundum hanc enim, solius Patris æterni potest dici filius naturalis. Sed non excludunt aliam filiationem naturalem conuenientem Christo cum additamento, scilicet secundum humanitatem, per substantialem vnionem naturæ Diuinæ cum humana in eadem persona, secundum quam potest ac debet dici filius Spiritus Sancti ac totius Trinitatis: non absolutè ne detur occasio hæreticis, existimandi plures Patres in Diuinis ab æterno generantes eundem filium: sed cum addito isto, in quantum homo, vel secundum humanitatem. Verùm siniſtram, violentam, & extortam esse hanc explicationem, patet; quia mens Augustini, eadémque Concilij Toletani est, statuere, quod Christus vt homo nullo modo sit aut dici possit filius naturalis Spiritus Sancti aut totius Trinitatis: hoc enim indicant negationes illæ, *Natus est Christus de Spiritu Sancto, non sicut filius: Neque enim Iesus etiam Spiritus Sancti filius intelligi potest*, ideſt nullo modo; cum enim negatio sit malignantis naturæ, & signum vniuersale distributiuum, quidquid post se inuenit destruit, & omnem modum affirmabilem per sui contradictoriam excludit. Alioquin quorsum illa interrogatio; *Quis dicere audebit?* æquipollens huic negationi, id est, nullus dicere audebit. Quorsum illa ratio ab Augustino subiuncta; *non omne quod nascitur de aliquo, est illius filius?* nisi vt concludat Christum vt hominen non esse filium Spiritus Sancti vllo modo: quamuis fuerit de illo vt de principio actiuo conceptus & natus. Ac si diceret; neque est filius adoptiuus Spiritus Sancti aut totius Trinitatis, quia non est extraneus in natura, & solo affectu coniunctus illi; neque est Filius naturalis, quia aliàs esset etiam filius naturalis sui ipsius: atqui hoc repugnat: ergo & illud. Angelicus autem Doctor, cuius anima est Augustinus, ipsissimam Parentis Augustini sententiam prosequitur, vtens eisdem negationibus vniuersalibus, quam per illam exclusiuam explanat; *Christus solùm ratione generationis æternæ potest dici filius Dei.* Quæ per has duas exponentes resoluitur; scilicet est filius Dei ratione generationis æternæ, & nulla alia ratione. Et cùm secundum illam sit filius solius Patris æterni; meritò concludit, propterea nullo modo posse dici Christum filium Spiritus Sancti, nec etiam totius Trinitatis. Qui ergo asserit Christum vt hominem, esse aliquo modo filium Spiritus Sancti & Trinitatis naturalem, nimirum, ratione vnionis substantialis cum natura assumpta in eadem persona, Thomisticæ propositionis vniuersalis negatiuæ contradictoriam affirmat.

Hoc idem intentum conuincunt alia duo argumenta. † Primum depromitur ex Patribus 16
citatis, qui dum vocem illam *Mathæi 3.& 17.* ad Christum vt hominem delapsam, ad solum æternum Patrem referunt, excludunt à Christo homine, quamcumque aliam filiationem, præter illam quæ refertur ad solum Patrem æternum, ideſt præter illam quæ ei conuenit, & eum denominat filium ratione æternæ generationis, & personalis proprietatis. Sed neque Adrianus I. in dicta Epistola vocem istam refert ad totam Trinitatem, quatenus denotat Paternitatem, sed solùm ait, hanc vocem dirigi ad Christum vt hominem, super quem vt sic descendit Spiritus Sanctus in specie columbæ, tanquam inferiorem; neque illum vt sic, refert ad totam Trinitatem, vt filium, sed vt effectum; quasi dicat Christum vt hominem, sicut & ipsam vnionem hypostaticam, esse opus totius Trinitatis, in quo sibi cõplacuit. Quorũ neutrũ inficiamur. Nisi mauis dicere ad mentẽ Adriani Papæ, si in aliquo minimo verbo à communi Sanctorum Patrum interpretatione, illius paternæ vocis ad maiorem sui dogmatis fidei declarationem, diuertit; referri quidem vocem illam ad solum Patrem æternum vt generantem, ad totam verò Trinitatem vt complacentem. Aliud enim est generare, & aliud complacere. Illud est actus notionalis & proprius intellectus Paterni, fundans vel constituens relationem paternitatis ad filium: istud verò est actus voluntatis communis tribus personis, quæ omnes complacent sibi de actu generationis, & eius termino producto scilicet filio, sicut & de actu spirationis & eius termino producto, scilicet Spiritu Sancto. Vterque enim actus notionalis est voluntarius Deo, ac obiectum Diuinæ complacentiæ, sed cum discrimine assignato ab Angelico Doctore *1.p.q.41.art.2.* quod actus spirationis vltra complacentiam concomitantem trium personarum, est voluntarius voluntate antecedente per modum principij, quia oritur à volũtate Patris & Filij per modum naturæ, qua Deus amat se ipsum. Actus autem generationis, quia non habet pro principio voluntatem, nisi solùm intellectum paternum, est voluntarius voluntate duntaxat concomitante trium personarum, quæ dicitur complacentia. Vnde sensus dictæ vocis erit. Hic scilicet Christus vt homo, est filius meus naturalis dilectus dilectione voluntatis non principiantis, sed concomitantis, in quo mihi complacui, complacentiâ scilicet illâ quæ est communis toti Trinitati.

Trinitati. In quo etiam ſenſu appellat Paulus *ad Coloſſenſes* 1. Chriſtum Filium dilectionis Dei, in quantum eſt ſuperabundanter dilectus à Deo & tota Trinitate, dilectione inquam concomitante. Quæ ſanè interpretatio parum aut nihil differt à communi Patrum interpretatione, ſed vna alteri eſt conſona; & vtraque veriſſima. Nec enim ad intentum Adriani deſeruiebat, probare Chriſtum vt hominem eſſe filium totius Trinitatis in ea Epiſtolâ, vtpote cuius argumentum erat damnare errorem Elipandi, aſſerentis Chriſtum eſſe Filium Dei adoptiuum, ſecundum humanitatem per gratiam Iuſtificantem; & ſtatuere Catholicum dogma, de ſola filiatione naturali reperta in Chriſto homine, reſpectu Dei Patris, ad quod impertinens erat, nomine Dei Patris intelligere Trinitatem: Difficilius namque eſſet medium aſſumptum, quàm concluſio probanda. Quinimo tali interpretatione Adrianus contradiceret Apoſtolo Petro, qui *in ſua 2. canonica*, illam vocem in transfiguratione ad Chriſtum delapſam, ad ſolum Patrem æternum refert, vt communis Patrum tenet expoſitio. Contra quam non poteſt non eſſe violenta illa, quam adhibere audet iſte Neotherícus *cap.* 10. circa calcem illius, dum ait; quod Petrus potuit intelligere vocem illã eſſe totius Trinitatis, vtpote à qua Chriſtus vt homo accepit honorem & gloriam, quamuis nihilominus (ſubdit ille) poſſit ad primam perſonam referri, ratione communicationis vocum, & Idiomatum.

17 Secundum ſumitur † ab inconuenienti, quod ſequitur ex oppoſita ſententia: ſequitur namq; ex illa, in Chriſto dari tres filiationes naturales, modò omnes ſint relationes reales, modò aliqua illarum ſit rationis; nimirum, quia eſt filius Virginis ſecundum humanitatem acceptam ab illa per temporalem generationem; & eſt filius totius Trinitatis, ratione vnionis hypoſtaticæ: & inſuper eſt filius æterni Patris ratione æternæ generationis, quod quidem nemo hucuſque auſus eſt dicere, niſi vnius neotherici animus minus ad Eccleſiæ Patres affectus. Sed neque Albertus, cuius doctrinæ innititur in eo loco, duplicem illam filiationem naturalem in Chriſto comminiſcitur, niſi vnam dumtaxat naturalem filiationem agnoſcit ad eumdem terminum relatam; per quam ſcilicet Chriſtus ratione generationis æternæ eſt filius Patris æterni in natura propria, ſcilicet Diuina: & ſimul eſt ac denominatur ratione vnius hypoſtaticæ, filius naturalis eiuſdẽ æterni Patris ſolius, in natura extranea, ideſt aſſumpta.

Ex hucuſque dictis fas eſt colligere, quid dicendum foret, data ea hypotheſi, quod Spiritus aſſumeret humanitatem. Nec enim eſſet filius Dei adoptiuus per gratiam iuſtificantem, vtpote quia eſt perſona Diuina eiuſdem naturæ cum aliis, ac proinde incapax adoptionis. Neque eſſet filius Dei naturalis; tum quia vnicus ſolùm eſt filius Dei naturalis, ſcilicet Diuinum verbum: tum etiam, quia aliàs eſſet etiam filius ſui ipſius. Hoc autem teſte Auguſtino repugnat in Chriſto: ergo pari ratione repugnabit in Spiritu Sancto humanato.

Quid ergo eſt dicendum? Reſpondeo quod tunc Spiritus Sanctus vt homo eſſet amor conſubſtantialis Patri & Filio, & ſubſtantialiter procedens ab vtroque in natura aſſumpta. Nam quemadmodum Chriſtus Dominus per eandem filiationem Diuinam, eſt ac dicitur filius æterni Patris, in natura propria, ratione æternæ generationis, atque filius eiuſdem Patris in natura aſſumptâ, ratione vnionis hypoſtaticæ: ita Spiritus Sanctus per eandem relationem amoris procedentis, diceretur tunc procedens à Patre & filio in eadem ſubſtantia Diuina, ratione æternæ ſpirationis: atque etiam procedens ab vtroque ſubſtantialiter, ſecundum naturam aſſumptam, ratione vnionis hypoſtaticæ. Neque per hoc intendimus denegare Spiritui Sancto vt homini alias relationes ad totam Trinitatem, nimirum cauſati ad cauſam, creaturæ ad Creatorem, ſerui ad Dominum, ſerui inquam ingenui; & filij analogicè, & ſecundum quid ad Patrem; quo pacto Deus vnus & trinus ratione creationis dicitur Pater creaturarum, maximè rationalium, in quantum ad illius imaginem ſunt factæ, iuxta illud *Deuteron.* 32. *Nonne ipſe eſt pater tuus, qui fecit te, & creauit te*; quas neque Chriſto vt homini denegamus, vt videre eſt in D. Th. 3. *p. q.* 23. *art.* 4. *ad vltimum.*

QVÆSTIO XXIII.

Vtrum ex raptibus & reuelationibus priuatim factis alicui perſonæ, ſumatur ſufficiens Teſtimonium ad eius Canonizationem aut Beatificationem?

SVMMARIVM QVÆSTIONIS XXIII.

1 *Refertur diſcrimen inter communes & priuatas reuelationes.*
2 *Inter Canonizationem & Beatificationem qualis eſt differentia.*
3 *Tria ſunt quæ dant ſufficiens teſtimonium Beatificationi & Canonizationi cuiuſcunque Sancti in Eccleſia militanti.*
4 *Ratio cur Beatus Paulus Eremita fuit Catalogo Sanctorum adſcriptus.*
5 *Gregorius XI. viſionibus Sanctæ Brigittæ & Catherinæ Senenſis perſuaſus, Auinionem relinquens Romam aufugit, ibique Apoſtolicam ſedem tranſtulit.*
6 *Ex reuelatione facta Diuo Ambroſio, corpora Sanctorum Martyrum Geruaſij & Protaſij vbi eſſent ſepulta, innotuerunt.*
7 *Eduinus Rex viſione cælitus immiſſa ad Regni apicem promouetur.*
8 *Ambroſius ad vocem vnius pueri diuinitus excitatam Epiſcopus Mediolanenſis eligitur & conſecratur.*
9 *Extructo Altari Sancto Sebaſtiano dicato, ceſſat peſtis Romam affligens.*
10 *Centuriati Magdeburgenſes, priuatarum reuelationum extra Canonicos libros vagantium infenſiſſimi ſunt hoſtes.*
11 *Referuntur authores aſſerentes tam dogmata quàm Sanctos poſſe Canonizari ab Eccleſia*

ex

ex sola miraculorum aut etiam visionum attestatione.

12 *Duo modi diffiniendi doctrinas fidei & Sanctos Canonizandi ab iisdem ponuntur.*

13 *Quibus tamẽ non obstãtibus cõtrariũ probatur.*

14 *Fides Catholica innititur reuelationi Apostolis & Prophetis factæ, quæ reuelatio est communis toti Ecclesiæ, &c.*

15 *Vsus & praxis Ecclesiæ in decidendis huiusmodi reuelationibus qualis?*

16 *Lex antiqua in inquirendis negotiis politicis, & iis, quæ ad fidem, religionem & cultum Dei spectabant, quomodo à seipsa differt.*

17 *Reuelationes ac visiones coniunctæ cum miraculorum dono & vitæ sanctitate, maximè quæ in heroicis splendet virtutibus, ad probationem sanctitatis valdè conducunt.*

18 *Prophetare, virtutes facere, & Dæmonia eiicere, non semper est eius meriti, qui operatur.*

19 *Miraculorum qualis est differentia.*

20 *Vera miracula nõ possũt fieri nisi virtute diuina.*

21 *Dona Prophetiæ & patrationis miraculorum possunt inueniri in peccatore absque radicali morum bonitate.*

22 *Prophetia donum & priuatæ reuelationes supponunt in recipiente sanctitatem per gratiam gratum facientem.*

23 *Virtus patrandi miracula, quando confertur à Deo in ordine ad fidei prædicatæ contestationem seu confirmationem, potest etiam in malis reperiri.*

24 *Modus operandi miracula, scilicet morali concursu, supponit in illo ad cuius inuocationem miracula fiunt, veram sanctitatem cum heroicis virtutibus coniunctam.*

25 *Motiua, quibus ductus fuit Pius I. Papa ad condendum decretum de celebrando Paschate in die Dominico.*

26 *Sancta Brigitta & S. Catherina Senensis à calumnia Spalatensis, Mornæi, aliorumque, vindicantur.*

27 *Causa schismatis post Gregorij XI. è Gallia recessum secuti, refertur.*

§. I.

QVT in hac grauissima quæstione ordinatè procedamus, operæ pretium est prænotare discrimen, quod alibi haud semel, nimirum 22. *q. 1. art. 10. dub. 4. & in Proœmialibus ad 1. partem*
1 diximus, † inter cõmunes & priuatas reuelationes versari. Illis nãq; vtpote toti Ecclesiæ factis & ad eius communẽ statum pertinẽtibus, tenemur per fidem Catholicam assentiri; secus istis, quibus persona cui fiunt, aut per cuiusdam particularis fidei, aut per prophetiæ donum assentiri debet; cæteris autem personis, ad quarum notitiam ex auditu proueniunt, sat est si fide humana assensum præbeant, aut quodam prudentiæ infusæ iudicio. Rursus illæ adeò sunt obscuræ, vt neq; euidentiã in attestante generẽt nisi in Angelis, & illis ministris atq; Sacris Scriptoribus, qui veritates fidei immediatè à Deo receperunt: istæ verò secum adducunt per se loquendo euidentiã in attestãte, ita vt is cui Deus immediatè reuelat aliquã priuatã veritatẽ, euidenter cognoscat se illam à Deo accipere, & quod Deus sit qui ei loquitur, ne Diabolus trãsfigurans se in Angelum lucis, de facili suas hominibus orationi deditis ingerat deceptiones.

Missam quoq; facimus † differentiam inter Ca- 2
nonizationem & Beatificationẽ alicuius Sancti ex alibi dictis. Nam Canonizatio est decretum diffinitiuum, quo Summus Pontifex diffinitiuè constituit solemni ritu aliquem hominem vita functum in cathalogo Sanctorum, vt possit ac debeat vocari Sanctus, & tanquam Sanctus à fidelibus coli & venerari: in quo proinde Papã errare non posse est certum de fide, quia procedit vt caput totius Ecclesiæ, & organum Spiritus Sancti. Beatificatio autem neque est diffinitio neq; decretum, saltẽ diffinitiuũ & absolutũ, sed tantùm permissio quædam, qua Sũmus Põtifex aut vt caput illius Diœcesis solius, in qua beatificandus habebat domicilium ac patriam, dum Spiritus eius regeret actus, aut sicut caput totius Ecclesiæ, permittit duntaxat (vt ex formula huiusmodi Bullarum constat) vt valeat vocari Sanctus, vtque fideles de illo possint officiũ recitare, aut etiam Sacrũ facere. Quare neq; tanta certitudine est certum, quod in ea actione Papa neutiquam possit errare: ad vtramq; verò præmittitur processus siue informatio cũ Fiscali, qui testes possit arguere, ac refutare, de vita, moribus exemplaribus, virtutibus, & miraculis, inter quæ raptus, extases, donũ prophetiæ, & priuatæ reuelationes recensentur, maximè quando non semel aut iterum, sed frequẽter ac de rebus occultis humanam cognitionẽ & industriam excedẽtibus eueniunt. Vnde sensus tituli quæstionis est; Vtrũ quando Sũmus Põtifex ad Canonizãdum aut Beatificandũ aliquẽ Sanctum accingitur, sumere possit sufficiens testimoniũ ex processu informationis, in quo veniunt de illo plures extases ac frequentes priuatæ reuelationes contestatæ, id est duorum aut plurium testium testimonio visualium comprobatæ?

Videtur vera pars affirmatiua, propter duo. Tũ
quia † tria sunt quæ dant sufficiens testimoniũ 3
Beatificationi, & Canonizationi cuiuscumq; Sãcti in Ecclesia militanti, videlicet exemplares virtutes, miracula, & extases atq; reuelationes, quæ sunt ex dono Dei. Sed duo priora sufficiunt nedũ coniũctim, sed etiã disiunctim ac seorsim. Nam propter exemplares virtutes, sine vllis miraculis multi sunt in cathalogo Sanctorũ collocati ab Ecclesia, sicut Ioannes Baptista, de quo dicitur quod nullũ signũ fecerit. Propter ingẽtia quoque miracula posset quis cathalogo Sãctorũ adscribi, vtpote cum hæc gratia patrandi miracula maximè post mortem, & per modum impetrationis non detur nisi hominibus iustis & eximiæ sanctitatis: cur ergo ex solis raptibus & reuelationibus nõ sumetur simile efficax testimoniũ? siquidẽ hoc donum nonnisi personis valde contẽplatiuis & deuotionis feruore affectis à Deo communicetur. Tũ etiã quia propter testimonium particularium reuelationũ aliqui sunt canonizati, vt † Beatus Paulus Eremita fuit 4
cathalogo sanctorũ adscriptus, eò quòd Sãctus Antonius Abbas dixit se vidisse animam Pauli cælũ conscendere; quã visionẽ priuatim factam Sancto Antonio, non alio quàm solius Antonij testimonio accepit Ecclesia. Sanctã quoq; Brigittã ob reuelationum mirabilium donũ canonizatam fuisse, constat à Bonifacio IX. etsi tempore schismatis, quam tamen canonizationem postea Martinus V. ratam & probatam habuit. Quod debuisset aduertere Caietanus, quando Brigittæ reuelationem illã de immaculata Deiparæ conceptione, oppositã alteri, quam habuit

Sancta Catharina Senenſis, exſufflauit dicens, quod illi propterea fides non ſit adhibenda, quoniam tempore ſchiſmatis fuerit albo Sanctarum Virginum adſcripta. Quomodo verò de reuelationibus inter ſe oppoſitis iudicandum ſit, poſtea quaſdam regulas trademus, per quas prudens iudicium ſit ferendum.

5 Item † Gregorius XI. viſionibus Sanctarum Virginum Brigittæ, & Catherinæ Senenſis perſuaſus, Auinionem reliquit, & Romam aufugit, illúcque Apoſtolicam Sedem tranſtulit, vt præfatis Virginibus obtemperaret, quæ eam fugam & Sedis tranſlationem ſibi diuinitus reuelatam, tanquam Deo gratam ore ad os Pontifici expreſſerunt: vt referunt Cocheus *in Antimorneo fol.* 217. Abraham Zouius *anno* 1371. *num.* 17. & Grauina 1. *p. ſui Bazanithæ lib.* 1. *cap.* 2. *pagina* 68. *& lib.* 4. *cap.* 2. *pagina* 70. Rurſus Petrus Chryſologus Epiſcopus Rauennas conſecratur à Sixto Papa, Petro Apoſtolo cum eius diſcipulo Apollinari, Summo Pontifici apparente; & † ex reuelatione facta Diuo Ambroſio, corpora Sanctorum Martyrum Geruaſij & Protaſij vbi eſſent ſepulta, innotuerunt. Cuius rei teſtes ſunt ipſe Ambroſius *lib.* 7. *Epiſtolarum Epiſtola* 54. & Auguſtinus *lib.* 22. *de ciuitate*, *c.* 8. *& lib.* 9. *confeſſionum cap.* 7. Idem Eduinus † Rex, viſione cælitus immiſſa ad Regni apicem promouetur, Catholicam doctrinam amplectitur iuxta oraculi inſtructionem, & Sacro Baptiſmate tingitur anno 627. vt refert Beda *lib.* 2. *hiſtoriæ Angelorum c.* 7. & † Ambroſius ad vocem vnius pueri diuinitus excitatam, Epiſcopus Mediolanenſis eligitur & conſecratur, vt ex *Romano* conſtat *Breuiario*. Et teſte Paulo Diacono *lib.* 6. *cap.* 5. cum ingens lues Romam affligeret, ex Diuina quadam reuelatione acceptum eſt non ceſſaturam, donec † Altare Sancto Sebaſtiano Martyri extrueretur; quo ædificato, ceſſauit peſtis; & *d.* 3. *de conſecratione*, *cap. noſſe vos*, poſt relatam viſionem Angeli factam Hermeti, ſub habitu paſtoris præcipientis Paſcha celebrandam eſſe die Dominico, Pius I. Papa ſubiungit: *Vnde & nos Apoſtolica authoritate inſtituimus, omnes eadem obſeruare debere*; Ex quo decreto quartadecimani proſcripti ſunt. Igitur ſicut ex Diuinis reuelationibus particularibus, ſufficiens teſtimonium acceptum eſt in Eccleſia ad feſta celebranda, Sedem Apoſtolicam Romæ reſtituendam, ad fidei dogmata diffinienda, ad Epiſcopos conſecrandos, Reges vngendos, & ad corpora Sanctorum inuenienda, eiſque cultum ſolemni ritu exhibendum; pariter ad eos in albo Sanctorum adſcribendos.

Verùm in hac quæſtione tria authorum plaeita oportet recenſere. Primum fuit † Centuriatorum Magdeburgenſium, qui tanquam hoſtes infenſiſſimi priuatarum reuelationum, extra Canonicos libros vagantium, eas penitus eliminare conantur, vt videre eſt *centuria* 1. *lib.* 2. *cap.* 4. *titul. de doctrina pag.* 989. & apud Grauinam *lib.* 1. *ſui Bazanithæ c.* 1. contra quas ſingulis fere centuriis deganniunt, quibus & ſuccenturiati alij Sectarij noſtri temporis, de quorum numero ſunt Melanthon *in Calendario Martij* 23. *Aprilis*, Ioannes Riccius *lib. de veteri ſuperſt.* & Marbachius *lib. de miraculis*, aut fabulas aut ſuperſtitiones eas appellant. Quod etiam refert Bellarminus *cap.* 11. *de purgatorio columna* 1. Huic affinis eſt opinio duorum Catholicorum ſcilicet Henrici de Haſſia *in ſuo ad Geneſim* commentario, & Sybillani *decade* 1. *peregrinarum quæſtionum q.* 3. qui licet admittant nonnullas reuelationes veras ac diuinitus factas extra Canonem, verumtamen illas quas Beatæ Brigittæ, & Catherinæ Senenſi & aliis ſimilibus fœminis factas dicitur, neque probandas, neque admittendas aut credendas eſſe, aut acceptandas pro veris, vel ab Spiritu Sancto dictatas. Fauent Spilatenſis *lib.* 7. *de Republica c.* 5, *n.* 62. & Philippus Morneus *in ſuo myſterio iniquitatis*, *progreſſu* 59. *pagina* 471. dicentes; nullum teſtimonium ſiue argumentum efficax aut etiam probabile ſanctitatis, poſſe ac debere ſumi ex priuatis reuelationibus aut miraculis, quæ Confeſſarij in laudem alicuius ſui pœnitentis erumpentes propalant. In cuius confirmationem adducunt Gerſonem *de examine doctrin. p.* 3. *conſideratione* 3. referentem de Gregorio XI. quod morti appropinquans anno Domini 1370. conſilium dedit Cardinalibus, ne deinceps hiſce reuelationibus fidem adhibeant: quandoquidem ipſe à Brigitta & Catherina Senenſi deceptus, dimiſſo ſuorum rationabili Conſilio, in Italiam tam infauſto omine iter reaſſumeret, hoc eſt trahendo Eccleſiam ad tanti ſchiſmatis diſcrimen, quod teſte Panuinio, 47. annis durauit. Quamobrem meritò ſubdit Gerſon, (ait Spalatenſis) authoritatem dicti Henrici de Haſſia adducendo: *Hinc claræ memoriæ Magiſter Henricus de Haſſia comprimendam ſcripſit tot hominum Canonizationem.* Ob ſimilem rationem hæretici proteſtantes, de quorum numero ſunt Caluinus *lib.* 4. *inſtitutionum c.* 7. *ſect.* 10. & Kemnitius *in examine Concilij Tridentini* 1. *p.* vt referunt, Andradus *in opuſculo defenſionis Concilij*, contra eundem Kemnitium, debacchãtes contra Catholicos, aiunt non eſſe condenda noua dogmata fidei, neque canonizandas doctrinas ab Eccleſia ex miraculis aut priuatis reuelationibus: *Hoc enim eſt ſine verbo Dei* (dicunt illi) *condere nouos articulos fidei, & pro arbitrio ſtare velle, & cadere.* Ergo ſicut non licet Eccleſiæ ad miracula & viſiones confugere, vt fidei dogmata decidantur: ita neque vt aliqui in Sanctorum albo adſcribantur. Vtrobique enim eſt quoddam Canonizationis genus; illic doctrinarum, iſtic Sanctorum.

Secundum placitum eſt præcedenti è diametro oppoſitum, † aſſerentium tam dogmata, 11 quàm Sanctos poſſe canonizari ab Eccleſia, ex ſola miraculorum aut etiam viſionum atteſtatione. Huius authores ſunt, Corduba *in quæſtionario lib.* 1. *q.* 44. Orlandus 3. *ſententiarum d.* 3. *q.* 3. *dub.* 4. & Ioannes Serranus Epiſcopus Acernens. *lib. de Conceptione Virginis, c.* 2. qui quamuis de ſola dogmatum fidei diffinitione in propria ſpecie loquantur; verum per argumentum à ſimili, idipſum de ſanctorum Canonizatione, quæ etiam in quodam diffinitiuo decreto conſiſtit, videntur affirmare. Diſtinguunt autem † duos 12 modos diffiniẽdi doctrinas fidei, & Sanctos Canonizandi; alterum quidem per viam ordinariam, v.g. per Sacras Scripiuras, & traditiones, quam vocat Caietanus *opuſculo de conceptione c.* 1. *tractatu* 1. viam ordinariam, indeque fieri ſententiã affirmantẽ Beatiſſimam Virginem in ſua cõceptione ab originali labe fuiſſe præſeruatã,

non

non esse hac via ordinaria ab Ecclesia diffinibilem: eò quòd neque in Sacra Scriptura, neque in aliqua traditione, aut Patribus habetur regula, principium aut testimonium, vnde ea constanter deduci possit: Ad canonizationem verò alicuius Sancti via ordinaria est per testimonia heroïcarum virtutum, ac miraculorum comprobata. Alterum verò extraordinarium siue canonizandi Sanctos, siue diffiniendi dogmata, esse per alias speciales vias Spiritus Sancti, quibus Deus ipse suam regit Ecclesiam, quomodo oportet, hoc est per priuatas & speciales reuelationes, quibusdam viris aut fœminis Deo dicatis factas, aut etiam per vnum aut alterum miraculum magni momenti, inuocatione, aut impetratione alicuius Sancti à Deo patratum: quod satis probatur argumentis adductis pro parte affirmatiua à principio.

13 Quibus † tamen non obstantibus dicendum censeo cum Graüina *vbi supra c.* 2. *&* 3. ex reuelationibus particularibus solis, aut miraculis dumtaxat non sumi sufficiens testimonium in Ecclesia ad dogmata fidei diffinienda aut Sanctos canonizandos, benè tamen ex eis adiunctis cum sanctitate vitæ & heroïcis virtutibus comprobatis. Prima pars conclusionis est expressa Angelici præceptoris 1. *p. q.* 1. *art.* 8. *ad* 2. dicentis;

14 † fidem nostram scilicet Catholicam inniti reuelationi Apostolis & Prophetis factæ, quæ reuelatio est communis toti Ecclesiæ, includítque verbum Dei tam scriptum quàm non scriptum. Et suadetur primò ex Scripturæ Sacræ testimoniis, nimirum ex illo 1. *ad Corinth.* 3. *Fundamentum enim aliud nemo potest ponere præter id quod positum est, quod est Christus Iesus.* Et iterum. *Superædificati super fundamentum Apostolorum & Prophetarum, ad Ephes.* 2. *& ad Hebræos* 5. *non rursum iacientes fundamentum, &c. Ioan.* 15. *omnia quæcunque audiui à Patre meo nota feci vobis: ad Galath.* 1. *etiam si Angelus de cœlo Euangelizauerit præterquam quod Euangelizauimus vobis, anathema sit.* Et in parabola *Lucæ c.* 8. *Semen est verbum Dei.* In quibus denotatur rationem formalem credendi fide Catholica, inniti reuelationibus communibus factis Apostolis & Prophetis tanquam publicis ministris ac præconibus, neque aliud fundamentum esse de nouo statuendum præter doctrinam à Christo traditam & satam ad instar sementis, sed super hoc esse construendum & superædificandum, videlicet in diffiniendis dogmatibus fidei & Sanctis canonizandis.

15 Secundò probatur † ex vsu & praxi Ecclesiæ, quæ in huiusmodi decidendis, non ad habenda oracula confugit, nec nouas reuelationes expectat, sed confisa Christi Domini promissioni dicentis *Matthæi* 28. *Ecce ego vobiscum sum, &c.* & alibi de Spiritus Sancti aduentu. *Ille docebit vos omnem veritatem*, Sacras scripturas euoluit, traditiones inuestigat, Sanctorum Patrum sensum & priora Concilia consulit, vt fidei determinet controuersias; & ita factum esse in primo Concilio Apostolorum constat ex *Actorum cap.* 15. vbi ad decidendam quæstionem circa legalia, non recurrit Petrus Ecclesiæ caput ad specialem & immediatam reuelationem, sed præmissa est *magna conquisitio*, ideſt, *magna vtriusque partis quæstio inter indices agitata est*, ait Glossa, siue *multa disceptatione facta*, vt legit *ibidem* Chrysostomus; & *homilia* 33. subdit; *permittit primam inquisitionem & disputationem fieri*; qua præmissa sententiam tulit Petrus dicens: *Visum est Spiritui Sancto & nobis.* Eodem modo se gessisse Patres Concilij Niceni tradit Ruffinus dicens; *Euocabatur frequenter in Concilium Arrius, & quid decernendum esset, magna cum deliberatione quærebatur.* Posteaque Patres Conciliares non quasi rem nouam aduersus Arrianos, sed quam credebat Catholica Ecclesia pronuntiant per ea verba; *Sic credit Catholica Ecclesia.* Quam praxim vt semper in Ecclesia obseruatam probat Vincentius Lerinensis *cap.* 32. dicens. *Denique quid vnquam aliud Conciliorum decretis enixa est Ecclesia, nisi vt quod antea simpliciter credebatur, hoc idem postea diligentius crederetur? quod antea lentius prædicabatur, hoc idem postea instantius prædicaretur? quod antea securius colebatur, hoc idem postea solicitius excoleretur? Hoc inquam semper, nec quidquam præterea, videlicet non enthusiasmis seu nouis reuelationibus freta; hæreticorum nouitatibus excitata, Conciliorum decretis Catholica perfecit Ecclesia; nisi vt quod prius à maioribus sola traditione susceperat, hoc deinde posteris etiam per Scripturæ chirographum consignaret, magnam rerum summam paucis litteris comprehendendo, & plerumque propter intelligentiæ lucem, non nouum fidei sensum, noua appellationis proprietates signando.* Idem seruatum fuisse in Concilio Florentino sub Eugenio IV. constat ex Bulla continente decretum diffinitionis, quæ incipit, *Lætentur cœli & exultet terra, &c.* in actis eius Concilij promulgata anno Domini 1439. pridie Nonas Iulij ibi; *Conuenientes Latini & Græci in hac Sacrosancta Oecumenica Synodo magno studio inuicem vsi sunt, vt inter alia etiam articulus ille de Diuina Spiritus Sancti processione summa cum diligentia & assidua inquisitione discuteretur: prolatis verò testimoniis ex Diuinis scripturis plurimísque authoritatibus Sanctorum Doctorum Orientalium & Occidentalium, &c.* ideſt non ad nouas reuelationes, sed ad Scripturæ & Patrum vtriusque Ecclesiæ testimonia, articulus de processione Spiritus Sancti à Patre & Filio est diffinitus. Idipsum obseruauit Tridentina Synodus, vocans per saluum conductum protestantes, ad quæstiones & lites ab ipsis excitatas per Sacræ Scripturæ traditiones, & Patrum doctrinam ac priora Concilia anno 1562. in generali Congregatione tractandas.

Tertiò probatur exemplo † legis antiquæ, in qua licet negotia politica, videlicet ineundi bellum aut abstinendi ab illo, per oracula inquirerentur, nimirum quandoque per visiones & somnia, quandoque per Diuinam inspirationem, quam Græci Enthusiasmum vocant, quandoque per Sacerdotes & Prophetas, provt refertur 1. *Regum* 28. *Consuluit Saul Dominum, & non respondit illi, neque per somnium, neque per Sacerdotes, neque per Prophetas*: & quandoque per Ephod Summi Sacerdotis, in quo erat rationale continens hæc duo Hæbraica nomina *Vrim*, & *Thumim*, id est *doctrina & veritas*, in duobus lapidibus Adamantinis exarata, qui vario colore tincti, felicem, vel infelicem negotij conquisiti exitum portendebant: 16

bant: idque illi legis vtpote vmbraticæ ſtatui congruebat. Cæterum in negotiis, quæ ad fidem vel religionem, ac cæremonias & cultum Dei ſpectabant, non ad oracula hæc, ſed ad os Summi Pontificis ex præſcripta lege, *Deuteronom.* 17. conſulendum accurrebant. Dicitur namque, *ibi: Si difficile & ambiguum apud te iudicium eſſe proſpexeris, &c. venies ad Sacerdotes Leuitici generis, & iudicem qui fuerit illo tempore; quæréſque ab eis, qui indicabunt tibi iudicij veritatem.* Et *Aggæi* 2. *Interroga Sacerdotes, legem;* & *Malachiæ* 1. *Labia Sacerdotis cuſtodient ſcientiam, & legem exquirent de ore eius.* Igitur à fortiori de huiuſmodi negotiis ad fidem ac religionem pertinentibus in lege gratiæ, in qua iam habemus propalatam viam Sanctorum, & velum templi Iudaici ſciſſũ, ac vmbras relegatas, iudicium ex Scripturæ, Patrum & Conciliorum teſtimoniis inueſtigandum eſt.

Deinde ſecunda pars aſſertionis noſtræ pro-
17 batur, quoniam quando † reuelationes ac viſiones coniunctæ ſunt cum miraculorum dono & vitæ ſanctitate, maximè quæ in heroicis ſplendet virtutibus, valde ad probationem ſanctitatis conducunt, vt patet ex vitis Sanctorum, & relationibus ac proceſſibus canonizandorũ. Quod ſic oſtendo ex D. Thom. 2. 2. *q.* 172. *art.* 4. *ad* 1. *&* *q.* 178. *art.* 2. in quorum primo ait, quod donum Prophetiæ aliquando datur hominibus & propter aliorum vtilitatem, & propter propriæ mentis illuſtrationem: & hi ſunt, in quorum animas Diuina ſapientia ſe transfert per gratiam gratum facientem, amicos Dei, & Prophetas eos conſtituit, vt dicitur *Sapientiæ* 7. Quidam verò donum prophetiæ conſequuntur ſolùm ad vtilitatem aliorum, veluti inſtrumenta Diuinæ operationis ſe habentes. Vnde Hieronymus *Matthæi* 7. explicans illud Chriſti Domini oraculũ ad eos, qui dicturi erant in die Iudicij, *Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo dæmonia eiecimus, & in nomine tuo virtutes fecimus: & tunc confitebor illis, quia nunquam noui vos, diſcedite à me, qui operamini iniquitatem*: inquit,
18 quod † prophetare, vel virtutes facere & dæmonia eiicere, interdum non eſt eſt eius meriti, qui operatur, ſed vel inuocatio nominis Chriſti hoc facit, vel ob condemnationem eorum qui inuocant, vel vtilitatem eorum, qui vident & audiunt, conceditur. In ſecundo autem ſub-
19 dit in hæc verba. *Miraculorum † quædam ſunt phantaſtica & non vera, quibus ſcilicet ludificatur homo, vt videatur ei aliquid quod non eſt. Quædam verò ſunt vera facta, ſed non habent rationem miraculi, quæ fiunt virtute aliquarum cauſarum naturalium; Et hæc duo poſſunt fieri per dæmones,*
20 *vt articulo præcedenti dictum eſt. Sed † vera miracula non poſſunt fieri niſi virtute Diuina: operatur enim ea Deus ad hominum vtilitatem. Et hoc dupliciter: vno quidem modo ad veritatis prædicatæ confirmationem; Alio modo ad demonſtrationem ſanctitatis alicuius, quam Deus hominibus vult proponere in exemplum virtutis. Primo autem modo miracula poſſunt fieri per quemcumque qui veram fidem prædicat, & nomen Chriſti inuocat: Quod etiam interdum per malos fit, & ſecundum hunc modum etiam mali poſſunt miracula facere. Vnde ſuper illud Mathæi 7. nonne in nomine tuo prophetauimus, &c. dicit Hieronymus; prophetare, vel virtutes facere & dæmonia eiicere, interdum non eſt eius meriti qui operatur, ſed inuocatio nominis Chriſti hoc agit, vt homines Deum honorent, ad cuius inuocationem fiunt tanta miracula. Secundo autem modo non fiunt miracula niſi à Sanctis, ad quorum ſanctitatem denunciandam miracula fiunt, vel in vita eorum, vel poſt mortem, ſiue per eos, ſiue per alios. Legitur enim Actorum 19. quod Deus faciebat virtutes per manus Pauli: & etiam deſuper languidos deferebantur à corpore eius ſudaria, & recedebant ab eis languores. Et ſic etiam nihil prohiberet per aliquem peccatorem miraculã fieri ad inuocationem alicuius Sancti, quæ tamen miracula non dicitur facere ille, ſed alter ad cuius ſanctitatem denunciandam hæc fierent.* Hæc Angelicus Doctor, in quibus planè quatuor adſtruit notatu digna. Primum eſt, hæc † 21
dona prophetiæ ſcilicet & patrationis miraculorum, cum ſint gratiæ gratis datæ, quæ dantur à Deo non ad perfectionem habentis, neque ad vniendum eius animum Deo, ad quod ordinantur gratia iuſtificans & charitas, ſed ad aliorum vtilitatem, dicente Paulo 1. *ad Corinth.* 12. *vnicuique datur manifeſtatio Spiritus ad vtilitatem*, poſſe inueniri in peccatore, abſque radicali morum bonitate, quæ in gratia gratum faciente conſiſtit; etſi verum ſit donum prophetiæ, ad quod priuatas viſiones ac reuelationes diximus 1. *p. q.* 1. pertinere, quando non à proprio Spiritu fingũtur, aut à dæmone fiunt transfigurante ſe in Angelum lucis, ſed à vero luminum Patre ſuggeruntur, impediri per morum malitiam, ac proinde exigere in ſubiecto illam morum bonitatem, quæ in ordinatione paſſionum & actuum exteriorum conſiſtit: eò quòd ad Prophetiam requiritur maxima mentis eleuatio ad ſpiritualium contemplationem, quæ quidem impeditur per vehementiam paſſionum, & per inordinatam occupationem rerum exteriorum. Vnde & de filiis Phophetarum legitur 4. *Regum* 4. quod ſimul habitabant cum Eliſæo, quaſi ſolitariam vitam ducentes, ne mundanis occupationibus à dono prophetiæ impedirentur.

Secundum eſt † prophetiæ donum atque pri- 22
uatas reuelationes nihilominus quando à Deo dantur, non ſolùm ad aliorum vtilitatem, ſed etiam ac potiſſimè ad propriæ mentis ipſius recipientis illuſtrationem, arguere, ac ſupponere in illo ſanctitatem per gratiam gratum facientem; tunc enim manifeſtum ſignum eſt animam recipientis eſſe de numero illarum, in quas Diuina ſapientia ſe transfert, amicos Dei & Prophetas conſtituens.

Tertium eſt, † virtutem patrandi miracula, 23
quando confertur à Deo in ordine ad fidei prædicatæ cõteſtationem ſiue confirmationem, poſſe etiam in malis reperiri, dummodo veram fidem prædicent, & nomen inuocent Chriſti, quia etſi tunc ſe habent vt inſtrumenta Diuinæ omnipotentiæ, quæ per virtutem his communicatam talia miracula operari vult; Deus quidem vt cauſa principalis: ipſi verò homines huiuſmodi gratiâ gratis datâ pollentes concurrunt, vt cauſa inſtrumentalis phyſica imperando, vt tactum aliquem circa infirmum aut mortuum, aut energumenum exercendo, ſicut Apoſtoli initio naſcentis Eccleſiæ faciebant. Vnde iſtum modum patrandi miracula inſttumentaliter phyſicè mediâ gratiâ gratis data, quæ dicitur virtus miraculorum, ſiue gratia ſanitatum,

viuentes

viuentes dumtaxat exercere possunt : nam huiusmodi gratiæ ad statum viæ spectant,& pro communi fidelium vtilitate conceduntur.

24 Quartum est, quod alter † modus operandi miracula, scilicet morali concursu, hoc est, per inuocationem Sancti inuocati, & ad eius nominis inuocationem siue adhuc viuentis, siue (quod frequentius est) iam vita functi, supponit & arguit in illo ad cuius inuocationem miracula fiunt, veram sanctitatem cum heroicis virtutibus,quoniam huiusmodi miracula operatur Deus ex merito impetrantis, & ad sanctitatis ipsius denuntiationem ac manifestationem. Et sicut Deo vtpote summè veraci non congruit miraculum facere, in confirmationem alicuius falsitatis prædicatæ à Pseudo Apostolo,vel aliquo Pseudopropheta: ita neque congrueret miraculum facere in confirmationem alicuius sanctitatis fictæ, quia vtrouis modo attestaretur falsum per miraculum à se patratum, quod non minus ei repugnaret, quàm per ministrum. Dixi ex merito impetrantis, non quidem cuiuscumque, sed illius cuius nomen & merita inuocantur. Nam si peccator ad Sepulchrum Sancti vita functi, aut ad præsentiam Sancti viuentis accedens,sanitatis beneficium miraculosè obtineat: miraculum siue beneficium hoc non ipsi peccatori roganti, sed Sancto inuocato vt causæ morali, hoc est impetratoriæ ac meritoriæ tribuendum est, vt bene notat Doctor Angelicus *ad calcem dicti articuli 2. quæstionis* 178. Nam etsi Deus quandoque peccatores exaudiat,contra falsam cæci nondum illuminati sententiam, vt eis beneficia postulata concedat : Sed beneficiorum mirabilium res naturæ excedentium, non facit eos cooperatores ; proptereáque nec talium miraculorum dicuntur patratores. Igitur præcipuè ex virtutibus heroicis,concomitanter verò & secundariò ex priuatis visionibus & miraculis, ad nominis inuocationem patratis,sumitur efficax testimonium sanctitatis illius, qui albo canonizandorum est adscribendus ; vt hîc verum habeat tritum axioma : *Singula quæ non prosunt, simul collecta iuuant.* Sed fideliter vtinam perpendendæ sunt Diuinarum visionum regulæ, & miraculorum conditiones, ne falsitas pro veritate se ingerat in tanti ponderis negotio.

Ad primum autem respondetur, negando minorem pro secunda parte. Nam etsi ex heroicis virtutibus solis sufficiens accipiatur testimonium ad effectum canonizationis,secus ex solis miraculis. Ad secundum nego antecedens, ad cuius probationem sumptam ab exemplis, dicendum est per singula. Et quidem ad Sancti Pauli Eremitæ canonizationem, Apostolica sedes non ex solius visionis testimonio ab Antonio prolato,& per Sanctissimum Hieronymum scripta, sed simul ex eius vitæ ac sanctitatis fama per totum orbem terrarum diffusa, mota atque afflata ab Spiritu Sancto supplente vicem plurimorum ocularium testium,processit. Neque ad canonizationem Sanctæ Virginis Brigittæ & Catherinæ Senensis Bonifacius IX.& Pius II. ex solis harum Virginum visionibus, sed præcipuè ex earum virtutibus ac mirandis operibus per illarum intercessionem à Deo patratis processerunt. Quod verò attinet ad tertium exemplum, fateor Gregorium XI. suasionibus harum sanctarum Virginum se Romam contulisse,eóque Sedem Apostolicam transtulisse: neque ad id peculiaribus reuelationibus opus erat, etsi Sanctæ Virgines eas à Diuino Spiritu acceperint,quoniam res erat comperta vtroque iure, Diuino scilicet & Ecclesiastico, antiquo à tempore Sancti Petri Apostolorum Principis institituto, qui morte sua Apostolicam Sedem Romæ addixit, Diuino astante Spiritu,& Christo Domino eidem Petro è Roma fugienti & interroganti, *Quo vadis Domine* ; Respondente, *vado Romam iterum crucifigi*: vt ex tunc intelligerent Summi Pontifices Petri successores,se esse Episcopos Vrbis & Orbis, ac per consequens ad residendum Romæ vtroque iure teneri,tanquam in propria Diœcesi. Igitur harum Sanctarum Virginum reuelationibus consensit Gregorius XI. non quasi nouis & priuatis, sed quia de lege communi Ecclesiastica, ac de communi reuelatione facta Petro & toti Ecclesiæ, eum monebant.

De quarto & quinto exemplo dicendum est: admissa vtraque historia ea fide quæ Ecclesiasticis historiis debetur, scilicet humana,priuatæ visionis testimonium datum eis personis,quibus visio diuina facta est ; sufficere quidem ad Episcopi electionem & consecrationem, nec non ad corporum Sanctorum latentium inquisitionem & inuentionem: quia huiusmodi priuatæ visiones ac reuelationes quando sunt à Deo,certum reddunt recipientem de hoc,quod sint à Deo,immediatè,aut mediante aliquo Angelo electo Dei ministro factæ, propter euidentiam in attestante, quam generant ; & aliàs vt *infra* dicemus ex Angelico Doctore, ad humanarum actionum directionem ordinantur, licet non ad condendam nouam fidei doctrinam. Id ipsum confirmant tria alia sequentia exempla, & nil amplius. Vnde illis admissis neganda est consequentia, eò quòd canonizationis, ac dogmatum fidei decreta maiori testimonio innituntur, quàm ei,quod ex priuatis reuelationibus accipitur: quippe quæ toti Ecclesiæ vt credenda fide orthodoxa, & veneranda proponantur.

Ad vltimum verò, quod maius negotium 25
facessit, dicendum est, quod † Pius Papa huius nominis Primus,ad illud decretum condendum de celebrando Paschate resurrectionis in die Dominico, ex quo quartadecimani proscripti fuere : non ex sola reuelatione Hermeti pastori facta motus, vt ex primario & antecedente motiuo,nisi tantùm vt ex secundario & consequente processit. Primarium namque & antecedens motiuum illius fuit vetus Ecclesiæ traditio, vt testatur Clemens *in constitut. Apostolicis lib. 5. c.* 8. ex Eusebio *lib.* 1. *historiæ c.* 22. dicens, eam esse Apostolicam traditionem,celebrandi videlicet Pascha in die dominico,à cæteris Ecclesiis per vniuersum orbem obseruata, ex qua & Nicena Synodus eandem quæstionem determinauerat. Non est autem inconueniens, Ecclesiam vti testimonio visionum atque miraculorum in Sanctorum canonizationibus,aut aliis diffinitionibus tanquam motiuo secundario & consequenti: sic namque in Chalcedonensi Concilio contigit, teste Baronio diligentissimo Annalium conditore ad annum 451. quòd dogmata prius firmata sunt ex veteri more, ac postea accedente miraculo Sanctæ Euphemiæ,librum Ca-

tholicorum euidenti ſigno miraculoſo comprobantis, maiorem firmitatem acceperunt, & alterationes hæreticorum extinctæ fuerunt, non tamen dogmata primariò ob id diffinita aut credita fuerunt. Nec enim hiis mediis vnquam Eccleſia vſa eſt ad diffiniendum, quæ *in Concilio 5. Carthaginenſi cap. 5.* ſic poteſtatur. *Ne memoriæ Martyrum per ſomnia, & reuelationes fiant, ſed vbi ſunt certæ reliquiæ illorum, vel traditione de loco paſſionis ratio habeatur.* His adde Pium, vſum quoque fuiſſe authoritate Paſtoris, quem diuinitus inſpiratum multi Patres exiſtimauerant, de quorum numero ſunt Origines *homilia 13. in Ezechielem*, Athanaſius *de incarnatione verbi*, & Clemens Alexandrinus *lib. 1. & 2. Stromatum.* Hieronymus etiam *in cathalogo* librum illum apud quaſdam Græciæ Eccleſias legi ſolitum teſtatur. Vnde meritò Pius Papa aduerſus Aſiaticos teſtimonium accepit ex eo libro, quem aliquæ Eccleſiæ vt Diuinum recipiebant; & cuius reuelationes iam veluti communes habebantur.

Hinc manet ſolutum fundamentum Sectariorum in primo placito recenſitorum, quo nitebantur probare, nec dogmata noua fidei diffinienda, nec Sanctos de nouo canonizandos ex miraculis aut priuatis reuelationibus. Fatemur namque id non eſſe faciendum, vt ex primario motiuo & antecedente, bene tamen vt ex
26 ſecundario & conſequente. Ad illam verò † calumniam quam Haſia, Mornæus, Sibilanus & Spalatenſis, reuelationibus Sanctarum Virginum Brigittæ & Catherinæ imponunt, teſtimonio Ioannis Gerſonis illam munientes, retundendam; aduerto hos parum pios fuiſſe authores, & ex liuore contra dictas Virgines loquutos. Ipſe namque Spalatenſis *in loco citato* Gerſonem referens, & ſui liuoris virus effundens, ait: *Habendus ſermo latior præſertim in materia canonizationis ſumptæ per Confeſſores, & hac ratione narrat* (ſcilicet Gerſon) *Gregorium XI. cum eſſet moribundus proteſtatum fuiſſe omnibus, vt cauerent ab hominibus, ſiue mulieribus ſub ſpecie religionis loquentibus viſiones ſui Capitis: quia per tales ſeductus ſum* (inquit Gregorius:) *dimiſſo ſuorum rationabili conſilio, ſe traxerat & Eccleſiam ad diſcrimen ſchiſmatis. De Catherina Senenſi proculdubio loquebatur Gregorius; & id notum erat Gerſonio, ſed eam noluit nominare: eſt enim in hiſtoriis notorium, femellam illam contra regulam humilitatis, quæ Sanctos decet, & contra præcepta Apoſtoli ſe ſub illuſionibus viſionum & reuelationum Magiſtram in Eccleſia conſtituiſſe, & Epiſtolis propemodum dogmaticis ſcribendis totam dediſſe. Quibus & Apoſtolatu ſuo prophetico miſerum Gregorium decepit, eúmque vt Romanam reſidentiam importunè reſumeret, ſub pratextu Sanctitatis compulit. Ex quo ſequutum eſt ſchiſma horrendum in Eccleſia, fructus ingens feminalis ſanctitatis: & nihilominus canonizata eſt. Quis talium Canonizationes approbet?* Verùm, quod
8 de iſto regreſſu à Gerſone fingitur, conqueſtum fuiſſe Gregorium tanquam deceptum per Brigittam & Catharinam, tacitè ſubintellectas, (nullus enim Gallorum ſcriptorum talem hiſtoriam recenſet,) non eſt mirum, quia nationi ſuæ non parum affectus, nimis doluit Sedem Apoſtolicam tranſlatam ad ſuum proprium centrum. Sed neque in tranſlatione Sedis verè fuit deceptus, ad quam præcepto vtriuſque iuris tenebatur. Neque † propter iſtud bonum opus 27
lapidatus fuit ipſe Gregorius, duro ſchiſmate conſequuto per 41. annos, quod & ipſa virgo Catharina prædixit, vt refert. D. Antoninus *3. p. hiſtoriæ tit. 23. cap. 14. §. 9.* & felicem eiuſdem Gregorij è Gallia egreſſum & progreſſum vſque Romam, provt res vaticinio ſucceſſit: Sed quia volente Vrbano VI. curiam reformare, quidam Schiſmatici freti fauore Ioannæ Reginæ Neapolitanæ, elegerunt Cardinalem Robertum Geneuenſem in Papam ſub nomine Clementis VII. qui in Galliam contendit. Hæc inquam fuit cauſa ſchiſmatis, & non Gregorij è Gallia receſſus. Ac tandem quod Spalatenſis murmuret, illuſam Catharinam in docendo & ſcribendo Magiſterium affectaſſe; potius ipſe illuſus eſt, neſciens Sanctam Virginem Spiritu Dei, & iubente Romano Pontifice id munus obiiſſe; quod ſimiliter accidit Sanctæ Hildegardi, ſuadente Diuo Bernardo, & mandante Eugenio III.

§. II.

Quæ conditiones Diuinas à falſis reuelationibus diſtinguant?

SVMMARIVM.

28 *Quatuor ſunt Cardinales conditiones & notæ dignoſcendi Diuinas reuelationes aſſignatæ à Theologis.*

29 *Ex quibus tamen plures aliæ deducuntur, poſſintque numero denario comprehendi.*

30 *In perſona patiente & extaſin, aut ſimul recipiente reuelationes, attendendus eſt ſexus.*

31 *Fœminei ſexus viſio eſt ſuſpecta propter tria.*

32 *In perſona recipiente reuelationem ſeu viſionem debet attendi, ſi in reſponſis ſit varia, & ſibi inconſtans, mendax aut confuſa.*

33 *In huiuſmodi perſona debet attendi finis reuelationis.*

34 *Nota reuelationis ſumitur etiam ex ipſarum reuelationum circunſtantiis.*

35 *Effectus reuelationis qualis eſſe debeat.*

36 *Obiectum quale.*

37 *Res reuelata quando continet aliquam falſitatem, certum eſt reuelationem non eſſe à Deo.*

38 *Obiectum diuinitus reuelatum debet eſſe conforme regulis fidei.*

39 *Res reuelata quando continet quicquam contrarium legi Diuinæ, naturali aut Eccleſiaſticæ, non eſt cenſenda Diuina.*

40 *Perſonæ, cui fit reuelatio, alleganti obliuionem ignorantiámue rei reuelatæ, non eſt credendum.*

41 *Spiritus Sanctus eſt author vnionis & concordiæ.*

42 *Caiphas Prophetico inſtinctu motus, prophetauit Ieſum eſſe pro gente moriturum.*

43 *Refertur regula & nota Diuinæ reuelationis diſtinctiua à falſa & Diabolica.*

44 *Diabolus etiamſi ſit Pater mendacij, quandoque tamen Deo iubente, aliquas profert veritates.*

45 *Priuatæ reuelationes poſſunt ad tria hominum genera comparari.*

46 Per

46 *Persona cui fit talis reuelatio, non potest nec tenetur tali reuelationi credere ex fide Catholica.*

47 *Cui tamen doctrinæ Cardinalis Lugo cum aliis non infimæ notæ Theologis reluctatur.*

48 *Refutatur discursus Cardinalis Lugo, qui in multis deficit.*

49 *Ignorantiæ Samuelis vocem Dei, qui ipsum vocauit, non agnoscentis, duplex est causa.*

50 *Cardinalis Lugo diminutè loquitur de persona ad quam dirigitur priuata reuelatio, quia non explicat quæ sint ista sufficientia motiua, &c.*

51 *Dicentibus se esse missos à Deo ad aliquod ministerium contra regulas siue consuetudines communes Ecclesiæ, non est credendum, nisi aut miraculo, aut testimonio Sacræ scripturæ missionem suam comprobent.*

52 *In Ecclesia nunquam defecturæ sunt aliquæ priuatæ reuelationes ad morum aliquorum fidelium instructionem.*

53 *Prædictionibus antiquorum Prophetarum non credentes, ilicò absque alio motiuo interueniente, incredulitatis pœnas luebant.*

54 *Spiritus Sanctus non semper irradiat mentes Prophetarum.*

55 *Triplex status priuatarum reuelationum ad finem vsque paragraphi refertur.*

28 LICET † quatuor sint potissimè ac veluti Cardinales conditiones, & regulæ siue notæ dignoscendi Diuinas reuelationes à Theologis assignatæ, vt eis fidem humanam prudentémq; assensum adhibere possimus, aut etiam debeamus; nimirum, Prima est quod sit reuelatio seu visio regulis fidei conformis. Secunda quod sit de re vtili, pia ac bona, aut in alicuius vtilitatem ordinata. Tertia, quod persona, cui fit, sit probatæ virtutis. Quarta quod sit approbata à Summo Pontifice, præmisso virorum doctorum consilio. Nihilominus, † plures aliæ assignari solent, quæ ex his deducuntur aut in has reducuntur; possúntque numero denario comprehendi: vt colligere licet ex vtroque Thoma 22. q. 174. art. 7. Bonauentura *lib. 7. de perfectione relig. c.* 19. Vincentio Ferrerio *tractatu de vita spirituali. c.* 11. & 12. ex Ioanne Gersonio, *tractatu de probatione spirituum*, Delrio *lib.* 4. *Magiæ q.* 3. *sec.* 2. & *sequentibus*, Torre *tom.* 2. *de religione q.* 95. *art.* 3. *disp.* 2. Horozco *lib.* 1. *de vera & falsa prophetia.* Grauina *in secunda parte sui Zabanithæ*, per duos integros libros, & Ioanne de Escobar *in sua arte discernendi veros à falsis spiritibus per sex articulos*; Turrecremata *in proœmio defensionis reuelationum D. Brigittæ*, Simancas *de Catholic. institution. tit.* 21. Maiolo *colloquio* 2. *de vaticiniis.* Hériquo Firmiana *lib. de quatuor institut.* Ægidio Carlerio 1. *parte sportæ fragmentorum.* Hieronymo de Ferraria *in compendio reuelationum*, Ioanne Francisco Pico *lib. vlt.. de prænotionibus*, Ribadeneira *lib. de tribulatione c.* 15. Suario *tom.* 2. *de religione lib.* 2. *à cap.* 9. *vsque ad* 20. cum aliis, quos plena manu congessit Larrea 2. *p. nouarum decisionum decis. vlt.* quæ est *de reuelationibus.* Ex quibus authoribus colligitur, quàm ingens sit difficultas, in discernendis veras, à falsis reuelationibus.

29

Prima desumitur † ex parte personæ patientis extasim, aut raptum, aut simul recipientis reuelationem, in qua valde attendendus est sexus cum virtute. Nam si fœminei sexus sit, quantũuis virtutibus honestetur, fit suspecta visio propter† tria: videlicet propter humorem viscosum capitis abundatiorem in fœminis, quo magis aptæ redduntur phantasmata recipere, & semel recepta retinere; tum etiam propter vitiu vanitatis cui maximè sunt subiectæ; tum deniq; propter vehementiam affectuum & passionum acrius in fœminis, quàm in viris regnantium, adeò vt iuxta sapientis prouerbium, *quod non sit ira supra iram mulieris.* Ex quo fit vt frequenter eis videatur diuinitus reuelatum id, ad quod affectu & passione feruntur. Nec non si fuerit hæresi aut alia specie infidelitatis infecta, aut arreptiua: tunc enim redditur valde suspecta eius reuelatio de falsitate; & quod non Diuina, sed dæmoniaca sit, vt sectione sequenti dicemus. 30 31

Secunda ex eodem capite desumitur, videlicet si † persona recipiens reuelationem siue visionem (pro eodem namque in præsentiarum accipiuntur visio & reuelatio, cum hoc solo discrimine quod reuelatio supponit visionem, & addit supra illam, eius quod videtur intelligentiam, iuxta illud Danielis 10. *intelligentia enim opus est in visione.*) in suis responsis varia sit, & sibi inconstans, siue mendax aut etiam confusa. Tunc enim ex huiusmodi signis certò colligitur, talem reuelationem nõ esse Diuinam, eò quòd Deus neque mendacij, neque diuisionis est author, neque suis reuelationibus confusionem aut obscuritatem generat in mente Prophetæ, quin potius eam illuminat ac certam reddit, de veritate reuelata, eiusque tribuit euidentiam in attestante, scilicet de hoc, quod ipse Deus sit qui loquitur. Vnde Regius vates de suis à Deo susceptis reuelationibus inquit 2. *Regum* 23. *Mihi loquutus est fortis Israël, &c. Sicut lux auroræ oriente sole, mane absque nubibus rutilat*; maximè quando intellectuales sunt reuelationes cum abstractione ab omnibus sensibus corporeis tam externis, quàm internis, secum adducunt claritatem & manifestationem, vt docet D. Thomas 22. *q.* 173. *artic.* 2. & *q.* 174. *artic.* 2. 32

Tertia nota sumitur † ex parte finis ipsius reuelationis: nam si Diuina est, semper ad aliquem finem bonum ordinatur, puta ad instructionem recipientis; aut ad morum directionem, vel pro aliqua pia vtilitate aut necessitate. Nam si ordinetur ad vanam gloriam, vel ad humanam æstimationem capessendam, vel ad fauorem Principum conciliandum, & eorum gratiam habendam; vel ad temporales quæstus faciendos, certum est non esse à Deo, sed à proprio Spiritu prophetantis, vel à Diabolico se in Angelum lucis transfigurante. 33

Quarta sumitur ex † circunstãtia ipsarũ reuelationum, vt si multæ, frequentes, & sæpius repetitæ sint, nam indicium hoc est haud leue, illas non esse à bono sed à malo spiritu, qui loquax est & importunè se ingerit ad decipiendum; hic enim verum habet, quod *non in multitudine Dominus.* Deus namque in lege Euangelica suas reuelationes non multiplicat supra modum, vtpote cuius locutio efficax est, atque adeò non indiget nimia repetitione iuxta illud 34

Psalmo

Pſalmographi; *Semel loquutus eſt Deus*: econtra dæmon nimius & importunus eſt in repetendis ac multiplicandis ſuis apparitionibus & viſionibus.

35 Quinta ſumitur † ab effectu reuelationis; nam ſi ex illa ſequatur infamia proximi, nequit eſſe à Deo, qui neminẽ infamat. Quomodo enim infamiam ſua reuelatione incurret, qui legem poſuit hominibus habendi curam de bono nomine; & corrigendi fratres de delictis occultis ſecreta monitione, antequam ad iudicem ſiue Prælatum deferantur? Quare ſi ex tali reuelatione aut apparitione ſequatur infamia proximi aut ſuperſtitis, aut iam vita functi, indicium eſt manifeſtum illam potius diabolicam, quàm Diuinam eſſe. Vnde quoniam Dæmonis vtpote legibus & conſiliis Diuinis aduerſantis, proprium eſt, ſuis viſionibus & apparitionibus homines infamare, maximè defunctis, dicendo aut illos eſſe damnatos, aut in purgatorio detineri, & tanto Miſſarum aut ſuffragiorum numero indigere, cui propterea viſioni audiens non debet fidem adhibere, neque illa determinata ſuffragia exhibere, ob vitandam Dæmonis deceptionem; poterit tamen illa, in aliud genus ſuffragiorum æquiualens commutare, ne fortè deficiat tali defuncto leuamen neceſſarium, quo à pœnis Purgatorij ſoluatur.

36 Sexta ſumitur ex ipſo † obiecto reuelationis, quod debet eſſe vtile, pium aut neceſſarium, & quod humana induſtria non ſit aſſequibile. Alioquin ſi res reuelata ſit vana, curioſa, inutilis, aut humana induſtria aſſequibilis: ſignum eſt euidens, talem reuelationem non eſſe à Deo, vtpote de quo ſcriptum eſt *Eſaiæ* 48. *Ego Deus docens te vtilia.* Neque Deus res humana induſtria aſſequibiles reuelat, niſi tantùm myſteria, & arcana ſupra humanam facultatem, & naturalem cognitionem, iuxta illud *Danielis* 2. *Eſt Deus in cælo reuelans myſteria.*

Septima colligitur ex eodem capite, nimi-
37 rum, quando † res reuelata continet aliquam falſitatem, vt ſi affirmet eſſe, quod ita non eſt, aut ſi prædicat, prædicatione abſoluta, & non conditionata aliquid fore, cùius contrarium accidit, tunc certum eſt reuelationem non eſſe à Deo: quippe qui nec per ſe, nec per ſuos Prophetas poteſt proferre falſum, ſed neque ſuis promiſſis deficere; quia ſicut eſt verax in dicendo, ita & fidelis in promittendo, qui ſeipſum negare non poteſt.

Octaua ſumitur ex eadem radice, videlicet,
38 quod † obiectum diuinitus reuelatum, debet eſſe conforme regulis fidei, & non eis contrarium, aut præter illas. Vnde ſi res reuelata ſit cadens ſub opinione, & nondum ab Eccleſia diffinita, ſed in ſcholis controuerſa, talis reuelatio non eſt habenda pro Diuina, ſed à proprio Spiritu loquentis, aut diabolico procedens, aut ſomniata, qui illam affectat tanquam de fide certam prædicare, quod eſt velle addere nouam veritatem dogmatibus fidei: vt ſi quis affectando Spiritum propheticum, annunciet ſibi reuelatum eſſe à Deo auxilium efficax prædeterminare phyſicè hominis voluntatem ad bonum, quod tenet opinio Thomiſtarum in materia de auxiliis Diuinæ gratiæ; aut beatam Virginem fuiſſe ab originali culpa præſeruatam, quod tenet pia Scotiſtarum ſchola; neutri eſt adhibenda fides, maximè ſi à factioſis proferatur, quia vnuſquiſque in cauſa propria eſt teſtis ſuſpectus. Vnde immeritò & contra hanc octauam regulam Delrius *vbi ſupra ſectione* 4. *&* 5. in fine inquit, potius adhibendam eſſe fidem reuelationi Sanctæ Brigittæ, qua protulit ex Diuino Spiritu Beatam Virginem fuiſſe à culpa originali præſeruatam, quàm alteri Sanctæ Catharinæ Senenſis, quam refert D. Antoninus habuiſſe de contraria opinione, videlicet quod Dei mater fuerit in originali peccato concepta. Imo hanc non fuiſſe Catherinæ reuelationem, ſed eius Epiſtolæ 16. ſuperadditam ab eiuſdem opinionis factioſis, cùm tamen neutra iuxta hanc regulam habenda ſit pro diuina. Imo hoc myſterium crediderim fore reconditum, Deo ſic ordinante, mortalibus, donec veniat dies illa, in qua Dominus manifeſtabit conſilia cordium, & illuminabit abſcondita tenebrarum. Et quamuis adhuc in Eccleſia durent propheticæ reuelationes, ſed non ad nouam fidei doctrinam condendam, niſi tantùm ad humanarum actionum directionem; vt eleganter docet Doctor Angelicus 22. *q.* 174. *art.* 6. *ad* 3. dicens; quod licet Chriſtus Dominus dixerit *Mathæi* 11. Legem & Prophetas vſq; ad Ioannem, qui præſentem Chriſtum digito demonſtrauit; hoc non dixit vt poſt Ioannem excluderet alios Prophetas, niſi eos dumtaxat qui Chriſti aduentum prænunciarunt. Alioquin legimus *in actis Apoſtolorum*, Agabum prophetaſſe, & quatuor Virgines filias Philippi. Ioannes etiam librum propheticum conſcripſit *de fine Eccleſiæ*: & ſingulis temporibus non defuerunt aliqui, prophetiæ Spiritum habentes, non quidem ad nouam doctrinam fidei depromendam, ſed ad humanorum actuum directionem: ſicut Auguſtinus refert *lib.* 5. *de ciuitat. Dei. c.* 16. quod Theodoſius Auguſtus ad Ioannem in eremo Ægypti conſtitutum, quem prophetandi Spiritu præditũ fama crebeſcente didicerat, miſit: & ab eo nuntiũ victoriæ certiſſimũ accepit.

Nona eſt ex eodem capite deſumpta, videli-
cet, quod † res reuelata nil contineat contra- 39
rium alicui Diuinæ legi, naturali, aut Eccleſiaſticæ; neque diſpenſationem in aliqua harum legum. Nam ſi contineat aliquid huiuſmodi, non eſt cenſenda Diuina: vt ſi teſtaretur aliquis Sacerdos, ſiue Religioſus, ſibi diuinitus fuiſſe reuelatum, vt vxorem duceret, aut in loco non ſacro, aut ſine veſtibus ſacris celebrare, aut carnẽ in quadrageſima comedere poſſet, indicium eſt manifeſtum hanc reuelationem non eſſe à Diuino, ſed ab humano, vel diabolico Spiritu procedentem: niſi aut teſtimonio ſacræ paginæ comprobaretur, quo pacto Ioannes Baptiſta ſe eſſe Chriſti præcurſorem comprobauit ex illo *Eſaiæ c.* 40. teſtimonio. *Vox clamantis in deſerto, parate viam domini*: aut aliquo patenti miraculo à Sede Apoſtolica examinando, priuſquam dicta diſpenſatio ad praxim reducatur, ſicut Moyſi dedit Deus ſignum miſſionis Diuinæ in virga vertenda in colubrum, vt dicitur *in cap. cum ex iniuncto, de hæreticis*: eò quòd iſte modus priuilegij ac diſpenſationis in legibus communibus Eccleſiæ, aut Diuinis, non eſt cõſuetus, & caret neceſſitate ac pia vtilitate, & contra ordinariam legem, qua Deus ſuam gubernat Eccleſiam, medio vno ac ſupremo capite Chriſti Vicario, cui commiſſam reliquit diſpenſandi facultatem ex rationabili cauſa in legibus diſpenſabilibus. Et quamuis de ſua potentia abſo-

luta

luta vt Princeps ſupremus & Dominus ſuarum legum, poſſit ſe ſolo & immediatè illas diſpenſare & relaxare: verumtamen nunquam vtitur hac ſuprema poteſtate diſpenſatiua. Vnde tales reuelationes neque credendæ, neque exequendæ ſunt ante præmiſſam dictam per miraculũ, aut ſacræ paginæ teſtimonium comprobationẽ à Sede Apoſtolica factam, earúmq; vſus & praxis contra communes leges, meritò eſt prohibitus ab Innocentio III. in dicto *c. cum ex iniuncto, extrau. de hæreticis*; maximè in actibus publicis niſi miſſio Diuina miraculo, aut ſcripturæ teſtimonio comprobetur.

Decima & vltima ſumitur ex circunſtantiis, nimirum quando † perſona cui fit reuelatio, allegat obliuionem, ignorantiamve rei reuelatæ quoad totum, vel ſaltem quoad aliquã eius notabilem partem, aut obſcurè & confuſè eã profert, nam tunc non eſt habenda pro Diuina. Tũ quia obliuio in materia adeò graui, non præſumitur in iure *ex c. cum illorum, de ſententia excõmunicationis*. Tum etiam, quia viſiones & reuelationes Diuinæ maximè purè intellectuales, sũt valdè claræ ac manifeſtæ, vt docet D. Th. 2. 2. *q.* 173. *art.* 2. *& q.* 174. *art.* 1. idq; confirmat exemplo illarum quæ factæ ſunt Dauidi; & luci Auroræ Oriente Sole comparantur. Tum denique quia huiuſmodi intellectuales ac Diuinæ reuelationes fiũt à Deo (ait ille) per ſpecies intelligibiles de nouo infuſas, aut per præexiſtentes de nouo coordinatas ac confortatas; quæ proinde de facili è memoria non labuntur, quin potius adinſtar habitus permanent immobiliter, præſertim in perſonis, quæ huiuſmodi raptibus & viſionibus ſunt aſſuefactæ. Quam ob cauſam intulit Sanctus Doctor Apoſtolum Paulum, etiam tranſacta ea viſione, quâ fuit raptus ad tertium cœlũ, & ceſſante raptu, imo & in diſcurſu totius vitæ recordatum fuiſſe earum rerum, quas in raptu viderat, per notitiam, quam Theologi vocant abſtractiuam, & recordatiuam. Vnde ipſemet Apoſtolus poſt quatuordecim annos teſtatur ſe vidiſſe in eo raptu, *arcana verba, quæ non licet homini loqui.*

His adiungunt Delrius *vbi ſupra ſect.* 1. *& vltima*, Horozcus *lib.* 1. *de vera & falſa Prophetia c.* 2. 17. *&* 22. *& lib.* 2. *c.* 30. & Scobar *vbi ſup.* alias minus communes & vſitatas. E quibus vnam aut alteram recenſebo, v.g. quãdo Qualificatores miniſtri Sanctæ Inquiſitionis in qualificando huiuſmodi extaſes ac viſiones, diſſentiũt: aliis quidẽ aſſerentibus eſſe Diuinas & à bono Spiritu: aliis verò negãtibus, tunc Iudices fidei eas non Diuinas eſſe debent iudicare, præſertim ſi maior aut ſaltem medietas Qualificatorum parti negatiuæ ſubſcribat. Quia ſi tales extaſes aut viſiones eſſent Diuinæ, earumq; author & cauſa efficiens fuiſſet † Spiritus ſanctus, cũ hic ſit author vnionis & cõcordiæ, vniformẽ illuſtrationẽ in omnes Qualificatores immitteret, vt id ipſum ſentirent. Rurſus ex cõmuni Patrũ Doctrina maximè Hieronymi *in proœmio ad Eſaiã* Auguſtino *lib.* 1. *quæſt. in Geneſ. q.* 80. Theophylacto & Chryſoſtomo *ſuper.* 1. *ad Corinth. c.* 12. habetur alia differẽtia inter veras Dei, ac falſas Prophetas, aduerſus Montanum illam negãtem. Nimirum quod Prophetæ Dei ſemper habent intelligentiam illius quod prænunciant, etſi ſint in raptu aut extaſi, quod tamen rarò eis contingit: ſecus autẽ Dæmonis Pſeudoprophetæ, qui nũquam, aut nõ ſemper rerum à ſe prænunciatarũ habent intelligentiã, ideóq; Dæmon ſolet ſuos Prophetas frequenter in raptu ponere, & à ſenſibus alienare, dum per eos loquitur, vt ſic poſſit ad homines decipiendum ſua mendacia proferre: vt in arrepticiis experimur. Vnde quando perſona prædicẽs aliquid quaſi ex Diuino Spiritu, ſemper eſt in extaſi, & nullam habet eius intelligentiam; exiſtimandum eſt illam non ex Diuino Spiritu, ſed ex proprio aut diabolico loqui. Hæc autem Patrum doctrina accipienda eſt cum limitatione Angelici Doctoris 2. 2. *q.* 171. *art.* 5. *& q.* 173. *art.* 4. nimirum tunc veros Dei Prophetas habere intelligentiam rei reuelatæ, quando mentes illorũ per expreſſam reuelationem, & lumine perfecto Prophetiæ inſtruuntur & illuſtrantur: ſecus verò ſi quodam tantùm inſtinctu Prophetico moueantur, qui cũ ſit quid imperfectum in genere Prophetiæ, licet ſit à Diuino Spiritu immiſſum, neque menti Prophetæ dat certitudinem, quod reuelatio ſit à Deo, neque illi tribuit intelligentiã de eo quod Spiritus Sanctus intẽdit in illa viſione, aut verbo aut facto ſignificare. Quo prophetico inſtinctu motus † Caïphas Ioannis 11. prophetauit quod Ieſus eſſet pro gente moriturus, ſed nõ intellexit, quid intenderet Spiritus Sanctus per hæc verba ſignificare. Simili inſtinctu moti milites diuiſerunt Chriſti veſtimenta, ſine intelligentia Myſterij in hoc facto ſignificati. 42

Alia quoq; † regula & nota Diuinæ reuelationis diſtinctiua à falſa & Diabolica, colligitur ex duplici diſcrimine, quod inter Dei ac Dæmonis Prophetas olim reperiebatur, quod & in nouiſſimis eſt pariter obſeruãdũ: videlicet quoniã quãdo Dei Prophetæ ad aliquẽ grauẽ euẽtũ prædicendum à Deo mouebantur, cadebant in faciem ſuper terrã, in ſignum ſubiectionis, humilitatis, & reuerentiæ erga Deum ipſis loquentem; vt contigiſſe Ezechieli refertur *c.* 2. *Et cecidi in faciem meã*: Dæmonis autem Prophetæ quando ab illo ad Prophetandum capiebantur, cadebãt retrorſum in ſignum timoris & turbationis à dæmone incuſſi, ſicut contigit Iudæis quando in hortum ad ligandum Chriſtum acceſſerunt, de quibus dicitur *Ioan.* 18. *quod abierunt retrorſũ*. Item illi non frequentes repetunt reſponſiones, ſed rarò & vrgente neceſſitate: iſti autẽ importunè viſiones multiplicant, paſſim, vbiq; & omni tempore abſq; vlla neceſſitate aut cauſa, occultos, aut diſtantes, aut futuros euentus annuntiãt. Rurſus illi neutiquam ſuã Prophetiã venalem faciunt, ſicut iſtis contingere ſolet, vt refertur *Actorum* 16. de illa muliercula Macedoniæ quæ diuinationibus ſuis, *magnum præſtabat quæſtum dominis ſuis*. Et quia Paulus ab ea dæmonẽ Pythonem eiecit qui in illa prophetabat, publicè vapulauit, & à ciuitate fuit deportatus. Neq; admiratione caret, quod iſte Pythonicus Spiritus in laudes Pauli & eius ſocij Syllæ erupit dicẽs: *Iſti homines ſerui Dei excelſi ſunt qui annunciant vobis viam ſalutis*. Salutem clamat, qui hominibus appetit dãnationẽ, quia cõtrarius eſt Deo, viam ſalutis vociferat; & qui vult homines dãnari, ſicut Deus vult omnes homines ſaluos fieri, quandoque aliquos paucos homines ſuis viſionibus & apparitionibus, & miraculis incitat ad virtutem, vt plures alios perdat. 43

Ex quo liquet neque illam tertiam regulam, eſſe ſe ſola ſufficiens reuelationis Diuinæ diſtinctiuum. Nam vt benè aduertit Bernardus *ſermon.* 4. *de vtilitate verbi Do-*

mini ſe transfigurat aliquando malignus Spiritus in Angelum lucis, vt virtutis ſimulatione plus noceat. Sed & tunc quoque ſi aduertimus diligenter, nunquam niſi amaritudinis & diſcordiæ ſemina ſpargit: ſuadet enim nonnullis ſingularia ieiunia quædam, vnde cæteri ſcandalizentur, non quia diligit ieiunium, ſed quia ſcandalo delectatur. Quam doctrinam videtur didiciſſe ab illo magno monacho Arſenio, qui apud Methaphraſtem hoc documentum vitæ ſpiritualis, nedum tyronibus, ſed etiam prouectis contra diaboli fallacias, reliquit ſcriptum, ſub his verbis. *Hoc quoque vos non lateat, ô fratres, quod noſter inimicus Diabolus, multis & variis vtens machinis, nos conatur decipere, & boni prætextu in mala impellere, vt v.g. ſuggerens hoſpitalitatem, & conſequenter fratrum, qui accedunt gratam & benignam acceptionem, efficit, vt ſimul comedant & compotent. Cauſa autem eſt bonum charitatis: deinde paulatim ſuffurans, imprudentes nos tradit vt ventri ſeruiamus, &c.* quæ in eandem proſequitur ſententiam. Aliud etiam non contemnendum exẽplum refert D. Antoninus, de quodam Dæmone, qui in quodam conuentu ſui ordinis, in quo dies feſtiuus cum ingenti populi ad Eccleſiam concurſu agebatur; neque aderat Concionator, formam & habitum religioſi Prædicatoris aſſumens, ſuggeſtum aſcendit, & tanto ſpiritus feruore concionatus eſt, vt ab auditoribus lachrymas extorqueret; ſtatimque è ſuggeſtu deſcendens, à Priore Conuentus dono diſcretionis Spirituum illuſtrato, quæſitus cur id feciſſet hoſtis humanæ ſalutis? Reſpondit ideo feciſſe, vt auditores domos redeuntes, pabulum Diuini verbi obliuiſcentes & contemnentes, peccatis priſtinis ſe inuoluerent, cum aggrauanti in-
44 gratitudinis circunſtantia. Vnde licet † ſit pater mendacij Diabolus, quandoque aliquas Deo iubente profert veritates; ita licet ſit malus & in ſua malitia induratus, quandoque conſulit hominibus & inſpirat bona opera, Deo ſic permittente, propter aliquem malũ; hoc eſt vt eos decipiat & ſibi credulos reddat, atque ad maiora facinora præcipites faciat: vtque viginti animas damnet, v.g. aut vnam decipiat publicæ & magnæ æſtimationis in populo, ſuffert æquo, vel iniquo animo, vt tres aut quatuor infimæ notæ ſaluentur. Vnde cum hac limitatione intelligenda eſt doctrina Sancti Thomæ *in Epiſtolam Pauli 2. ad Corinth.* 11. ad illud; *Transfigurat ſe in Angelum lucis*, dum ait per modum regulæ diſtinguendi Satanam à bono Angelo; *quia bonus Angelus in principio hortatur ad bona, & perſeuerat in eis; ſed malus in principio quidem prætendit bona, & poſtmodum volens explere deſiderium ſuum, & quod intendit, ſcilicet decipere, inſtigat ad mala*; intellige regulariter, ſed non ſemper. Alioquin neque Ioſue videns Angelum in campo ſuo, cautus inquireret. *Noſter es, an aduerſariorum?* Neque Ioannes Euangeliſta inſignis Propheta & Spirituum diſcretor conſuleret 1. *Canonica, c.* 4. *Omni ſpiritui nolite credere.*

Ac tandem vltimum ſignum diſcernendi Diuinam reuelationem ſiue apparitionem à diabolica, deſumunt Patres ab effectu: videlicet Hieronymus *ſuper Mathæi* 28. ad illud *nolite timere*, Beda ad illud *Lucæ* 1. *Zacharias turbatus eſt videns & timor irruit ſuper eum.* Sanctus Ioannes Climacus *de peregrinat. & ſomniis gradu* 3. Sanctus Diadochus *de perfectione ſpirituali c.* 31. & Bernardus *ſermone de multiplici vtilitate Verbi Dei*; dicentes, quod viſio, ſiue apparitio Diuina initio turbat ac terret, deinde conſolatur ac lætificat audientis ſiue videntis animum. *Primum quidem ſonans* (ait Bernardus) *in auribus animæ, vox Diuina conturbat, terret, diiudicátq; ſed continuò ſi bene aduertis, viuificat, liquefacit, calefacit, illuminat, mundat.* Ex quibus D. Thomas *ſuper cap.* 4. *Iob. lectione* 3. & ſuper 2. *ad Corinth.* 11. ad illud, *transfigurat ſe in Angelum lucis*; eandem regulam diſcernendi Spiritum veritatis ab ſpiritu fallaciæ deſumpſit, dicens: *Aliud ſignum eſt, quod bonus Angelus etſi terreat in principio, tamen ſtatim conſolatur, & confortat, ſicut Zachariam Lucæ* 1. *Ne timeas Zacharia, & ad Beatam Virginem dixit, ne timeas Maria: malus autem Angelus ſtupefacit & deſolatum dimittit, & hoc ideo, vt ſtupefactus facilius decipiat & perſuadeat ſibi.* Et Sancta Virgo Catharina Senenſis hoc etiam ſe accipiſſe diſcernendarum viſionum ſignum fatetur: ac proinde per hoc cum aliis recenſitis poterit vir ſpiritualis ac Doctor ſeu Qualificator vtcumq; diſcernere, an viſio ſeu reuelatio, & extaſis ſint à bono Spiritu, aut à malo; ſi tamen prius videamus quæ & quotuplex poſſit eſſe cauſa efficiens huiuſmodi extaſum ac viſionum.

Verùm hic operoſius videndum eſt: *Quando is ad quem dirigitur reuelatio priuata, illi teneatur obtemperare?* Pro cuius declaratione ſupponimus primò id quod iam docuimus, nimirum † huiuſmodi priuatas reuelationes poſſe ad tria 45
perſonarum genera comparari, ſcilicet ad perſonam cui fit releuatio, ad perſonam ad quam dirigitur, vel ad aliàs perſonas populi, quibus nec fit, neque ad eas dirigitur reuelatio. Et quidem loquendo de perſona cui fit talis reuelatio, ſcripſimus 22. *q.* 1. *art.* 1. *dub.* 4. *& tom.* 1. *in primam partem diſp.* 2. *proœmialis §. vltim.* † illam 46
neque poſſe, nec teneri tali reuelationi credere ex fide Catholica, à qua Chriſtiani ſumus, cum in ambitu obiecti formalis illius non contineatur; ſed ex alio ſpeciali lumine ſupernaturali, vel fidei particularis, vel Prophetiæ, aut diſcretionis ſpirituum; aliis Theologis non infimæ notæ reluctantibus, quibus nouiſſimè ſubſcribit † Car- 47
dinalis Lugo *tom. de fide diſp.* 1. *ſect.* 11. dicens; eum cui fit immediatè à Deo priuata reuelatio, poſſe ac quandoque teneri eidem credere ex eadẽ fide Catholica, quia fideles myſteria toti Eccleſiæ propoſita credunt, eò quòd illius & horum materia ſub eadem ratione & motiuo formali contineatur. Pro qua citat ſuæ Societatis Suarium, Turrianum, Granado, Coninch, & alios, quos nos etiã in locis adductis citauimus. Quam ſibi perſuadet cũ hac limitatione, quod is qui ſuſcipit talem reuelationem, multoties tenetur ipſi credere, nimirum quando illam ſuſcipit cum motiuis ſufficientibus, hoc eſt facientibus euidentiam credibilitatis, quæ obligat ad aſſenſum firmum imperandum: atque etiam quando coniungitur cum euidentia in atteſtante, quæ maior eſt, & cõpatibilis cũ fide Catholica. Rurſus, quia hãc ſententiam acerrimè defendit contra Sotum Pater Lainez *in circulo Concilij Tridentini*, eámque fuiſſe approbatã ab eodem Concilio teſtatur Ambroſius Catherinus vt ocularis teſtis *in Apologia* contra Sotum *c. vlt.* Ac tandem eadem ſententia (ait ille) ſatis inſinuatur à Concil. Trident. *ſeſſ.* 6. *c.* 12. *canon.* 15. dũ damnat eos, qui ſibi promittunt certitudinem de ſui ſalute, niſi ex ſpeciali recuſatione didicerint;

rint : ergo hâc ſuppoſitâ,ſentiunt Patres Concilij,quod poſſet quis habere certum aſſenſum de ſua ſalute,aſſenſum inquam eius fidei Diuinæ & Catholicæ , qua alia reuelata creduntur; hâncque fuiſſe mentem Concilij teſtatur Catherinus *vbi ſupra.*

48 Sed † in multis deficit iſte diſcurſus. Primò quidem in eo quod ait eum qui ſuſcipit reuelationem, non ſemper ſed frequenter teneri illi credere fide Diuina, quia quandoque fit talis reuelatio cum motiuis facientibus euidentiam credibilitatis , & quandoque cum euidentia in atteſtante,quarum vtraque ſeorſim ſumpta obligat ad imperandum aſſenſum firmum.

Verùm hoc aſſertum diminutum , ne dicam falſum eſſe, conſtat ex noſtra doctrina in locis nuper citatis. Ibi enim oſtendimus priuatas reuelationes ſemper generare in ſuſcipiente euidentiam in atteſtante per ſe loquendo,alioquin quem fructum haberet Deus in illis & per illas,niſi homines quibus loquitur,ſcirent certò ſe Deum loquentem audire? Imo in hoc à reuelationibus communibus diſcriminantur,quod iſtæ non in omnibus habent huiuſmodi euidentiam in atteſtante, vt perſpicuum eſt, ſicut habent illæ. Neque oppoſitum contigit Samueli puerulo in tabernaculo , qui ſemel & iterum audiens vocem Dei ipſum vocantis , neque Deum loquentem,nec eius eſſe vocem agnouit, vt refertur *lib. 1. Regum c. 3.* quouſque per Heli Sacerdotem ſupremum inſtructus , quartò vocem domini audiuit, ob pueritiam & inexperti animi inſcitiam.Nam vt dicitur in textu. *Porro Samuel nec dum ſciebat Dominum , nec reuelatus*

49 *fuerat ei ſermo Domini.* Quibus in verbis † duplex videtur ignorantiæ Samuelis aſſignari cauſa.Prima ex pueritia,ob quam nec dum ſciebatDominum.Secunda ex defectu reuelationis, quia nullam adhuc perfectè ſuſceperat. Illa enim prior trina loquutio non reuelatio , quæ illuſtrat intellectum audientis cum euidentia, quod ſit Deus qui loquitur,vt docet Caietanus *2 2. q. 171. art. 1. ad finem* : ſed præambula quædam fuit excitatio,quæ auditum pueri pulſabat, minimè tamen intellectum illuſtrabat.

Deficit quoque in eo,quod ſubdit hanc ſententiam approbatam fuiſſe à Patribus Concilij Tridentini aduerſus Sotum, cuius approbationis teſtis ocularis fuit Ambroſius Catherinis ; nam debuiſſet audire ipſum Sotum *in ſua contra Catherinum apologia,cap. etiam vltimo circa medium* , contrarium atteſtantem , tanquam ocularem teſtem ſub his verbis. *In illo verò in quo ais* (ſcilicet Catherine)‖ *nos tertio conuenire, nimirum quod ambo eodem modo intelligamus decretum, puta quo vbi ait Concilium , hominem non poſſe eſſe certum adeptæ gratiæ certitudine fidei, cui non poteſt ſubeſſe falſum , ſolùm intelligitur de fide Catholica : in hoc inquam è diametro diſtamus.* Et paulo infra concludit ſic. *Non ſolùm de Catholica fide,ſed de quacumque manifeſtiſſimè loquitur,quæ contraria eſt formidini & timori. Vnde cum tua fides omnem tollat dubietatem,apertiſſimè illic condemnatur.* Ecce duos teſtes oculares Concilij, Catherinum , & Sotum : illum atteſtantem reprobatam fuiſſe à Concilio fidem Diuinam particularem; iſtum adhuc poſt Concilij confirmationem illam defendentem. Cur ergo potius illi , quàm huic fides eſt adhibenda? quinimo puto potius credendum eſſe Soto ſine felle amaritudinis loquenti, quàm Catherino qui amarulenti fuit cordis erga Sotum.

Deficit tertiò in eo , quod ſubdit hanc ſententiam Catherini non leuiter inſinuatam fuiſſe à Concilio,in illis duobus locis *ſeſſionis ſextæ* præallegatis. Nam profectò illa nullam mentionem faciunt dicti decreti,quod mihi euidens argumentum eſt , ea non fuiſſe lecta ab Eminentiſſimo Cardinali , ſed aliunde tranſcripta. Etenim *in dicto c. 12.* tantùm damnatur temeraria prædeſtinationis præſumptio , & concluditur ſic : *Nam niſi ex ſpeciali reuelatione ſciri non poteſt,quos Deus ſibi elegerit.* Quod etiam *Canone 15.* ſub anathemate diffinitur ſic. *Si quis dixerit, hominem renatum & iuſtificatum teneri ex fide, ad credendum ſe certò eſſe in numero prædeſtinatorum, anathema ſit.* Quare decretum illud damnans certitudinem adeptæ gratiæ,alibi eſt requirendum : nimirum *c. 9.* vbi inanis & vana hæreticorum fiducia de ſua gratia adepta , ex profeſſo damnatur ſub his verbi: *Sic quilibet, dũ ſeipſum, ſuamque propriam infirmitatem, & indiſpoſitionem reſpicit , ſua gratia formidare , & timere poteſt , cum nullus ſcire valeat certitudine fidei, cui non poteſt ſubeſſe falſum , ſe gratiam Dei eſſe conſequutum.* Hactenus ibi, nec additur illa exceptio, *niſi ex ſpeciali reuelatione, &c.* quæ tamen appoſita fuit in decreto damnante temerariam prædeſtinationis præſumptionem; *c. 12. & in Canone 16.* vbi damnatur infallibilis certitudo de aſſequendo magno perſeuerantiæ dono.Illâ tamen exceptione additâ decreto damnanti certitudinem fidei de adepta gratia iuſtificante,ob identitatem rationis,ſenſus eſt;quod ſicut citra ſpecialem Dei reuelationem nemo poteſt eſſe certus certitudine fidei Diuinæ , excludente omnem formidinem , de ſua gratia: ita ex tali reuelatione erit certus certitudine fidei Diuinæ de illa,abſque vlla formidine;ſiue hæc fides ſit Catholica,ſiue particularis;vtraq; enim eſt Diuina,innitens non humanæ hæreticorum præſumptioni , ſed Diuinæ reuelationi, ac proinde omnẽ formidinẽ excludens.Ex mẽte igitur Cõcilij hæc certitudo orta ex ſpeciali Dei reuelatione nõ fidei Catholicæ determinatè,ſed fidei Diuinæ abſtractè sũptæ adſcribitur.

De †perſona autem ad quam dirigitur priua- 50
ta reuelatio,ait præfatus Cardinalis, quod ſi ei proponatur & intimetur talis reuelatio cum ſufficientibus motiuis, tenetur non ſolùm non diſcredere,ſed etiam poſitiuè credere & obedire Dei mandato ſiue nuntio, eò quòd tunc iam Deus illi loquitur ſaltem mediatè , ac proinde exigit ab illo fidem:ergo tenetur fidem adhibere Deo illam exigenti.Verùm diminutus eſt ac diminutè loquitur author , quia non explicat, quæ ſint iſta ſufficientia motiua. Ad quem enim pro explicãdis ſufficientibus motiuis debemus recurrere,vtrunquid ad imperitum vulgus aut rudem plebeculam,quæ viri docti inexplicatè relinquunt?Quare dicendum puto ad cognoſcendum an ſint motiua ſufficientia? quod ſeruandæ ſunt regulæ hucuſq;adnotatæ, maximè illæ duæ,quas adduximus ex D. Thom.Caietano & Gerſone *in dicto dub. 4. q. 1. ex 2. 2.* nimirum quod reuelatio non inducat ad aliquid contra bonos mores,aut contra regulam fidei : neque inducat ad aliquid minus bonum, eò quòd Spiritus Sanctus potius inducit nos vt æmulemur chariſmata meliora. Quas conditiones continet illud

illud Iacobi *c.3.* ſuæ Canonicæ teſtimonium, quod de ſapientia Diuina homines inſtruente ac eiſdem reuelante profert, dicens; quod ſit pudica, modeſta, ſuadibilis, bonis conſentiens, plena miſericordia & fructibus bonis. Hiis adiunges regulam Innocentij III. *in cap. cum ex iniuncto, de hæreticis*; loquens de illis, qui † dicunt ſe eſſe 51
miſſos à Deo ad aliquod miniſterium contra regulas ſiue leges vel conſuetudines communes Eccleſiæ (eadémque eſt ratio quantum ad hoc, de hiis qui dicunt ſe eſſe Nuntios miſſos à Deo ad prædicendum aliquid ex parte Dei alicui Principi, Regi, vel Prælato, v.g.) nimirum quod eis non credatur in eo euentu; niſi miraculo, ſicut fecit Moyſes; aut teſtimonio Sacræ Scripturæ, ſicut fecit Ioannes Baptiſta, ſuam miſſionem comprobet, aut ſuam prædictionem. Quod ſi miraculo, aut teſtimonio Scripturæ manifeſto illam comprobaret, tunc certè eius prædictioni teneretur credere & obedire Princeps ille aut gubernator, ad quem huiuſmodi Nuntius mittitur, & eius reuelatio dirigitur. Nec non, ſi aliæ prædictiones ab eodem miniſtro Dei de futuris liberis aut contingentibus, quæ Dæmones naturali lumine præſcire non valent, inueniantur verificatæ: tunc enim habendus eſt talis Nuncius pro Miniſtro & Propheta Dei: quippe qui Spiritu Prophetico occulta prænũtiare ſolet. Maximè ſi vir ſit exemplaris vitæ, bonis moribus ornatus, & mundi contemptor; de quo nefas eſt credere quod illuſor ſit actiuus & mendaciorum inuentor, proprio ſpiritu ductus: aut etiam quod illuſionem paſſiuam à Dæmonis ſpiritu patiatur. Hæc omnia ſi concurrant etiam deficiente miraculo, ac teſtimonio Scripturæ, credo eum ad quem dirigitur reuelatio, teneri inexcuſabiliter ad illi parendum, quod ex iuſſu Dei præcipitur, aut commendatur. Hiis quoque omnibus ceſſantibus, ſat eſſe ad huiuſmodi obligationem inducendam, ſi Nuntius eſſet ex munere deſtinatus à Deo ad Prophetandum, & vt talis eſſet à populo cognitus, ſicut olim in veteri populo Iſraëlitico Prophetæ agnoſcebantur. Quod regulariter non contingeret iam in Eccleſia, in qua lex Euangelica ſuo ſplendore Propheticum
52 ſermonem euacuauit, licet nunquam † in ea defecturæ ſint, vt notauimus ex D. Thoma, aliquæ priuatæ reuelationes ad morum aliquorum fidelium inſtructionem. Hinc enim fiebat, quod
53 † prædictionibus antiquorum Prophetarum non credentes, aut illis non obtemperantes, ilico abſque alio motiuo interueniente, ſuæ incredulitatis, ac inobedientiæ pœnas luebant; vt contigit Regi Hieroboam 3. *Reg.* 13. qui non credens Prophetæ venienti de Iuda, & clamanti contra altare in Bethel, in quo Hieroboamus thus offerebat, manum quam contra Prophetam extenderat, ſenſit aridam, ita, vt eam ad ſe retrahere non valebat. Et licet prædictionem ſuam miraculo confirmauerit; *hoc erit ſignum* (dixit ille,) *quod loquutus eſt Dominus; ecce altare ſcindetur, & effundetur cinis qui in eo eſt*: Verumtamen ex contextu colligitur prius manum Regis fuiſſe factam aridam, quàm ſignum executioni fuiſſet mandatum, ac proinde prius Regem culpam incredulitatis perpetraſſe. Et *c.* 20. refertur, quod quidam Propheta dixit ad ſocium ſuum, *Percute me*; quo renuente, ait ille: *quia noluiſti audire vocem Domini, ecce recedes à me, & percutiet te Leo.* Quod ita contigit in pœnam inobedientiæ, quam mandato Prophetæ cogniti ex officio debebat exhibere, ſicut exhibuit alter ex ſociis, cui ilico dixit, *percute me, qui percuſſit eum & vulnerauit.* Verùm aduerſus hanc doctrinam vna inſurgit obiectio ex facto Nathan Prophetæ, qui prædixit Dauidi *lib.* 2. *Regũ c.* 7. eſſe Dei voluntatem quod ædificaret ſibi templum: ibi, *Omne quod eſt in corde tuo fac, quia Dominus tecum eſt*: & tamen licet Propheta eſſet Nathan à Deo deſtinatus ad Prophetandum in populo, Dauid non tenebatur ei credere, quia hæc non erat voluntas Dei, ſed contraria, vt rei euentus comprobauit; dum in nocte ſequenti miſſus fuit Nathan ad Dauid, vt ei nuntiaret templi conſtructionem eius filio Salomoni eſſe reſeruatam: ergo neque prædictionibus Prophetæ ex officio deſtinati ac cogniti, tenetur is ad quem diriguntur, fidem ſemper adhibere. Reſpondeo negando conſequentiam, eò quòd teſte Lyrano, ſecundum communem Patrum, ac D. Thomæ ſententiam 22. *q.* 171. *art.* 5.
† non ſemper mentes Prophetarum Spiritus 54
Sanctus irradiat, ſuſpicantes ſe loqui Spiritu Prophetico, quod Spiritu proprio loquuntur, maximè quando Spiritus Propheticus non in expreſſa reuelatione, ſed in quodam inſtinctu conſiſtit. In cuius ſignum dixit *lib.* 4. *Regum* 4. Heliſæus Propheta. *Dominus celauit à me, & non indicauit mihi.* Quod contigit Nathan, qui non Prophetico Spiritu, ſed humano prædixit Dauidi priorem illam nuntiationem, quam ilico correctus à Domino nocte inſequenti retractauit. Sed neque priorem ex iuſſu Dei prædixit, neque miſſus à Deo: ſicut poſteriorem prædixit ex Dei iuſſu, & ab illo miſſus ad Regem: tunc ergo tenetur is ad quem dirigitur reuelatio prophetica, ei obedientiam & fidem præſtare, quando vel Propheta ex officio deputatus & cognitus in populo, ad nuntiandum illi mittitur, vt loquatur in perſona Dei; aut quando concurrunt tot ſigna ex adductis, quot ſufficiunt generare euidentiam credibilitatis. Tunc enim Deus exigit fidem ab illo, cui per ſuum miniſtrum loquitur: Deo autem exigenti fidem, tenetur ille cui loquitur immediatè vel mediatè, credere & obedire; alioquin debitas pœnas inobedientiæ & incredulitatis luet.

Tandem in eo quod ait dictus author de illis, ad quos reuelatio non dirigitur: nimirum eos nec teneri poſitiuè credere tali reuelationi, nec ſi credant, talem aſſenſum poſſe eſſe fidei Catholicæ aut Diuinæ, eò quòd huiuſmodi aſſenſus non innititur Diuino teſtimonio, quod eſt ratio formalis & motiua fidei diuinæ; neq; enim reſoluitur immediatè in ipſam præteritam reuelationem factam perſonæ priuatæ, quæ non conſtat ex terminis ſuis, niſi ex ſola narratione referentis, neque in reuelationem mediatam, quia ſupponimus non dirigi ad illos, neq; Deum loqui cum illis: ergo reſoluitur in ſolum humanum teſtimonium referẽtis aliis ſuam priuatam reuelationem; ac proinde deeſt illis obiectum formale fidei Diuinæ; vnde talis aſſenſus eſt ſolius fidei humanæ: in hac inquam parte, rectè procedit authoris diſcurſus.

Pro cuius maiori luce notandum eſt, has † 55
priuatas reuelationes poſſe habere triplicem ſtatum. Primus & præcipuus eſt, quando ſunt à Sede Apoſtolica approbatæ, & ſimul in canonem

nem sacrum redactæ ; sicut reuelationes Apocalypsis Ioannis Euangelistæ sunt in canonem Sacræ Scripturæ redactæ,& canones. v g. Concilij Tridentini fuerunt in fidei dogmata redacti ; quibus proinde vtpote ab Ecclesia propositis, tenentur cuncti fideles positiuè credere, vtpote communibus credibilibus fidei Catholicæ.

Secundus status & veluti medius est, quando tales reuelationes approbantur à Sede Apostolica, & præmisso examine sapientissimorum Doctorum ac Prælatorum euulgantur, vt piè credenda; sicut fuisse approbatas Beatæ Hildegardis reuelationes ab Eugenio III. à Bonifacio IX. Brigittæ, & à Gregorio XI. Catherinæ Senensis reuelationes, præmisso maturo Doctorum ac Cardinalium consilio atque examine, constat : dum earum libros edi ad fidelium institutionem & vtilitatem permiserunt. Et hisce reuelationibus licet nec debeatur, nec possit adhiberi assensus fidei Catholicæ aut Diuinæ, ex illo adducto principio, quod cæterorum fidelium assensus, quibus Deus non loquitur, & à quibus non exigit fidem, non in testimonium Diuinum, nisi in solum humanum testimonium referentis resolui queat : debetur tamen assensus fidei humanæ iuxta regulas prudentiæ, iuxta quas tales reuelationes sunt probabiles euidenter, & piè credibiles : quidquid in contrarium audacia Henrici de Hassia,& Sybillani proclamet. Rectæ namque rationi, & prudentiæ conforme est, vt reuelationes sanctarum Virginum ab Ecclesia in Cathalogo Sanctorum appositarum, à Summis Pontificibus approbatæ,& in lucem edi permissæ, tanquam ab Spiritu Sancto dictatæ, non solùm non discredantur, sed etiam pro veris fide humana positiuè credantur: neque qui citò eas crediderit, leuis erit corde.

Tertius status est, quando huiusmodi reuelationes neutiquam approbatæ sunt à Sede Apostolica, neque in lucem editæ, sed tantùm voce tenus de aure in aurem, circumferũtur: rumórque spargitur, quod tali viro aut fœminæ Deus hos aut illos futuros euentus reuelauerit. Et tunc illi ad quos talis notitia peruenerit, neutiquam tenẽtur eis positiuè etiam fide humana credere, quinimo & possunt eis discredere; nisi tot conditiones secundum superius assignatas regulas in eas concurrant; tum ex parte subiecti cui factæ sunt huiusmodi reuelationes ; tum ex parte rerum reuelatarum, & aliarum circunstantiarum occurrentium, vt probabilitatem generent, quod sint Diuinæ. Ratio primi est, quia cum Deus nec loquatur cum cæteris hominibus, ad quos notitia talium reuelationum peruenit, neque ab illis fidem exigat, non tenentur eis fidem positiuè præstare. Ratio secundi, est quod liberum est hominibus istis credere, aut discredere, assentire, ac dissentire : ergo vtrumque possunt facere. Ratio tertij est, quod existente probabilitate, quod sint Diuinæ reuelationes, prudentia dicat non esse illis discredendum.

§. III.

Quæ & quotuplex sit extasum & visionum efficiens causa ?

SVMMARIVM.

56 *Causa efficiens abstractionis & alienationis à sensibus, quæ fit in raptu & extasi, est triplex.*

57 *Phreneſis, Mania &c. sunt species agritudinis.*

58 *Raptus quòmodo diffinitur.*

59 *Raptum passus est Plato, non ex morbo, sed ex vehementia contemplationis.*

60 *Deus efficit raptum siue mentis excessum duplici via.*

61 *Diuinæ visiones, aut reuelationes cur in somno aut raptu soleant fieri ?*

62 *Causa efficiens visionum seu reuelationum est triplex.*

63 *Vtrum Prophetæ priuati audiendi & credendi sint in his, quæ dicunt se accepisse per lumen Propheticum siue per Diuinam reuelationem? Cui quæstioni respondet Caietanus negatiuè*, ibid.

64 *Caietani ratio suadetur tripliciter 1. authoritate Pauli. 2. ratione. 3. satisfaciendo tribus obiectionibus quæ parti contrariæ fauere videntur.*

65 *Prophetia datur ad vtilitatem Ecclesiæ seu fidelium, seruatis seruandis, &c.*

66 *Isaacus, quomodo dicitur cooperatum fuisse morti suæ, credendo Abrahamo volenti illum occidere.*

67 *Oseas Propheta publicus ad mulierem accedens ex mandato Dei, non habuit cum illa fornicarium concubitum, sed coniugalem.*

68 *Impugnatur falsitas & temeritas sententiæ Patris Salas; dicentis religiosum efficacissima debere habere motiua, vt probabiliter crederet, veram esse reuelationem, qua secum dispensaret Deus, vt matrimonium contraheret contra legem communem.*

RIPLICEM esse † causam efficientem illius 56
abstractionis & alienationis à sensibus, quæ fit in raptu & extasi, respondet Angelicus Doctor 22. q. 175. art. 1. dum ait huiusmodi raptum & alienationem posse ex triplici causa contingere. Vno modo ex causa corporali, sicut accidit iis qui propter aliquam infirmitatem alienationem patiuntur. Secundo modo ex virtute Dæmonum, vt patet in arreptitiis. Tertio modo ex virtute Dei, qui per se & immediatè aut mediante Angelo lucis, animum contemplantis rapit ad sui amorem aut diuinorum mysteriorum contemplationem. Ioannes quoque Gerson *in suo tractatu de probatione spirituum tom.* 1. ait esse triplicem causam efficientem visionum: scilicet spiritum Dei per se vel per Angelum bonum ; alteram, spiritum diabolicum, & Spiritum humanum tam rationalem quàm animalem. In qua doctrina consentiunt Caietanus *in loco citato*, Torre *tom. 2. de religione q. 95. art. 6. disputat.* 15. & Grauina *prima parte sui Bazanithæ lib. 2. c.* 28. asserentes simul & ex-

pendentes doctrinam ſui authoris, cauſam efficientem harum extaſum & eleuationem poſſe eſſe vnam ex tribus; nimirum aut naturalem, qualis eſt aliqua infirmitas cauſans animæ deliquium, & alienationem à ſenſibus, in qua dumtaxat exemplificauit D. Thomas in genere infirmitatis vt ſic. Deſcendendo autem ad ſpecies determinatas earum infirmitatum, quæ huiuſmodi alienationem à ſenſibus poſſunt efficere:
57 dico eſſe †Phreneſim quandam & furorem ingentem, atque etiam Maniam, quæ ſpecies ægritudinis eſt, talis conditionis vt Spiritus animales intra cerebrum detineat, aut vias eorum obturet, ne ad organa ſenſuum deſcendant: & ſic mentem ab vſu ſenſuum alienat etiam ſine vlla febri. Sed hæc alienatio non eſt raptus dequo,
58 loquimur, & quem †diffinit D. Thomas eſſe eleuationem ad diuina; ſed potius eſt mentis depreſſio cum potẽtiarum animæ ſuſpenſione, exceptis pertinentibus ad vegetatiuam, quæ ſuos actus non poſſunt non vtcumque continuare, ne homo funditus pereat, & anima corpus relinquat. Ad hanc reducitur alia cauſa naturalis interna, licet non ſit corporalis ſicut prima, quia tamen vtraque eſt ordinis naturalis, & interna homini propria, vtramque ſub vna comprehendimus: nimirum vehemens contemplatio rerum naturalium, aut etiam diuinarum intra ordinem naturæ, quæ ſic interdum mentem afficit, vt ſenſuum externorum vſum non relin-
59 quat. Quem raptum † paſſum eſſe Platonem refert Ariſtoteles eius diſcipulus *in Problemate magno de viris excellentibus*, dicens ei accidiſſe ſæpius, immobilem ſine vſu ſenſuum externorum per integrum diem, & noctem permanſiſſe. Neque huiuſmodi raptum accidiſſe Platoni ex morbo vt aliqui autumant, ſed ex vehementia contemplationis, vtpote viro nimis contemplatiuo, credendum eſt.

Secunda cauſa efficiens, & extrinſeca eſt Dæmon, qui mediante dicta Spirituum detentione intra cerebrum, aut viarum obturatione, quam facillimè poteſt aut locali motu, aut applicando aliquod actiuum paſſiuo cauſare: poteſt quoque raptum cum alienatione à ſenſibus externis in aliquo homine efficere, ſimul excitando in eius phantaſia & cogitatiua, alicuius obiecti ſiue negocij vehementem cogitationem. Tertia cauſa etiam extrinſeca eſt Deus, qui vel per ſe, vel per Angelum bonum aliquando rapit hominem & à ſenſibus alienat, vt liberius diuina contempletur. Quod maximè viris ac fœminis ſanctis contingit, & his qui dono prophetiæ afficiuntur. De quo raptu intelligitur illud *Ezechielis* 8. *Eleuauit me inter cœlum & terram; & adduxit me in Hieruſalem in viſione Dei.* Quem etiam mentis exceſſum appellat Regius Vates *Pſal.* 67. ibi *Beniamin adoleſcentulus in mentis exceſſu*; & *Pſal.* 115. *Ego dixi in ex-*
60 *ceſſu meo, omnis homo mendax.* † Huius autem raptum, ſiue mentis exceſſum efficit Deus mediante aliqua vehementi ſupernaturali diuinorum cõtemplatione, vt cauſa intrinſeca, aut mediante aliquo feruentiſſimo amore charitatis. Quod ſi primo modo accidat, dicitur propriè raptus qui magis pertinet ad intellectum; ſi autem ſecundo modo, dicitur extaſis, quæ magis pertinet ad voluntatem; vt bene notat Angelicus Doctor 22. *q.* 175. *art.* 2. *in corpore*, & *in ſolutione ex ad primum*; Dionyſio *c.* 4. *de Diuinis nominibus*, dicente quod diuinus amor faciat extaſim, quatenus ſcilicet facit appetitum hominis tendere ad res amatas, ex quarum vehementi affectu ſiue amore interdum cauſatur raptus. Quod autem diximus de raptu & extaſi, pariter dicendum eſt de viſione & reuelatione: cùm hæc ſæpius raptum & extaſim comitetur. Vnde quædam Gloſſa ſuper illud *Pſal.* 115. *Ego dixi in exceſſu mentis*, ait; *Dicitur hîc extaſis, cum mens non pauore alienatur, ſed aliqua inſpiratione reuelationis ſurſum aſſumitur.* Diuinæ † enim vi- 61
ſiones ac reuelationes ſolent aut in ſomno, aut in raptu fieri, eò quòd mens humana aptior eſt ad percipiendum diuina myſteria; quando à ſenſibus externis eſt alienata, quàm quando in eorum actibus circa ſenſibilia occupatur: licet quandoque etiam Deus ſuas reuelationes immittat vigilantibus repræſentatione ſenſibilium vocum, aut rerum, vt de multis Prophetarum viſionibus in ſacris litteris conſtat. Ac proinde † triplex quoque cauſa efficiens eſt viſio- 62
num ſeu reuelationum, vt notat Scobar *in ſua arte art.* 2. nimirũ aut proprius Spiritus dicentis ſe habere viſionem ſiue reuelationem, aut eius imaginatio ſiue ſomnium, quæ poteſt dici cauſa naturalis & intrinſeca: aut Spiritus Diabolicus transfigurans ſe in Angelum lucis, aut in forma viſibili apparens Chriſti, aut alterius Sancti, aut etiam inuiſibili ſuggeſtione bona ſuadens, aut occultos euentus annutians, vt audientem decipiat; vel Spiritus bonus, ſcilicet Deus vel Angelus lucis Dei miniſter. Vnde quæcumq; viſio ſiue reuelatio alicui facta, ſiue in vigilia ſiue in ſomno, ad vnam ex hiis tribus cauſis efficientibus eſt reducenda, nimirum vel ad proprium Spiritum, vt ad cauſam intrinſecam, vel ad Diabolicum vt ad cauſam extrinſecam, vel ad Diuinum, vt ad extrinſecam cauſam. Diſcernere autem inter hos Spiritus, & à quo illorum reuelatio ſiue viſio procedat, difficillimum eſt, indigétque examinator aliquo dono diſcretionis ſpirituum, ne in re tam lubrica patiatur deceptionem, vt eleganter notat Caietanus 22. *q.* 174. *art.* 6. *ad* 3. vbi ſimul mouet eam quæſtionem; † Vtrum ſcilicet Prophetæ priuati (quos 63
ibi dixit D. Thomas nunquam defuiſſe ad humanorum actuum directionem) audiendi & credendi ſint in hiis, quæ dicunt ſe accepiſſe per lumen propheticum, ſiue per diuinam reuelationem, vt per eam dirigamus noſtros actus operando conformiter ad eam, etiam contra communes Eccleſiæ leges aut conſuetudines probatas? Cui quæſtioni reſpondet Caietanus negatiuè; eò quòd humani actus, aut ſunt publici, vt celebrare, prædicare, ſententias ferre in iudicio, & ſimilia; & de hiis citra dubium eſt, non poſſe fieri conformiter ad priuatam reuelationem contra communes leges & regulas, quibus publici actus debent conformari. Et hæc reſolutio habetur *in cap. cuus ex iniuncto, de hæreticis*, iam ſuperius allegato; vbi dicenti ſe inuiſibili miſſione miſſum à Deo ad munus prædicationis obeũdũ, quod ſibi ratione ſtatus non competebat, publica fides negatur, niſi miraculo, aut Sacræ Scripturæ teſtimonio id confirmet. Aut actus humani ſunt priuati & particularium perſonarum, vt ieiunare, ſtudere, & orare certis horis ac ſociis; & quidem ſi huiuſmodi actus diriguntur ab iſtis Prophetis proferentibus reuelationes particulares, conformiter

formiter ad leges & regulas communes Ecclesiæ; in hiis quia nullum est periculum, poterit vnusquisque in suo sensu abundare. Si verò dirigantur difformiter ad Ecclesiæ regulas ac leges communes, siue etiam ad particulares alicuius religionis, siue in re sit ista difformitas, siue habeat speciem difformitatis; tunc in hiis reuelationibus, tales Prophetæ priuati non sunt audiendi neque fouendi, neque tales humani
64 actus sunt per eorum reuelationes dirigendi. † Quod suadetur tripliciter. Tum authoritate Pauli, qui 1. *ad Thessalonicenses 5.* postquam dixerat *Prophetias nolite spernere*, statim subdit hæc tria documenta: *omnia autem probate, quod bonum est tenete, ab omni specie mali abstinete vos.* Ac si apertè diceret, nolite spernere Prophetias, qui de nouo apparent; verumtamen estote prudentes & cauti: nec ad malum, nec ad species mali propter eas declinetis, sed bonum tantummodo amplectamini. Constat autem bonum & malum morale in actibus humanis, secundum conformitatem & difformitatem ad diuinas humanásque leges præsertim Ecclesiasticas attendi.

Tum etiam ratione: quoniam recta ratio exigit, vt in directione actuum nostrorum certum præponatur dubio quoad bonitatem vel malitiam. Constat autem certò, quod regulare actus nostros conformiter ad Diuinas, Ecclesiasticásque leges, & operari secundum illas, bonum proculdubio est: & operari contra illas similiter est malum. Quod autem Deus huic Prophetæ reuelauerit oppositum, aut quod ei dederit facultatem præcipiendi oppositum, aut dispensandi in aliquo dictarum legum; hoc est incertum & ambiguum, nulláque nobis certitudine constat, nisi testimonio ipsius dicentis, quod fallibile est, etiamsi ipse cum iuramenro affirmet se hoc accepisse à Deo: ergo tanquam dubium est postponendum regulæ certæ & infallibili, Diuinæ seu humanæ. Tum denique ab inconuenienti, nimirum quia per ho aperiretur via inobedientiis, impudicitiis & aliis singularibus excessibus illorum hominum, qui dicerent se hæc patrare ex iussu Dei sibi reuelantis, vel ex iussu Prophetarum, sibi huiusmodi opera, contra siue præter communem legem ex parte Dei mandantium, aut consulentium.

Vltimò probatur satisfaciendo tribus obiectionibus quæ parti contrariæ fauere videntur. Prima est, quod si tales priuati Prophetæ non essent audiendi, frustra daretur eis Spiritus Prophetiæ, qui ad vtilitatem Ecclesiæ vt ad finem ordinatur, sicut omnis alia gratia gratis data: & fieret contra illud Pauli 1. *ad Thessalon. 5. Prophetias nolite spernere.* Secunda quod Isaac obediuit præcepto sui patris præparando se ad mortem suam, & illi cooperando; quæ tamen erat contra omne ius. Tertia desumitur ab exemplo mulieris fornicariæ, quæ concepit ex Osea Propheta, & excusata fuit à culpa, propterea quod credendo dictis Prophetæ, ei in carnali concubitu consensit. Ad quarum primam Respondetur, quod † Prophetia datur ad
65 vtilitatem Ecclesiæ, seu fidelium seruatis seruandis, & iuxta cõditionem ipsius, ita vt si fuerit prophetia eorum Prophetarum qui sunt publici & recepti ab Ecclesia, datur eis prophetia, vt de necessitate amplectenda. Si autem prophetia sit prophetarum priuatorum, qui ab Ecclesia non sunt recepti, datur eis prophetia ad vtilitatẽ, vt prius probanda & discutienda, antequam cum periculo aliquo amplectatur, & executioni mandetur, ne quod ad vtilitatem datur in venenum conuertatur. Neque hoc est spernere prophetias, sed eas probare. Ad Secundam dicito vno ex duobus modis, aut † Isaacum non 66
cooperatum fuisse morti suæ, sed passiuè se habuisse, patienter tolerando illam, sicut martyres etiam potente euadere, laudabiliter martyrium sponte suscipiebant: nullúmque actum fecit Isaac de suo genere lethalis culpæ, sed tantùm certitudine adhæsionis credidit Abrahamum ad eius occisionem fuisse diuinitus inspiratum, & à Deo accepisse illum sacrificandi potestatem; aut quod Abrahamus erat Propheta publicus, & receptus ab Ecclesia, quippe qui vt publicus Dei minister legem acceperat circuncisionis, & reuelationem mysterij Trinitatis toti populo propalandam, & in sacrorum librorum volumine deinceps conscribendam, cui proinde credere tenebatur Isaac, & ex diuina dispensatione se ad mortem subeundam præparare, sicut & nos Prophetis ab Ecclesia receptis credere tenemur, & eis credentes talem cultum licitè amplectimur, & talem reprobamus. Ad Tertiam respondet Caietanus, mulierem illam fornicariam concubantem cum Osea (si ille concubitus fuit fornicarius) non fuisse excusatam à peccato lethali; sicut neque hodie excusaretur quæcumque mulier permittens se cognosci à quocumque sanctissimo homine, & Propheta reputato, qui non esset suus maritus. Verùm Caietanus cuius sententiam hucusque sensu magis quàm verbis retulimus, debuisset aduertere, Oseam † esse Prophetam 67
non priuatum, sed publicum, & vt talem à populo Hebraico & Catholico receptum, qui ex mandato Dei, ad illam mulierem accedebat, vt ad suam vxorem, teste D. Thoma 1. 2. *q.* 100. *art.* 8. *ad* 3. *&* 22. *q.* 104. *art.* 2. *ad* 2. neque habuisse cum illa fornicarium concubitum, sed coniugalem; cui proinde reuelationi credere tenebatur mulier, & in concubitum consentire: non minus quàm Isaac suo parenti vt Prophetæ communiter ab Ecclesia tunc temporis recepto, tenebatur in sui occisionem consentire, etiam illi actu positiuo cooperando: vt paulo ante dixerat Caietanus *in 2. solutione ad 2. obiectionem.* Neque enim occisio innocentis est minus mala, aut prohibita, quàm fornicarius concubitus. Neque Oseas erat minister minus publicus, aut Propheta minus ab Ecclesia receptus, quàm Abrahamus: imo tantò magis saltem extensiuè, quantò populus Hebræus fidelis & in quo erat Ecclesia, tempore Osee fuit magis extensus, quàm tempore Abrahæ, à quo initium sumpsit.

Quod autem attinet ad ipsos Prophetas Abrahamum & Oseam excusandos à peccato, alia longè est ratio: quoniam Abrahamus in præparando se ad occisionem filij ad illam vocem; *Tolle filium tuum vnigenitum quem diligis Isaac, &c.* nullatenus peccauit, sed laudabiliter obediuit: quia nullatenus se ad immolandum filium accingeret, nisi de diuina reuelatione fuisset certissimus, vt notat *D. Thomas* 22. *q.* 171. *art.* 5. dicens mentem Prophetæ lumine perfecto Prophetiæ illustratam (secus quando instinctu prophetico tangitur) certitudinem maxi-

mam

mam habere de hoc,quod ea quæ ſibi reuelantur, à Deo reuelantur; quam certitudinem teſtatur Hieremias *cap.* 26. dum ait. *In veritate miſit me Dominus ad vos,vt loquerer in aures veſtras omnia verba hæc.* Et eadem ſciens Abrahamus vocem illam eſſe Dei mandatum, ſe ad vnigeniti immolationem accinxit. Similiter & Oſeas abſque culpa acceſſit ad illam meretricem;quam certiſſimè cognouit ſibi dari à Deo in vxorem.

68 Hinc apparet † manifeſtè falſitas & temeritas illius ſententiæ,qam Pater Salas Societatis alumnus ab hinc 50. annis 1.2.*tractat.*8. *diſputat. vnica ſectione* 5. *num.* 51. impreſſionis Barchinonenſis anni 1607. euulgauit: dicens. *Religioſus efficaciſſima deberet habere motiua, vt probabiliter opinaretur veram eſſe reuelationem, qua ſecum diſpenſaret Deus, vt matrimonium contraheret contra legem communem:hactenus enim nunquam diſpenſauit. Si tamen veram probabilitatem haberet, poſſet ad euitanda magna inconuenientia vti diſpenſatione dubia,& tantùm probabili: quod etiam in diſpenſationibus quorumque Prælatorum obſeruandum eſt.* Quam propterea vt temerariam & ſcandaloſam iudices fidei expungi & eliminari fecerunt: vt falſam verò & errori proximam redarguunt Torre *tom.*2. *de religione q.*95. *art.*3. *d.*ſp.2. *concluſione* 6. & Grauina 2.*p. ſui Bañezmicha lib* 2. *cap.*2 § *dubitatio grauiſſima*, pluribus argumentis, quorum ſumma ad hanc deſumptam ex Caietani doctrina *vbi ſupra* reducitur. Nimirum quia ingens aperit oſtium libidinibus &impudicitiis;& quantum eſt de ſe, hæc opinio ſtatum religioſum labefactat. Deinde quia contra rectam rationem certum poſtponit dubio & ambiguo in re graui, & quoniam adhibet fidem & ad praxim reducit nedum probabilem, imo & dubiam reuelationem in actu publico & Sacramentali, ſcilicet ineundi matrimonium contra legem communem diuinam, & Eccleſiaſticam,contra decretum Eccleſiæ *in dicto cap.cum ex iniuncto.* Rurſus quia manifeſto periculo ſe exponit amplectens talem reuelationem dubiam aut probabilem,abſque præuia eius diſcuſſione contra præceptum *Pauli* 1. *ad Theſalon.*5. dicentis;*omnia probate, quod bonum eſt tenete, &c.* & contra illud *Ioannis.* 1.*canonicæ c.*4.*probate Spiritus, vtrum ex Deo ſint.* Ac tandem quia iſta opinio conſpirat cum hæreticis impugnantibus cælibatum, ob vitanda inconuenientia carnalis luxus, & carnis concupiſcentiæ, quibus (aiunt illi) obuiat matrimonium. *Quocirca* (ait Caietanus *vbi ſupra* non minus eleganter, quàm eruditè) *non excuſantur qui ex iuſſu,vel licentia huiuſmodi Prophetarum,credentes eos ſpiritu afflatos Diuino, aliquid committunt ex genere ſuo malum, vel habens ſpeciem mali: vt faciunt hi qui amplexibus ſeu impudicitiis propterea operam dant, delitias,pompáſque aſſumunt, nouitates ſingulares, quas neſcierunt Patres eorum, ſub ſpecie ſanctitatis introducunt. Non ſunt enim hæc niſi carnis opera,& aliena à fructibus Spiritus: vt patet ad Galatas.* 5. *Et propterea ſi actus fiant peccati mortalis ex ſuo genere, peccant proculdubio mortaliter,tales actus facientes,vtpote non excuſati; quoniam iuris Diuini, quale hoc eſt,ignorantia non excuſat.* Meritò igitur hæc opinio in primo ſui exordio deleta& abraſa fuit iuſſu ſupremi Senatus Inquiſitionis, ne ſi ſerperet, infandos dolores & triſtes tragedias excitaret. Neque hoc eſt Prophetias aut priuatas reuelationes ſpernere, ſed eas diſcutere & probare. Sed quot modis probandæ ſint,explicatur §. ſequenti.

§. IV.

Expenduntur modi diſcernendi Diuinas à falſis reuelationibus.

SVMMARIVM.

69 *Tres ſunt modi in genere diſcernendi Spiritus, hoc eſt extaſes & reuelationes.*

70 *Quorum primus eſt experimentalis ad ſeipſum cognoſcendum in proprio ſubiecto.*

71 *Donum Prophetiæ commune eſt peccatoribus & iuſtis.*

72 *Secundus modus diſcernendi reuelationes eſt officialis,ex officio Hierarchico atque ſpirituali dono conceſſus.*

73 *Vtrum donum Prophetiæ latius patet, quàm diſcretio ſpirituum.*

74 *Donum diiudicationis Spirituum in quibus potiſſimum reperitur.*

75 *Referuntur duæ cauſæ, propter quarum vnam latuit Prophetam Iudæ deceptio Prophetæ Bethelis.*

76 *Tertius modus diſcernendi Spiritus,eſt doctrinalis,quo vti ſolent fidei Cenſores, Qualificatores Sanctæ inquiſitionis.*

TRES † eſſe modos in genere diſcernendi 69
Spiritus, hoc eſt extaſes & reuelationes iuxta præceptum Ioannis 1.*ſuæ canonicæ cap.* 4. dicentis; *nolite omni Spiritui credere; ſed probate Spiritus ſi ex Deo ſint*, tenet communis ſententia tradita à Gerſone *tractat. de probatione ſpirituum col.* 1. Pico *de rerum prænotione lib.*6.*cap.*6. & recepta à Delrio *lib.* 4. *Magicæ. q.* 3. *&* 4. eò quòd ſunt tres ſiue quatuor Spiritus,à quibus interdum fit interna locutio ſiue inſpiratio;ſcilicet Deus, Angelus bonus, Angelus malus, & Spiritus ipſe humanus, vt teſtantur Bernardus *ſermon.de* 7.*ſpiritibus*, Ricardus *in Cantica p.* 2. *c.* 15. ad illud *dentes tui*; vbi per dentes Eccleſiæ ait ſignificari diſcuſſiones horum Spirituum, quæ difficiles valde ſunt;ad quas proinde ſunt tres modi in Eccleſia. Quorum † Primus eſt 70
experimentalis, ad ſe ipſum cognoſcendum in proprio ſubiecto, qui conſiſtit in quadam illuſtratione, ſiue inſpiratione deſſendente à montibus æternis, & effugante tenebras dubietatis; quæ interdum datur cum quadam dulcedine & ſapore, aut illum cauſat in patiente talem raptum ſiue reuelationem,vt ex vi illius certò diſcernat homo, ſe à Diuino Spititu tangi,& illuſtrari. *Qui modus* (ait Gerſon) *ſit per inſpirationem intimam ſeu internum ſaporem, ſiue per experimentalem quandam dulcedinem,ſiue per illuſtrationem à montibus æternis, effugantem omnem tenebram dubietatis*: hoc eſt manna abſconditum, quod ſolus nouit qui accipit, per illúdque poterit experimentaliter ille cui fuerit conceſſum,de propriis reuelationibus cum certitudine iudicare; ſecus de alienis.Hoc autem donum vltra illam gratiam gratis datam, quæ dicitur Prophetia,& eſt communis iuſtis & peccatoribus, includit aliquid, quod pertinet ad

gratiam

gratiam gratum facientem ratione illius saporis, & experimentalis dulcedinis superadditæ, éstque præmium virtutum ipsius operantis, & ideo solis iustis ac sanctis cõmunicatur. Ad quã autem virtutẽ infusam pertineat, vel cuius sit actus, an doni sapientiæ, an prudentiæ infusæ, an sit fructus aliquis Spiritus Sancti? difficile est iudicare. Iudicet ille à quo descendit, nam ea quæ sunt Dei, nemo nouit,
71 nisi Spiritus Dei, & cui ille voluerit reuelare. † Peccatoribus autẽ & iustis commune est donum Prophetiæ, quod quibuscumq; datur: nõ solùm datur ad futurorum, aut præteritorum, siue distantium effectuum, & cogitationum cordis alieni cognitionẽ, in quantum hæc omnia sunt procul à cognoscẽte, vt docet D. Thom. 2. 2. q. 171. art. 3. sed etiam datur in ordine ad se, hoc est vt per illud quisq; Propheta possit certò de suo Spiritu iudicare, & de propriis reuelationibus iudicium certum ferre. Siquidem lumen propheticũ teste eodẽ D. Thom. q. 171. art. 5. citato, generat in mente Prophetæ euidentiã in attestante & maximam certitudinem de hoc, quod Deus sit qui ei loquitur & reuelat: ergo per lumen propheticum mens hominis illustratur, non solùm in ordine ad futuros vel occultos euẽtus aliorũ, sed etiã in ordine ad se: etiamsi detur sine illa experimẽtali dulcedine, cùm qua existimamus solis iustis communicari in præmiũ alicuius eximiæ virtutis, provt Parens August. suæ sanctissimæ Matri Monicæ agnouit cõmunicatum, *lib. 6. confess. c. 14.* dicens. *Discernere nescio, quo sapore, quem verbis explicare non poterat, quid interesset inter Deum reuelantem, & animam somniantem.* Nam sicut gustus in proprio palato non in alieno ciborum sapores discernit: ita mens humana hoc dono Spiritus Sancti proprias discernit reuelationes non alienas.

72 Secundus † modus discernendi veras à falsis reuelationibus vocatur à Gersonio officialis, ex officio Hierarchico atq; spirituali dono concessus, & in ordine ad alios per gratiam illam gratis datam, quæ vocatur discretio Spirituum, & quam requirit Euangelista Ioannes, quando inquit. *Nolite omni spiritui credere, sed probate Spiritus, si ex Deo sint:* & quã ab hoc eodem commendat idem Parens August. *de Gen. ad litterã, c. 9. & lib. de cura pro mortuis c. 16.* dicens super illud Pauli 1. *ad Corinth. 11. Vnicuique datur manifestatio Spiritus ad vtilitatẽ. Alij quidẽ per Spiritũ sermo sapientiæ, alij sermo scientiæ secundũ eundẽ Spiritũ, alteri autẽ fides in eodẽ Spiritu: alteri gratia curationum in vno Spiritu, alij prophetia; alij diiudicatio Spirituũ, &c. Omnia autẽ hæc operatur vnus atque idem Spiritus diuidens propria vnicuique provt vult: horum omnium spiritualium bonorum, quæ commemorauit Apostolus; cui data est diiudicatio spirituum, ipse scit ista, sicut scienda sunt.*

73 Dices † donum prophetiæ latius patet, & ad plura se extendit, quàm discretio Spirituum; extenditur enim secundum Angelicum Doctorem *in nuper allegato ar. 3. q. 171.* ad quæcumq; quæ sunt procul, siue futura, siue præterita, siue loco distantia, siue cordiũ cogitationes: ergo similiter poterit extendi ad cognoscendum aliorum charismata, & internos Dei fauores atq; reuelationes: igitur habens lumẽ propheticum cum hac vltima extensione, poterit per illud sinedono speciali discretionis Spirituum, aliorum reuelationes discernere? Respondeo admittendo consequentiam; nam si vt in eodem subiecto in quo est sapientia, nõ est opus scientia, quia illa vtpote altior præstat munia istiusmodi eminentiori: ita donũ Prophetiæ sic extensum ad cognoscendũ occultos aliorũ fauores & visiones siue extases, in eodẽ subiecto non indiget dono discretionis Spirituũ, ad discernendũ de illis; quia, vtpote altius ista, poterit eius munia mõdo eminentiori præstare; illud namq; ad quæuis occulta & procul existentia extensibile est, prout Deus illud voluerit impertiri; istud verò ad præsentia dumtaxat.

Reperitúrq; † donũ hoc diiudicationis Spiri- 74
tuũ præsertim in illis, quibus ratione officij ac dignitatis cura animarum incumbit, in iudicibus & Censoribus fidei: authoritatiuè autẽ in solis Prælatis superioribus Ecclesiæ, & maximè in summo Põtifice, cum ad probandas vel improbandas huiusmodi extases & reuelationes, aut ex illis probatis ad alicuius Sancti canonizationẽ accedit, ne gregẽ sibi cõmissum periculo Diabolicæ illusionis relinquat expositũ. Potest q; meritò singulis horũ discretorũ Spirituũ, & Censorũ fidei illud applicari, quod ad Hieremiã Vatẽm dicit Deus *c. 27. Probatorẽ dedi te, in populo meo robustũ, & scies & probabis viam eorũ.* Sed contra hanc doctrinã se offert exemplum illius Prophetæ Domini vaticinantis contra altare erectũ in Bethel à Ieroboamo, & futuram eius per Iosiam destructionẽ; quem vt refertur *lib. 3. Regũ c.* 13. alter Propheta senex habitans in Bethel fefellit, & ad prandendũ contra Domini mandatũ coëgit. Cuius tamẽ deceptionẽ ille prophetico lumine non discreuit: ergo adhoc non sufficit lumen propheticũ sine speciali dono discretionis Spirituũ. Respondeo admisso antecedente, negando cõsequentiã; quia † ob vnã ex duabus causis Prophe- 75
rã Iudeæ latuit deceptio Prophetæ Bethelis, nimirum, aut quia cũ Propheticũ lumẽ non sit habitus, sed quædã fluida & transiens illustratio, in mente Prophetæ coruscans, eâ transactâ benè potest manere ipsius mens deceptioni subiecta, quã Deus ex occulto iudicio suæ prouidentiæ, siue in pænã alicuius peccati solet permittere: Aut quia lumen propheticum non fuit illi concessum cum extensione ad Spirituum discretionem aliorum Prophetarum, nisi tantùm ad vaticinandum futurã Ieroboamici altaris subuersionem. Cùm enim sint varij & multiplices Prophetiæ gradus, eos diuersimodè Deus impertitur prout vult. Qua propter iste Propheta deceptus, inobedientiæ peccatum commisit, prandendo cum suo deceptore, cuius criminis à Leone laceratus, debitas pœnas exsoluit. Sed neq; credẽdum est quod deceptor euasit impunitus, qui illũ fefellit, & ad inobediẽtiæ crimẽ pertraxit. Tertius † modus, magisq; de lege ordinaria frequẽs 76
Spiritus huiusmodi discernẽdi, est Doctrinalis, quo vti solẽt fidei Censores, Qualificatores Sanctæ Inquisitionis, & Confessarij secundum Sacræ Scripturæ regulas, & Patrum documenta, aut etiam Ecclesiæ & Sanctæ Inquisitionis praxim, interdum ex sapientia aut ex scientia Theologica, quandoque ex prudentia infusa procedentes, iuxta illud Pauli 1. *ad Corinth. 14. Nunc autem fratres, si venero ad vos linguis loquens; quid vobis prodero, nisi vobis loquar aut in reuelatione, aut in scientia, aut in prophetia, aut in Doctrina,* id est, *aut hæc mentis illustratio* (interpretatur D. Th. ibi *lectione 2.*) *est de Diuinis, & sic pertinet ad donũ Sapientiæ, per cuius reuelationẽ Diuina cognoscimus; aut est de terrenis, quæ pertinet ad ædificationem, & hæc est scientia, quæ est Sanctorum;* (nempe Theologiæ): *vel est de euentibus futurorum, & hoc pertinet ad donum prophetiæ: vel de agibilibus; & pertinet ad Doctrinam.* In cuius praxi difficili, ac periculosa tria perpendenda sunt; nimirum, persona, cui fit reuelatio, materia rerum reuelatarũ, & circunstantiæ loci, temporis &c. Quibus omnibus perpensis, vtinam probabilis in discernendi raptibus & reuelationibus habea-

tur coniectura. Ex quibus ſic ad vnguem probatis, poteſt ac ſolet Sãctorũ Canonizatio adiuuari. Nũc reſtat videre quo pacto miraculis adiuuetur.

§. V.

Quibus notis vera miracula à falſis diſtinguantur?

77 *Miraculi nomen quouſque ſe extendit.*
78 *Ratio miraculi in quibus propriè ſaluatur.*
79 *Tres ſunt conditiones requiſitæ ad veram rationẽ miraculi conſtituendam.*
80 *Iuſtificatio impij adulti quomodo deficit à ratione miraculi.*
81 *Creatio quomodo*
82 *Tres conſtituuntur claſſes miraculorum.*
83 *Vltra quæ ſunt alia multa prodigioſa opera, quæ hominum vulgus miracula vocat.*
84 *Ex quibus tamen non poſſe ſumi efficax ſanctitatis eximiæ talis perſonæ argumentum, dupliciter oſtenditur.*
85 *Carolus Infans Arragoniæ aduerſus Patrem rebellans, veneno interficitur.*
86 *Rumore falſo ſparſo de eiuſdem eximia ſanctitate, ad eius ſepulchrum multi confluunt.*
87 *Superſtitio eſt exhibere cultum cui non debetur, vel eo modo quo non debetur.*
88 *Romani Pontificis Iudicio in cultus materia ſtandum eſt.*
89 *Vitæ & miraculorum requiritur atteſtatio, vt quis reputetur Sanctus.*
90 *Aldebertus Epiſcopus, tanquã hæreticus, & ſuperſtitioſus Dæmonum ſocius condemnatur.*
91 *Expulſio Dæmonum & odor ſuauiſſimus quomodo poſſunt à Dæmone præſtari.*
92 *In Dæmone naturalia manſerunt integra poſt peccatum.*
93 *Dæmon cognoſcit omnes res naturales exiſtentes in vniuerſo, quantũlibet loco diſtantes.*
94 *Dæmon poſt peccatum manet omnibus gratiæ donis orbatus.*
95 *Dæmon quales euentus futuros cognoſcit.*
96 *Diabolus pollet naturalibus ſcientijs cum plenitudine luminis & ſpecierum.*
97 *Diabolus errauit circa futuram Niniue ſubuerſionem, & trium puerorum combuſtionem.*
98 *Dæmoniaca reuelatio quomodo diuiditur.*
99 *Totum Diuinationis genus reducitur ad tres ſpecies ſubalternas, quæ ſunt Necromantia, Augurium & Sors.*
100 *Refertur modus quomodo Diabolus ſuam Magiam ſuis Aſſeclis communicat.*
101 *Referuntur miracula, ſiue miranda opera, quæ Angeli & Dæmones poſsũt facere, & quæ non.*
102 *Creatio & annihilatio ſunt proprium opus Diuinæ omnipotentiæ.*
103 *Dæmones & eorum Magi comprehenſiuè cognoſcunt naturas & virtutes herbarum, &c.*
104 *Referũtur exempla, quibus probatur, Dæmonem apparitiones poſſe facere in corpore aëreo.*
105 *Sanitates aut felicitates obtentæ per tactum vel apprehenſionem calculi, aut crucis, aut imaginis &c. ſunt effectus Dæmoniaci.*
106 *Aliquem manere impranſum multo tempore, poteſt contingere tripliciter.*
107 *Solus Deus author naturæ habet in ſua poteſtate concurſum debitũ cauſis ſecundis naturalibus.*

77 MIraculi † nomen ad quæcumq; opera admiratione digna, aut quæ admirationẽ cauſant, extenditur, vt ſunt inſolita, aut quæ rarò eueniũt; & quorũ cauſam in naturalibus ignoramus. Vnde multa nomen miraculi obtinẽt, quæ Angelus, ſiue bonus, ſiue malus efficere aut prædicere poteſt, quia humanã ſcientiã, aut induſtriã & potentiam ſuperant. Propriè autẽ † ratio miraculi ſaluatur in illis operibus quæ totius naturæ creatæ etiam Angelicæ naturalẽ virtutẽ, ſcientiam & poteſtatem ſuperant, quorũ ſolus Deus poteſt eſſe cauſa efficiens principalis; Creaturæ verò ad ea vt inſtrumẽta Diuinæ omnipotẽtiæ, iuxta illud Pſalmographi. *Qui facit mirabilia magna ſolus*; vt ſcitè docet Angelicus Doctor multis in locis ſuæ Doctrinæ, præſertim *1.p. q.105. ar.7. 12.q.113.ar.10. in 2. ſent.d.18.q.1.ar.3. & in 4.diſ.17.q.1.art.5.quæſt.1. & de potentia q.6.ar.2.* in quibus † tres recenſet conditiones ſufficientes & requiſitas ad verã rationẽ miraculi conſtituendam, nimirũ, quod ſit opus arduũ, ſcilicet totius naturæ creatæ agentis facultatem excedens: quod ſit inſolitũ & præter ordinariam legem in eodẽ ordine contingens: & quod ſit præter ſpem naturæ, id eſt, quod ad illud non habeat ordinem naturalem, ſed obedientialem dumtaxat. Defectu primæ conditionis non eſt propriè miraculum eleuare hominem in aëra per quendã raptum, aut illum mouere à Salmantica breui tempore in Romam; quia non ſuperat Angeli naturalem facultatem. Defectu ſecundæ conditionis deficit à ratione miraculi † iuſtificatio impij adulti ſiue cum Sacramento, ſiue extra illud, per proprios actus ſupernaturales diſpoſitiuos; quia licet gratia in ſe ſit forma ordinis ſupernaturalis excedens totam naturæ facultatem, verumtamen infunditur homini adulto in caſu poſito ſecundum modũ cõſuetũ in Eccleſia, & ſecundũ ordinariã legem ordinis gratiæ: ſecus foret ſi repente, aut ſine propriis actibus diſpoſitiuis, aut cũ inſolitis circunſtãtiis ab ſtatu peccati, ſiue ab actuali peccato, ad ſtatũ gratiæ raperetur: qualis fuit Pauli Apoſtoli iuſtificatio, cuius propterea conuerſionem vt verè miraculoſam celebrat Eccleſia. Defectu denique tertiæ conditionis, deficit à vera ratione miraculi † creatio; quia licet opus ſolius Dei proprium, qui ſolus poteſt creare; verumtamen non eſt præter ſpẽ naturæ, eò quòd Angelus habet ordinẽ naturalem ad ſui creationem; ſimiliter illum habet anima rationalis, & inſuper materia prima habet naturalẽ ordinem & inclinationem ad recipiendam animã à Deo creatam vel creandam. Hinc conſtituuntur † tres claſſes miraculorũ. Prima continet illa, quæ ſuperant totius naturæ facultatem ex parte termini, hoc eſt ex parte rei factæ; cuiuſmodi ſunt Incarnatio Diuini Verbi, Vnio hypoſtatica, Virginis partus, & productio ſubſtantiæ ſupernaturalis, ſi poſſibilis eſſet. Secunda cõplectitur illa, quæ licet ex parte rei factæ non excedãt naturæ facultatem, benè tamen illam excedunt ex parte actionis per quã fiunt. Huius generis ſunt mortis ſuſcitatio, cæci illuminatio, & conuerſio aquæ in vinũ; eò quod licet vita mortuo, & potentia viſiua cæco reſtituta, ſint eiuſdem naturæ & rationis cum illa, quam agens naturale dare poteſt: tamen actio ipſa recuperatiua vitæ, aut potentiæ viſiuæ amiſſa, excedit totius naturæ facultatem, quia à priuatione ad habitum non eſt regreſſus per naturam. Pariformiter licet Vinum in nuptiis Chanam à Chriſto Domino productum, fuerit eiuſdem naturæ cum alio, quod de vite naturaliter generatur: verumtamen actio illa conuerſiua totalis, hoc eſt, totius aquæ in totum vinum; aut etiam formalis, hoc eſt formæ aquæ in formam vini manente eadem materia, ſucceſſiuè ſub vtraque ſine vllis præuiis diſpoſitionibus

sitionibus fuit supra totius agentis naturalis virtutem, & ideo miraculosa.

Tertia classis continet ea opera quæ tantùm sunt supra facultatem naturæ ex parte modi, cuius generis sunt sanitas ægro subitò restituta, aut sine vlla medicaminum applicatione; qualem Christus Dominus infirmis,& claudis impertiebat,dicens propterea, *surge, tolle grabatum tuum & ambula* : quia repente & subitò, & sine vlla medicaminum, aut aliorum mediorũ ad effectum sanitatis habentium virtutem proportionatã:imo aliquando vtendo medijs cõtrarijs,vt quando cæco luto linitos oculos aperuit, & quandoque solo Verbo aut tactu fimbriæ,eos à languoribus sanabat. Igitur quando aliqua ex hiis miraculorum generibus sunt contestata,id est duorũ vel trium testium ocularium comprobata, multũ adiuuant ad Sancti Canonizationem. Quod intelligendum est cum limitatione superius adnotata, nimirum, quod non in contestationem fidei, aut per gratiam gratis datam curationum, aut operationis virtutum, quæ sunt communes iustis & peccatoribus, sint facta; sed aut post mortem Sancti, aut ad eius inuocationem, aut per eius preces, & maximè si fiant in testimonium virtutis ipsius. Alioquin si solis testium auricularium, & vnius tantum oculatis testimonio veniãt testata, parum aut nihil conducunt, quia vt tenet vulgare iuris proloquium ; *Dictum vnius, est*
85 *dictum nullius.* Verùm vltra † hæc miracula classica vt ita loqui liceat, sunt alia prodigiosa opera & Beneficia, quæ hominum vulgus miracula vocat, eò quòd humanam industriam & facultatem excedunt : possunt tamen à bono,& à malo Angelo fieri ; à quibus nonnullos viros aut fœminas nedum vita functos,sed etiam adhuc superstites commendat, vt eorum Sanctitatem supra modum extollat. In quo tamen commendationis & miraculorum genere,magnam accidere deceptionem, vtinam non cum tanto cordis dolore hiis temporibus experti fuissemus. Sunt huiusmodi miranda opera, expulsio Dæmonũ à Corporibus obsessis, odor suauissimus quo Corpus Sancti aut viuentis,aut in sepulchro iacentis interdũ perfunditur, quo circunstantes delectantur simul & in admirationem rapiuntur, cognitio cogitationum cordis, futurorum, aut rerum, quæ accidunt in loco valde distanti. Serenitas tempestatum in mari, sanatio infirmorum simul cum apparitione eiusdem personæ, quæ ab infirmis inuocatur; Raptus & extases frequentes, manere talẽ personam per aliquot dies aut etiam menses impransam,aut omnino,aut fere;calculorum,crucium,imaginum,& fragmentorum vestis distributio ad quorum tactum, & apprehensionem infirmi sanantur, vulnerati integrantur, stupidi redeũt ad vsum rationis,& quod maius est,peccatis irretiti ad meliorẽ frugem conuertuntur.
84 Sed quod neq;† ex hiis possit sumi efficax Sanctitatis eximiæ talis personæ argumentum,sic ostendo dupliciter. Primò quia hæc miranda opera possunt distingui in tres partes, quarum vnam damus imaginationi hominum, quia affecti erga eam personam,vehementer desiderant eius miracula videre, & quod affectu cupiunt,facilè in somnium,aut in imaginationem eorundem transit. Nam vt cecinit Poëta,

—— *Qui amant, ipsi sibi somnia fingunt.*

In quæ enim viuida passio eorum inclinat, & acri imaginatione reuoluunt, putant se videre, & audire ; quæ tamen,nec vident,nec audiunt. Sicut etiã ex eodem principio diximus oriri deceptorias reuelationes quarundam fœminarum, quia existimãt sibi Diuinitus suggeri & inspirari, id quod improba imaginatione reuoluunt,& ad quod acri passione inclinantur : est enim hoc vnicum principium, & reuelationes & miracula fingendi,aut quæ somnia sunt,vera existimãdi. Et cum dimidium facti, qui cæpit,habeat, Dæmon videns dimidium suæ deceptionis ab indoctis hominibus etsi deuotionis prætextu factitatum,alacer accurrit,& importunè se ingerit, & sicut acrius turbatis phantasmatibus suggerit pro reuelatione id, ad quod passio inclinat, ita suadet pro miraculo id quod æger somniat:aut id quod vehementi affectu desiderat ; aut etiam quod natura, & medecina suis terminis ac diebus decretorijs operatur. Quare alteram partem horum miraculorum damus Dæmoni,& tertiam Deo,qui in præmium fidei, spei & fiduciæ supplicantium,aut ex eorumdem impetratione, interdum illis qui se alicui existimato Sancto tota deuotione committunt, beneficia Sanctitatis, aut alterius negotij felicem exitum confert.

Tribus exemplis rem manifesto.Primũ accipimus ex Secretario Pij. II. *in eius vita, lib. 7.* 85
pagina. 314.in Carolo Infante Arragoniæ, qui cum aduersus suũ parentem Ioannem Regem velut alter Absalon, rebellaret : si non lanceis confossus,veneno saltẽ (vt fertur) interemptus corruit. Quem ipsius factiosi Cathaloni nobili Sarcophago humantes, vt eius inobedientiam & impietatem colorarent,rumorem Sanctitatis eximiæ Caroli per totum regnum sparserunt. Quo † sic sparso,illico ad eius Sepulchrũ multi 86
veneraturi vt Sanctum,cultus & Religionis ergo confluxerũt,miracula euulgant:& fama mirabilium sensim pererebescente; qui podagra, qui lepra,qui hidropisi,qui febribus laborabãt, se liberatos in Sancti Infantis sepulchro liberatos asserebant : tantúmque potuit mentiendi licentia,vt non defuerit, qui affirmaret in eius Sepulchro abscissam sibi linguam fuisse reintegratam. Fama vires accrescebat eundo; è culice Cameli formabantur, hirco Centauri confingebantur,pro veris falsa,& pro visis audita narrabantur: Sarcophagúsque iam pensilibus donarijs cæreis & argenteis vndiq;ornabatur. *Et potuit* (ait Grauina *1.p.sui Bazanithæ lib.1.c.7.* eundem commemorans casum) *vel fides alicuius eum sanare, vel in alio sponte sua morbus abscedere.* Cui nos addimus : atque etiam Dæmon potuit nonnullas ex hiis sanitates conferre, vt factiosos Caroli deciperet,aut in sua incepta deceptione conseruaret:nimirũ,& superstitiosos faceret. Nam teste Angelico Doctore 22.q.81.*ar.*
4. Superstitio † & impietas magna est,exhibere 87
cultũ,cui non debetur,vel eo modo quo nõ debetur.Et teste Hieronymo super Epistolam *ad Philippenses,relato.11.q.3.Si quis Sanctũ dicit non Sanctũ, & rursus non Sanctũ efficit Sanctum, abominabilis est apud Deum.* Cúmque processus de huiusmodi nænijs ad Romanũ Pontificẽ peruenirent,impostura detectæ sunt,& instar nebulæ ad præsentiã solis,omnis fictio dissoluta est:quod in multis contigisse, qui cũ opinione Sanctitatis,cõtra mentẽ Episcopi & Romani Pontificis,

defuncti ſunt, docuit Iudex veritatis ipſa Roma, quæ vanitates & inſanias falſas nunquam probat: ſatis firmum hoc axioma Catholicorum animis imprimens, non populi aut vulgi, qui dictis & factis eſt inconſtans, teſte *Philone*; & quo nulla eſt pronior via ad errorem vel præcipitium, ait Petrarcha *dialogo* 11. *de felici fortuna*: ſed † Romani Pontificis iudicio in
88 cultus materia ſtandum eſſe. Quare meritò, ne in hiis quæ ad cultum & venerationis Sanctorum materiam, prævaleant Patris mendacij & Angeli Sathanæ fictiones; Eccleſia iampridem huic veneno pharmachum ſalutis oppoſuit *in* 5. *Synodo Carthaginenſi c.* 14. decernens nullam memoriam Martyris (nedum Confeſſoris) probabiliter acceptandam fore; *Niſi aut ibi corpus, aut aliqua certa Reliqua ſint, aut origo alicuius habitationis vel paſſionis, fideliſſima origine tradatur.* Cuius rationem ſubdit. *Nam quæ per ſomnia & per inanes reuelationes quorumdam hominum vbique conſtituuntur, omnino reprobentur.* Et Innocentius III. in canonizatione ſanct. Homoboni, hano Sacram apponit Apotheoſim, in Eccleſia obſeruandam, videlicet,
89 † *Vitæ & miraculorũ requiritur atteſtatio, vt quis reputetur ſanctus in militanti Eccleſia.* Cuius etiam rationem ſubiungit: nimirum quia Sathanas transfiguratus in Angelum lucis, facillimè multa indiſcretæ plebi & ad nouitates pronæ ſuggerit falſa, quæ popularem multitudinem ad cultum extimulant; quod neque popularis induſtria, nec ſuperiorum authoritas firmare poſſet. Ecce in recenſita Hiſtoria Catoli trimembrem miraculorum diuiſionem: alia namque à Dæmone; alia à natura & Medicina, & alia à Deo mediante ſupplicantium bona fide fuerunt patrata, & defuncti Sanctitatis fictio fuit detecta.

Secundum præbet nobis Concilium Romanum ſub Zacharia Papa celebratum anno 745. vbi condemnatus fuit tanquam Hæreticus &
90 ſuperſtitioſus ſocius Dæmonum, † Aldebertus Epiſcopus, de quo quatuor *in libello ſeu Epiſtola de eius vita* conſcripta prodebantur: nimirum quod fuiſſet in vtero Matris ſanctificatus; quod hæc gratia fuiſſet coronata, ſcilicet per donum confirmationis, vel ſaltem perſeuerantiæ; quod fuerit miſſus à Deo vt Apoſtolus, & quod adhuc viuens ſuarum veſtium reliquias diſtribuebat: libellus autem, qui in dicto Concilio fuit lectus, & in eius actis continetur; incipiebat ſic. *Incipit Vita Sancti, ac Beati Aldeberti Epiſcopi ex electione Dei nati &c.* Et credendum, neque huic Aldeberto aliqua defuiſſe mirabilia opera, ab ipſius factioſis proclamata. Quibus tamen non obſtantibus in eo Concilio & ipſe fuit damnatus, & eius ſcripta incendio addicta. Igitur neque miraculis eſt credendum; niſi ad vnam ex tribus dictis claſſibus pertineant, atque alijs tribus conditionibus ad tollendam omnem deceptionis ſuſpicionem, roborentur: nimirum quod fiat ex aliqua rationabili neceſſitate, vel cum pia vtilite; & quod antequam euulgetur vt tale, habeat approbationem ab Ordinario, præmiſſa virorum ſapientium matura conſultatione iuxta decretum Synodi Tridentinæ *ſeſſ.* 25. *cap.* 1. & 2. ſequentis veſtigia Alexandri III. *in cap.* 1. *de reliquiis & Veneratione ſanctorum* ibi. *Cum etiamſi per eum miracula fierent, non liceret vobis ipſum pro Sancto abſque authoritate Eccleſiæ &c.* Et Innocenti III. *in cap. Venerabilis, de teſtibus,* & *cap.* 2. *eodem titulo* ibi. *Prælati non permittant eos, qui ad Eccleſias accedunt, variis figmentis aut falſis documentis decipi; ſicut in pleriſque locis, occaſione quæſtus fieri conſueuit.* Ingentem enim ſuſpicionem generant miracula, quæ ſine ſuperioris Prælati authoritate euulgantur: nec non Sanctitates, quæ antecedenter ad Sedis Apoſtolicæ approbationem venerantur, maximè quando quæſtum redolent in eleemoſynis, donarijs, & huiuſmodi recipiendis. Sunt namque iſti miraculorum patratores, & Sanctitatis ſpeciminis amatores, illius puellæ Macedoniæ imitatores, quæ Spiritu Pythonico *magnum quæſtum præſtabat Dominis ſuis*, vt refertur *Actorum.* 16.

Tertium exemplum nobis præbet Sancta Hiſpaniæ Inquiſitio, & ſupremus eius Senatus in quadam fœmina noſtri temporis, quam in duobus locis *ſui Bazanitha* Grauina, nimirum, 1. *part. lib.* 1. *c.* 6. *pagina* 107. & 2. *p. lib.* 2. *cap.* 3. *pagina* 182. comparat Aldeberto; *vtpote in qua ſimilia deprehendens* (ait ille) *Inquiſitio Hiſpaniarum vetuit libellos & reliquias eiuſdem, quam vt Sanctam populi venerabantur, ſuſpenſo iudicio de perſona.* Quam ſuſpicionem neque multitudo reuelationum & extaſum quibus effulgebat: neque miraculorum abundantia, quibus vbique gentium corruſcabat, vincere potuit. Videamus nunc qualiter hæc poſſunt eſſe non Diuina. In primis inter recẽſita occurrunt † expulſio Dæmonum, & odor 91
ſuauiſſimus. Quod autem hæc duo poſſint à Dæmone præſtari, patet: de primo quidem, quia ſi Dæmon eſt Superioris Hierarchiæ, quàm obſidentes, vel poſſidentes, poteſt ſuo imperio illos expellere à corporibus obſeſſis, vel poſſeſſis: aut etiam pactum inire potuerunt inter ſe, etiamſi æquales & eiuſdem Ordinis eſſent; vt ad verbum & placitum vnius, alij corpus obſeſſum relinquerent, vt ſic Veneratores Sanctitatis illudant, & perſonam pro ſancta veneratam in præcipitium vanæ præſumptionis adducant, & in ſuſcepta ſemel illuſione conſeruent. Quemadmodum & poteſt Dæmon vno ex duobus modis alicui Corpori alligari; vel voluntate ſua, vel ad imperium alterius Superioris: hiis enim duobus modis contingit, Dæmones illos quos paredrios, & vulgo familiares vocamus, annulo, vaſi, baculo, & ſpeculo, aut etiam corpori aëreo adoleſcentem repræſentanti, & more famulantium veſtito, inito pacto, vt ad imperium & nutum vocantis; ſiue vtentis tali annulo, vaſe, aut baculo, promptus accurrat, & eius voluntatem exequatur.

De ſecundo verò, ſcilicet odore; admiſſo, quod nec imaginatione circunſtantium confictus, nec ex fallacia ſenſus olfactus apparens ſit: quippe qui circa proprium obiectum (ſicut & alij ſenſus externi) decipi poteſt; ſed verus & vere ſenſibilis; adhuc poteſt à Dæmone fabricari. Nam ſicut Dæmon per mortem localem in quo eſt potentiſſimus, & applicando actiua paſſiuis, quia † in illo naturalia manſe- 92
runt integra poſt peccatum, vt tenet communis ſententia Theologorum: poteſt effingere colores ad viſum decipiendum, poteſt effigiare ſonitus & concentus ad auditum delectandum:

ita

ita & potest tanquam subtilissimus pigmentarius conficere odores, ex causis & rebus naturalibus virtutis nobis incognitæ, ad delectationem afficiẽdum olfactum. Quod & fecisse Dæmonem cum Sancto Iordane Secundo ordinis Prædicatorum Generali, legimus in eiusdem Ordinis historia, eũ quodam inexperto, & prope cælesti odore perfudisse; vt hoc medio eius sanctitatis famam extenderet, propter affinitatem quam acclamata Sanctitas habet cum odore; siquidem Paulus Apostolicam sanctitatem odori comparauit, dicens: *Christi bonus odor sumus.*

De tertio autem, quod putatur miraculum, scilicet cognitione, distantium secundum locum, cognitionum cordis, & futurorum: dico quod quantum ad primũ genus, optimè potest
93 † Dæmon omnes res naturales existẽtes in vniuerso quantũlibet loco distãtes cognoscere, quia omnes sunt præsentes eius obtutui, sicut & de præteritis quæ aliquãdo extiterunt, habet notitiam recordatiuã. Quoad secundum verò genus occultorũ; dico quod licet cognitio cogitationũ cordis, hoc est actuum intellectus & voluntatis, maximè liberorum, sit soli Deo reseruata, & cui ipse per donum discretionis spirituum, vel cogitationum cordis cognoscendarum gratiam gratis datam velit reuelare; ideoque sit Diuinitatis signum iuxta illud: *Ego Deus scrutans renes & corda.* Ideoq; Dæmon non possit eas in se ipsis sua naturali sagacitate, aut dono aliquo
94 gratuito cognoscere, vtpote cum † omnibus donis gratiæ manserit post peccatum orbatus; verumtamen potest illas aut ex aliquo extero signo coniectari, aut etiam certò cognoscere, provt in aliquo externo signo manifestantur. Quare inefficax & fallibile valde est experimẽtum, quo aliqui religionum Prælati sibi persuaserunt, extases & reuelationes quibusdam subditis suis diuinitus esse factas: nimirum quia ad mandatum internum ipsorum, aut à raptu redibant, aut absentes vocati ad eorum præsentiam veniebant, aut statum malæ conscientiæ visitantium extaticos causa deuotionis propalabant. Cùm tamen hæc Dæmon posset præscire, & suis extaticis, siue arrepticiis, aut à se illusis suggerere, eò quòd Dæmon huiusmodi interna mandata, potuerit cognoscere in signis externis, v.g. in motu silenti labiorum, aut in motibus faciei, aut etiam in verbis antecedẽtibus, quibus isti Prælati cum suis sociis & amicis cõfabulãdo exprimũt, quod corde facere tẽtant: aut hiis omnibus deficientibus, in phantasmatibus, quæ cum corporea sint, non latent sagacissimam Angeli cognitionem. Nam propter correspondentiam intellectus cum phantasia & cogitatiua; oportet namque iuxta Aristotelicum axioma, intelligentem phantasmata speculari in phantasmate, quod ista reuoluit; cognoscere potest Dæmon intellectus conceptum, & quia nihil volitum, quin præcognitum, ex conceptu cognito, colligit propositum in voluntate formatum: Aut etiam manifestat cognitiones quas ipse immisit & ideo probabiliter nouit. Statum autem conscientiæ adstantis, melius callere potest, quia vt in plurimum prouenit ex peccatis externis, v.g. detractionibus, periuriis, mendaciis & adulteriis perpetratis & nondum retractatis. Quod si proueniat ex peccatis purè internis, v.g. ex affectu vindictæ, & in desideriis libidinosis: adhuc penetrare potest Diabolus ex signis externis, ex effectibus consequutis, & passionibus concomitantibus appetitus sensitiui, irascibilis & concupiscibilis, quæ simul ad concomitantiam affectuum voluntatis excitantur. Quod si huiusmodi statum malitiæ purè internum ex prauis cogitationibus, suspicetur dumtaxat, nihilominus Diuinitatis æmulator illum cum asseueratione & sine formidine pandit; vt se omniscium ostentet. Quamuis hoc mihi signum euidens est, reuelantem palam huiusmodi conscientiæ status cum pudore & infamia adstantium, non esse diuinitus inspiratum; quoniam superius dixi, Deum suis reuelationibus neminem infamare.

Denique quantum ad tertium genus, scilicet futurorum; etiam † multos euentus futuros 95
Diabolus certò cognoscit: nimirum eos quos ipse decreuit facere Deo sic iubente, aut permittente, sicut futuram ruinam domus Iob sibi à Deo commissam præsciuit, & futuram mortẽ Saulis postridie etiam ex Diuina ordinatione prænunciauit per Pythonissæ Magiam, eò quòd Saul erat factum mancipium & peculium Diaboli: & futuram Regis Achab deceptionem, ex Dei permissione præsciuit, quando 3. *Regum* 22. dixit: *Ego decipiam Achab; Egrediar & ero Spiritus mendax in ore omnium Prophetarum eius:* nec non & illos, quos ex Sacris libris Prophetarum didicit, quos optimè callet: atque etiam illos, quos ab Angelis bonis Dei ministris, aut cum intersunt Diuinis consiliis audiunt, vt cõtigit in casu adducto Iob, & Achab. Item eos, qui habent causas naturales & necessarias ad vnũ determinatas & non impedibiles naturaliter per alias, vt futuras Eclipses, & futura in vere tonitrua; ex impedibilibus verò per causas naturales, quarum ordinem & connexionem cognoscit, sunt futura in mari tempestas, futurum infirmitatis incrementum, aut decrementum. Quod enim Astrologus sua sciẽtia naturali, Nauta ex signis cæli & aëris, & Medicus ex pulsu prænũtiat, melius potest Diabolus prænuntiare, qui † pollet huiusmodi na- 96
turalibus scientiis cum plenitudine luminis & specierum. Alia autem futura naturalia purè contingentia, & quæ rarò, aut casu eueniunt, non scientificè, sed probabiliter & coniecturaliter tantùm cognoscit: minúsque potest naturali acumine, eius Pseudoprophetia & Magia certò præscire futuros euentus à causis liberis pendentes, & quatenus impedibiles sunt per illas. Horum enim præscientia est Dei propria & Diuinitatis infallibile signum, iuxta illud Esaiæ 45. *Annuntiate nobis, quæ futura sunt, & sciemus, quia Dij estis.* In quorum proinde cognitione, imo & in eorum euentuum præscientia, qui habent causas naturales determinatas & naturaliter inimpedibiles, magnam patitur deceptionem, in pœnam suæ superbiæ, quæ ascendit semper ob excæcationem, qua fuit mulctatus, ob inuidiam & malitiam qua operatur, ob tormentorum acerbitatem, qua comptimitur & confunditur adeò, vt etiam circa naturalium causarum connexionem fluctuet; & quia nescit consilium Dei mutantis interdum sententiam comminationis, & suspendentis concursum debitum causis naturalibus. Vnde
† circa futuram Niniue subuersionem, & circa 97
futuram combustionem trium puerorum fornacem Babilonis intrantium errauit, illam

mente vt certam concipiendo; quam tamen Deus ſuo libero conſilio impediuit. Si tamē de hiis futuris purè cōtingētibus,& liberis aliquā coniecturalem & fluctiuagam notitiam habeat,qualem de Chriſti Diuinitate ex Prophetarum libris,& mirandis eius operibus habuiſſe,teſtatur Parens Auguſtinus *lib.9. de ciuitate, cap.21.* adhuc illam præceps ſuggerit ſuis Pſeudoprophetis,& per illos prænuntiat vt certam, vt Diuinitatem furetur, & cultum Deo debitum ſibi aſciſcat. Ex cuius æmulatione ab initio primos parentes decepturus, primus Dei nomen teſte Athanaſio *q.* 105. illis patefecit, dicens *Geneſis* 3. *Cur præcepit vobis Deus,&c.*

Vt autem modum quo Diabolus ſuam Pſeudoprophetiam & Magiam ſuis Aſſeclis com-
98 municat,explicemus;ſciendum eſt † Dæmoniacam reuelationem & Pſeudoprophetiam ab Authoribus, qui de hoc argumento tractarunt, diuidi in Oraculum,& Manganiam,ſiue Theurgiam,vt colligitur *ex cap. igitur 26. q.3.* & Auguſtino *lib.*10.*de ciuitat.cap.6.* Oraculum eſt reſponſum Dæmonis, quod ad ipſum conſulendum recurrentibus datur: Mangania verò ſiue Theurgia eſt quando Dæmon per mortuos,aut alia ſigna dat expreſsè ſua oracula. Sed melior & formalior eſt diuiſio tradita à Doctore Angelico 2. 2. *q.*95. *art.*2. nimirum quod omnis diuinatio Dæmonis vel eſt expreſſa, id eſt cum Dæmon inuocatur ad occulta manifeſtanda & danda ſua reſponſa:tacita autē,cum ex variis diſpoſitionibus rerum occulta vel futura quis cognoſcere ſatagit, & abſque expreſſo pacto præter intentionem operantis,Dæmon ſe intru-
99 dit. Rurſus totum † Diuinationis genus ad tres ſpecies fortè ſubalternas reducit : nimirum ad expreſſam Dæmonis inuocationem,& hæc pertinet ad Necromanticos;ad aliarum rerum diſpoſitiones & motus, puta animalium terreſtrium,aut volatilium quæ pertinet ad augures: ad aliquod opus à nobis factum, vt nobis aliquid occultum à Diuina voluntate pendens manifeſtetur,& hæc pertinet ad Sortiarios.Prima dicitur Necromantia,ſecunda Augurium,& tertia Sors.Hoc itaq; ſuppoſito ac prænotato;
100 quando † Dæmon aliquod occultum manifeſtat,aut futurum prædicit per corpus defuncti, hoc præſtat, aut illius linguam emortuam mouendo, aut voces intra illud, aut circum illud ex aëre percuſſo formando, ita vt appareat potius intra illius os, quàm extra loqui. Eodem modo exiſtimo eum loqui,& oracula dare,quando per arrepticios, vel à ſenſibus alienatos & in raptu Diabolico poſitos loquitur:mouendo ſcilicet eorum linguam,vt annuntient quod ille prædicit,& loquentes nihil intelligant.Quando verò hæc reſponſa dat per ſuos Pſeudoprophetas ac Diuinatores & Magos,aut etiam per illuſos ab ipſo extra raptum : qui re vera ſuam loquutionem vitaliter formant expreſſiuam illorum conceptuum, quos ex eiuſdem Dæmonis motione formant in mente. Motio autem hæc fit à Dæmone, non mouendo directè intellectum : quia in hunc directè agere non poteſt, niſi tantùm indirectè, & per modum proponentis, quod præſtat Dæmon aut loquutione ſenſibili, aut manifeſta, aut in aurem ſui Magi tacitè ſuggeſta : aut mouendo phantaſmata, à quibus intellectus humanus pro iſto ſtatu in ſuis operationibus dependet ; quæ phantaſmata à ſenſibus externis ortum habuere. Et hæc poteſt Dæmon de nouo immittere in phantaſiam mediis ſenſibilibus obiectis, quæ celerrimo ſuo motu locali poteſt ſubitò illi præſentare ; aut iam immiſſa à ſenſibus ita turbare,componere, commiſcere,& adaptare,& ſic adaptata intellectui præſentare,vt intellectus ſolùm apprehendat eam rem cogitatam, quam verſat cogitatiua;& quam Dæmon vult intellectum percipere, & verbis à ſuo Pſeudopropheta exprimi, ſiue verum ſiue falſum ſit,quod in ea continetur;de quo videatur Torre *tom.2. de religione, q.95.diſput.6. præambula, & art.2. diſp.1.*

De aliis autem miraculis, recenſitis *vbi ſupra*, ſcilicet de ſerenitate tempeſtatum,de apparitionibus in diuerſis locis, de curatione languorum ac vulnerum, de variis infirmitatibus ſanatis per tactum calculi, Crucis,aut imaginis datæ in nomine talis perſonæ,pro ſancta venerata : dicendum eſt cum Torre *diſput. 4.præambula ad quæſtionem 95.* aliquot † eſſe miracula 101
ſiue miranda opera quæ poſſunt Angeli,& Dæmones facere, & alia minimè:v.g. non poſſunt per ſe aut ſuos Magos ordinem vniuerſi inuertere, neque legem ordinariam præfixam à Deo mutare ; neque integrum elementum de ſuo loco exturbare : neque aliquam rem annihilare, aut ex nihilo producere,quia † creatio & anni- 102
hilatio ſunt proprium opus Diuinæ omnipotentiæ. Sed neque per ſe aut ſuos Magos poſſunt formam ſubſtantialem immediatè in materiam introducere, niſi mediis diſpoſitionibus præuiis aptis & proportionatis tali formæ,quas ſi introducant applicando actiua paſſiuis, poterunt & ipſam formam introducere. Vnde neque aliquod ex tribus claſſibus recenſitis miraculum verè efficere poſſunt,niſi tantùm fictè & ſecundum apparentiam, quos præſtigioſos effectus vocamus; notat idem Torre *diſput.7.præambula*, vbi ſcitè aduertit,quoties effectus Dæmonis vel Magi ſuperat facultatem naturæ, vt mortui ſuſcitatio, aut cæci à natiuitate illuminatio, aut transformatio vnius ſpeciei perfectæ in alteram non eſt verus,ſed apparens duntaxat & præſtigioſus,quia Dæmon ſua ſagacitate poteſt oculos perſtringere & ſenſus decipere, etiam circa propria obiecta: vt exiſtiment verum,aut viuum corpus,quod non eſt tale. Quare cum ſerenitas ſicut & excitatio tempeſtatum, non ſit de numero horum, ſed aliorum, per motum localem fieri poſſunt ; neque ſit exturbatio integri elementi à ſuo loco, ſed tantùm commotio vnius partis elementi, aëris ſcilicet aut aquæ intra proprium locum ; Hinc fit id præſtari poſſe à Dæmonibus per motum localem in quo ſunt potentiſſimi. Vnde & exorciſmi Eccleſiæ teſte D.Thoma 22.*q.*90.*art.*3. quibus creaturæ irrationales adiurantur ,puta grandines, locuſtæ, piſces &c. quando nocumentum populis minantur,qui fiunt per modum compulſionis,potius referuntur ad Dæmones ,qui vtuntur creaturis irrationalibus in nocumentum noſtrum ; & talis eſt (ait ille) modus adiurandi in Eccleſiæ exorciſmis, per quos Dæmonum poteſtas excluditur ab irrationalibus creaturis. Conditiones autem ad exorciſmum requiſitas aſſignat Delrius *lib.*3. *Magiæ q.*4.*ſection.*8.nimirum quod ſit Eccleſiæ Romanæ publico vſu receptus & probatus, aut propriæ Diœceſis formulis conformis, maximè illis, quæ in Ritualibus Romanis-

Romanis continentur, & quod nihil ſuperſtitionis aut vanitatis contineat, cuiuſmodi conſtat eſſe formationem proceſſus, citationem & alios actus iudiciales, provt latius explicat *lib.6.monit.11.*

Similiter & varij languores curari, & vulnera ſanari ab ipſis, & eorum Magis poſſunt, applicando actiua paſſiuis, in quo etiam ſunt val-
103 dè potentes; & aliàs cum † comprehenſiuè cognoſcant naturas & virtutes herbarum, lapidum, & aliorum ſimplicium, facillimè celeri ſuo motu poſſunt aliquid horum infirmis applicare, provt ægritudinis, aut vulneris qualitas expoſcit, & ſic eos, etſi non ſubitò, citius tamen ſanare, quàm poſſet ars medicinæ peritiſſimi Medici.

104 Apparitiones quoque poteſt facere † in corpore aëreo, quod adeò condenſatum efficere poteſt, vt humanum videatur, & illius perſonæ, quam vult repræſentare: de fidéque certum eſt has apparitiones feciſſe, quando Euæ in paradiſo in figura ſerpentis noxiam loquutionem emiſit, quando Sauli mortem prænuntiauit, ſecundum Sanctorum Patrum ſententiam dicentium, fuiſſe non veram animam Samuelis, ſed ſpectrum Dæmonis Samuelem repræſentans: quos citat Torre *tom.2. de religione q. 95. art.3. diſp.4* & quando Chriſtum in deſerto ieiunantem, in figura humana tentauit.

105 De † ſanitatibus autem aut felicitatibus obtentis per tactum vel apprehenſionem calculi, aut crucis, aut imaginis, ad eum effectum nullam virtutem habentium, euidens eſt eſſe effectus Dæmoniacos, ideſt virtute Dæmonis, qui vſui talium rerum vi alicuius pacti expliciti, aut ſaltem impliciti alligatus, accurrit ad operandos eos effectus ad quos inuocatur: eò quòd in huiuſmodi rebus & illarum vſu, vt ſcitè notat Torre *tom.2. de religione q. 96. art.4. diſp.1. concluſione 2.* nulla virtus ineſt naturalis aut ſupernaturalis, ad tales effectus corporales aut ſpirituales infallibiliter efficiendos. Non quidem naturalis, quia ridiculum eſſet exiſtimare, huiuſmodi rebus ineſſe à natura virtutem phyſicè effectiuam tam multiplicium & mirandorum effectuum corporalium, nedum ſpiritualium. Sed neque ſupernaturalis, quia hæc in Sacramentis dumtaxat nouæ legis & Sacramentalibus reperitur. Rurſus, nec ineſt eis virtus moralis cauſæ, quia ſi hanc haberent, eſſent ſigna à Deo inſtituta ad tales effectus producendos, ita vt in virtute alicuius pacti Dei, ac Diuinæ promiſſionis, qua Deus promiſerit ad præſentiam earum rerum & inuocationem talis perſonæ pro Sancta exiſtimatæ, ſe eos effectus eſſe operaturum. Atqui, neque hæc moralis cauſalitas, & ſignificatio in hiſce rebus inuenitur: quam enim proportionem cauſæ, aut ordinem ſigni, habet calculus cum ſanitate corporis, aut cum actu contritionis? Sed neque de tali Diuina promiſſione habemus aliquod authenticum teſtimonium Sacræ Scripturæ, Eccleſiæ aut Conciliorum, ſine quo de beneplacito Diuinæ voluntatis nihil certò eſt aſſerendum. Igitur iſtæ obſeruationes reducendæ ſunt ad ſignificationes per pacta Dæmoniaca ſiue explicita ſiue implicita: aliàs nulla ſuperſtitio vnquam in obſeruantia Scriptorum, amuletorum & Periaptorum inueniretur; quod planè eſt abſurdum & contrarium doctrinæ Angelici Doctoris *in eo art.4.* Vnde & harum rerum vſus & obſeruatio eſt contra octauam regulam noui Indicis expurgatorij, quæ prohibet tanquam ſuperſtitioſum, vſum calculorum, crucium, imaginum, capillorum & ſimilium rerum, quibus attribuitur virtus infallibiliter cauſatiua effectuum naturalium aut ſupernaturalium: qui à ſola Dei voluntate, aut etiam ab humano arbitrio dependent: atque etiam chartas prohibet, libellos ſcriptos manu ſiue typis mandatos, continentes priuilegia ſimilia, gratias ac virtutes talibus rebus conceſſas.

Reſtat denique de illo alio miraculo, ſcilicet, quod † perſona illa exiſtimata ſancta maneat 106
multo tempore impranſa. De quo dico etiam poſſe fieri à Dæmone; Pro cuius declaratione prænoto, hoc poſſe accidere vno ex tribus modis: nimirum, aut exhibendo ei aliquem cibum delicatiorem, corporeum tamen, maſticabilem & conuertibilem in ſubſtantiam aliti; quod planè Dæmon motu ſuo locali celerrimo & applicando actiua paſſiuis facere poteſt, imo & inuiſibiliter illum porrigere poteſt, ne à circumſtantibus videatur, nimirum, aut aliqua nubecula ſiue corpore opaco eorum oculos præcludendo, aut radios viſuales ab eorum oculis egredientes perſtringẽdo, aut ſpecies intentionales à cibo per aërem diffuſas remouendo, vt ſic adſtantium ſenſus ludificentur. Sed hoc propriè non eſt perſonam manere impranſam, ſed potius tantò melius pranſam, quantò cibus iſte cæleſtis aut è paradiſo allatus, aut arte Dæmonis compoſitus præſtaret eis, quibus homines concontinuò veſcuntur: Aut fortificando ſiue confortando humidum radicale contra vim caloris naturalis, ne ab illo abſumatur. Et hoc modo etiam facere poteſt Diabolus, vt homo aliquis ſiue fœmina maneat per plures dies & menſes impranſus, quia poteſt ei intrinſecus vel extrinſecus aliquod actiuum ſubtiliter applicare, dans humido radicali virtutem reſiſtendi voracitati caloris naturalis, ſicut & poteſt facere, ne charta, crux, vel imago eiuſdem perſonæ, quam vult in opinione ſanctitatis conſeruare, in ignem proiecta, ab illo abſumatur. Aut ſuſpendendo concurſum debitũ calori naturali, ne ſuam operationem exerceat in humidum radicale, & hoc ſolus Deus author naturæ poteſt facere, quia ſolus ille habet in ſua poteſtate concurſum debitum cauſis ſecundis naturalibus. Qua ratione ſolus Deus potuit tres pueros à flammis Babylonicæ fornacis illæſos ſeruare, per ſubtractionem concurſus debiti ighi ad comburendum. Quare huius generis mirandis operibus non iuuatur Canonizatio Sanctorum: bene tamen aliis, quæ ad vnam ex tribus claſſibus recenſitis ſpectant, & in quibus tres conditiones aſſignatæ reperiuntur. Vnde & Eccleſia in ſuis collectis quorumdam Sanctorum, illos à ſanctitate morum ſimul & à miraculis commendat, vt in oratione Sancti Hiacinthi. *Deus qui B. Hiacinthũ Confeſſorem tuum in diuerſis nationum populis, operum ſanctitate, & miraculorum gloria feciſti conſpicuum, &c.* & in oratione Sancti Nicolai Epiſcopi. *Deus qui B. Nicolaum Pontificem tuum innumeris decoraſti miraculis, tribue quæſumus, &c.*

QVÆSTIO

QVÆSTIO XXIV.

Præcedenti affinis.

An habere commercium & Societatem cum Dæmone ita ſit intrinſecè malum, vt nulla poſſit cauſa honeſtari?

§. I.

Explicantur modi quibus homines poſſunt habere huiuſmodi commercium & ſocietatem cum Dæmone, cum titulo Quæſtionis.

SVMMARIVM.

1 *Modi quibus homines cum Dæmone poſſunt habere comercium ſunt quinque.*
2 *Commercium ſine vllo pacto & conuentione cum Dæmone poteſt fieri quadrupliciter.*
3 *Commercium poteſt fieri cum Dæmone, etiam ſine vlla deprecatione aut ſubmiſſione, acceptando ſcilicet eius beneficium ſponte ſublatum.*
4 *Referuntur Authores, qui de hiis generibus Societatis aut commercij cum Dæmone ſcripſerunt.*

PRo intelligentia totius Quæſtionis & Tituli ipſius explanatione ſciendum eſt † omnes mo- 1
dos, quibus homines poſſunt cum Dæmone habere commercium, ad hos quinque reduci. Aut enim homo inuocat Dæmonem, aut petit aliquid ab illo, inito pacto ſiue explicito, id eſt reciproca conuentione vtrinque acceptata, ſi dederis mihi hoc quod poſtulo, faciam tibi hoc aut illud obſequium: ſiue implicito & tacito, quod neque expreſſam Dæmonis inuocationem, neque promiſſionem continet; ſed ſolùm in vſu quarundam rerum aut ſignorum conſiſtit, quibus Dæmon ſe immiſcet & aſſiſtit ad aliquos effectus mirabiles efficiendos, ad quos tales res de ſe neque virtutem, neque ſignificationem habent. Et quia hæc immixtio ſiue aſſiſtentia & deputatio Dæmonis vſui talium rerum, proceſſit ex alicuius Magi expreſſa cum Dæmone conuentione, aut illius explicita inuocatione, ideo vocatur pactum tacitum & implicitum, quaſi ortum habens ex aliquo antecedente pacto explicito; in quo iſtud veluti cauſa in ſuo effectu virtualiter reperitur, & implicitè perſeuerat.
2 Aut † commercium fit ſine vllo pacto & conuentione cũ Dæmone, hoc eſt, ſimpliciter illius opem implorando: & hoc contingit quadrupliciter, nimirum aut poſtulando Dæmonis opem ad opus quod eſt ſupra ipſius naturalem facultatem. v.g. quod reuelet ſecreta cordis alterius hominis, aut quod illius immutet voluntatem, aut quod aliquem euentum futurum liberum vel purè contingentem prænuntiet; aut etiam cum deprecatione poſtulando à Dæmone opem & auxilium ad opus quod eius naturalem facultatem non excedit, puta medicinam vulneri, vel morbo curando aptam & efficacem, vel conſilium in opere aliquo agendo, vel noticiam alicuius negotij quod ſit in loco valde diſtanti, vel alicuius veritatis ſcibilis per Methaphyſicam, ſiue Theologiam, ignotæ tamen interroganti. Aut † ſine vlla deprecatione & reuerentia aut 3
ſubmiſſione fieri poteſt commercium cum Dæmone, acceptando eius beneficium ſponte oblatum, puta obſequium, ſeruitium, famulatum, auxilium, conſilium, inſtructionem ſiue noticiam, quin ex parte hominis acceptantis aliqua petitio, ſiue deprecatio interueniat: Aut imperando, compellendo ſcilicet, vel expellendo; & hoc vel in exorciſmis quibus vtitur Eccleſia, vel etiam vtendo ſimplici imperio extra exorciſmos. De
† hiis generibus ſocietatis aut commercij cum 4
Dæmonibus videantur Delrius *lib. 3. Magiæ p. 2. ſectione* 1. per quatuor breues quæſtiones, & Torre *tom. 2. de religione q. 95. art. 4. diſput. 1.* & *q. 96. art. 4. diſput. 1.* & *duabus ſequentibus*: vbi etiam cenſuras & officij qualitates, quas promerentur huiuſmodi cum Dæmone commercia ſatis expendunt. Quare ſenſus quæſtionis & eius tituli eſt. Vtrum licitum ſit aliquod genus commercij ex recenſitis cum Dæmone, & liberum ab omni ſpecie ſuperſtitionis, videlicet vel cum pacto & inuocatione, vel cum reuerentia & deprecatione auxilij, ſiue obſequij ſponte à Dæmone oblati: vel cum imperio & compulſione extra exorciſmos.

§. II.

Quæſtio deciditur diſcurrendo per ſingula commercij genera ſingulis aſſertionibus.

SVMMARIVM.

5 *Imperare Dæmones & expellere illos ab energumenis, quod fit per Eccleſiæ exorciſmos, licitum eſt & ſanctum.*
6 *Dæmones non licet adiurare ad aliquid per eos addiſcendum vel obtinendum, niſi forte ex ſpeciali inſtinctu, vel reuelatione Diuina.*
7 *Poteſtas eiiciendi Dæmones competit omnibus & ſolis exorciſtis.*
8 *Exorciſmorum & orationum formula, qualis eſſe debeat.*
9 *Iuxta formam Ritualis Romani licitum eſt in exorciſmis interrogare Dæmonem de tribus.*
10 *Refertur exemplum de Sancto Dominico ſimiles interrogationes comprobante.*
11 *Dæmoni in arreptitio dicenti, ſe eſſe miſſum à Deo ſpeciali miſſione, vt veritatem aliquam diuinam teſtetur, &c. non eſt credendum, niſi ſuam miſſionem patenti miraculo, aut teſtimonio Scripturæ comprobet.*
12 *Diuus Thomas dicens nos poſſe conſentire Dæmoni in corpore aſſumpto formam alienam accipienti,*

accipienti, quando suggerit aliquod bonum, quomodo est intelligendus.

13 *Tres sunt modi adiurationis assignati à D. Thoma.*

14 *Potestas adiurandi & coniurandi expulsiuè Dæmones æqualis est & eiusdem virtutis cum illa, quam habent Clerici gradu exorcizatus initiati.*

15 *Potestas exorcistarum exercetur circa arreptitios siue energumenos.*

16 *Possessi à Dæmone sunt illius habitaculum, ac domus in qua habitat.*

17 *Obsessorum modus duplex.*

18 *De obsessorum numero fuisse Iobum & Saulem, suadetur dupliciter.*

19 *Maleficianti quinam dicuntur.*

20 *Alia sunt signa possessorum & obsessorum, alia maleficiatorum.*

21 *Dæmoniacis vexationibus diuersis, diuersa remedia sunt adhibenda.*

22 *Facultas Dæmonis quousque circa corpora extendatur.*

23 *Ligatus per maleficas artes, quomodo se debeat disponere ad medelam.*

24 *Non omnes vexationes illatæ à Dæmone tolluntur per exorcismos.*

25 *Inter duos errores extremè oppositos media via est tenenda.*

26 *Referuntur qui asserunt aliquibus rebus naturalibus inesse virtutem naturalem cogendi Dæmones directè & per se, &c.*

27 *Hæretici quidam negant exorcismis & aliis rebus consecratis virtutem supernaturalem fugandi Dæmones.*

28 *Respondetur experientiis Sectariorum & Magorum.*

29 *Ratio cur Melancholici Dæmonum inuasioni & vexationi sunt aptiores.*

30 *Authorum quorundam de Magorum potestate ad ligandos Dæmones opinio est vana.*

31 *Triplex est modus, quo solent Sancti Dæmones alicui certo loco vincire.*

TÀ certioribus exordium sumamus. Prima assertio sit; † Imperare Dæmones & compellere eos ad expellendos illos ab energumenis, quod fit per Ecclesiæ exorcismos, licitum & sanctum est. Ab hac assertione nullus Catholicorum dissentit, quia est certa secundum fidem; eámque confirmat communis vsus & praxis Ecclesiæ. Neque sic colloqui cum dæmonibus est habere commercium, aut societatem aliquam cum illis, sed potius est eos vt hostes humani generis tractare, hostiliter agendo contra illos exorcismis, vt corpora obsessa siue possessa relinquant libera, etiam inuiti & coacti. In quo nullum est peccatum, vt benè notat Caietanus 2.2. *q.*90. *art.* 2. ibi: *Ad hostes autem dupliciter nos inculpabiliter exhibemus; scilicet expulsiuè, vel impulsiuè. Et propterea his solis duobus modis per se loquendo licitè ad dæmones nos habemus: vel expellendo, vt in exorcismis & orationibus supra arreptitios fit: vel compellendo; vt sancti viri sæpe faciunt, præcipiendo eis Diuina potestate, quâ se eos compellere posse sciunt, vt aliqua dicant, vel faciant: non vt spontanei, sed vt hostes in captiuitate seruitutis redacti; quomodo Deus & Angeli vtuntur ministerio Dæmonum.* Hæc Caietanus de imperio exercito in dæmones expulsiuo virtute exorcismorum: atque de compulsiuo præcisè, hoc est non ad finem expulsionis ordinato; & hoc, inquit, solis Sanctis quandoque conuenire, qui ad imitationem Sanctorum Angelorum ex speciali Dei instinctu sciunt se habere potestatem compellendi Dæmones, nedum in arrepticiis ad quos strictè extenditur potestas Exorcistarum & coniuratorum; sed etiam in corporibus assumptis, ad aliquid dicendum, vel faciendum. Quam doctrinam adstruxerat D. Thomas *in corpore eiusdem articuli* 2. *ad calcem*; dum ait † neutiquam licere Dæmones adiurare, ad aliquid per eos addiscendum vel obtinendum: *quia hoc pertinet ad aliquam societatem cum ipsis habendam.* Et subdit: *Nisi fortè ex speciali instinctu, vel reuelatione Diuina, aliqui Sancti ad aliquos effectus dæmonum operatione vtantur: sicut legitur de Beato Iacobo, quod per Dæmonem fecit Hermogenem ad se adduci.* Et de Sancto Theodoro Episcopo Sedunensi refertur, quod ingentem campanam sibi à Leone Papa donatam fecit à Roma Sedunam per dæmones portari: & de Beatissimo Patriarcha Dominico legimus, quod dæmonem in figura Leonis noctu intra claustra monasterij cuncta eius loca circunstantem inueniens: illum compulit in nomine Domini, vt eum sequeretur, ac quid in singulis Monasterij locis lucraretur, coactus responderet: & altera vice eum coëgit, vt manibus candelam teneret. Sed in huiusmodi ministerio compulsiuo Dæmonum, viri Sancti non sunt imitandi, vtpote quibus ex diuina dispensatione id conceditur supra vel præter ordinariam legem in Ecclesia militanti statutam; in qua solùm est à Christo Domino relicta potestas per orationes & exorcismos expellendi dæmones ab energumenis. Quæ colligitur ex illo Lucæ 10. *Ecce dedi vobis potestatem calcandi supra serpentes, & supra omnem virtutem inimici, & nihil vobis nocebit.* Et ex illo *Marci vltimo*, vbi eandem Christus pollicetur potestatem dicens: *Signa autem eos qui crediderint hæc sequentur. In nomine meo dæmonia eiicient, &c.* Igitur † hæc potestas conuenit omnibus & solis exorcistis, hoc est, illis qui tertio gradu ordinum minorũ initiati sunt: est enim tertius gradus, exorcistatus, qui imprimit characterem spiritualem, qui est potestas ad expellendos Dæmones ab energumenis; Acolythatus autem est quartus gradus, ac proinde hæc potestas competit Acolythis, Subdiaconis, Diaconis & Presbyteris, in quibus supponitur susceptus exorcistatus. Quod vsus huius potestatis fiat dumtaxat per exorcismos & orationes, colligitur ex vsu & praxi Ecclesiæ, & ex Patribus ac D. Thoma, qui ita praxim & vsum huiusmodi potestatis intellexerunt. Quæ † verò exorcismorum & orationum debeat esse formula, iam diximus ad calcem quæstionis præcedentis, debere esse consueram in Ecclesia & in rituali Romano præscriptam, finiendo illas *per eum qui venturus est iudicare viuos & mortuos*; quia iste est modus proprius finiendi orationes istas exorcismales ab Ecclesia comprobatas: cum tamen ceteræ finiri soleant, *per Christum Dominum, &c.* vt colligitur *ex Concilio Carthaginensi* 4. *canon.* 4. & notat Micrologus *de obseruation. Ecclesiast. cap.* 7. cuius diuersitatis causa

cauſa eſt, quoniam Dæmones nihil magis exhorrent quàm extremi iudicij memoriam, quo omnes in æternam gehennam detrudentur. Vnde † licitum eſt in exorciſmis iuxta 9
formam Ritualis Romani interrogare dæmonem de tribus; videlicet de cauſa ob quam obſedit illum hominem, & nomen ipſius, ac numerum obſidentium, ad imitationem Chriſti, qui id feciſſe conſtat ex Euangelio. Et præterquam quod hoc iubet Rituale Romanum, & communis ſententia Theologorum, videlicet Sylueſtri V. *adiuratio quæſt. 5.* Delrij *lib. 6. Magiæ cap. 3.* Thiræi *de dæmoniacis, cap. 46.* Leſſij *lib. 2. de iuſtitia cap. 42. dub. 13.* Valencia *2. 2. quæſt. 8. diſputat. 6. puncto 2.* & Sanchez *in ſumma lib. 2. cap. 42.* qui etiam vniformiter ſentiunt, quod in hiis, quæ virtute exorciſmorum fatentur Dæmones, poteſt eis fides præſtari, quoniam non ex propriis loquuntur, ſed coacti Diuina virtute: *Quoniam exorciſmis cogitur Dæmon veritatem fateri*, ait Delrius; & Sanchez ſubdit. *Quando diuina virtute ex ſacrorum hominum adiurationibus adiguntur, vt cauſas fateantur propter quas hominibus moleſti ſint, non dubitandum, quin ipſis fides haberi poſſit.* Poteſt quidem, ad id enim interrogantur: alioquin fruſtranea videretur talium interrogatio. Sed non debetur eis ex neceſſitate fides, quia patres mendacij ſunt, & exorciſmi poſſunt ſuo effectu quem non cauſant omnino ex opere operato, ob culpam exorcizantis, vel ob aliam occultam cauſam, fruſtrari iuſto Dei iudicio.

10 Exemplum † affert Abraham Louius anno 1213. de Sancto Patriarcha Dominico, qui concionem faciens ad populum in Carcaſona, hominem à Dæmonibus arreptum ad ſe vocauit, & virtute compulſiua vtens, qua Sancti donantur, eum compulit, vt has veritates coram populo inuitus & coactus fateretur, videlicet quot eſſent? qui dixerunt, quindecim millia, & ob quam cauſam? reſponderunt, quoniam ille homo quindecim Roſarij myſteria ab ipſo Sancto prædicata, irridebat, & blaſphemabat, vnde pro ſingulis myſteriis, ſinguli millenarij Dæmonum eum torquebant: & iterum quæ perſona Sancta in cœlo eſſet illis magis tremenda? Reſponderunt S. Virginem Mariam, quæ etiam tunc in aëre cum centum Angelis aureas virgas tenentibus apparuit nimio fulore coruſcans, vt Dæmones ad huius veritatis confeſſionem adigeret, quam ore hominis poſſeſſi proferre renuebant. Rogabis, quid
11 ſi Dæmon † in arrepticio dicat ſe eſſe miſſum à Deo ſpeciali miſſione, non vt miniſtrum iuſtitiæ permiſſum vt ſolet, ſed miſſum vt veritatem aliquam diuinam teſtetur, aut vt auditoribus pœnitentiam aut aliam virtutem ſuadeat? Reſpondeo nequaquam in hoc caſu illi credendum eſſe, quia id eſt contra leges ordinarias & regulas communes Eccleſiæ, in quibus non eſt credendum Deum diſpenſaſſe, taliſque credulitas erronea foret in fide, niſi talis ſpecialis miſſio parenti miraculo, aut teſtimonio Scripturæ comprobaretur, iuxta diſpoſitionem *cap. cum ex iniuncto, de hæreticis.* Tum etiam quia quando perſona cui fit reuelatio priuata, eſt arrepticia, eo ipſo fit de veritate reuelationis vehementer ſuſpecta, etiam ſi iuramento affirmaret eſſe diuinam: vt tradunt ex communiter recepta regula apud Theologos, Turrecremata *Introductione Defenſorij reuelationum Sanctæ Brigittæ*; Sanctus Vincentius Ferrer *tractatu de vita ſpirituali cap. 11.* & Thireus *lib. de apparitionibus* Delrius *lib. 4. Magiæ cap. 1. quæſt. 3. ſect. 2.* & Torre *2. 2. quæſt. 95. art. 3. diſput. 3. in 3. claſſi ſignorum.* Qua ratione probat Firmilianus *Epiſtola ad Cyprianum*, quæ in ordine Epiſtolarum Cypriani eſt 75. nullatenus reuelationibus arrepticiorum eſſe credendum; quia non à Diuino ſed à maligno ſpiritu aguntur. Eodémque argumento probat Miltiades teſte Euſebio *lib. 7. cap. 18.* Prophetias Montani fuiſſe falſas, quia licet ſponte inciperet vaticinari, arreptus eas proſequebatur. Id ipſum probat Maſſeus *Chronicorum lib. 20. de prophetiis monialium Conuentus Quercenſis* anno 1491. cui ſimilem caſum vidimus in noſtra Hiſpania paucis abhinc annis.

Dices; quod † D. Thomas *opuſculo 17.* 12
cap. 10. contra retrahentes ab ingreſſu religionis, reſpondens ad quartum argumentum, quod eò tendebat vt probaret ingreſſum Religionis eſſe opus indigens moroſa conſultatione, ne volens ingredi à Satana ſe transfigurante in Angelum lucis decipiatur, ait cum Gloſſa ſuper idem Pauli teſtimonium *2. ad Corinth. 11.* nos poſſe conſentire dæmoni in corpore aſſumpto formam alienam accipienti, quando ſic ſuggerit aliquod bonum quod bonis Angelis congruit, etiamſi illud ſuggerat cum intentione fallendi vt ſolet: & concludit permiſſiuè: *Detur ergo quod Diabolus aliquem incitet ad religionem intrandum, hoc opus bonum eſt & bonis Angelis congruum. Vnde non eſt periculum ſi quis ei in eo conſentiat. Sed vigilandum erit vt ei reſiſtatur, cum ad ſuperbiam vel alia vitia inceperit ducere: frequenter enim contingit, quod Deus vtitur malitia Dæmonum in bonum ſanctorum, quibus præparat coronam inuictis; & ſic eis, à ſanctis illuditur, &c. & ſic religionis propoſitũ à quocunq; ſuggeretur à Deo eſt:* Eò quòd externa ſuggeſtio ad bonũ, nõ habet efficaciam niſi à Deo intus attrahente. Reſpondeo id intelligi de diabolo (vt patet ex contextu) in corpore aſſumpto mentiente figuram Angeli lucis aut hominis Sancti: ſecus verò, quando declaratur in arreptitio, in quo ſcimus diabolum eſſe, qui loquitur; tunc enim nullatenus eſt illi credendum, nec eſt à nobis audiendus etiamſi vera dicat.

Hiis ſuppoſitis ac prænotatis probatur noſtra aſſertio. Primò ſic; Licitus & laudabilis eſt vſus poteſtatis à Chriſto Domino conceſſæ eis, qui illa prædita ſunt: ſed imperare dæmonibus expulſiuè, hoc eſt ad finem expellendi eos ab energumenis, per orationes ab Eccleſia approbatas ſiue conſuetas; eſt vſus poteſtatis ſpiritualis datæ exorciſtis à Chriſto Domino, ad quem vſum talis poteſtas ordinatur: ergo licitus eſt & laudabilis, ac proinde ab omnis ſuperſtitionis labe immunis. Secundò probatur ratione deſumpta ex Angelico præceptore *2. 2. quæſt. 90. art. 2.* nuper allegato: vbi diſtinguens † tres modos adiurationis; vnum 13
quidem per modum deprecationis vel inductionis ob reuerentiam Diuini nominis; alium per modum compulſionis, ad repellendum Dæmones; & alium etiam per modum compulſionis, ad aliquid addiſcendum,

vel

vel obtinendum à Dæmonibus : ait primum & tertium esse illicitos, quia ille ad amicitiam & beneuolentiam cum Dæmonibus, iste verò ad societatem cum ipsis habendam pertinet; quarum neutra nobis vti licet. Secundum autem esse nobis licitum ; eò quod Dæmones in cursu huius vitæ sunt nobis dati in hostes & aduersarios, quorum actus nostræ dispositioni non subduntur, sed dispositioni Diuinæ & Sanctorum Angelorum; iuxta illud Parentis Augustini *lib. 3. de Trinitate cap. 4. Spiritus deserior regitur per Spiritum iustum.* Sed vnicuique licitum est secundum modum suæ potentiæ repellere hostem, & vitare nociua: ergo possumus Dæmones adiurando per virtutem Diuini nominis tanquam inimicos repellere ; ne nobis noceant spiritualiter, vel corporaliter, secundum potestatem Diuinam datam à Christo Domino in locis præallegatis Euangelij. Hæc autem non est alia, quam data exorcistis ; cui dumtaxat voluit Christus Dæmones esse subiectos respectu hominum viatorum, & secundum ordinariam legem.

14 Hinc colligo Primò : hanc † potestatem adiurandi & coniurandi expulsiuè Dæmones, æqualem esse & eiusdem virtutis quantum est de se in omnibus Clericis gradu exorcizatus initiatis : sicut & character per Sacramentum ordinis illis collatus ex opere operatus, æqualis est, etsi recta Ecclesiæ cõsuetudo ac debitum honestatis postulēt, vt coram Superioris ordinis Clerico, minoris gradus Clericus ipso inuito, huiusmodi munus exercendū non attentet; vt scitè Delrius *lib. 6. Anacephaleosis monitione* 10. adnotauit. Qui ibidem quoque notat, suspectos esse Dæmoniaci pacti tum Laicos, tum Clericos nondum initiatos gradu exorcistarum, qui hoc munus exorcizatorum & coniuratorum erga arrepticios quasi ex officio aut ex peculiari Dei gratia siue dono vsurpant : tum etiam illos Clericos & Religiosos atribuentes sibi ad exorcizandum, peculiarem & maiorem virtutem, quàm ceteris eiusdem ordinis aut gradus. Nec tamen per hoc intendit hic author excludere, quin aliqui Clerici aut Religiosi ex opere operantis & per modum impetrationis in exorcismis plus alijs eiusdem ordinis & gradus operentur. Hæc enim inæqualitas à Deo manifesta experientia constat, vt à nemine prudenti queat negari.

15 Colligo Secundò; huiusmodi † potestatem exorcistarum exerceri circa arrepticios siue energum nos, hoc est circa illos quorum corpora Dæmon inuadit Dei iussu aut permissione possidendo vel obsidendo, & simul cum potestate affligendi & vexandi illa. Vtramque enim condicionem requiri, vt quis sit energumenus siue arrepticius, notant Mengus *in fuste Dæmonum*, Thireus *disputat. de Dæmon. part.* 3. Delrius *lib.* 3. *suæ Magiæ quæst.* 4. *section.* E quibus alij dicuntur possessi, nimirum quorum corpora Dæmon ingreditur (vt communis tenet Theologorum distinctio) & in quibus adest verè & realiter secundum suam essentiam, non vt forma informans aut integrans corpus, sed vt in loco & domicilio per illapsum. Idque deno-
16 tat Christus Dominus *Lucæ.* 11. dicens † possessos à Dæmone esse illius habitaculum ac domum in qua habitat. Vnde per exorcismos externè à tali corpore compelluntur : & quando compulsi corpus inuasum relinquunt, verè dicuntur exire : exitus autem ab aliquo loco, supponit ingressum in eundem locum, quia nemo egreditur de loco aliquo, nisi quem antea verè & secundum suam substantiam fuerat ingressus. Neque in hoc est credendum reuelationi Sanctæ Ildegardis apud Theodericum Abbatem *lib. 3. vitæ illius cap.* 20. dicentis, se de quadam energumena in vera visione vidisse Dei permissione, quadam nigredine & fumo Diabolicæ conglobositatis obsessam & obumbratam, sed nunquam Deum permittere, vt Diabolus in sua forma hominem intret. Si enim sic hominem intraret, ilico tanquam stipula à vento solueretur, quoniam huic reuelationi obstat, tum egressus Dæmonis, vt dictum est à corpore possesso, qui supponit ingressum : tum etiam Theologica distinctio inter obsessos & possessos à Dæmone : tum quia ratio Ildegardis nullius est momenti ; neque Dæmon intrat corpus hominis vt forma illius contraria aut compatibilis cum forma substantiali, & vita ipsius hominis, sed applicatiuè dumtaxat vt locatus in loco, & vt motor instrumento organicò vsurus : vt fusè explicat Abulensis *in cap. 7. Exodi quæst.* 16. Gennadius *lib. de Ecclesiastic. dogmatic. c.* 82. & Cæsarius *lib. 5. cap.* 15. Christus quoque Dominus *Mathæi. 5.* iubet Dæmones de corpore exire : igitur sentiebat illos intus esse. Ex quibus liquet quandoque personas priuatis reuelationibus assuefactas etiam veris, non discernere sæpius inter Diuinas, & eas quas in somno, aut ex proprio Spiritu & forti imaginatione accipiunt.

Alij verò dicuntur † obsessi, quorum cor- 17
pora Dæmon non intrat, sed extrinsecus arripit & torquet; & horum adhuc est duplex modus. Alios namque continuò torquet & explicitè, alios autem tacitè & implicitè, operando in illis, certis temporibus interuallis, dolorem, tristitiam, torporem, aut pituitam suffocantem, aut horrorem celebrandi altaris Sacrificium; vt lunatico Euangelij contigit secundum Petri Chrysologi sententiam, quem singulis Lunæ terminis Diabolus torquebat, vt quod Diabolici furoris erat, lunæ periodis, & non ipsi Diabolo tribueretur. De obsessorum numero credendum est fuisse Sanctum Iob, quem Dæmon Dei permissu cruentis & supra humanum modum plagis affecit, qui proinde se à Domini manu tactum cognouit, id est à Diabolo vt Diuinæ virtutis instrumento : nec non Saulem, quem Spiritus Domini malus vexabat. Quod mihi suadeo ex duplici capite. Tum, quia neque eius animam omnino Diabolica vexatio sepiebat, neque à discursu alienabat, quin in eis operationibus esset culpabilis : quis enim dicet illum quando lanceam in Dauidem retorsit, non peccasse? minus tamen in Iob, cuius animam à Dæmonis turbatione Deus reseruauerat. Neque Dæmon in Saule loquebatur, eius lingua vt instrumento vtens, vt in possessis assolet. Tum etiam, quia non continuò, sed quibusdā temporis periodis eum vexabat. Vnde ad concentum Dauidicæ cytharæ leuius ferebat, id est liber à Dæmonis exagitatione manebat; eò

quòd concentu cytharæ eius humores temperabantur, quos ſic temperatos inueniens Dæmon non conturbabat; qui humoribus non placidis ac temperatis, ſed intemperatis & confuſis ſe ad effectum conturbationis attemperat.

19 Alij ſunt † maleficiati; quos Dæmon nec interius poſſidendo, nec exterius obſidendo torquet aut vexat; ſed ſolùm applicando actiua paſſiuis malo aliquo, damno corporali, vt tumore, febri continua oſſa exſiccante, aut etiam ſimul ſpirituali imaginationis & phantaſiæ læſiuo, puta amentia, lethargo, aut amatorio ligamine afficit ex pacto inito cum maleficis; aut etiam per ſeipſum immediatè maleficium exercens. Quod dupliciter fit; aut Diabolo applicante actiuum, & cum illo concurrente ſimul & aſſiſtente, aut poſt applicationem actiui v.g. veneni, ſe omnino ſeparante & ſuum concurſum & aſſiſtentiam
20 ſubtrahente.† Signá que proinde,alia ſunt poſſeſſorum & obſeſſorum, & alia maleficiatorum: in illis namque ſunt continua, aut explicita vexatio, arreptio & exagitatio, vſus linguæ maximè quando per illam profert arreptus idiomata, quæ non nouit, raptus per aëra, in currendo aut ſaltando velocitas excedens naturalem ſexus conditionem, corporis ponderoſitas, ſi tanta ſit vt vix è loco à quatuor robuſtis viris dimoueri queat; futurorum ſiue occultorum manifeſtatio, vultus geſticulationes fædæ aut ridiculæ, & ſimilia, quæ aut ſingula proſunt, aut ſaltem collecta iuuant. In iſtis verò ſunt effectus & ſigna maleficij ſtrumæ & inflationes in aliqua corporis parte turgentes,vermium in ventre, aut acuum ferri, lignorum & aliarum rerum ſolidarum in ventre generatio,morbus grauis ex leui cauſa ſuccreſcés, aut incognitus & ſubitò intenſus; aut cognitus, cui medicinæ pharmacha non proſunt; de quibus videndi ſunt Delrius *lib.6. Magiæ cap.2. ſectione* 1. & Torre *tom.2.de religione q.96.art.2. diſput.* 11. Quare ſi velis Sanctum Iobum plagis inſanabilibus affectum, & Apoſtolum Paulum, Angelo Sathanæ colaphizatum, hoc eſt ſecundum quoſdam Patres Dæmone vexatum, aut ſecundum alios, dolore inteſtino laborantem à Dæmone excitato; potius maleficio læſos, quàm à Dæmone obſeſſos, non inficior: niſi mauis Paulum neque maleficio læſum, neque ab obſidente Dæmone, ſed aſſiſtente dumtaxat, (qui vulgo dicitur arrimadiço) vexari; ſicut Sanctus Romualdus per quinquennium fuit à Dæmone aſſiſtente extrinſecus & ſuper eius pedes iacente inſtar phantaſtici ponderis aggrauatus.

21 Sicut autem iſtæ † Dæmoniacæ vexationes ſunt diuerſæ; ita quoque diuerſa ſunt eis remedia adhibenda, quæ recenſent exactè Delrius *vbi ſupra ſectione* 2.& 3.& Torre *diſput.*12.&13. Et quidem pro energumentis poſſeſſis ſiue obſeſſis curandis ſola remedia ſupernaturalia vim habent,nimirum Sacramentorum & Sacramentalium vſus frequens: atque exorciſmi ad hunc effectum ab Eccleſia inſtituti & ordinati. Pro ſanandis verò maleficiatis non ſoli exorciſmi ſufficiunt etſi proſint aliquando, ſed aliis remediis aut naturalibus aut ſupernaturalibus vtendum.Nam in maleficio cuius noxa & læſio à ſola cauſa naturali dependet ſemel applicata,nihil prodeſt exorciſmus, quia tunc ibi non adeſt dæmon ſecundum præſentiam & aſſiſtentiam,ad quem proinde verba exorciſmi imperioſa & compulſiua dirigantur,neque effectum aut poteſtatem dæmonis retundendi, & eum fugandi habent, ad quem per ſe ordinantur, ſiquidem ibi non aſſiſtit Dæmon. Et cum huiuſmodi noxa & læſio eiusdem rationis ſit cum eis,quæ proueniunt ex cauſis naturalibus, pariter pharmachis potius medicinalibus curanda eſt. Verùm in maleficio cuius noxa & læſio à cauſa naturali applicata, & ſimul à Dæmonis aſſiſtentis concurſu & influentia prouenit, (neque aliud genus maleficij agnoſco, cuius noxam ſolus Dæmon ſine applicatione alicuius actiui efficere poſſit, cum † eius facultas 22
dumtaxat ad motum localem, & applicandum actiua paſſiuis circa corpora extendatur) ad hanc igitur noxam tollendam quatenus à cauſa naturali dependet conducent pharmaca medicinalia: quatenus autem à Dæmonis influxu & aſſiſtentia prouenit & conſeruatur, conducent exorciſmi. Hoc probatur ex Canone *ſi per ſortiarias* 33.*q.* dicente, quod † ligatus per ſortia- 23
rias & maleficas artes (eadémque eſt ratio de aliis maleficiis, quæ hîc adſtruitur de maleficio ligaminis) ne ad vxorem accedere poſſit, iuſto Dei iudicio permittente & Diabolo præparante, debet ſe diſponere ad medelam, per puram peccatorum confeſſionem, per ieiunia,eleemoſinas, & orationes. Et ſubdit: *Et per exorciſmos ac cætera Eccleſiaſtica medicinæ munia, miniſtri Eccleſiæ tales quantum Dominus annuerit (qui Abimelech & domum eius Abrahæ orationibus ſanauit) ſanare procurent.* Conſonat D. Thomas *in* 4.*diſp.*34.*art.*3.*ad* 3.dicens: Exorciſmi Eccleſiæ non valent ad reprimendum Dæmones ſemper, quantum ad omnes moleſtias corporales, iudicio diuino hoc exigente:ſemper tamen valent contra illas infeſtationes Dæmonum, contra quas principaliter inſtituti ſunt. Intelligit autem Sanctus Doctor,vt patet ex contextu,per moleſtias corporales,noxas maleficiales:& per infeſtationes Dæmonum, vexationes,quas obſeſſi & poſſeſſi à Dæmone patiuntur.

Et huc refert quod Delrius allegat ex Toſtato, monente †non omnes vexationes & mole- 24
ſtias hominibus illatas à Dæmonibus tolli per exorciſmos niſi illas dumtaxat, ad quas repellendas ab Eccleſia ſunt ordinati:cuiuſmodi ſunt illæ quas inferunt hominibus & illos vexant,ſiue manendo intra corpora, illa illapſu quodam ſubintrando; ſiue manendo in corporibus præſentialiter,illa exterius obſidemdo;*& hæc regulariter ſanatur* (aitille) *per exorciſmos:maleficia autem Dæmonum,& alia mala quæ nobis inferunt,contra quæ non ordinantur exorciſmi directè, non curantur per exorciſmos, niſi rarò.* Hinc debent eſſe cauti Exorcizatores & coniuratores, ne Eccleſiaſticos exorciſmos prodigant (etſi nihil tentare nocebit) in maleficiatos,& illos quos Dæmon vel tacitè obſidet, vel adiunctus ad tempus in aliqua corporis parte torquet.Nam dum talis Dæmon lingua vexati non vtitur, neque reſpondebit exorcizatori fruſtra laboranti,neque obtemperabit; ſed tunc vexato alia remedia ſunt adhibenda,nimirum in dicto Canone, *ſi per Sortiarias*, recenſitas. Sed neque tunc ob eandem rationem debet Exorcizator petere à Dæmone nomen, neque ſignum egreſſionis

sionis : prout in obsessis & possessis fieri assolet.

25 Colligo Tertiò † mediam viam esse tenendam inter duos errores extremè oppositos, quia medium tenuere beati. Quorum vnus fuit Hermetis, Porphyrij, Proculi & aliorum antiquorum Medicorũ seu Magorum apud Hippocra-
26 tem *lib. de morbo Sacro* ; † asserentium aliquibus rebus naturalibus inesse virtutem naturalem cogendi Dæmones directè & per se, vt appareant, accedant, fugiant, vt aliquid faciant, vel facere desinant. Quibus subscripsisse videtur Grillandus *quæst. 3. num. 23.* Quod suadent sibi ; tum experientia, qua compertum inuenitur, Dæmones quarumdã herbarum & aromatum suffitu & fumigatione, v.g. Hipericonti, Aloes, & rutæ esse fugatos & expulsos : tum quia Eleazarus apud Iosephum *lib. 8. Antiquitatum c. 2.* radice quadam Dæmonem extraxit. Concentus quoque Dauidicæ cytharæ Dæmonem obsidentem à Saule pellebat *lib. 1. Regum 16.* & *Thobiæ. 6.* dixit Angelus Raphael de corde piscis Callionimi ; *Si eius particulam super carbones ponas, fumus eius extricat omne genus Dæmoniorum*: quod & postea rei probauit euentus *cap. 8.* Rursus in lege veteri probatur ex Iosepho *lib. 8. Antiquitat. c. 2.* Origen. *homil. 35. super Mathæum*, Epiphanio *in hæresi Ebionitarum*; & Saluatore nostro *in Euangelio Lucæ 11.* Iudæos etiam expellere Dæmones; huc enim refert Verbum illud Saluatoris refellentis eos, quod dicerent illum in Beelzebul eiicere Dæmonia. Nec tamen eos eiiciebant exorcismis, qui nondum tunc instituti erant : igitur applicatione aliquarum rerum naturalium. Denique experientia Magorum, qui Dæmones familiares solis verbis ligant, phialis, speculis, aut annulis ; cuius ligandi artis præcepta prodidit Hermes : quam artem & Palingenius hæreticus *lib. 10. sui Capricorni*, & Petrus Ronardus Catholicus *lib. de Dæmonibus* confirmant.

27 Alter verò est quorundam † Hæreticorum negantium exorcismis & aliis rebus consecratis ac benedictis, virtutem supernaturalem fugandi Dæmonis, quos refert & refutat Tyræus *dicta p. 3. cap. 45.* & Delrius *lib. 2. Magiæ q. 30. sect. 3.* Verùm inter hos duos errores, sequenda est Catholicorum firma sententia, quæ sicut negat rebus naturalibus & artificialibus vim agendi directè in Dæmones: ita illam tribuit exorcismis & Sacramentis ac Sacramentalibus, atque alijs rebus sacratis, vim inquam non naturalem, sed gratuitam & supernaturalem : de qua videndi sunt D. Thomas. *in 4. d. 7. art. vltimo*, & super Iob *cap. 41. lectione 3.* Alfonsus de Castro *lib. 1. de iusta Hæreticorum punitione*, Sybilanus *Peregrinarum quæstion. decade 3. c. 8. q. 1.* Niderius *lib. 5. fornicarij c. vltimo.* Albertus Magnus *super Lucam cap. 9.* Delrius *vbi supra*, & Torre *tom. 1. de religione q. 90. art. 2. & tom. 2. q. 96. art. 2. disputat. 12.* Qui omnes huic rationi demonstratiuæ innituntur, quod Dæmones, purè spirituales sunt & substantiæ à materia separatæ, in quos proinde nullæ res corporales habent vim naturalem agendi, aut eos immutandi, minúsque eos cogendi, cum libero arbitrio sint præditi, & superiores cunctis corporalibus rebus existant.

28 Restat † experientiis sectariorum, & Magorum respondere. Ad primam itaque respondetur, eas apparitiones, accessus, aut recessus dæmonum, ad aromatum, herbarum, & aliarum rerum applicationem, aut fumigationem, si non fabellæ sint : Magorum potius & Sagarum pacto inito cum dæmonibus, quàm virtuti illarum rerum naturali tribuendas esse. Ad secundam dico Eleazarum fuisse Magum, qui proinde non virtute naturali radicis applicatæ, sed per illam vt per signum pacti initi, Dæmonem expulisse, aut illum apposita conditione sponte cessisse. Ad tertiam de Dauidicæ cytharæ concentu dixi iam non fugasse Dæmonem directè, sed tantum indirectè, quatenus Regis dulci sonitu deliniti humores temperabantur, & sic ad temperiem redacti minus idonei Dæmonis vexationi reddebantur. Vnde & Rex Dauide feriente cytharam lenius habebat, vt refertur *1. Regum 16.* & ille Spiritus nequam ab eo tunc temporis recedebat. Fatemur namque res corporales, etsi in Dæmones agere non possint directè, benè tamen posse dispositiones contrarias inducere eis, quæ aut Dæmonum malitiæ ac dolis sunt aptæ, aut ad eorum operationem requisitæ : illisque introductis, & hiis per eas naturaliter & directè expulsis à corpore obsessi vel possessi, ilico Dæmones ex consequenti illud relinquunt : directè quidem sua spontanea voluntate, indirectè verò ad earum dispositionum positionem. Ideo
† Melancholici in quibus atra bilis abundat 29
aptiores sunt Dæmonum inuasioni & vexationi ; eò quòd humor iste eos ad furorem & insaniam disponit, quod Dæmones summopere optant, & propterea atrabiliariis maximè insidiantur. Quare si applicatione medicaminis naturalis siue arte compositi iste humor corrigatur & temperetur, fugabitur Dæmon obsidens vel possidens atrabiliarium, non quia atrabili delectetur, aut contraria qualitate offendatur : sed quia minus idonea est ista dispositio ad effectum à se intentum ; & quoniam ægrè fert sui domicilij turbari possessionem. Nisi mauis pulsum cytharæ virtute allegorica crucis Christi quam figurabat cum D. Prospero, vel cum Eucherio passionis Christi, quam simul cum pulsu cytharæ Dauid decantabat, Dæmonem fugasse. Ad quartam de Asmodæo Cacodæmone, dicendum pariter est, aut illum indirectè fugatum esse fumo cordis piscis Calliomini propter inductã dispositionẽ contrariã ei, quæ Dæmonis vexationi apta erat, aut virtute allegorica eiusdem cordis, in quo Christus Dominus repræsentabatur, qui postea humanũ genus à Dæmonis tyrannide liberauit, vt verè Prosper *lib. de prædict. c. 39.* interpretatur: directè autẽ ipse Angelus Raphaël Dæmonem expulit, cui postea videlicet *c. 8. Thobiæ* actio, tota tribuitur ibi: *dæmonium ab ea, ipse cõpescuit*, scilicet Raphaël, qui & eum ligatum in deserto reliquit. Ad quintam respondeo, Iudæos Leuitas quibusdam exorcismis à Salomone compositis & institutis, quando in Dei amicitia persistebat, dæmones expellere solitos, vt Patres recensiti autumant. Quibus exorcismis ex ipsa eorum institutione aliqua virtus Diuina inerat, licet non tam efficax, quantam postea Christus Apostolis in Euangelio concessit, quando eos ad prædicandum misit, & exorcismis ab Ecclesia institutis in nomine eiusdem

Saluatoris tribuere dignatus eſt. Quod ſi velis illos exorciſmos à Salomone compoſitos fuiſſe iam in idololatriam lapſo, teneberis dicere cum D. Auguſtino *lib.10. de ciuitate cap. 9.* & D. Thoma, eos Magorum incantamentis eſſe annumerandos, quorum virtus omnis in pacto cum Dæmonibus inito conſiſtit.

30 Ad ſextam reſpondeo, † vanam eſſe illorum authorum opinionem de Magorum poteſtate ad ligandos Dæmones. Verum quidem eſt Magos ligare quibuſdam rebus Dæmones, vulgo familiares nuncupatos, non virtute propria naturali, vel arte adquiſita humana, ſed ſolùm ex pacto, vno ex duobus modis *in quæſt. præcedenti* recenſitis; nimirum quia vel ſuperior & potentior inferiorem cogit illic adeſſe, & ſuo imperio continet: Vel ex pacto inito cum Mago ipſe Dæmon ſponte ſua ibi adeſt & ſe continet; fingens ad hominis deceptionem, ſe eius verbis obedientẽ, eſſe & eius imperio ſubiectũ, vt Henricus de Aſia à Sybilano *vbi ſupra* citatus eleganter ait. *Ipſe Dæmon ſimulat ſe captũ vt te capiat: ſe vinctum, vt te vinciat: ſe tuo imperio ſubiectum, vt te ſibi ſubdat: à te concluſum, vt contra te finaliter concludat: fingit ſe tua arte vel imagine vel lapide alligatum, vt funibus peccatorum religatum ad inferum te perducat.* Nam vt ſcitè Abulenſis citatus à Delrio *dicta ſectione* 3. adnotat contra iſtam præſumptam Magorum poteſtatem, impoſſibile eſt quod minor poteſtas ſibi ſubiiciat maiorem: & tamen non eſt poteſtas ſuper terram, quæ comparetur poteſtati Dæmonum, *Iob* 41. ideo non erit aliquid naturale vel cæremoniale, per quod Dæmones poſſint ab homine cogi, vt veniant, aut reſpondeant, aut aliquid operentur; niſi obiiciatur de Eccleſiaſticis exorciſmis. Sed tunc dicendum eſt quod coguntur ad aliquid, ſcilicet ad recedendum de corporibus obſeſſorum, vel ad non nocendum. Sed hoc fit per Deum, in quantum ipſe inſtituit id quod ab Eccleſia fit: & eſt ibi virtus diuina latens operatrix, ſicut eſt in operatione Sacramentorum. Secus autem contingit in operibus maleficiorum, in quibus Deus non operatur, cum ſint contraria Diuino honore; ſed ipſi Dæmones mentiuntur, & fingunt ſe cogi à maleficis, quia in hoc ſtat maxima virtus ſuaſionis eorum, &c. quæ in eandem proſequitur ſententiã. Verũ eſt quoq; Dæmones à Sanctis Angelis qui miniſtri ſunt Dei, multoties ligari; Legimus namque *Thobiæ* 8. Aſmodeum ligatum in deſerto à Raphaële: & *Apocal. 9.* quatuor Dæmones ligatos fuiſſe in magno flumine Euphrate, & iuſſu Dei ſolutos; & *cap. 20.* ab Angelo ligatum Dæmonem per annos mille & miſſum
31 in abyſſum. Solent quoque † Sancti Dæmones vincire & ligare alicui certo loco; vno ex tribus modis. Primò quidem, vt Dei miniſtri metu iniecto & minis intentatis, quas Dæmon agnoſcit irritas eſſe non ſolere: atque vi exorciſmi ſiue orationis; vt conſtat ex vſu & formula aliquorum Sacrorum exorciſmorum, quibus plerumque Dæmon excommunicatur, id eſt præſcribitur, & in alicuius peſſimi & horridi loci manſionem relegatur. Secundò impetrando à Deo ſubtractionem Diuini concurſus, qua fit vt Dæmones nequeant ab eo loco cui deputantur dimoueri: quod tamen aliàs poſſent; cuius meminere Hiſtoria Lauſia *cap.20.* & Palladius *in vita B. Marcharij*, vbi agit de ſepulchro Iamnes & Manbres. Tertio ac frequentiori modo per impreſſionem cuiuſdam ſpiritualis qualitatis & virtutis detentiuæ, media quâ inuiti in loco aliquo detinentur: & hic modus eſt frequentior & communis omnibus Dæmonibus quoad eorũ pœnam æternã: quippe qui media huiuſmodi qualitate impreſſa ac vi detentiua, in inferno inuiti detinentur, & igne corporeo ſpiritus incorporei torquentur. Cuius meminerunt D. Thomas 1. *p. q. 64. art. 4. ad 3. & lib. 4. contra gentes c. 90.* & Abulenſis *ſuper Mathæi c. 25. q. 506.*

---

§. III.

De commercio & collocutione cum Dæmonibus extra exorciſmos.

SVMMARIVM.

32 *Habere commercium & familiaritatem cum Dæmone, per implicitam vel explicitam illius inuocationem, eſt grauiſſimum peccatum omni iure prohibitum.*

33 *Implicitum pactum cum Diabolo quodnam cenſetur.*

34 *Explicitũ pactum cum Dæmone fit dupliciter.*

35 *Referuntur Sacræ Scripturæ teſtimonia, in quibus huiuſmodi ſocietas cum Dæmonibus prohibetur.*

36 *Quæ etiam fœdera in Iure Canonico & ciuili, à Patribus quoque & Doctoribus damnantur.*

37 *Commercium & Societas huiuſmodi ſemper includit pactum & fœdus explicitum vel implicitum cum Dæmone.*

38 *Sociatus Dæmoni periculo ſuam animam exponit.*

39 *Dæmones ſunt perpetui hoſtes Dei & hominum.*

40 *Familiaritas cum Dæmone eſt Apoſtaſia à fidelitate Deo debita, & promiſſa in Baptiſmo.*

41 *Diuina iuſtitia exitialibus calamitatibus Magicæ diuinationis obſeruatores ſemper eſt proſequuta. Quorum obſeruatorum exempla plurima referuntur*, ibid.

42 *Leges humanæ Canonicæ prohibent Chriſtianis communicationem in armis cum hæreticis.*

43 *Dæmonum inuocatores in pœnam ſui peccati iuſtè deſeruntur à Deo in manu hoſtili.*

44 *Commercium habere cum Dæmone, etiam ſine vlla explicita deprecatione extra exorciſmos eſt illicitum.*

45 *Quæ concluſio eſt adeò certa, vt ſine periculo erroris in fide negari non poſſit, probatúrque tripliciter.*

46 *In acceptatione auxilij & beneficij oblati à Dæmone duo actus ſunt diſtinguendi.*

47 *Vtens miniſterio & operibus Dæmonis ſuperſtitioſis, vtitur operibus fœderatis cum Dæmone.*

48 *Argumentis in contrarium adductis reſpondetur.*

SECVNDA aſſertio ſit in ordine: † habere 32 commercium & familiaritatem cum Dæmone,

mone, per explicitam vel implicitam illius
inuocationem; aut inito pacto explicito aut
implicito cum illo, est grauissimum peccatum
omni iure prohibitum. Hæc conclusio statuitur tanquam certa secundum fidem, in qua
proinde omnes Catholici conueniunt aduersus Magos & maleficos: quæ strictè procedit
de commercio & familiaritate cum Dæmone,
quæ habetur aut pascisendo cum illo, &
conuentionem faciendo explicitè, aut illam
implicitè supponendo, per quam contrahitur
vtrinque, hoc est, ex parte Dæmonis & hominis obligatio, nimirum vt quisque in obsequium alterius quidquam largiatur, vel operetur, vel dicat; aut cum simplici inuocatione secluso pacto istiusmodi strictè sumpto, vt
si homo Dæmonem inuocet in sui auxilium
pro aliquo fine obtinendo. Implicitum au-
33 tem † pactum censetur, quando quis quærit
cognitionem vel opem soli Deo reseruatam,
aliunde quàm ex Deo, idque per media indebita, id est à Diuina prouidentia ad hoc nequaquam instituta: nam eo ipso quod homo ad
has vanitates & insanias falsas respicit, vult
profectò à Dæmone edoceri, aut auxiliari: Ex-
34 plicitum † verò pactum & inuocatio duplex
est; aut enim fit expressis & conceptis Verbis,
vt faciunt Magi & incantatores, qui per formulas à Dæmone institutas coniurant siue Diuinationem produnt: aut fit in actu exercito, facto & actione ipsa, quando quis facit illud,
quod nouit Dæmonem pro signo siue tessera
suæ opis & efficientiæ, assignasse & constituisse: aut tandem fit inuocatio Dæmonis simpliciter sine vlla præcedenti conuentione & pacto, nimirum quando quis naufragio, tempestate aut inopia oppressus, Dæmonis auxilium siue consilium cum quadam deprecatione
atque supplicatione implorat, vt à præsenti
necessitate liberetur. Igitur conclusio in triplici isto sensu procedit, & affirmat dogma
fidei esse, hanc triplicem inuocationem Dæmonis, cum pacto nimirum explicito, & cum
sola deprecatione, esse peccatum superstitionis grauissimum omnium vitiorum moralium; &
omni iure prohibetur: vt docent Delrius *lib.* 3.
Magiæ, parte 2. *quæst.* 4. *& lib.* 6. *Anachephalæosis, monito* 2. *&* 4. & Torre *tom.* 2. *de religione quæst.* 95. *art.* 4. *disputat.* 1. *&* 2. cum alijs
Theologis, Summistis, ac Iuris vtriusque peritis, quorum nonnullos in discursu disputationis citare opus erit. Nunc autē oportet probare singulas partes siue sensus nostræ assertionis. Et quidem in primo sensu de pacto explicito & Dæmonis inuocatione facta cum illo,
35 probatur Primò ex † testimonijs Sacræ Scripturæ, in quibus prohibetur huiusmodi commercium & societas cum Dæmonibus, & eorum maleficis, nedum in maleficijs, sed etiam
in beneficijs, & diuinationibus, atque alijs
vanis obseruationibus, etiam ad bonum finem
proximè ordinatis: vt ex illo Deuteronom 18.
non inueniatur in te qui Ariolos scisciteur, neque Pythones consulat: abominatur enim Dominus hæc omnia. Leuitici 19. *Non declinetis ad Magos, neque ab Ariolis aliquid sciscitemini.* Esaiæ
28. *percussimus fœdus cum morte, & cum inferno fecimus pactum.* & Esaiæ 8. damnatur hæc inquisitio à Magis & Dæmonum inuocatio sub
hiis verbis. *Et cum dixerint ad vos: quærite à Pythonibus & à Diuinis, qui stridunt in incantationibus suis. Nunquid non populus à Deo suo requiret visionem pro viuis, ac mortuis? Ad legem magis & ad testimonium.* & 4. Reg. 1. indicitur per Eliam sententia mortis Regi Ochoziæ: *quia misisti nuntios ad consulendum Beelzebul Deum Acaron, quasi non esset Deus in Israël, à quo posses interrogare sermonem &c.* Quæ
lex, quia neque est ceremonialis, nec iudicialis, sed moralis pertinens ad primum Decalogi præceptum, ideo & in lege Euangelica permansit; & renouatur à Paulo 1. ad Corinth. 10.
nolo vos fieri socios Dæmoniorum. & 2. ad Corinth.
6. *Quæ societas lucis ad tenebras, aut quæ conuentio Christi ad Belial?* & † in iure canonico hu- 36
iusmodi quoque fœdera damnantur; nimirum
in cap. illud, 26. *quæst.* 2. de sumpto ex Augustino *lib.* 2. *de doctrina Christiana cap.* 23. *quasi pacta infidelis & dolosæ amicitiæ constituta.* & *cap. Episcopi* 26. *quæst.* 5. & à Ioanne XXII. *in extrauaganti contra Magos, super specula*; & à
Sixto *in Bulla contra iudiciarios*, quæ incipit
Creator cæli & terræ Deus. Nec non in iure ciuili, *in lege multi, Cod. de Maleficis & Mathematicis*, imponitur huiusmodi fœderatis pœna
mortis per obiectionem ad feras: & *in constitutione* 65. Leonis Imperatoris ad Stylianum, decernitur de incantatorū pœna: & in nouissima
constitutione Caroli V. *cap.* 109. imponitur eis
vltimum supplicium. Damnatur enim hoc crimen ab Ecclesiæ Patribus, videlicet ab Origene
homil. 16. *in Numeros.* Natianzeno *oratione in morbum*, Leone Papa *sermone* 19. *de passione Domini.* Augustino *lib.* 8. *de ciuitat. cap.* 24. D.
Thoma. 22. *quæst.* 95. *art.* 4. *& in* 2. *d.* 7. *quæst.*
3. *art.* 2. à quibus nedum pactum & fœdus
initum cum Dæmone, sed etiam commercium
& societas quomodolibet cum illo, tanquam
peccatum Religioni ac fidelitati Deo debitæ
contrarium, damnatur. Ac tandem ex hijs testimonijs & iuribus prodiit articulus 3. Parisiensis Scholæ in hunc modum: *quod inire pactum cum Dæmonibus tacitum vel expressum, non est Idololatria, vel species Idololatriæ, at Apostasiæ error.*

Secundò probatur, quia huiusmodi † com- 37
mercium & societas semper includit pactum &
fœdus explicitum vel saltem implicitum cum
Dæmone, vel reducitur ad illud, quod est omni
iure prohibitum, vt visum est, pertinétque ad
amicitiam & beneuolentiam cum Dæmone.
Neque enim familiaritas & amicitia ista expressius exerceri potest, quàm interueniente pacto, aut inuocatione deprecatiua. Hanc autem
esse prohibitam nedum ratione periculi imminentis, quia scilicet sic † sociatus Dæmoni pe- 38
riculo suam animam exponit, ac proinde contra
charitatem propriam agit, iuxta illud *Ecclesiastici* 3. *qui amat periculum peribit in illo*: verùm
etiam ratione intrinsecæ malitiæ, quam habet secundum se: quamuis Angelus Doctor *in dicto art.* 3. ostendit ex duplici capite, diuinationem quæ fit per inuocationem Dæmonis esse
malam, nimirum ex parte principij, quod est
pactum expressum initum cum Dæmone per
ipsam Dæmonis inuocationem: quod (ait ille)
valde aggrauaretur, si sacrificium aut reuerentia Dæmoni inuocato exhiberetur: Et ex parte
euentus vel effectus futuri, qui semper vergit
in salutis diuinantis seu inuocantis nocumentum.

tum. Vnde vt homines Chriſtus Dominus ab hoc periculo auerteret *Lucæ* 4. Dæmoni confitenti veritatem de ipſo Domino, illum increpauit dicens, *Obmutesce Sathana & exi ab illo*; ne ſcilicet homines aſuefierent fidem adhibere Dæmoni reſpondenti, quia ſimul cum veritate nequitiæ ſuæ virus effundit. Hoc tradit D. Thomas ex ſententia Athanaſij. Quamuis, inquam, in prima ratione videatur reducere malitiam huius diuinationis per Dæmonis inuocationem, ad ſolam prohibitionē legis diuinæ *Deuter.* 18. & *Eſaiæ* 28. & in ſecūda ad periculum imminens hominibus fidem adhibentibus Dæmonum reſponſis: Verùm non excludit malitiam intrinſecam, quam in ſe habet huiuſmodi ſciſcitatio, & ratione cuius lege diuina prohibetur, imo illam ſupponit, & per hæc duo veluti per manifeſtiora declarat. Vnde *in calce corporis eiuſdem articuli* concludit dicens; *Nefas enim eſt, vt cum adſit nobis Sciptura Diuina, à Diabolo inſtruamur*: quod nefas neque ad legem prohibentem, neque ad periculum extrinſecus imminens, ſed ad intranea ipſius inuocationis reducit.

39 Tertiò itaque probatur aſſertio; † oſtendendo huius fœderatæ inuocationis malitiam intrinſecam: quia Dæmones ſunt perpetui hoſtes Dei & hominum, cum quibus habemus indictum bellum ſine vllis induciis aut treuga, iuxta illud Apoſtoli *ad Epheſios* 6. *Non eſt nobis colluctatio aduerſus carnem & ſanguinem, ſed aduerſus Principes & poteſtates tenebrarum harum.* Ergo qui eos inuocat in auxilium, aut conſilium ab eis petit, aut vtitur eorum obſequio in ſuum fauorem, eſt reus læſæ maieſtatis diuinæ cōtra fidelitatem Deo debitam. Vnde vt bene notant Delrius *lib.* 6. *Anachephaleoſis monitione* 2. & Torre *in allegata diſput. tit.* 1. *quæſtionis* 95. *circa finem*; propria & inſeparabilis malitia huiuſmodi fœderatæ familiaritatis cum Dæmone, (licet habeat plerumque alias plures
40 annexas malitias quas infra expendam) eſt † Apoſtaſia à fidelitate Deo debita, & promiſſa in Baptiſmo de renuntiando Diabolo & operibus eius: contra primum Decalogi præceptum, quod ſicut primum, ita & principem locum tenet inter tria primæ tabulæ, quæ ratione obiecti ſunt aliis ſecundæ tabulæ digniora. Etenim ſecundum de non pejerando, agit de honore exhibēdo Deo per verba. Tertium de cultu feſtorum, potiſſimum agit de cultu externo. Primum verò agit de amore & fidelitate animi Deo exhibenda, atque de Deo colendo per actus trium virtutum Theologicalium; nec non per virtutem religionis ſeu Latriæ. Quare cum hic cultus Deo gratiſſimus ſit, etiam illi contrarium vitium eſt odioſiſſimum, nempe Idololatria & infidelitas quæ eſt quædam Apoſtaſia, proditio & transfugium ad hoſtium Dei principem Dæmonem; vtpote inter quos & Deum perpetuum bellum & odium ſine treuga verſatur, vt conſtat ex nuper allegato Pauli teſtimonio *ad Epheſios* 6. & ex illo *Pſalm. Superbia eorum, qui te oderunt, aſcendit ſemper.* & *Geneſis* 3. hoc bellum indixit Deus, cum dixit ſerpenti. *Inimicitias ponam inter te & mulierem: & ſemen tuū, & ſemen illius.* Et propterea Diabolus in Sacra Scriptura appellatur *Sathan*, id eſt aduerſarius, cum quo proinde nos vt vaſalli Dei & Chriſti milites, tenemur continuum bellum & capitale odium exercere. Neque parui faciendum eſſe iſtum ritum ſuperſticioſum, patet ex duplici capite. Tum ex pœnæ magnitudine, illi à Deo indictæ; qui *Exod.* 20. teſtatur ſe fortem & Zelotem eſſe, & hoc crimen in tertiam & quartam generationem fore vlturum: quod etiam vocat odium ſui, eò quòd tranſgreſſores vocat oſores ſuos; & *Exodi* 22. ad Moyſem, vt legem iuris diuini & naturalis promulget, ait; *Maleficos non patieris viuere.* Quia vt dicitur *Pſalmo* 30. *odit obſeruantes vanitates ſuperuacuè*: ac proinde † exitialibus calamitatibus huiuſmodi Magicæ diuinationis obſeruatores Diuina Iuſtitia proſequuta ſemper eſt. Cham enim ſiue Zoreaſtrem infelicem Magiæ inuentorem, teſte Clemente *in libro Recognition.* fulmen è cælo vibratum percuſſit. Babiloniis quoq; Magiæ cultus fuit exitiū. Idémq; de Niniue ciuitate memorat Nahum Propheta, causā exitij eſſe, quod Magos maleficos magni faceret. Ob eandem cauſam minatur Micheas *cap.* 5. Hieroſolimæ vltimam calamitatem: Cananæos quoque propterea deletos & expulſos ſedibus ſuis, colligitur ex *Deuteron. cap.* 18. Neque vnquam hoc crimen in Regibus Iſraël impune manſiſſe, patet: nam Saul excidit Regno, quia Magica præſidia quæſiuit, Pythoniſsā in Endor conſulendo 1. *Reg.* 28. *dum Pythoniſſam conſulit, in montibus Gelboë cum filiis meretur interfici*, ait Bleſenſis: & ſubdit. *Sic Ochoſiæ, qui ceciderat per cancellos, dum de vitæ diuturnitate ſcrutatur, vita eius tanquam tela texenda ſucciditur.* 4. *Reg.* 1. Manaſſes ob Maleficorum imitationem fit exemplar calamitoſiſſimi Regis. 4. *Reg.* 21 & 25. ita vt neque Ioſiæ pietate Deus in illius poſteris pacari potuerit. Iezabelem quoque maleficis deditam; & *Veneficia eius multa vigent*, dicitur 4. *Reg.* 9. præcipitatam de feneſtra, & à canibus laceratam legimus. Et alij quamplures ſunt huius exitialis pœnæ experti, quos ſi recenſere vellem, potius me tempus deficeret, quàm oratio: aliquos require, ſi placuerit in Delrio, *monitione* 3. *dictæ Anachephaleoſis.*

Quartò probatur aſſertio. Nam reus eſt læſæ Maieſtatis, qui petit auxilium aut beneficium ab hoſte ſui Regis potentis & parati illud præſtare, ſi expedierit; & hoc fuiſſe crimen Regis Ochoziæ, quando miſit nuntios ad conſulendum Idolum Acaron, in quo Diabolus reſpondebat, conſtat ex 4. *Reg.* 1. dum illi indicitur per Prophetam Eliam ſentētia mortis, ibi; *Nunquid non erat Deus in Iſrael?* (id eſt paratus præſtare tibi ſanitatem ſi expediret) *idcirco de lectulo ſuper quem aſcendiſti, non deſcendes, ſed morte morieris.* Leges † quoque humanæ Canonicæ propterea prohibent Chriſtianis communicationem in armis cum hæreticis, vt per Ioannem VIII. *in Epiſtola* 22. & *c. excommunicamus de hæreticis, & cap. nouerit, de ſententia excommunicationis*; & *in caſu 7. Bullæ cœnæ*, excommunicantur dantes hæreticis arma, auxilium, conſilium vel ſuppetias: & Ciuiles plectunt dantes huiuſmodi ſuppetias hoſtibus Chriſtiani nominis, aut etiam ſui Chriſtiani Regis. Dices; ergo erit proditor & reus læſæ maieſtatis, quicumque Hiſpanus modò à Luſitanis petierit pecuniā oblatā merces emendas. Reſpondeo negando conſequentiam: quia Luſitani adhuc reputantur Vaſalli Hiſpani Regis, quamdiu legitimè

legitimè non est à potestate dejectus ; & quoniam Rex Hispanus non habet paratas eas merces , quibus indiget Castellanus.

Vltimò probatur , quia isti Dæmonum inuocatores magnis corporis & animæ periculis
43 proximè se exponunt : quia † in pœnam sui peccati iustè deseruntur à Deo in manu hostili ; quod manifesta experientia compertum est : & exemplis adductis à Delrio , & Torre *vbi supra* , liquet ; hos plerumque à Dæmone cui se crediderunt , interimi , suffocari , aut trucidari. Ex quo capite peccant contra charitatem , qua se ipsos diligere , & à periculis tam certò moraliter imminentibus cauere tenentur.

Deinde in secundo & tertio sensu , eisdem testimonijs ac rationibus manet probata nostra assertio ; quoniam eisdem viribus & legibus prohibetur commercium & societas cum Dæmonibus inita , pacto implicito : nec non quæ fit cum sola obsecratione ac deprecatione , per quam illis aliquis cultus exhibetur ; eò quòd ipsamet deprecatio & exoratio , est quidam cultus & protestatio inferioritatis erga Dæmonem , & indigentiæ illius fauore ; & quod ille est dignus , vt ei subijciatur homo. Vnde eandem malitiam intrinsecam superstitionis , & extrinsecam à periculis isti actus inuoluunt.

44 Assertio Tertia sit. Neque licitum est† commercium cum Dæmone sine vlla explicita deprecatione , scilicet imperando illi , aut eius ministerio vtendo extra exorcismos , aut munus ab eo sponte oblatum acceptando. Hæc assertio statuitur aduersus Scotum Parmensem, (non illum qui est Theologiæ Princeps) & Paracelsum relatum ab Erasto 1. *parte disputationis* editæ contra eum , & Felicem Malleolum *in libello de exorcismis*. Quorum duo priores aiunt esse quandam artem Magiæ, per quam possunt homines Dæmonibus imperare, & eos compellere, & cogere ad imperata faciendum; nec non ad alligandos eos quibuslibet rebus, atque ad infundendos illos in humana corpora absolutè , aut pro certo tempore : Tertius verò aiebat licitum esse nobis vti opera & ministerio Dæmonum , aut etiam operibus superstitiosis, ad aliquod bonum obtinendum , puta diuitias , honores , dignitates , aut sanitatem : atque etiam ad remouendum aliqua mala, puta ad morbos sanandos , & animalia nociua fugandum. In quam sententiam inclinant Summa Rosella. V. *impedimentum 5. num. 19.* & Sprengerus *in 2. part. Mallei quæst. 2.* dum aiunt excusandos esse à peccato eos , qui operibus & ministerio Dæmonum non fœderatis, aut superstitiosis , sed tantùm vanis & curiosis vtuntur. Id autem in quo omnes isti conueniunt potest probari ex lege *Eorum, Cod. de maleficis & Mathematicis.* Vbi Constantinus Imperator decernit non puniendos , sed potius præmiandos eos, qui operibus vanis & superstitiosis vtuntur ad bonum , puta ad morbos sanandos vel tempestates arcendas. Hinc etiam videtur ortum habuisse illud commune axioma, *fiat miraculum, & fiat per Diabolum.* Secundò ex D. Thoma *in dicto art. 4. in solutione ad primum*; vbi exemplo Christi Domini , qui *Mathæi 5.* interrogauit : *quod tibi nomen est?* & respondit *Legio* &c. inquit : *Aliud est inquirere aliquid à Dæmone sponte occurrente, quod quandoque licet propter vtilitatem aliorum , maximè, quando Diuina virtute potest compelli ad vera dicenda ; & aliud Dæmonem inuocare ad cognitionem occultorum acquirendum ab ipso* : & hoc non licet. Tertiò exemplo Sanctorum , qui vsi fuere ministerio Dæmonum , vt D. Theodorus Episcopus Sedunensis , qui teste Malleolo , fecit ingentem Campanam è Roma , Sedunum per Dæmones asportari , & Sanctus Lupus Senonensis , Dæmonem eiulantem vasculo inclusit , vt refert Surius *mense Septembris* : & Apostoli peccatores plerumque Dæmonum vexationi addicebant , vt constat ex 1. *ad Corinth. 5.* & 1. *ad Timoth. 1.* quâ potestate etiam nunc alios Sanctos gaudere , probat Delrius *lib. 3. Magiæ part. 1. quæst. 4. sectione 7.* etsi illa non nisi rarò & charitatis ac iustitiæ vrgente necessitate vtantur. Quartò probatur à Paracelso ex infirmitatibus hyperphysicis , id est magico artificio inflictis , quas licitum est curare alio maleficio , vt miser homo suam redimat vexationem , cum aliud remedium ars ordinaria medicinæ quæ in scholis addiscitur , præstare non possit. Fauet doctrina Caietani 22. *quæst. 90. art. 2.* id ipsum affirmans , vt ex contextu percipi potest.

Sed nostra † conclusio est adeò certa , vt 45
sine periculo erroris in fide negari non possit , & defenditur à Delrio *lib. 3. part. 2. quæst. 4. sectione 8. & lib. 6. capit. 2. quæst. 3. sectione. 3.* & Torre *disputat. 1. citata conclusione 4. & duabus sequentibus.* Habétque tres partes probandas. Quarum prima est non licere commercium cum Dæmonibus imperando & compellando eos ad aliquod bonum faciendum extra exorcismos , etiam secluso pacto & reuerentia. Et probatur Prima ex D. Thoma 2. 2. *quæst. 90. articul. 2.* absolutè negante licitam esse adiurationem Dæmonum siue fiat cum reuerentia & deprecatione , qui modus pertinet ad beneuolentiam & amicitiam : siue fiat per simplicem compulsionem , extra exorcismos , in quibus eos adiuramus ad repellendum vt hostes Dei & nostros. Quia hic modus pertinet ad aliquam societatem cum Dæmonibus habendam : & *articul. 3. in calce* concludit dicens. *Adiurare autem Dæmones ab eis auxilium implorando , non licet.* Sed adiuratio est inductio, prouocatio , & imperium quo ad aliquid agendum per reuerentiam rei Sacræ mouere intendimus : ergo. Secundò probatur ab incõueniẽti , nam alias licitum esset Dæmonem familiarem speculo , Phialæ , annulo aut vasi alligatum habere , & illo vti : quia iste vsus fit per modum imperij ; homo namque qui est Dominus talis rei , illi imperat , & ille adinstar famuli, obsequium præstat. Consequens autem est temerarium & erroneum atque vtrique saluti imperantis periculosum ac noxium. *Nam ipse Dæmon* (vt constat ex saluberrimo monito Henrici de Asia) *se simulat tibi subditum, vt te sibi subdat &c.* Ergo. Tertiò probatur ratione ostensiua à priori, quã etiam tetigit D. Thomas *in nuper allegato art. 2.* ibi. *Non autem*

Dæmonum actus noſtræ diſpoſitioni ſubduntur, ſed diſpoſitioni Diuinæ & Sanctorũ Angelorum, quia vt Auguſtinus dicit lib. 3. de Trinitate c. 4. Spiritus deſertor regitur per Spiritum iuſtum. Quæ ſic procedit. Quando homo extra exorciſmos imperat Dæmoni & compellit ad aliquod bonum ab illo obtinendum aut addiſcendum; vel imperat illi, exiſtimando ſe eſſe illo ſuperiorem per naturam, aut per gratiam: vel exiſtimando ſe eſſe illo in natura inferiorem, prout rei veritas tenet. Si primum, ducitur iudicio erroneo, & contra illud *Iobi* 41. *non eſt poteſtas quæ comparetur ei in terra*; vt etiam Abulenſis *ſupra* citatus, maturo diſcurſu probat. Si ſecundum; & ſit exorciſta, verum putat, nimirum ſe & omnes exorciſtas eſſe Dæmone ſuperiores in poteſtate gratuita & ſupernaturali, quam à Chriſto Domino in tertij gradus ordinum minorum ſuſceptione receperunt; ac proinde poſſe Dæmonem compellere, & ei imperare ad finem repellendi eum, aut compeſcendi, ne Verbo aut facto hominibus noceat: ſed hoc in exorciſmis dumtaxat, quibus vſum huius poteſtatis alligatum & reſtrictum eſſe probat Eccleſiæ traditio & Sanctorum Patrum authoritas. Si autem exorciſta non ſit, falſo quoque & præſumptuoſo ducitur iudicio, præſumendo ſibi adeſſe donum gratiæ, quod non habet, & de quo non eſt certus per ſpecialem reuelationem. Si tertium, vero ducitur iudicio ſpeculatiuo, ſed falſo practicè, quia imperat ei, quem cognoſcit non eſſe ſibi ſubditum & inferiorem, & conſequenter, cui propriè imperare non poteſt; vnde ille modus imperandi fictus eſt, & potius eſt actus ſocialis & familiaritatis fœderatæ cum Dæmone palliatæ, qua homo ſe imperare, & Dæmon ſe obtemperare adinſtar inferioris fingit.

46 Deinde ſecunda pars ſuadetur ex eo, quod † in acceptatione auxilij & beneficij oblati à Dæmone, diſtinguendi ſunt duo actus; ſcilicet ipſa acceptatio, & hæc ſemper eſt mala & prohibita legibus & iuribus ſupra dictis, quia eſt actus ſocialis cum Dæmone, imo & amicitiæ, quæ in communicatione bonorum conſiſtit, & vſus talis beneficio ſemel accepto à Dæmone; & de hoc diſtinguendum eſt. Nam aut influxus Dæmonis habet tractum ſucceſſiuum, aut non; ſed ilico ceſſauit in acceptatione beneficij: & quidem in priori caſu, talis vſus etiam eſt malus & ſuperſticioſus, quia eſt actus ſocialis cum Dæmone: vt ſi pharmacum, vel medicamentum oblatum à Dæmone, debeat ad ſanitatem operandam applicari, ſub hac conditione, vt homo afferat reſcriptum ſuperſtitioſum, vel amuletum Diabolicum. In poſteriori autem caſu nulla eſt malitia; quia in vſu pharmaci, aut theſauri, aut pecuniæ inuentæ per noticiam Dæmonis, ceſſante eius influxu, nullus eſt actus ſocialis cum illo. Et ſicut homo poteſt vti medicina & pecunia per humanam induſtriam acquiſita, ſiue inuenta, neque illas tenetur à ſe abiicere, ita & poteſt vti medicina & pecunia inuenta per Dæmonis induſtriam, neque eam tenetur à ſe abiicere, niſi ſciat illam fuiſſe furto à certo Domino ſublatam: quia cum huiuſmodi res in ſe ſint bonæ & proficuæ, parum refert, & per accidens eſt, quod hâc aut illâ viâ in noſtrum veniat dominium.

Denique tertia pars probatur; quia † dum 47
quis vtitur miniſterio & operibus Dæmonis ſuperſticioſis aut vanis, quibus nulla de ſe ineſt virtus ad operandum effectus ad quos dantur, certiſſimum eſt quod vtitur operibus fœderatis cum Dæmone: aut fœdere explicito, & immediatè ab ipſo vtente; aut ſaltem implicito & mediatè inito; hoc eſt accepto ab alio vt à Magiſtro, à quo de talium rerum vſu fuit edoctus, & qui fœdus immediatè iniit cum Dæmone: ergo ex nullo capite poteſt talis vſus à labe ſuperſtitionis & Dæmoniacæ ſocietatis excuſari, niſi fortè ob ignorantiam inuincibilem vtentis; quod rarò & in hominibus purè ruſticis continget: vt inferius dicemus.

Hinc † ad primum argumentum pro contra- 48
tria opinione reſpondetur, legem illam Conſtantini aut permiſſiuam eius criminis tantùm eſſe; aut omnino reiiciendam, vt pote iuri Diuino & Canonico contrariam, ſicut ſunt leges ciuiles duellorum; abrogatámque omnino per legem Leonis Imperatoris *ex conſtitutione* 65. *de incantatorum pœna*, ſic decernentem; *Sanè ſi quis aliquo modo incantamentis vſus eſſe deprehenſus fuerit, ſiue id reſtituendæ, conſeruandæque valetudinis, ſiue auertendæ à rebus frugiferis calamitatis cauſa fecerit, is Apoſtatarum pœnam ſubiens, vltimum ſupplicium ſuſtineto.* Et per aliam Caroli V. *cap.* 109. eiuſdem ferè tenoris: hæc autem vltimi ſupplicij pœna, nunquam niſi pro lethali peccato à legibus infligitur.

Nec probandum eſt illud dicterium à Paracelſo allegatum, ſed omnino reprobandum tanquam blaſphemum, & cum ſuo authore damnandum, qui vt vanus & ſuperſtitioſus in ſuis innumeris voluminibus centum millia deliria ſparſit. Ad ſecundum reſpondetur, quod D. Thomas loquitur, aut de exorciſtis, qui habent poteſtatem expulſiuam, aut de illis Sanctis, qui habent poteſtatem compulſiuam Dæmonum, & de qua pet Diuinam reuelationem ſunt certi, prout ipſe Sanctus Doctor *quæſt.* 90. *articulo* 2. ad calcem corporis adnotauerat, dicens. *Niſi fortè ex ſpeciali inſtinctu vel reuelatione Diuina aliqui Sancti ad aliquos effectus Dæmonum operatione vtantur, ſicut legitur de Beato Iacobo, quod per Dæmonem fecit Heymogenem ad ſe adduci.* Alioquin quæuis alia cum Dæmone conuerſatio, ſiue compulſando, ſiue deprecando, ſiue imperando, ſiuæ imperata faciendo, ſiue eius beneficium acceptando, eſt iniurioſa Deo, & hominibus noxia; vt benè notant Nicolaus Remigius de Monola, & Ioannes Nider *lib. 9. fornicarij.* Ad tertium reſpondetur, Sanctorum exempla in huiuſmodi facto, non eſſe imitanda; quia illi vſi fuere poteſtate à Deo ſibi conceſſa, & Diuino inſtinctu ad id moti. Ad quartum negandum eſt illud aſſumptum Paracelſi, vtpote error hominis Magi ac ſuperſticioſi, potius Magiam, quàm Medicinam profitentis. Neque enim poſſumus vti maleficio ad curandos morbos ortos ex alio maleficio, quia hic vſus eſt intrinſecè malus pertinens ad dæmoniacã ſocietatẽ: ſicut neq; morbos ortos à

cauſis

cauſis naturalibus poſſumus licitè curare maleficio; eadem namque in vtroque remedio reperitur ratio deformitatis, videlicet Dæmoniacæ ſocietatis : per accidénſque eſt quod morbus curandus ex priori maleficio, vel ex cauſa naturali proueniat. Tum etiam quia hæc doctrina Paracelſi aduerſatur illi teſtimonio Pauli *ad Roman.* 3. dicentis, *non eſſe facienda mala, vt veniant bona:* & Iuri canonico 26. q. 2. & illis Chryſoſtomi *homilia* 8. *ad Coloſſen.* aureis verbis; *citius homini Chriſtiano mors ſubeunda eſt, quàm vita ligaturis redimenda.* Ad vltimum vt reſpondeamus, expendenda eſt mens Caietani *in eo articulo* 2. *quæſtionis* 90. quæ tantis perobſcura eſt, & quandoque in vnam, quandoque in alteram partem inclinare videtur.

§. IV.

Expenditur ſententia Cardinalis Caietani in commentario articuli ſecundi Quæſtionis 90.

SVMMARIVM.

49 *Vtrum ceſſante omni inuocatione & pacto tam explicitè quàm implicitè, liceat homini, vti operatione Dæmonum ad opera bona de ſe aut differentia, &c.*

50 *Dupliciter poteſt homo cum Dæmone actus communes exercere, aut tanquam cum hoſte, aut tanquam cum ſocio.*

51 *Habere ſocialem actum cum Dæmone, eſt peccatum mortale ex ſuo genere.*

52 *Colloqui cum Dæmone ex leuitate animi vel curioſitate, & per modum tranſeuntis, eſt tantùm culpa venialis.*

53 *Inquiſitio à Dæmone ſponte occurrente & non inuocato, poteſt eſſe licita propter vtilitatem aliorum.*

54 *Diuinationis operationes Dæmonum dupliciter exerceri poſſunt; formaliter ſcilicet & materialiter.*

55 *Opera cum Dæmone materialiter exercita, ſunt ſuperſtitiones, & cultum Dæmonis ſaltim materialiter implicant.*

56 *Superſtitioſum quid ſit ex mente Auguſtini?*

57 *Cultus Dæmonum diſtinguendus; alius quippe ſit directè, alius indirectè.*

CAIETANVS itaque videns Angelicum Doctorem *in eo articulo* adiurationem Dæmonum, & in toto iſto *tractatu de ſuperſtitionibus*, Dæmonum inuocationem reducere ad peccatum Dæmoniacæ familiaritatis & ſocietatis, mouet hoc dubium ; † vtrum ſcilicet ceſſante 49
omni inuocatione, reuerentia, & pacto, tam explicitè, quam implicitè, liceat homini vti operatione Dæmonum ad opera bona de ſe, aut indifferentia non excedentia naturales eorum vires? & dato quod ſit peccatum, an ſit lethale, vel ſolùm veniale ex genere ſuo, vti huiuſmodi Dæmonum operibus, puta loquutione, doctrina, executione ſeu ſeruitio? Et ratio dubitandi pro parte affirmatiua (ait ille) eſt; quia hoc commercium non apparet malum ex genere, niſi tantùm ex periculo, quia ſcriptum eſt: *cum peruerſo peruerteris.* Vel quia eſt prohibitum 1. *ad Corinth.* 10. *nolo vos fieri ſocios Dæmoniorum.* Et experientia quotidiana teſtatur, cum arrepticiæ perſonæ occurrunt, multos cum Dæmonibus colloqui, abſque ſcrupulo conſcientiæ : & Author inferius *art.* 4. *quæſt.* 95. *ad* 1. inquit; inquirere aliquid à dæmone ſponte occurrente, quandoque licet propter vtilitatem aliorum. Cui dubio ſic propoſito, hoc eſt de collocutione ſine inuocatione, (cum illa namque manifeſtè eſt peccatum mortale ſpectans ad Apoſtaſiam) reſpondet hiis verbis. *Dupliciter † poteſt homo hos actus* 50
communes cum dæmone exercere, aut tanquam cum hoſte, aut tanquam cum ſocio vel non hoſte. Primo modo nullum peccatum eſt; quoniam dæmones dati ſunt nobis in hoſtes, & hoſtiliter ad eos nos habere debemus. Et quoniam cum hiis hoſtibus, nulla eſt induciarum conceſſa libertas, vt interim poſſit homo cum Dæmone quaſi treugæ tempore conuerſari, conſequens eſt, vt ſemper hoſtiliter ad eos nos habere oporteat. Ad hoſtes autem nos dupliciter exhibemus inculpabiliter, ſcilicet expulſiuè, vel compulſiuè. Et propterea hiis ſolis duobus modis per ſe loquendo licitè ad Dæmones nos habemus : vel expellendo vt in exorciſmis & orationibus ſupra arrepticios fit : vel compellendo vt ſancti viri ſæpe faciunt, præcipiendo eis Diuina poteſtate, qua ſe eos compellere poſſe ſciunt, vt aliena dicant vel faciant, non vt ſpontanei, ſed vt hoſtes in captiuitatem ſeruitutis redacti : quomodo Deus & Angeli vtuntur miniſterio Dæmonum. Secundo autẽ modo peccatum eſt, quandoq; mortale, quandoq; veniale. Nã † habere ſocialẽ actũ 51
cum dæmone, eſt peccatum mortale ex ſuo genere : quia actus ſocialis habet materiam repugnantem non qualitercumque ſed perniciosè : eò quòd ſocialis actus terminatur ad hoſtem Dei, cæleſtis patriæ & noſtrum. Conſtat enim hoſtem repugnare ſocietati, cum ſocietas omnis ſub amicitiâ comprehendatur, honeſti, delectabilis, vel vtilis. Nulla autem cum hoſte amicitia eſt conceſſa : & quia eſt cum hoſte in hiis, in quibus eſt hoſtis, eò quòd non poteſt in Dæmone diſtingui duplex genus voluntariorum, alterum pertinens ad hoſtilitatem, & alterum non, vt inter homines adinuicem inimicos contingit. Sed omnia voluntaria Dæmonis, hoſtilia ſunt, propter eorum peruerſam ac obſtinatam voluntatem in malo, in tantum, vt in quolibet ſuo voluntario opere peccent mortaliter : omnis autem amicitia cum hoſte in hiis, quæ hoſtilia ſunt, eſt perniciosa, vtpote hoſtilitati contraria. Vnde ſequitur, quod ſi cum Dæmone exerceatur actus ſocialis perfectè, eſt peccatum mortale : ſi verò imperfectè, eſt peccatum veniale. Habet autem rationem actus ſocialis perfectè, vti Dæmonis voluntaria confabulatione, ſeruitio, doctrina, & ſimilibus : hæc enim ſocialis ſunt vitæ. Imperfectè autem, ſi quis ex leuitate, vel curioſitate non credens ſe diuinam maieſtatem offendere, cum occurrente Dæmone in aſſumpto corpore, vel arrepticio, per modum tranſeuntis loquitur, inquirit curioſa, facit aliquid vanum ab eo fieri : puta mouere lapidem, &c. in his namque actibus licet ſit perfectè ratio actus humani, non tamen eſt perfectè ratio actus ſocialis. Et ratione huius imperfectionis à mortali excuſantur, ſicut in quolibet genere peccati mortalis, actus

propter imperfectionem, ſunt peccata venialia. Cum hiis autem omnibus ſtat quod per accidens licitum eſſe poteſt ab occurrente dæmone inquirere, & cum illo loqui, propter aliorum vtilitatem, vt author in allegata authoritate dicit, ſi caſus accidit, quaſi teſtimonium ab hoſte oblato exigens; & tunc tanquam cum hoſte hæc agenda ſunt, & per modum tranſeuntis. Ex quo namque hoc eſt per accidens, non exigitur compulſio, nec expulſio, niſi quoad finem, hoc eſt quod finis proximus ſit imminens vtilitas hoc expoſcens ad honorem Chriſti. Quod rarò, aut nunquam accidere videtur, in ſi ijs qui poſſunt Dæmones compellere. Quoniam mendax cum ſit & hoſtis, nulla poteſt eius verbis fides dari, niſi adſit virtus compulſiua.

Hæc ille: inquibus duo dicit, de quibus poſ-
52 ſet eſſe dubitatio nonnulla. Vnum eſt, quod † colloqui cum Dæmone ex leuitatie animi vel curioſitate, & per modum tranſeuntis ac bonafide, tantum eſt culpa venialis, eò quòd licet ſit actus humanus & liber perfectè, eſt tamen actus ſocialis imperfectè: & hoc veriſſimum eſt, & ratio adducta à Caietano id conuincit. Cuius in hac parte ſententiam ſequitur Delrius *lib. 3. part. 2. quæſt. 6. ſectione 4.* dum ait, quod licet diuinatio ex natura ſua ſit culpa lethalis coniuncta tacitæ inuocationi ſeu pacto; ſed fit venialibilis propter ignorantiam, quæ officulter vinci potuerit, hoc eſt, quæ nec affectata, nec craſſa, nec ſupina fuerit. Et ſubdit, quod quamuis hîc materiæ leuitas regulariter non excuſet à mortali, eò quòd hæc eſt vſurpatio cognitionis Deo reſeruatæ, benè tamen ex indicijs & circunſtantijs conſtat animum & intentionem caruiſſe ſuperſtitione, puta ſi homo interrogans à Dæmone, voluit non tam cognitionem adipiſci, quàm aliqua obſeruantiuncula ſe per iocum ob lectare: tunc erit peccatum veniale vanitaris. Et huc ſpectat quod *lib. 6. cap. 2. quæſt. 3. ſectione 3. §. quartum eſt.* ait, peccare exorciſtam miſcentem iocos cum Dæmone in arrepticio, intellige venialiter: noxium tamen eſſe aduertit ex Niderio *in fornicario*, de quodam fratre Conuentus Colonienſis, qui Dæmoni iam volenti recedere à corpore obſeſſo, dixit iocando, *in cloacam meam vadas*: & cum nocte frater ventrem purgaturus ad cloacam accederet, ita dire eum torſit Diabolus, vt vitam cum difficultate ſaluaret; & Torre *diſputat. citata concluſione 4.* non excuſat à mortali hos colloquentes cum Dæmone, etiam per modum imperij extra exorciſmos, niſi ob inuincibilem ignorantiam, quam tamen non admittit, niſi in ruſticis & merè idiotis. *Et concluſione vltima* ſubdit, hos non excuſari à mortali, ex ſola paruitate materiæ, ſed ex imperfectione actus, id eſt quando homo cum Dæmone colloquitur actu imperfectè ſociali, leuiter & per modum tranſeuntis, tunc erit veniale. Quæ procul dubio eſt ſententia Caietani. Alterum eſt magis difficile, nimirum
53 quod † Inquiſitio à Dæmone ſponte ocurrente & non inuocato, poteſt eſſe licita propter vtilitatem aliorum, etiam extrà expulſionem in exorciſmis, & compulſionem in Sanctis viris. In quo ſenſu diximus explicandam eſſe authoritatem Angelici Doctoris adductam ex *art. 4. quæſtionis 95.* verùm cum ſubdat Caietanus, hoc per accidens eſſe, & rarò aut nunquam contingere, niſi ijs qui habent virtutem compellendi Dæmones, parum aut nihil addit communi ſententiæ negranti id vnquam licitum eſſe. Magis aliquantò videtur addere Delrius *in nuper allegata ſectione 4. lib. 3.* citans & ſequens Gregorium de Valencia *22 diſputat. 6. quæſt. 12. puncto 4.* dum ait. *Poſſet nonnunquam contingere, vt talis iocus ab omni delicto immunis eſſet, & adeò decenter & oportunè adhiberetur, vt ad virtutem Eutrapeliæ videretur pertinere.* Ergo ſi hæc iocoſa confabulatio cum Dæmone honeſtatem quandoque habet virtutis moralis, nedum per accidens, vt voluit Caietanus, ſed per ſe eſt licita & honeſta: actus enim virtutum moralium per ſe ſunt honeſti, & non tantùm per accidens, vt pote quæ non ad actus per accidens, ſed perſe honeſtos inclinant: à quibus & ſpecificantur. Quod in noſtro caſu vix crediderim, ſicut neque credendum puto mediocritatem quam in ludis & iocis ponit Eutrapelia, in hiis, qui fiunt ad Dæmonem, reperiri.

Idémque Caietanus *in quæſt. 95. art. 4.* ſe explicans, vt de eius mente nobis non relinqueretur locus dubitandi, expendens verba D. Thomæ *quæſt. 96. art. 1. ad 3.* quæ ſic habent. *Exquirere cognitionem futurorum à Dæmonibus non ſolum eſt peccatum propter hoc quod ipſi futura non cognoſcunt, ſed propter ſocietatem cum eis initam; quæ etiam in propoſito habet locum*: ſubdit; quod appellatione Societatis intelligit author pactum ſiuè fædus initum vel expreſsè per inuocationem: vel tacitè per opus, cui merito Dæmon ſe immiſcet, eò quòd actus inuocationis ſeu cuiuſcumque recurſus ad Dæmonem, eſt ſaltem ſocietas inita, quæ eſt initium ſocietatis, & vocatur pactum initum, ſicut etiam ſocietas init: quoniam ſocietas claudit in ſe pactum, fædus, ſeu conuentionem, etſi non verbo, ſaltem facto ipſius ſocietatis, quæ etiam initiata cum Dæmone, eſt peccatum mortale. Et paulò inferius §. *circa Diuinationenem*, mouens dubium hoc; an ſcilicet, poſſit fieri ſine reuerentia & cultu Dæmonis? Reſpondet: huiuſmodi † Diuinationis operationes & in- 54
uocationes Dæmonum dupliciter exerceri poſſe: nimirum aut formaliter, id eſt animo efficiendi id, ad quod Dæmonum inuocatio ordinatur, & hoc formaliter ſpectat ad cultum & ſuperſticionem, vt docent Auguſtinus *lib. 2. de doctrina Chriſtiana cap. 20.* & Author *in toto hoc tractatu.* Et ratio ſuadet, quoniam iſtæ operationes ex ſua natura, & à Dæmone, qui eas inſtituit, ordinantur ad ſubiectionem hominis reſpectu ipſius Dæmonis: huiuſmodi autem ſubiectio ratione excelleutiæ Diuinæ affectatæ & intentæ à Dæmonibus ad ſuperſticionem ſpectat, ſicut ſubiectio hominis ad Deum, ad religionem. Aut materialiter, vt ſi homo ſeparet ab opere animum faciendi id, ad quod opus ordinatur, hoc eſt, quod nolit ſubiicere ſe Dæmoni: ſed ſolùm tanquam à ſciente vel potente aliquid, adiuuari, ſicut ab altero homine requireret, abſque vlla reuerentia: & ſic ad ſuperſtitionem & cultum pertinet materialiter; quia iſta opera ſunt materia ſuperſtitionis & cultus, quamuis non fiant tali animo. Nec tamen excuſantur à peccato mortali: quia opera iſta etiam materialiter ſpectant ad ſocietatem Dæmonum, & conſtituunt initium ſo-

cietatis

cietatis formaliter cũ Dæmonibus, ac per consequens cum hostibus Dei, & proprijs. Constat namque societatem cum hoste siue consummatam siue initam tantùm, esse perniciosam, & læsæ maiestatis ream: & cum tali hoste scilicet Dæmone, esse contra fidelitatem, quam Deo debemus, & contra nosmetipsos, quia sunt semper, vbique & in omnibus dolosi. Propterea Augustinus *vbi supra* appellat hanc amicitiam infidelem & dolosam; quæ procul dubio ad Apostasiam à Deo pertinet. Cuius peccati grauitas ex eo colligitur, quod sicut conuersatio in hac vita cum Sanctis Angelis pertinet ad initium cælestis felicitatis & patriæ; ita societas cum Dæmonibus ad initium æternæ damnationis & infernalis habitaculi
55 spectat. Ex quibus concludit Caietanus hæc † opera etiam materialiter modo explicato exercita esse superstitiones & cultum Dæmonum saltem materialiter implicare, pertineréque ad duas vltimas species superstitionis assignatas à D. Thoma *supra quæst. 92. art. 2.* vbi quatuor species numerans, ait primam esse, qua Deo exhibetur cultus modo indebito: secundam verò esse qua Diuinus cultus tribuitur creaturæ, quæ dicitur idololatria. Tertiam esse illam qua Dæmoni tribuitur cultus vt Magistro & Doctori, quæ dicitur Diuinatio: Quartam denique esse illam, qua exhibetur cultus Dæmoni vt directori humanarum actionum per quasdã externas obseruationes; quæ vocatur superstitio obseruantiarum. Et has tres species tangit
56 Augustinus *vbi supra* dicens † superstitiosum esse quidquid institutum est ab hominibus ad facienda & colenda idola: & hoc pertinet ad primum; vel ad consultationes, & pacta quædam significationum cum Dæmonibus placita atque fœderata; quod pertinet ad secundum: Vel ad ligaturas, Sortilegia & alias huiusmodi obseruationes, quod pertinet ad tertium. Quod siquis obiiciat, ex hac doctrina sequi huiusmodi obseruationes vel inuocationes si necessario implicent cultum Dæmonis, fore manifestè actus infidelitatis protestatiuos: ac per consequens qui hæc facerent incurrerent pœnas Apostatarum, seu Hæreticorum: quod tamen esse falsum patet ex *cap. Accusatus de hæreticis in sexto*, vbi ne impediatur negotium fidei, decernitur quod Inquisitores hæresum non se impediant in cognoscendo de Diuinationibus & Sortilegiis, nisi sapiant hæresim manifestè. Vnde aliæ quoque in iure sunt pœnæ hæreticorũ, & aliæ sortilegiorũ. Huic obiectioni respondet ibidẽ Caietanus *dupliciter*: nimirũ quod ex distinctione posita in ea Decretali, solum habetur; esse quasdam Diuinationes non inuoluentes cultum Dæmonum manifestè; quod concessum est in illis, qui eas exercent materialiter tantùm. Aut etiam admisso Decretalem loqui de diuinationibus & sortilegiis formaliter, adhuc † distinguendum est de cultu dæmonum; scilicet directè, & hunc includunt ea, quæ in reuerentiam dæmonum ordinantur; qualis reperitur in sacrificiis, oblationibus, & adorationibus; quæ procul dubio ad speciem Idololatriæ spectant, & sapiunt hæresim manifestè: & propterea etiam inducunt omnes pœnas hæreticorum & Apostatarum à iure indictas. Aut de cultu indirectè incluso seu exhibito: & hic reperitur in eis inuocationibus, & confabulationibus cum dæmonibus, quæ directè ordinantur ad scire vel operari aliquid per dæmones, quas diximus ad duas vltimas species superstitionis pertinere. Et hæc non sapiunt hæresim manifestè, quia cultum exhibent dæmoni indirectè, eo modo, quo in Religione cultum exhibent Deo iurantes per ipsum: quatenus inuocant dæmonem ad sua commoda, non tamen ita honorant dæmonem, vt protestentur illum esse Deum, aut infallibilem veritatem, nisi consultent ipsum vt scientem aut potentem omnia, vel in ordine ad ea, quæ superant eius scientiam aut potentiam; hoc enim hæresim saperet manifestè: imo & contra sortilegos ac diuinatores cum iniuria & abusu Sacramentorum, non obstante dicta Decretali procedent Inquisitores: vt inferius dicam. Quomodo autem hæc dicta Caietani cohæreant cum eo quod *in articulo citato quæstionis* 90. dixerat, nimirum posse licitè quempiam, licet rarò, sine compulsione & expulsione, inquirere aut petere aliquid à Dæmone ad honorem Christi, vel aliorum vtilitatem; siquidem ibi admiscetur societas dæmoniaca inita siue initiata, quam hic non excusat à mortali peccato? ipse viderit. Nobis enim solùm incumbit hanc eius vltimam voluntatem fusius & in loco proprio declaratam præferre ei, quam ibi per transanam explicuit.

§. V.

Quid sentiendum de hiis, qui à Dæmone audiunt doctrinam de mysteriis fidei, & prædictionem futurorum contingentium; illámque in codicibus scribunt, & codices scriptos seruant tanquam à Magistro veritatis dictatos.

SVMMARIVM.

58 *Refertur casus de quibusdam Monialibus à Dæmone obsessis, per quas Dæmones doctrinam de mysteriis supernaturalibus & futurorum contingentium fundebant.*

59 *Virum Dæmon possit mitti à Deo tam speciali missione, vt in corpore assumpto, vel arrepticio sit testis aut Magister veritatis.*

60 *Affirmatiuam huius quæstionis sententiam & quinam quomodo tuentur.*

61 *Balaam licet Magus, Christi tamen natiuitatem prædicabat.*

62 *Sybillæ Gentiles ac Dæmonum Diuinæ, vera de Christo prædixerunt.*

63 *Duæ recensentur causæ, propter quas Deus potissimè permittit hominem à Dæmone vexari.*

64 *Deus licet de potentia absoluta possit mittere Dæmones speciali missione in testes alicuius veritatis, nunquam tamen de lege ordinaria.*

65 *Ratio cur Dæmones intellectum hominum nunquam de facto illuminant, licet id possint attenta sua virtute naturali.*

66 *Pœna mendacis est, vt ei vera dicenti fides non adhibeatur.*

67 *Ratio cur Virginitas triumphat de Dæmone.*

68 *Hæreſes propter gulam ventrémque conſtructæ.*

69 *Ratio cur Deus non mittit Diabolum in mundum pro Nuntio & interprete ſuæ voluntatis.*

70 *Dæmones mittuntur à Deo vt miniſtros iuſtitiæ ad mala pœnæ hominibus infligenda, &c.*

71 *In Dæmonum impugnatione duo conſiderantur; ipſa ſcilicet impugnatio & ordo illius.*

72 *Prophetæ Dæmonum interdum ex Dæmonum, interdum ex Dei inſpiratione vera prænunciant.*

73 *Referuntur quatuor cauſæ, propter quas Deus permittit homines obſeruationibus vanis & ſuperſtitioſis implicari.*

74 *Dæmones non mitti à Deo tanquam magiſtros virtutis, certum eſt fidei dogma, & validiſſimis argumentis probatur.*

75 *Deus vtitur Angelis Sanctis ad diſponendum homines in via Dei & ſalutis.*

76 *In actibus audiendi Dæmonum prædictiones cum aſſenſu & credulitate, &c. ſunt multiplices malitiæ.*

77 *In quibus ſeriò & continuò exercitis eſt ratio actus ſocialis cum Dæmone.*

78 *Diuinatio ſapit hæreſim manifeſtè, quando quæritur à Dæmone cognitio rerum ipſi incognitarum.*

79 *Superſtitioſæ Diuinationes & Sortilegia, quando fiunt exhibendo cultum Dæmoni Latriæ vel Duliæ, aut cum Sacrificiis, abuſu Sacramentorum, &c. ſunt actus Idololatrici & hæreticales, adeoque horum pœnis obnoxij.*

80 *De fide certum eſt non futuram eſſe ſecundam redemptionem.*

81 *Blaſphemia eſt erga Diuinam prouidentiam credere Dæmonibus, dicentibus ſe eſſe miſſos in veritatis Diuinæ teſtes, & virtutis Magiſtros.*

82 *Inuincibilis & iuſta ignorantia in caſu ſuprà recenſito non excuſatur.*

83 *Pro cuius documenti maiori luce prolixius diſputatur.*

84 *Ignorantia non excuſat in his, quæ fidem & bonos mores ſpectant.*

85 *Aliqui tamen excuſantur à culpa hæreſis ob inuincibilem ignorantiam.*

86 *Quales debeant eſſe, qui alios ſunt inſtructuri.*

87 *In Baptiſmo renuntiamus Diabolo & eius operibus.*

88 *Errans ignorantiâ affectatâ, ex propria malitia & animi iniquitate errat.*

89 *Dæmoni in Angelum lucis ſe transferenti & bona ſuadenti, cultum exhibere, eſt peccatum Idololatriæ.*

90 *Dæmon quia pater eſt mendacij, quando vera aliqua annuntiat, multa etiam falſa miſcet.*

91 *Moyſes & Ioannes Baptiſta ſpecialem ſuam à Deo miſſionem comprobant: alter quidem patenti miraculo, alter Scripturæ Sacræ teſtimonio.*

92 *Contra quas regulas qui Dæmoni credit annuntianti ſe à Deo miſſum, ad veritates manifeſtandas aut virtutes edocendas, &c. nullo merito à Dæmoniaca Societate, & cultu Idololatrico poteſt excuſari; & qui talem excuſat, præter alias, etiam erroneam in fide doctrinam pronuntiat.*

93 *Erroneam in fide doctrinam ſequuntur tres hæreticæ propoſitiones.*

94 *Obſeſſæ virgines in ſupra dicto caſu, & earum complices ſunt de hæreſi ex multiplici capite ſuſpectæ. Quomodo cum iis & earum Superiore ſiue Magiſtro agendum, ibid.*

95 *Domum harum virginum eſſe demoliendam, aut ſaltem in alios pios vſus commutandam, ex ſacris & humanis literis probatur.*

96 *Cui authoritati adſtipulatur naturale lumen rationis in illuſtri Tiberij facto repræſentatum.*

CASVS † hic contigit noſtris temporibus 58
in quodam Monialium conuentu, quarum nonnullæ, à Dæmonibus fuerunt, occulto Dei iudicio permittente, obſeſſæ & arreptæ, per quas Dæmones doctrinam de myſteriis ſupernaturalibus, ac multorũ futurorũ contingentium etiam ab humano arbitrio dependentium, fundebant, & nouum mulierũ Apoſtolatum futurum eſſe, quibus ſinguli Apoſtolorum ſpiritus forent diuidendi. v.g. vni Spiritus Petri, alteri Spiritus Pauli, & ſic de aliis: quas & extra obſeſſionem ſtantes, & nonnullæ aliæ perſonæ Eccleſiaſticæ, ac ſeculares domeſticæ, hoc eſt ad regimen, ſiue ſeruitium eiuſdem monaſterij ſpectantes audiebant; fidémque Dæmonibus vt miniſtris Dei veracibus & Magiſtris iuſſu Dei, eas prædictiones in codicibus ſcribebant, dictantibus Dæmonibus in arrepticiis, codices ſcriptos aſſeruabant, & Sacratiſſimæ Euchariſtiæ communione, Dæmonum annuncia & prædictiones confirmabant; dicente Dæmone Superiori, cui alij obtemperabant, in confirmationem veritatis harum prædictionum, permitto, & Iubeo, vt hæc, & illa (vocando arrepticias nominibus Dæmonum) recipiat Euchariſtiæ Sacramentum. Proptereáque expendendum eſt, qualis fuerit hæc culpa, cuius ſpeciei ſuperſticionis, quibus pœnis obnoxia, & à quibus iudicibus cognoſcenda & iudicanda: ſi prius tamen explicem præambulam dubitatiunculam, videlicet; *Num,* † *Dæmon poſſit mitti à Deo tam ſpeciali miſſione, vt in corpore aſſumpto, vel arrepticio ſit teſtis, aut magiſter veritatis, & virtutis?* hæc enim exiſtimatio fuit cauſa hiis Virginibus Deo dicatis, & earum domeſticis, vt in huiuſmodi annunciis & prædictionibus Dæmonibus fidem darent; eo vel maximè, quod earum Rector ſeu Vicarius partem affirmatiuam, mediocriter doctus & eximiæ virtutis reputatus, illis multis teſtimoniis perſuadebat. 59

Potéſtque amplius ſuaderi. † Primò ex 60
Bernardo *ſermone de ſeptem ſpiritibus*, dicente; *oportet ſeparare precioſum à vili:* ergo ſtante eximia harum Virginum virtute, potuit Dæmon eas arripere, & per illas ſuas docere fallacias. Quod etiam confirmant exempla Iobi, Pauli, Antonij & Romualdi, qui fuerunt eximia prædiți ſanctitate; & ſine illius læſione, Iob fuit percuſſus à Dæmone ſpecialiter ad id miſſo à Deo, quem propterea *cap.* 19. manum illius appellauit, dicens; *manus Domini tetigit me.* Paulo datus fuit à Deo, ne magnitudo

reuelationum

reuelationum extolleret, vt ipse refert 2. *ad Corinth.* 12. Angelus Sathanæ, id est dæmon secundum multorum Patrum sentẽtiam, non obsidens aut possidens, sed extrinsecus, vel dolore iliaco infestans. Antonius externis dæmonum apparitionibus: & Romualdus pondere dæmoniaco, ad maius meritum infestabantur. Apostolos quoque, dictum est, & colligitur ex 1. *ad Corinth.* 5. & 1. *ad Timoth.* 1. aliquos criminosos tradere solitos dæmonum vexationi, non ad eorum interitum, sed vt Spiritus saluus fieret. Secundò probatur ex doctrina Angelici Doctoris 1. *p. q.* 114. *art.* 1. dicente, quandoque dæmones mitti à Deo speciali missione, nimirum quando non incitant ad peccandum, neque peccatum suggerunt, sed quando incitant homines ad actus bonos seu indifferentes, & quando exequuntur mala pœnæ, quæ sunt effectus Diuinæ iustitiæ. Et 2. 2. *q.* 172. *art.* 6. ait, Prophetas dæmonum plerumque annuntiare
61 veritatem. Quod probat, tum ex † Balaam *Numerorum* 24. qui erat Magus & dæmonum diuinus, & nihilominus instinctu Diuino Christi natiuitatem prophetauit, dicens numine raptus: *Orietur stella ex Iacob:* & ex Chrysostom. *homil.* 19. Imperfecti dicẽtis; *Concessum est Diabolo interdum vera dicere, vt mendacium suum rara veritate commendet.* Tum etiam, quoniam nulla est doctrina tam falsa, quæ aliqua vera non intermiscеat: sicut nullum est malum quod non includat aut supponat aliquam bonitatem: subditque hoc contingere vno ex tribus modis. Nimirum, aut non semper loquuntur ex dæmonis inspiratione, sed etiam interdum ex diuina inspiratione; vt contigit Balaam, cui dicitur *Numerorum* 22. Dominus esse loquutus, quia Deus vtitur etiam malis ministris ad vti-
62 litatem bonorum; sicut contigit † Sybillis, quæ erant Gentiles ac Dæmonum Diuinæ, & tamen vera de Christo prædixerunt. Aut etiam, quia dæmones quando instruunt suos Pseudoprophetas, vera illis suggerunt; vel virtute propriæ naturæ, quia ex Deo est: vel ex reuelatione Sanctorum Angelorum teste Augustino *lib.* 12. *de Gen. ad litterã c.* 19. Vnde in solutione *ad* 3. subdit. *Vtitur etiam eis Deus ad veritatis manifestationem per ipsos fiendam, dum diuina mysteria eis per Angelos reuelantur, vt dictum est*; videlicet ad Primum ex Augustino *loco citato.* Tertiò probatur ex Tridentino *q.* 5. *lib.* 8. *quæstionum*, Iaquerij *flagelli fascini cap.* 18. Delrij *lib.* 3. *Magiæ p.* 1. *q.* 7. *& sect.* 1. asserentium Deum
63 ob † duas causas potissimè permittere dæmonem in hominibus per maleficia grassari; scilicet propter maiorem gloriam, & ipsorum maleficiatorum vtilitatem. Quare non est mirandum (ait Sanctus Cuthbertus apud Bedam teste Surio *tom.* 2. *folio* 309.) *Si tali tormento non solùm subiiciuntur mali, sed occulto Dei iudicio aliquoties etiam innocentes, in hoc seculo, non tantùm corpore, sed & mente captiuantur à Diabolo.* Consonat Torre *q.* 96. *art.* 2. *disp.* 13. dicens, quod dum adulti maleficiis inficiuntur, semper eam pœnam patiuntur mali in suæ culpæ vindictam: è contra verò obsessi, & possessi à dæmone sæpe absque propria culpa obsidentur, aut possidentur. Quod etiam colligitur ex canone, *si per sortiarias* 33. *q.* 1. idque exequi dæmonem inuitum & coactum à Deo innuitur *Ecclesiastici* 13. ibi: *pondus supra se tollit, quando honestiori se communicat*; & tamen tunc, *insuspicabilis portabit diadema*, vt dicitur *Ecclesiastici* 11. quia Iustus ex Dæmonis vexatione augmentum gratiæ in præsenti, & gloriæ in futura vita portabit: quod Delrius *præallegata sectione* 1. sic declarat. Hæc scilicet vtilitas, hominum à dæmone maleficiatorum multiplex est. *Nam quibus maleficio nocitum, eorum primò patientia exercetur, & constantia roboratur, & merita augentur, & homines ad pœnitentiam & Sacramenta Ecclesiæ vsurpanda reuocantur.* Ergo ob Dei gloriam & hominum spiritualem vtilitatem expedit plerumque eos quantumuis iustos, dæmonis tradi vexationi; nec non mitti à Deo in testes alicuius veritatis & magistros virtutis. Sed hiis non obstantibus sit.

Assertio prima. Etsi † de potentia absoluta 64
possit Deus mittere Dæmones speciali missione in testes alicuius veritatis; verùm nunquam de lege ordinaria hac vtitur missione. Prima pars assertionis probatur: tum Secundo argumento facto, quod eam conuincit. Tum etiam quia sicut Dæmon licet sit induratus in malo, quandoque suadet bona quædam: ita licet sit mendax, potest aliqua vera dicere & contestari; & interdum ea facultate vtitur, vt homines vna veritate allectos decipiat, & ad credendum eius mendaciis assuefaciat. Ob quam rationem Christus Dæmoni veritatem proferenti *Lucæ* 4. silentium imposuit dicens; *Obmutesce Sathana*, ne scilicet cum veritate simul suam iniquitatem promulget, & homines assuefiant eius dictis assentire, vt D. Thomas *in dicto art.* 4. *q.* 95. ex sententia Athanasij docet. Tum denique; quia Dæmones attenta sua naturali virtute possunt illuminare humanum intellectum, sicut possunt Angeli boni, quia in naturalibus sunt æqualis potestatis, & naturalia in eis manserunt integra; de bonis autem, id posse docet D. Thom. 1. *p. q.* 111. *art.* 1. & de veritate *q.* 1. *art.* 3. quæ illuminatio non fit (ait ille) productione alicuius speciei, aut luminis noui, aut alterius formæ intra humanum intellectum, sed proponendo & explicando adinstar Magistri discipulum erudientis, aliquam veritatem inuolutam; & confortando lumen illius, ad eum modum, quo minus calidum ex coniunctione ad magis calidum redditur robustius, prout *in tractatu de Angelis* explicuimus, & scitè tradit Torre *disputat.* 6. *præambula ad quæstionem* 95. §. 3. Ergo Deus poterit vti Dæmonis naturali ista facultate, vt hominis intellectum illuminet, veritatem aliquam illi enucleando, & eius lumen confortando. Hinc venit intelligendus idem D. Thomas *in* 2. *sententiarum d.* 8. *artic.* 5. *ad* 5. dum ait posse Dæmones intellectibus hominum imprimere lumen intelligibile, non producendo, sed iam productum vigorando.

Deinde Secunda pars probatur: Primò ex eodem Angelico Doctore, *q.* 16. *de malo art.* 11. & 12. *q.* 80. asserente, quod † licet id possint Dæmo- 65
nes attenta sua virtute naturali, nunquam tamen intellectum hominum de facto illuminat; quippe qui cum sint eorum hostes perpetui, & in hostilitatem hanc destinati à Diuina iustitia, semper mala, & nunquam bonum aliquod hominibus cupiunt. Et est communis sententia Sanctorum Patrum, nunquam Dæmoni manifestato esse credendum, nisi compulso per diui-

nam

nam virtutem exorciſmorum. Vnde Chryſoſtomus *homil. 2. de Lazaro*, exponens illud *Marci 1. obmutesce & exi ab homine*; ſalutiferum hoc nobis dogma dat, ne credamus Dæmonibus quantumcumque denuntient veritatem; & D. Thomas *q. 90. art. 2. ad 2.* in eandem ſubſcribit ſententiam.

Secundò probatur ex illo Chriſti teſtimonio *Ioannis 8. Cum loquitur mẽdacium, ex propriis loquitur: quia mendax eſt & pater eius*, ſcilicet mendacij: Vnde etſi quandoque vera dicat, in pœnam ſuæ malitiæ, indignus eſt, vt ei fides
66 adhibeatur. Hac enim † pœna meritò mendaces plectuntur, teſte Ariſtotele, qui interrogatus, quid proficerent mendaces, reſpondit, *vt vera loquentibus, fides non adhibeatur*: & Hieronymus Epiſtola ad Iulium Diaconum, *vt mendacibus vera dicentibus non credatur*: & Laërtius *lib. 5. c. 1.* ait hanc fuiſſe pœnam Caſſandræ filiæ Priami, quæ artem fatidicam & diuinatoriam exercebat, vt ei excidium patriæ futurum prædicenti non crederetur: de qua propterea Virgilius 2. *Æneidos* ſic cecinit.

Tunc etiam fatis aperit Caſſandra futuris
Ora Dei iuſſu, non unquam credita Teucris.

Et *Eccleſiaſtici 34. à mendace quid verum dicetur?* Sed Deus eſt ipſa veritas per eſſentiam; dicente Chriſto *Ioann. 14. Ego ſum via, veritas & vita*: Igitur non decet illum mittere Legatum mendacem in conteſtationem ſuæ veritatis; quem hac pœna merito mulctauit, vt ei fides non præſtaretur.

Tertiò probatur, quia hoc eſt priuilegium Virginum, *quod in ore earum non eſt inuentum*
67 *mendacium Apocalyp. 14.* † ratione cuius triumphat Virginitas de Dæmone, qui eſt pater mendacij: ſicut econtra libido excæcat homines, & eos in Dei abnegationẽ perducit. Hæc Salomonẽ Idolatriã; hæc Nicolaitas in fide Apoſtatas fecit: de quibus Paulus 2. *ad Thim. 3. In nouiſſimis diebus inſtabunt tẽpora periculoſa: & erũt homines ſeipſos amantes: voluptatũ amatores magis quàm Dei.* Talis enim hæreticorum character, ait Epiphanius *hæreſi 26.* Gnoſticos perſtringens, quos imitantur illuminati noſtri temporis, qui libidinoſos actus cum eximia Sãctitate coniungunt: & Hieronymus *in Epiſtola ad Teſiphontem* ait, hanc eſſe praxim hæreticorum, *nunquam hæreſim condidiſſe ſine ſua Philomela.* Secta quoque Begardorum, & Beguinarum ad carnales congreſſus ſuos Profeſſores incitauit; vt patet ex Clementina *Ad noſtrum de hæreticis.* Ac tandem idem Hieronymus ſuper *Hieremiæ c. 3.*
68 concludit dicens. *Nulla † hæreſis niſi propter gulam ventrémque conſtrnitur, vt ſeducat mulierculas oneratas peccatis.* Et quidam eò deuenerunt, (ſubdit ille ſuper eiuſdem *Hieremiæ cap. 29.*) vt aliis, quæ de Tribu Iuda erant, *Chriſtũ eſſe de ſuo ſemine generandum ſuaderent; quæ illectæ cupidine præbebant corpora ſua, quaſi matres futuræ Chriſti, &c.* Idem ergo Dæmon, qui ad idololatriam fouendam infanda orgia inuexit mundo, eandem agens fabulam ad ſectas hæreticorum propagandas ſub velamento viſionum proceſſit; quando teſte Ioſepho *lib. 8. Antiquitat. c. 4.* ſub ſpecie colloquutionis cum Diis, turpitudini & obſcenitati viam aperuit: quã & poſtea (ait & Grauina *lib. 1. Bazanithæ cap. 6. in fine*, à) Simone Mago & cæteris Gnoſticis incipiendo innouauit: per mediá mque ætatem proſequendo continuauit, per ſpirituales illos dictos otioſos, per Dulcinum & Margaritam, Fraticellos, Beguinas, Begardos, Adamitas, condormientes Fratres amoris de domo Charitatis; & nouiſſimè per canalem ad Illuminatos, Synuaſtenoticos, prouenit, qui (vt Seneca *de vita beata cap. 12.*) *ad nomen voluptatis aduolant, quærentes libidinibus ſuis patrocinium & velamentum.* Et ne erubeſcerent, & in vitio gloriari viderentur, peccati quoque in libidinoſis actibus rationem abſtulerunt. Ergo non eſt credendum quod Deus ad conteſtandam ſuam veritatem mittat Diabolum mendaciorum patrem, Idololatriæ, ſuperſtitionum inuentorem, & hæreſum fautorem.

Quartò oſtenditur eadem pars aſſertionis ex duplici capite. Tum ab exemplo Regis Catholici, quem prorſus dedecet mittere Maurum, vel Turcam in Legatum vel Ambaſiatorem & Nuntium ſeu Interpretem ſuæ Voluntatis ad alium Regem: quia hoc eſt munus Vaſalli, amici & confidentis; ergo minus decet Deum † mit- 69
tere in mundum, pro legato & Ambaſiatore & Interprete ſuæ voluntatis Diabolum, qui ipſi, & hominibus eſt hoſtis & aduerſarius. Tum etiam, quoniam ex ſuperius dictis §. 3. conſtat Deum ſuis legibus prohibere commercium & ſocietatem cum dæmone, & ei confæderatis, ſcilicet Magis, Ariolis & Pſeudoprophetis, qui cum illo pactum aliquod inierunt. Si autem mitteret Diabolum in legatum & Nuntium ſuæ veritatis; vel faceret contra has leges, vel illas abrogaret, vel in illis diſpenſaret. Primum eſt impoſſibile, & ſimiliter ſecundum: quia fidelis eſt Deus, qui ſe ipſum negare non poteſt; & quia eſt ſummè bonus, à regula rationis deuiare nequit: Et quoniam illæ leges Iuris naturalis ſunt, quæ proinde reuocari non poſſunt, ſicut & ipſum naturale ius immutabile eſt. Tertium autem eſt vti ſua potentia abſoluta, quod ei non eſſe impoſſibile faſſus ſum. Verùm hoc non eſt credendum, tum propter rationes, quibus *quæſtione præcedente* oſtendimus, non eſſe adhibendam fidem reuelationibus priuatis contra communes Eccleſiæ leges, aut probatas conſuetudines, niſi aliquo ſacræ paginæ teſtimonio, aut patenti miraculo à Sede Apoſtolica approbato conteſtarentur. Tum etiam quia huiuſmodi diſpenſationem Deus nunquam facit de lege ordinaria, etſi de potentia abſoluta illam aliquando fecerit, cum aliquibus hominibus ſuis miniſtris; quorum proinde actus nec poſſumus, nec debemus imitari: vt ſcitè probat *Grauina 2. p. ſui Bazanithæ lib. 1. c. 2.* Quare vt notat Caietanus 2. 2. *q. 174. art. 6.* neque Abrahami factum in præparatione ad occiſionem filij, neque Oſeæ concubitum cum muliere fornicaria, poſſumus licitè imitari, quod tamen illi ſine labe peccati fecerunt: eò quòd cùm illi eſſent Prophetæ iam in Eccleſia recepti, certi erant de Diuina diſpenſatione ſibi per Dei reuelationem innoteſcente. Quapropter & Iſaacus Parentis, & mulier fornicaria Oſeæ dictis credere tenebantur, & parere mandato: hæc autem certitudo deeſt in aliorum reuelationibus ac dictis, qui in publicos Eccleſiæ Prophetas non ſunt dati, niſi miraculo aut teſtimonio Scripturæ eas confirment. Vnde neque

que à peccato excusantur parendo eis contra communes leges, magisque deest hæc certitudo dictis ipsius diaboli, qui solus testimonium perhibet de se ipso, dicens se esse missum à Deo vt eius ministrum ad contestandam aliquam veritatem, quia nulla ei fides debetur.

Ex quibus facilis est solutio ad argumenta adducta in contrarium. Ad primum namque
70 fatemur † Dæmones mitti à Deo vt ministros iusticiæ ad mala pœnæ hominibus infligenda, aut in vindictam aliquorum criminum. Aut etiam ad animas magis vexatione corporum purgandas, & in virtute perficiendas. Primus modus missionis est frequentior, quia vt scitè probat Delrius *in nuper allegata quæst. 7. lib. 3. sectione* 2. frequentissimus modus Dei mittendi Dæmones ad vexandos homines, est ob vindicanda aliqua facinora, præsertim, superbiæ & contumaciæ, ob quam Adamus fuit paradiso exturbatus, & Nabuchodonosor sic dementatus, vt se bestiam existimaret: nec non carnalis libidinis & coniugalis intemperantiæ, ob quam licuit Asmodæo septem Saræ sponsos necare; & septem Dæmonia Mariam Magdalenam occuparunt, & ob quam Paulus Apostolus 1. *ad Corint.* 5. Cherintium incestuosum Sathanæ tradidit. Secundus verò minus frequens, sed interdum vti solet illo Diuina prouidentia erga homines probos ad Dei gloriam, & maiorem eorum vtilitatem: vt erga Iob, Paulum, Antonium & Romualdum: in quibus optimè separatur pretiosum à vili. Ex quo patet ad confirmationem. Ad secundum respondetur, nihil contra nostram assertionem ex illis testimonijs conuinci. Nam ex priori solùm habetur, Dæmones solere mitti vt ministros Diuinæ iusticiæ: quod non inficiamur. Sed neque D. Thomas eo in loco adstruit Dæmones mitti à Deo speciali missione, vt excitent homines ad bonum, sed in corpore ar-
71 ticuli dumtaxat, ait † in Dæmonum impugnatione duo considerari, nimirum & ipsam impugnationem, & ordinem illius; & ordinem quidem esse à Deo, qui ordinatè nouit malis vti, ad bona ea ordinando: impugnationem verò ipsam ex Dæmonum malitia procedere, quod non est Deum per Dæmones ad bona opera homines inducere, vt quidam Neotherici voluerunt, sed Deum ex vexatione Dæmonum permissa, bonos & vtiles effectus elicere, nimirum quos ex Gersonio notauimus. Vnde in solutione ad primum subdit D. Thomas, Dæmones mitti à Deo ad puniendum homines ob eorum culpam; sicut missus est Spiritus mendax ad puniendum Achab Regem 3. *Regum vltimo*: ad instigandum autem homines ad peccatum (ait ille) non mittuntur, sed permittuntur iusto Dei iudicio. Sed neque propterea negamus interdum fuisse Dæmones missos speciali Dei dispentione, ad suadendum hominibus virtutis opera, licet ipsi prauum finem suæ suasioni apponant; vt contigit in casu relato à Sancto Antonino, quando Dæmon monachi habitum assumens suggestum ascendit, & cum lachrimarum fructu concionem fecit populo. Et tempore Sancti Gregorij Magni fertur Dæmonẽ per octo continuos dies Romæ publicè prædicasse: & in quodam conuentu Beati Franciscì Dæmonem in habitu & figura Religiosi per duorum annorum spatium fuisse commoratum, vt quendam hominem auarum conuerteret.

Ex posteriori autem habetur, † Prophetas 72
Dæmonum, interdum ex Dæmonum, interdum ex Dei inspiratione vera prænuntiare. Sed quando Dei inspiratione loquuntur, nil contra iura Diuina, nil contra naturales, aut Ecclesiasticas leges annuntiant. Ad tertium fateor intentum, nimirum Deum permittere propter illos fines, vt Dæmones aut per maleficia, aut per obsessionem siue possessionem in hominibus grassentur: nego tamen eam Dei gloriam & hominum vtilitatem spiritualem esse intentam à Dæmonibus, aut ad eam promouendam esse missos à Deo, tanquam ministros eius ad illi cooperandum in eum finem. Pro cuius maiori luce notanda hîc est doctrina Gersonis Cancellarij Parisiensis 1. *part. tractatu de erroribus circa artem Magicam, ſect.* 2. dicentis; † Deum ob vnam ex quatuor causis 73
permittere homines obseruationibus vanis & superstitiosis implicari, ac Dæmonum fallaciæ ac vexationi tradi: nimirum vel propter obstinatorum damnationem, de quibus dicitur, *Psalmo 77. immisit in eos indignationes suas, indignationem & iram per Angelos malos*: vel ad peccantium punitionem & purgationem, quod contigit Magdalenæ, quæ subiecta erat septem Dæmonijs, quia carnalibus vacabat vitiis secundum Glossam. Ob eandem causam excommunicati ab initio Ecclesiæ Sathanæ corporaliter vexandi tradebantur, vt Spiritus saluus fieret. Vnus quoque ex Sanctis Patribus refertur magnis precibus obtinuisse à Domino, vt torqueretur à Dæmone, quatenus careret elatione. Vel ad fidelium probationem & exercitationem: quod contigit Iobo, Antonio & Paulo, cui datus est Angelus Sathanæ: sicut enim secundum eundem Apostolum necesse est hæreses fieri, vt qui probati sunt manifesti fiant: ita ad hoc huiusmodi illusiones permittuntur iuxta illud *Deuteronom.* 13. *Tentat vos Dominus, si ex toto corde diligatis eum*, id est vt probet si diligatis eum. Vel tandem propter gloriæ Dei manifestationem, sicut contigit cæco nato *Ioannis.* 9. & Lazaro *Ioannis* 11. quorum alter cæcitate, & alter infirmitate vexabantur pro gloria Dei manifestanda; & similiter in legione Dæmonum, qui porcos intrauit & submersit, non ad porcorum punitionem, sed ad potentiæ Christi manifestationem. Vtra autem ex his fuerit causa vexationis harum Virginum? alius iudicet nisi rei euentus probauerit. Hiis suppositis sequitur

Secunda assertio; † certum est dogma fi- 74
dei, Dæmones non mitti à Deo, tanquam magistros virtutis. Hæc assertio probatur Primò ex D. Thoma *quodlibet.* 3. *articul.* 10. dicente discipulum non excusari à peccato ob ignorantiam, quando sequitur opinionem sui Præceptoris in his, quæ sunt contra expressum Sacræ scripturæ testimonium, vel contra id quod communiter tenet Ecclesia. Quia licet oporteat addiscentem credere suo Magistro, hæc credulitas non habet locum in huiusce generis dogmatibus, nisi tantùm

metaphyſicis quæſtionibus, aut opinionibus probabilibus pro vtraque parte: ergo multò minus excuſantur hi, qui Dæmonibus credunt dicentibus ſe eſſe miſſos à Deo ad annuntiandum ea, quæ Eccleſiaſticis legibus ac iuri diuino, aut etiam fidei contraueniunt. Quod contigit in noſtro caſu, in quo Dæmones annũtiabant futura contingentia dependentia, aut à ſola Dei voluntate, aut etiam à libero hominis arbitrio, quorum cognitio eorum naturalem excedit facultatem, nec non nouum Apoſtolatum ex vndecim fœminis eſſe formandum, neque numero duodenario complendum, ne in illo Iudas foret. Secundam quoque redemptionem per illas eſſe faciendam; religionis quam profitebantur, imo totius Eccleſiæ reformationem eſſe operaturas, aliámque Trinitatem in terra eſſe ex tribus perſonis, quas Dæmones nominabant eſſe formandam, adinſtar illius, quæ fuit formata ex Ieſu, Maria & Ioſeph: ac tandem earum Superiorem futurum eſſe Summum Pontificem & ad Hieroſolymam ſedem Apoſtolicam tranſlaturum; quæ omnia ſunt contra fidem, quorum proinde credulitas non excuſat dictas fœminas & earum coniunctos à peccato. Secundò probatur, quia † ad diſponendum homines in via Dei, & ſalutis, atque ad eos promouendum ad maius virtutis & meritorum incrementum Deus vtitur Angelis Sanctis, qui teſte Paulo *ad Hebræos* 1. *Omnes ſunt adminiſtratorij ſpiritus, in miniſterium miſſi propter eos qui hæreditatem capiunt ſalutis.* Et de hiis canit Eccleſia: *& Angeli tui ſancti habitantes in ea nos in pace cuſtodiant.* Et iterum. *Deus qui mira ordine, Angelorum miniſteria hominúmque diſpenſas: concede propitius, vt à quibus tibi miniſtrantibus in cœlo ſemper aſſiſtitur, ab hiis in terris vita noſtra muniatur.* Eadémque certitudine tenet Eccleſia Deum ad hos fines nunquam vti Dæmonum miniſterio, qui humanæ ſalutis infenſiſſimi hoſtes ſunt: ergo non eſt credendum illis, quantumuis iuramento affirment ſe ad fines dictos eſſe miſſos à Deo vt ſpeciales miniſtros & legatos. Tertiò probatur ex illo Pauli *ad Galatas* 1. *Sed licet nos, aut Angelus de cœlo euangelizet vobis præterquam quod euangelizauimus vobis, Anathema ſit*: ergo ſi Angelo de cœlo miſſo euangelizanti ſiue annuntianti aliquid contra doctrinam ab Apoſtolis traditam & ab Eccleſia ſuſceptam, neutiquam eſt credendum; multò minus credendum eſt Dæmoni annuntianti aliquid communibus legibus, conſuetudinibus, aut dogmatibus Eccleſiæ contrarium. Quartò probatur *ex c. cũ ex iniuncto de hæreticis q. præcedenti* citato, vbi damnãtur quidam, qui dixerunt ſe miſſos à Deo ex priuata inſpiratione ad prædicandum & docendum populum Chriſtianum contra communes leges & Eccleſiæ vſum. Cuius redditur ratio *in dicta Decretali*; quia cum miſſio interior ſit occulta, non ſufficit cuiquam nudè tantum aſſerere ſe eſſe miſſum à Deo, ſed oportet quod comprobet illam miſſionem, vel per operationem alicuius miraculi euidentis, vel Sacræ Scripturæ teſtimonio. Nam licet Deus de potentia abſoluta poſſit in communibus legibus diſpenſare, vt de facto cum Abrahamo & Oſea diximus concluſione præcedenti diſpenſaſſe: Verumtamen non eſt credenda talis diſpenſatio, vtpote inſolita ob rationes ibi adductas, niſi miraculi operatione, aut Scripturæ teſtimonio fulciatur. Eſt igitur communis Eccleſiæ ac Sanctorum Patrum regula & fides, quod Deus ſalutis viam, nec docet, nec ad virtutum opera promouet homines mediante miniſterio aut magiſterio Dæmonum, ſed Sanctorum Angelorum: ac proinde temeraria, ſcandaloſa & erronea eſt aſſertio dicentis, miſſos eſſe Dæmones à Deo ſpeciali miſſione in Magiſtros virtutis, & Doctores profectus ſpiritualis, eiſdémque notis inurenda eſt credulitas talis diſpenſationis, vltra alias malitias, in huiuſmodi cum Dæmonibus conſortio, commercio & inuocatione inuolutas; quas concluſio ſequens explanabit.

75

Aſſertio tertia: † in actibus audiendi Dæmonum annuntiationes & prædictiones cum aſſenſu & credulitate, ſcribendi illas in codicibus, cuſtodiendi codices ſcriptos, confirmandi prædictiones iſtas cum Sacramento Altaris, & depingendi Angelos cuſtodes ſub nominibus, & cum hieroglyphicis à Dæmone aſſignatis, ſeriò & perſeueranter, multiplices malitiæ reperiuntur, nimirum ſuperſtitionis, Idololatriæ, hæreſeos, & Apoſtaſiæ à fidelitate in Baptiſmo promiſſæ. Hæc aſſertio probatur ſupponendo ſpeciem facti, *initio Dubij* propoſitam; nimirum, quod Dæmones recenſitas prædictiones futurorum contingentium à libero arbitrio dependentium fundebant, quas Auditores in codicibus ſcribebant, codices aſſeruabant, Angelos ſuæ cuſtodiæ cum nominibus & cum hieroglyphicis ridiculis depingi faciebant: eaſdémque prædictiones ſex earundem Virginum Deo dicatarum cum venerandæ Euchariſtiæ perceptione confirmabant. In hiis igitur actibus dictas malitias implicari probatur. Primò, nam † in hiis actibus tam ſeriò & continuò exercitis, inuenitur ratio actus ſocialis cum Dæmone perfectè, vt patet ex verbis allegatis Caietani *artic.* 2. *quæſt.* 90. ibi: *habet autem rationem actus ſocialis perfectè, vti Dæmonis voluntaria confabulatione, ſeruitio, doctrina & ſimilibus. Hæc enim ſocialis ſunt vitæ, &c.* Quod proculdubio ſpectat ad tertiam ſpeciem ſuperſtitionis ex recenſitis à D. Thoma *quæſt.* 92. *art.* 2. qua ſcilicet cultus Magiſterij debitus Deo datur Dæmoni, recurrendo ad illum vt Magiſtrum veritatis ac virtutis. Quod amplius confirmatur ex eo, quòd ſuperius allegatæ leges, diuini, naturalis & humani iuris prohibentis commercium & ſocietatem cum Dæmonibus, & eorum inuocationem, ad aliquod beneficium, auxilium vel conſilium ab eis obtinendum, pertinent ad primum Decalogi præceptum circa cultum Dei, ac proinde verſantur circa materiam religionis: ergo actus per illas prohibiti ſunt contrarij virtuti religionis, ac per conſequens ſuperſtitioſi. In quo non aſſentior ſententiæ Delrij *lib.* 3. *parte* 2. *quæſt.* 4. dicentis, diuinationem non ſuperſticioſam, ſed illicitam tantùm eſſe, quando quæritur cognitio, quæ Dæmonis ſcire non ſuperat. Verùm cum non comparet vnde ſit illicita, niſi ex contrarietate ad religionem,

76

77

nem, patet eam diuinationem esse irreligiosam & superstitiosam; qualem necesse est esse quamcumque diuinationem, quæ nihil aliud est, quàm pronuntiatio futurorum modo indebito vsurpata; vt significatio occultorum ex pactis conuentis cum dæmone, quam propterea absolutè esse speciem superstitionis ait D. Thomas 2.2 *q.95. art.2. ad secundum*, dicens; *quod huiusmodi diuinatio pertinet ad cultum dæmonum, in quantum aliquis vtitur quodam pacto tacito vel expresso cum dæmonibus.* Hæc ille; qui totam eam quæstionem 95. instituit de Diuinatione, vt de vitio religioni contrario, quod vocatur superstitio.

Secundò probatur: nam tunc diuinatio est
78 nedum superstitiosa, sed etiam † sapiens hæresim manifestè, quando quæritur à dæmone cognitio rerum ipsi incognitarum: vt tenet communis sententia Theologorum, quam probant Delrius *in nuper citata q.4.* Torre *q.96. art.4. disp.2.* dicens, superstitiones illas sapere hæresim manifestè, quæ fiunt inuocando dæmonem ad aliquid faciendum vel manifestandum, quod eius potentiam aut scientiam superat: eò quòd ipso facto inuocans protestatur Dæmonem posse, ea quæ solus Deus potest, facere, aut scire, ac proinde factum istud sapit hæresim, quia denotat sic inuocantis intellectum hoc errore hæretico teneri, quod existimet dæmonem posse omnia, aut ea quæ solius Dei sunt propria: vt mortuum suscitare, cogitationes cordium scire, & futura purè contingentia, & à libero arbitrio dependentia præcognoscere; quod est hæresis manifesta. Atqui in huiusmodi actibus diuinatoriis & Pythonicis, multa inquirebantur à dæmonibus excedentia eius scientiam, nimirum euentus futuri dependentes à libero arbitrio, promotio istius ad officia, commendæ collatio, Sedis Apostolicæ translatio, Religionis & totius Ecclesiæ reformatio; & noui Apostolatus erectio fœminarum, quarum singulis Apostolorum singulorum spiritus essent diuidendi, verbi gratia; vni Spiritus Petri, alteri Spiritus Pauli, alij Spiritus Iacobi, & sic de aliis, quæ nedum ab humano arbitrio, sed etiam à sola diuina voluntate dependebant: ergo in huiusmodi superstitiosis inuocationibus & confabulationibus, est diuinatio superstitiosa sapiens hæresim manifestè, cuius proinde cognitio priuatiuè spectat ad iudices fidei, ex *dicta Decretali Accusatus, de hæreticis in sexto.*

Tertiò probatur, vitio Idololatriæ simul & hæreseos fuisse huiusmodi actus infectos. Nam etsi verum sit, superstitiosas diuinationes & sortilegia, quæ fiunt cum dæmonis inuocatione etiam expressa, posse exerceri sine infidelitatis errore, aut hæresis prauitate, eò quòd hæresis est error intellectus pertinax dogmati fidei contrarius: compertum autem est dictas superstitiones sine tali errore posse
79 exerceri. Verumtamen † quando fiunt exhibendo cultum Dæmoni latriæ, vel duliæ; aut quando fiunt cum thurificationibus, oblationibus & sacrificiis, aut cum abusu Sacramentorum, verbi gratia imaginum, ac reliquiarum Sanctorum, aut quando fiunt præstando fidem & assensum Dæmoni, & credendo vera aut bona esse illa ex Dei dispensatione contra fidei dogmata, aut communes Ecclesiæ leges: aut credendo Dæmonem posse ea scire vel facere, quæ eius scientiam & potentiam superant, tunc sunt actus Idololatrici & hæreticales, & tales diuinatores sunt pœnis Idololatrarum & hæreticorum obnoxij, sicut & talium criminum participes: vt ex communi sententia notant Delrius *in dicta q.4.* & Torre *in nuper allegata disputat.1.* cum Pegna *commentario 67. super directorium Inquisitorum.* Caietano *art.4. quæstionis 95.* Barbatia *iuris consulto consilio 55.* Spino *apologia 4. contra Poncinibium*, & aliis, asserentes diuinationem superstitiosam & manifestè Idololatricam & hæreticam esse illam, in qua dæmoni cultus latriæ vel duliæ exhibetur, vel imagines, vel libri baptizantur, vel pueri rebaptizantur, vel rerum Sacrarum aut Sacramentorum abusus admiscetur: eò quòd hæc omnia, aut aliqua eorum solet Dæmon Diuinitatis æmulator, quam sibi arrogare, & à Deo furari præsumit, in honorem sui, & contemptum Dei, à suis confœderatis pacto explicito aut implicito postulare. Atqui hæc omnia interueniunt in dictis actibus diuinatoriis: ergo sunt Idololatrici & hæreticales. Maior probatur: nam per cultum latriæ exhibitum, protestatur quis illum esse Deum, & hæc est formalis idololatria, teste D. Thoma *quæst. 92. articul. 2.* Similiter exhibendo ei cultum duliæ, protestatur quis illum esse dignum aliquo cultu & honore: quod est hæreticale iudicium. Similiter idem cultus exhibetur ei in oblationibus, thurificationibus & sacrificiis exhibitis in dæmonis honorem, paritérque Iudicium hæreticale explicatur in imaginum conculcatione, puerorum rebaptizatione, abusu Sacramentorum, quia operans denotat hæc conducere, vel ordinata esse ad effectus Dæmonis opera obtinendos, quæ est hæretica existimatio.

Iam probemus minorem; nam ex forma & specie casus propositi, Dæmonibus dicentibus se missos esse à Deo non ad torquendum illas virgines, sed ad erudiendum in via Dei, ad promouendum in virtute, ad prænuntiandum futurum profectum redemptionis & reformationis in tota Ecclesia, auditores assensum præbebant eorum dictis, solùm ob eorum testimonium; credebant insuper eorum prædictiones de futuris contingentibus, credebant rursus nouum Apostolatum mulierum, secundam redemptionem, & nouam Trinitatem in terra, credebant huic dæmoniacæ reuelationi, de eo quod Deus in legibus & regulis communibus Ecclesiæ dispensaret, instituendo Dæmones ad maius eorum tormentum, Magistros virtutis, & præcones mirabilium suorum, quæ per has Virgines & earum coniunctos esset in Ecclesia facturus, sine alio testimonio quàm Dæmonum: quæ omnia sunt contra fidem.

Nam † de fide est certum non futuram esse 80
secundam redemptionem, quia Christus vna oblatione consummauit omnia, ac proinde neque nouum Apostolatum: & quod non est credendū Dæmonum oraculis. & quod non est admittenda dispēsatio Dei in legibus cōmunibus, nisi miraculo, aut scripturæ testimonio comprobetur. Rursus, qui † credit dæmonibus dicētibus

ſe eſſe miſſos in veritatis diuinæ teſtes & virtutis Magiſtros, blaſphemi ſunt erga diuinam prouidentiam, attribuentes ei, quod eam minimè decet, & qui Dæmonibus aſſentiunt vt magiſtris, eis exhibent aliquem cultum duliæ ſaltem, ſiquidem eos vt magiſtros colunt & reuerentur, eis honorem magiſterij impendentes & pietatis cultum exhibentes, quod iſtos auditores feciſſe conſtat ex eo, quod illos, provt refertur, audiebant, dictata ſcribebant, & codices ſcriptos aſſeruabant. Rurſus, qui Angelos cuſtodes ſub nominibus & hieroglyphicis à Dæmonibus adnotatis depingi faciunt, iniurioſi ſunt Sanctis Angelis, exiſtimantes eos ordinari à Deo ad opera illa exequenda, quæ ſub illis nominibus & hieroglyphicis ridiculis ſignificantur; quæ exiſtimatio etiam eſt hæreticalis. Deinde opus confirmandi Dæmonum prædictiones, venerandi Sacramenti altaris ſuſceptione, hæreticale eſt, ſapiés hæreſim manifeſtè, indicans Sacramentum illud ordinari à Deo ad talem confirmationem: & tale iudicium eſſe in mentibus confirmantium, & adſtantium, atque authorizantium ſua præſentia tales confirmationes. Idque probat Articulus 12. Pariſiēſis relatus à Gerſone *tom. 1. tractatu de erroribus circa artem Magicam*, qui ſic habet. *Quod verba Sancta & orationes quædam deuotæ, & Miſſarum celebratio & alia opera de genere bonorum, quæ fiunt pro exercitio huiuſmodi artis, eos excuſent à malo, & non potius accuſent; error: nam per talia, Sacra res, imo ipſe Deus in Euchariſtia Dæmonibus tentatur immolari. Et hoc procurat Dæmon, quia vult in hoc ſimiliter Altiſſimo honorari: vel ad fraudes ſuas occultandas; vel vt ſimplices illaqueet facilius, & damnabilius perdat.* Quare totum hoc opus cum ſuis circunſtantiis eſt illicitum, ſuperſticioſum, impium, iniurioſum Deo, & Sacramento Euchariſtiæ blaſphemum, hæreticale & Idololatricum, quibus criminibus exequentes & adſtantes, & authorizantes ſe implicarunt, in vtroque foro credulitatem adhibendo; & in foro externo ſunt vehementer ſuſpecti de hæreſi & Idololatria.

Dices poſſe per inuincibilem & iuſtam ignorantiam excuſari; tum eo quod authoritate Superioris mediocriter docti & eximiæ virtutis reputato, id fecerunt: Tum etiam quia in ipſa arreptione à ſenſibus & mente alienatæ dictæ Virgines hæc opera exercebant.

82 Reſpondeo † ex nullo capite excuſari. Non quidem ex primo: nam vt bene notat Torre *in dicta diſputat. 1. articul. 4. concluſione* 4. talis ignorantia in perſonis ſciolis, cultis, vrbanis, & in curia Regia educatis non eſt admittenda, niſi in merè idiotis ad ſummum. In reliquis autem erit ignorantia craſſa & affectata quæ non excuſat, ſed reducit actum in naturam ſuæ formæ. Sed neque inuincibilis ignorantia poteſt in hoc caſu fulciri authoritate Superioris harum Virginum; quia iam præludia carnis agebat, & eas per oſcula, amplexus & alios ſimiles actus imperfectos diſponendo, ad Veneris baratrum perducere intendebat: vtpote illuminatorum hæreſi infectus, à qua eius complices vix excuſari queunt. Neque ſecundo propter duo. Tum quia adhuc in arreptione ipſa Virgines poſitæ non erant ita mente alienatæ, qui prædictiones quas effabantur & Sacras Euchariſtiæ communiones in prædictionum confirmationem ab ipſis factas, intelligerent; & earum extra arreptionem recordarentur, haud ſecus quàm Paulus eorum quæ in raptu viderat, extra raptum recordabatur. Tum etiam, quia tranſacta violentia arreptionis, in eis Dæmon eas ad ſic loquendum vel communicandum cogebat: plerumque & per magnam temporis ſiue diei moram manebant liberæ; ad ſuámque libertatem redactæ actis à ſe in arreptione conſentiebant, de eis cum admiratione quaſi de mirabilibus gloriabantur: dictata ab aliis arreptis, audiebant, & ſcribebant, codicéſq; aſſeruabant, ſilentio negotiū inuoluebant, neq; tribunali Iudicū fidei illud detulerūt. Neq; alios viros doctos quos præ manibus habebant, conſulendos adierunt: quos tamen in re tam graui & ſingulari præter ordinariam legem, adire vel vocare tenebantur. Neque enim in negotio arduo & extraordinario vnius Doctoris conſilium excuſat, maximè vnius iam ſuſpecti de libidinis præludiis, niſi plures adeantur: imo neque ſufficit multorum conſilium excuſare, quando opus eſt contra communes regulas, & ordinarias Eccleſiæ leges: niſi patenti ſcripturæ teſtimonio aut miraculo approbato conteſtetur, provt ex Decretali *cum ex iniuncto*, adnotatum relinquimus.

Pro † cuius documenti maiori luce, licet 83
in præſentiarum vti hoc vnico diſcurſu. Quoties cuipiam diſcipulo, ſubdito, vel pœnitenti occurrit aliqua doctrina, ſiue quoad ſpeculationem, ſiue in praxi contra fidem, vel contra religionem, vel contra communes leges & conſuetudines Eccleſiæ, vel contra bonos mores communi vſu probatos; non excuſatur à culpabili errore aſſentiens illi, aut illam exercens in praxi, ſola ſui Magiſtri, Superioris, aut Confeſſarij authoritate motus: & tantò minus excuſabitur, quantò magis cultus, vrbanus, perſpicáxve fuerit. Sed doctrina quæ præfatis perſonis occurrit in dictis annuntiis & confirmationibus ac ſortilegiis Dæmoniacis, tam quoad ſpeculationem, quàm quoad praxim, inuoluit multa contra fidem, contra religionem, contra communes Eccleſiæ regulas, & contra bonos mores communi conſenſu probatos: ergo in aſſentiendo illi, aut in operando iuxta illa, perſonæ ſciolæ, Vrbanæ & in Regia Curia educatæ, minimè à culpabili errore excuſabiles ſunt. Conſequentia eſt nota. Minor patet ex dictis, quoniam in annuntiis & confirmationibus recenſitis, continentur annuntia & prædictiones plurium futurorum contingentium, à ſola Dei voluntate, aut etiam à libero hominum arbitrio dependentium, quorum cognitio ſoli Deo eſt reſeruata; & quæ proinde à Dæmone non poteſt inquiri ſine crimine diuinationis ſuperſticioſæ & hæreticalis; ex iis quoque nonnulla inuoluunt myſteria fidei & Eccleſiæ regulis contraria, vt noua Trinitas terrena, nouus mulierum Apoſtolatus, & ſecunda redemptio; nec non actus Pythonici, & Sacrilegæ confirmationes ac hæreticales cum abuſu Sacroſanctæ Euchariſtiæ &c. quorum proinde aſſenſus & praxis non poſſunt non eſſe cum læſione fidei, religionis, atque bonorum morum.

Maior

Maior autem præmissa, quæ est cardo & basis huius discursus, est expressa Angelici Doctoris *quodlibeto.3. articul.* 10. vbi ait, quod licet in Doctrinis purè speculatiuis Philosophicis aut Metaphysicis, potest licitè discipulus sequi sententiam sui Magistri, quia in huiusmodi habet locum illud Pauli *ad Rom.* 14.
84 *Vnusquisque in suo assensu abundat:* secus verò † in his, quæ ad fidem, aut bonos mores spectant. *In talibus enim* (ait ille) *ignorantia non excusat: alioquin immunes à peccato fuissent, qui sequuti sunt opinionem Arrij, Nestorij & aliorum hæresiarcharum; nec potest excusationem habere propter simplicitatem auditorum, si in talibus erroneam opinionem sui Magistri sequatur: in rebus enim dubiis non est de facili præstandus assensus &c. quinimo vt Augustinus ait lib. 3. de Doctrina Christiana; Consulere debet quis regulam fidei, quam de Scripturarum planioribus locis, & Ecclesiæ authoritate percepit. Qui ergo assentit opinioni alicuius Magistri contra manifestum Scripturæ testimonium, siue contra id, quod publicè tenetur secundum Ecclesiæ authoritatem, non potest ab erroris vitio excusari.* Cui sententiæ consonant Vincentius Lirinensis *lib. aduersus hæreses*, & cuncti discipuli Sancti Thomæ, asserentes in materia fidei ac Religionis, non vni soli Doctori, sed pluribus constanti animo idem docentibus, credendum esse. Quapropter in huiusmodi materia oportet vnumquemque plures Doctores consulere, maximè quando præsto adsunt, prout aderant dictis Virginibus dicatis Deo, in Regia Curia, quas tamen inopes copia fecit. Cuius rationem ex discipulis Sancti Thomæ vnus pro omnibus assignat Aluarez Tranensis Archiepiscopus 1. 2. *quæst. 76. articul. 2. disputat.* 113. dicens: *quia in rebus magni momenti & valde dubiis maior diligentia est adhibenda.* Maior inquam, quàm petere vnius consilium. Alioquin discipuli & sectarij Arrij & Pelagii à suis erroribus excusarentur, vt arguit Angelicus Doctor, sequendo suorum Magistrorum dogmata, qui doctrina & moribus apud ipsos non in minori pretio habebantur, quàm modò haberi potest quicumque Prælatus siue Confessarius apud suos subditos. Tum etiam probatur eadem Maior præmissa, quia cum huiusmodi sortilegia & diuinationes, quæ sapiunt hæresim, & cultum Idololatricum exhibitum Dæmoni inuoluunt, sint contra ius Diuinum & naturale in primo Decalogi præcepto contentum, non est admittenda in transgressore ignorantia iusta, probabilis & inuincibilis, eum excusans à culpa; nam talis ignorantia iuxta veriorem & magis receptam sententiam Theologorum, & Iuristarum iuris Diuini ac naturalis, maximè in primo decalogi præcepto de honorando Deum contenti, nullatenus est admittenda, nisi fortè in valde rusticis hominibus & purè idiotis, qui in campis degunt, aut in syluis nutriuntur, prout nuper adstruximus: cuiusmodi nequeunt esse personæ in croceis nutritæ & in Regijs curiis aut etiam Academiis educatæ.
85 Neque per hoc volumus † aliquos inexcusabiles esse à culpa hæresis, ob inuincibilem ignorantiam, quod innuere videntur Gregorius X. *in cap. fideli, ex Concilio Lugdunensi, de summa Trinitate & fide Catholica in sexto*, dum excludit ignorantiam excusantem à culpabili errore circa articulum de processione Spiritus Sancti à Patre simul & Filio; & Glossa Ioannis Andreæ ly *ignorantiam* perpendens, vbi ait, *ignorantiam, quæ cunctorum errorum est mater, neque in his excusat ignorantia, nam ignorans ignorabitur &c.* Admittimus namque cum Magistro *in 4. d. 30. c. 1.* cum D. Thoma 2. 2. *quæst. 2. ar. 6.* & Bonauentura *in dicta d. 30. dub. 2.* & Pegna 1. *part. directorij quæst. 7. commento 22. regula 6.* & Nauarro *lib. 5. consiliorum tit. de hæreticis consilio 1. & tit. de vsuris consilio 4.* quibus & consentit Farrinacius *de hæresi quæst. 179 art. 25.* quod plerumque potest Catholicus à culpa hæreseos excusari ob inuincibilem ignorantiam, vt si authoritate alicuius viri docti deceptus, aut ratione naturali ductus, credat vel admittat aliquid fidei contrarium, maximè in illis articulis, quos credere non tenetur fide explicita. Huc pertinent verba Magistri; *Si quis Hæreticus nomine Augustini, vel Ambrosij alicui Catholico se offerret, eúmque ad suæ fidei imitationem vocaret: si ille assentiret, in cuius sententiam fidei diceretur consensisse? non in Hæreticorum sectam sed in integritate fidei, quam ille Hæreticus se mentiebatur habere.* D. autem Thomas ex illa Iobi authoritate, *Boues arabant & asinæ pascebantur iuxta eos*, adiuncta explicatione Dionysij *c. 4. de cælesti hierarchia*, probat noticiam credendorum per superiores ad inferiores deriuari sicut, ad homines per Angelos. Vnde † maiores homines ad quos 86
pertinet alios erudire, tenentur habere pleniorem noticiam, & magis explicitam fidem de credibilibus: & *in solutione ad 2.* subdit; simplices populi non esse de subtilitatibus fidei examinandos, nisi adsit suspicio, quod ab hæreticis sunt deprauati, qui solent simplices in huiusmodi fidei subtilitatibus decipere; si tamen non pertinaciter peruersæ Doctrinæ adhæreant, *sed in talibus ex simplicitate deficiant, non eis imputatur.* Pegnæ autem Regula sic habet. *Qui errat in his quæ sunt fidei, quæ tamen ipse explicitè credere non tenetur, deceptus ab aliquo viro docto, quem pium & Catholicum esse credit, & talis ab alijs communiter habetur, ab hæresi & Hæreticorum pœnis, ac etiam à peccato excusandus, quia putat eam Doctrinam sanam esse.* Nauarrus verò sic ait: *licet ignorantia iuris humani videlicet obscuri & infrequentati, excuset à culpa; secus verò ignorantia iuris naturalis & Diuini, nisi quis decipiatur authoritate alicuius viri docti, aut ratione naturali ductus: sicut Innocentius III. in sua super cap. firmiter, de summa Trinitate & fide Cathol.* Glossa *num.* 7. inquit, quod qui crederet ratione naturali ductus, Patrē esse maiorem Filio, non peccat, dummodo habeat fidem implicitā, qua credat omnia quæ credit & tenet mater Ecclesia. Verùm hæc ignorantia innincibilis de credibilibus locum habere potest in hominibus simplicibus, atque circa articulos fidei subtilissimos, qui non pertinent ad fidem explicitam omnium fidelium, & tunc excusat, vt satis indicat D. Thomas *vbi supra*; & non aliàs: hoc est quando, aut homo ignorantiam allegans non est simplex & purè idiota, sed cultus, Vrbanus, perspicax, eruditus, aut bene instructus, quales esse omnes Religiosos ac Religiosas, facilè quisque prudens arbitrabitur. Aut articuli ignorati vel non sunt de fide explicita omnium,

vel ſunt infrequentati, & valde ſubtiles, cuiuſmodi non eſt, Dæmoni non eſſe auſcultandum, non eſſe cum illo habendum commercium ac ſocietatem, non eſſe ab illo auxilium poſtulandum, neque in eius ſchola aliquid addiſcendum. Quis enim maximè Curialis, maximè ciuilis homo, maximè in Religione inſtru-
87 ctus ignorat, quod † in Baptiſmo promittit, nimirum abrenuntiandum eſſe Diabolo & ſuis operibus? quis neſcit illum eſſe vnum ex tribus animæ hoſtibus, cum quibus bellum continuum habere debemus? Aut quando ignorantia eſt craſſa, ſupina & affectata, tunc enim verum habet Secunda regula Pegnæ *vbi ſup.* videlicet, *qui errat in his quæ ſunt fidei ignorantia affectata, & præſertim in his quæ ſcire debet, aut ſcire præſumitur, hæreticus eſt cenſen-*
88 *dus: nam qui † ignorantia affectata errat, ex malitia propria & animi iniquitate errare putatur.* Quam regulam ſtatim moderatur ac reſtringit, quoad forum externum dicens: *hunc non iuuaret ignorantia excuſatio ſaltem quoad pœnas pœnitentiales, & bonorum confiſcationem fugiendas.* Nec non regula tertia ſequentis tenoris. *Qui errat ignorantia craſſa & ſupina in his, quæ fidei ſunt, ac ſcire debet, nec probabile eſt ea à fidelibus vel à ſuæ conditionis hominibus ignorari, hæreticus etiam eſt cenſendus.* Quis autem dicere audebit à fœminis in Curia verſatis, (nedum viris) aut in Religione inſtructis ignorari hoſtilitatem agendam eſſe cum Dæmone, & nullam cum illo ſocietatem habendam? Conſonat quoque quod idem Pegna *in regula 5.* poſtquam dixerat errantem ignorantia inuincibili circa res fidei ab hæreſi excuſari, ſubdit in hæc verba. *Sed vt ingenuè fatear quod ſentio, hodie poſt tam apertam Chriſtianæ religionis notitiam & tam latè patentem Euangelij promulgationem, & tot Conciliorum & Sacrorum Doctorum lucem, vix in his, quæ fidei ſunt, ignorantia inuincibilis, ſeu inſuperabilis eſſe poteſt.*

Tum etiam probatur eadem Maior præmiſſa
89 ex alio principio: nimirum, quoniam † Dæmoni in Angelum lucis aut etiam Chriſti ſe transfiguranti & bona ſuadenti, cultum & reuerentiam exhibere, Idololatriæ peccatum eſt, cuius culpæ vix poteſt quis (niſi ruſticus & idiota) ob ignorantiam probabilem excuſari, vt dicit Ioannes Gerſonius *tom. 1. tractatu de examinatione doctrinarum part. 1.* ex ſententia Sancti Bonauenturæ *lib. 2. de profectu religion. cap. 76.* quam refert quoque & ſequitur Grauina *lib. 2. de viſionibus cap. 3. difficultate 3.* eò quòd (ait Gerſonius) iſte quicumque ille ſit, quem Dæmon decipere intendit, habet triplex remedium, ne ei fidem aut cultum exhibeat: poteſt namque iudicium & affectū ſuſpendere, auxilium Dei implorare, aut conſilium, ab homine doctiori, Sacerdote vel Cōfeſſario poſtulare. Quæ tamen ſententia tēperanda eſt per doctrinam Angelici Doctoris *opuſculo 17.* contra retrahentes ab ingreſſu Religionis *cap. 10. ad 4.* deſumptum ex illo Pauli teſtimonio *2. ad Corinth. 11.* quod Sathanas interdum ſe transfigurat in Angelum lucis: vbi inquit hominem etiam benè inſtructum & deſiderantem ingredi Religionem, poſſe quandoque credere & conſentire inculpabiliter Dæmoni, quando formam accipit Angeli lucis in corpore aſſumpto, & ſuadet bonum opus, quod Sanctis Angelis congruit, etiamſi illud ſuggerat ex intentione fallendi, vti ſolet; quia eius intentio ſit occulta, & ex ſignis externis nullam præbeat rationem dubitandi, an ſit Angelus Apoſtata, tunc homo probabili & inuincibili ignorantia tenetur, ipſum à culpa ſuperſtitioſi cultus & doloſæ infidelitatis excuſante. Detur ergo (concludit Sanctus Doctor) *quod Diabolus aliquem incitet ad religionem intrandum, hoc opus bonum eſt & bonis Angelis congruum. Vnde non eſt periculum ſi quis ei in hoc conſentiat; ſed vigilandum erit, vt ei reſiſtatur cum ad ſuperbiam vel alia vitia inceperit ducere &c.* Igitur in ſententia Sancti Doctoris interdum, licet rarò contingere poteſt, quod Dæmoni formam alienam ſcilicet Angeli lucis aut Chriſti crucifixi, aut alterius ſancti mentienti in corpore aſſumpto, & bonum opus ſuggerenti, homo talem viſionem patiens ſine periculo & inculpabiliter credat & conſentiat, & venerationem exhibeat. Secus autem quando Dæmon eſt manifeſtus vt in arrepticiis, ſi enim quando formam Angeli lucis accipit & bona ſuadet, vix aut rarò poſſumus ei credere & conſentire: eidem manifeſto & minimè transfigurato quomodo ſine culpa credemus aut conſentiemus? Dices quia bona ſuggerit & Sanctis Angelis congrua; quia teſtatur ſe eſſe à Deo miſſum ſpecialiſſima miſſione, vt veritates quaſdam occultas manifeſtet, & vt virtutes doceat, atque ad earum exercitia auditores promoueat. Contra hoc eſt vltimum pro noſtro aſſumpto argumentum, ex duabus regulis Eccleſiæ deſumptum. Altera eſt illa quam ſuo populo tradidit Deus *Deuteronom. 18. Quod ſi tacita cogitatione reſponderis; quomodo poſſumus intelligere verbum, quod Dominus non eſt locutus? hoc habebis ſignum: quod in nomine Domini Propheta ille dixerit, & non euenerit; hoc Dominus non eſt locutus, ſed per tumorem animi ſui Propheta confinxit, & ideo non timebis eum.* Cum ergo † Dæmon cum ſit pater 90
mendacij, etiam quando vera aliqua annuntiat, multa miſceat falſa, prout miſcuit in Virginibus noſtri caſus arreptis, videlicet mortem Sanctiſſimi Pontificis Vrbani VIII. quam & ſolemni funeris pompa celebrarunt, & filium maſculum fore cuidam viro Proceri & Magnati naſciturum, quorum falſitatem ipſæ expertæ fuere in breui tempore adhuc in ſua credulitate perſeuerantes. Quo igitur pacto, quo motiuo, aut qua ratione huiuſmodi experientiam facientes animi ſimplicitatem præſumunt, quomodo Dei Prophetam & miniſtrum credunt, quē in multis mendacē inueniunt? Imo ſat eſſet in vno; nam qui deficit in vno, factus eſt omnium reus; id eſt qui mentitur in vno, indignus efficitur, vt in aliis ei fides adhibeatur.

Altera regula eſt, quam ius Canonicum proponit ex Innocentio III. *in cap. cum ex iniuncto, de hæreticis*; dicens nulli priuatæ miſſioni aut reuelationi dictanti aliquid contra regulas aut leges communes Eccleſiæ, eſſe credendum, aut conſentiendum, operando iuxta illam, niſi aut patenti miraculo, aut teſtimonio Sacræ Scripturæ conteſtetur. Cuius rationem aſſignat Pontifex dicens; *quod cum interior illa miſſio ſit occulta, non ſufficit cuiquam nudè tantum aſſerere, quod ipſe ſit miſſus à Deo, cùm hoc quilibet hæreticus aſſeueret: ſed oportet, quod adſtruat illam inuiſibilem miſſionem per operationem*

nem miraculi, vel Scripturæ testimonium speciale.
91 *Vnde cum Dominus vellet mittere* † *Moysem in Ægyptum ad filios Israël, vt crederent ei quod mitteretur ab ipso, dedit ei signum, vt conuerteret virgam in colubrum, & virgam iterum reformaret. Ioannes quoque Baptista speciale suæ missionis testimonium protulit de Scriptura, dicens: Ego vox clamantis in deserto.* Mirum igitur valde est, quod iuxta hanc regulam nullius quantumuis sanctitate prædití occultæ reuelationi, contra communes Ecclesiæ leges credere liceat absque culpa, & quod licitum sit credere Dæmonis manifestæ missioni. Moysi dicenti Ægyptiis se esse missum specialiter à Deo, laudabiliter non creditur, nisi miraculo comprobanti missionem. Baptistæ clamanti se esse Christi præcursorem laudabiliter non creditur, nisi testimonium de Esaiæ vaticinio proferenti: & laudabiliter credet Christianus Dæmonis speciali missioni, quam ipse nec miraculo, nec testimonio alio, quàm suo contestatur? Ergo quicumque
92 † contra has duas apertissimas regulas Dæmoni fidem adhibet, annuntianti se venire missum à Deo ad veritates manifestandas, aut virtutes edocendas, & sub hoc prætextu cum eo miscet seriò colloquia, eius doctrinam audit, & in codicibus scribit, nonnulla quoque falsa seminanti, nullo motiuo potest à Dæmoniaca societate, superstitiosa diuinatione hæreticali, & Idololatrico cultu excusari; & qui talem excusat, temerariam, scandalosam, & erroneam in fide doctrinam pronuntiat: temerariam quia sine rationabili fundamento opponitur communi Patrum & Theologorum sententiæ; scandalosam, quia homines quantum est de se inducit, vt sine timore Dæmoni colloquantur, ab illo instruantur, & ei fidem adhibeant, quando dicit se esse missum à Deo & eius ministrum ad talium vel talium personarum instructionem, quo quid pernicioſius in Ecclesia introduci potest? quas hæreses non poterit Diabolus sub hoc prætextu seminare, supposita ex parte nostra licita credulitate, quis hæreticus pœnas Sancti Tribunalis fidei non effugiet, & suam innocentiam & simplicitatem animi non defendet? dicens, quod talem aut talem propositionẽ hæreticam protulit, edoctus illam à Dæmone in arrepticio testanti se esse missum à Deo, & vt eius ministrum illam pronuntiare. O horrẽdum Sathanæ baratrũ, & patens ostium hæresibus, hucusque in Ecclesia
93 minimè apertum! † Erroneam denique, quia ex illa per euidentem discursum sequuntur tres hæreticæ propositiones. Prima est quod possit licitè exhiberi cultus & veneratio Dæmoni dicenti se esse ministrum Dei ad ministerium bonum missi, sicut exhibetur cultus duliæ Prælatis vt ministris Dei & Magistris, & personis notæ virtutis ac sanctitatis. Quod est hæresis manifesta. Secunda est, quod licitè possimus fidem præstare Dæmoni, quando testatur & iurat se venire vt ministrum & Legatum Dei, vt veritates manifestet & virtutum exercitia edoceat, quod est blasphemia hæreticalis contra prouidentiam diuinam: sicut more humano committeret in Regem Catholicum blasphemiam, qui asseueranter affirmaret illum mittere ad alium Regem Maurum vel Turcam ipsius hostem in Legatum, & Ambasiatorem suorum secretorum. Tertia est, quod licitè possimus credere cuicumque priuatæ reuelationi, & iuxta illam operari etiam contra leges Ecclesiæ communes, nisi miraculo patenti aut testimonio Scripturæ comprobetur; quod est hæreticum contra regulam capitis *cum ex iniuncto*, & contra illud Apostoli testimonium *ad Galatas 1. Sed licet nos aut Angelus de cœlo euangelizet vobis præterquam quod euangelizauimus vobis, anathema sit.* Quod si Apostolo aut Angelo Sancto euangelizanti aliquid præter communia dogmata Ecclesiæ euangelizata non est credendum, oppositúmque affirmare, est hæresis, quomodo credendum erit Dæmoni manifesto euangelizanti multa contra communia dogmata, contra, & non tantùm præter statutas Ecclesiæ leges, vt mulierum Apostolatum, secundam redemptionem, nouam Trinitatem terrenam, & similia deliramenta. Aut quomodo id asseuerantes hæresi non inficientur? Hiisque omnibus probationibus accedit noua confirmatio *ex cap. ex tuorum de sortilegiis*, vbi non admittit ius Canonicum ignorantiam iustam & inuincibilem, saltem pro foro exteriori & contentioso circa vanas occultorum inquisitiones, & diuinationes ac sortilegia superstitiosa: nam ibi iubet Pontifex pœnas sortilegij subire Clericum quendam, qui simplicitate animi, & zelo recuperandi bona suæ Ecclesiæ furto sublata, consuluit Magum siue Pythonem, vt per Astrolabium ei rem furto sublatam manifestaret. Quem tamen ignorantia & animi simplicitas non excusauit, quia aut fuit affectata, vtpote quia noluit de malitia huius diuinationis edoceri; aut saltem fuit crassa & supina, vtpote, quæ attentis circunstantiis facili diligentia vinci potuisset. Et quando talis interuenit ignorantia, non excusat inquirentem, aut consulentem, in huiusmodi vanis & superstitiosis sortilegiis ac diuinationibus à peccato lethali; vt scitè adnotat Torre *tom. 2. de religione q. 95. art. 2 disp. 2.* eò quòd talis ignorantia reducit actum ad naturam suæ formæ: Vnde eum à natiua malitia nequit purgare aut excusare.

Hinc colligo Primò, has omnes † obsessas 94
Virgines & earum fautores ac complices esse de hæresi ex multiplici capite vehementer suspectas, tum ex actibus Pythonicis & diuinatoriis: tum ex Dæmonum seriosa & frequentata inuocatione: tum ex cultu & honore Magisterij eis impenso: tum ex abusu & iniuria Eucharistiæ, tum ex credulitate prædictionum de futuris contingentibus Dæmonum scientiam superantibus, & contra dogmata fidei: tum ex Angelis custodibus ad Dæmonis placitum depictis, tum denique ex illuminatorum praxi acceptata in actibus libidinosis, imperfectis, à qua vehementi suspicione debent secundum iura per Canonicam abiurationem purgari. Excipio Superiorem illum & Magistrum, qui fuit infandæ tragediæ Architectus, & sibi subditis Virginibus Dæmones paredrios vel familiares ex pacto inito cum illis, aut cum aliquo eorum ordinis Superioris infudit: hunc enim vtpote dictarum hæresum dogmatizatorem, puto dignum fuisse, vt Vulcano traderetur.

Colligo secundò, † domum harum virgi- 95
num, etsi ab initio Deo dicatam, penitus esse destruendam ac demoliendam: aut saltem in

alios

alios vſus pios commutandam. In quam ſententiam ducor, quoniam ex Sacris & humanis litteris conſtat, templa, fana ſiue altaria Idolis aut Dæmonibus dicata, fuiſſe per Sanctos viros, ac per principes Catholicos zelo Dei feruentes penitus deſtructa, quippe qui in hoc ſe gratum obſequium præſtare Deo exiſtimarunt. Hæc namque fuit ſingularis laus Ioſiæ Regis Iuda, qui vt refertur 4. *Regum.* 28. *Inſuper & altare quod erat in Bethel, & excelſum, quod fecit Ieroboam qui peccare fecit Iſraël, & altare illud excelſum deſtruxit, atque combuſſit, & comminuit in puluerem, ſuccendítque etiam lucum.* Communéque aliorum Regum vituperium fuit, quod excelſa id eſt Idolorum altaria non abſtulerunt: *Verumtamen excelſa non abſtulit.* De Sancto quoque Martino Turonenſi Epiſcopo, legitur in eius vita; *cum in vico quodam vir Dei Martinus templum antiquiſſimum diruiſſet*: vlterius aggrediens ſecare altiſſimam pinum, eò quòd eſſet Dæmoni dedicata, contigit illud grande miraculum, quod Pinus cum eſſet verſus Martinum acclinis, inſtar turbinis retroacta cecidit verſus Idololatras, qui erant ſuo videri in loco ſecuro. Neque enim minus dignatur Deus, quàm ingentibus miraculis zelum in deſtruendo Dæmonum domicilium, honorare. Quibus conſónat, quod Sanctus Doctor ac Summus Pontifex narrat *lib.* 3. *dialogorum cap.* 30. & habetur *in decretis de conſecratione d.* 1. *cap. Arrianorum*, de Eccleſia Arrianorum in vrbe, quam poſtquam per multos annos clauſa remanſerat, reliquiis ſanctorum Stephani & Marthæ martyrum illic introductis, eorundem nomini & inuocationi dedicare placuit: cámque nouam dedicationem Deus quatuor miraculis illuſtrauit; tum dæmonis in figura porci apparitione, ad denotandum, quod de eodem loco immundus habitator exiret: tum nocte inſequenti tam ingenti ſtrepitu facto, vt tota Eccleſia videretur à fundamentis euerſa, per quem terroris ſonitum innotuit, quod à loco, quem diu tenuerat hoſtis, coactus exibat. Tum etiam poſt paucos dies nubis de cœlo ſuper altare deſcenſu, quæ illud ſuo velamine operuit, & totã Eccleſiam ſuauitatis odore repleuit: tum denique lampadum extinctarum miraculoſa accenſione, *vt ex ipſo lumine apertè clareſceret, quia locus ille à tenebris ad lucem veniſſet*; & experientia tot miraculorum oſtenderet Apoſtoli Pauli documentum, videlicet nullam eſſe Chriſti ad Belial, lucis ad tenebras conuentionem. Facit in eandem ſententiam factum Iudæ Machabei relatum 1. *Machab.* 4. quando poſt profligatos fidei cunctos hoſtes, altare holocauſtorum Dæmonum ſacrificiis prophanatum deſtruxit; *& viderunt ſanctificationem deſertam, & altare prophanatum, &c.* nam ibi poſitum fuerat Idolum: ait Lyranus. Et *cogitauit*, (ſubdit ſacer textus) *de altari holocauſtorum, quod prophanatum erat, quid de eo faceret: & incidit illi conſilium bonum, vt deſtrueret illud.* Super quem locum Seuerus Sulpitiũs *lib.* 2. *Sacræ hiſtoriæ*, ſic ait: *Iudas pulſis hoſtibus, Hieroſolymam regreſſus purgare templum & reſtituere animum intendit: quod euerſum ab Antiocho prophanatúmque agentibus fœdam ſui ſpecium prabebat.* Et Angelicus Doctor in eiuſdem loci commentario ſubdit. *Hinc ſumitur argumentum, deſtruendum fore altare poſt ſacrificium hæretici ibi factum.* Moyſes quoque *Exod.* 32 ob eandem rationem vitulum, quem perfidus in eius abſentia adorauerat populus, in puluerem aqua dilutum eidem populo potandum propinauit, *Arripiénſque vitulum, quem fecerant, combuſſit & contriuit vſque ad puluerem, quem ſparſit in aquam, & dedit ex eo potum filiis Iſraël.* Quoniam, vt ibi interpretatur Oleaſter: *Nihil reliquiarum peccati apud peccatorem debet amplius apparere? ne poſtmodum ſpecie peccati allectus ad illud reuertatur. Si enim tempore Ieroboam vitulum in puluerem redactum ſuſcitauerunt: quid facerent ſi eius reliquias integras inuenirent?* De vitulo etiam offerẽdo pro peccato Diuina lex diſponit *Leuitici* 4. extra caſtra aſportandum à Sacerdote, & ibi penitus comburendum. *Ipſum autem vitulum efferet extra caſtra, atque comburet ſicut & priorem vitulum*: de quo promiſſum fuerat. *Pellem & omnes carnes cum capite & pedibus & inteſtinis & ſimo & reliquo corpore efferet extra caſtra.* Quam vituli cæremoniam allegoricans doctus Oleaſter inquit: *Non carnem, non caput, non pedes, non pellem, neque aliquid aliud, & quod mirabilius eſt, non ſuſtinet in ſuo altari cremari, quoniam his illud pollui timet: ſed cuncta hæc extra caſtra vehenda ſunt: & in loco cineris comburenda.* Vbi ſimul docuit relegata procul à nobis debere eſſe peccata & ita extinguenda, vt nihil reliquiarum peccati apud nos remaneat. In qua ratione fundamentũ fuit illud præceptum Dei de ſubuertendis locis, & aris Idolorum in terra promiſſionis *Deuteron.* 12.

Neque ſola fides hoc docet, ſed etiam † naturale lumen rationis, quo ductus Tiberius 96
cùm officium Proconſulis apud Africam ageret: & impios Sacerdotes ſacrificantes pueros Saturno crucibus afficit, & arbuſta Luci obumbrantis Fanum, in cruces conuertit; teſte Tertulliano in Apologetico aduerſus gentes *cap.* 9. *Infantes penes Africam Saturno immolabantur palam, vſque ad Proconſulatum Tiberij, qui eoſdem Sacerdotes in eiſdem arboribus templi ſui obumbratricibus, ſcelerum votiuis crucibus expoſuit, teſte militia patriæ noſtræ, quæ id ipſum munus illo Proconſule functa eſt.* Super quem locum Frãciſcus Zefirus ſic ait. *Tiberius eius prouinciæ Proconſul, Principes tales imputatis crucibus quaſi ex voto affixerit, in ipſis luci arboribus, quæ tantum ſceleris ſuis ramis contexerant, &c.* ne ſcilicet aliqua ex inſtrumentis conducentibus ad cultum Idololatriæ, Saturno exhibitum, memoria relinqueretur. Cur ergo vlla relinquetur memoria illius domus, quæ fuit ſchola, & dæmonum domicilium? Faucet quod de nobili quadam Romana Matrona narrat D. Antoninus 1. *p. hiſtoriali titulo* 6. *cap.* 21. §. 2. illam ſcilicet doloſa ſuaſione Sacerdotum ad templum Iſidis vocatam, vt ibi Deus Anubis (fingebant illi) eam alloqueretur, quam ſic templum ingreſſam Duxmundus turpi adulterio ſub Anubis ſpecie fœdauit. Sed illa conqueſta apud Tiberium iam imperio fungentem, de violata pudicitia, Sacerdotes occidit, & Iſidis ſimulacrum in Tyberim proiecit. Neque enim alio medio ſacrilega templi tollitur violatio.

§. VI.

§. VI.

De censuris ac notis, quibus huiusmodi Dæmonum pacta, inuocationes, diuinationes, vanæ ac superstitiosæ obseruantiæ sint qualificandæ, & à fidei Iudicibus puniendæ?

SVMMARIVM.

97 *Societas siue commercium cum Dæmone, quando est de se & obiecto suo, secluso omni pacto atque cultu & abusu rerum Sacrarum, non sapit hæresim manifestè, neque secundum ius commune pertinet eius cognitio ad iudices fidei.*

98 *Quæ conclusio statuitur contra Delrium, Turrianum & Eimericum, validisque argumentis probatur.*

99 *Recessus à fidelitate Deo debita quale est peccatum.*

100 *Debitum fidelitatis fundatur in promissione.*

101 *Actus sociales cum Dæmone eiusdem rationis sunt in esse physico & morali, in Iudæo & Christiano.*

102 *Commercium cum dæmone quando fit cum pacto explicito vel implicito, est superstitiosum & manifestè hæreticum.*

103 *Cultus latriæ exhibitus alteri quàm Deo, est Idololatria.*

184 *Dæmon Diuinitatis æmulator & Dei gloriæ inuidus, quales solet à suis confœderatis exigere conditiones.*

105 *Inuocare Dæmonem ad faciendum, vel cognoscendum ea, quæ eius potentiam vel scientiam superant, superstitiosum est & hæreticum.*

106 *Petens auxilium vel consilium à Dæmone, ad faciendum vel sciendum id, quod eius potentiam & scientiam non superat, secluso omni pacto & reuerentia, &c. non committit hæresim manifestè.*

107 *Quæ assertio probatur, supponendo duo.*

108 *Vtens citra pactum expressum cum Dæmone, rebus non sacris, destinatis tamen ad consecrationem, in philtris siue diuinationibus, non est manifestè suspectus de hæresi, nisi ex aliquibus circumstantiis eiusmodi suspicio oriatur.*

109 *Quando est dubium, an superstitiosus aliquis abusus sapiat hæresim consulendi sunt Qualificatores, &c.*

110 *Superstitiones subiiciuntur pœnis à iure taxatis.*

111 *Duo loca D. Thomæ, quæ huic materiæ conducunt, quomodo sunt intelligenda.*

112 *Nudam inuocationem esse deprecationem & cultum latriæ, testimoniis Sacræ Scripturæ probatur.*

AD huius articuli, qui sicut est vltimus in executione, ita & primus in nostra intentione, intelligentiam, huiusmodi opus inuocationis dæmonum, societatis diuinationis, aut superstitiosæ obseruantiæ, quodcumque sit illud ex hiis posse dupliciter considerari: nimirum aut secundum se & ex obiecto, secluso omnibus circunstantiis cultus, venerationis, conditionum fœderatarum, & abusus rerum sacratarum: aut apparatu omnium vel aliquarum harum circunstantiarum vestitum. De quibus sigillatim discurrendum duxi.

Dico igitur Primò: huiusmodi † societas siue 97
commercium cum dæmone, quantum est de se & ex obiecto suo, secluso omni pacto & reuerentia atque cultu, & abusu rerum sacrarum, neque sapit hæresim manifestè, neque attento iure communi pertinet eius cognitio ad Iudices fidei, neque est species aliqua in fidelitatis, sed solùm est superstitionis peccatum spectans ad alteram ex duabus postremis speciebus superstitionis, scilicet ad diuinationem, vel ad superstitiosam obseruantiam. Hæc conclusio statuitur aduersus Delrium *vbi supra*, & Turrianum *in dicta disp. 1. art. 4. quæst. 65. in fine, & q. 96. art. 4. disp. 2.* & Eimericum 2. *p. directorij q. 43.* quarum ille ait huiusmodi societatem, siue diuinationem esse de se illicitam, sed non superstitiosam: iste vero ait in priori loco, esse de se Apostasiam à fidelitate Deo debita, per commercium cum eius hoste, & cultum ei implicitè & mediatè exhibitum; in posteriori autem ait illam sapere hæresim manifestè, propterea quod implicitè saltem & indirectè inuoluit aliquem cultum & reuerentiam erga dæmonem, pro quo citat Barbatiam, Spinæum & Pegnam in locis iam, §. *præcedente* citatis. Verùm Pegna expresè est pro nostra sententia *in dicta q. 43.* Vnde non Pegna sed Eimericus debebat à Turriano citari. Sed nostra conclusio contra Delrium iam probata est ex D. Thoma, asserente omnem diuinationem, & vanam obseruantiam in vsu rei ad aliquem effectum, ad quem nullam in se habet virtutem aut proportionem, esse species superstitionis, & pertinere ad cultum dæmonum ex pacto inito expresè, vel tacitè cum illis. Consonat secundum dictum Ioannis Gersonis *in allegato tractatu de erroribus circa artem Magicam*: quod sic habet. *Obseruatio ad faciendum aliquem effectum, qui rationabiliter expectari non potest à Deo miraculosè operante, nec à causis naturalibus, debet apud Christianos haberi suspiciosa & suspecta, de secreto pacto explicitè vel implicitè cum dæmonibus.* Quæ est communis doctrina sanctorum Doctorum (ait ille) nominatim Augustini in pluribus locis, vt *lib. 5. de ciuitate, lib. 4. Confessionum, & lib. 2. de doctrina Christiana*: & recitantur multa contra has obseruationes *in decreto 26. q. 5. & q. 7.* Consonat quoque ipse Delrius *lib. 3. p. 2. q. 5.* dicens diuinationis omnis (quam Theologi distinguunt in tres species subalternas, scilicet Necromantiam, Sortilegium & Augurium) fundamentum esse pactum explicitum, id est expressis verbis, aut facto aliquo quod homo scit esse à dæmone in signum suæ opis & efficientiæ, constitutum: vel implicitum, quando quis quærit cognitionem soli Deo seruatam, aliunde quàm ex Deo, per media indebita, id est à Diuina prouidentia ad hoc minimè instituta; tunc enim implicitè vult à dæmone edoceri.

Deinde † aduersus Turrianum, & Eimeri- 98
cum probatur. Primò, quia nobiscum sentiunt Caietanus, *q. 95. art. 4.* Oldradus *consilio 210.* Geminianus *consilio 54.* Albertus *Rubrica de hæretic.* Iulius Clarus §. *hæresis num. 25.* Farinac.

quæſt. 20. Pegna *in ſuo commentario ad quæſtionem* 43. citatam, cum Tiraquello & alijs; aſſerentes eam inuocationem aut confabulationem, qua quis à dæmone ſcire aut facere aliquid ſimpliciter & ſine ſpeciali cultu aut reuerentia petit in ſuum commodum, quod dæmonis ſcientiam, aut poteſtatem non ſuperat, v.g. theſaurum inuiſum, furtum occultum, pharmacum medicinale, & ſimilia, non animo obtemperandi dæmoni, aut ei exhibendi famulatum aut cultum, ſed animo dumtaxat obtinendi ſuum commodum, tantùm implicatur in huiuſmodi actione ſociali, cultus materialiter aut indirectè, vt ſcitè notat Caietanus: cultus autem iſte materialiter aut indirectè inuolutus non ſufficit ad ſaporem manifeſtum hæreſis: hunc enim conſtituit cultus dæmonis formaliter & directè exhibitus dæmoni, citra quem eſt materialis & indirectus: ergo. Secundò, nam alias fruſtranea eſſet exceptio illa facta in Decretali citata *Accuſatus*, de obſeruationibus & Diuinationibus non ſapientibus hæreſim manifeſtè, quod non cognoſcatur à Iudicibus Inquiſitoribus: ne impediatur negotium fidei, quod tamen non eſt dicendum: ergo. Sequela patet, quoniam nulla eſt inuocatio dæmonis, aut Diuinatio, aut poſtulatio eius opis vel auxilij, quæ aliquem cultum teſte Turriano non inuoluat, aut quæ ſaltem non includat inſeparabiliter cultum materialiter ſiue indirectè: ergo ſi iſte cultus ſufficit, ad manifeſtandum ſaporem hæreſis, in nulla inuocatione, aut Diuinatione, aut obſeruatione ſuperſticioſa, locum habet dicta exceptio *cap. Accuſatus*: quæ proinde eſt omnino fruſtranea.

Denique probatur concluſio quantum ad id, quod aſſerit Turrianus huiuſmodi inuocationem & dæmoniacam ſocietatem, de ſe & ex obiecto eſſe Apoſtaſiam à fidelitate debita Deo: non quod hæc malitia non ſit inſeparabiliter annexa hiis operationibus, ſed quod per hunc receſſum non explicetur eſſentialis earum iniquitas. Probatur inquam Primò,
99 quia † receſſus à fidelitate Deo debita, ſolùm eſt peccatum contra virtutem fidelitatis, quæ eſt diſtincta à Religione. Huiuſmodi autem actus ſociales cum dæmone, de quibus eſt ſermo, ex obiecto habent malitiam ſuperſtitionis, quæ eſt vitium Religioni contrarium: ergo illa non eſt primordialis malitia horum actuum, ſed iſta. Secundò quo-
100 niam † debitum fidelitatis fundatur in promiſſione: ac proinde ſupponit hoc dictum, Chriſtianum in Baptiſmo ſe promiſſione & voto obligaſſe, ad renuntiandum Diabolo & operibus eius; quod refutat Caietanus 2. 2. *quæſt.* 88. *articul.* 2. contra ſententiam Magiſtri *in* 2. *d.* 18. & Gloſſæ ſuper illud Pſalmi: *vouete & reddite Domino Deo veſtro.* Et merito; nam in baptiſmo tria dumtaxat verba dicit baptizandus, ſcilicet *abrrenuntio Diabolo, pompis & operibus eius, volo baptizari, & credo in Deum Patrem &c.* quorum nullum ſignificat promiſſionem. Tum etiam quia aliàs homicidium, furtum & quodvis aliud peccatum mortale Chriſtiani baptizati, haberet duas malitias ſpecie diſtinctas neceſſariò in confeſſione Sacramentali pandendas; vnam ex obiecto videlicet homicidij ſiue furti: & alteram Sacrilegij contra votum, quod eſt contra communem praxim Eccleſiæ, & fidelium. Tum etiam quia baptizari eſt lex neceſſitatis & vniuerſalis, de ſe habens ſufficientem vim coactiuam & inductiuam ad fidei & præceptorum obſeruantiam: vouere autem eſt ex lege priuata, quam voluntariè quis ſibi impoſuit: ergo ineptè & incongruè hæc illi annecteretur. Tertiò probatur, quia
† iſti actus ſociales & ſuperſtitioſi cum dæ- 101
mone, eiuſdem rationis ſunt in eſſe phyſico & morali, in Gentili & Iudæo non baptizato, atque in Chriſtiano baptizato. Sed in illis non habent malitiam Apoſtaſiæ à fidelitate Deo debita: ergo neque in iſto habent hanc malitiam eſſentialiter, niſi tantùm accidentaliter adiunctam, ſcilicet receſſus & Apoſtaſiæ à fidelitate Deo debitæ in Baptiſmo, non ex voto aut promiſſione ſtrictè, ſed ex abrenunciatione & homagio præſtito, quo baptizatus addicit & mancipat ſe ſeruitio Chriſti, ſicut miles per homagium abſque promiſſione adſcribitur militiæ; & hæc fundant etiam debitum fidelitatis, quod non violatur per quodcumque mortale peccatum, niſi ſolùm per ſuperſticioſum recurſum ad dæmonem hoſtem Chriſti, atque per Apoſtaſiam à fide Chriſti, vel eius abnegationem.

Dico Secundò, † quando huiuſmodi cum dæ- 102
mone commercium ſit cum pacto explicito vel implicito exhibendo ei cultū latriæ vel duliæ, eſt ſuperſticioſum omnino & manifeſtè hæreticum. Et idem contingit, ſi admiſceatur abnegatio fidei, vel aliquarum rerum Sacrarum abuſus, puta ſi pueri rebaptizentur, aut libri ſiue imagines baptizentur, aut contemnantur, aut Euchariſtia ſumatur in oraculi dæmonis confirmationem. In hac concluſione etiam omnes Doctores conueniunt, vt videre eſt in Delrio *lib.* 3. *part.* 2. *quæſt.* 4. & Turriano *quæſt.* 95. *articul.* 4. *diſput.* 1. *& quæſt.* 96. *diſput.* 2. *&* probatur per ſingulas partes. Quoad Primam quidem, † quia 103
cultus latriæ exhibitus alteri, quàm Deo, eſt idololatria, teſte D. Thoma 2 2. *quæſt.* 92. *articul.* 2. & ſi exibeatur dæmoni ab homine Chriſtiano, eſt Apoſtaſia à Deo & profeſſione Chriſtiana, & transfugium ad dæmonem, illique præſtitum homagium deſeruiēdo ipſi, éſtque crimen ſecundum ſe grauis hæreſi propriè dicta: cuius ſignum eſt, quod punitur non tantùm pœnis omnibus hæreticorum, ſed eò ſeuerius, quod qui hæretico locus pœnitentiæ permittitur, is Apoſtatæ iure ciuili *in leg.* 3. *Cod. de Apoſtatis*, apertè denegatur. Eſtque in ea ſpecie ſuperſtitionis, quam ait D. Thomas *vbi ſupra* in eo conſiſtere, quod cultum ſoli Deo ob ſui excellentiam ſupremam debitum, creaturæ impendit: cuius turpiſſimum indiuiduum eſt hæc, quæ cum Apoſtaſia à fide in Baptiſmo ſuſcepta, dæmoni hoſti Dei cultum latriæ impendit, cum homagio ſeruitutis ipſi præſtito, aut implicito & exercito in ipſo opere, aut expreſſo & in actu ſignato, quale feciſſe chirographo ſubſcriptum & traditum dæmoni, fertur in hiſtorijs Ordinis Prædicatorum apud Caſtillo *lib.* 2. *cap.* 72. & Villegas *flore Sanctorum part.* 3. *vita* 173. Beatus Ægidius in adoleſcentia, Necromantiæ artis cupidus.

Deinde Secunda pars probatur. Nam qui cultum duliæ dæmoni præſtat, etſi non ſit Idololatra,

lolatra, quia non tribuit ei diuinum honorem; tamen est hæreticus, quia ipso facto protestatur dæmonem esse dignum honore, reuerentia, & cultu Sanctorum; habetque hoc iudicium in mente, ex quo procedit ad actum externum talis cultus & reuerentiæ eiusdem iudicij manifestatiuum; quod procul dubio est hæreticum.

104 Denique tertia pars probatur, supponendo † dæmonem Diuinitatis æmulatorem & Dei gloriæ inuidum, solere exigere à suis confœderatis eas conditiones, aut simul & collectim, aut disiunctim; fœdus enim & pactum propriè importat conuentionem vtrinque, vt faciam hoc, & tu facies illud; dabo hoc, & tu dabis illud. Dæmon igitur in suo fœdere & conuentione, pro suo auxilio, aut ope, aut cognitione, quam offert homini; petit ab illo regulariter aut abnegationem totius fidei, aut alicuius articuli particularis: aut imaginum Sacrarũ conculcationem, aut Baptismi, (siue Eucharistiæ, siue alterius rei Sacræ abusum, provt præfertur in ipsa specie assertionis. Quo supposito & prænotato; probatur sic hæc tertia pars. Nam Apostata dicitur qui à tota fide recedit: hæreticus qui ab vno aut altero articulo. Sed qui ex pacto inito cum dæmone abnegat totam fidẽ, à tota illa recedit: ergo est hæreticus & Apostata. Qui verò recedit ab vno aut altero articulo est hæreticus: sed qui exercet aliquam ex dictis cerẽoniis, recedit ab aliquo articulo fidei: ergo est hæreticus simpliciter & formaliter. Minor patet: nam in conculcatione imaginum cum dæmone fœderata, protestatur non deberi cultum & venerationem Sacris imaginibus, (idem de reliquis Sanctorum intellige): quod est Iudicium hæreticum. Similiter in Baptismo imaginum ac puerorum rebaptizatione, protestatur imagines esse capaces baptismi, ac Baptismum posse iterari: quæ sunt hæreses manifestæ. Rursus in abusu Eucharistiæ v.g. aut recipiendo illam in confirmationem promissionis, aut prædictionis dæmonum, aut porrigendo illam iussu dæmonis, non ieiunis, aut non purgatis per Sacramentalem confessionem, protestatur homo Eucharistiam ad hos effectus fuisse institutam & ordinatam, liceréque illam sumi à non ieiunis, vel non confessis: aut non esse legem in Ecclesia id prohibentem, aut Eucharistiam posse confici vel sumi in honorem dæmonis: qui sunt notissimi errores in fide. In eóque sensu sunt intelligendi Patres, quando dixere hæc crimina inuoluere Idololatriam, aut hæresim, siue ad illam pertinere; id est, quando huiusmodi inuocationes siue actus sociales cum dæmone fiunt cum aliqua vel aliquibus ex circunstantiis recensitis. Alioquin secundum se & ex obiecto, iam diximus ad vitium solius superstitionis spectare: quod sine idololatria, & sine hæresi formaliter potest inueniri. Hinc simili modo intelligendi veniunt duo articuli Parisienses relati à Gersonio *in tractatu prælegato*: nimirum Primus, qui sic habet. *Quod per artes magicas & maleficia, & inuocationes nefarias, quærere familiaritates & amicitias & auxilia dæmonum, non sit idololatria; Error. Quoniam dæmon aduersarius pertinax & implacabilis Dei & hominis iudicatur. Nec est honoris vel dominij cuiuscumque verè, vel participatiuè, vel aptitudinaliter susceptiuus; vt aliæ creaturæ rationales non damnatæ: nec in signo ad placitum instituto, vt sunt imagines & templa, Deus in ipsis honoratur.* Tertius verò sic. *Quod inire pactum cum dæmonibus tacitum vel expressum, non sit idololatria, vel species idololatriæ, & Apostasiæ; Error. Et intendimus pactum esse implicitum in omni obseruatione superstitiosa; cuius effectus non debet à Deo vel à natura rationabiliter expectari.* Ecce in hiis articulis diffiniuntur huiusmodi actus sociales & fœderati cum dæmonibus per idololatriam, Apostasiam, & hæresim; non quia sint eis essentiales malitiæ ex obiecto conuenientes: sed quia sunt circunstantiæ mutantes speciem, accidentaliter, sed frequenter & regulariter illis adiunctæ.

Dico Tertiò; superstitiosa quoq; & sapiens 105
hæresim est societas siue inuocatio dæmonis, ad faciendum, vel cognoscendum ea, quæ eius potentiam vel scientiam superant, id est quæ ipse per suam naturam facere vel scire non potest. Hæc conclusio etiam est communiter à Doctoribus recepta, vt videre est apud Delrium *lib. 3. part. 2. quæst. 4. & lib. 5. sectione* 15. & Turrianum *vbi supra.* Cuius ratio in promptu est; quia credere dæmonem posse facere aut cognoscere, quæ eius naturalem virtutem excedunt, & soli Deo sunt reseruata, hæresis est; v. g. credere quod dæmon potest mortuum suscitare, aut cæcum à natiuitate illuminare, aut quod sciat futura contingentia dependentia ab hominis libero arbitrio, aut à sola Dei voluntate; aut cordium cogitationes, est hæresis: Sed qui in diuinatione, aut sortilegio, vel inuocatione, siue collocutione cum dæmone petit, aut inquirit ab illo aliquid huiusmodi; protestatur se habere in suo intellectu hoc iudicium, quod dæmon à quo petit vel inquirit, possit aut sciat, quæ nec facere, nec scire potest, sed soli Deo sunt reseruata: ergo in huiusmodi facto est sapor hæresis existentis in intellectu. Et quamuis verum sit, posse absolutè, intellectum inuocantis, siue diuinantis, siue sortilegium exercentis tali erroneo iudicio non laborare, quia potest huiusmodi actiones exercere ex animi leuitate, aut curiositatis gratia; verumtamen factum ipsum, est nedum hæreticale, id est sapiens hæresim, sed etiam hæreticum: quoniam sicut propositio vocalis hæretica est illa, quæ falsum enuntiat Catholicæ fidei contrarium, & assensum intellectus hæreticum exprimit, quamuis non existat in illo: ita factum hæreticum est illud, quod de se explicat assensũ hæreticũ, vel circa quod assensus hæreticus versatur, & quod si quis ita se habere pertinaciter cõtenderet, verè hæreticus esset. V.g. Rebaptizatio pueri est factũ hæreticũ; quia est materia circa quã versatur assensus hæreticus; & si quis pertinaciter asseueraret posse rebaptizari, verè esset hæreticus: factũ autẽ sapiens hæresim est illud, circa quod versatur propositio siue assensus hæresim sapiens, ita vt si quis contenderet illud licitè fieri posse, eius enunciatio esset sapiẽs hæresim. Vt si quis Sacramentalia misceret vsibus prophanis, secluso expresso vel expressa inuocatione dæmonis, exerceret factũ sapiens hæresim; quia si asseueraret hoc fieri posse licitè, talis assertio saperet hæresim, nisi malueris factum illud sapere hæresim, quod indicat

hæreticum aſſenſum in intellectu operantis : vt in caſu rebaptizantis : & illud ſapere errorem, quod indicat aſſenſum erroneum in intellectu operantis : vt in caſu miſcentis Sacramentalia prophanis.

106 Dico Quartò, quando quis † ſecluſo pacto ſiue fœdere propriè ſumpto, provt importat vtrinque conuentionem, & ſecluſa omni reuerentia & deprecatione, petat auxilium vel conſilium à Dæmone ad faciendum vel ſciendum id, quod eius potentiam aut ſcientiam non ſuperat : etſi ſuperſtitioſum ſit commercium, non tamen ſapit hæreſim manifeſtè, ſed dumtaxat ſuſpectus de hæreſi efficitur magis aut minus iuxta qualitatem perſonæ, & aliis circunſtantias. Hæc concluſio media via procedit inter duas opiniones extremè oppoſitas : illaſque fortè ad concordiam reducit. Altera eſt Barbatiæ, Spineo, Pegna, & Turriani *vbi ſupra diſputat.* 2. citata, aſſerentium hanc implorationem ſiue inuocationem ſapere hæreſim manifeſtè, eò quòd ipſa inuocatio ac petitio, inuoluit aliquem cultum Dæmoni exhibitum. Cultus autem ſapit manifeſtè hæreſim, vt dictum eſt. Altera eſt Oldradi, Tiraquelli, Iulij Clari, Farinacij & Caietani *quæſt.* 95. *art.* 4. dicentium nec ſapere manifeſtam hæreſim, nec eius cognitionem pertinere ad iudices fidei : eò quòd huiuſmodi actio tantùm inuoluit cultum indirectè. Neque enim iſte petit à Dæmone facere aut ſcire, quod ille poteſt, vt eum colat, ſed ob ſui commodum, & aliàs nullo fœdere aut conuentione ſociatur illi &c. *in cap. Accuſatus de hæreticis*, illarum dumtaxat ſuperſtitionum cognitio, quæ manifeſtam ſapiunt hæreſim, tribuit Iudicibus fidei.

107 Verùm noſtra † aſſertio, probatur ſupponendo duo. Vnum eſt Caietani documentum *in dicto art.* 4. §. *ſcito ſecundo*, pactum ſiue fœdus cum Dæmone ſumi dupliciter : videlicet vel propriè, pro conuentione mutua inter Dæmonem & hominem, quæ poteſt eſſe adhuc duplex ; vel expreſſa, vel tacita & implicita, de qua in præcedentibus concluſionibus dictum eſt. Vel largè & minus propriè, provt importat quemcumque actum ſocialem ſeriò cum Dæmone habitum : in quo ſenſu, ait Caietanus; Angelicum Doctorem in tota illa quæſtione pactum & fœdus accepiſſe. Alterum eſt, quod licet cognitio earum ſuperſticioſarum actionũ quæ non ſapiunt manifeſtam hæreſim, attento iure communi, & dictæ decretalis *Accuſatus*, non pertineat priuatiuè ad Iudices fidei ; in quo ſenſu loquuti fuere Authores ſecundæ opinionis cum Caietano : tamen quia mixtum eſt ex conſtitutione Sixti V. quæ incipit *Cœli & terræ creator Deus*, contra Iudiciarios, ideo iam facultas cognoſcendi de tali crimine facta eſt Inquiſitoribus, & Epiſcopis, ac alijs Superioribus; Quibus olim ante inſtitutionem Tribunalis Sanctæ Inquiſitionis, quarumque ſuperſtitionum etiam hæreticarum cognitio competebat, ex *cap. Epiſcopi*, 26. *quæſt.* 5. ex Concilio Ancyranode ſumpto, ſic decernente. *Epiſcopi, eorum miniſtri omnibus modis elaborare ſtudeant, vt perniciosam & à Diabolo inuentam ſortilegam & magicam artem ex parochiis ſuis penitus eradicent, & ſi aliquem virum aut mulierem huiuſcemodi ſceleris ſectatorem inuenerint, turpiter dehonestatum de parochiis ſuis eiiciant: ait enim Apoſtolus (hæreticum hominem poſt primam & ſecundam correctionem deuita, ſciens quia ſubuerſus eſt, qui huiuſmodi eſt) ſubuerſi ſunt, & à Diabolo captiui tenentur, qui relicto Creatore ſuo, Diaboli ſuffragia quærunt, & ideò a tali peſte debet mundari Sancta Eccleſia.* Quibus ſuppoſitis ac prænotatis, probatur prima pars concluſionis, quia in tali petitione nullus cultus ſpecialis implicatur ſaltem directè & formaliter, ſed tantùm homo quærit commodum ſuum, v.g. ſcire vbi ſit res ſibi furto ſublata, vel applicare medicamentum ſuo morbo aliàs ſanabili, ſicut poſſet inquirere eadem ab alio homine, etiam inimico, etiam ſeruo, erga quem nullum cultum exhiberet : nullúmque pactum propriè interuenit, vt ſuppono, niſi quidam ſocialis actus dumtaxat : hîc autem ſine illis circunſtantijs non ſufficit ad factum ſapiens hæſim manifeſtè : ergo. Confirmatur, nam aliàs ſuperuacanea & verbalis tantùm eſſet diſtinctio facta *in cap. Accuſatus*, de obſeruantiis ſuperſticioſis ſapientibus hæreſim manifeſtè, & non ſapientibus illam : ſiquidem omnes illam ſaperent, & omnium cognitio pertineret priuatiuè ad Iudices fidei ; aut nullius cognitio dictos Iudices ſubterfugeret, quod eſt contra eiuſdem decretalis tenorem : ergo.

Deinde Secunda pars probatur à Delrio *in nuper allegata ſectione* 15. quoniam quando quis conſulit dæmonem, vel maleficum diuinatorem de rebus amiſſis, v.g. licet eas ſciat, ipſum tamen conſulere, ſapit hæreſim occultam : vel probabiliter, eò quòd indicat pactum ſaltem implicitum cum dæmone, vt ſentit D. Thomas *quæſt.* 95. *art.* 2. *ad* 2. indicat quoque conſulentẽ ſiue pẽtentem duci hoc iudicio erroneo, quod poſſit dæmoni vt amico ſociari. Idémque iudicium ferendum eſt de illo, qui à Dæmone ſiue à Mago petit philtra, quibus characteres aut alia ſuperſticioſa ſigna admiſcentur, ad aliquẽ effectum ei poſſibilem, quia in hiis pactum occultum continetur. Secus dicendum de philtris amatoriis ex rebus merè naturalibus compoſitis, & citra ſuperſticionẽ adhibitis, inquibus exiſtimo nullũ eſſe ſaporẽ hæreſis; quod & Iudicibus fidei attentè conſiderandum relinquimus.

Hinc colligo Primò, † quod ſi quis citra pactũ expreſſum cum dæmone vtatur rebus non 108
Sacris, deſtinatis tamen ad conſecrationem, ſiue Eccleſiæ benedictionem, v. g. ſi vtatur Hoſtia nondum conſecrata, aut calice, aut ara non conſecratis, in philtris, ſortilegiis aut Diuinationibus, aut maleficiis, ad ſciendum, vel operandum effectum, quem dæmon poteſt ſcire aut facere, non eſt ſapiens hæreſim, neque de illa ſuſpectus, niſi ex aliquibus circunſtantiis adiunctis talis oriatur ſuſpicio. Hoc corollarium probatur à Delrio & Turriano *vbi ſupra*, ex Oldrado, Grillano & Farinacio. Nã ſapor hæreſis & ſuſpicio in huiuſmodi obſeruantiis ſuperſticioſis oritur ſiue fundatur, aut in pacto & inuocatione Dæmonis expreſſa & cultu ibi incluſo, aut in abuſu rerum Sacrarum, quas homo credit habere vim, ſue ordinem ad talium effectuum operationem : hoc autem fundamentum deficit in vſu rerum non Sacrarum, dificiente pacto expreſſo. Ratio autem ſecundæ partis limitantis primã eſt; quia ſi quis vtatur ad Diuinationẽ, ſortilegiã vel Magicũ effectum hoſtia non conſecrata, poſita tamen ſuper altare: & in loco Sacro

abutatur

abutatur Calice, siue ara nondum consecratis, signum euidens moraliter est hæreticalis superstitionis; ipse Sacerdos sic abutens hiis, efficitur de hæresi vehementer suspectus. Nam nisi crederet hæc ex altari, aut ex loco sacro habere vim aliquam ad magicos effectus, non ita consulto in huiusmodi rerum abusu expectaret positionem hostiæ in altari, & calicis in loco Sacro: aut nisi crederet hæc habere huiusmodi vim ex eo, quod ad consecrationem ordinantur. Quodcumque autem horum duorum credat, hæreticum est, & tale opus est superstitio hæreticalis, quod si constet de eius tali intentione, pro hæretico puniendus est. Et similiter si constet eum malè sentire de præsentia corporis Christi in Eucharistiæ Sacramento, & de transsubstantiatione panis & vini in corpus & Sanguinem Christi: Si verò de eius mala intentione aut iudicio non constet, debent haberi pro suspectis de huiusmodi errore, ita vt si non fateantur, possint torqueri à Iudicibus fidei; & si negent, debeant de vehementi suspicione abiurare; nisi ex aliis circunstantiis personæ, loci & temporis constet secundum prudentiale iudicium, talem operantem innocenter egisse.

109 Colligo Secundò † quod quando est dubium an superstitiosus iste abusus sapiat hæresim, consulendi sunt Qualificatores, illisque asserentibus non sapere hæresim, non pertinet eius cognitio & punitio attento iure communi ad Iudices fidei: bene tamen ex dicta constitutione Sixti V. Si autem Qualificatores dicant sapere hæresim licet non manifestam, quia id est dubium, possunt Inquisitores etiam attento iure communi se iudices declarare.

110 Colligo Tertiò † has superstitiones hæreticales subiici pœnis à iure taxatis, quarum meminit Delrius *in dicto lib. 5. sectione 16.* Si autem sortilegia aut diuinationes hæreticales non sint, arbitraria pœna plectuntur, hoc est arbitrio Iudicis; nam quæ à iure determinata non sunt, arbitrio boni viri relinquuntur. Ab hac regula excipio pœnas in iure latas contra Clericos conficientes aut postulantes diuinationes, maleficia aut sortilegia non hæreticalia; ob maiorem puritatem fidei ac religionis, quam Deus in personis Ecclesiasticis exigit. Nam *cap. 2. de sortilegiis*, cuidam Clerico, qui bona fide & zelo ac simplici corde (pro inueniendis rebus & bonis Ecclesiæ furto sublatis) adiit sortilegium; imponitur pœna suspensionis à Diuinis, & ministerio altaris per annum: quem proinde ignorantia minimè excusauit, & insuper arbitrariæ pœnæ Iudicis relinquitur puniendus: qui autem dolosè id fecerit, deponitur ab ordine Sacro, & priuatur beneficiis, & in carcerem perpetuò detruditur *ex c. si quis 26. q. 5.*

Rursus communes pœnæ laicis & Clericis, quas nedum conficientes sortilègia, & maleficia, sed etiam consulentes & petentes incurrunt, sunt excommunicatio ipso facto, licet nemini reseruata *ex cap. 1. 26. quæst. 5.* & pœnitentia quinquennalis *ex c. 2. & 3. 26. q. 5.*

Deinde sortilegi siue malefici siue diuinatores hæretici, siue hæresim sapientes, pœnis hæreticorum plectuntur, secundum Grillandum *q. 11.* Menochium & Farinacium *q. 20.* quando autem ab hæresi purgantur, alia pœna infra mortem, scilicet exilio, triremium, verberum; vel pecuniariâ, iuxta personæ & criminis qualitatem plectuntur, &c. Sed neque lamias, sagas siue Striges nostras à pœnis aliorum Maleficiorum eximendas fore, ob nefanda crimina, quæ inter se & cum dæmone committunt, longo discursu probat ibidem Delrius, ad quem Lectorem remittimus.

Colligo Quartò & vltimò † intelligentiam 111
duorum locorum Angelici Doctoris, nimirum super *Esaiæ* 3. ad illud verbum, *Auferet à Hierusalem Prophetam & Ariolum: & in 2. d. 7. q. 1. art. vltimo.* In quorum primo ait, quod inquirere futura ab Ariolis, futura inquam quæ Dæmones scire non possunt naturali lumine, est Apostasia à fide: vt dicit Augustinus, cuius testimonium recitatur *in decretis 26. q. 7.* Canone *Non obseruetis.* In Secundo verò inquirit, vtrum vti auxilio Dæmonis sit peccatum? & ait, *quod sicut grauiter peccant illi, qui quod est proprium Dei, creaturæ impendunt per Idololatriæ cultum; ita etiam grauiter peccant, qui ea, quæ à Deo expectanda sunt, auxilio Dæmonum implorant: & huiusmodi est vaticinatio de futuris; vt dicitur Esaiæ 8. Nunquid non populus à Deo suo requirit visionem pro viuis & mortuis? & similiter in aliis operibus Magicis, in quibus complementum operis ex virtute Dæmonis expectatur: in omnibus enim est apostasia à fide propter pactum initum cum Dæmone: vel verbo tenus, si inuocatio interfit: vel facto aliquo; etiamsi sacrificia desint.* Consonant Albertus *in eodem 2. d. 7. art. vltimo*, Petrus de Tarantasia, qui postea fuit Innocentius V. *in eodem loco, 2. sententiarum*, Guido Carmelita *in speciali quæstione* de hac re, Ioannes Andreas, Archidiaconus, & alij Iuristæ citati ab Eimerico *2. p. directorij q. 43.* Ex quibus ipse Eimerius concludit, quod in omni inuocatione & consultatione Dæmonis, siue exhibendo ei cultum latriæ, siue cultum duliæ, siue nullum cultum expressè, est apostasia à fide, & inuocator est hæresi suspectus, & non solùm vt sortilegus, sed vt hæreticus iudicio Ecclesiæ est habendus & puniendus; eò quòd ipsa nuda † inuocatio est 112
deprecatio & cultus latriæ, & sic accipitur in Sacra Scriptura: vt *Genes. 4. Iste cæpit inuocare nomen Domini*, id est colere & deprecari, secundum Glossam: & *Ioëlis 2. Omnis qui inuocauerit nomen Domini, saluus erit*; & Psalmo 49. *Inuoca me in die tribulationis, eruam te, & honorificabis me, &c.* Verùm Pegna *in suo commento* ait, quod licet in duobus prioribus casibus inuocator Dæmonis contrahat apostasiam à fide & hæresim: secus autem in Tertio, quando fit sine vllo cultu, quod fieri posse quando ab eo petitur, quod ipse præstare potest, docet Caietanus *22. q. 95. art. 4. citato*, nisi inuocator non semel aut bis curiositate motus Dæmones consulat, sed ex professo artem Magicam profiteatur; tunc enim fit non leuiter, sed vehementer suspectus de hæresi. Igitur Augustinus, Thomas & cæteri Theologi ac Iuristæ citati ab Eimerio, intelligendi sunt de hiis qui inuocant Dæmonem exhibendo ei aliquem cultum latriæ, vel duliæ; aut qui inuocant Dæmonem ex pacto inito artem Magicam profitendo: aut de hiis qui inuocant dæmonem petendo ab illo id quod eius naturalem facultatem excedit, prout supra explicatum relinquimus. Sin minus, erit Apostasia à fidelitate debita & promissa in baptismo: non à fide Catholica in illo suscepta.

QVÆSTIO XXV.

Vtrum anima defuncti patiatur detrimentum, ex hoc quod eleemoſynæ, vel reſtitutiones quas mandauit fieri, retardantur?

SVMMARIVM QVÆSTIONIS XXV.

1 *Defunctus, qui potuit commodè dum viueret, reſtituere creditoribus ſuis, & non fecit, non decedit ſecurus coram Deo.*

2 *Anima defuncti non detinetur in purgatorio donec eius debita per hæredes ſoluantur, dummodo iubeat viuens debita ſolui.*

3 *Triplici in caſu poteſt contingere, animam defuncti ad cœlum ſtatim poſt deceſſum euolare.*

4 *Obiicitur deciſio Alexandri III. dicentis monendos eſſe hæredes raptoris aut incendiarij defuncti, vt de ipſius bonis damna illata plenè ſatisfaciant.*

5 *Anima defuncti quoad pœnæ prorogationem non patitur detrimentum, ex retardatione eleemoſynarum & ſuffragiorum, bene tamen quoad remedij ſubtractionem.*

6 *Meritum eſſentiale eleemoſynæ in quo conſiſtit.*

7 *Reſoluitur declaratio D. Thomæ; vtrum ſcilicet conſultius ſit hæredi Miſſas & eleemoſynas à defuncto depoſitas retardare, vt illius bonis maiori pretio venditis, maior pecuniæ quantitas congregetur, ex qua maior numerus Miſſarum & eleemoſynarum poſſit præſtari.*

8 *Anima defuncti purgatorio addicta poteſt meditis eleemoſynis quas teſtamento reliquit pœnam perſoluere, antequam tales eleemoſynæ executioni mandentur.*

9 *De hæredibus & teſtamenti executoribus, Miſſas & eleemoſynas culpabiliter retardantibus, magis eſt dolendum, quàm de ipſo defuncto.*

QVAESTIONEM hanc tractant in propriis terminis D. Thomas *quodlibeto 6. art. 13. & in 4. d. 45. art. 2. quæſtiuncula 2. ad 4.* Adrianus *quodlibeto 8.* & Nauarrus *in ſumma latina cap. 27. à num. 68.* quarum reſolutio ad ſequentes concluſiones reducitur.

1 Prima concluſio eſt; quod ſi † defunctus potuit commodè dum viueret, per ſe aut per miniſtros reſtituere ſuis creditoribus, & non fecit, non decedit ſecurus coram Deo. Quæ concluſio ſuadetur Primò per illam regulam Iuris *in 6. Peccatum non dimittitur, niſi reſtituatur ablatum.* Secundò, quia præceptum reſtituendi obligat ad ſtatim ſiue quantocius faciendam reſtitutionem, ex D. Thoma *22. q. 62. art. vltimo*, communiter recepto, & *ex cap. ſæpe de reſtitutione expoliatorum.* Et quia licet præceptum ſit affirmatiuum, quatenus expreſsè iubet reſtituere, tamen implicitè & virtualiter eſt negatiuum, quatenus inuoluit prohibitionem retinendi alienum: præcepta autem negatiua diſcriminantur in hoc à purè affirmatiuis, quod illa obligant ſemper & ad ſemper: iſta verò obligant ſemper ſed non ad ſemper, iuxta eundem D. Thomam *22. quæſt. 83. art. 2.* Panormitanum, Archidiaconũ, & omnes Iuris canonici peritos *in cap. ſi peccauerit 2. quæſt. 1. & cap. nouit, de iudiciis.* Vnde detentor alieni, licet non peccet nouum peccatum ſingulis momentis, quibus alienum retinet, benè tamen nouè peccat, quoties proponit, non reſtituere illud, ac etiam quoties vtitur re aliena aduertenter, & non reſtituit: atque tandem quotieſcumque commodè reſtituere valens, non reſtituit, iuxta regulam à Caietano traditam *22. quæſt. 66. art. 3.* probatam à Nauarro *in dicto cap. 17. numer. 54.* niſi aliunde, hoc eſt ex aliqua rationabili cauſa, aut impedimento reſultante excuſetur à præſentanea reſtitutione. Atqui defunctus iſte de quo fit ſermo, potuit commodè, vt ſupponimus, per ſe ipſum, aut per ſuos famulos ſiue Miniſtros reſtituere ſuis creditoribus, & non fecit: igitur etſi eam reſtitutionem exequendam ſuis hæredibus in teſtamento commendauerit, præceptum reſtituendi non adimpleuit, potiúſque contra illud lethaliter peccauit: ac proinde non deceſſit ſecurus ſed mortali culpæ obnoxius, niſi probabiliter crederet talem reſtitutionem melius & citius per ſuum hæredem faciendam: & quod niſi hoc ſibi perſuaſum haberet, ipſe per ſe ilico eam faciſſet, vt notat Angelus, verbo, *reſtitutio, 3. §. 2.* hanc tamen exceptionem credo inuolui in prima illa generali adnotata, videlicet quando debitor propter aliquod impedimentum non valet tam commodè & citò per ſe ipſum reſtituere.

Secunda concluſio. Neque † anima defuncti detinetur in purgatorio, donec eius debita per hæredes vel teſtamẽtarios creditoribus ſoluantur, dummodo iubeat viuens debita ſolui. 2

Hæc aſſertio probatur, eò quòd † in triplici caſu poteſt contingere huius defuncti animam ad cœlum ſtatim poſt diſceſſum euolare: vt ſi Martyrium ſubeat, aut ilico poſt Baptiſmum diſcedat *ex cap. Baptiſmi vicem, de conſecratione. d. 4. & cap. cum Martha de celebratione Miſſarum & cap. debitum, de Baptiſmo*: aut ſi diſcedat contritione ſufficiente ad omnem pœnam temporalem delendam, *ex cap. Menſuram*, adiuncta Gloſſa *de pœnitentia diſt. 1.* vel ſi deceſſit abſolutus virtute Iubilæi ad eundem effectum efficacis, per Extrauagantem primam *de pœnitent. & remiſſion.* In quibus caſibus defuncti animam recta via in cœlum aſcendere docet Catholica fides, cum ſolo propoſito reſtituendi, aut iuſſione de reſtituendo hæredibus facta. Cum qua etiam confeſſus, & abſolutus cum ſola attritione gratiam obtinebit, in qua decedens ſaluabitur, etſi ob peccatorum reliquias, in purgatorio debitas pœnas perſoluet. 3

Verùm Angelus contrarium ſentiens *vbi ſupra* † obiicit nobis deciſionem Alexandri III. *cap. in litteris de raptoribus*, dicentis monendos eſſe hæredes raptoris ſiue incendiarij defuncti, vt de illius facultatibus damna data plenè ſatisfaciant, *Vt ſic à peccato valeat liberari.* Quo 4

vnico

vnico verbo denotat Alexander animam huius in purgatorio detineri, donec de damnis ab ipso iniustè illatis fiat per hæredes plena satisfactio. Neque placet expositio Nauarri *vbi supra* dicentis, quod loco verbi *valeat*, quod refertur ad defunctum, legendum est, *valeant*, quod refertur ad hæredes: ita vt significetur, hæredes debere plenariam præstare de huiusmodi damnis satisfactionem, vt sic à peccato negligentiæ liberentur. Nam hæc potius est correctio iuris, quàm interpretatio: Correctionem autem iuris non esse admittendam, neque debere fieri per tacitos intellectus, docet idem Nauarrus *lib. 3. consiliorum, titulo de prabendis. consilio* 24. ex Glossa solemni, *in cap. cupientes*, §. *quod si per viginti*, *de electione in 6.* Et eodem *libro 3. titulo de regularibus, consilio* 33. subdit: *Iuris correctio est vitanda & concordia quærenda, ex cap. cum expediat de electione in 6. & lege 1. Cod. de inofficiosis dotibus.* Quare tenenda est interpretatio alia eiusdem Nauarri, vtpote germanior, dicentis quod illud verbum *valeat liberari*, intelligendum est de ope quam obtinet anima defuncti accidentaliter per orationes creditorum, siue pauperum bene satisfactorum. Nam teste D. Thoma *in loco præallegato* 4. *sententiarum*, solutio debiti aliquantum prodest defuncto, in quantum creditoris orationibus adiuuatur: sicut ex eleemosynarum erogatione sequitur pauperum reuelatio, & eorundem oratio ad Deum fusa pro defuncto, qui est effectus veluti per accidens consequutus.

5 Tertia conclusio; Neq; † ex retardatione eleemosynarũ & suffragiorum quæ defunctus iussit fieri, eius anima detrimentum patitur quantũ ad pœnæ prorogationẽ, nisi solùm quantũ ad subtractionem remedij. Hæc conclusio probatur à D. Thom. *vbi supra*, præmittendo quadruplicem distinctionem. Prima est ex parte detrimenti, quod est duplex: aliud quidem pertinens ad pœnæ tollerantiam: aliud verò pertinens ad subtractionem remedij. Secunda est ex parte eleemosynæ, vel suffragij: aut enim consideratur affectus & propositum voluntatis, in quo consistit meritum essentiale illius: aut effectus ex eleemosyna vel suffragio consequutus. Tertia sumitur ex parte operis operantis, & operis operati. Etenim possumus considerare valorem suffragij ex opere operantis, hoc est ex parte affectus & meriti ipsius offerentis: vel valorem ipsius operis operati, qui correspondet sacrificio Missæ ex opere operato ipsius. Quarta denique distinctio sumitur ex parte operantis, quod contingit esse duplex; aliud enim est, agens principale & mandans erogari eleemosynas, & offerri suffragia vel sacrificia: aliud est minus principale & veluti instrumentale, cuiusmodi sunt Ministri, famuli & exequutores vltimæ voluntatis defuncti. His itaque præsuppositis distinctionibus probatur sic nostra conclusio. Dum hæres vel executor testamenti defuncti retardat eleemosynas, quas erogari, vel suffragia, quæ defunctus pro sua anima iussit offerri: neque eius pœna in purgatorio (si ibi existat) augetur intensiuè, nec protenditur extensiuè propter culpam huiusmodi retardationis: quoniam hæc culpa non ipsi defuncto, sed hæredi, aut eius testamenti executori imputatur.

Rursus † meritum essentiale eleemosynæ consistit in ipso affectu & proposito voluntatis efficaci illam erogandi: quod defunctus in suo testamento satis explicuit, mandans tales ac tantas eleemosynas pauperibus erogari: ergo earum retardatio ob culpam executoris, nullatenus minuit meritum essentiale defuncti, ac proinde neque pœnam illius in purgatorio auget intensiuè vel extensiuè. Verumtamen, quia retardatis eleemosynis ob culpam executoris, retardatur quoque effectus ex illis accidentaliter consequutus, scilicet orationes, & preces pauperum benè satisfactorum: & retardatis suffragiis Missarum, deest effectus consequutus ex opere operato, per quorum defectum subtrahitur remedium illis correspondens ad pœnæ expiationem valens: ideo per talem retardationem anima defuncti detinebitur in purgatorio amplius, quàm detineretur, si eleemosynæ & suffragia ab ipso dispositа in testamento, illico exhiberentur: quia toto tempore quo ista retardantur, priuatur anima defũcti valore sacrificiorum operis operati, & valore orationum, & precum pro ipsa à pauperibus offerendarum, qui est valor operis operantis. Et hoc est quod D. Thomas ait in duobus locis præallegatis, nimirum, pœnam animæ detentæ in purgatorio protendi per subtractionem remedij, vel effectus consequuti, vel operis operati. 6

Dices; igitur toto tempore quo eleemosynæ & suffragia retardantur, punitur anima defuncti propter culpam alienam, videlicet hæredis vel executoris testamenti: quod tamen est falsum, & contrarium testimonio Ezechielis Prophetæ *c.* 18. vbi scriptum est, quod anima quæ peccauerit, ipsa morietur. Respondeo negando consequentiam. Neque enim huiusmodi anima defuncti punitur in purgatorio propter negligentiam alterius, scilicet executoris: etsi verum sit, negligẽtiam executoris ei subtrahere remedium quo citius à pœnis purgatorij liberaretur. Nam cùm istæ temporales sint, non incõuenit, quod vnus detrimentũ in purgatorio patiatur ob culpam alterius: secus autẽ cõtingit in pœna æterna, quã nullus propter alterius culpã nisi propter propriam incurrit. De qua adductũ testimonium intelligitur: eò quòd sola pœna æterna nomine spiritualis mortis accipitur. Igitur negligentia aliena potest in alterius detrimentum quoad pœnam temporalem redundare, non quoad æternam, ob rationẽ assignatam.

Hinc colligo Primò, † resolutionẽ illius dubitationis, quam mouet Angelicus Doctor *quodlibeto cit. art.* 14. nimirũ, Vtrũ consultius sit hæredi & testamenti executori, Missas & eleemosynas à defuncto dispositas & relictas retardare, vt illius bonis melius & maiori pretio vẽditis, maior pecuniæ quantitas congregetur, ex qua maior quoq; numerus Missarum & eleemosynarũ præstari possit? Cuius dubitationis resolutio est negatiua, per se & regulariter loquendo: eò quòd huiusmodi retardatio redundat in animæ defuncti detrimentum, per se & regulariter loquẽdo, quatenus ei subtrahit remediũ effectus consequuti & valoris operis operati: quibus citius pœna ignis purgantis relaxaretur. Dixi per se & regulariter loquendo; nam in quibusdam casibus singularibus potest oppositum contingere: in quibus proinde relinquendũ est arbitrio prudẽtis 7

tisviri, qui penſatis circunſtantiis temporis dilationis, perſonæ defuncti, & quantitatis pecuniæ accreſcentis in eleemoſynas & Miſſas conuertendæ, operetur quod ſibi conſultius viſum fuerit. v. g ſi tempus dilationis parum ſit, differre licebit venditionem bonorum, nam in cunctis negotiis parum pro nihilo reputatur. Rurſus, ſi perſona defuncti fuit opinata tantæ virtutis, quod probabiliter iudicetur paucioribus ſuffragiis & eleemoſinis fore à purgatorio liberandam illico bona eius vendantur etſi viliori pretio : eò quòd cum paucioribus indigeat eleemoſinis & ſuffragiis, non opus eſt moram facere in eius bonis vendendis maiori pretio. Si verò contrarium iudicetur de perſona defuncti, & quod pluribus indigeat eleemoſynis ac ſuffragiis, magnámque fore congregandam pecuniæ quantitatem ex bonorum illius morosa & retardata venditione: Tunc conſultius erit eleemoſinas & ſuffragia aliquanto tempore retardare: quoniam talis retardatio in defuncti vtilitatem redundat : quæ proinde fidelis executoris eſt.

Colligo Secundò cum eodem Angelico Doctore *in dicta ſolutione ad* 4. *ex libro* 4. *ſententiarum*, † animam defuncti purgatorio addictam poſſe mediis eleemoſinis quas teſtamento reliquit, pœnam omnino perſoluere, antequam tales eleemoſinæ executioni mandentur, & in re erogentur pauperibus : ſed non antequam præſtentur in voto ſiue deſiderio teſtatoris vita functi, qui ex affectu charitatis & miſericordiæ iuſſit, illas per ſuum hæredem ſiue Procuratorem erogari. Ratio huius manifeſta eſt, quia contingere poteſt huiuſmodi teſtatorem in tali ſtatu gratiæ è vita decedere, quod ſufficiat ei ad pœnas debitas purgatorij integrè perſoluendas votum illud ac deſiderium erogandi tot eleemoſinas, quot in ſuo reliquit teſtamento : & non egeat effectu conſequuto ex earum reali exhibitione (idem quantum ad hoc dico de ſuffragiis & Miſſarum ſacrificiis ;) túncque proderunt illi ad pœnæ relaxationem eleemoſinæ non in re exhibitæ, niſi tantùm in voto. 8

Colligo Tertiò cum Nauarro *vbi ſupra*, † magis dolendum eſſe de hæredibus ac teſtamenti executoribus, Miſſas & eleemoſynas pro defuncto exhibendas, culpabiliter retardantibus, quàm de ipſo defuncto : Eò quòd huic iſta retardatio non obeſt, quominus à pœna purgatorij liber euadat : illis autem multum obeſt, ſiquidem per talem retardationem peccant mortaliter contra iuſtitiam & charitatem, ſuóque muneri deficientes, æterni ſupplicij reatum incurrunt. 9

QVÆSTIO XXVI.

De Regularibus in qua plura dubia ad ſtatum regularium ſpectantia ſoluuntur.

DVBIVM I.

In quo inquiſitum fuit à nobis; An profeſſio illius qui morbum grauem, incurabilem, & incompatibilem cum obſeruantia conſtitutionum atque regulæ talis religionis occultauit, ſit valida?

SVMMARIVM QVÆSTIONIS XXVI.

1 *Supponuntur quinque impedimenta iuris, ob quæ nemini licet ingredi aliquam Religionem, aut in illa profeſſionem emittere.*
2 *Ex quibus quædam exprimuntur in iure communi ; quædam in peculiaribus ac nouis Summorum Pontificum decretis.*
3 *Coniugatus non poteſt corpus ſuum tradere Religioni, contra voluntatem coniugis.*
4 *Tres ſunt cauſæ, propter quas poteſt aliquis laudabiliter de vna Religione ad aliam tranſire.*
5 *In quibus tamen caſibus poteſt eſſe differentia.*
6 *Commutatio voti in rem minus perfectam, nedum illicita eſt, ſed etiam inualida.*
7 *An Religioſus legitimè tranſlatus ad aliam Religionem, per vota emiſſa in Religione ad quam, maneat abſolutus à votis emiſſis in Religione à qua.*
8 *Quiſnam Superior poteſt concedere Religioſo facultatem tranſeundi ad Religionem laxiorem cum iuſta cauſa.*
9 *Papa ſine iuſta cauſa concedens facultatem Religioſo tranſeundi ad laxiorem Religionem, licet valida ſit facultas, peccat tamen in foro interiori coram Deo.*
10 *An Religioſus cuiuſlibet Religionis poſſit cum licentia petita ad quamcunque ſtrictiorem tranſire?*
11 *Conditio ſeruitutis impedit Religionis ingreſſum, & irritam facit profeſſionem.*
12 *Reſpondetur obiectioni de matrimonio carnali liberi cum ſerua, ignorata ſeruitute.*
13 *Infirmitas grauis & incurabilis, qua impedit Religionis ingreſſum, eſt duplicis generis.*
14 *Implicatio ratiociniorum & obligatio debitorum, reddit homines inhabiles ad Religionis ingreſſum.*

PRo cuius declaratione † ſuppono quinque eſſe impedimenta iuris, ob quæ nemini licet ingredi aliquam religionem, aut in illa promiſſionem emittere. Sunt autem hæc, matrimonium contractum & conſummatum, ligamen profeſſionis emiſſæ in altera 1

altera religione ſtrictiori, & à qua non liceat trãſitus ad eam, quam de nouo quis petit. Conditio ſeruitutis; debitorum aut ratiociniorum implicatio ſupra facultatem ingredientis religionem: & infirmitas impediens ab obſeruantia votorum: vel ſaltem ab obſeruantia regulæ
2 ac conſtitutionum. Ex† hiis impedimentis quædam exprimuntur in iure communi: alia verò etiam in peculiaribus ac nouis Summorum Pontificum decretis continentur: & omnia in ſingularium religionum conſtitutionibus cauentur. Igitur primum habetur *in cap. cum ſis, de conuerſione coniugatorum lib. 5. decretalium*, vbi Alexander III. Epiſcopo Oxonenſi ſic reſcribit. *Cum ſis præditus ſcientia literarum, ignorare non debes Sanctorum Patrum conſtitutioni eſſe contrarium, vt vir vxore ſua, aut vxor viro eius non aſſumente religionis habitum, debeat ad religionem tranſire.* Et infra, *inde eſt quod authoritate Apoſtolica prohibemus, ne in Epiſcopatu tuo virum vel vxorem (niſi vterque ad religionem migrauerit) tranſire permittas. Verum ſi ita vxor ſenex eſt & ſterilis, quod ſine ſuſpicione poſſit eſſe in ſeculo, diſſimulare poteris, vt ea in ſeculo remanente & caſtitatem promittente, ad religionem tranſeat vir eiuſdem. Et in decretis 27. quæſtione 2. canone ſi quis*, decernitur; *quod ſi aliquis coniugatus vult conuerti ad monaſterium*, non eſt recipiendus, niſi priùs à coniuge caſtimoniam profitente fuerit abſolutus: nam ſi illo viuente, illa per incontinentiam alteri nupſerit, proculdubio adultera erit. Cuius impedimenti ratio ex dictis decretis colligitur, & in ipſo iure na-
3 turæ fundatur: nimirum, quia † coniugatus non habet dominium ſui corporis, ita vt liberè poſſit illud religioni tradere contra voluntatem alterius coniugis: quia nullus poteſt alteri dare, quod non habet in ſua poteſtate. Nec citra iniuriam Domini poteſt dare id quod eſt alterius, inuito domino. In eadémque ratione iuris naturalis fundatur ſecundum impedimentum; quia per profeſſionem, quæ eſt quoddam ſpirituale coniugium, efficitur quis ipſius religionis & ſub eius dominio conſtituitur: ac proinde nec validè, nec citra iniuriam ſuæ religionis poteſt alteri mancipari, niſi cum conditionibus à iure requiſitis, vt videre eſt *lib. 3. decretalium titulo de regularibus cap. Ioannes:* & *cap. non eſt vobis*, & *cap. licet*; in quibus determinantur conditiones cum quibus, & non aliàs, licitus aut etiam validus eſt tranſitus de vna religione in alteram & eius profeſſionem: quas D. Thomas *22. q. 189. art. 2. in corpore* ait eſſe tres, dicens.
4 *Poteſt tamen † aliquis laudabiliter de vna religione tranſire ad aliquam, triplici ex cauſa. Primò quidem Zelo perfectioris religionis. Quæ quidem excellentia vt ſupra dictum eſt, non attenditur ſecundum ſolam arctitudinem, ſed principaliter ſecundum id ad quod religio ordinatur: ſecundariò verò ſecundum diſcretionem obſeruantiarum debito fini proportionatarum. Secundò propter declinationẽ religionis à debita perfectione: puta ſi in aliqua religione arctiori incipiãt Religioſi remiſſius viuere, laudabiliter tranſit aliquis ad religionem etiam minorem ſi melius obſeruetur. Vnde in collationibus Patrum Abbas Ioannes de ſe ipſo dicit, quod à vita ſolitaria in qua profeſſus fuerat, tranſiit in minorem, ſcilicet eorum qui viuunt in ſocietate, propter hoc, quod vita Eremitica cæperat declinare & laxius obſeruari. Tertiò propter infirmitatem vel debilitatem, ex qua interdum prouenit, quod non poteſt aliquis arctioris religionis ſtatuta ſeruare, poſſet autem ſeruare ſtatuta religionis laxioris. Sed † in hiis tribus caſibus poteſt eſſe differen-* 5 *tia. Nam in primo caſu debet quidem propter humilitatem licentiam petere, quæ tamen ei negari non poteſt: dummodo conſtet illius religionem eſſe arctiorem. Si verò de hoc probabiliter dubitetur, eſt ſuperioris iudicium inquirendum: vt habetur in cap. licet de regularibus præallegato. Similiter requiritur ſuperioris iudicium in ſecundo caſu.* In huiuſmodi autem duobus caſibus, petita licentia, & non obtenta, poteſt religioſus licitè facere tranſitum dictum, & in altera religione validam emittere profeſſionem; eò quòd vtitur iure ſuo: nam hæc facultas conceditur ei à iure communi in dictis capitulis, & ſpecialiter canone: *Virgines Sacræ, in decretis 20. q. 4.* vbi ſic habetur. *Virgines ſacræ ſi pro lucro animæ ſuæ, propter diſtrictiorem vitam ad aliud monaſterium pergere diſpoſuerint, ibi denique commanere decreuerint; Sancta Synodus concedit.* Et eadem ratio eſt de quibuſcumque aliis religioſis, quam tamen facultatem ibi abſolutè conceſſam, modificauit & temperauit Innocentius III. *in dicto cap. licet*, quantum ad eius vſum & exercitium: videlicet huiuſmodi tranſitus ad ſtrictiorem regulam, non aliter poſſit fieri niſi petita licentia à Superiori, licet non obtenta. In tertio autem caſu ſubdit D. Thomas vltra licentiam, neceſſariam eſſe diſpenſationem; eadémque forma tranſeundi de religione laxiori in diſtrictiorem, nimirum cum licentia Superioris petita, traditur *in cap. ſtatuimus, in decretis 19. q. 3.* quod etiam citat D. Thomas *in ſolutione ad 2. articuli citati.* Vnde merito Petrus de Ledeſma *in ſumma 2. p. de ſtatu religionis cap. 6. difficultate 3.* expendens hanc conditionem de iure communi requiſitam, inquit: quòd profeſſus vnius religionis tranſiens ad Religionem minus ſtrictam, ſine ſpeciali priuilegio ſeu diſpenſatione, peccat mortaliter peccato ſacrilegij, quia facit contra votum ſolemne emiſſum in religione à qua tranſit: Et profeſſio emiſſa in religione ad quam, eſt inualida, quia † commutatio voti in rem minus per- 6
fectam, nedum illicita, ſed etiam inualida eſt. Et inſuper Prælati recipientes Religioſum huiuſmodi religionis ſtrictioris ſine prædicto priuilegio, vel diſpenſatione, ad habitum, vel profeſſionem, incurrunt excommunicationem latam contra huiuſmodi *in Clementina 1. de regularibus*, quæ renouata eſt per Concilium Tridentinum *cap. 19. de regularibus ſeſſ. 25.* vbi prohibet ſub eiſdem pœnis Sancta Synodus, *vt nemo regularis cuiuſcumque facultatis vigore transferatur ad laxiorem religionem.*

Sed vt hæc conditio maneat penitus declarata, operæ pretium duxi, tribus aut quatuor difficultatibus ex dictis contra illam inſurgentibus ſatisfacere. Prima eſt; *An huiuſmodi religioſus ſic* 7
legitimè tranſlatus ad alteram religionem ſiue ſtrictiorem ſiue laxiorem, per vota emiſſa in religione ad quam, maneat abſolutus à votis emiſſis in religione à qua. Et videtur quod non: quia cum ſolemnia ſint, re vera ſunt indiſſolubilia, imo indiſpenſabilia à Summo Pontifice, ſecundum ſententiam D. Thomæ *22. quæſt. 88. articul. 11.* Ergo neque per viam diſpenſationis, neque per viam commutationis videtur manere abſolutus à talibus votis prius emiſſis.

Reſpondeo dicendum, quod licet huiuſmodi religioſus ſic tranſlatus maneat liber & abſolutus ab obſeruantia legum & conſtitutionum ac ceremoniarum religionis à qua: hoc enim operatur in illo tranſitus ad alteram religionem factus de licentia, aut etiam cum priuilegio & diſpenſatione ſuperioris, non tamen manet abſolutus à prioribus votis ſolemnibus: eò quòd dum ſecundam profeſſionem cum tribus votis emittit in Religione ad quam, priora vota repetit & confirmat. Etenim cum ſint de eiſdem obiectis & materijs, ſcilicet de paupertate, & perpetua continentia ſeruanda, atque de obedientia exhibenda vſque ad mortem ſuperioribus: procul dubio non ſunt diſtincta, ſed eadem repetita & confirmata. Niſi malueris dicere priora vota commutari in poſteriora, tanquam in materiam magis perfectam; aut ſaltem magis expedientem tali ſubiecto ex diſpenſatione, vt contingit in tranſitu ad laxiorem. Tunc enim poteris dicere talem religioſum manere quidem per viam commutationis abſolutum à prioribus votis formaliter, ſed non virtualiter: quia manet adſtrictus alijs tribus votis in quæ priora fuerunt commutata, & in quibus virtualiter continentur. Quod eſt idem atque ſi dicas illum manere adſtrictum tribus prioribus votis: non quidem eiſdem numero & materialiter, ſed eiſdem formaliter & ſecundum ſpeciem conſideratis.

8 Difficultas Secunda eſt, † *Quiſnam ſuperior poteſt concedere religioſo facultatem tranſeundi ad religionem laxiorem cum iuſta Cauſa?*

Ratio dubitandi ſumitur ex verbis relatis Concilij Tridentini *vbi ſupra*: *Nemo regularis cuiuſcumque facultatis, vigoris &c.* In quibus videtur Concilium negare poteſtatem concedendi huiuſmodi facultates omnibus & quibuſcumque ſuperioribus. Sed hoc non obſtante dicendum eſt vltra ſummum Pontificem, de cuius authoritate nemini eſt dubitandum, poſſe Generalem cuiuſcumque religionis concedere ſuis ſubditis huiuſmodi facultatem tranſeundi ad laxiorem religionem cum iuſta cauſa. Quam reſponſionem tenet & probat Nauarrus *in lib. 3. conſiliorum, titulo de regularibus, conſilio 56. & in commento 4. ſuper cap. ſtatuimus ſupra* citato, ſequutus Innocentium, Hoſtienſem, & Panormitanum *in cap. non eſt de regularibus*: eò quòd huiuſmodi poteſtas nullo iure antiquo communi aut ſpeciali, tollitur ſuperioribus Generalibus ordinum, imo eis conceditur *in dicto cap. ſtatuimus.* Sed neque iure nouo Concilj eis denegatur per verba recenſita, quia non fuit mens Concilij tollere aut prohibere facultates iuridicas, conceſſas à Generalibus, ſed illas dumtaxat quæ legitimè non fiunt: quales ſunt quæ ſine iuſta cauſa, & ſine conſenſu conuentus, & ſine ipſius cauſæ præmiſſa cognitione ab aliquibus Prælatis fieri ſolebant. Huiuſmodi enim licentias ſiue facultates prohibet & annullat Sacrum Concilium: conceſſas inquam vel concedendas à Prælatis
9 religionum. Quid ſi à † Papa ſine iuſta cauſa concedatur huiuſmodi facultas alicui religioſo tranſeundi ad laxiorem religionem? Reſpondeo cum eodem Nauarrò *vbi ſupra*: validam quidem fore, ſed non ſine peccato in foro interiori coram Deo. In quo valde poteſtas ſummi Pontificis, à poteſtate aliorum Prælatorum, quoad effectum concedendi huiuſmodi licentias, diſcriminatur; quod conceſſæ ab iſtis ſine iuſta cauſa in neutro foro ſunt validæ, neque aliquem effectum ſortiuntur, & religioſus virtute talis licentiæ tranſlatus, poteſt repeti à religione priori, & ad illam tenetur redire: conceſſæ autem à Summo Pontifice ſine iuſta cauſa de plenitudine poteſtatis ipſius, licet ſine peccato non fiant: validæ tamen ſunt & ſortiuntur effectum, ſaltem in foro exteriori.

Difficultas Tertia quæ ſe offert, eſt; *An* † 10 *Religioſus cuiuſlibet religionis poſſit cum licentia petita, ad quamcumque ſtrictiorem tranſire.* Ad quam reſpondeo affirmatiuè, poſſe quidem tranſire attento iure communi: niſi aliquod priuilegium ſpeciale obſtet, vel religionis à qua, vel religionis ad quam. De quo iterum ſermo redibit inferius. Quarta eſt. *Per quid Religio aliqua in ratione ſtrictioris vel perfectioris conſtituatur: aut per quid dignoſcemus aliquam religionem eſſe alijs ſtrictiorem, vt ad illam legitimè poſſit ab alijs fieri tranſitus?* Sed huic commodius inferius ſatisfaciemus. Nunc autem ad explicationem tertij impedimenti tranſeamus. Quod quidem eſt † conditio ſeruitu- 11
tis: de quo etiam ius ſtatuit impedire religionis ingreſſum & irritam facere profeſſionem; vt *in Decretis* habetur *cap. ſi ſeruus & cap. gener diſt. 54.* Siue enim ſeruitus ſit ſcita à Conuentu & Prælatis illius, ſiue ignorata, reddit inualidam profeſſionem. Ignorata quidem: eò quòd talis ignorantia cauſat inuoluntarium in ipſo Conuentu recipiente ad profeſſionem: & talis error eſt in perſonam, quia ſemper Conuentus exiſtimat ſe recipere ad profeſſionem perſonam liberam, & ſoli perſonæ liberæ vult illam dare, quæ proinde inualida eſt, quantumvis fiat à volente profiteri: niſi etiam fiat à volente illam dare, vel ad illam recipere profitentem. Scita verò etiam irritat profeſſionem: tum ob eandem rationem, quia debet fieri in manibus eius, qui legitimè & iuridicè poſſit & velit recipere profitentem ad religionem, & illum religioni incorporare (id enim poſſumus quod iure poſſumus) vt colligitur *ex cap. ad Apoſtolicam 12. quæſt. 1.* & *ex cap. porrectum de religioſis domibus*: & communiter notant ibi Iuris Canonici profeſſores cum Cardinali, & Panormitano. Prælatus autem Conuentus neque iuridicè poteſt, neque vult recipere ad profeſſionem perſonam non liberam, & quæ non ſit ſui iuris &c. Vnde ſicut profeſſio redditur inualida ex defectu voluntatis & conſenſus ipſius profitentis; ita & ex defectu legitimæ poteſtatis aut voluntatis recipientis ad profeſſionem: vtrimque enim ad valorem profeſſionis & trium votorum ſolemnium requiritur legitima poteſtas & voluntas libera Iuri conformis: quia eſt quidam contractus inter vnam & alteram partem celebratus; ac proinde ex defectu alterius redditur inualidus. Tum etiam, quia nemo dat quod non habet: iuxta regulam Iuris vtriuſq; ſcilicet Canonici & Cæſarei traditā *in c. quod autē de iure Patronatus*: & *in lege ſi vniuersè Cod. de legib.* Sed ſeruus nō habet dominium ſuæ perſonæ: igitur neq; illam poteſt per profeſſionē dare religioni. Tūc vltra: Sed profeſſio cū ſolēnium trium votorum emiſſione eſt quædā traditiò perſonæ profitentis, facta ipſi Religioni

in

in quâ profitetur. Igitur professio serui etiam scita, sicut est nulla traditio, id est nullius personæ traditio: ita & est nulla professio.

12 Dices, licet † matrimonium carnale liberi cum serua, ignorata seruitute sit nullum, quia conditio seruitutis est vnum ex impedimentis dirimentibus matrimonium, eò quòd est error in personam, quod ignoratur, & causat inuoluntarium simpliciter in contrahente ignorante: verumtamen quando talis conditio seruitutis est scita, valet matrimonium. Ergo similiter licet seruitus profitentis in aliqua religione ignorata, irritet eius professionem: secus autem scita. Probatur consequentia à paritate rationis & analoga proportione, quæ inter carnale & spirituale matrimonium, quale contrahitur per professionem, debet reperiri. Huic obiectioni respondet Petrus de Ledesma *in dicto cap. 5. 2. partis summæ de statu religionis, difficultate* 1. admisso antecedenti negando consequentiam: eò quòd in matrimonio carnali non fit totalis traditio personæ coniugis alteri, nisi tantùm quoad vsum matrimonij: & ideo valet tale matrimonium liberi cum serua, cognita eius conditione seruitutis; quia quamuis maneat sub dominio sui Domini quantum ad personam, potest nihilominus habere vsum matrimonij. In matrimonio autem spirituali professionis fit totalis traditio personæ: & ideo seruus etiam cognita eius seruitute à monasterio non potest validè profiteri: sicut neque emancipari à dominio sui Domini, & transire totaliter in dominium alterius. Quæ ratio disparitatis præbuit Ecclesiæ & Iuri canonico sufficiens fundamentum, vt vnum, & non alterum matrimonium irritaret: alioquin posset Ecclesia pariter vtrumque validum facere: sed iustè noluit propter dictam rationem. Vnde in dicto casu Dominus serui potest illum repetere, & Conuentus præterquam quod grauiter peccabit in recipiendo illum, cognita seruitute, ad professionem, tenetur illum Domino restituere ante vllam aliam probationem, aut iudicis sententiam: in quo à primo casu, quo ignorata seruitute reciperetur, iste secundus discriminatur. Et ipse seruus tenetur in vtroque foro ad suum Dominum redire. Si autem Dominus consentiat & liberè eum relinquat, tunc poterit primam professionem reualidare & ratam facere, &c.

Deinde Quartum impedimentum quod Iu-
13 ra etiam statuunt, est † infirmitas grauis & incurabilis, quæ potest esse duplicis generis: nimirum aut incompatibilis cum obseruantia votorum solemnium, & de hac nemini dubium est, quin sit impedimentum non solùm impediens, sed etiam dirimens professionem; si tamen ipsam antecedat. Nam si talis aut quæcumque alia infirmitas grauis & incurabilis superueniat religioso post emissam professionem, non eam irritat, neque eiiciendus est extra monasterium, sed in illo & eius expensis quantum fieri potest est alendus & curandus. Aut incompatibilis tantùm cum obseruantia regulæ, legum, ceremoniarum & constitutionum talis religionis: & hæc potest contingere dupliciter. Aut enim soli patienti nocet, vt sunt podagra, & quæ vulgo dicitur fractura, & similes ægritudines habituales & incurabiles, quæ reddunt patientem inhabilem ad obseruantiam regulæ & legum, cuiuscumque religionis approbatæ; sed absque contagio & periculo inficiendi alios: aut est contagiosa, vt lepra & pestis, & morbus Gallicus non leuis, aut qui vulgo dicitur à Medicis Primæ classis, sed grauis, & secundæ vel tertiæ classis valde iam in membris corporis radicatus: quæ ægritudines reddunt patientem etiam inhabilem ad viuendum intra septa monasterij, & in consortio aliorum, etiamsi aliàs non sint adeò impediti ad regulæ & constitutionum obseruantiam qualemcumque. De quibus non est ita certum iudicium inter Doctores: de quibus proinde statim examen faciemus. Quintum denique impedimentum etiam iure communi introductum, † est implicatio ratiociniorum, & obli- 14
gatio debitorum, ratione cuius redduntur etiam homines inhabiles ad ingressum religionis: vt ait Gregorius *in Registro tit. 7. epistola* 11. & refertur *in Decretis, canone legem d. 53.* nimirum quod rationibus publicis obligati, quando petunt monasterium, nullo modo suscipiendi sunt, nisi prius à negotiis publicis fuerint absoluti. Quæ verba perpendens D. Thomas 2. 2. *q. vltima, art. 6. ad* 3. sic distinguit. Aut ille sic implicatus, est obligatus ad aliquod debitum certum, & tunc facultate existente vt satisfaciat vel soluat, non potest hac obligatione prætermissa religionem ingredi: aut est obligatus ad aliquod certum debitum, sed non habet vnde restituat aut satisfaciat, & tunc tenetur prius facere quod potest, vt scilicet cedat bonis suis creditori, & ita liberè potest ingredi religionem: quia propter pecuniam persona hominis libera non obligatur secundum Iura ciuilia, sed solùm res, vtpote quia persona libera superat omnem æstimationem pecuniæ. Vnde licitè potest exhibitis rebus suis religionem intrare, neque tenetur in seculo remanere, vt procuret vnde debitum reddat, eò quòd tunc, vt benè notat Ledesma *vbi supra difficultate* 5. iam non facit huiusmodi debitor impotens soluere, iniuriam creditoribus suis. Quid si debitum non sit pecuniæ, sed ponendi, vel dandi rationem aliquam, & satisfaciendi alicui ratiocinio? Respondet noster Bandellus *dist. 1. constitutionum cap. 13.* quod si huiusmodi ratiocinium sit debitum, hoc est ex debito dandum vel reddendum Reipublicæ, tunc non potest ingredi religionem, neque ad illam admitti, antequam ab huiusmodi debito absoluatur. Hoc enim significat Gregorius *vbi supra* dicens: specialiter obligatos rationibus publicis non esse recipiendos à monasterio, nisi prius à negotiis publicis fuerint absoluti. Et idem ait Bandellus, de illo qui debet pecuniam Reipublicæ; secus autem de illis, qui debent personis priuatis & particularibus, & quidem quantum ad debitum rationis ponendæ, bene dicit: quia etiam D. Thomas *in dicta solutione ad* 3. fatetur, quod si aliquis est obligatus vt alicui rationem ponat, vel vt certum debitum reddat, non potest hoc licitè prætermittere vt religionem ingrediatur, sed hoc non solùm respectu Reipublicæ, sed etiam respectu priuatæ personæ, cui ratio est reddenda, verum habet: nam respectu huius debiti semper est facultas in debitore, maximè autem rationes publicæ obligant in hac parte, & ideo à Gregorio specialiter notantur, à quo tamen aliæ non excluduntur. Quantum au-

tem ad debitum pecuniæ, non probamus diſtinctionem Bandelli, quia D. Th. *vbi ſupr.* abſolutè & ſine vlla diſtinctione dicit, quod propter pecuniam non obligatur perſona hominis liberi, neque tenetur in ſeculo remanere, vt procuret vnde debitum reddat. Quibus ſic prænotatis & declaratis impedimentis, reſtat ſoluere nonnulla dubia; quæ circa illa ſpecialiter à Theologis & Iuriſtis controuertuntur.

DVBIVM II.

Vtrum profeſſio coniugis, cuius vxor fuit adultera, ſit valida: & an vt ſit valida, debeat coniux relictus ingredi quoque religionem?

SVMMARIVM.

15 *Referuntur duo caſus, in quibus Profeſſio Coniugis valet.*

16 *Conſenſus coniugis etiam vouentis continentiam ſi eſt iuuenis & ſuſpectus de fornicatione, licet non ſufficiat, vt alter Coniux rectè & iuſtè ingrediatur Religionem; ſi tamen recipitur & profitetur, valet profeſſio, & factum tenet, &c.*

17 *Vxore adulterata, coniux innocens licitè poteſt intrare monaſterium & profiteri, abſque conſenſu illius.*

18 *Religio Carthuſianorum eſt omnibus ſtrictior propter tria; adeoque ad eam de iure communi ex omnibus aliis Religionibus poteſt tranſiri.*

19 *Conditiones ſufficientes & requiſitæ, vt tranſitus de vna Religione in aliam licitè & validè fiat.*

20 *Reſpondetur obiectionibus quibuſdam huic doctrinæ contrariis.*

21 *Encomium Ordinis Prædicatorum.*

22 *Ordinis Prædicatorum principaliſſimus finis eſt animarum ſalus.*

23 *Innocentius III. facultatem dedit vnicuique Regulari, non obſtante quouis priuilegio, tranſeundi ad ſtrictiorem regulam, petita tamen, licet non obtenta licentia.*

24 *Priuilegia de tranſitu in laxiorem religionem ante Pium V. conceſſa, poſtea ſunt abrogata.*

25 *An Profeſſio emiſſa à laborante morbis incurabilibus vel contagioſis, tacito illo, ſit valida?*

26 *Circa valorem profeſſionis eius, qua tacita tali infirmitate profitetur, Authores in duas ſententias diuiduntur.*

27 *Omnes authores præter Gerſon & Ledeſma affirmant dictam profeſſionem eſſe validam attento iure communi, niſi Religio habeat ſtatutum Pontificium, &c.*

28 *Sententia vtriuſque partis probabilis eſt, & probabilibus innititur fundamentis, & principiis iuri conformibus.*

29 *Reſpondetur argumentis pro negatiua parte adductis.*

30 *Hermaphroditam ſemel profeſſum, non eſt conſuetum apud Religioſos, expellere à Religione ob culpam taciti defectus.*

31 *Prælatus immediatus & Ordinarius habet poteſtatem iure communi iudicandi & puniendi defectus tam Profeſſorum, quàm Nouiciorum contra ſtatuta Regularia.*

32 *Secus verò ſi cognitio cauſæ ordinetur ad expulſionem a Religione, Iudicio Iudicis ordinarij, vel Nuncij Apoſtolici ſtandum eſt.*

AD Primam partem huius dubij reſpondeo cum Nauarro *tit. 3. conſiliorum, tit. de regularibus*, & Petro de Ledeſma *vbi ſupra, difficultate 2.* valere quidem † profeſſionem coniugis 15
in duobus caſibus: nimirum & quando alter manens in ſeculo commiſit adulterium publicè, à quo iuridicè ſeu per ſententiam Iudicis Eccleſiaſtici fuit ſeparatus coniux ille, qui ingreditur religionem, etiam inuito & nolente adultero. Necnon quando de licentia alterius ingreditur religionem. Et quidem de primo caſu probatur *ex cap. Agathoſa 27. q. 2.* in quo decernitur virum poſſe profiteri religionem nolente vxore quæ fornicata eſt: præſertim publicè, vt Gloſſa ibi annotauit. Cuius ratio eſt, quia tunc coniux adulter amiſit ius petendi debitum, & dominium circa corpus alterius, & conſequenter amiſit etiam ius repetendi coniugem profeſſum in religione: quia neque poſſeſſorio, neque petitorio iure poteſt agere ad reſtitutionem ſic profeſſi *ex cap. ſignificaſti de diuortiis*, ita vt præfatus vir perinde quoad hoc eſt reputandus, ac ſi per mortem ſuæ vxoris eſſet ſolutus vinculo matrimonij: eò quòd adulterium quantum ad hoc cenſetur mors ciuilis coniugis adulterantis. Similiter in ſecundo caſu, quando vir de licentia vxoris, aut contra vxor de licentia viri petit religionem, etiam validè profitetur: quia per huiuſmodi conſenſum liberum coniux ingrediens religionem, manet ſolutus ab obligatione matrimonij, nullámque facit iniuriam alteri conſorti: eò quòd ſcienti & conſentienti nulla fit iniuria. Quid ſi in primo caſu adulterium fuit occultum, vel non deductum ad forum contentioſum: & cum illius priuata notitia vir ingreditur religionem & in illa profitetur, tacito matrimonio cui erat alligatus? (nam ſi illud exprimat, ſuppono quod Conuentus neque poteſt licitè, neq; debet eum recipere, donec probetur adulterium, & ob illius cauſam per ſententiam ſeparetur à coniuge adultero.) Reſpondeo tunc valere quidem in foro conſcientiæ dictam profeſſionem: Verumtamen dictum coniugem ſic profeſſum poſſe repeti in foro exteriori ab vxore adultera, & ſic repetitum Iudex Eccleſiaſticus in eodem foro, niſi adulterium probetur, per ſententiam iubebit eum reſtitui vxori: quia talis ſententia in foro externo procedit ex præſumptione innocentiæ vxoris, cum qua ſtat, quod à parte rei & in foro interno vxor non ſit innocens: datur tamen coniugi innocenti exceptio adulterij aduerſus adulterantem, vt habet latè Nauarrus *tit. de conuerſione coniugatorum eiuſdem libri 3. conſil. 5. & 6.*

Ad Secundam verò partem reſpondeo cum eodem Nauarro *in dicto lib. 3. conſiliorum, titulo de conuerſione coniugatorum, conſilio 5.* quod † licet conſenſus coniugis etiam vouen- 16
tis continentiam, ſi eſt iuuenis, & ſuſpectus de fornicatione,

fornicatione, non sufficiat, vt alter coniux rectè & iustè ingrediatur religionem, antequam coniux consentiens similiter eam ingrediatur: si tamen recipitur de facto & profitetur, valet professio, & factum tenet: & ita non debet extrahi à religione, sed coniux manens in seculo debet per iudicem Ecclesiasticum cogi ad complendum votum continentiæ, & ad intrandum religionem, vel saltem ad habitandum intra aliquod monasterium. Cuius ratio est, quia de substantia professionis coniugis vnius, non est professio alterius, sed tantùm consensus ipsius cum voto continentiæ, si non est suspectus de fornicatione: aut si est suspectus, etiam cum voto religionis iuxta sententiam communiter receptam à Iuristis, & efficaciter comprobatam ex quatuor capitibus Iuris Canonici: nimirum ex *cap. cum sis*, superius allegato, *de conuersione coniugatorum* & *cap. vxoratus*. Et *cap. ad Apostolicam*, & *cap. significauit, eodem titulo*. Igitur ad hoc vt iustè & ritè vnus coniux de consensu alterius ingrediatur religionem, & profiteatur in illa, de consensu alterius, requiritur vltra talem consensum, quod & alter ingrediatur similiter religionem, si iuuenis sit & suspectus de fornicatione: aut si adeò senex vel infirmus sit, vt non sit de fornicatione suspectus, sufficit & requiritur quod maneat in seculo, emisso voto continentiæ, provt in prædictis capitulis Iuris decernitur: non tamen huiusmodi conditio requiritur ad valorem professionis: ita vt si emittatur professio ab huiusmodi coniuge petente religionem, de consensu alterius manentis in seculo etiam iuuenis, & volentis in illo permanere cum solo voto continentiæ, habenda sit pro infecta: multa enim fiunt, quæ licet rite non fiant, facta tamen valent: cuiusmodi est talis professio. Quod amplius confirmatur exemplo adducto à Nauarro *vbi supra*, & desumpto ex *dicto cap. ad Apostolicam*, & *cap. significauit*: vbi pariter decernitur maritum non debere ordinari ordine Sacro, etiam de consensu vxoris iuuenis vouentis castitatem, nisi simul mutet vitam & ingrediatur religionem: nihilominus si talis maritus de facto initietur ordine Sacro ab Episcopo, antequam eius vxor intret religionem: licet ordinatio non fiat rite, tamen facta tenet, & sic ordinatus potest vti ordine accepto: sed eius vxor debet tunc compelli ab Episcopo, vt votum adimpleat, quod emisit, scilicet seruandi castitatem & religionem intrandi.

Dixi quando coniux ingreditur religionem
17 de consensu alterius. Nam † quando adulterata est: iam diximus, quod tunc coniux innocens potest rite & validè absque illius consensu & licentia intrare monasterium & profiteri ex dicto *cap. Agathosa*, eâ firmâ ratione, quod per adulterium coniugis liberatur alter innocens ab omni seruitute, quam illi debet ratione matrimonij: authoritate Euangelij *Mathæi* 5. & *Lucæ* 16. relata *in cap. dixit Dominus* 31. *quæst.* 2. tum etiam authoritate ipsius Iuris Canonici, sine vlla Iudicis sententia saltem, quoad forum conscientiæ: & etiam quoad forum externum, si adulterium est manifestum, siue notorium notorietate facti, vel per Iudicis sententiam, vt colligitur ex *dicto cap. significasti de diuortiis*, & probat idem Nauarrus *in dicto consilio* 5. *circa finem*, & *in manuali Confessorum cap.* 22. *num.* 21. & duobus sequentibus: & *consilio* 6. *eiusdem tituli de conuersione coniugatorum*. Ac proinde parum refert ad rite & validè professionem emittendam coniugis innocentis, quod adulter maneat vel non maneat in seculo; consentiat, vel non consentiat: neque enim in hoc casu procedit dispositio dictorum quatuor capitulorum Iuris, nisi tantùm in alio casu, quo vnus coniux de licentia & consensu alterius etiam innocentis, & non interueniente causa adulterij, ingreditur religionem & in illa profitetur.

Circa secundum impedimentum dubitatur Secundò, quæ sint religiones ad quas de iure communi vtpote strictiores possit fieri transitus? rursus quæ conditiones requirantur vt licitè fiat talis transitus. Rursus quæ priuilegia obstent iuri communi: & Quartò quid iudicandum de translato ad laxiorem religionem secundum Bullam Pij V.? Ad quorum singula eodem ordine est respondendum. Igitur ad primum quæsitum in hoc dubio respondetur cum Nauarro *in dicto lib.* 3. *consiliorum tit. de regularibus, consilio* 10. vbi † religionem Carthu- 18
sianorum esse omnibus strictiorem ait: tum ratione silentij perpetui; tum etiam quia in nullo casu etiam infirmitatis permittit vsum carnium. Tum ratione clausuræ, quæ est apud ipsos quidam carcer perpetuus: ad quam proinde ex omnibus alijs religionibus de iure communi potest fieri transitus. Neque obstat quod Iulius II. in quadam Bulla asserit ordinem Minimorum esse alijs omnibus arctiorem, propter quartum votum de non vtendo vnquam nisi cibis quadragesimalibus extra statum ægritudinis: eò quòd tantùm facit comparationem ad alios ordines mendicantes, vt patet ex eius contextu, de quorum numero non est ordo Carthusianorum, cum quo proinde noluit facere comparationem. Sed neque illum oportuit exprimere, aut excipere, vtpote qui notabiliter mendicantes excedit vitæ austeritate: & ea quæ notabiliter excedunt alia, non videntur generali sermone comprehendi, nisi specialiter notentur: ex *lege item apud ff. de iniurijs &c.* & *consilio* 57. & 63. *eiusdem tituli:* Vbi ait, quod facultas siue licentia, vt Religiosus alicuius religionis non mendicantis transeat ad aliquam mendicantem, non est contra ius, sed conformis iuri; eò quòd mendicantes sunt strictiores non mendicantibus, ad quas proinde ex illis legitimè potest fieri transitus secundum ius: contra verò contra ius commune fit transitus de mendicante in non mendicantem, & sic translatus incurrit pœnas statutas *in Clementina* 1. *de regularibus*. Vnde concludit, quod si aliquis Religiosus ordinis de Mercede, transeat ad alium ordinem non mendicantem, incurret dictas pœnas Clementinæ, si eius ordo à principio fundationis fuit ita creatus, vt esset vnus de mendicantibus; hoc est, si fuit institutus à principio cum omnimoda paupertate excludente proprium, tam in communi, quàm in particulari: vel si huic paupertati adstrictus fuit per constitutiones Papales vel à Papa confirmatas. Alioquin si dictus ordo de Mercede non fuit sic creatus in numero mendicantium, rite & rectè potest fieri talis transitus cum debitis conditionibus, quin religiosus sic translatus incurrat pœ-

nas inhabilitatis ſtatutas in dicta *Clementina* 1. quæ ſolis mendicantibus tranſlatis ad religionem non mendicantem pœnas infligit : & tandem *in conſilio* 68. *eiuſdem tituli*, vbi eandem doctrinam confirmat ex Extrauaganti *viam, de regularibus* ; quæ expreſsè decernit omnes religioſos mendicantes ſine vlla exceptione poſſe de iure tranſire ad Carthuſianos. Ex quibus liquidò conſtat hæc concluſio: nimirum quod de iure communi, Carthuſianorum religio eſt cæteris ſtrictior : ad quam proinde ex quacumque alia religione ſiue monachali, ſiue mendicante, poteſt licitè fieri tranſitus, ſeruatis debitis conditionibus.

Deinde quod ſecundum locum tenent mendicantes, ad quos de quacumque alia religione de iure poteſt fieri tranſitus: & non è conuerſo. Ad ſecundum autem quæſitum iam conſtat ex
19 ſuperius dictis; † conditiones ſufficientes & requiſitas ad hoc, vt de vna religione in alteram fiat ſecundum ius licitè & validè tranſitus, eſſe plures; nimirum quod religio ad quam, ſit ſtrictior ſine vlla dubietate. Et quod Religioſus tranſiturus petat licentiam à ſuo Prælato, quam & ipſe Prælatus tenetur illi concedere; quod ſi illam deneget, ſufficit licentia petita, licet non obtenta : de quibus poteſt videri Syluester *in ſumma*, verbo *Religio*, 4. *q.* 2. vbi omnes conditiones requiſitas ad huiuſmodi tranſitum refert, quæ tamen ad prædictas reducuntur.

20 Sed huic doctrinæ † obſtat Primò : quod idem Syluester refert *vbi ſupra q.* 6. Pariſiis fuiſſe determinatum, poſſe Carthuſianum tranſire ad Prædicatores ſeruantes ad vnguem regulam ſuam : quam determinationem referens Nauarrus *in dicto conſilio* 68. minimè reprobat. Obſtat Secundò, quod Carthuſianus in nullo caſu, ad nullam aliam religionem etiam mendicantium poſſit cum licentia ſui Prælati tranſire : quod videtur inconueniens. Vnde & idem Nauarrus *in dicto conſilio* 68. concludit, Carthuſianum ad Minores, ſiue ad Prædicatores poſſe tranſire ex cauſa rationabili, ſcilicet melius ſeruiendi Deo: dummodo ceſſet ſcandalum & infamia prioris religionis, & non timeatur lis inter præfatas religiones ſuper huiuſmodi tranſitum. Ab hiis tamen obiectionibus vindicatur noſtra concluſio. Ad primam quidem reſpondetur, determinationē illam Pariſiis habitam non fuiſſe Pontificiam, ac proinde non derogare prædictæ extrauaganti; qua præfertur religio Carthuſianorum cæteris mendicantibus in auſteritate, ac proinde ab iſtis ad illam poſſe fieri tranſitum, attento iure communi. Quia tamen religiones in aliquibus auſteritatibus ſe inuicem excedunt, poteſt fieri vt illa quæ eſt ſtrictior in aliquibus obſeruantiis, in aliis ſit minus ſtricta, & excedatur ab altera religione. Et hoc fatemur contingere inter Carthuſianorum & Prædicatorum religiones, quod ſe inuicem exce-
21 dunt in aliquibus, & maximè quantum † ad perfectionem excedit Religio Prædicatorum religionem Carthuſianorum, & à fortiori omnes alias mendicantium ; per ea quæ docet D. Thomas 22. *q.* 188. *art.* 6. *in corpore* ; vbi ait ſupremum gradum in religionibus tenere illam, quæ per ſe Primò ordinatur ad docendum & prædicandum, quia per hoc fit magis propinqua perfectioni Epiſcoporum : ſicut & in aliis rebus fines primorum coniunguntur principiis ſecundorum, teſte Dionyſio *cap.* 7. *de diuinis nominibus*. Et *in ſolutione ad* 3. ſubdit, quod non eſt aliqua religio tantò perfectior, quantò eſt arctior cæteris : eò quòd arctitudo & auſteritas obſeruantiarum, non eſt illud quod præcipuè in religione commendatur, vt Beatus Antonius dicit; & *Eſaiæ* 58. dicitur : *Nunquid tale eſt ieiunium quod elegi, per diem affligere hominem animam ſuam ?* Aſſumitur tamen in religione vt neceſſaria ad carnis macerationem, quæ ſi ſine diſcretione fiat, periculum deficiēdi habet annexum. Et ideo non eſt potior religio ex hoc quod habet arctiores obſeruantias, ſed ex hoc, quod ex maiori diſcretione ſunt eius obſeruantiæ ordinatæ ad finem religionis : ſicut ad continentiam efficacius ordinatur maceratio carnis per abſtinentiam cibi & potus, (quæ pertinent ad famem & ſitim) quàm per ſubtractionem veſtium (quæ pertinent ad frigus & nuditatem) & quàm per corporalem laborem. Ex quibus verbis haud obſcurè colligitur religionem Prædicatorum ſecundum perfectionem, quæ ſumitur ex fine primò & per ſe, ſecundariò autem ex exercitiis, præcellere cæteris omnibus, nulla excepta : Eò quòd † eius 22
finis eſt principaliſſimus, ſcilicet animarum ſalus, cui incumbit per opera excellentiora, ſcilicet doctrinæ & prædictionis, per quæ aliis tradit contemplata. Quod ſatis oſtendit *in prologo conſtitutionum eiuſdem*, *cap.* 2. Magiſter Fr. Petrus Martyr ; vbi probat dictam religionem quinque de cauſis cæteris antecellere, ſcilicet ratione antiquitatis, ratione perfectioris finis, ob maiorem diſcretionem, ratione maioris paupertatis, atque ob maiorem arctitudinem & aſperitatem. Et provt ibi etiam refertur, Clemens IV. cuidam militi conſulenti, quam ex duabus religionibus ſcilicet Minorum vel Prædicatorum ingrederetur : reſpondit vtrumque alterum in diuerſis exercitiis, hoc eſt in ſecundaria perfectione (nam de primaria ex parte finis non dubitauit Pontifex) alterum excedere, & ab altero inuicem excedi : & quod quamcunque elegerit, ingrederetur arctam viam quæ ducit ad vitam æternam : quia in Franciſcana eſt lectus durior & paupertas profundior; in Dominicana verò ſunt lōgiora ieiunia, & sāctior diſciplina. Ergo hæc procul dubio reliquas omnes ſuperat ſecundum primariam perfectionem, & ſecundum ſecundariam auſteritatis exercitiorum à ſola Carthuſienſi ſuperatur: cui tamen præponderant primaria illius perfectio, & opera excellentiora. Vnde ad hanc fortè excellentiam, ex vno, & præponderationem ex alio capite attendentes Doctores Pariſienſes, dixerunt Carthuſianum poſſe tranſire ad Prædicatores, ſeruantes ad vnguem regulam ſuam. Verūtamen ſine controuerſia attēto iure communi, vſu & conſuetudine, quæ eſt optima legum interpres, comprobato ex omnibus aliis religionibus, tam monachalibus, quàm mendicantibus, ad Dominicanam, & ab hac ad Carthuſienſem poteſt fieri tranſitus : ad quam experientia conſtat multos Dominicanos de facto fuiſſe tranſlatos: nullum autem Carthuſianum ad Dominicanam huc vſque, niſi fortè ex priuilegio ſpeciali, quod iuſta interueniente cauſa nemini à Summo Pontifice denegatur. In quo caſu fruſtra timet futuram litem inter has religiones Nauarrus *vbi ſupra* : quia ſemper

pro

pro Carthusiensi maneret illæsum ius commune, & per priuilegium satis consulitur particularium fragilitati. Per quod patet ad secundam obiectionem.

Ad Tertium & Quartum quæsitum simul respondendo, dico Primò. Etsi olim aliquæ Religiones, seu Congregationes siue Monasteria habuerint priuilegia, ne Religiosi aliqui ex ipsis transirent in alienam religionem, & illuc etiam sponte euntes etiam occasione arctioris vitæ absque consensu Capituli generalis, vel absque speciali Papæ dispensatione, reciperentur: Quale fertur priuilegium habuisse ab Eugenio IV. monasterium Casinense; ne scilicet ab illo etiam ad Carthusianos monachus faceret transitum. Sed tamen ista priuilegia iam
23 reuocata sunt ab † Innocentio III. *in dicto cap. licet, de regularibus*, in quo liberam facit vnicuique regulari facultatem, non obstante quouis priuilegio, transeundi ad strictiorem regulam, petita tamen licentia propter humilitatem, etsi non obtenta: ac proinde post dictam Decretalem, cuncta priuilegia prohibentia regularibus transitum in arctiorem religionem, abrogata sunt, & solùm poterit obstare iuri communi, si quid postea fuerit alicui religioni ab Apostolica Sede concessum. Sed neque in virtute illius poterit Religiosus licentia petita & non obtenta, transire in alienam religionem quantumcumque arctioris regulæ, sine speciali Papæ dispensatione facta contra dictum priuilegium. Et qui sine illa, aut aliter, quàm seruata dispensatione ipsius priuilegij translatus fuerit, potest Iuridicè repeti à sua Prima religione: & ipse in vtroque foro etiam ante Iudicis sententiam tenetur redire ad suum pristinum monasterium, & subire in illo, aut in quo Prælatus assignauerit pœnitentiam sibi iniungendam. Et similiter iudicandum est de illo, qui cessante omni tali priuilegio prohibitiuo, transit in religionem arctiorem præter ordinem iuris, id est sine licentia saltem petita & non obtenta: per ea quæ communis sententia Glossæ, Cardinalis, & Panormitani tenet *in dicto cap. licet, & cap. Mandamus* 19. q. 3. & Nauarri *in consilio 59. de regularibus*: eò quòd (ait ipse) huiusmodi religiosus grauiter peccauit exeundo à religione sine debita licentia, contra omnia antiqua iura, & contra nouum Concilij Tridentini *sess. 25. c. 2. de regularibus*, per quæ manet solutum Tertium quæsitum.

Dico Secundò quantum attinet ad transitum in laxiorem religionem, etiam fuerunt ante
24 † Pium V. in nonnullis religionibus siue Congregationibus priuilegia, vt ab illis possent Religiosi transire in alienam religionem etiam laxiorem, seruatis seruandis aliquibus conditionibus, & fortè etiam huiusmodi priuilegia concessa fuerunt alicui ex quatuor ordinibus mendicantibus, ad transitum faciendum in non mendicantes, ante Clementinam 1. *de regularibus*. Sed cuncta ista priuilegia abolita & abrogata sunt. Nam dicta Clementina ob hanc causam, prohibet de cætero mendicantibus ordinibus huiusmodi transitum in non mendicantem sub grauibus pœnis, & maximè sub pœna inhabilitatis ad officia & beneficia obtinenda in religione ad quam, ipso facto incurrenda. Vbi nomine mendicantium ordinum solùm intelliguntur quatuor ordines mendicantes de iure. Nam cum dicta Clementina sit pœnalis, strictè est accipienda: ac proinde non est extendenda ad Ordines non mendicantes de iure, licet sint mẽdicantes ex priuilegio, vt rectè adnotat ibi Ioannes Imola, & Nauarr. *consil. 57. de regularibus*, licet sibi minus constans sit *in consilio 63. eiusdem tituli*. Deinde nomine non mendicantis, ad quem prohibetur transitus veniunt intelligendi omnes alij Ordines, excepto Carthusiensi, ad quem de iure communi dictum est posse fieri transitum à quocumque alio etiam mendicante. Et postea Pius V. in quadam Bulla extrauagante zelo religionis feruens, reuocauit omnia priuilegia & facultates recipiendi monachos aliarum religionum præter ordinem Iuris (quale priuilegium dicitur fuisse concessum ordini de Mercede, in fauorem quæ voti redemptionis) & iubet religiosos sic translatos & receptos in alienis Ordinibus, (intellige virtute dumtaxat dictorum priuilegiorum) ad pristinos redire. Quare ista Bulla solùm comprehendit religiosos translatos in laxiorem religionem, qua fuere translati propter ordinem iuris: & non quoscumque sed illos tantùm, qui virtute talium priuilegiorum translati fuerunt. Nam si quis Religiosus translatus fuisset non solùm virtute alicuius ex dictis priuilegiis; sed iusta de causa, obtenta licentia à suo Generali: vel per iudicum sententiam & cum causæ cognitione permaneat in aliena religione, non cõprehenditur in præfata Bulla, sicut neque comprehenduntur illi, qui per Bullam Pij IV. iussi sunt permanere in alienis religionibus, ad quas fuerant translati. Nam Pius IV. in sua Bulla, affectu obuiandi litibus, & consulendi plurium religiosorum sic translatorum quieti, disposuit, vt in casu quo religiosi sic translati ad alienum ordinem, non possent commodè reduci ad pristinum: Iudices ordinarij aut delegati arbitrarentur eis aliquod remedium opportunum, vt in propria facti specie benè notat Nauarrus *consilio 72. de regularibus*. Ac tandem vt obstruatur omnino os loquentium iniqua, & funditus hæc priuilegia transeundi ad laxiores religiones labefactarentur, nouissimè Concilium Tridentinum, *sess. 25. cap. 19. de regularibus*, statuit, prohibendo sub hac forma. *Nemo regularium cuiuscumque facultatis vigore transferatur ad laxiorem religionem, &c.* Quo statuto prohiberi tantùm illas licentias & facultates, quæ concedebantur à quibusdam Prælatis, virtute alicuius ex dictis priuilegiis: vel temerè sine iusta causa & sine causæ cognitione præmissa, & consensu monasterij: secus alias iuridicè factas, & cum debitis conditionibus seruatis, iam diximus superius cum Nauarro *consilio 57. de regularibus & in commento super cap. statuimus* 19. q. 3. Ex quo hoc notamen haud obscurè colligitur, per quod manet solutum Quartum quæsitum.

Circa quartum impedimentum, dubitatur Tertiò; An † professio emissa à laborante aliquo 25
ex prædictis morbis incurabilibus, vel contagiosis, tacito illo, sit valida? In hoc dubio omnes Doctores conueniunt Primò in eo, quod dicta professio sit nulla, si infirmitas sit incompatibilis cum obseruantia solemnium votorum, siue sit tacita, siue declarata Conuentui: eò quòd talis infirmitas contrariatur statui religionis in substantialibus & essentialibus, &

alias

aliàs huiuſmodi infirmus vouendo obligatur ad impletionem : & per conſequens nulla eſt votorum obligatio, quia nemo poteſt obligari ad impoſſibile. Conueniunt Secundò in eo, quod petens habitum religionis alicuius, aut emittens profeſſionem in illa, cum aliqua infirmitate incompatibili cum obſeruantia regulæ & conſtitutionum illius (nedum cum obſeruantia votorum) tacitâ, peccat mortaliter contra iuſtitiam, quia iniuriam facit Conuentui & Religioni : eò quòd legitime ibi interrogatus à Prælato nomine totius Conuentus, vtrum habeat aliquod ex quinque recenſitis impedimentis, tenetur ex iuſtitia & charitate manifeſtare veritatem : vnde mortaliter peccat contra has virtutes, quodcumque horum impedimentorum tacendo & occultando. Similiter peccant Religioſi recipientes eum cognita tali infirmitate qua laborat, quia faciunt contra Summorum Pontificum decreta : & aliàs iniuriam irrogant Conuentui ac Religioni. In quibus aſſertis conueniunt Gerſon. 2. *p. Alphabeto* 34. *littera S.* Nauarrus *lib.* 3. *conſiliorum tit. de regularibus conſilio* 25. Ledeſma *in dicto tractatu de ſtatu religionis* 2. *p. ſummæ cap.* 6. *difficultate* 4. circa quartam conditionem. Rodericus *in* 2. *p. ſummæ cap.* 6. *concluſione* 2. *&* 3. *& tomo* 3. *quæſtionum regularium, q.* 17. *art.* 9. Sanchez 3. *p. ſummæ lib.* 5. *cap.* 4. *à numero* 52. Suarius *tomo* 3. *de religione lib.* 5. *cap.* 5. *à num.* 17. *& lib.* 6. *cap.* 5. *à num.* 10. & Bonacina *tom.* 1. *tractatu de clauſura q.* 2. *punct.* 10. *difficultate* 2. §. 5.
26 *&* 6. & alij quam plures. Qui † tamen circa valorem profeſſionis eius, qui tacita tali infirmitate profitetur, diuiduntur in duas ſententias. Alij enim de quorum numero ſunt Gerſon & Ledeſma, negant huiuſmodi profeſſionem eſſe validam, propterea quod ad valorē profeſſionis non ſolùm requiritur liber conſenſus ex parte profitentis, ſed etiam, ex parte Conuentus eum recipientis ad profeſſionem, vt omnes admittunt : Sed in eo caſu Conuentus non conſenſit ob ignorantiam dictæ infirmitatis : etenim ignorantia cauſat inuoluntarium, & ſi Conuentus talis infirmitatis eſſet conſcius, reuera eum non reciperet : ergo dum ignorans recipit illum, inuoluntariè eum recipit. Quod amplius dupliciter poteſt confirmari. Tum ex regula probata à Nauarro *in dicto lib.* 3. *conſiliorum tit. de conuerſione coniugatorum, conſilio* 6. quod quoties Conuentus recipiens aliquem ad profeſſionem, ea animi intentione recipit, vt ſi confeſſus fuiſſet aliquod impedimentum, illum non reciperet, tunc profeſſio non valet : eò quòd tunc deficit conſenſus ex parte recipientis : vt ſi coniugatum aliquem dimiſſa vxore ob cauſam adulterij, tacito matrimonio, reciperent ad profeſſionem ea mente, quod ſi confeſſus fuiſſet ſe coniugatum eſſe cum illa, quam iuſtè dimiſerat, eum non recepiſſent Religioſi ; talis profeſſio non valeret ob defectum ſolius conſenſus, vt *ibi* fatetur Nauarrus. Sed etiam in noſtro caſu militat hæc regula : quia Religioſi Conuentus ſi ſcirēt, quod petens profeſſionem laborabat tali infirmitate, eum non recepiſſent ad profeſſionem : ergo talis profeſſio ob defectum liberi conſenſus ex parte recipientium, eſt inualida. Tum etiam quia ipſe Nauarrus *in dicto conſilio* 27. fatetur, hunc ſic decipientem religionem, poſſe propter delictum tale iuſtè à Religione eiici : & quod Prælatus cognito impedimento infirmitatis, poteſt iudicialiter procedere contra ſic profeſſum, & eum expellere à religione, & priuare habitu in pœnam peccati mortalis, quod commiſit negando defectum, quem ſub pœna talis peccati tenebatur in ingreſſu confiteri. Atqui ſi profeſſio fuiſſet valida, non poſſet, neque deberet propter tale delictum eiici à religione : ergo ſignum eſt illam validam non fuiſſe. Minor probatur dupliciter : tum quia Religiones nunquam conſueuerunt propter tale delictum eiicere Religioſos ſemel profeſſos, & eos habitu priuare. Tum etiam quia de tali delicto, vtpote nondum commiſſo intra religionem, ſed in eius ingreſſu, non videtur Prælatus poſſe iudicare.

Alij vero omnes † affirmant dictam pro- 27
feſſionem eſſe validam attento iure communi: niſi religio habeat ſtatutum Pontificium, vel à Summo Pontifice confirmatum, quod annullet profeſſionem factam tacito vel negato tali morbo. Quam ſententiam probant Primò *ex cap. Poſtulaſti, de reſcriptis*, ex quo habetur, quod collatio facta criminoſo valet regulariter; provt etiam ibi tradit Felinus : ergo pariter & profeſſio collata criminoſo ob tacitum defectum valet. Secundò, quia talis defectus non eſt impedimentum dirimens ; neque enim hoc conſtat ex aliquo iure expreſſo, neque ſunt impedimenta dirimentia multiplicanda, præter illa, quæ exprimuntur in iure communi, vel particulari alicuius prouinciæ aut communitatis. Sed profeſſio quæ eſt matrimonium quoddam ſpirituale, non poteſt reddi nulla, niſi per aliquod impedimentum dirimens : ergo. Tertiò, quia quando error non eſt in perſonam, niſi tantùm in qualitatem accidentalem perſonæ, non dirimit matrimonium carnale, v. g. error ſiue ignorantia infirmitatis vel paupertatis illius, quam quis duxit in vxorem, exiſtimans ſe nubere cum ſana, vel cum diuite, non annullat matrimonium, quia eſt error in ſolam qualitatem, ſicut annullaret ignorantia perſonæ, vel conditionis ſeruitutis: vt ſi quis exiſtimat ſe nubere cum Maria, vel cum libera, quæ tamen vel eſt Ioanna, vel ſerua : quia talis error cadit in perſonam, & ideo cauſat inuoluntarium ſimpliciter in ignorante talem defectum : ergo neque ſimilis error vel ignorantia in ſolam qualitatem debet annullare ſpirituale matrimonium profeſſionis. Tunc vltra : ſed huiuſmodi error ſiue ignorantia, cum qua Conuentus recipit laborantem tali infirmitate graui & incurabili, exiſtimans illum eſſe ſanum, non cadit in perſonam, niſi in ſolam qualitatem accidentalem ſanitatis vel infirmitatis : ergo neque cauſat inuoluntarium ſimpliciter, neque tollit, quominus Conuentus abſolutè & ſimpliciter conſentiat in perſonam, licet ſi ſciret talem defectum, non conſentiret.

Hiis † itaque pro vtraque parte propoſitis, 28
ſatis redditur probabilis vtraque pars, ita vt in foro contentioſo Iudex Eccleſiaſticus pro vna & altera parte iuſtam poſſet proferre ſententiam, ſiquidem probabilis eſt ea ſententia, quæ tuta conſcientia ſequi poteſt. Et vtramque poſſet Iudex Eccleſiaſticus tutè ſequi : eò quòd vtraque probabilibus innititur fundamentis, & principiis iuri conformibus. Et ſicut ſic profi-

tenti

tenti cum huiusmodi defectu tacitè competit defensio in iudicio: ita & Conuentui sic decepto competit exceptio talis defectus, hoc est taciti morbi aduersus decipientem: quam si probet iuridicè vel facti notorietate, vel per confessionem ipsius Religiosi, vel per Medicorum concors testimonium, & ea probata petat illius expulsionem; non video cur non possit iudex Ecclesiasticus probabiliter procedens sententiam expulsionis proferre, & executioni mandare in fauorem Conuentus: aut etiam in fauorem sic professi, si ipse opponat vt actor huiusmodi exceptionem. Quibus addo *cap. vltimum de regularibus in 6.* & Glossam adiunctam; vbi decernitur, non valere professionem factã sine consensu conueniente Conuentus: qua ratione redditur probabilis satis prior sententia, quia non videtur in hoc casu conueniens fuisse consensus Conuentus: siquidem si sciuisset profitentem illo morbo laborare, non consensisset professioni. Quia tamen probabilior & praxi conformior videtur secunda sententia: propterea ad fundamẽta prioris oportet respondere.

29 Ad † primum igitur admissa maiori, nego minorem: nam licet Conuentus non consensisset, si sciret profitentem laborare tali morbo, tamen de facto & absolutè consensit eius professioni; neque talis ignorantia causauit inuoluntarium simpliciter, aut errorem in personam; nisi tantùm secundum quid & circa qualitatem vt dictum est. Ad secundum nego minorem. Nam vt idem Nauarrus ibi fatetur, de religiosis admittentibus ad professionem coniugatum cum ea vxore, quam iustè dimittebat ob causam adulterij: quem si scirent esse coniugatum non admitterent; in dubio præsumendum est eos fuisse alterius intentionis, nisi particulari aliquo statuto contrarium haberent. Quia quoad intrandam religionem paria sunt iure communi, hominem non esse coniugatum vel esse tali coniugatum, qui perinde potest intrare religionem, volente, nolente vxore, ac si non esset coniugatus: & de æquipollentibus idem est iudicandum ex *lege finali ff. manda & cap. licet ex quadam, de testibus*, ac proinde cum infirmitas de qua agimus, non sit impedimentum dirimens nisi tantùm impediens debitum ingressum religionis, præsumendum est Religiosos ea mente recepisse laborantẽ huiusmodi infirmitate; quod etiãsi eam scirent, adhuc talem personam ob alias circunstantias recepissent: sicuti & cognita tali infirmitate legitimè possent eum recipere, & tunc professio valeret, quia ex parte Conuentus fuit debitus consensus; & aliàs scienti & volenti nulla fit iniuria. Vnde non probo in hac parte sentẽtiam Ledesmæ *vbi supra*, asserentis inualidam fore professionem eius, qui cum huiusmodi morbo etiã expresso & declarato profitetur. Vel potest negari maior: eò quòd regula illa nõ est in vniuersum vera, & deficit in nostro casu. Alioquin si Nauarrus illam veram in vniuerso iudicauit, minus consequenter dixit validã esse professionem factam à laborante morbo Gallico, vel alio contagioso, illo tacito, cùm certum sit quod nullus Conuentus mediocris obseruãtiæ illum recepisset, si talis morbi fuisset conscius. Ad tertium respondetur dupliciter. Primò quidem negando maiorem. Nec enim in hoc probamus sententiam Nauarri, qui *vbi supra* minus expertus de consuetudine & more procedendi religionũ, dixit huiusmodi validè professũ excludendũ esse à religione ob culpam taciti morbi cõtagiosi, vel etiam incurabilis. Cùm tamen mihi per experientiã oppositũ constet; qui vidi in nostra Religione quendam sic professum, & de culpa taciti morbi incurabilis cõuictum & confessum, nedum non expulsum sed neque verberatum fuisse: eò quòd Patres pie & probabiliter existimarũt illũ non mala, sed bona fide processisse, & ex pudore quodã honesto morbũ tacuisse. Secundo respondetur admissa maiori disputationis gratia, negando minorem. Ad cuius Primam probationem dicendum est hoc potius esse signum manifestum, quod talis professio sit valida. Alioquin si apud religionũ Patres haberetur pro inualida, sine dubio huiusmodi deceptoribus ob culpam taciti morbi darent repulsam, vtpote vere non professis. Aut si malueris, dicas etiam ideo non esse apud religiones huiusmodi deceptorũ consuetã repulsã post emissã professionẽ: quia neque crimen est adeò consuetũ, cùm morbus contagiosus, aut etiã grauis incurabilis non sit ita facilè occultabilis, vt possit Religiosorũ omniũ recipientiũ tali morbo laborantẽ, ad habitũ vel ad professionẽ, noticiã subterfugere. Habemus huius exẽplũ in alio simili defectu scilicet † hermaphroditæ: quẽ semel professũ non est consuetũ apud Religiones expellere à religione, & habitu priuare ob culpã taciti defectus: quia neq; crimen hoc est ita consuetũ, neq; defectus ita facilè occultabilis, cum tamẽ reuera sit impedimentũ ad ingressũ religionis, & ad professionẽ, quandoq; tantum impediens, & quandoq; etiã dirimens: vt bene adnotarunt Siluester verbo *hermaphrodita*, & Nauarrus *lib. 3. consiliorũ tit. de ætate & qualitate ordinandorũ, consilio* 8. Nam si in illo neuter sexus præualeat alteri, inhabilis est ad professionem in religione tam virorũ, quàm mulierum, & consequenter professio ab illo emissa in quacumq; dictarũ religionũ est inualida. Si autem alter sexus præualeat alteri, valida erit professio in monasterio virorũ si præualeat virilis, & in monasterio mulierũ si præualeat fæmineus: & tamẽ tunc cognito huiusmodi defectu eijciendus est à Religione, tũ propter culpã taciti defectus: tum etiã propter scandalũ & periculum imminens ex eius consortio cum alijs distincti sexus, propter quod etiã prohibent ordinari huiusmodi viri monstruosi *cap. si de ætate & qualitate ordinandorũ & c. illiteratos, distin. 36. & cap. 1. dist. 49.* eadémq; vel maiori ratione non debẽt admitti ad professionem, per quam conuicturi sint in eadẽ domo castitatẽ solemnẽ professentes. Vnde eijciendi sunt etiã post professionẽ à religione, quãdo professio est inualida vel dubia, ob dubietatem paritatis sexus posũt ac debent eijci volentes, nolentes, à monasterio per eiusdẽ Prælatos, qui vtũtur in hoc iure suo & authoritate propria sui officij, quia monasteriũ nõ tenetur retinere illos, qui nõ posũt talẽ religionẽ profiteri ex Tridẽtino *sess. 25. cap. 16. de regularibus*. Quãdo autẽ eorũ professio fuit valida, tũc eorũ expulsio non potest fieri per solã authoritatem Prælatorũ religionis, nisi superueniente Summi Põtificis licẽtia ac dispensatione. Hactenus Nauarrus *vbi supra*, magis quoad sensũ, quàm quoad verba relatus. Ex cuius tamen doctrina licet sic inferre ad propositũ nostri casus: ergo similiter huiusmodi professus validè potest conueniẽter & iustè expelli à religione, tum propter culpam

30

taciti morbi;tum etiam propter defectum infirmitatis ratione cuius redditur inutilis religioni: & impotens ad illius regularem obſeruantiam.

Ad ſecundam probationem dicẽdum eſt,quod ſi cognitio huius cauſæ ordinetur ad ſolam monaſticam & fraternam correctionem intra clauſtra ſubeundam, competens Iudex eſt ordinarius Prælatus eiuſdem religionis, quamuis delictum hoc tacendi morbum fuerit commiſſum in ipſo ingreſſu Religionis, & ante profeſſionem, quando ipſe laborans tali morbo petens habitum,& iam Nouicius petens profeſſionem, legitimè requiſitus & interrogatus de tali defectu, mendacio pernicioſo & iniurioſo illum
31 negauit:nã† Prælatus immediatus & ordinarius habet poteſtatem iudicandi & puniendi defectus tam profeſſorum,quàm etiam Nouiciorum,contra regulam & regularia ſtatuta commiſſos, iure communi; vt probat idem Nauarrus *in commento 2. de regularibus, ſuper cap. non dicatis, & lib. 3. conſiliorum tit. de regularibus, conſilio 58. ex lege fi. ali Cod. de iuriſdict. omnium iudicum* : & *ex cap. cum ab Eccleſiarum Prælatis, de officio Ordinarij.* Ex quibus colligitur Prælatum immediatum habere iuriſdictionem in omnes eos, qui ſunt ſui collegij, cui præeſt; ac proinde etiam in Nouicios:nam cùm *ex cap. relig. vſo de ſententia excommunicationis in 6.* communiter colligant Iuriſtæ, Nouicios gaudere priuilegio canonis, *ſi quis ſuadente*,ac etiam fori:conueniens eſt vt Prælatus poſſit cognoſcere de criminibus Nouiciorum tangentibus regulam, vel regularia ſtatuta, pariter atque de criminibus profeſſorum; imo etiam ex priuilegio & conſuetudine,(ait Nauarrus)Prælatum ordinarium monaſterij habere poteſtatem cognoſcendi, & de facto cognoſcere de criminibus ſuorum ſubditorum, ſiue ſint Nouicij ſiue iam profeſſi, quæ non tangunt regulam neque regularia ſtatuta,ſed ſunt contra leges aut ciuiles aut canonicas:cuius generis videtur eſſe crimen illius, qui tacito morbo graui incurabili, aut alio impedimento iuris petit profeſſionem: vtpote cum ſit potius contra Eccleſiaſticam legem communem, quàm contra particularia re-
32 ligionis ſtatuta. Si autem † cognitio huius cauſæ ordinetur ad expulſionem à religione : non credo quod pertineat ad ordinarium Prælatum religionis, ſed ad Iudicem ordinarium Diœceſanum, ſiue etiam ad Nuncium Apoſtolicum. Nam licet Prælati ordinarij maximè Superiores,vt Generalis & Prouincialis habeant poteſtatẽ expellẽdi à religione validè profeſſos propter incorrigibilitatem,& propter alia crimina, quæ pœnam expulſionis ex ſpeciali ſtatuto Ordinis promerentur: Veruntamen cognitio cauſæ intendens expulſionem alicuius profeſſi,propter culpam taciti defectus vel impedimenti, à iure communi introducti ſiue prohibiti:in qua neceſſe eſt ſimul agi de valore,aut nullitate ipſius profeſſionis, maximè in noſtro caſu,in quo reperitur diuerſitas opinionum circa valorem profeſſionis, pertinet ad Iudices ordinarios Diœceſanos ſiue ad Nuncium Apoſtolicum, qui eſt Ordinarius ordinariorum totius Prouinciæ,vel Regni. Et ita habet conſuetudo & vſus in praxi:nam coram illis aut Conuentus ponit exceptionem profeſſioni : & ipſe profeſſus ſe defendit iure profeſſorio:aut è contra ipſe profeſſus opponit exceptionem ſuæ profeſſioni,& Religio ſe defendit eodem iure poſſeſſorio.

Quare minus cautè,& minus ſibi conſtans Nauarrus *in dicto conſilio* 25.dicit,ad Prælatum immediatum & ordinarium monaſterij pertinere procedere vſque ad expulſionem,contra huiuſmodi validè profeſſum, ob culpam taciti defectus morboſi. Cùm tamen loqui debuiſſet cum illa diſtinctione,cum qua loquitur *in dicto conſilio* 8. *de ætate & qualitate ordinandorum*,dicens; ad expulſionem hermaphroditæ validè profeſſi requiri Papæ diſpenſationem ſupra ordinariam poteſtatem Prælati religionis,etſi hæc ſola ſufficiat ad expulſionem illius,qui non fuit validè profeſſus. Neque non cum illa diſtinctione ſub qua dixit in præallegato *conſilio* 58. *Nullum monaſterium vidi, in quo, priuilegio vel conſuetudine non ſit obtentum, vt Prælatus cognoſcat etiam de illis criminibus quæ non tangunt regulam,neq; regularia ſtatuta : ſaltem cum crimen non requirit depoſitionem ab ordine* : Nam de huiuſmodi crimine requirente depoſitionem, communiter recepta ſententia Iuriſtarum tenet,non poſſe religionis Prælatum cognoſcere. Atqui par videtur eſſe ratio de crimine contra Ciuiles aut Canonicas leges,petente expulſionem à religione:de æquipollentibus autem idem eſt iudicandum,vt ipſe Nauarrus multoties repetit : ergo.

DVBIVM III.

De aliis defectibus adnotatis & cautis à Sixto V. quid ſit ſentiendum. Et vtrum iam ſint ad ius commune redacti?

SVMMARIVM.

33 *Sixtus V. conſtitutione ſpeciali prohibuit, ne Religionem aliquam ingrederetur aut in illa profiteretur aliquis illegitimus, aut infamatus de crimine, &c.*

34 *Quæ conſtitutio poſtea moderata fuit à Gregorio XIV. & quantũ ad aliquid ad ius cõmune redacta, quod per partes declaratur.*

RESPONDEO dicendum Primò † Sixtum V. 33
ex Franciſcana religione aſſumptum,zelo ſuæ ac Sacrarum aliarum religionum ductum, ſpecialem conſtitutionem edidiſſe anno 1587. quæ incipit *cum de omnibus*. In qua prohibuit,ne religionem aliquam ingrederetur, aut in illa profiteretur aliquis illegitimus,aut infamatus de crimine,metu cuius ingrederetur,aut debitis vel ratiociniis implicatus. Inſuper hos omnes faciebat inhabiles ad profitendum : & Prælatos recipientes quempiam ex iſtis,pœnis excõmunicationis,priuationis ab officio &c.afficiebat.

Dico ſecundò; iam dicta † conſtitutio Sixti 34
temperata & moderata eſt à Gregorio XIV.per conſtitutionẽ quæ incipit;*circunſpecta*.Et quantum ad aliquid eſt ad ius cõmune redacta, quod per partes ſic declaro. In primis quod attinet ad illegitimos,iam facti ſunt habiles ad profeſſionem per moderationem Gregorij. Quantum verò attinet ad criminoſos & ex crimine infamatos : ſi quis illorũ emiſit votum ſimplex religionis ante perpetratum delictum,licet poſtea fuerit deductum ad forum contentioſum,licitè & validè profitetur : ſin minus manet inhabilis iuxta Sixti conſtitutionem. Deinde quantum attinet ad implicatum debitis : ſi habeat vnde reſtituat, licitè & valide profitetur : ſi autem non habeat ſufficienter, illicitè ingre-

ditur

ditur religionem, nisi prius satisfaciat in quantum possit, aut cedat bonis suis: & eius professio aliter facta, est inualida propter inhabilitatem inductam à Sixto V. quæ quantum ad hoc non fuit mutata à Gregorio, vt bene notat Ledesma *vbi supra*, agens de huiusmodi defectibus, *difficultate 3. & difficultate 4. sequenti*: rectè etiam notat idem de obligato ad ratiocinia, nimirum quod inhabilis adhuc est ad profitendum, nisi prius se ab illis expediat. Ac tandem quantum attinet ad informationem præuiam à Prælatis religionis faciendam, dicendum est quod si Prælati recipiunt aliquem ad professionem laborantem aliquo ex his impedimentis à Sixto notatis, sine vlla præuia informatione, aut cum informatione insufficienti vel mala fide facta: tunc & talis professio est inualida, quia temeraria & sine sufficienti præuia informatione emissa: si tamen cum præuia informatione diligenter & bona fide facta, aliquem obnoxium alicui ex notatis impedimentis admittunt ad professionem, talis professio est valida, postquam neque Religiosus etiam cognito impedimento est expellendus à religione, quia eius professio tunc non fuit temeraria & sine sufficienti informatione. Insuper & Prælati ipsi procedentes primo modo incurrunt excommunicationem, & pœnas latas à Sixto, quia temerariè & sine sufficienti informatione admittunt laborantem aliquo defectu ex prædictis, ad professionem. Si tamen procedunt secundo modo, neutiquam illas incurrunt, etiamsi professus inueniatur cum aliquo ex dictis defectibus: quia non temerariè & sine sufficienti informatione illum admiserunt, prout latè Rodericus declarat *tom. 3. Regularum q. 54. art. 5.* Quod si Prælati recipiant aliquem Nouicium etiam sine præuia informatione, in quo nullus talium defectuum inuenitur: peccabunt quidem, sed nequaquam statutas à Sixto V. pœnas incurrunt. Sic enim Sixtus & Gregorius explicuerunt ius commune pro ingredientibus religionem, & admittendis ad professionem: & quantum ad reliquos defectus (excepta illegitimitate) non est reuocata Sixti constitutio, sed modo declarato fuit temperata.

DVBIVM IV.

De lege pœnali in Capitulo generali, in quo electus fuit in Generalem Magistrum totius Ordinis Prædicatorum, Reuerendissimus Pater Nicolaus Rodulphius anno 1629. edita: qua iubetur, Prædicatores generales deinceps institutos, carere voce actiua in Capitulo Prouinciali, & aliis exemptionibus, nisi viuant in suis Conuentibus, pro quibus fuerint instituti iuxta tenorem constitutionis eiusdem ordinis disponentis, vt pro singulis domibus cuiuscumque Prouinciæ singuli Prædicatores generales, quoad fieri possint instituantur. De cuius legis & ordinationis conuenientia à nobis quæsitum fuit.

SVMMARIVM.

35 *Ad quæsitum respondetur affirmatiuè, legem scilicet expedientem esse bono publico totius Ordinis.*

36 *Duo sunt propter quæ leges de nouo conditæ in prima introductione & obseruantia plurimum patiantur difficultatis.*

37 *Absque euidenti vtilitate & vrgente necessitate, nefas est discedere à iure communi.*

38 *Ad legis humanæ valorem requiritur totius populi aut saltem maioris partis consensus, & acceptatio.*

39 *Quæ tamen difficultates, non obstant constitutioni nouæ legis, quando eam vtilitas aut necessitas postulat.*

40 *Pro huius legis pœnalis obseruatione facilitanda, omnes conditiones sufficientes & requisitas concurrere, ostenditur.*

AD quod † quæsitum respondeo affirmatiuè, 35
& quidem relinquendo executionem dictæ ordinationis Reuerendo Patri Generali, qui super hoc prouidebit, quod sibi melius visum fuerit: mihi autem solùm ex officio incumbit dictæ legis conuenientiam ostendere ac docere. Quare respondi conclusione affirmatiua: id est huiusmodi legem expedientem esse bono publico totius Ordinis, ac proinde ex parte conuenientiæ nihil obstare, quominus in hac nostra Prouincia Hispaniæ executioni mandetur, sicut & in aliis eiusdem religionis prouinciis acceptata fuit & executioni mandata. Neque obstat quod aliquas habeat difficultates eius acceptatio & obseruantia in dicta Hispaniæ prouincia. Quoniam hoc inconueniens commune est omnibus † legibus de nouo conditis, vt vnaquæque in 36
sua prima introductione & obseruantia plurimum patiatur difficultatis propter duo. Tum quia difficillimè euellitur lex antiqua, vel consuetudo præscripta: cui & iura ipsa fauent. Nam vt dicitur *leg. 1. Cod. de emancipandis libertis. Consuetudo rei est quasi alterum ius naturale: Vnde consueta transmutari non possunt*: & *lege 2. ff. de constitutione Principis* subditur: *quia in rebus nouis constituendis, euidens vtilitas constitui debet, vt ab eo iure discedatur, quod iam diu æquũ visum est.* Consultóque addidit D. Thomas *1. 2. q. 97. art. 2. aut est maxima necessitas*: quia † absque euidenti 37
vtilitate vel vrgente necessitate à iure antiquo nefas est discedere, ob rationem, quam Gratianus refert ex Augustino *in cap. quæ contra mores, dist. 8.* in fauorem antiquitatis: *quia plerumque pariunt nouitates discordiam, præsertim dum ab eo, quod diu æquum visum est, per nouam constitutionem receditur.* & *cap. cum consuetudo, dist. 11.* ibi: *Consuetudinis & vsus longæui non est vilis authoritas, & nouitates plerumque pariunt discordiam, &c.* Vbi Ioannes Andreas allegat illum aphorismum Hippocratis, *Omnes mutationes periculosæ*: quam ob causam Nauarrus *lib. 3. consiliorum tit. de rebus Ecclesiæ non alienandis, consilio 2.* summopere commendat Prælatis & Gubernatoribus nouitates vitare: quas inquit vitandas fore, quatenus sine transgressione legis diuinæ ac naturalis vitari possunt.

Tum etiam quia probabilis est opinio plurium Iuristarum non infimæ notæ, de quorum numero sunt idem Nauarr. Sylvester, Turrecremata & alij recentiores, cui & Theologi plures adstipulantur, asserentiũ † ad legis humanæ va- 38
lorem requiri totius populi, aut saltem maioris

partis conſenſum & acceptationem (licet nos oppoſitam ſequuti ſimus *in tractatu de legibus diſput. 3. difficultate 2.*) difficillimè autem populus ſiue Communitas ex maiori parte inclinatur ad acceptandam legem nouam, per quam altera antiqua abrogatur. Et hinc oriuntur difficultates in prima nouæ legis obſeruantia, quia & redditur eo ipſo lex invtilis, ex quo non acceptatur à populo &c. Et fauet Gratianus *cap. in iſtis d. 4. decreti* dicens; *leges inſtituuntur cum promulgantur, firmantur cum mo-*
39 *ribus vtentium approbantur.* Sed nihilominus † hæ difficultates non debent obſtare conſtitutioni nouæ legis, quando eam vtilitas, aut neceſſitas poſtulat: nam licet initio difficultates inſurgant, poſtea tempore ipſo & obſeruantiæ continuatione vincuntur. Idque licet in omni lege humana contingat, maximè in Religionibus, vbi maximè mutatis temporibus, oportet & leges mutare, ac nouas addere, propterea quod diuerſæ ſe offerunt conuenientiæ ad abolendos abuſus introductos, vel maiorem reformationem conſeruandam, magiſque primitiuæ Religioni conſentaneam. Quod in noſtro caſu contingit. Quot enim difficultates habuit vincendas hæc noſtra Prouincia annis præteritis, in congregatione Segouienſi in acceptando Decreto Sedis Apoſtolicæ prohibitiuo & ablatiuo ſociorũ euntium cum voce actiua ad Capitula prouincialia, & tamen modò iam placet & proficit eius obſeruatio adeò, vt nulla de cauſa ab eo dimoueri patiamur. Similiter lex eiuſdem capituli generalis de præuio examine ſubeundo à Patribus poſtulantibus prædicaturam generalem, nouo quidem & inaudito in prouinciis Hiſpaniæ, etſi in prouinciis Italiæ antiquato & conſueto, valde difficilis initio apparuit: ita vt in Capitulo intermedio celebrato decretum omnium Patrum conſcriptorum firmatum fuerit, pro tunc omittere prouiſionem Prædicaturatum generalium: etſi poſtea mutato conſilio à Patribus Diffinitoris earum prouiſio facta fuerit, ſub conditione petendi ſupplementum defectus dicti examinis à Reuerendiſſimo Patre Generali: & tamen dicta lex iam nunc facilis, conueniens & vtilis eſt viſa, & ideo iam executioni mandatur. Igitur ſine iuſta cauſa id ipſum formidatur in noſtro caſu.

40 Nam † pro huius legis pænalis obſeruatione facilitanda omnes conditiones concurrunt, & plures conuenientiæ ſufficientes & requiſitæ ad aliquam nouam legem acceptandam. Quod ſic oſtendo. Primò quia hæc lex eſt coadiuuans legem alteram ablatiuam ſociorum: quæ cum diſponat, quod Prædicator Generalis habitans in eo Conuentu pro quo habet titulum, ferat ſecum ad Capitulum prouinciale ſcrutinium contra Priorem, quod ferre ſolebant ſocij: ideo hæc lex ſubrogat Prædicatores Generales ad hoc munus exequendum, loco ſociorum: ac proinde eſt coadiuuans illam, & conſequenter gaudet eiſdem conuenientiis. Imo prouincia acceptans primam legem iam implicitè acceptauit ſecundam: à qua proinde non poteſt reſilire. Secundò quia leges habent conuenientiam ex eo quod contingit vt in pluribus, & non vt in paucioribus: ſed ſic eſt quod ex quadraginta Prædicatoribus generalibus huius noſtræ Prouinciæ maior pars eſt regulariter occupata in officio Prioratus: maior quoque pars eſt eorum, qui habent titulum pro domibus illuſtribus, & ſuæ ſuſtentationis ſufficientibus. Minor autem eſt pars eorum qui aut ſine officio ſunt, aut pro domibus egentibus habent titulum: ergo inconueniens, quod formidant, contingit vt paucioribus, & conuenientia contingit vt in pluribus: ergo dicta lex cenſenda eſt abſolutè & ſimpliciter conueniens. Ergo expedit huic noſtræ Prouinciæ eam acceptare & obſeruare, eo vel maximè, quod ab alijs Prouinciis fuerit (vt puto) acceptata vniformiter & obſeruata: & ius naturale dictet partem debere ſuo toti conſentire & conformari.

Ad idem Dubium *ſpectat aliud quæſitum circa præſentationem Cathedræ Veſpertinæ Salmantinæ factam nunc temporis ab Excellentiſſimo Duce Lermenſi Patrono; quod eſt tenoris ſequentis.*

DVBIVM V.

De præſentatione facta hoc anno ab Excellentiſſimo Duce Lermenſi ad cathedram veſpertinam huius Salmanticenſis Academiæ, cuidam Reuerendiſſimo admodum Patri Magiſtro Dominicano Complutenſi Theologo: qui ſemel acceptatam præſentationem repulit. Quæſitum fuit à nobis: quid Iuris? ſcilicet Vtrum dicta præſentatio legitimè ab aliquo impediri, aut eam repudiare nominatus potuerit?

SVMMARIVM.

41 *Reſpondetur pro prima parte huius quæſiti affirmatiuè; præſentationem ſcilicet dictam rectè & legitimè factam à Patrono, ſeruatis omnibus conditionibus fundationis eiuſdem Cathedræ.*

42 *Quæ aſſertio probatur triplici argumento.*

43 *Ordinarius non habet authoritatem mutandi vltimas voluntates, aut pia legata à defuncto relicta.*

44 *Solus Papa & Princeps ſupremus ſecularis poſſũt ex rationabili & iuſta cauſa in rebus ibi ſubiectis interpretari, & etiam mutare vltimas ſubditorum voluntates.*

45 *Donationes perfectæ & conſummatæ, aut earum præſcriptæ conditiones, non poſſunt per aliquem tertium alterari.*

46. *Poſſeſſor maioratus non poteſt propria authoritate tollere, aut mutare conditiones ab initio inſtitutas à Fundatore.*

47. *Probatur aſſertio pro ſecunda parte, negans ſcilicet dictum præſentatum poſſe modò, ſiue in foro interno, ſiue externo & contentioſo primum conſenſum retractare.*

℟ Eſpondeo † dictam præſentationem fuiſ- 41
ſe rite & rectè ac legitimè factam à Patrono, ſeruatis omnibus conditionibus fundationis eiuſdem Cathedræ, ac proinde à nullo alero inferiori poſſe impediri, limitari, aut re-

ſtringi:

ſtringi: ſed neque ab ipſo Reuerendo admodum Patre Magiſtro dictam præſentationem acce-
41 ptante, poſſe in aliquo foro repudiari. † Quæ aſſertio pro Prima parte ſuadetur, Primò ex illa regula Iuris: *quod noſtrum eſt, ſine facto noſtro, alterius fieri nõ poteſt*: quæ habetur in lege *quod noſtrum ff. de regulis iuris*, & confirmatur in *lege vltima ff. de pactis*, & pluribus exornatur ab Antonino Gometio *leg. 4. Tauri à num. 30.* Sed actio præſentandi dictam Cathedram eſt ſolius Patroni, qui ad id habet priuatiuè ius: ergo ſemel facta ab ipſo cum debitis conditionibus, ab alio impediri vel limitari non poteſt. Secundò probatur ex duobus conſiliis valde notatu dignis: quorum vnum eſt Oldradi 209. vbi agens de fundatore cuiuſdam Xenodochij, ait; eius fundationem ſiue dotationem neutiquam per Epiſcopum loci, aut per adminiſtratores nominatos in teſtamento, poſſe in aliam rem etiam piam commutari. Cui fauet Clementina *quia contingit, de religioſis domibus*, vbi ſic habetur; *ea quæ ad certum vſum largitione ſunt deſtinata fidelium, ad illum debent, non ad alium (ſaluæ quidem Sedis Apoſtolicæ authoritate) conuerti.* Alterum eſt Nauarri *lib. 3. conſiliorum tit. de præbendis*, quintum in ordine: in quo agens de fundatore cuiuſdam Capellaniæ cum certis conditionibus, ait nullatenus poſſe ab Ordinario loci mutari clauſulam fundationis, eò quod
43 † Ordinarius non habet authoritatem mutandi vltimas voluntates, aut pia legata à defuncto relicta. Quam doctrinam probat ex nuper citata Clementina *quia contingit* & ex *lege legatum, ff. de adminiſtratione ad ciuitat. pertinentium*: & ex aliis quam pluribus, potiſſimè verò ex Concilio Tridentino *ſeſſ. 22. cap. 6. de reformatione*, decernente, Epiſcopos vt delegatos Sedis Apoſtolicæ, exequi cum examine præmiſſo commutationes vltimarum voluntatum factas, & commiſſas ipſis vt merè executoribus, à Sede Apoſtolica: quæ (ait Concilium) *nonniſi ex iuſta cauſa & neceſſaria fieri debent.* Subditque Nauarrus communem quandam doctrinam, quam etiam probat Molina *de iuſtitia & iure diſp. 174.* nimirum quod quilibet Princeps ſupremus ſiue non recognoſcens ſuperiorem, poteſt priuatiuè, id eſt ipſe & non alius, vltimas ſubditorum voluntates in rebus ſibi ſubiectis, mutare iuſta cauſa. Quaſi hæc ſit propria excellentia & authoritas ſupremi Principis, & non alterius inferioris. Idque haud obſcurè colligitur ex dicta lege *legatum*: quare † ſolus Papa, & Princeps
44 ſupremus ſæcularis, poteſt ſeruata proportione ex rationabili & iuſta cauſa in rebus ſibi ſubiectis interpretari, & etiam mutare vltimas ſubditorum voluntates. Papa quidem etiam in legatis piis, vtpote quæ ipſi ſubiiciuntur; Princeps verò laicus in ſolis legatis prophanis, ſiue purè temporalibus: nullus tamen illorum poteſt facere aut diſponere quidquam contra vltimam teſtatoris voluntatem. Ac proinde neque Papa neque Rex poteſt contractus ſemel rite factos, aut diſpoſitiones defunctorum morte confirmatas reſcindere, aut mutare, vtpote quia eſſet hoc in præiudicium tertij, qui iam adquiſiuit ius ad rem, cum illis conditionibus, cum quibus teſtator diſpoſuit: & oppoſitum facere eſt contra ſeptimum decalogi præceptum.

Tertiò ſuadetur ex communiter recepta doctrina Iuriſperitorum; videlicet quod † donationes perfectæ & conſummatæ, aut earum præſcriptæ conditiones non poſſunt alterari per aliquem alterum tertium, neque per ſolius donantis, aut ſolius donatorij voluntatem, *ex lege perfecta Cod. de donationibus, quæ ſub modo.* Nec non, quod conditiones appoſitæ in contractibus conſummatis vtrinque nequeunt per voluntatẽ ſolam vnius ex contrahentibus mutari, aut alterari; ex *lege legem, Cod. de pactis*: doctrinámque dictæ legis *perfecta*, procedere in qualibet materia ac diſpoſitione, oſtendit Dominus Ioannes del Caſtillo *lib. 3. controuerſiarum, capit. 10.* ſpecialitérque procedere in iure patronatus fundato cum certis conditionibus, probat Lambertinus, *de iure patronatus 1. p. lib. 1. q. 9. à num. 72.* dicens, præſentationem Patroni ſemel acceptatam ab eo, qui fuit nominatus & præſentatus ad officium ſiue beneficium, nequaquam mutari vel alterari poſſe in ipſius patroni præiudicium. Hinc oritur, † neque poſſeſ- 46
ſorem maioratus poſſe propria authoritate tollere, alterare, aut mutare aliquam ex antiquis conditionibus, aut ſupponere nouam ſupra illas, cum quibus ab initio fuit inſtitutus à fundatore: vt multis probat Molina *lib. 1. de primogeniis cap. 8.* præſertim *ex lege cum filius familiæ ff. de militari teſtamento* ibi: *quia hæreditati ſuæ miles quam velit, ſubſtitutionem facere poteſt: verumtamen alienum iuſtè tollere non poteſt &c.* Cùm igitur hæc præſentatio, de qua eſt ſermo, ad Cathedram veſpertinam Salmanticenſis Academiæ, facta ſit ab Excellentiſſimo Duce Lermẽſi, ſeruatis omnibus conditionibus primæ fundationis ipſius Cathedræ, & contractus initi cum hac noſtra prouincia, vt ex facti ſpecie & ipſius præſentationis titulo clarè conſtat, & aliàs fuerit acceptata à dicto patre Magiſtro nominato & præſentato, conſequens eſt à nemine dictam præſentationem poſſe impediri, reſtringi, aut limitari: cum ſit in manifeſtum Excellentiſſimi Ducis ac Patroni præiudicium.

Deinde † probatur noſtra aſſertio pro ſe- 47
cunda parte: nam licet prima facie videri poſſit alicui, dictum nominatum & præſentatum poſſe de licentia ſui Prælati ſententiam mutare, ſi velit: eò quòd in hiis quorum vnuſquiſque eſt Dominus, poteſt facere quod maluerit: neque dum quis vtitur iure ſuo, iniuriam alteri irrogat: tum etiam quia nullum priuilegium aut beneficium confertur in inuitum; verumtamen re melius inſpecta, oppoſitum eſt verum, & tenenda eſt Secunda pars noſtræ aſſertionis, negans illum poſſe modò ſiue in foro interno, ſiue in externo & contentioſo primum conſenſum retractare. Tum ex regula iuris *in 6.* dicente: *mutare conſilium quis non poteſt in alterius detrimentum.* Tum etiam quia licet à principio potuiſſet reſiſtere, & dictam præſentationem non receptare, aut repudiare: tamen illam ſemel acceptatam iam in neutro foro poteſt repudiare, quoniam habet vim donationis perfectæ, quæ per ſolius donatoris voluntatem mutari non poteſt: *ex lege* citata *perfecta.* Habet quoque vim contractus celebrati & vtrinque conſummati, qui proinde per ſolam vnius contrahentis voluntatem reſcindi non poteſt: ex dicta *lege legem, Cod. de pactis*: & quia iam nunc mutaretur conſilium in Patroni detrimentum. Neque obſtat non fuiſſe ex parte nominati pernentum ad effectum poſ-

ſeſſionis. Tum quia huiuſmodi defectus fuit ex culpa aut omiſſione ipſius nominati: culpabilis autem omiſſio nemini debet patrocinari, ac proinde non vitiat contractum in fraudem ac detrimentum alterius contrahentis. Tum etiam quia ante effectum poſſeſſionis, donationes & contractus complentur, ac conſummantur, ita vt in donante ex ſola promiſſione acceptata oriatur obligatio iuſtitiæ donandi: & conſequenter in donatario ex ſola acceptatione, ante rei apprehenſionem oritur obligatio acceptandi: & in contrahentibus perſpicuum eſt, ex ſola conuentione & pacto oriri obligationem in vtroque foro ſeruandi præſcriptas conditiones. Quare concludendo dico, præfatum nominatum & ante præſentatum in neutro foro poſſe ſemel acceptatam præſentationem dictæ cathedræ repellere aut repudiare, propria authoritate, etiam cum licentia ſui Prælati. Niſi etiam adſit facultas & conſenſus ipſius Patroni, de cuius voluntate & conſenſu poterit dictam præſentationem renuere: quia iam tunc Patrono ſcienti & conſentienti nulla fiet iniuria.

DVBIVM VI.

Vtrum penſio ſiue beneficium illius Nouitij, qui ante completum annum probationis profeſſionem emiſit cauſa mortis, in quodam ordine mendicantium vacauerit?

SVMMARIVM.

48 *In ordinibus mendicantium poteſt Nouitius ante completum annum probationis, cauſa mortis, emittere profeſſionem, ad lucrandas Indulgentias eorum Ordinum profeſſis conceſſas.*

49 *Quæ profeſſio ſic emiſſa tantùm valet in foro conſcientiæ, & ad effectum lucrandi Indulgentias.*

50 *Quibus ſuppoſitis reſpondetur ad quæſtionem, negando Nouitium ex vi talis profeſſionis emiſſæ, beneficium aut penſionem Eccleſiaſticam amiſiſſe, ſuadeturque concluſio triplici argumento.*

51 *Reſpondetur dubio; quid ſcilicet faciendum ſit, ſi Nouitius teſtamento aut donatione, aut renuntiatione facta in fauorem Monaſterij ſui, decedat ante emiſſam vltimam profeſſionem.*

52 *Reſoluitur aliud dubium, quid ſcilicet dicendum, ſi huiuſmodi teſtamentum aut legatum factum fuerit à Nouitio, dum erat in ſeculo ante ſuſceptionem habitus.*

48 RO huius intelligentia prænotandum eſt; † in ordinibus mendicantium poſſe Nouicios ante completum annum probationis cauſa mortis emittere profeſſionem, ad lucrandas indulgentias eorundem ordinum profeſſis à Sede Apoſtolica conceſſas, per communicationem cuiuſdam priuilegij à Pio V. conceſſi quibuſdam ſororibus ſeu Monialibus Sancti Dominici, in quadam Bulla: quæ incipit *Summi ſacerdotij cura*; quam refert Paraſellus in ſuo *libro priuilegiorum, folio* 245. & Roderiçus *tomo* 3. *regularium quæſt.* 15. *ar.* 6. Deinde prænotare oportet, huiuſmodi † profeſſionem ſic 49
emiſſam tantùm valere in foro conſcientiæ, & ad effectum lucrandi indulgentias, vt ex eiuſdem bullæ tenore conſtat ibi: *Eiſdem Monialibus Nouitijs nunc & pro tempore exiſtentibus, & earum ſingulis, vt quando & quoties aliqua ex eis nondum profeſſa de alicuius Medici conſilio, ab hoc ſeculo tranſitura conſpicitur, ipſa pro conſolatione animæ ſuæ profeſſionem prædictam ante tempus requiſitum (quatenus tamen in ætate legitima conſtituta ſit) ad illam emittendam in manibus Abbatiſſæ ſeu Prioriſſæ, vel alterius Superioris Nouitiarum ipſius monaſterij, ſeu domus, ita tamen quod ipſæ Moniales Nouitiæ ſic decedentes, Indulgentiam & alias gratias quas Moniales verè profeſſæ decedentes conſequuntur, conſequi poſſint, emittere in articulo mortis liberè & licitè valeant, Apoſtolica authoritate præſentium perpetuò concedimus & indulgemus: nec non eiſdem Monialibus Nouitijs ita tunc profeſſis decedentibus plenariam peccatorum ſuorum Indulgentiam & remiſſionem in forma Iubilæi miſericorditer in Domino eiſdem authoritatibus & tenore elargimur.* Et cum gratia hæc ſit exorbitans à iure communi, reſtrictè eſt intelligenda, & ad nullos alios effectus extendenda, præterquam ad expreſſos in ipſa. Quare neque eſt iuri communi aut Concilio Tridentino contraria: neque abrogata à Gregorio XIII. cenſenda eſt in ea Bulla, in qua primo ſui Pontificatus anno omnia priuilegia à Pio V. Ordinibus mendicantibus contra decreta Concilij Tridentini conceſſa reuocauit; eò quòd Gregorius in dicta Bulla tantùm reuocauit ea priuilegia quoad forum externum, & quantum ad effectus diſpoſitioni Concilij Tridentini contrarios: quibus dicta gratia nullo modo contrariatur. Non quidem ea ratione quam adducit Roderius *vbi ſupra*, dicens propterea non fuiſſe dictam gratiam à Gregorio XIII. reuocatam in ſua conſtitutione, quæ incipit: *In tanta negotiorum mole*: quia in ea ſolùm reuocauit priuilegia conceſſa à Pio V. ſuper ſtatu, & regimine monialium, non autem ſuper profeſſione in articulo mortis emittenda, cum hoc neque ad ſtatum neque ad regimen pertineat Monialium: ſiquidem ſupponitur talem Monialem ſtatim ab ſtatu huius ſeculi, & ab eius regimine deceſſuram. Nam licet dicta gratia fuerit facta in fauorem Nouitiæ in articulo mortis conſtitutæ, de alicuius Medici conſilio & pro conſolatione animæ ſuæ, & dummodo ad ætatem legitimam peruenerit, quæ ſunt conditiones in dicta Bulla (provt refertur) requiſitæ: veruntamen ex hoc non deſinit talis gratia ad ſtatum ſiue regimen Monialium pertinere. Tum quia poteſt contingere, & de facto ſæpius contingit, Nouitiam ſic in articulo mortis conſtitutam, de iudicio Medici, & beneficio talis profeſſionis fruentem, ſuperviuere & ſuperſtitem manere. Tum etiam quia ea quæ determinat ac præſcribit Concilium Tridentinum, circa Nouitios ſeu Nouitias cuiuſuis ordinis regularis v. g. *cap.* 15. *ſeſſ.* 25. circa tempus profeſſionis, & *cap.* 16. circa renunciationes faciendas ab ipſis ante profeſſionem; & *cap.* 17. circa explorandam voluntatem Virginis, quæ Deo per profeſſionem ſacranda eſt: & *cap.* 18. circa eos qui cogunt feminas ad ingreſ-

ſum

sum religionis, vel sine iusta causa impediunt ingredi volentes; nemo ambigit ad statum & regimen religionum pertinere, siue tales Nouitij aut Nouitiæ è vita decedant ante emissam professionem, siue non: aut etiam siue sint seculares quando coguntur ad ingressum, vel ab eo arcentur: quia hæc omnia disponuntur à Concilio Tridentino intuitu regendi & fouendi status religiosi. Sed alia ratione iam insinuata: nimirum quia talis gratia & priuilegium solùm fuit in consolationem animæ Nouitiæ, & pro effectu lucrandi indulgentias professis concessas, & nullo modo ad implendum aliquem effectum ex dispositis à Concilio Tridentino, circa professos aut professuros in aliqua Religione, quibus proinde in neutro foro dictum priuilegium contrariatur.

Quibus suppositis & prænotatis ad quæ-
50 stionem † respondeo conclusione negante, scilicet dictum Nouitium neutiquam ex vi talis professionis emissæ ante completum annum probationis in virtute dicti priuilegij à Pio V. emanati, beneficium aut pensionem Ecclesiasticam amisisse. Quam suadeo Primò ex communi consensu Doctorum, qui hoc indubitatè sentiunt; de quorum numero sunt Rodericus *tomo 3. regularium quæst. 15. art. 6. & in additionibus ad summam tomo 4. q. 63. num. 4. &* 5. Henricus *de excommunicatione lib. 13. cap.* 40. §. 2. Miranda *tomo 1. Manualis Prælatorum q. 22. art.* 10. Portel *in dubiis regularibus* verbo *Nouitia, num.* 5. & Barbosa *in collectaneis ad caput, ad Apostolicam, de regularibus.* Secundò probatur, quia nulla pensio nullúmque beneficium vacat per solum ingressum religionis, aut per solum Nouitiatum, quousque Nouitius completo anno probationis professionem emittat de iure ordinario, quæ sola censetur mors ciuilis Nouitij: vt habetur in iure *cap. beneficium de regularibus in 6.* & resoluit Thomas Sanchez *tomo 3. summæ lib. 7. cap. 4. & cap. 29. num. 2.* imo neque per talem ingressum aut nouitiatum vacat maioratus aut paterna hæreditas, quamuis in eius fundatione sit clausula exclusiua Monachi aut Religiosi: vt scitè tradunt Albericus in authentica *ingressi 6. de Sacrosanctis Ecclesiis*, Gregorius Lopez *in lib. 2 tit. 15 partita 2.* Matienço *in lege 1 glossa 1. n. 17. tit. 7. lib. 5. Recopillationis*, & Molina *tomo 3. de iustitia & iure disp. 623. n. 1.* Sed huiusmodi professio priuilegiata causa mortis emissa à Nouitio ante completum annum probationis, non extrahit illum à nouitiatu, neque facit illum verè & simpliciter professum, aut mortuum morte ciuili: neque sortitur effectus professionis validæ; quæ fit iure ordinario, nisi tantùm in foro interno, quantum ad animæ sic profitentis spiritualem consolationem, & indulgentiarum obtentionem: ergo ex vi illius sic profitens non amittit pensionem aut beneficium Ecclesiasticum, quod prius in seculo possidebat: neque maioratum aut aliam paternam hæreditatem. Tertiò probatur, quia si talis Nouitius decederet cum hac professione ante completum annum probationis, neutiquam ei succederet monasterium in paterna hæreditate, aut bonis quibuscumque eius propriis, (secluso testamento aut donatione facta in fauorem monasterij antequam illuc ingrederetur) sed potius succederent ei in prædictis bonis proprij hæredes, qui ei ab intestato de iure succedunt. Neque enim talis gratia concedi debuit monialibus in præiudicium hæredum professis, succedentium illi de iure ab intestato: vt rectè Portel, & Rodericus aduertunt *vbi supra.*

Quid † si testamento aut donatione aut re- 51
nuntiatione Nouitius iste facta in fauorem monasterij sui, decedat ante emissam vltimam professionem, quæ est de iure ordinario? Respondeo huiusmodi donationem siue renunciationem vno ex duobus modis posse contingere: nimirum aut cum reali rerum donatarum siue legatarum traditione: aut sine illa. Et quidem si fuit primo modo, valebit donatio siue renunciatio: eò quòd tum monasterium verum acquisiuit ius in rebus illis sibi à Nouitio donatis & iam realiter traditis: quas & ipse legitimam habens potestatem ac dominium earum, quod per dictam priuilegiatam professionem supponimus non amisisse, potuit ritè & validè in monasterium transferre, & ei cum effectu tradere. Si autem fiat secundo modo, nimirum cum sola promissione recipiente traditionem in futurum faciendam: sicuti huiusmodi renunciationes, donationes, legationes ab ingrediente religionem fieri solent, ne propriis bonis spolientur ante tempus, & sic inuiti ob metum paupertatis & impossibilitatem contractam hæreditatem recuperandi pro victu & vestitu necessariam, profiteri in tali religione, & in eadem perpetuò manere cogantur: tunc pro inualidis & infectis dictæ donationes siue renunciationes habendæ sunt, nisi concurrentibus tribus conditionibus petitis à Concilio Tridentino *sess. 25. cap. 16.* libertati simul Nouitij, & monasterij vtilitati in hoc simul consulenti: nimirum quod fiant, aut etiam antea factæ ratificentur infra duos menses proximos ante legitimam professionem, & de licentia Ordinarij, atque subsequuta huiusmodi professione Nouitij de de iure ordinario, à qua vtpote morte ciuili professi eius testamentum & legata complentur, & incipiunt habere valorem. Vnde testamentum, legata, aut donationes, siue renunciationes aliter factæ à dicto Nouitio, hoc est si fiant extra duos menses proximos ante finem anni probationis, videlicet in prioribus mensibus eiusdem anni, vel in ipso ingressu Religionis, aut in emissione illius priuatæ professionis, aut sine licentia Ordinarij, pro infectis & inualidis debent haberi: nam quæ contra ius fiunt, debent vtique pro infectis haberi; vt tenet regula iuris *in 6.*

Sed quid dicendum est, † si huiusmodi te- 52
stamentum vel donatio aut legatum fuerit factum à prædicto, dum erat in seculo ante susceptionem habitus? Respondeo quod si factum fuit antequam de ingressu religionis tractaret aut cogitaret, valebit. Si autem quando iam de ipso ingressu cogitabat & tractabat, fuit factum, tunc non valet; provt determinat Nauarrus *lib. 3. consiliorum tit. de donationibus consilio 7. &* 8. Et probat Primò, quia in huiusmodi donationibus & legatis debet seruari forma præscripta à Tridentino *in dicta sess. 25. cap. 16.* quæ est lex irritans, dum ait, quod aliter facta non valet. Secundo, quia huiusmodi actus fiunt contra formam substantialem à lege præscritam, qualis est ista Concilij, quæ continet clausulam irritantem aliter facta. Tertiò quia licet

conditio

conditiones ibi petitæ pertinerent ad ſolemnitatem dumtaxat: Verumtamen quia iſta ſolemnitas petit actum certo tempore agendum, nimirum infra duos proximos menſes, &c. quod quidem eſt manifeſtum ſignum formæ ac ſolemnitatis ſubſtantialis. Quartò quia lex etiam exorbitans & pœnalis extenditur ad aliũ casũ, in quo ſi non extenderetur, fruſtraretur, *ex cap. ſi ciuitas, de ſententia excommunic.* fruſtraretur autem lex Concilij, ſi ad iſtum caſum non extenderetur: nam vnuſquiſque dum cogitat de ingreſſu Religionis ante ſuſceptionem habitus, in præiudicium quandoque cognatorum & hæredum ab inteſtato, & in fauorem monaſterij & quandoque in fauorem cognatorum cum præiudicio monaſterij, ſua bona renunciaret. Et idem infert Nauarrus, dicendum fore de renunciatione vel donatione facta ante ingreſſum cum pacto, quod non valeat, ſi donans reuertatur ad ſeculum ante profeſſionem: quia etiam eſt contra formam præſcriptam à Concilio & in præiudicium religionis, eò quòd donatarius per clauſulam conſtituti ſolitam addi à Notariis, fit poſſeſſor rerum donatarum: & poſſeſſores multis modis ſuas poſſeſſiones defendere ſolent iuxta illud: *magnum eſt commodum poſſeſſionis ex §. retinenda*, inſtituta de interdictis: iuxta illud

Turpius eiicitur, quàm non admittitur hoſpes, ex cap. quemadmodum de iure iurando, & illud; *melius eſt cauſam intactam ſeruare, quàm poſt vulneratam remedium quærere, ex lege finali C. in quibus cauſis.* Subdit etiam Nauarrus poſſe quidem ſpeculatiuè loquendo defendi dictam legem Concilij, non extendi ad huiuſmodi donationes & renunciationes factas in ſeculo à volente ingredi religionem, intuitu futuri ingreſſus: ac proinde validas eſſe, neque pro inualidis cenſendas fore, ob defectum alicuius conditionis ex præſcriptis à Concilio, quod videtur dictas conditiones ſolùm præſcripſiſſe pro donationibus ſiue renunciationibus factis ſiue faciendis à Nouitiis iam inducentibus habitum religionis, & viuentibus in monaſterio, pertinentibuſque ad ſtatum regularium: cuius recto regimini proſpicere in illa lege Concilium intendebat. Et merito hoc ſubdidit Nauarrus: quia in hac parte datur optio ſentiendi Doctoribus, & iudicandi Iudicibus Eccleſiaſticis in alterutram partem: eò quòd pro vtraque extant declarationes Congregationis Cardinalium, & Rotæ, provt alibi diximus, etſi frequenter Iudices ſeculares ſequantur partem affirmatiuam, nimirum dictas donationes & renunciationes valere, & non includi ſub lege Concilij, maximè in fauorem cognatorum factas, & cum præiudicio monaſterij adeundi.

DVBIVM VII.

Vtrum ſi dictus Nouitius toto anno probationis in lecto decumbat, poſſit ad legitimam de iure ordinario profeſſionem completo anno, rite & validè admitti?

SVMMARIVM.

53 *Tria pro intelligentia quæſiti prænotantur; quorum Primum eſt, dictum ægrotantem poſſe vno ex duobus modis infirmari.*

54 *In quacunque deinde Religione ad profeſſionis valorem requiritur integer annus præuius probationis.*

55 *Annus inſuper probationis debet eſſe integer & continuus, & cum delatione habitus regularis.*

56 *De continuitate anni probationis diſſidium eſt inter Auctores.*

57 *Quibus prænotatis dubitatur; vtrum Nouitius, qui morbi cauſa toto anno Nouitiatus neque habitum detulit, neque auſteritates Ordinis expertus eſt, in fine eiuſdem anni, validam poſſit emittere profeſſionem?*

58 *Delatio habitus Regularis eſt de ſubſtantia anni probationis.*

59 *Nouitius ſi cum hoc defectu in fine anni emittat tria vota ſolemnia, & per aliquot annos maneat in monaſterio reputando ſe profeſſum, non tamen eſt verè profeſſus, neque tacitè, neque expreſsè.*

60 *Cui tamen ſententiæ, quamuis rationibus & argumentis probabili, oppoſita in praxi eſt tenenda.*

PRo cuius intelligentia prænoto Primò, † dictum ægrotantem poſſe vno ex duo- 53
bus modis infirmari. Aut enim eius ægritudo eſt permanens & habitualis: & ſic idem iudicium faciendum eſt de illo atque de laborante morbo Gallico, vel paraliſi, aut ſimili, recepto ad profeſſionem: de quo diximus *ſupra dubio 3. circa 4. impedimentum*, valere quidem eius profeſſionem, ſed grauiter peccare eum ad profeſſionem ſcienter recipientes. Idémque dicendum eſt de huiuſmodi Nouitio laborante morbo aliquo habituali & permanente, & ſic cum illo ſcienter ad profeſſionem recepto: dummodo tamen verè & ſimpliciter durante anno probationis rigores ordinis expertus fuerit, & habitum ordinis portauerit per aliquot menſes. Sin minus, reſtat dubium de valore eius profeſſionis ex defectu anni probationis: quod in præſentiarum eſt examinandum. Aut talis ægritudo non eſt permanens & habitualis, ſed temporalis & curabilis ad tempus, cuiuſmodi ſunt febres tertianæ, aut punticulares, aut etiam pleuritis, licet ob debilitatem ſubiecti plus ſolito prolongentur. Et tunc videndum eſt; vtrum ſi talis recipiatur ad profeſſionem, eius profeſſio ſit validè & ritè emiſſa, non quidem propter impedimentum infirmitatis, (ſupponimus namque huiuſce generis infirmitatem profeſſionem non impedire) ſed propter defectum anni veræ probationis ab Eccleſia petiti & conſtituti ad cuiuſcumque validam profeſſionem. Secundò prænotare oportet de iure communi Eccleſiaſtico, & nouiſſimè à Concilio Tridentino *ſeſſ. 25. cap. 15. de regularibus*, poſtulari † in quacumque 54
religione tam virorum, quàm fœminarum, ad valorem profeſſionis integrum annum præuium probationis, ibi: *Profeſſio non fiat ante decimum ſextum annum expletum, nec qui in minori tempore quàm per annum poſt ſuſceptum habitum in probatione ſteterit, ad profeſſionem admittatur: profeſſio autẽ antea facta ſit nulla, &c.* Huiuſmodi autem annum probationis non debere eſſe probationis fictæ aut nominalis, ſed veræ ac realis: ita vt probatio ſit actiua & paſſiua. Actiua quidem:

dem : qua scilicet Nouitius leges , rigores & austeritatem ordinis experiatur : Passiua verò, qua Prælati & Patres monasterij ipsius Nouitij mores , vires & valetudinem probent & experiantur : liquidò constat ex eo quòd alioquin Ecclesia medium inutile & frustraneum ad institutionem Nouitiorum assumeret, & ad tantæ rei scilicet professionis valorem, conditionem parui momenti & nullius vtilitatis, nimirum probationem nominalem institueret. Quo scilicet finis legis & intentio legislatoris frustraretur , dum multoties Nouitij ad inexpertum habitum , & inexpertam professionem admitterentur inuoluntarij : siquidem huiusmodi ignorantia grauis esset , ac proinde inuoluntarium causaret ; quod libertati professionis & votorum solemnium contrariatur.

55 Tertiò prænoto huiusmodi † annum probationis insuper debere esse integrum & continuum, & cum delatione habitus regularis , vt vera probatio & non tantùm nominalis fiat in illo. Cuius quidem notabilis singulæ partes probantur. Prima quidem, nimirum quod dictus annus probationis debeat esse integer, probatur ex præfatis Verbis Concilij Tridentini: *Nec qui in minori tempore quàm per annum post susceptum habitum in probatione extiterit, ad professionem admittatur.* In quibus manifestè integritas anni à Concilio diffinitur, vt cõmuniter

56 tenent omnes Doctores. De † continuitate verò est dissidiũ inter illos : licet enim omnes existimẽt de facto iam regulariter talẽ continuitatẽ requiri ad valorẽ professionis, non tamẽ fuisse à Concilio Tridentino diffinitã, quia in dicto Decreto nullũ verbũ adiecit significans continuitatẽ : ac proinde hoc reliquit Conciliũ sub opinione, sicut antea erat, vt habet Rodericus *tom. 3. quæst. regulat. quæstione 15. art. 8.* vbi dicit, eos qui in aliquibus Religionibus emiserunt professionẽ post annũ integrũ probationis, discretum tamẽ & non continuũ, habentibus priuilegiũ cõputandi annũ probationis Nouitijs discretũ & interpolatũ, provt habebat Franciscana ex Iulio II. & Dominicana in *cap. de Nouitiis, constitutione 1.* vbi sic habetur. *Nouitij recedentes sine licentia cũ habitu à Conuentu, nisi infra octo dies ad eundem redierint , pro refutatis ab ordine habeantur. Et si ad alium Conuentũ declinauerint, & fuerint ab eo acceptati , pro Nouitiis volumus annũ probationis inchoare ab illo die, quo acceptati fuerint in eo Conuentu &c.* Quibus verbis decernitur, quod si infra octo dies Nouitius qui egressus fuerat sine licentia & cum habitu, ad eundẽ Conuentũ redierit, possit annũ inceptũ continuare. Quibus constitutionibus siue priuilegiis non videtur Conciliũ Tridentinũ obstare, neque eas derogare, sed in robore suo relinquere iuxta hanc sententiã : eò quòd annum probationis ad continuitatẽ non restrinxit, quã probabilem existimo. Tum ob rationẽ factã : tum etiam specialiter respectu Dominicanæ constitutionis & Religionis, quia interpollatio triũ aut quatuor dierum non videtur considerabilis, neque tollere anni continuitatẽ simpliciter, eò quòd parum pro nihilo reputatur : etsi probabilior sit aliorum sententia, asserentium dicta priuilegia & ordinum aliquorum constitutiones, esse per dicti Concilij decreta derogata , ac proinde neque posse neque debere seruari. De quorum numero sunt Hieronimus à Sorbo Capucinus, *in compendio priuilegiorum*, Verbo *Nouitius*, & noster Frater Petrus Martyr *in summario constitutionum, parte 2. cap. 14.* qui eadem sibi persuadent multipliciter. Primò quia de iure communi annus probationis debet esse continuus & non interpollatus, vt probat Panormitanus ex *cap. ad Apostolicam de regularibus* : eò quòd iste annus institutus est ad experiendum austeritates religionis, quæ maximè in continuatione consistunt : posset namque aliquis facilè ieiunare quadraginta dies , si vnum diem refectionis interponeret. Et quia in dicta Decretali, dum indefinitè dicitur *austeritates*, omnes vniuersaliter videntur comprehendi : posset autem Nouitius interpollans annum probationis non experiri omnes : nam si egrederetur tempore Quadragesimæ , vel Aduentus, vel Hyemis, vel æstatis , non experiretur horum temporum austeritates. Et Bartolus probat eandem ex *lege interdum ff. de public.* vbi dicitur. *Seruus veteranus qui anno continuo seruiuit : nouitius autem , qui non seruiuit anno continuo.* Secundò , quia quoties iura loquuntur de annuali spatio vel menstruo , de continuo sunt intelligenda , vt notat quædam Glossa *super Rubrica ff. de veritate temporis* : eò quòd omne tempus regulariter debet esse continuũ : & quia plura coaceruata siue interpollata, aut discreta , non sunt propriè vnum. Tertiò quia si Nouitius per tres aut quatuor dies , imo etiam per vnum deficit , non apparet stabilis in sua vocatione , quæ tamen stabilitas à Iure est petita, & Religiosis valde necessaria. Cum ergo dictum decretum Concilij Tridentini confirmet ius commune & antiquum , & iuxta morem iuris sit intelligendum : consequens est illo non solùm integritatem , sed etiam continuitatem anni probationis decerni & cõfirmari. Vltimò ex Nauarro. *lib. 3. consiliorum tit. de regularibus, consilio 37.* vbi docet professionem illius Nouitij qui annum probationis interpollauit , se ab vno Conuentu in alium eiusdem religionis sine licentia transferendo, invalidam esse , quia annus probationis debet esse continuus, ante & post Concilium Tridentinum. Tum etiam quia omne tempus statutum à Iure debet esse indubiò continuum, iuxta Glossam superius citatam. Tum denique quia ita in Sacro Pænitentiariæ prætorio fuit diffinitum ac iudicatum.

Quibus sic prænotatis, quod vertimus in dubiũ est : † *Vtrum ille Nouitius, qui toto anno nouitiatus, aut fere toto, neque habitum detulit, neque austeritates ordinis expertus est, propterea quod in lecto decubuit, laborans morbo siue curabili siue incurabili , possit validam in fine anni eiusdem professionem emittere ?* vel *Vtrum eius professio sic emissa censenda sit inualida, propter defectum anni veræ probationis à Iure & à Concilio Tridentino petiti & requisiti ad professionis valorẽ?* Cui dubio planè respondent plures consulendũ fore, talem professionẽ (nisi fiat ex speciali licentia vel Summi Pontificis dispensatione) illicitam & inualidam esse. Illicitam quidem quia fit contra prohibitionem Iuris & Concilij , & in manifestum detrimentum monasterij , & obseruantiæ regularis. Inualidam verò esse probatur dupliciter. Primò quia annus veræ probationis integer & continuus vt dictum

57

est, requiritur necessariò ad valorem professionis emittendæ ipso anno completo & peracto: ita vt talis professio aliter facta sit nulla & inualida omnino : vt constat ex adducto decreto Concilij Tridentini. Sed iste Nouitius infirmus & in lecto decumbens,non peregit annum veræ probationis, quia neque eius probatio fuit actiua neq;passiua:non quidem actiua,quia non verè & simpliciter expertus est religionis austeritates:neque passiua,quia Conuentus non verè eius vires,mores, & valetudinem expertus est: imo solùm eius fragilitatem & infirmitatem probauit, vt ex facti narratione liquidò constat:ergo eius professio post annum emissa,habenda est pro nulla & inualida,vt pote facta sine anno veræ probationis de iure ad valorem professionis requisito. Secundò quia etiam ad valorem talis professionis , requiritur de Iure delatio habitus ipsius Religionis in toto anno, aut in maiori parte anni probationis à Nouitio: Atqui vt supponitur, dictus Nouitius nulla die habitum suæ religionis portauit, siquidem toto anno nouitiatus fuit in lecto infirmariæ decumbens:ergo ob defectum huius conditionis etiam eius professio est inualida. Maior patet,
58 quia † delationem habitus regularis esse de substantia anni probationis probat Rodericus *in dicta quæst. 15. articul. 9. ex lege 3. tit. 7. partita* 1. vbi sic habetur. *Otro si el que entra en orden en algun monasterio, debe vestir el habito de aquel orden, ca de otra manera no podia bien probar la aspereza de la orden, porque vna gran parte de la graueza de la regla es en las vestiduras.* Et quamvis ius ciuile directè non liget Ecclesiasticos aut religiosos, bene tamen quando est conforme iuri Ecclesiastico : huiusmodi autem lex ciuilis & Regia est conformis iuri Ecclesiastico, *in cap. super eo de regularibus*; vbi disponitur secundum Abbatis Glossam , esse de substantia nouitiatus vt Nouitius experiatur regulam in ipso habitu regulari; vt etiam aduertit Gregorius Lopes *in prælegata lege partita*. Igitur secundum vtrumque ius delatio habitus est de substantia anni probationis : ac proinde ea deficiente , deficit annus veræ probationis de iure ad valorem professionis requisitus;& consequenter talis professio ipso iure est nulla quoad omnes effectus.

Hinc infero cum Nauarro *vbi supra* , quod
59 etiamsi † dictus consulens cum hoc defectu, in fine anni emittat tria vota solemnia, & per aliquot annos maneat in monasterio reputando se professum , non est verè professus tacitè, neque expressè : & consequenter illum posse ad quamlibet aliam religionem transire , vel potius intrare quamlibet aliam de nouo sine vlla alia dispensatione , si tamen valeat annum probationis in illa peragere , experiendo eius austeritates:eò quòd talis professio expressa fuit nulla vt dictum est, & aliàs ex permanentia in monasterio non inducitur tacita professio:nam qui post professionem inualidè factã siue sciens siue ignorans bona fide eius nullitatem,in monasterio perseuerat,non censetur satis ratificare illam, teste Caietano *22. quæst. 1. 89. art. 9.*

60 Verùm quamuis † hiis rationibus & argumentis fiat hæc opinio probabilis,& mihi speculatiuè loquendo fortè probabilior:nihilominus opposita in praxi est tenenda, quam sustinet Nauarr. *lib. 3. consiliorum tit. de regularibus consilio 42. circa finem*, dicens ; *Nullo iure est necessarium, vt Nouitius probet & experiatur omnes austeritates monasterij in individuo, siue in specie ; sed sufficit vt experiatur eas in genere per totum vnum annum, degendo sub obedientia Prælati. Si enim Nouitius statim post susceptum habitum inciperet ægrotare , & maneret æger, quatuor, sex , vel decem menses intra monasterium sub obedientia, posset in fine anni profiteri secundum mentem omnium Doctorum , quorum nemo dicit, neque vt puto auderet dicere contrarium &c.* Eamdémque sententiam sensu & verbis fere eisdem sequuntur Rodericus *in summa tomo. 2. cap. 6. n. 13. & cap. 8. num. 3. & tomo 3. regularium quæstionum, quæst. 12. art. 3. & quæst. 15. art. 10.* Suarius *tom. 3. de religione lib. 5. cap. 14. num. 15.* Sanchez *in summa tomo 3. lib. 5. cap. 4. num. 52.* & Bonacina *de clausura, quæst. 2. puncto 10. difficultate 2. §. 6.* Idémque sentiunt dicendum esse de senibus, quos inquit Rodericus *in dicto art. 3. quæst. 12.* dispensatiuè posse aliquãdo admitti ad Religionem , tum ob ædificationem Cleri & populi, tum etiam vt adolescentes confundãtur, fortitudinem suam ad Deum non custodientes , videntes senes suam imbecillitatem Deo consecrantes. Neque per aduerbium illud *dispensatinè*, intelligit cum dispensatione summi Pontificis , & non aliàs , posse Senes ad Religionẽ & professionem admitti. Nam inteterueniente tali dispensatione , citra dubium est posse senes & continuò ægrotantes per totum annum nouitiatus , in fine illius ad professionem ritè & validè admitti : Sed intelligit idem,atque rarò, siue aliquando & ex rationabili causa , & non sine illa posse talis admitti ad professionem. Et merito;quia cum senectus sit morbus incurabilis , regulariter senes sunt imbecilles ad sustinendas asperitates Religionis , & ideo non debent regulariter recipi , neque horum receptio regulariter caret vitio & culpa in recipientibus , ob iniuriam quam irrogant monasterio, illud grauando & onerando personis ineptis ad Religionis onera sustinenda , & quæ suis continuis infirmitatibus & languoribus Religionis rigorem & regularem obseruantiam relaxant : nisi vrgente causa vel valde rationabili interueniente. A qua culpa non purgatur receptio quoque Nouitiorum ægrotantium per totum annum nouitiatus, si desperata sit eorum valetudo:quia tunc currit eadẽ ratio iniuriæ & grauaminis illati Conuentui, provt *supra* docuimus de receptis ad religionẽ cum aliquo morbo incurabili. Igitur concludendo dico,ægrotantẽ per totum annum nouitiatus,posse in fine illius validam professionem emittere : quia sub obedientia degens probat & experitur austeritates ordinis in genere,quod sufficit ad valorẽ professionis,excusabuntúrque talem sic recipientes à peccato:quando aut probabilem habent iudicio Medicorum spem de eius valetudine : aut si desperata sit eius valetudo,vt in senibus & laborantibus morbo habituali,quando interuenit vrgens seu valde rationabilis causa ob quam,& non aliàs iustificatur talis dispensatiua receptio. Alioquin militat in illis duplex impedimentũ obstans,si non valori,saltem iustificationi professionis ; nimirũ defectus anni veræ probationis,& morbus incurabilis,cũ quo non possunt Prælati & Religiosi monasterij petentem habitum scienter recipere:provt *supra* dictum est.

DVBIVM

DVBIVM VIII.

De professione tacita, quando, & quomodo incurratur?

SVMMARIVM

61 *Ad professionem tacitam tria requiruntur.*
62 *Tacita professio nequaquam fuit à Concilio Tridentino derogata aut sublata.*
63 *Duplex in iure datur professio, tacita scilicet & expressa.*
64 *In iure antiquo admittitur quadruplex modus tacitæ professionis.*
65 *Nouitius gestans habitum Professorum, aut communem Nouitijs & professis per tres aut quatuor dies post completum annum probationis, cum proposito mutandi vitam, coram Deo adstringitur legibus ac votis Professorum.*
66 *Eadem est ratio taciti & expressi.*
67 *Nouitius habens habitum distinctum à professis, finito anno probationis non incurrit tacitam professionem.*
68 *Prælati sine rationabili causa detinentes Nouitium completo anno probationis, peccant.*
69 *Nouitius, etiamsi Nuncius Apostolicus iusta de causa eius professionem detineat, completo anno probationis, & simul à Conuentu admissus, tacitam incurrit professionem.*
70 *Votum solemne in Sacri Ordinis susceptione emissum, impedit matrimonium contrahendum, ac dirimit contractum.*

RESpondeo prænotando cum Nauarro communiter recpto *tomo. 3. consiliorum*
61 *titulo. de regularibus, consilio* 41. *& consilio* 89. † tria ad professionem tacitam requiri: videlicet quod habitus nouitiorum sit indistinctus ab habitu professorum ex *cap. 1. §. qui vero, de regularibus*, nec non quod Nouitius deferat eum intra claustra monasterij, aut etiam extra claustra de licentia Prælati, nam tunc censetur manere in claustro, eò quòd manet sub obedientia Superioris; vt bene notant ambo Abbates, scilicet antiquus & Iunior qui postea fuit: Panormitanus *super cap. illorum de sententia excommunicationis.* Ac tandem requiritur, quod Nouitius prædicto modo deferat habitum per integrum annum continuum ex communi Doctorum sententia *super cap. 1. de regularibus in 6.* Eandem doctrinam sequitur Roderius *tom. 3. regularium quæst. 17. art. 1. 2. & duobus sequentibus*, dicens requiri ad tacitam professionem tres conditiones à Nauarro citatas: & insuper addit alias duas: nimirum quod Nouitius sciat per talem habitus gestationem fieri professum: tunc enim & non aliàs censetur velle profiteri, & in tacitam professionem consentire. Rursus quod talis gestatio habitus fiat scientibus & consentientibus Religiosis ac Prælatis, ad quos spectat recipere Nouitios ad habitum & professionem, atque eos religioni incorporare: eò quòd professio est quidam contractus vltro, citróque obligatorius, ad quã proinde requiritur vtriusq; partis consensus. Sed re bene inspecta, istæ duæ conditiones à Roderico superadditæ, in tribus à Nauarro notatis bene intellectis includuntur, Cum quibus & non aliàs incurritur à Nouitio tacita professio.

Secundò notare oportet, huiusmodi † taci- 62
tam professionem nequaquam fuisse à Concilio Tridentino *sess. 25. cap. 16. de regularibus* derogatam aut sublatam: dum præfiniens tempus probationis, scilicet annum, Nouitijs cuiusvis Religionis ad legitimam professionem emittendã requisitum, sic ait. *Finito tempore Nouitiatus, Superiores, quos habiles inuenerint ad profitendum admittant, aut è monasterio eos ejiciant &c.* Nam licet eiusmodi verbis videatur prima facie Sacrum Concilium tacitam professionem excludere, siquidem videtur non admittere medium finito anno probationis, inter celerem admissionem Nouitij ad solemnem professionem, cuius normam ibi præbebat, atque eiusdem Nouitij à monasterio expulsionem: professio autem tacita medium quoddam est inter vtrumque extremum: verumtamen Concilium etsi non expressè admiserit tacitam professionem, sed neque eam excluserit, vt scitè probat Nauarrus *tit. citato de regularibus* in duobus locis, scilicet *consilio* 28. *§. ad octauam, & consilio* 30. In quorum primo sic ait. Ad octauam respondetur, quod Concilium Tridentinum non tollit professiones tacitas, & ideo post illud perinde sunt habendi pro tacitè professis illi, qui per annum totum nullatenus interruptum gestarunt habitum indistinctũ ab habitu professorum, ac ante illud: & consequenter qui acceperunt illum in decimo septimo anno, vel prius si gestarunt illum toto vno anno, donec ingrederentur decimum octaum, censendi sunt tacitè professi. Intellige nisi reclamauerit, dicens nunquam fuisse sibi animum profitendi, seruatisque alijs recensitis conditionibus, vt quod Conuentus non dissentiat, aut cum non præuenerit dicens; non te existimes professum, donec in manibus Prælati expressam ac solemnem emittas professionem: provt in Dominicano Ordine fieri consueuit. Casus enim iste fuit omissus à Concilio; nam per hoc quod iubet Nouitios completo anno Nouitiatus aut statim admitti, aut expelli, non dicit quod si permanserint, non habeantur pro professis: & casus omissus relinquitur in dispositione iuris communis. Et hæc sit prima explicatio Concilij approbata à Roderico, referente adductam Nauarri doctrinam *in calce articuli* 1. præallegati. In Secundo verò aliam adducit Nauarrus expositionem, dicens quod Concilium *in dicto cap.* non disponit, quod Superiores statim finito anno nouitiatus cogãt Nouitios ad profitendum, sed solùm quod admittant eos aut reijciant: & cogere ad profitendum est aliud quàm admittere ad professionem vel reijcere, & à diuersis non fit illatio; sicut aliud est admittere præsentationem, & aliud instituere præsentatum siue conferre ei beneficium. Potest namque Prælatus cui fit præsentatio post eam admissam, differre collationem, etiam maiori tempore, quàm liberam: nam istam tenetur facere intra sex menses à vacatione, secus verò illam. Similiter superior in cuius manibus renunciatur beneficium, potest renunciationem admittere & collationem differre.

Tertiò notandum est, duplicem in iure dari professionẽ, nimirum expressã & tacitam, vt bene notat Nauar. *in consilijs præallegatis* 30.

& 89. & *ſuper cap. cui proportio* & *ſuper cap. ſtatuimus, de regularibus:* ad profeſſionem autem expreſſam quatuor deſiderantur, ſcilicet quod fiat in manibus Prælati, & finito integro anno nouitiatus atque completo anno ætatis decimo ſexto, cum geſtatione habitus. Hinc fit vt eiſdem ſeruatis conditionibus proportionabiliter & non aliàs, poſſit aut debeat fieri profeſſio tacita. Et cum aliàs à iure antiquo nunquam videatur receſſum, niſi quatenus per nouum expreſsè receditur; & ante præfatam Concilij Tridentini conſtitutionem eſſet in vſu & conſuetudine tacita profeſſio, etiam nũc poſt Concilium admittenda eſt, ſeruatis tamen ſeruandis.

Quibus ſic prænotatis probatur noſtra aſ-
64 ſertio Primò; Nam † in iure antiquo admittitur quadruplex modus tacitæ profeſſionis. Primus per hoc quod Nouitius immiſcet ſe in actibus profeſſorum ex *cap. vidua de regula.* Secundus quando poſt annum geſtat habitum indifferentem nouitiis ac profeſſis. Tertius quando habitus profeſſorum eſt diſtinctus, & geſtat Nouitius illum per tres dies, ex *cap. ad noſtram eodem tit.* Quartus *ex cap. conſulti*, quãdo Nouitius geſtat habitum nouitiorum intra clauſtra cum propoſito mutandi vitam. Qui modi iam poſt Tridentinum non valent, niſi poſt completum annum probationis & ætatis decimum ſextum; quia tunc & non aliàs determinat Concilium poſſe fieri expreſſam profeſſionem; & profeſſio tacita non poteſt fieri, niſi quando Nouitius eſt aptus facere expreſſam. Cum hijs autem conditionibus Concilij prædicti modi tacitæ profeſſionis non ſunt reuocati, neque excluſi per ius noum Concilij: ergo manent in ſuo robore, quia à iure antiquo non eſt recedendum, quando expreſsè per nouum non reuocatur.

65 Secundò probatur, quia † Nouitius qui ſeruatis prædictis conditionibus geſtaret habitũ proprium profeſſorum, aut communem nouitiis & profeſſis per tres dies aut quatuor, poſt completum annum probationis, cum propoſito mutandi vitam, reuera coram Deo adſtringeretur legibus ac votis profeſſorum, & in foro exteriori etiam deficiente tali propoſito (ſi oppoſitum non probaret) compelleretur ad vouendum ſolemniter: ergo cum non detur bellum iuſtum ex vtraque parte; conſequẽs eſt iſtum adſtringi tacita profeſſione in vtro-
66 que foro. Tertiò probatur: nam † eadem eſt ratio taciti & expreſſi; vt tenet communis Iuriſtarum ac Theologorum ſententia. Atque conſtat dari profeſſionem expreſſam ſeruatis ſupradictis conditionibus: ergo ſi ſeruentur tacitè ſiue actu exercito tales conditiones, erit profeſſio tacita. Si dicas, poteſt contingere, quod aliquis obſeruet cunctas prædictas conditiones de iure requiſitas, v. g. quod geſtet habitum indiſtinctum ac proprium profeſſorum per duos aut plures dies, aut etiam indifferentem ſeu communem Nouitijs ac Profeſſis, poſt completum annum continuũ Nouitiatus, & quod immiſcuerit ſe in actus aliquos Profeſſorum, ſciens per huiuſmodi incurri tacitam profeſſionem, & habens animum mutandi vitam, & nihilominus non incurrat tacitam profeſſionem; eò quòd ante fecit expreſsè profeſſionem inualidam, bona fide credens fuiſſe validam, aut etiam mala fide; quia ſcilicet metu coactus, aut ante ætatem, aut ante completum annum probationis illam emiſit?

Reſpondet Nauarrus *in adducto conſilio* 89. Verum eſſe quod in hoc caſu non incurritur tacita profeſſio; quia dum iſte perſeuerat in religione, putans eſſe validam ſuam expreſſam profeſſionem, errore ſiue ignorantia ducitur, & ignorans non cenſetur conſentire, etſi habeat animum ratificandi illam, nihil operatur, quia animus cadit ſupra inualidam. Si autem cognoſcat illam eſſe inualidam, & à die quo id ſciuit incipiat noum annum Nouitiatus continuum, & cum geſtatione habitus, perſeuerétque vltra illum animo profitendi, vel ratam faciendi priorem profeſſionem, tunc incurret tacitam profeſſionem. Igitur hæc conditio quod prius non fuerit facta expreſſa profeſſio inualida, ſubiungenda eſt cæteris conditionibus aut in illis ſubintelligenda.

Hinc colligo Primò, quod vbi † Nouitij ha- 67
bent habitum diſtinctum & non communem cum profeſſis; vt in ordine Minorum Sancti Franciſci, non incurrunt finito anno probationis, tacitam profeſſionem, quouſque habitu profeſſorum induantur. Quid ſi Sacerdotes nouitij habitum eundem profeſſorum honoris gratia portent: vt in dicto ordine Franciſcano conſueuit fieri? Reſpondetur cum Roderico *quæſt. cita a art.* 3. incurrere tacitam profeſſionem, ſi dictum habitum per integrum annum geſtent. Neque obſtare quod habitus iſte detur eis non benedictus; quoniam cum hæc diſtinctio non ſit patens, neque eſt ſufficiens impedire tacitam profeſſionem ex iure nouo Clementinæ *Eo, de regularibus*, introductam.

Colligo Secundò, peccare eos Prælatos qui 68
ſine rationabili cauſa detinent Nouitium completo anno probationis, non admittendo aut non expellendo illicò eum: eò quòd agunt contra præceptum Concilij Tridentini; eſt enim lex illa præceptiua continens præceptum in re graui, quam proinde violantes, peccant lethaliter. Verumtamen hæc Prælatorum irrationabilis detentio non tollit, quominus Nouitius ſic detentus incurrat tacitam profeſſionem: quia dicta prohibitio Concilij reddit detentionem illicitam & non ritè factam; ſed non reddit inualidam profeſſionem: quoniam non eſt lex irritans, niſi tantùm prohibens. Sed contra videtur eſſe regula iuris in Sexto, *Quæ contra ius fiunt, habentur pro infectis.* Cui nihilominus reſpondetur, eam non habere locum in contractibus, qui poſſunt validè & non rite fieri, ſed in alijs actionibus, quæ ita dependent à lege, vt ſi fiant contra illam, nullo gaudent valore.

Colligo Tertiò, quòd ſi † Nuntius Apoſto- 69
licus iuſta de cauſa detinet Nouitij profeſſionẽ v. g. vt debita in ſeculo contracta prius ſoluat, ac creditoribus ſatisfaciat, vt in ſpecie contigit hoc anno 1638. in hoc cœnobio Sancti Stephani Salmantino, nihilominus anno probationis completo, & ſemel à Conuentu admiſſus, tacitam incurrit profeſſionem. Quoniam licet prohibitus ſit tunc profeſſionem emittere, non tamen præcepto, aut lege irritante, niſi in litteris Apoſtolicis nullitas profeſſionis fuiſſet expreſſa. Dices: tunc durante

tempore

tempore prohibitionis Nuntij iſte Nouitius non poterat emittere profeſſionem expreſſam: ergo neque tacitam incurrere: quia hæc non poteſt incurri, niſi quando expreſſa poteſt fieri. Reſpondeo etiam tunc potuiſſe Nouitium expreſſam emittere profeſſionem, validè quidem licet non ritè: primúmque ſufficit vt tacita profeſſio incurri poſſit. Quemadmodum olim erat prohibita iure antiquo receptio ad habitum, & profeſſio habentis delictum graue deductum ad externum iudicium, atque ære alieno grauati, & ſanguine Sarraceno aut Iudaico infecti: quorum receptiones & profeſſiones poſtea Sixtus V. irritas fecit, ſed Gregorius XIII. demum ad ius commune reduxit, & tamen olim ſtando in iure antiquo erant validæ tales profeſſiones licet prohibitæ à iure. Cuius prohibitio non operabatur vt profeſſio tacita aut expreſſa eſſet nulla, ſed ſolùm, vt non eſſet rite facta.

Quartò colligo cum eodem Roderico *tomo 3. regula, q. 1. art. 2.* & Gloſſa ſuper Decretali
70 vnica *quod votum de voto in 6.* per † votum ſolemne in Sacri Ordinis ſuſceptione emiſſum, atque etiam per alicuius Religionis approbatæ profeſſionem expreſſam ſeu tacitam, impediri matrimonium contrahendum, ac dirimi ſemel contractum. Huius ratio eſt, quod profeſſio tacita eſt verè profeſſio ſolemnis, ac proinde operatur eoſdem effectus veræ ac ſolemnis profeſſionis. Dices: ergo Nouitius ſic tacitè profeſſus gaudebit honoribus ac priuilegiis profeſſorum, præcedétq; ſede ac loco alios, qui ante ipſum emiſerint expreſſam profeſſionem. Reſpondeo negando conſequentiam: quia etſi operetur effectus fori interni; ſiquidem tenetur præceptis & legibus profeſſorum, & manet inhabilis ad contrahendum matrimonium. Secus verò effectus fori externi quoad ſedem & locum, ſiue quoad ſuffragium in Capitulo, maximè in electionibus Canonicis: habendus eſt enim tacitè profeſſus quoad hæc omnia pro Nouitio, & in ſerie Nouitiorum computandus. Poſſet namque poſtea retrocedere, & probare in foro externo ſe non conſenſiſſe: quod eſt inconueniens, ob quod, ius non admittit ad huiuſmodi actus tacitè profeſſos: quod ſi aliquando aut alicubi tacitè profeſſus fuerit ad tales actus admiſſus, aut talibus priuilegiis potitus, id de facto, non de iure contigiſſe cenſendum, neque per legitimam conſuetudinem, ſed per corruptelam introductum.

QVÆSTIO XXVII.

De clauſura Regularium in duas difficultates diuiſa.

DIFFICVLTAS I.

Vtrum Religioſus, ſiue Monachus, ſiue Ordinis mendicantium poſſit ob neceſſitatem parentum Monaſterium exire, & extra clauſtrum manere, retento ſui ordinis habitu?

SVMMARIVM.

1 *Referuntur tres ſententiæ huius difficultatis, quarum Prima abſolutè negans videtur habere fundamentum in D. Thoma, & variis argumentis ſuadetur.*
2 *Secunda ſententia eſt abſolutè affirmans, probatúrque ex eo, quod obligatio iuris naturalis eſt prior & irreuocabilis per quamcumque ſuperuenientem obligationem.*
3 *Tertia ſententia media via incedens diſtinguitur dupliciter, & quia eſt communiter recepta, ſtatuitur pro concluſione; eiúſque prima pars triplici argumento probatur.*
4 *Vota ſolemnia non debent eſſe impedimenta operum iuſtitiæ.*
5 *Secunda pars concluſionis probatur quatuor argumentis.*
6 *Reſpondetur argumentis in contrarium adductis; & quidem Primò ſenſus D. Thomæ ſupra citati explanatur.*
7 *Vinculum profeſſionis licet ſit perfectius vinculo matrimonij carnalis, iſtud tamen eſt fortius, quantum ad aliquid.*
8 *Alia eſt ratio exeundi à monaſterio cum retentione habitus, alia cum dimiſſione.*
9 *Solus Papa poteſt diſpenſare in dimiſſione habitus Religioſi.*
10 *Monachus iuſtè poteſt relinquere habitum ex rationabili cauſa & de licentia Prælati etiam immediati.*
11 *Referuntur caſus, in quibus licitum eſt Regularibus de licentia ſuorum Prælatorum habitum dimittere, abſque temeritate in Sacris Canonibus damnata.*
12 *Facta ludrica vel iocoſa, vt honeſta ſint, debent fieri cum tribus circumſtantiis.*
13 *Prælati de iure communi & priuato cuiuſuis Ordinis Regularis, habent facultatem eiiciendi ab ordine incorrigibiles, eoſque habitu priuandi.*

IN qua † tres verſantur ſententiæ, duæ extremæ & vna media. Prima abſolutè negans eſt, quæ videtur habere fundamentum in Diuo Thoma 2. 2. q 101. *articulo 4. in ſolutione ad 4.* Vbi ad propoſitum argumentum, quod intendebat probare, Religioſis profeſſis ex vi voti ſolemnis, non licere ſuis Parentibus in neceſſitate conſtitutis ſubuenire. Tum propter paupertatem, quia proprio carent: Tum etiam propter obedientiam, qua ſine licentia ſuorum Prælatorum eis clauſtrum exire non licet: ſub hac diſtinctione reſpondet. *Aliud dicendum eſt de eo qui eſt adhuc in ſeculo conſtitutus; & aliud de eo qui iam eſt in Religione profeſſus. Ille enim qui eſt in ſeculo conſtitutus, ſi habet parentes qui ſine ipſo ſuſtentari non poſſunt, non debet eis relictis religionem intrare: quia tranſgrederetur præceptum de honoratione parentum. Quamuis quidam dicant quod in hoc caſu licitè poſſet eos deſerere, eorum curam Deo committens. Sed ſi quis rectè conſideret, hoc eſſet tentare Deum: cum habens ex humano conſilio quid ageret, periculo parentes exponeret ſub ſpe diuini auxilij. Si verò ſine eo parentes vitam tranſigere poſſent, licitum eſſet ei deſertis parentibus religionē intrare, quia filij non tenentur ad ſuſtentationem*

nem parentum niſi cauſa neceſſitatis, vt dictum eſt. Ille verò qui iam eſt in religione profeſſus, reputatur iam quaſi mortuus mundo. Vnde non debet occaſione ſuſtentationis parentum exire clauſtrum, in quo Chriſto conſepelitur, & ſe iterum ſecularibus negotiis implicare. Tenetur tamen ſalua ſui Prælati obedientia & ſuæ religionis ſtatu, pium ſtudium adhibere, qualiter eius parentibus ſubueniatur.

Ex cuius ſolutionis poſtremis verbis planè conſtat ſecundum mentem Angelici Doctoris, Religioſo profeſſo non licere occaſione ſuſtentationis parentum in quantacumque neceſſitate clauſtrum exire, etiam ſui ordinis habitu retento: ſed tantùm tenetur pium ſtudium adhibere, qualiter parentibus ſubueniatur, intellige, manens intra clauſtrum : aliàs in vltima hac propoſitione affirmaret D. Thomas, quod in priori negauerat : quod eſt alienum à conſequentia & formalitate ipſius. Secundò probatur, quia Religioſus iam profeſſus comparatur coniugato : quippe cum votum ſolemne ſit quoddam ſpirituale matrimonium ac vinculum indiſſolubile, quo traditur religioni, ſicut vnus coniux traditur alteri indiſſolubiliter per matrimonium carnale: Atqui certum eſt vxoratum non poſſe licitè ob quamcumque grauem, imo neque ob extremam parentum neceſſitatem relinquere vxorem ; de qua propterea dictum eſt in ipſa prima contractus matrimonialis inſtitutione; *Geneſeos 2. Propter hanc relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori ſuæ* : ergo à fortiori neque religioſus poteſt ob extremam parentum neceſſitatem relinquere ſpiritualem vxorem, ac proinde neque monaſterium, quod eſt locus cohabitationis cum illa. Conſequentia patet. Nam ſicut profeſſio eſt perfectius vinculum, ita & eſt fortius : quod proinde ſtrictiorem petit cohabitationem, & magis firmam in monaſterio permanentiam. Tertiò probatur *ex cap. Placuit.* & *cap. monachi. 16. q. 1.* in quibus dicitur, Monachum peccare exeundo de clauſtro ; intellige de exitu ad permanendum & diu commorandum extra clauſtrum: alioquin citra dubium eſt ipſum non peccare, ſi exeat etiam ſine Prælati expreſſa licentia ad ſtatim redeundum. Quartò arguitur ex pluribus Capitulis Iuris Canonici, in quibus prohibetur Religioſis profeſſis dimiſſio proprij habitus, ita vt illum dimittendo etiam ad modicum tempus lethaliter peccent, & excommunicationem incurrant vt *cap. procliuus 20. q. 3. & cap. 2. ne Clerici vel monachi*, quod incipit *vt periculoſa, in 6.* Quæ confirmantur & renouantur à Concilio Tridentino *ſeſſ. 25. cap. 19. de regularibus*, decernente Religioſum nulla de cauſa debere relinquere, imo neque occultare ſui ordinis habitum. Si tamen parentum neceſſitas grauis, aut ſaltem extrema, eſſet cauſa ſufficiens ad licitè dimittendam cohabitationem in monaſterio : pariter eſſet ſufficiens ad licitè admittendum habitum ordinis per totum tempus, quo dicta neceſſitas duraret: neque enim ex Iure Canonico Religioſus maximè Monachus minus ad clauſuræ, quàm ad habitus detentionem obligatur : ergo. Patet conſequentia: quia poteſt dari caſus, in quo ad ſubueniendum parentibus ſit medium neceſſarium Religioſo mendicare ſine habitu in alieno ſolo, non minus, quàm extra clauſtrum permanere retento habitu.

Secunda † ſententia abſolutè affirmans eſt, cuius authores ſuppreſſo nomine citat Caietanus *vbi ſupra*, & eorum fundamentum innuit in eo conſiſtere, quod obligatio iuris naturalis eſt prior & irreuocabilis per quamcumque ſuperuenientem obligationem. Sed obligatio filiorum ad cultum & pium obſequium parentibus impendendum eſt iuris naturalis, vtpote pertinens ad quartum decalogi præceptum; ergo eſt irreuocabilis per quamcumque ſuperuenientem obligationem voti ſolemnis : ergo hac non obſtante tenebitur Religioſus profeſſus ad colendos parentes, & eis in graui nedum extrema neceſſitate conſtitutis debitum ſubſidium exhibendum: ergo poterit ac debebit clauſtrum exire ad illis in tali neceſſitate ſubueniendum. Diſcurſus eſt legitimus, cuius præmiſſæ cum prima & ſecunda conſequentia ſunt notæ: Tertia verò inde patet, quod ſi exitus iſte ſit medium neceſſarium ad talem ſubuentionem parentibus egenis præſtandam, obligatus ad finem, obligatus manet ad medium vnicum & neceſſarium ad talis finis conſequutionem. 2

Tertia † ſententia media via incedens diſtinguit dupliciter. Tùm ex parte neceſſitatis quæ aut eſt extrema, ita vt ſine ſubſidio & aſſiſtentia filij parentes eius non poſſint ſuſtentari : aut eſt citra extremam, ita vt ſine filij religioſi opera parentes poſſint ſuſtentari, quamuis non ita commodè ac facilè, ſed vix & ægrè, quia graui neceſſitate premuntur. Rurſus aut interuenit ad huiuſmodi exitum licentia Prælati : aut nulla interuenit. Et quidem in extrema neceſſitate poterit Religioſus manere extra clauſtrum ad ſubueniendum parentibus petita licentia, & non obtenta : in graui tamen neceſſitate citra extremam poterit exire clauſtrum & diu cõmorari extra illud, ad parentibus ſubueniendũ de licẽtia petita & obtẽta à Generali, ſiue etiam à Prouinciali, qui regulariter poteſt in ſua prouincia totum, quod poteſt Generalis in toto ordine. Quam ſententiam tenent Caietanus *in prædicto articulo 4.* & Nauarrus *lib. 3. conſiliorum, titulo de regularibus, conſilio 70. & quatuor ſequentibus*, atque *titulo de ſtatu monachorum, conſilio 4.* & *ſuper cap. ſtatuimus, & cap. non dicatis*, & *ſuper cap. monachi in commentario 2. & 4. de regularibus.* Eſtque communiter recepta ſententia, & ideo à nobis ſtatuitur pro concluſione. Et pro prima parte probatur Primò, quia tunc verum habet regula iuris, quod neceſſitas caret lege : ac proinde parentibus in extrema neceſſitate conſtitutis, in qua ſine filij religioſi opera non valent viuere, non tenet iſtum lex clauſuræ. Secundò quia ſicut Religioſo vnius ordinis concedit ius diuinum facultatem tranſeundi ad ſtrictiorem, petita licentia & non obtenta: ita & à fortiori ius naturale tribuit ei facultatem exeundi clauſtrum pro ſua aut parentum extrema neceſſitate, petita licentia & non obtenta. Tertiò probatur ratione eiuſdem Caietani, quæ quantum ad hoc efficax eſt : nimirum quod † vota ſolemnia non debent eſſe impeditiua operum iuſtitiæ, intellige quæ iure naturali ſint debita. Vnde licitum eſt religioſo accipere alienum, imo & bona Eccleſiæ ſeu Conuentus propter ſui vel parentum aut etiam alterius proximi extremam neceſſitatem, ſi aliter non poteſt eis ſubuenire : quia tunc omnia reputantur communia : igitur & tunc pariter 3 4

poteſt

poteſt ſubtrahere Prælato actualē obedientiam. Inefficax tamen videtur mihi quantum ad excludendam licentiam ſaltem petitam : quia D. Thomas *in 2. parte dictæ ſolutionis ad 4.* loquens de neceſſitate parentum ſuperueniente filio Religioſo iam profeſſo, abſolutè & ſine vlla diſtinctione neceſſitatis extremæ vel citra extremam, ait, quod tunc tenetur Religioſus ſalua ſui Prælati obedientia, & ſuæ Religionis ſtatu, pium ſtudium adhibere, qualiter eius parentibus ſubueniatur. Quæ propoſitio ſeruatis ſeruandis, & iuxta ſubiectam materiam in vtroque caſu neceſſitatis, ſcilicet extremæ & citra illam, eſt intelligenda, ita vt in priori requiratur & ſufficiat licentia petita & non obtenta, per quam ſaluatur obedientia debita Prælato, & retentio propriæ religionis habitus : In poſteriori autem cum eiuſdem habitus retentione vlterius petitio & obtentio licentiæ deſideretur.

5 Deinde pro † ſecunda parte probatur noſtra concluſio. Primò quia quod nullo iure prohibetur Religioſis, licitum eſt eis iuſta de cauſa de licentia ſuorum Prælatorum. Sed exitus à clauſtro iuſta de cauſa nullo iure eis prohibetur, interueniente Prælatorum licentia : Iuſta autem cauſa ad illam obtinendam relinquitur arbitrio prudentis viri : & talis reputatur grauis parentum neceſſitas, vt probat idem Nauarrus *in dicto conſilio 5. & in Manuali c. 14. n. 14.* ergo. Secundò probatur, quia infirmitas præſertim contagioſa eſt iuſta cauſa dandi licentiam Monacho exeundi Monaſterium, & permanendi extra illud in loco conuenienti ad ſanandum : imo quod maius eſt, Monialibus quæ ſpecialiter vouent clauſuram *cap. 1. de ſtatu Regularium in 6.* datur facultas exeundi monaſterium ob infirmitatem contagioſam : & ob alias cauſas arbitrio Epiſcopi examinandas, in Concilio Tridentino *ſeſſ. 25. cap. 5. de Regularibus*, de quibus dicemus difficultate ſequenti : ergo. Tertiò quia ſi aliquis iuraret manere in aliquo loco, hoc iuramento non obſtante poſſet pro ſalute corporali tuenda vel recuperanda, inde exire, vt tenet Gloſſa communiter recepta : ergo pariter Monachus pro ſalute corporali propria, aut etiam parentum tuenda, monaſterium exire & extra illud permanere : non obſtante vinculo voti ſolemnis obedientiæ, quo ſe ad clauſuram minimè expreſsè obligauit : niſi iuxta Prælati arbitriū & licentiam. Quartò probatur ſpecialiter ex adducto *conſilio* 74. Nauarri, *titulo de regularibus* : vbi refert de quodam Franciſcano Nobili Apoſtata, & cum effectu ad triremes damnato, qui poſtea ob pudorem & alias rationabiles cauſas petiit licentiam à ſuo Generali, vt cum habitu ſui ordinis retento, poſſet manere extra clauſtra, aut in vita Eremitica, aut in aliquo Hoſpitali inſeruiens, ſub obedientia tamen ſui Generalis duntaxat, vel Ordinarij loci. Cui ſuper hoc conſulenti reſpondit ipſe Nauarrus, validam, iuſtam & licitam eſſe talem licentiam multis de cauſis. Tum quia clauſura Religioſorum nedum mendicantium, ſed etiam monachalium eſt ſolo iure humano indicta : in qua proinde poteſt fieri diſpenſatio non ſolùm à Papa, ſed etiam à Generali, qui ex cauſa rationabili poteſt diſpenſare perpetuò cum ſibi ſubdito in clauſura, ex conceſſione Sedis Apoſtolicæ, neque non à Prouincialibus ad tempus : tum etiam quia in aliis caſibus dicti Prælati diſpenſant cum ſibi ſubditis, vt extra clauſuram maneant, vel perpetuò, vel ad tempus, v.g. ad ſubueniendum parentibus in neceſſitate conſtitutis, non ſolùm extrema ſed etiam graui, ex Diuo Thoma *vbi ſupra* : & ad hoc vt ſint Vicarij vel ſocij Epiſcoporum, vel Oeconomi aut Confeſſarij alicuius Principis vel Proregis : vel vt Religioſus detur in obſidem pro debitis monaſterij, quando id fuerit neceſſarium : ergo, &c.

Ex quibus † reſpondetur ad argumenta in 6
contrarium adducta pro prima ſententia. Ad primum quidem patet iam qualis ſit ſenſus D. Thomæ *in 2. parte dictæ ſolutionis*. De ſenſu autem eiuſdem & mente in priori parte, nimirum quando neceſſitas parentum grauis aut extrema eſt præueniens Religionis ingreſſum & profeſſionem, certum eſt vnum ; nimirum quod talis ingreſſus & profeſſio licitè fieri non poſſunt, quia ſunt contra præceptum de honoratione parentum, & contra debitum Charitatis ac Iuſtitiæ, (ſubdit Caietanus.) Incertum autem eſt aliud, nimirum vtrum valida ſit huius profeſſio, qui ſcienter parentes in tanta neceſſitate relinquit ? Et quidem Nauarrus *in dicto conſilio 4.* videtur aſtruere eſſe inualidam talem profeſſionem, dum ſic ait : *Quia præueniens neceſſitas efficit, vt non poſſit iuſtè intrare monaſterium, nec ingreſſus iuſtè profiteri, neque profeſſus iuſtè manere : quia obligatio iuris naturalis & diuini ſeruiendi parentibus, efficit, vt nullatenus poſſit filius eis derelictis intrare monaſterium, vt prædictus D. Thomas receptus affirmauit.* Dicens autem nullatenus poſſe filium derelictis parentibus monaſterium intrare, denotat eius Profeſſionem inualidam eſſe & nullam : niſi velimus illum interpretari de impotentia legali & legitima, ſecundum quam dicimur non poſſe id, quod iure non poſſumus : nam id tantum poſſumus, quod iure poſſumus, id eſt operando iuxta debitum legis. Et id tantum aſſerit D. Thomas in loco allegato, dum ait, quod qui eſt in ſeculo, ſi habet parentes qui ſine ipſo ſuſtentari non poſſunt, non debet eis relictis Religionem intrare : quia tranſgrederetur præceptum de honoratione parentum, planè denotans eius ingreſſum & profeſſionem valere, etiamſi indebitè & iniuſtè fiat : quia multa iniuſtè fiunt, facta tamen valent. Et tales erunt huiuſmodi ingreſſus & profeſſio, quoniam nullo iure redduntur inualida : alioquin plura eſſent impedimenta ingreſſuris Religionem, aut profeſſuris in illa proponenda à Prælatis, vltra illa quinque de iure communi, nimirum ſeruitus, vinculum matrimonij conſummati, vinculum voti ſolemnis emiſſi in altera Religione ſtrictiori, incurabilis morbus, onus debitorum, & ratiociniorum implicatio, deberétque Nouitius interrogari vltra hæc : An relinqueret in ſeculo parentes in extrema, vel in graui neceſſitate conſtitutos, quod tamen eſt contra conſuetudinem vbique receptam.

Ad ſecundum, admiſſa maiori & minori, 7
neganda eſt conſequentia. Nam licet † vinculum profeſſionis ſit perfectius vinculo matrimonij carnalis : verumtamen iſtud eſt fortius quoad aliquid, ſcilicet quantum ad cohabitationem cū coniuge. Quare nunquam poteſt eius

cohabi

cohabitationem relinquere, vt parentibus ſubueniat: bene tamen poteſt & tenetur illam relinquere quoad dilectionem, id eſt, poteſt & tenetur quandoque parentum amorem & obſequium amori & obſequio vxoris præponere: nimirum quando illi grauiori neceſſitate premuntur: vt bene notat Lyranus *Geneſ.* 2. ad illud verbum, *quamobrem relinquet homo patrem ſuum & matrem, &c.* dicens: *non quantum ad dilectionem, quia filius non poteſt denegare parentes, ſed quantum ad cohabitationem, quia filius cum eſt vxoratus, ſtatim eſt emancipatus, & habet prouidere ſibi & vxori & familiæ.* Religioſus autem ſatisfacit ſuæ clauſuræ & cohabitationi in monaſterio, ſi extra illud permanens ſit de licentia ſui Prælati, & ſub illius obedientia. Ad tertium reſpondetur in illis Decretis ſolùm prohiberi Monacho exitum à monaſterio temere factum, & cum dimiſſione habitus: vel ſine rationabili cauſa, & ſine licentia Prælati.

Ad quartum admiſſa maiori neganda eſt
8 minor: nam † alia ratio eſt de exitu à monaſterio cum retentione habitus, atque de exitu cum dimiſſione habitus. Primum namque licitum atque debitum facit, neceſſitas grandis parentum, ſeruatis prædictis circunſtantiis: Secus verò ſecundum. Quod probatur Primò ex adductis capitulis Iuris Canonici, & nouiſſimo Concilij Tridentini decreto, prohibentibus Religioſis profeſſis dimiſſionem proprij habitus, ſcilicet temerè factam. Secundò probatur ex dicto Concilio. 72. *de Regularibus*: vbi cuidam Regulari conſulenti, qui ad ſuſtentandum matrem & ſororem pauperes, obtinuerat licentiam à ſuo Prouinciali manendi extra clauſtrum habitu relicto, reſpondet huiuſmodi licentiam quoad primam partem validam & licitam eſſe, ſed non quoad ſecun-
9 dam: eò quòd † ſolus Papa poteſt diſpenſare in dimiſſione habitus Religioſi: vt ipſe Nauarrus probauerat *in commentario* 3. *de Regularibus ex cap. nullam*, 18. *quæſtione* 2. & *ex cap. Sanctimonialis d.* 23. & *dicto cap. periculoſa*; in quibus diſtrictius prohibetur ſub excommunicationis pœna quibuſcunque Regularibus profeſſis, ne habitum proprij ordinis temerè dimittant: id eſt ſcienter & ſine iuſta cauſa, ac debita licentia Superioris ad id authoritatem habentis, qui proculdubio eſt Summus Pontifex, qui ſolus poteſt in huiuſmodi iure communi diſpenſare. Atque *ex cap. Clerici de vita & honeſtate Clericorum*, quatenus ibi decernitur, quod Religioſus ad Epiſcopatum aſcendens, debeat ſui ordinis habitum geſtare: etſi iam hodie extet noua Sedis Apoſtolicæ ordinatio, vt Religioſi facti Epiſcopi communi aliorum Epiſcoporum vtantur habitu, ſaltem quantum ad formam veſtis conformantes ſe ſtylo Romanæ Curiæ. Subditque Nauarrus, neque Congregationem Eminentiſſimorum Cardinalium ad declaranda dubia Concilij Tridentini deputatam, poſſe dare licentiam Regularibus ad proprium habitum dimittendum: quia aliud eſt declarare, & aliud diſpenſare: vnde licet prædicta Congregatio poſſit declarare Concilium, non tamen in illo diſpenſare, quia à ſeparatis non fit illatio. Tertiò probatur *ex conſilio* 73. *ſequenti* eiuſdem Nauarri, quatenus in illo reſpondet cuidam fratri Auguſtiniano, non poſſe eius Generalem concedere ipſi ægrotanti licentiam manendi extra clauſtra, abſolutum à voto obedientiæ & ſubiectum Ordinario loci in habitu Clericali: quia ſolus Papa hanc diſpenſationem facere poteſt. Nec aliqua cauſa etiam grauis infirmitatis poteſt talem diſpenſationem honeſtare. Vnde Religioſus ægrotãs ſi indigeat curari extra monaſterium, poterit quidem de licentia ſui Generalis, vel Prouincialis: ſed tunc debet retento proprio habitu in loco apto ac decenti curari impenſis monaſterij, aut etiam conſanguineorum, ſub obedientia ſui Prælati permanens.

Sed huic doctrinæ videntur obſtare duo. Primo quod ipſe Nauarrus *conſilio* 70. *de Regularibus* dixerat: nimirum quod † Monachus 10
iuſtè poteſt relinquere habitum ex rationabili cauſa, de licentia Prælati etiam immediati: laudátque ibi Præfectum cuiuſdam monaſterij, qui de conſilio Patrum miſit Monachum contagioſo morbo laborantem, in quandam domum extra monaſterium, noctu & ſecreto, mutata veſte & velata facie, vt ibi commodius curaretur, & mox rediret eo modo, quo abiit, in monaſterium, &c. Similiter Clericus poteſt ſuum habitum & tonſuram Clericalem mutare, vt tenet Gloſſa communiter recepta *in cap. ſi quis, de vita & honeſtate Clericorum*, dicens; *habitũ ſemel ſuſceptũ non debet dimittere niſi ex iuſta cauſa. Vnde cum quidam reprehenderetur à Papa, reſpondit: Tutius, vt peterem laici ſub imagine Romam, fas fuit, vt finerem luxuriare comam.* Et *in cap. penultim. eiuſdem tituli* habetur, poſſe quempiam cauſa timoris transformare habitum. Ex quo Gloſſa ibi merito colligit, non eſſe apoſtatam eum, qui iuſta de cauſa habitum dimittit. Experiẽtia quoque compertum eſt, Religioſos cauſa ſomni, balnei, & medicationis, licitè & laudabiliter habitum ad tempus dimittere. Nec non in pluribus Religionibus obſeruantiſſimis ſolent Religioſi de conſenſu vel permiſſu ſuorum Prælatorum, cauſa ioci, vel agendi perſonatus ad modicum tempus habitum monachalem nedum occultare, ſed etiam deponere: ergo, Secundò quod Apoſtatæ & incorrigibiles iuſtè eiiciuntur à religionibus, & priuantur habitu per Prælatos eiuſdem Religionis: vt probat idem Nauarrus *conſilio* 77. *& tribus ſequentibus titulo de Regularibus*: Ergo quod Prælatus. V. g. Generalis vel Prouincialis poteſt operari media ſententia; pariter poterit media licentia & conceſſione, iuſta de cauſa, ſcilicet licitam habitus dimiſſionem in ſubditis

Vt ad primum reſpondeamus, videndum eſt
† quibus in caſibus licitum ſit Regularibus, de 11
licentia ſuorum Prælatorum habitum dimittere, abſque temeritate in ſacris Canonibus damnata. Et quidem in primo, nimirum ob cauſam ægritudinis commodius curandæ extra monaſterium, dicendum eſt poſſe licitè & laudabiliter de licentia ſui Prælati ſiue Prouincialis, ſiue etiam immediati Conuentus, inde exire ſine habitu, vel illo occultato, ne ab extraneis & popularibus contagioſo morbo laborans agnoſcatur, ſtatim poſt recuperatam valetudinem ad Conuentum reuerſurum. Quod ſatis probat Nauarrus *in dicto conſilio* 70. Neque eſt ſibi contrarius *in conſilio* 7. dum negat Generali Ordinis Auguſtiniani facultatem dandi licentiam Frarri ſui Ordinis, etiam ob cauſam curandæ

randæ ægritudinis, manendi extra clauſtra in habitu Clericali: quia ſolus Papa id poteſt facere, &c. Quia ibi loquebatur de ſimplici licentia manendi ad tempus extra monaſterium, ſub obedientia tamen Prælati, ſine habitu, ob cauſam ægritudinis contagioſæ curandæ, ratione cuius oportebat talem Religioſum à ſecularibus non cognoſci, & huiuſmodi licentiam poteſt concedere Prælatus etiam immediatus monaſterij de conſilio Patrum. Hîc autem loquitur de licentia manendi extra clauſtra perpetuò, & extra obedientiam Prælatorum Religionis in habitu clericali: & hanc nullus Prælatus poteſt concedere, niſi ſolus Papa: quod rectè probant Canones citati à Nauarro & ſuperius adducti.

In ſecundo verò caſu ſcilicet capiendi ſomnum, cubandi in lecto cauſa quieſcendi vel curandi morbum, lauandi in balneo, qui pro eodem caſu reputantur: certum eſt non temere, ſed licitè & iuſtè deponi habitum proprii Ordinis à Regularibus: quia naturalis neceſſitas corporis & animi, quæ indulget ſomnum, quietem, balneum, & medelam, pariter indulget dimiſſionem habitus ad tempus, ſine qua iſta congruenter capi non poſſunt: & leges propriæ vniuſcuiuſque ordinis eandem pro huiuſmodi aut præcipiunt, aut permittunt, plus minúſve iuxta vniuſcuiuſque rigorem vel conſuetudinem, cum retentione tunicæ alicuius interioris cum cingulo, aut exterioris & tallaris laxato cingulo, & ablato capucino cum ſcapulari, in quibus ſubſtantialis habitus conſiſtit.

In tertio verò caſu † nimirum ob cauſam ioci, honeſti ludi, ſiue honeſtæ recreationis Petrus Martyr 4. *part. cap.* 28. ſequutus Sylueſtrem *in ſumma* Verbo *excommunicatio num.* 9. §. 12. annuit affirmatiuam partem, videlicet non eſſe temerariam habitus dimiſſionem, quæ fit à Regularibus pro huiuſmodi cauſis, deconſenſu & licentia expreſſa, aut ſaltem tacita Præfecti monaſterij: quia huiuſmodi cauſæ ſunt honeſtæ & laudabiles pro animis recreandis, permiſſæ ac conceſſæ Religionibus etiam reformatis: quæ proinde licitam & honeſtam reddunt habitus ad modicum tempus dimiſſionem. Quæ ſententia mihi non omnino improbatur, quin potius confirmatur ex D. Thoma, qui 22. *quæſt.* 168. *articulo* 2. conſtituit circa iocos & ludos ad animi ſolamen neceſſarios, ſi ſecundum rationem fiant, quandam virtutem, modeſtiæ partem, quam Eutrapeliam vocant: cuius virtutis exercitium etiam Religioſos decere præſertim iuuenes, ne auſteritate & pœnitentia Religionis nimis premantur, & in odium vertatur, quod potius gratum & delectabile eſſe oportet, probat ibi D. Thomas exemplo Ioannis Euangeliſtæ: qui refertur in collationibus Patrum dixiſſe vni eorum, qui ipſum cum diſcipulis ſuis ludentem inuenientes ſcandalizati fuerant; vt arcum quem gerebat, intenderet vt ſagittam iacularet: quod cum pluries feciſſet, quæſiuit vtrum hoc continuè facere poſſet, qui reſpondit, quòd ſi hoc continuè faceret, arcus frangeretur. Vnde Beatus Ioannes ſubintulit, quod ſimiliter animus hominis frangeretur, ſi nunquam à ſua intentione relaxaretur.

Huiuſmodi autem dicta vel facta in quibus non quæritur niſi delectatio animalis, vocantur † ludrica vel iocoſa, quæ vt honeſta ſint, debẽt 12
fieri cum tribus circunſtantis: nimirum ſine rebus aut verbis turpibus, & ſine nimietate, ita vt grauitas animi totaliter non reſoluatur, & vt facta & verba congruant loco, tempori, & perſonæ. Ob quam cauſam huiuſmodi perſonatus & repræſentationes temporibus Sacris, locis Sacris, & perſonis Deo dicatis, ſcilicet Religioſis publicè minimè congruunt, neque à peccato excuſantur: priuatim autẽ extra loca & tempora Sacra, ſcilicet Aduentus & Quadrageſimæ, cõſuleré fieri retento habitu ſubſtantiali Ordinis, cum aliquali eius diſſimulatione aut occultatione, ne temerarij ſint ſui habitus deſertores ad illud modicum tempus: quia illum deſerunt in actionibus regulariter per acta Capitulorum, vel per ordinationes Viſitatorum prohibitis, quas ſine aliqua in dictis legibus diſpenſatione exequi nequeunt. Et mirum eſt ad opus lege prohibitum & diſpenſatione Prælati indigens, poſſe iuſtè & ſine temeritate ſubditũ proprium habitum deponere, aut Prælatum iuſtè in eius depoſitione diſpenſare. Fauent Syluester *vbi ſupra*, & Banneſius 23. *quæſt.* 12. *art.* 1. dum aſſerunt dimiſſionem habitus ad iaciendum palum ferreum, ad ludendum pila, & tripudiandũ, (ſimiliſq; ratio videtur de comedijs) eſſe temerariam venialiter, id eſt fieri cum peccato veniali & ſine excommunicatione, etiamſi hæc ſupponit peccatum lethale. De Apoſtatis verò & incorrigibilibus, qui iuſtè per ſententiã latã à Prælato priuantur habitu ordinis perpetuo, quod tangitur in ſecundo argumento; dicendum eſt cum eodem Nauarro communiter recepto *Conſilio* 77. *& tribus ſequentibus*, † Prælatos de iure cõmuni & priuato cuiuſvis ordinis Regularis, 13
habere facultatẽ eiiciendi ab ordine & priuãdi habitu incorrigibiles, ne infecta pecus, cæteras inficiat. Et tunc ſic eiectus & priuatus habitu, per ſententiã diffinitiuã iuſtè latam, manet liber ab obedientia Prælatorũ talis Religionis, & ab obligatione deferendi eius habitum, potéſtque viuere in ſeculo ſubiectus Epiſcopo ſuæ originis, cui tenetur ſe præſentare, & cui adquirit quidquid adquirit, exceptis neceſſarijs pro diario victu & veſtitu, ex *cap. non dicatis, & cap. nullam* 28. *quæſt.* 2. *& cap. finali, de regularibus*: quia tunc Prælatus operatur vt lex animata, conformando ſe legibus Canonicis, quæ hoc diſponunt, & exequendo illas, à quibus habet huiuſmodi facultatem. Cæterum quando procedit vt pater media indulgentia ſeu licentia, nec à Sede Apoſtolica, nec legibus Canonicis habet facultatem diſpenſandi cum ſubditis in perpetua habitus dimiſſione, niſi in temporanea cum prænotatis debitis circunſtantiis. Fateor autem iam his temporibus nouiſſimis facultatem iſtam Prælatis de iure communi competentem, eiiciendi incorrigibiles ab ordine, & priuandi habitu, valde temperatam & reſtrictam eſſe à Summo Pontifice, ne tam de facili incorrigibiles iudicentur Monachi, & ab ordine expellantur: & ne Populus, & Epiſcopi, quibus in hac parte conſultum eſt, tanta expulſorum multitudine grauarentur. Vnde ad argumentum admiſſo antecedente negand a eſt conſequentia.

DIFFICVLTAS II.

Quibus in caſibus, & de cuius licentia liceat Monialibus monaſterium exire?

SVMMARIVM.

14 *Referuntur tres caſus, in quibus attento iure communi licet Monialibus de licentia ſuorum Prælatorum monaſterium exire.*

15 *Concilium Tridentinum prohibet Monialibus exitum à monaſterio, niſi ſubſit cauſa legitima ab Epiſcopo probata.*

16 *Intentio Pij V. in ſua Extrauaganti, non fuit laxare clauſuram Monialium, ſed reſtringere.*

17 *Soluuntur tres obiectiones, quæ huic concluſioni obſtare videntur.*

18 *Attento iure ſpeciali inducto per Extrauagantem Pij V. Moniales non poſſunt exire monaſterium, niſi in tribus caſibus ab ipſo exceptis.*

19 *Attento iure per Bullas Gregorij XIII. inducto, Moniales habent eandem facultatem exeundi, quæ eis competebat ſecundum iuris antiqui & Concilij Tridentini diſpoſitionem.*

20 *Referuntur caſus vltra tres à Pio V. recenſitos, in quibus Monialibus licitum eſt Monaſterium exire.*

21 *Ratio cur Carthuſianis per laudabilem conſtitutionem abſtinentia à carnibus præcipitur, & remedium prorogandi vitam denegatur.*

22 *Vtrum Moniales ſubiectæ Prælatis Ordinum Regularium, & ſpeciali voto ad clauſuram adſtrictæ, poſſint de ſola licentia ſui Prælati ſine alia diſpenſatione Monaſterium exire, quando graui morbo laborant?*

23 *Quæ ſint iſtæ Moniales, quæ lege clauſuræ ſiue ex voto, ſiue ex præcepto tenentur.*

24 *Vtrum Moniales Ordinum Regularium Ordinariis locorum ſubiectæ, poſſint mortuo Epiſcopo à clauſura exire, propter aliquem finem honeſtum, &c.*

25 *Cui dubitationi ſit ſatis ſoluendo rationes prædictas Nauarri.*

VIc difficultati commodius per ſequentes aſſertiones reſpondebimus.

14 Sit igitur prima aſſertio; † attento iure communi ſcripto licebat Monialibus de licentia ſuorum Prælatorum, exire monaſterium in tribus caſibus, hoc eſt cauſa morbi contagioſi, cauſa correctionis iuſtæ, & cauſa nouæ fundationis. Hæc concluſio probatur Primò *ex cap. vnico de ſtatu Regularium in 6.* vbi ſic habetur. *Nulli Monialium Religionem tacitè vel expreſsè profeſſæ valeat, quacumque ratione vel cauſa, (niſi fortè tanto & tali morbo euidenter earum aliquam laborare conſtaret, quod non poſſet cum aliis abſque graui periculo, ſeu ſcandalo commorari,) monaſteria ipſa deinceps egrediendi facultas.* Cuius decretalis gloſſa ſic habet. *Non credo, quod Decretalis iſta tollat; quin poſſent Moniales vnius monaſterij, ſi vellent ad ſtrictiorem Religionem humilitatis & puritatis cauſa tranſire, licet petita licentia: neque tollit quin vna Monialis ad regimen alterius monaſterij poſſit aſſumi.* Ex qua liquidò conſtat, quod non obſtante hac vniuerſali prohibitione dictæ Decretalis, & eius ſingulari exceptione, quæ videbatur firmare Regulam in contrarium, facultas exeundi monaſterium permiſſa à iure Monialibus profeſſis clauſuram (nam de aliis eam non profitentibus, nulla eſt difficultas) extenditur ad alios caſus vltra exceptum in dicta Decretali. Et meritò, quia quando excipitur aliquis caſus à communi Regula ob aliquam æquitatem, talis Regula poteſt ac debet ad alios caſus extendi, in quibus ſimilis æquitas inuenitur, *ex cap. cum dilecta de confirmat. vtili vel inutili: &c.* Cum igitur caſus ille vnicus morbi contagioſi exceptus à Bonifacio VIII. in Decretali citata, ab illa vniuerſali Regula negatiua, ne qua Monialis exeat clauſuram, excipiatur ob quandam naturalem æquitatem, ſcilicet ne ſibi aut aliis periculoſum, vel mortale inferat nocumentum quoad corpus; Conſequens eſt, vt extendi poſſit ac debeat ad alios caſus, in quibus ſimilis æquitas id ſuadet. Secundò probatur ex † Concilio Tridentino *ſeſſione 25. cap. 5. de Regularibus*: Vbi innitens præfatæ Regulæ iuris, diffinit non licere Monialibus exitum à monaſterio, niſi ſubſit cauſa legitima ab Epiſcopo probata. Quibus verbis planè ſignificat dictum caſum exceptum à Bonifacio in ſua Decretali, quam ibi Concilium confirmare & renouare intendit, extendendum eſſe ad omnes alios ſimiles, in quibus inueniretur cauſa legitima arbitrio & iudicio Epiſcopi, vel Prælati legitimi talis monaſterij. Tertiò quia † intentio Pij V. *in ſua Extrauaganti*, non fuerit laxare clauſuram Monialium, ſed eam reſtringere, vt planè ex eius verbis & contextu colligitur. Et nihilominus excipit à ſua vniuerſali prohibitione confirmãte & renouante decretalem Bonifacij, tres caſus: nimirum cauſa peſtis, aut Epidemiæ ſeu morbi contagioſi, & cauſa incendij magni, cùm tamen Bonifacius vnicum duntaxat exceperit: ergo ſignum euidens eſt, quod ante dictam Pij V. Extrauagantem, licebat Monialibus de iure communi exitus in eiſdem tribus caſibus à Pio V. exceptis. Vnde Nauarrus *conſil. 5. de ſtatu Monachorum*, Generali Ordinis Minorum de obſeruantia conſulenti ſuper hoc, reſpondit; quod attento iure communi ſcripto, licitè poteſt Moniales ſibi ſubditas cauſa iuſtæ correctionis, vel nouæ fundationis de vno monaſterio ad aliud transferre. Et *in commento. 4. de Regularibus* ſuper *cap. ſtatuimus 19. q. 3.* ſubdit; poſſe quoque Monialem vnius monaſterij eligi in Abbatiſſam vel Prioriſſam alterius, ad illúdque tranſire de licentia ſui legitimi Superioris. Et ratio æquitatis in huiuſmodi poteſt eſſe, quam adduxit Gloſſa *vbi ſupra*, ſcilicet quia iſtæ Moniales tranſeuntes de vno monaſterio ad aliud propter vnam ex dictis tribus cauſis, nimirum correctionis, regiminis, aut nouæ fundationis, ſemper remanent in clauſura.

15

16

Vltimò probatur † ſoluendo tres obiectiones, quæ huic concluſioni obſtare videntur. Prima eſt quod dicta lex Bonifacij *in cap. periculo*, citato *de ſtatu regularium*, eſt non ſolùm generalis, ſed etiam vniuerſalis, ſigno vniuerſali negatiuo

17

gatiuo munita, disponens nulli Monachæ professæ patere facultatem exeundi monasterium, nisi vno casu, scilicet morbi contagiosi ibi excepto. Lex autem generalis, & vniuersalis, generaliter & vniuersaliter est intelligenda, & ad omnes casus præter exceptum debet extendi: ex *lege de pretio ff. de publica in rem action.* & Glossa solemni. *in Clementina 1. de re iudicata* & *in cap. circa de electione in 6.* Secunda est quod Generales Ordinum mendicantium ex priuilegio impetrato à Sede Apostolica habent facultatem transferendi Moniales sibi subditas de vno Conuentu in alium, in prædictis duobus casibus: nimirum propter iustam correctionem, vel nouam fundationem. Atqui quod iure communi conceditur, frustra precibus impetratur, & pro priuilegio datur, ex *lege prima ff. ad municip.* & Glossa communiter recepta *in cap. 1. de rescriptis:* Ergo signum euidens est iure communi Prælatis ordinum dictam facultatem non competere. Tertia est, quod Concilium Tridentinum *vbi supra* disponit, vt causa legitima exeundi approbetur per Episcopum diœcesanum: & aliàs confirmatio priuilegiorum ordinum mendicantium facta à Gregorio XIII. non extenditur ad contraria Concilij Tridentini: ergo ad talem exitum monialium in illis casibus non sufficit licentia Generalium aut Prouincialium.

Sed ad primam respondetur, distinguendo minorem. Nam licet vera sit, quando lex generalis siue vniuersalis non limitatur per aliam: fallit tamen, quando inuenitur alia lex, quæ limitat illam generaliter vel vniuersaliter loquentem, vt in nostro casu contingit: nam inuenitur lex, tum Concilij Tridentini limitans legem Bonifacij ad omnes illos casus, in quibus interueniat causa legitima exeundi per Episcopum approbata: tum etiam lex *cap. dilecta*, disponens casum exceptum à regula generali posse ac debere ad similes casus extendi. Ad secundam dicendum est, quod licet non sit necessarium impetrare in priuilegium speciale, quod iure communi conceditur: est tamen quandoque vtile ad tollenda dubia & scrupulos, maximè quando ius commune non est ita clarum & constans in scriptis: aut in aliquo apparet derogatum, vt contingit in nostro casu. Nam dicta Decretalis Bonifacij tantùm excipit vnum casum expressè: cæteros autem subintelligit ex vsu & consuetudine, vel ex æquitate in similibus seruanda. Præterea Extrauagans Pij V. restrinxit ac limitauit dictum decretum Bonifacij circa clausuram Monialium, quibus præcludit facultatem exeundi vltra tres casus ibi exceptos, de quorum numero non sunt illi duo, scilicet causa correctionis, aut nouæ fundationis. Vnde impetratio & concessio dicti priuilegij facta præfatis Generalibus ante Pij V. extrauagantem, non fuit de iure necessaria, nisi tantùm vtilis & conueniens: si qua tamen facta fuit post dictam extrauagãtem, fuit nedum vtilis, sed necessaria. Ad tertiam admisso antecedente neganda est consequentia: quia vt scitè interpretatur Nauarrus *consilio citato*, & super *cap. statuimus numero 60.* Approbatio illa per Episcopum loci facienda quoad exitum Monialium, debet intelligi in ordine ad moniales eidem subiectas; atque etiã in ordine ad ita exemptas, quod soli Papæ immediatè subsunt: non autem in ordine ad alias exemptas, quæ subduntur Prælatis Ordinum. Nam ad exitum istarum sufficit causa legitima approbata per Generalem, vel Prouincialem, qui sunt earum legitimi Prælati, & aliàs funguntur authoritate quasi Episcopali, quod minimè Concilium excluſit: aut quia ibi nullatenus de istis Monialibus exemptis à Iurisdictione Episcopali loquebatur: aut quia nomine Episcopi circa exitum Monialium, quemcumque legitimum earum Prælatum fungentem potestate quasi Episcopali, subintellexit.

Secunda assertio sit: † attento iure speciali 18
inducto per dictam extrauagantem Pij. V. editam anno 1569. quæ incipit, *Decori & honestati*, non poterant Moniales exire monasterium etiam de licentia legitimi Prælati, nisi in tribus casibus ab ipso exceptis, scilicet magni incendij, infirmitatis lepræ, vel epidemiæ: vltra quos indigebant speciali dispensatione Sedis Apostolicæ, aut eius Legati. Hæc conclusio probatur: Primò quia dicta constitutio Pij. V. inducit ius nouum, quod proinde tollit antiquũ Bonifacii & Concilij Tridentini, argumento à contrario sensu desumpto ex *lege præcipimus. Cod. de appellat.* quatenus disponit ius antiquum non tolli, nisi per nouum superueniens, contrarium disponens: ergo dicta constitutio dum omnibus & quibuscunque Monialibus professis ordinum Regularium clausuram strictam præcipit, & eis aufert facultatem exeundi præterquam in tribus casibus inibi exceptis, quorum insuper exceptio cum sit singularis, firmat Regulam in contrarium, tollit ius antiquum, quatenus extendebat huiusmodi facultatem exeundi ad omnes causas, quæ Episcopo seu Prælato legitimo viderentur iustæ. Secundò quia præfata constitutio fuit restrictiua & limitatiua Iuris antiqui, vt ex eius contextu patet. Sed si relinqueret facultatem Monialibus exeundi in omnibus casibus Iure aut consuetudine ante permissis, neque restrictiua neque limitatiua esset, quia non censetur restricta libertas aut facultas illius, qui potest totum, quod antea poterat: ergo Pius V. restrinxit dictam facultatem exeundi ad illos tres casus exceptos, scilicet magni incendij, infirmitatis lepræ, vel Epidemiæ; in quibus propter commune periculum, quod ex incendio, vel ex huiusmodi morbis contagiosis imminebat cunctis Monialibus in eadem domo habitantibus: ideo permittit exitum à clausura, vel omnibus propter incendium fugiendum, & pestim vitandam, vel duntaxat patientibus talem infirmitatem, ne contagio aliàs inficiant: & meritò, quia lex humana Ecclesiæ non debet obligare cum vitæ dispendio, aut periculo, cuius conseruationem Ius naturæ concedit & præcipit. Verumtamen ad casum illum magni incendij, reducitur alter similis nimirum pluuialis, vel fluuialis inundationis, vel domus labefactationis, ex qua simile commune dispendium omnibus imminet per Regulam dicti *cap. cum dilecta.* Vnde Annotator siue Scholiastes Nauarri corrigens sententiam, quam innuerat *dicto consilio 70. de regularibus, num. 6. infine*, aduertit, Bullam Pij. V. causas exeundi ad certas inibi expressas restrinxisse: & subdit: *fertúrque Sacram Congregationem*

cenſuiſſe vltra illas cauſas non dari extenſionem, ſed recurrendum pro licentia ad Sedem Apoſtolicam.

19 Tertia aſſertio: † attento autem iam iure per Bullas Gregorij XIII. inducto, adeſt Monialibus eadem facultas exeundi, quæ eis competebat ſecundum iuris antiqui & Concilij Tridentini diſpoſitionem, ſcilicet ex quacunque cauſa, quæ Epiſcopo ſiue Prælato legitimo videbitur iuſta. Et probatur; quia Gregorius confirmauit omnia Ordinum Regularium priuilegia, in eo in quo non eſſent Concilio Tridentino contraria. Similiter in ſua confirmatione derogat conſtitutionibus Pij V. & quibuſcumque aliis, quæ poſſent eſſe ſuæ confirmationi, & Concilij Tridentini diſpoſitioni contraria: ergo relinquit facultatem exeundi in eodem ſtatu, & cum eadem extenſione Concilij, ſcilicet ad omnem cauſam præcisè, quæ iudicio Epiſcopi vel Prælati legitimi videbitur
20 iuſta. † Caſus autem iſti vltra tres à Pio V. recenſitos, ſunt ſequentes. Primus eſt cauſa correctionis, quando ſcilicet Monialis in pœnam delicti commiſſi in proprio monaſterio transfertur ad aliud, per ſententiam ſui Prælati, quæ ad id ſine alia Epiſcopi approbatione eſt ſufficiens. Secundus eſt cauſa regiminis vel præfecturæ, quando ſcilicet Monacha vnius Conuentus iudicatur neceſſaria ad alterius regimen & præfecturam. Tertius contingit cauſa nouæ fundationis, vel tranſlationis Conuentus de vno loco ad alterum, propter prioris loci incommoditatem; vt notamus *prima ſecundæ q. 97. diſp. 3. ſect. 4. difficultate 3. circa finem.* Fateor tamen iam iſtos tres caſus per Bullam nouiſſimam Gregorij XV. & ab Vrbano VIII. confirmatam, eſſe reſeruatos Sedi Apoſtolicæ, ſine cuius, vel eiuſdem legali diſpenſatione non patet exitus Monialium in illis: quia quantum ad eos, reducta eſt facultas exeundi ad ſtatum iuris inducti per Bullam Pij V.

De caſu autem alio, nimirum quando Monacha laborat morbo graui incurabili intra ſepta monaſterij, dubitari poteſt. Et quidem aliquibus viſum fuit poſſe Monialem cauſa illius egredi à Monaſterio, de licentia ſui legitimi Prælati, & Medicorum conſilio: nobis autem vbi *ſuprà* viſum fuit contrarium, cum Ioanne Gutierres *in libro practicarum quæſtionum cap.* 19. Roderico *tomo* 1. *Regularium quæſtion.* 49. *art.* 3. & Lorca ibi *diſputat.* 23. *circa finem.* Et merito; quia propter commune bonum Religionis, non refert ſi vnius vel alterius Monialis vita periculo exponatur: ac denegetur illi curationis, & prorogandi vitam remedium, quod quidem ſine peccato omitti poteſt, pro-
21 pter maius bonum virtutis. Qua ratione † Chartuſiano propter ſimiles fines, ſcilicet maioris iuſtitiæ, & heroicæ temperantiæ, ac mortificationis carnis exemplum, iuſtè per ſuam conſtitutionem laudabilem abſtinentia à carnibus præcipitur, & remedium prorogandi vitam denegatur, cui tale bonum commune & excellentius præponderat. Quæ doctrina ſpecialiter verum habet in Conuentibus Regularibus Prælatis ordinum ſubiectis, vbi Moniales profitentur clauſuram: nam ex vi voti ad eam tam ſtrictè ſeruandam videntur ſe obligaſſe: ſecus in aliis, qui ſunt ſubiecti Ordinariis locorum, & quorum Moniales ad clauſuram non obligantur ex vi voti, niſi tantùm ex vi præcepti ſiue Epiſcopi, ſiue etiam Summi Pontificis: cuiuſmodi præceptum omnibus Monialibus profeſſis indictum fuit à Pio V. & Gregorio XIII. in ſuis Bullis. Quod cum Eccleſiaſticum ſit, & habens vim legis humanæ: non debet obligare cum vitæ aut ſalutis corporalis diſpendio, cuius conſeruationem ius naturæ concedit. Qua ratione Nauarrus *in dicto cap. ſtatuimus, numero* 49. probabiliter exiſtimauit ſub nomine Epidemiæ à Pio V. comprehendi quoque quemcunque lethalem morbum, aut incurabilem intra ſepta monaſterij; in quo caſu proinde de licentia legitimi Prælati, Monacha exire clauſtrum poteſt cauſa curationis, nedum de iure communi & Concilij, ſed etiam attento nouo Iure limitatiuo, per conſtitutionem Pij V. inducto. Quæ doctrina quoad Moniales Ordinario ſubiectas, & clauſuram non profitentes, vera eſt citra dubium, & in praxi ſeruari poteſt tuta conſcientia. Ob quam Salmanticæ Monacha quædam Tertiarij Ordinis Sancti Franciſci, ex Conuentibus Epiſcopo ſubiectis, laborans morbo paralyſis, quo eius brachium ſtupore affectum adeò incurabile viſum fuit Medicorum iudicio, vt ad priſtinum vitæ motum & ſanitatem reſtitui non poſſet, niſi boum iugulatorum in macello recenti & calido ſanguine per quindecim dies continuos lauaretur: & intra vulnus ipſum mactati bouis per aliquod temporis ſpatium detineretur. Cui meo conſilio (quia aliàs vtilis valdè erat ac neceſſaria ad regimen dicti Conuentus) Epiſcopus facultatem fecit exeundi à Monaſterio per quindecim dies, & adeundi macellum cum conſanguineorum comitatu, pro applicatione dictæ medicinæ; dummodo cum eodem comitatu, ſingulis diebus ſtatim à macello ad ſuum Conuentum via recta foret recurſura. Et quoniam eadem ratio eſt de balneo aquæ naturalis, atque de ſanguinis balneo, eadem quoque ſeruari potuit ac debet indulgentia, quando infirmitas petit balneum naturale aquæ. Secus verò quando poteſt balneo artificiali curari, vtpote quod à Medicis ſatis poteſt intra Conuentum miniſtrari:

Vtrum autem † eadem indulgentia locum 22
habeat in Monialibus ſubiectis Prælatis Ordinum Regularium, & ſpeciali voto ad clauſuram adſtrictis: ita vt de ſola licentia ſui legitimi Prælati ſine alia diſpenſatione, poſſit fieri eis facultas exeundi, quando ſimili morbo laborant? res non eſt adeò certa, quin ſub dubio verſetur. Nam attenta conſtitutione Pij V. diximus contra Nauarrum, locum non habere: quia ſub Epidemia ſolus morbus contagioſus, & non alius quantumuis incurabilis comprehenditur; niſi à propria ad impropriam ſignificationem velimus Epidemiæ nomen extendere. Attento verò iure communi & Concilij Tridentini per Gregorium XIII. reſtituto, & per Gregorium XV. quoad hoc non derogato aut reſtricto, videtur locum habere in illis præfata indulgentia: ex eo quòd obligatio voti ſicut & iuramenti, prouenit ex propria voluntate & intentione vouentis ſiue iurantis, qua ſemper cenſetur excipere periculum mortis, ac vitæ diſcrimen, niſi aliud exprimat vouens aut iurans: vt nos aduertimus loco nuper allegato *numero* 47. Ex alia parte videtur

non

non habere locum, quoniam cum huiusmodi votum sit non de temporali, sed de perpetua clausura, videtur esse de intentione communi Conuentus, Moniales ad professionem acceptantis, & consequenter de intentione particulari ipsarum Monialium vouentium, quæ debet communi Conuentus intentioni conformari, nullum casum vergentem in personale detrimentum siue discrimen duntaxat excipere: puto tamen ob probabilitatem prioris iudicij posse dictam indulgentiam cum Monialibus tali morbo incurabili laborantibus, à Prælatis legitimis scilicet à Generali, siue à Prouinciali practicari; maximè si in mora recursus ad Sedem Apostolicam vel eius Legatum esset periculum; alioquin tutius fieri recursum: nisi Monialis ipsa pro maiori clausuræ & sui voti obseruantia, ac virtutis exemplo, huic indulgentiæ renunciare velit. Licet enim possit vti illa, sed non tenetur, sicut Chartusianus propter suæ Regulæ obseruantiam, potest non vti carnibus etiam iudicio Medici, ad vincendam infirmitatem & vitam tuendam necessariis, dummodo alij cibi ei suppetant; secundum opinionem probabilem Victoriæ, & Azorij, existimantium eum in tali casu non teneri ad vescendum carnibus, ex vi suæ Constitutionis; vt notamus 1.2. *q.97. disp.2. sect.3. difficultat.2.*

23 Si roges † quæ sint istæ Moniales, quæ lege clausuræ siue ex voto, siue ex præcepto tenentur? Respondeo esse omnes professas Regularium ordinum; tam Prælatis eorundem, quàm Episcopis & Ordinariis locorum, aut soli Papæ subiectas. Illas quidem ex vi voti simul ac præcepti Ecclesiastici, quia Prælati Religionum nullas Moniales sub sua iurisdictione tenent, nisi voto ad clausuram adstringantur: Istas verò aut ex vi præcepti & voti simul, si fortè aliquæ illud emittunt; aut saltem ex vi præcepti Episcoporum, & Sedis Apostolicæ, si tale votum hondum emiserunt. Quæ lex hucusque minimè comprehendit beatas, aut non professas solemnium votorum vinculo, etiamsi viuant conuentualiter intra vnam domum, habentes vnum Oratorium, vnum Refectorium, vnum vestiendi modum, & vnam Prælatam: quia istæ conditiones licet sint sufficientes ad constituendum Collegium, sed non ad constituendum monasterium Religiosarum verè Sanctimonialium: neque arguunt in illis professionem expressam aut tacitam, nisi aliæ conditiones interueniant, etiamsi aliquando vota simplicia castitatis & paupertatis pro sua deuotione emittant, vt probat Nauarrus *lib. 3. consiliorum titulo de statu Monachorum, consilio 6. & 7.* Non quidem expressam, quia supponimus huiusmodi beatas, oblatas, seu donatas, de facto tria vota substantialia non emittere in manibus Prælati: ad illa acceptanda potestatem habentis, quod requiritur ad expressam professionem: neque tacitam, quia neque intromittant se actibus propriis Professarum, neque habitum Nouitiarum per annum gestant distinctum, neque habitum proprium ac distinctiuum professarum portant finito anno probationis per aliquot dies; quæ sunt signa tacitæ professionis: eò quòd earum habitus continuus, aut est secularis, aut ex deuotione est indistinctus ab habitu Nouitiarum, siue Professarum, carens tamen benedictione, qua habitus Professarum solet benedici. Neque comprehendit monachas commendatarias. V.g. Sancti Spiritus, Ordinis Sancti Iacobi, (& si quæ sunt aliæ ordinum militarium) etiam votorum solemnium vinculo adstrictas. Quia hucusque neque ad clausuram voto, (etiamsi supremus ordinum militarium Regius Senatus id summopere desideret) neque aliquo Ecclesiastico præcepto Sedis Apostolicæ adstringuntur. Quoniam lex lata in dictis Bullis Pij V. & Gregorij XIII. eas nõ comprehendit, nisi tantùm Regularium ordinum à Sede Apostolica approbatorum professas: vt ex earum contextu liquidò constat. Sed neque à Magistro, scilicet Rege Catholico, & eius supremo Senatu ordinibus militaribus præfecto, possunt directè ad talem clausuram vouendam cogi, etsi pro bono regimine possint ad eam vouendam aut seruandam, consilio, suasione, aut simplici mandato induci: nisi à solo Summo Pontifice aut à Sede Apostolica.

Ratio primi est, quia nullus potest inuitus obligari ad austeriorem vitam, quam non vouit, *ex cap gesta d.74.* cum Glossa recepta, quæ habet, quod Monachis, & Canonicis inuitis districtior vita non potest imponi: vbi Archid. quem sequitur Turrecremata, allegat illud S. B. ad Abbatem in persona cuiuslibet Monacui; *Vota mea non augeas sine mea voluntate, sicut neque minuas sine certa necessitate.* Ratio secundi est potestas & authoritas Magistri huiusmodi ordinum, & eius supremi Senatus, ad eorum gubernationem ac directionem temporalem ac spiritualem à Summo Pontifice subdelegata. Ratio verò tertij est, quia soli Summo Pontifici & Sedi Apostolicæ conuenit potestas, indicendi Religiosis quibuscumque strictiorem viuendi modum, sicut & approbandi eorum Regulas & constitutiones. Pro quo, annotatio ad finem dicti consilij sexti Nauarri sic habet. *Aduertendũ referri, Sacram Congregationem censuisse Superiores religionum posse solum sua monasteria obligare, vt obseruent eorum instituta, à quibus fortè receserunt; Pontificem autem Religiosis posse indicere strictiorem vitam, quàm sit illa, quam requirebat eorum regula.*

De Monialibus autem ordinum Regularium Ordinariis locorum subiectis, dubitari solet frequenter; † *Vtrum mortuo Episcopo possint à* 24 *claustro exire propter aliquem finem honestum: aut saltem propter experiendam, siue conseruandam suam libertatem?*

Ratio dubitandi pro parte affirmatiua sumitur ex eo, quod istæ Moniales neq; ad clausuram tenentur voto, quod supponimus non emisisse: neque præcepto Episcopi, vtpote cuius præcepta tanquam ab homine facta cum ipsius morte expirarunt: neque præcepto Sedis Apostolicæ, quia mandatum & dispositio Pij V. & Gregorij XIII. in præfatis Bullis non videtur dictas Moniales comprehendere: propterea quod ab ipsis dictæ Bullæ ab initio non fuerunt receptæ: & lex quæ vsu non est recepta à subditis, non ligat ipsos; vt multis probabiliter placet cum Nauarro *in Manuali cap.23. numero 41. & lib.3. consil.tit. de statu monach. consilio 28. lib.1. consiliorum, titulo de constitutionibus, consilio 1. q.5.* Dominico §. *leges confirmantur, cum moribus vtentium approbantur:* & *in cap.2. de constitutionibus*, & Felino *in cap.1. de treuga*

& pace à numero 12. quorum ratio eſt triplex. Prima, quia omnis lex præſumitur promulgata ſub conditione, ſi recipiatur ſaltem per maiorem partem communitatis. Tum etiam quia iuſta cauſa excuſat à peccato, teſte D. Thoma 1.2. *q.96. artic.6.* A peccato inquam violationis legis: Iuſtam autem cauſam videtur quis habere, non ſeruandi legem, quod ab aliis videat illam non ſeruari: nam cum lex reſpiciat communem vtilitatem, non videtur eius lator velle vnum aut alterum ligare ad ſeruandum, quod alij conſubditi non ſeruant, neque ſeruare inceperunt. Tum denique, quia ſicut ſententia per lapſum decennij tranſit in rem iudicatam, & res iudicata habetur pro veritate *ex cap. cum ſit Romano in 6. appellationibus*, & *lege authentici hodie, Cod. eiuſdem tituli*, & *lege, res iudicata, ff. de regulis iuris*: ita lex, quæ eſt quædam ſententia generalis, per decennium non admiſſa neque vſu recepta, tranſit in nullitatem, & habenda eſt pro nulla, &c.

25 Huic † dubitationi fit ſatis per ea, quæ docemus tum *in tractatu de legibus quæſt. 97. diſp. 3. ſect. 1. difficult 2.* tum etiam ſoluendo rationes prædictas Nauarri. Ad Primam enim negandum eſt antecedens: neque enim oportet humanam legem promulgari ſub ea conditione, ſed independenter à receptione & conſenſu ſubditorum leges condi & promulgari, oſtendimus *ibidem* aduerſus eundem Nauarrum: ac proinde præfatas Bullas Pij V. & Gregorij XIII. ſtabilientes clauſuram Monialium quarumcunque, prædictas Tertiarias aut alias quaſcumque ſubiectas locorum Ordinariis, comprehendere, & eas independenter ab ipſarum conſenſu & receptione ad clauſuram obligare, certius eſt, vt *ibidem* oſtendimus. Ad Secundam neganda eſt minor: neque enim inobedientia multorum eſt iuſta cauſa, excuſans alios à peccato violationis legis humanæ. Ad Tertiam fateor, legem per decennium non vſu receptam perdere vim ligandi ſubditos, ſi ſciente & conſentiente legiſlatore id fiat: quia tunc adeſt implicita quædam eius abrogatio: ſecus verò ſi legiſlator aut eius miniſtri iguari ſint, aut renitentes legis violatoribus: tunc enim nullo temporis tractu lex ſuam virtutem amittit, aut illa euacuatur. Sententia verò, quæ lex particularis eſt lata per decennium, ideo tranſit in rem iudicatam, quia ita iure ſtatuitur; & merito: nam dum pars cuius intereſt, intra decennium non reclamat, videtur ei conſentire, & nullum in illa defectum agnoſcere, ac proinde ea ratione non vtitur beneficio appellationis. Neque fas erat ſententiam vltra taxatum terminum concuti poſſe à partibus. Vnde ad terminandas lites in prædictis Iuribus taxatur decendium, ideſt ſpatium decem dierum pro termino intra quem, & non vltra liceat parti læſæ appellare. Quæ ratio nequaquam in lege militat, quæ non ſtatuitur vt partes poſſint ei contradicere, aut contra eam reclamare, ſed vt ſubditos coërceat à malo, vel ducat ad bonum.

QVÆSTIO XXVIII.

De Monacho profeſſo ad Epiſcopatum euecto, in tria dubia diuiſa. In quibus tria ſuo ordine examinantur: nimirum vtrum maneat obligatus ad Monachalis regulæ obſeruantiam; Vtrum voto paupertatis maneat adſtrictus. Et cui debeantur quæſita ab ipſo in Epiſcopatu: vel an de illis teſtari poſſit?

DVBIVM I.

An huiuſmodi Epiſcopi ex Religionibus aſſumpti ad ſuæ Regulæ obſeruantiam teneantur?

SVMMARIVM.

1 *Diuus Thomas diſtinguit tria genera obſeruantiarum.*
2 *Ad quarum tertium genus Epiſcopus tenetur, non ex debito legali, ſed ex debito morali ſiue honeſtatis.*
3 *Dictus Epiſcopus in obſeruantiis regularibus poteſt ſecum diſpenſare.*
4 *Referuntur Doctores, qui hanc ſententiam communiter recipiunt.*
5 *D. Thomas tenet, Religioſum creatum Epiſcopum teneri geſtare habitum ſuæ Religionis.*
6 *Monachus factus Epiſcopus eo ipſo manet à iugo regulæ monaſticæ abſolutus.*

PRo cuius declaratione videndus eſt D. † Thomas 2. 2. *q.* 185. *art.* 8. vbi diſtinguit tria genera obſeruantiarum. Alia quæ conducunt ad perfectionis cuſtodiam tanquam eſſentialia, vt paupertas, continentia, & obedientia. Alia quæ impediunt munus Epiſcopale, vt ſolitudo, ſilentium, vigiliæ, & abſtinentiæ graues. Et alia quæ neque impediunt, neque ſunt adeò ſubſtantialia perfectioni regulari, ſed ſunt accidentalia, & ad melius eſſe conducentia, cuiuſmodi ſunt ieiunium ſextæ feriæ, & vti veſtibus laneis ad carnes, & huiuſmodi. Ex quibus certum eſt ad primum genus obſeruantiarum teneri Monachum factum Epiſcopum, ſicut tam certum eſt illum non teneri ad Secundum obſeruantiarum genus. De Tertio verò genere obſeruantiarum procedit noſtra dubitatio, in quâ nobis placet ſententia Caietani *opuſculo* 21. *quæſtionum, q.* 19. & Soti *lib.* 10. *de iuſtitia q.* 1. *art.* 7. *ſiue vltimo*; aſſerentium dictum † Epiſcopum

pum ad huius generis obseruantiam regularis teneri, non per vim coactiuam, nec ex debito legali, sed per vim directiuam, & ex debito morali, siue honestatis. Quæ suadetur ab illis dupliciter. Tum quia id significatur in *cap. statutum* 18. *q.* 1. Cuius hæc sunt verba: *Statutum est, & rationabiliter secundum Sanctos Patres à Synodo confirmatum est, vt Monachus quem electio Canonica à iugo regulæ monasticæ professionis absoluit, & sacra ordinatio de Monacho Episcopum fecit, velut legitimus hæres paternam sibi hæreditatem postea iure vendicandi potestatem habeat: Sed quidquid acquisierat, vel visus fuerat habere, Monasterio relinquat, & Abbatis sui qui fuerat secundum regulam Sancti Benedicti, arbitrio. Postquam enim Episcopus ordinatur, ad altare ad quod sanctificatur, & intitulatur, secundum Sacros Canones quod acquirere poterit, restituat*, Absolui enim à iugo regulæ est absolui à vi coactiua illius. Tum etiam quia postquã eximitur à subiectione Prælatorũ Ordinis, ab illis nullatenus puniri potest, nisi à solo Summo Pontifice, vel ab Archiepiscopo Metropolitano: ergo signum est quod neque pœnis regularium constitutionum subiacet. Quod autem ex debito morali, & honestatis teneatur, patet: nam postquam monachatum semel professus est, qui perfectionis est disciplina, condecens est, & rectæ rationi conforme, vt Magister perfectionis partus, eandem seruet disciplinam, licet liberè, & non per vim coactiuam legis monasticæ: quemadmodum discipulus licet factus Doctor, à ferulæ metu, aliisque coactionibus, quibus ad studium compellebatur, liberetur, debet nihilominus sua sponte, hoc est debito morali, & honestatis eisdem studiis incumbere. Notant quoque præfati Authores
3 cum D. Thoma, posse † dictum Episcopum in huiusmodi obseruantiis regularibus secum dispensare, sicut & Prælati ipsi religionum secum, & cum subditis ex rationabili causa dispensare solent. Subditque D. Thom. *ibidem*, quod etiam dictus religiosus ad Episcopatum euectus, tenetur gestare habitum consuetum sui ordinis, verùm hoc dixit attento iure communi. Nam iam speciali, & nouo statuto mandatum est omnibus religiosis Episcopis, vti habitu quoad formam secundum vsum Romanæ Curiæ, scilicet pileo, & muceta. His addit Caietanus *in commentario, eiusdem articuli*, quod Religiosus in Episcopatu constitutus non tenetur præceptis, neque censuris in regula, aut statutis suæ religionis contentis: eò quòd licet actus cadentes sub præcepto, siue censura, non dissonent ab statu Episcopali; benè tamen præcepta ipsa, & censuræ propter vim coactiuam dedecent, nedum statum ipsum, sed etiam Episcopum, qui in illo constitutus à vi coactiua legis monasticæ absoluitur.

Quæ proculdubio sententia est communiter
4 recepta à † Doctoribus, de qua videantur Syluester. *in summa* verbo *Relig. 6. q.* 10. & 7. *q.* 1. Couarr. *in cap.* 1. *de testamentis n.* 16. qui planè sequitur Sotum *vbi supra*: & vterque pro sua sententia adducit Caietanum *in d. q.* 19. *opusculorum*: in qua eam, quam 2. 2. strictius docuerat, (provt ipsis videtur) correxit. Sed Vazquius *tractatu de reditibus Ecclesiasticis cap.* 3. *dub.* 1. subscribens sententiæ Caietani, ait illam à sententia Soti, & Couarru. valde discriminari, & in vtroque loco vniformem esse. Quod sibi persuadet ex eo, quod secundum Sotum & Couarru. Religiosus factus Episcopus ad huiusmodi obseruantias tertij generis, manet obligatus solùm debito morali; quod sub nulla obligat culpa: sic enim applicatur à suis authoribus provt contraponitur debito legali. Atqui secundum Caietani sententiam manet obligatus ad illas debito morali, & honestatis, quod obligat sub aliqua culpa graui, aut leui, iuxta qualitates materiæ: Sicut Princeps solo debito morali, id est secundum dictamen rectæ rationis, ac proinde ad culpam obligante, tenetur legẽ à se conditã obseruare. Neq; in hoc Caietanus suam correxit sententiam: nisi solùm in eo, quod *in* 2. *loco opusculorum* concessit religioso Episcopo facultatem vtendi priuilegio *cap. explicari, de obseruatione ieiuniorum*, scilicet vescendi carnibus in feria sexta, in qua festum Natiuitatis Domini celebretur, quam ei in 2. 2. negauerat: eò quòd considerauit eum à vi coactiua legis absolutum. Sed quid si regula ipsa secundum vim directiuam ad nullam culpam obliget subditos, nisi ad solam pœnam? Huiusmodi generis sunt Dominicanorum, Carthusianorum, & aliorum ordinum Constitutiones. Tunc quidem fatèor, & fateri tenetur Vazquius, Episcopũ inde euectum sub nulla culpa ad earum obseruationem per se loquendo obligari: nisi fortè ratione scandali, aut contemptus, aut alterius extrinsecæ circunstantiæ. Neque omnia quæ dictat recta ratio, dictat præcipiendo aut sub aliqua culpa obligando. Quare Sotus loquebatur iuxta subiectam materiam de huiusmodi constitutionibus, ad nullam culpam secundùm vim directiuam obligantibus, provt distinguuntur contra præcepta, de quibus neque Caietanus potuit sentire.

Subditque D. Thomas, quod † Religiosus 5
creatus Episcopus etiam tenetur gestare habitum suæ religionis. Verùm iam eis mandatum est vti habitu, quoad formam secundum vsum Romanæ Curiæ communem aliis Episcopis, scilicet pileo, & muceta. His addit Caietanus *ibidem*, quod Religiosus in Episcopatu constitutus non obligatur præceptis, aut censuris contentis in regula, aut constitutionibus suæ religionis: eò quòd licet actus cadentes sub præcepto, siue censura, non dissonent ab statu Episcopali, bene tamen præcepta ipsa & censuræ propter vim coactiuam illum dedecent.

Quare id quod in *dicto cap.* 8. *ad calcem commentarij* subdit idem Caietanus, nimirum Religiosum euectum ad Episcopatum, non posse vti priuilegio vescendi carnibus feria sexta, quando in illa celebratur festum Dominicæ natiuitatis, si esus carnis aliàs est prohibitus ex instituto peculiari religionis; impugnatur à Soto *in præallegato art.* 7. & merito. Nam illud priuilegium, quod in *cap. explicari*, extra de obseruatione ieiuniorum indultum est, ad cunctos Christianos extenditur, exceptis duntaxat illis, qui ex voto, aut ex regulari obseruantia ieiunare feriis sextis adstricti sunt. Intellige de obligatione debiti legalis, quod proculdubio non manet in Episcopo ex religione assumpto, nisi tantùm morale ex honestate ortum, vtpote quia † Monachus 6
factus Episcopus manet eo ipso à iugo regulæ
monasticæ

monaſticæ ex *dicto cap. ſtatutum* abſolutus; ideſt quantum ad vim coactiuam, & legale debitum. Vnde & ipſe Caietanus *in dicto opuſculo q.* 19. re melius inſpecta mutauit ſententiam, quoad huius duntaxat caſus exceptionem, vt dictum eſt. Obiter autem videndum eſt, Vtrum dictum priuilegium veſcendi carnibus feria ſexta in die Natalis Domini extendatur ad Sabbatum, cum canon *explicari* id non explicet? Reſpondeo affirmatiuè. Tum quia ita experientia conſtat, & vſu de conſuetudine populi Chriſtiani receptum eſt: conſuetudo autem eſt optima legum interpres. Tum quia per plures regulas iuris talis extentio firmatur, vt per illam: *Plus ſemper in ſe continet quod eſt minus*, quæ habetur *titulo de regulis iuris in 6.* & ſumpta fuit *ex lege, in eodem quod plus ff. de reg. iuris*: & per illam in *eodem 6. Cui licet quod eſt plus, vtique licet quod eſt minus.* Ergo quibus licet veſci carnibus feria ſexta in die Natalis Domini, ex dicto Canone *explicari*, quod eſt plus, à fortiori licebit veſci carnibus Sabbato, quod eſt minus.

DVBIVM II.

An Religioſus factus Epiſcopus maneat à voto paupertatis abſolutus?

SVMMARIVM.

7 *Duæ ſunt citra hoc dubium ſententiæ; & authores, qui affirmatiuam tuentur, referuntur.*

8 *Authores prædicti id in quo conueniunt, ſuadent quadrupliciter.*

9 *Quibus non obſtantibus verior eſt ſententia negatiua, quæ ſtatuitur aduerſus Authores primæ ſententiæ.*

10 *Papa etiamſi de potentia abſoluta poſſit diſpenſare cum Religioſo ad Epiſcopatum electo in voto paupertatis, de facto tamen non diſpenſat.*

11 *Religioſus beneficia Eccleſiaſtica, dignitates & Epiſcopatum habet quoad vſum & adminiſtrationem, non autem quoad proprietatem.*

12 *Referuntur ſex cauſæ, ob quas Papa conſueuit concedere Epiſcopis licentiam cedendi Epiſcopatui.*

13 *In Religioſo Epiſcopo manet virtualiter votum obedientiæ, abſolutè autem obligatio caſtitatis, & abdicatio proprietatis.*

14 *Reſpondetur argumentis pro contraria ſententia adductis.*

7 IN hoc † dubio duæ verſantur ſententiæ. Prima affirmans, quam tuentur Sotus *lib. 10. de iuſtitia, quæſtione vltima art. vlt.* & Michaël de Medina *lib. 1. de continentia cap. 26.* & Sarmientus *1. p. de reditibus cap. 1. numer. 10.* Quibus & ſubſcribit Vazquius *tractatu de reditibus cap. 3. dub. 7.* aſſerentes Religioſum electum ad Epiſcopatum, nedum paternæ hæreditatis verum dominium obtinere, ſed etiam portionis redituum Eccleſiaſticorum ad ipſum ſpectantis, fieri dominum: dominium autem non compatitur cum voto paupertatis. Quod ſi nullus Epiſcopus etiam ſecularis obtinet verum dominium redituum Eccleſiaſticorum, niſi tantùm diſpenſationem & adminiſtrationem, vt innuit Medina *vbi ſupra*; verùm quia hæc adminiſtratio eſt cum poteſtate libera alienandi perpetua, & ad nutum non amouibilis, nec à Superiori dependens, non compatitur cum voto paupertatis, ſicut neque dominium. Vnde vt Religioſus illam obtineat, neceſſe eſt vt ad Epiſcopatum electus à voto paupertatis abſoluatur, aut in illo diſpenſetur. Igitur † id in quo conueniunt 8
prædicti authores ſuadent quadrupliciter. Primò, argumento quo vtitur Sotus, quia ſcilicet Epiſcopi ex Clero aſſumpti, poſt iam factam quadripartitam diuiſionem portionum redituum Eccleſiæ, verè habent dominium ſuæ portionis ad ipſos pro victu, & veſtitu pertinentis: Atqui Epiſcopi ex religionibus aſſumptis, pariter, & eodem modo adiudicatur ſua portio: ergo pariter habent illius dominium, atque cæteri de Clero aſſumpti. Maior oſtenditur ab eodem Soto *q. 4. eiuſdē libri art. 3.* Conſequentia eſt nota, & Minor videtur eſſe Angelici Doctoris *in dicta q. 181. art. 6. in ſolutione ad 2.* aſſerentis Epiſcopos etiam ex monachatu aſſumptos, non teneri ad paupertatem Apoſtolorum. Item confirmat exemplo Athanaſij, Ambroſij, & Auguſtini, qui habuerunt diuitias & ſimul fuerunt Monachi, & Epiſcopi. Secundò quia Religioſus electus ad Epiſcopatum poteſt adire hæreditatem paternam, & ſecularium bonorum; vt patet *ex dicto cap. ſtatutum*, vbi Monachus, qui in monachatu hæres paternus eſſe non poterat propter votum paupertatis, idoneus declaratur poſt adeptum Epiſcopatum ad hæreditatem paternam adeundam, redditúrque pro cauſa: quòd ipſum electio Canonica à iugo regulæ Monaſticæ Religionis abſoluit, & Sacra Ordinatio de Monacho Epiſcopum fecit. Rurſus Papa cum huiuſmodi Epiſcopis Monachis ſæpius diſpenſat, vt ſecularia bona immobilia emant, quæ poſtea conſanguineis aut amicis teſtamento vel donatione relinquant: quæ conſuetudo profectò oſtendit diſpenſari cum ipſis in voto paupertatis circa bona ſecularia: Eadémque ratio videtur eſſe de reditibus Eccleſiaſticis.

Tertiò arguitur ex doctrina Nauarri in pluribus conſiliis: nam *titulo de ſtatu monachorum conſilio 11.* habet, quod Canonicus regularis poteſt obtinere beneficium perpetuum curatum & ſeculare, de licentia ſui Prælati in titulum, vel commendã, ſiue *amanuẽte*, ideſt amouibile, & illud adminiſtrare ſicut alij Beneficiarij. Et idem repetit *conſilio 12. ex cap. quod Dei timorem, de ſtatu monachorum*, & *cap. in parochia 16. quæſt. 1.* & ex Concilio Tridentino *ſeſſ. 14. cap. 10. de reformatione*, renouante caput *vt poſſeſſiones, de rebus Eccleſiæ non alienandis*, etſi à tempore Gregorij XIII. iam non dentur beneficia ſecularia curata Canonicis regularibus, & *conſilio 13.* idem determinat de commendatariis Sancti Spiritus in Saxa, qui verè ſunt Canonici regulares ex Clementina II. *de honeſtate Clericorum*: & idem habet *conſilio 14.* determinans poſſe dari à Generali ordinis Auguſtiniani licentiam Religioſo

gioso cuidam accipiendi Ecclesiam cum horto annexo in emphyteusim. Emphyteuta autem habet dominium vtile, cum quo non videtur compati votum paupertatis quod omne dominium excludit. Necnon quia Papa potest absoluere Religiosum à voto castitatis: ergo pariter à voto paupertatis. Patet consequentia, quoniam vtraque pariter est annexa statui monachali *ex cap. Cum ad monasterium*, quod dum disponit, neque Summum Pontificem posse in illo, scilicet in voto paupertatis indulgentiam concedere, intelligitur à Glossa in sensu compositio, idest dum manet Monachus: Atqui Episcopus non manet Monachus teste D. Thoma 22. q. 184. art. 8. dicente, Episcopatum esse statum perfectiorem essentialiter Monachatu; ac per consequens ab illo diuersum, sicut magisterium à discipulatu.

Quartò arguitur, quia Monachus ex dispensatione Summi Pontificis potest nubere, & fieri Rex, & Imperator: vt tenet communis sententia Iuristarum, & Theologorum: & experientia constat ex multis dispensationibus super huiusmodi factis à Summis Pontificibus; tunc autem Monachus sic dispensatus, & ad matrimonium, & Regiam dignitatem euectus erit verus Rex, & Imperator sicut alij: ergo cum vero dominio temporali: ergo pariter euectus ad Episcopatum habebit verum dominium bonorum nedum secularium, sed etiam Ecclesiasticorum redituum, sicut alij Episcopi.

9 Sed his non obstantibus † verior est sententia negatiua, quam statuimus aduersus Authores prioris sententiæ. Illámque tuentur D. Tho. 22. *quæst.* 185. *art.* 8. & Caietan. *ibi*, & *opusculo citato*. Bonac. *in* 4. *d.* 38. *art.* 2. *quæst.* 3. Couarru. *in cap.* 1. *de testament.* & Syluester *v. Religio.* 6. *quæst.* 10. & 7. *quæst.* 11. & Nauarrus *in Apologia contra Sarmientum quæst.* 1. *monito* 11. & *in prædicto consilio* 13. dicens, quod neque Papa potest dispensare cum religioso ad habendum verum dominium. Imo (ait ille) mea sententia non habet illud Religiosus, etiam si sit Papa. Et licet sua Sanctitas possit ex maxima, & iusta causa dispensare super voto solemni proprietatis, accipiendo proprium pro dominio vero rei, in quo opponitur è diametro Dominico Soto, qui *vbi supra*, vt suam opinionem firmaret, sensit votum paupertatis solemne non esse tam indispensabile, quàm votum solemne continentiæ, aut obedientiæ. Econtra verò Nauarrus sensit minus dispensabile esse illud, quàm istud: sed vtrumque extremum nobis vitiosum videtur; qui æqualem indispensabilitatem in vtroque agnoscimus, sicut & Innocentius III. *in dicto cap. Cum ad monasterium*, vtramque, idest castitatem, & paupertatem, pariter annexam regulæ monachali agnouit, dicens. *Quia abdicatio proprietatis sicut & custodia castitatis, adeò est annexa regulæ monachali, vt contra eam nec Summus Pontifex possit licentiam indulgere.* Et aliàs ex parte solemnitatis neutrum votum ab altero exceditur. Igitur ex aliis principiis probatur nostra conclusio.

10 Primò; quia † etsi de potentia absoluta possit Papa cum Religioso euecto ad Episcopatum dispensare in voto paupertatis, scilicet efficiendo illum non Religiosum, verumtamen de facto non dispensat cum illo in tali voto: sicut neque dispensat cum eo in voto castitatis, aut obedientiæ, quia non vult Papa illum eximere ab obligatione ad id quod perfectionis est. Secundò, quia † Religiosus beneficia Ecclesiastica, dignitates, & Episcopatum, solùm habet quoad vsum, & administrationem: non autem quoad proprietatem: quæ sola est incompatibilis cum voto paupertatis, quod sic ostendo. Nam pupillus quamuis non habeat bonorum suorum administrationem, quandiu est sub cura Tutoris, quia tamen habet proprietatem ad dominium illorum, non potest dici pauper propriè, sed est Dominus omnium, dicente Paulo *ad Galatas* 4. *Quanto tempore hæres paruulus est, nihil differt à seruo, cum sit dominus omnium, sed sub tutoribus, & actoribus est vsque ad præfinitum tempus à patre, &c.* Econtra verò Generalis perpetuus alicuius religionis simpliciter est pauper, & nullatenus à voto paupertatis absolutus, aut in illo dispensatus, quamuis habeat perpetuam, & non amouibilem administrationem bonorum religionis: ergo cum hac optimè stat paupertatis votum, ac proinde stare potest in Monacho ad Episcopatum euecto. Respondet Vasquius *in dicto dubio* 7. *numer.* 32. negando hanc vltimam consequentiam, assignandóque duplex discrimen inter Generalis perpetui, & Monachi Episcopi administrationem: nimirum quod dominium bonorum religionis commodè assignatur, manere apud totam religionem in communi; dominium autem bonorum Ecclesiæ ad solum Episcopum videtur pertinere. Rursus quod quicunque Generalis etiam perpetuus, solùm iure humano est perpetuus, & ideo à Summo Pontifice est amouibilis, & fieri potest temporaneus: Episcopus verò non sic, sed iure Diuino est perpetuus, si ipse velit. Sed hæc solutio non euacuat vim argumenti facti: eò quòd etiam dominium redituum Ecclesiæ quandiu ei præsidet Episcopus de monachatu assumptus, congruenter assignatur esse apud Sedem Apostolicam. Cuius signum est, quod illos alteri testamento relinquere non potest, nisi soli Sedi Apostolicæ, quæ est veluti hæres necessarius illorum. Et in dicto *cap. statutum*, definitur, dominium patrimonalium apud Ecclesiam proptiam esse; cuius conclusio præfixa est hæc: *Qui de Monacho Episcopus ordinatur; quod ante consecrationem habuit Monasterio, quod verò post consecrationem acquisiuit, propriæ Ecclesiæ derelinquat.* Neque minus est Episcopus à dignitate & administratione amouibilis, licet dependenter à suo consensu. Vnde *in cap. Nisi cumpridem, de renuntiatione*, refert Innocentius III. † sex causas ob quas 12 Papa consueuit concedere Episcopis licentiam cedendi Episcopatui: quæ his versibus comprehenduntur.

Debilis, ignarus, male conscius, irregularis:
Quem mala plebs odit, dans scandala, cedere possit.

Imo *in cap. quidam, eiusdem tituli*, decernitur Episcopum posse ob istas causas semel petita licentia, ad cedendum compelli. Igitur propter solam administrationem bonorum Eccle-

ſiæ, Epiſcopus de monachatu aſſumptus non eſt abſoluendus aut diſpenſandus in voto paupertatis.

Tertiò quia Angelicus Doctor *in dicto articul.8. in ſolutione ad 3.* fatetur, in † religioſo Epiſcopo manere virtualiter, & in præparatione
13 ne animi votum obedientiæ : abſolutè autem manere obligationem caſtitatis & abdicationem propritatis. Cuius hæc ſunt verba: *Ad tertium dicendum quod hoc eſt per accidens, quod Epiſcopi religioſi obedire Prælatis ſuarum religionum non tenentur : manet tamen adhuc obligatio voti virtualiter, ita ſcilicet, quod ſi eis legitimè aliquis præficiatur, obedire tenentur, in quantum tenentur obedire ſtatutis regulæ per modum prædictum, & ſuis Superioribus, ſi quos habent. Proprium autem nullo modo habere poſſunt. Non enim paternam hæreditatem vẽdicant quaſi propriam ſed quaſi Eccleſiæ debitam, &c.* Huic argumento reſpondet Vazquius *vbi ſupra*, votum paupertatis in Epiſcopo omnino extingui : eò quòd votum illud ſolùm eſt factum in religione : ac proinde eo ipſo quod ad aliam dignitatem, & ſtatum euehitur, qualis eſt Epiſcopatus, qui alium viuendi modum poſtulat, votum paupertatis ipſo facto extinguitur : & hoc non eſt votum propriè diſpenſari, quamuis aliàs diſpenſabile ſit ſicut votum continentiæ, ſed eſt votum extingui. Ac proinde non renuerem (ait ille) concedere etiam dominium redituum Eccleſiaſticorum, atque rerum immobilium Eccleſiæ, quæ deputatæ ſunt Epiſcopatui, eſſe apud Epiſcopos religioſos, ſicut eſt apud alios Epiſcopos ſeculares. Quæ tamen ſolutio non obſtat 5 quia quantumuis Epiſcopalis dignitas altior ſit Monachatu, aliúmque viuendi modum poſtulet: non tamen Monachum euectum abſoluit ab aliis obſeruantiis Religionis, quæ non ſunt incompatibiles cum eo ſtatu, neque illum dedecent, vt ipſe Vazquius *vbi ſupra* fatetur: ergo neque illum abſoluit à voto paupertatis : quod neque cum Epiſcopali functione incompatibile eſt, neque illam dedecet.

Ex quibus ad primum pro contraria ſententia † reſpondetur, negando minorem ; quia aliter, & aliter Religioſus Epiſcopus, & ſecula-
14 ris diſpenſat reditus Eccleſiaſticos, & quæcunque alia bona ſibi obuenientia : Ille quidem tanquam merus diſpenſator; iſte verò tanquam dominus, licet quantum ad dignitatem, & conſecrationem vterque vniuocè & eodem modo ſit Epiſcopus. Ad confirmationem reſpondetur, ſolùm colligi ex D. Thoma *in eo loco*, Epiſcopos religioſos poſſe habere diuitias, ſicut habuerunt Auguſtinus, Baſilius, & alij, qui fuerunt Epiſcopi, & Religioſi : An autem eſſent Domini, vel diſpenſatores, non decernit. Ad Secundum patet ex D. Thom. *vbi ſupra*, quod Monachus euectus ad Epiſcopatum non vendicat hæreditatem paternam quaſi propriam, niſi tantùm quaſi Eccleſiæ debitam. De modo autem, quo ex diſpenſatione Summi Pontificis poteſt illam relinquere amicis aut conſanguineis, *Dubio ſequenti* conſtabit. Ad Tertium reſpondetur, quod exemplis adductis à Nauarro ſolùm conuincitur, poſſe Religioſum de licentia legitimi Superioris, aliquam adminiſtrationem bonorum habere, de qua *dubio ſequenti* dicemus. Ex diſpenſatione autem Summi Pontificis fatemur poſſe Religioſum abſolui à voto caſtitatis, & paupertatis in ſenſu diuiſo, id eſt extra ſtatum religionis. Et licet dum aſſumitur ad Epiſcopatum, abſtrahatur à monachatu : tamen non eſt neceſſe, quod Papa ipſo facto illum à dictis votis abſoluerit, ſicut verè abſoluitur ab illis, quando diſpenſatur religioſus vt nubat & fiat Rex, vel Imperator. Ex quo patet ad Quartum argumentum, ad quod neganda eſt vltima conſequentia.

DVBIVM III.

VtrumReligioſus creatus Epiſcopus poſſit de bonis patrimonialibus iure hæreditatis in Epiſcopatu obtentis teſtari, ſicut poſſunt alij Epiſcopi ſeculares?

SVMMARIVM.

15 *Nullus Epiſcopus ſiue ſit ſecularis, ſiue de Monachatu aſſumptus, poteſt de bonis Eccleſiaſticis teſtari.*

16 *Epiſcopi ſeculares poſſunt de bonis patrimonialibus teſtari.*

17 *Religioſi ad Epiſcopatum aſſumpti, an poſſint de bonis patrimonialibus teſtari, controuertitur.*

18 *Religioſi creati Epiſcopi non poſſunt adire paternam hæreditatem vt propriam, ſed quaſi Eccleſiæ debitam.*

19 *Religionis Apoſtata, quicquid acquirit in ſeculo, acquirit Cameræ Apoſtolicæ.*

20 *Bona à Religioſo Epiſcopo conquiſita in Epiſcopatu non ſunt caduca.*

21 *Reſpondetur argumentis in contrarium adductis.*

22 *Religioſi inferiores, quibus Regularia beneficia conferuntur, non habent dominium bonorum Eccleſiaſticorum, neque patrimonialium.*

23 *Equites militares (vulgo Commendatores) habent dominium ſuorum bonorum, nedum patrimonialium, ſed etiam redituum commendæ.*

24 *Probatur corollarium adductum contra Nauarrum, Vazquium & alios, quatuor argumentis, quæ ad finem dubij extenduntur.*

IN hoc dubio omnes Doctores conueniunt in duobus, & diſcriminantur in alio. Conueniunt quidem Primò in eo, quod † de bonis, ſeu reditibus Eccleſiaſticis, nullus Epiſcopus, 15
ſiue ſecularis ſit, ſiue de Monachatu aſſumptus poteſt teſtari, aut ea teſtamento, aut legato cauſa mortis alicui relinquere, ſine ſpeciali Summi Pontificis indulto ; quia ſiue huiuſmodi bonorum, aut redituum habeant Epiſcopi dominium, vt re vera habent ſeculares, ſiue ſolam adminiſtrationem, vt re vera habent Epiſcopi Regulares : verumtamen omnibus adempta eſt poteſtas teſtandi, & ſoli Summo Pontifici reſeruata; poſſunt quidem

quidem seculares tanquam Domini de huiusmodi redituum quota, quæ eis pro sua, & familiæ sustentatione assignatur, quandiu vita funguntur, liberè disponere, quod voluerint, sed eam causa mortis testamento, aut legato alteri relinquere non possunt; quia sic eis à iure Canonico est dominatiua, siue dispensatiua facultas restricta. Rursus conueniunt in eo, quòd sicut sine licentia Summi Pontificis, nec secularis, nec regularis Episcopus potest de bonis Ecclesiasticis condere testamentum, ita cum ea potest vterque illud condere; ille quidem tanquam de proprio: iste verò tanquam de sibi ad dispensandū commisso. Quod discrimen satis innuit D. Thomas *in dicta solutione ad* 3. dum ait: *Testamentum autem nullo modo facere potest*, (scilicet Religiosus Episcopus) *quia sola ei dispensatio committitur rerum Ecclesiasticarum, quæ morte finitur, ex qua incipit testamentum valere vt Apostolus dicit ad Hebræos 9. Si tamen ex concessione Papæ testamentum faciat, non intelligitur ex proprio facere testamentum, sed Apostolica authoritate intelligitur esse ampliata potestas suæ dispensationis, vt eius dispensatio possit valere post mortem.*

16 Conueniunt Secundò in eo, quod † Episcopi seculares de bonis patrimonialibus ante vel in ipso Episcopatu obtentis testari possunt, eorúmque hæredem per testamentum instituere: quia nullo iure hæc potestas adempta est illis: neque dominium talium bonorum est restrictum eis quoad facultatem testandi.

17 De † religiosis verò assumptis ad Episcopatum controuersum est apud Doctores, an testari possint de huiusmodi bonis patrimonialibus vel quasi patrimonialibus? Aliqui partem adstruunt affirmatiuam: eò quod verum dominium illorum habent à iure, & veri dominij capaces sunt, vtpote à voto paupertatis iam absoluti. Si ergo veri Domini sunt talium bonorum in vita, cur non erunt in morte, vt de illis testari possint? Rursus successio hæreditaria semper est mutua; nam sicut filius est hæres necessarius patris, ita pater est hæres necessarius filij, & vnus frater est hæres alterius & è contra. Sed Episcopus de religione assumptus est capax succedendi in hæreditate paterna: ergo pariter poterunt fratres siue consanguinei ei succedere in illa; ac proinde poterit eos per testamentum hæredes instituere. Tertiò quia si aliquo iure hæc potestas eis adimeretur, maximè *in dicto c. statutum*, sumpto ex Cōcilio apud Altezem, vel aliàs apud Alceum celebrato, quod quia pro lege tantùm fuit, non potuit vniuersalem legem condere pro tota Ecclesia, obligantem scilicet cunctos Religiosos Episcopos, vt de bonis patrimonialibus, quorum iam capaces erant, non nisi in fauorem propriæ Ecclesiæ possent disponere, aut testari: ergo.

Sed vera, & tenenda est sententia negans, quam tuentur D. Thomas *in dicta solutione ad* 3. Syluester verbo *testamentum* 1. *quæst.* 3. Angelus *eodem verbo*, Medina, & Soto *vbi supra*, & Vazquius *dub. 7. circa finem*: & probatur Pri-

18 mò, quia † huiusmodi Relgiosi creati Episcopi non habent dominium, neque sunt capaces adeundi paternam hæreditatem vt propriam, sed quasi Ecclesiæ debitam: vt testatur D. Thomas *in dicta solutione ad* 3. explicans verba, & sententiam *dicti cap. statutum*, vbi subduntur sequentia verba recensita à D. Thoma: *Postquam Episcopus ordinatur ad altare, ad quod sanctificatur, quod adquirere potuit restituat*, scilicet propriæ Ecclesiæ, siue altari: restituere autem est statuere aliquem in dominium rei suæ. Subditque D. Thomas in eadem solutione. *Testamentum autem nullo modo facere potest, quia sola ei dispensatio committitur rerum Ecclesiasticarum, quæ morte finitur, &c.*

Secundò probatur à simili: nam † Religiosus apostata quidquid acquirit in seculo, acquirit Cameræ Apostolicæ, ex quadam Extrauaganti Gregorij XIII. Cuius meminit Nauarrus *consilio* 17. *de statu monachorum, & consilio* 81. *titulo de regularibus*; (licet iure communi huiusmodi bona ad monasterium pertinebant): eò quòd ipse apostata propter votum paupertatis est incapax dominij: Sed etiam Religiosus factus Episcopus est incapax dominij, vt dictum est *Dubio præcedenti*: ergo dominium quorumcumque bonorum in Episcopatu comparatorum non est apud ipsum, sed apud alterum, nimirum apud Papam, siue apud Sedem Apostolicam, quoad reditus Ecclesiasticos; & quoad patrimonialia apud propriam Ecclesiam cui inseruit, & cuius sponsus est: per dispositionem *dicti cap. statutum*. Tertiò quia † huiusmodi bona à tali Religioso Episco- 20
po conquæsita in Episcopatu non sunt caduca, idest nullum habentia dominum: ergo cùm eorum Dominus non sit ipse Episcopus, erit Papa, siue Sedes Apostolica: & propria sponsa iuxta assignatam consignationem. Eadémque ratio est quantum ad hoc de Episcopo seculari: qui licet sit verus Dominus illius quotæ redituum Ecclesiasticorum, quæ ei consignatur pro sui & familiæ sustentatione, ita vt de illa quandiu vita fungitur, liberè possit disponere. Veruntamen causa mortis sine speciali indulto Summi Pontificis, eiusdem quotæ hæredem instituere non valet, quoniam eius hæres necessarius est ipse Summus Pontifex, vel Sedes Apostolica; quapropter iure communi Canonico adimitur ei facultas testandi de huiusmodi bonis Ecclesiasticis, in fauorem alterius. Secus autem est de bonis secularibus ipsi iure hæreditario, vel testamento relictis, quorum & dominium habet superstes, & eorundem potest hæredem post mortem instituere.

Ex quibus ad Primum † pro contraria 21
sententia respondetur, negando antecedens. Iam enim assensum est, illos nec dominij rerum temporalium capaces esse, nec à voto paupertatis absolutos. Ad secundum respondetur, hæreditariam successionem semper esse mutuam, nisi à iure ob iustam aliquam, siue rationabilem causam impediatur aut limitetur, vt in specie nostri casus contingit, *ex dicto cap. statutum*; vbi ius Canonicum disposuit, quod Episcopus de monachatu assumptus, ob eam causam quod à vi coërciua regulæ monasticæ absoluitur, & à claustro ascendit ad Episcopalem dignitatem, in qua libera bonorum Ecclesiasticorum sibi attinentium dispensatione potitur, succedere posset, non pro se sed nomine Ecclesiæ in hæreditate paterna,

quam proinde non poteſt alteri niſi Eccleſiæ ſuæ relinquere, ſi eam poſt conſecrationem obtinuit; ſin minus monaſterio, cui de iure communi debentur, quæcunque bona Monachus in monachatu manens acquiſiuit: à qua regula excipiuntur bona illa patrimonialia quæ libera non ſunt, ſed vinculata ea lege, vt in eis filij, ſiue ſucceſſores Clerici aut Monachi non ſuccedant. Horum enim licet vſusfructus ad Epiſcopum, vel Monachum, quandiu fuerit ſuperſtes, pertineat; tamen proprietas poſt eorum obitum cum vſufructu ad ſecularem ſucceſſorem propinquiorem reuertitur. Ad Tertium reſpondetur, Concilium illud fuiſſe generale, vt conſtat ex annotatione *dicto cap.* addita in vltima Decreti impreſſione. Neque ſupponit *dictum cap.* Epiſcopum de Religione aſſumptum eſſe abſolutum à voto paupertatis, & ideo ablato voto poſſe ſuccedere in hæreditate paterna, in qua antea voto paupertatis permanente in ſua perſona ſuccedere non poterat, vt falsò putauit Vaſquius: Sed ſolùm ſupponit illum eſſe à iugo regulæ monaſticæ abſolutum, & capacem adminiſtrationis, & diſpoſuit in fauorem Eccleſiæ cui præſidet, vt in paternam hæreditatem ingredi poſſet, ipſi Eccleſiæ poſt mortem relinquendam. Neque enim præiudicauit iuri communi monaſteriorum, vt putat Vaſquius minus ſcitè: nam ipſe textus habet, & concluſio ei præfixa declarat, bona ſecularia quæſita ab Epiſcopo, quandiu in monaſtica vita erat, deberi monaſterio, vnde aſſumptus fuerat: ad conquiſita autem in Epiſcopatu nullum ius commune aut particulare, habuit vnquam monaſterium.

Hinc colligo Primò aduerſus eundem Vaſ-
22 quium, *dubio* 8. neque †alios inferiores beneficiarios Religioſos quibus Regularia beneficia conferuntur, ſiue ſint amouibiles ad nutum Superioris ab illorũ adminiſtratione, ſiue non: nequaquam habere dominium reditũum Eccleſiaſticorum, aut bonorum patrimonialium, ſed tantùm eſſe eorum diſpenſatores, eò quòd non abſoluuntur à voto paupertatis à fortiori, ſiquidem nec ab illo abſoluuntur Religioſi, quando ad dignitatem Epiſcopalem aſſumuntur, quæ eſt multò eminentior beneficio, & Abbatia; vt oſtendimus *dubio præcedenti*, ex doctrina D. Thomæ, Caietani, Sylueſtri, Couarruuias, & Nauarri. Tum etiam, quia huiuſmodi Religioſis beneficiariis in quibuſcunque bonis ſuccedit monaſterium ab inteſtato, licet ex priuilegio Pauli III. teſtari poſſint, vt experientia conſtat, petita tamen licentia per triennia ſingula à Magiſtro: veruntamen huiuſmodi priuilegium intelligitur datum ipſis, vt teſtentur in fauorem Conuentus eam partem, & in vſus pios, & conſanguineis non ſuperflua ſed neceſſaria relinquant: quod eſt ſignum manifeſtum, illos non Dominos ſed merè diſpenſatores eſſe: etiamſi à beneficij adminiſtratione ad nutum amoueri non poſſint.

23 Colligo Secundòd; quòd †Equites militares vulgo dicti (commendatores) habent dominium ſuorum bonorum nedum patrimonialium, ſed etiam reditũum commendæ ſeu Eccleſiæ ipſis commendatæ. Hoc corollarium ſtatuitur aduerſus Nauarrum *quæſt. 3. de reditibus num.* 29. Vaſquiũ *vbi ſupra dubio.* 2. Couarruuias, Medinam Complutenſem, & alios, quos refert, & ſequitur Mota *lib. 2. de confirmatione ordinis militiæ S. Iacobi de Spata cap.* 1. §. 2. aſſerentes huiuſmodi equites dominium non habere propter votum paupertatis, quod emittunt in ſua profeſſione, ratione cuius, nec expendere, aut conſumere bona ſua, nec teſtari de illis poſſunt, niſi de licentia ſupremi Magiſtri talis Ordinis, & ex priuilegio Innocentij Papæ VIII. atque in vſus pios duntaxat, quia bona Religionis ipſius sũt, quæ proinde in vſus prophanos de nullius licentia erogari poſſunt, quia poteſtas Prælati cuiuſvis Religionis tantùm eſt diſpenſatiua, vnde ad prophanos vſus extendi non poteſt. Sed quæ relinquuntur filijs, vt eorum ſtatui neceſſaria, inter prophana non cenſentur.

Sed † noſtrum corollarium probatur non 24
ſolùm ea ratione, qua vtuntur Soto *lib. 7. de iuſtitia quæſt. 5. art. 3. & lib. 4. ſententiarum d. 27. quæſt. 1. art. 4.* Sarmiento 1. *parte defenſionum contra Nauarrum monito 56.* Azeuedo *lib. 3. nouæ recopilationis tit. 5. lege 14. num. 3.* Ludouicus Lopez *in inſtructorio conſcientiæ 2. parte cap. 48.* Gironda *de gabellis 7. parte, numero 47.* & alij; exiſtimantes huiuſmodi Equites ordinum militarium, ſcilicet S. Iacobi Calatrauæ, Alcantaræ, & Monteſiæ, non eſſe verè & propriè religioſos, ac proinde neque votum paupertatis ſimpliciter emittere. Quæ ſententia habet fundamentum in D. Thoma 2.2. *quæſt. 186. art. 4. in ſolutione ad 3.* dicente; *quod illi modi viuendi, ſecundum quos homines matrimonio vtuntur, non ſunt ſimpliciter, & abſolutè loquendo Religiones, ſed ſecundum quid, in quantum ſcilicet in aliquo participant quædam quæ ad ſtatum religionis pertinent.* Nec non in modo profitendi, quem dicti Equites ſeruant. Nam qui ſunt Calatrauæ, Alcantaræ, & Monteſiæ, ſolùm profitentur explicitè obedientiam Magiſtro, & reformationem morum, ideſt, *conuertimiento de coſtumbres de bien en meior haſta la muerte*; excepto quod Equites Alcantaræ explicant quoque in profeſſione caſtitatem coniugalem, vt conſtat ex dictorum ordinum conſtitutionibus ac diffinitionibus relatis à Mota *in dict. lib. 2. cap. 2. num.* 8. Equites vero Sancti Iacobi etſi explicitè voueant etiam viuere ſine proprio ſub hac forma: vt conſtat ex *lib. ſtabilimentorum. tit. 5. cap. 3. folio 55. Yo Hulano me offreſco, y doi à Dios, y à S. Maria, y al bien auenturado Apoſtol Santiago; y prometo obediencia al Maeſtre, y adminiſtrador perpetuo &c. hago voto, y prometo de viuir en caſtidad coniugal, y ſin proprio ſegun la regla de Santiago; y priuilegios de la dicha orden haſta la muerte.* Ex qua colligitur, quod non vouent paupertatem ſimpliciter, niſi tantùm ſecundum quid, & reſtrictè, ideſt ſecundum regulam S. Iacobi, & conſtitutiones ordinis. Quidquid enim ſit de hoc articulo, de quo in præſentiarum non vacat diſputare; licet enim admittamus eos omnes eſſe verè Religioſos, ſaltem ex priuilegio Alexandri III. & aliorum ſummorum Pontificum; quæ videtur eſſe mens Angelici Doctoris in loco nuper allegato, per quã duæ ſententiæ oppoſitæ recenſitæ ad concordiam reduci poſſunt: tamen, aut paupertatem promittunt tantùm implicitè, quatenus (vt ait Vazquius,) conducit ad morum reformationem: aut ſi eam promittunt explicitè, tantùm

eam

eam promittunt ſecundum quid, hoc eſt non erogandi ſuos reditus, & patrimonialia bona ſine licentia Magiſtri, aut Superioris vicē illius gerentis: ita vt aliter diſpēſantes ea peccent, aut mortaliter aut venialiter pro materiæ quātitate. Sic enim eorum regula & conſtitutiones paupertatem eis permittunt, & non abdicationem proprietatis, aut dominij; quæ diffinitur ab Innocentio *in cap. cum ad monaſterium, de ſtatu monachorum*, annexa regulæ monachali, quæ ſtrictior eſt: Non autem eſt annexa regulis Ordinum Militarium in Equitibus, quæ laxiores ſunt ex Summorum Pontificum indultis, atque priuilegiis. Secundò probatur noſtrum corollarium à ſimili. Nam dicti equites militares eodem modo vouent paupertatem, atque caſtitatem; ſiue explicitè ſiue implicitè vtranque aut alterutram voueant: Atqui certum eſt eos tantum vouere caſtitatem ſecundum quid, ſcilicet coniugalem, cum qua ſtat eos ducere vxores, quarum dominium habent, & in eas poteſtatem dominatiuam ſicut cæteri homines coniugati in ſuas vxores habent, per quam & illis vota irritare poſſunt: ergo & paupertatem vouent tantùm ſecundum quid, ideſt ſine abdicatione dominij, ac proprietatis, cum qua proinde compatitur in eis verum dominium bonorum. Mirum namque eſſet eos eſſe dominos corporum ſuarum vxorum, & non eſſe dominos proprij patrimonij; mirum quoque eſt, concedere Monacho ad Epiſcopatum euecto, & Clerico ordinis militaris ad beneficium perpetuò aſſumpto dominium bonorum, & illud Equiti militaris denegare: qui eſt magis ſecularis, & laxiorem regulam profeſſus, vtpote extra communitatem in domo propria vxoratus, & cum patrimonio proprio viuens.

Tertiò probatur: nam hæc conſequentia non valet. Religioſus promittit viuere ſine proprio, aut paupertatem ſecundum regulam talis religionis: ergo abdicat à ſe dominium, & proprietatem bonorum, quæ ante profeſſionē poſſidebat: ergo ex hoc quod Eques militaris explicitè, vel implicitè voueat viuere ſine proprio ſecundum regulam ſui ordinis, non ſequitur abdicare à ſe dominium, & proprietatem ſuorum bonorum ex vi talis voti. Conſequentia eſt nota, & antecedens probatur: nam illa conſequentia inſtatur in coadiutoribus non formatis Societatis Iesv, qui poſt emiſſa tria vota ſubſtantialia Religionis in prima profeſſione, adhuc retinent certo modo dominium ſuorum bonorum, per quod non deſinunt eſſe Religioſi; vt conſtat ex Bulla Gregorij XIII. quæ incipit: *Aſcendente Domino in nauiculam*, expreſsè decernente hos Coadiutores non formatos eſſe verè, & propriè Religioſos, & ſic ab omnibus cenſeri, ac nominari debere, non ſecus atque ipſos tum Societatis Iesv, tum quorumuis aliorum Regularium ordinum profeſſos. Si ergo manet dominium in huiuſmodi Religioſis Societatis, cur non manebit in Equitibus religioſis militaribus, qui ſub laxiori regula viuunt? Profectò manet in vtriſque dominium ſimpliciter, ſed ligatum quoad vſum, ac dependens à poteſtate ſuperioris: quatenus promittunt quod ſine eius licentia etiam proprio patrimonio non vtentur. Vnde ſicut quandiu pupillus eſt ſub cura Tutoris, non poteſt dici pauper, cum ſit dominus omnium, teſte Paulo *ad Galatas 4.* quia habeat dominium ligatum, quoad vſum: ita neque iſti Religioſi quandiu ſic retinent dominium bonorum ligatum quoad vſum, poſſunt appellari pauperes. Quis enim vnquam Equites militares, pingues maioratus, aut commendas poſſidentes, pauperes appellauit? Vltimò probatur ab inconuenienti: Nam aliàs poſt obtentam licentiam erogandi bona ſua in vſus neceſſarios, non poſſent illorum dominium in alios validè transferre in vſibus prophanis, verbi gratia in ludo, & meritricio: nam Religioſus carens dominio erogando bona ſibi applicata quoad vſum in vſus prophanos, non transfert dominium illorum in recipientem, quia bona religionis ſunt, quæ proinde recipiens in foro conſcientiæ ante iudicis ſententiam tenetur ipſi monaſterio reſtituere: & tam erogans, quàm recipiens, in huiuſmodi vſibus prophanis v. g. ludo, & meritricio peccant contra iuſtitiam, vt idem Vazquius fatetur *tractatu de reſtitutione, cap. 7. dub. 3. & in dicto tractatu de reditibus c. 3. dub. 2. circa finem.* Atqui dicti Equites militares, ſuppoſita licentia ſupremi Magiſtri, quam ſingulis annis petunt ad erogandum, & expendendum de bonis poſſeſſis in vſus ſibi & familiæ neceſſariis, nedum eorum, quæ erogant in vſus pios, ſed etiam aliorum quæ pro vſibus prophanis expendunt, v. g. pro ludo, ac meritricio validè transferunt dominium in meritricem, aut colludentem: ita vt neque ipſi erogantes, neque recipientes, peccent contra iuſtitiam, neque tenentur reſtituere; etſi eos peccare fortè contra aliam virtutem, v. g. obedientiæ, liberalitatis, vel caſtitatis, non inficiemur. Ergo ſignum euidens eſt eorum bona non religionis, ſed ipſorum eſſe: alioquin de nullius licentia poſſent ea pro vſibus prophanis & ſuperfluis in alios transferre contractu valido, & citra iniuſtitiæ lethale peccatum.

QVÆSTIO XXIX.

De peculio quod poſſunt habere Religioſi in clauſtro manentes: Et quid de ſemel eiecto iuridicè ſit ſentiendum.

SVMMARIVM.

1 *Refertur triplex peculij genus in Religioſis diſtinguendum.*

2 *Peculium primi generis, non poteſt haberi à Religioſo in ſtatu obedientiæ, quia eſt incompatibile cum voto paupertatis.*

3 *De duobus aliis peculij generibus eſt diſſidium inter Authores.*

4 *Refertur Concilij Decretum de peculio ſecundi generis, in quo tria determinantur.*

5 *Refertur communis ſententia circa peculium tertij generis.*

6 *Quæritur, quis poteſt concedere Religioſo licentiam, vtendi aliqua re immobili, vel fructibus beneficij ad vſum irreuocabilem & independentem ab ipſius Prælato.*

7 *Peculium ſecundi generis non contradicit voto paupertatis, neque eſt prohibitum Religioſis à Concilio Tridentino.*

8 *Peculium tertij generis non fuiſſe prohibitum à Concilio variis argumentis ſuadetur.*

9 *Electus legitimè ab ordine non tenetur ad Ordinem redire à quo fuit expulſus.*

10 *Religioſus ab Ordine legitimè expulſus ſi velit ad Religionem redire, poteſt à Prouinciali vel Priori recipi.*

11 *In huiuſmodi receptione ſeruanda eſt forma Capituli finalis, quæ poteſt ſecundum Gloſſam vno ex tribus modis fieri.*

DVo inuoluit dubia titulus huius Quæſtionis ſuo ordine examinanda.

Ad quorum primum vt reſpondeamus, prænotare oportet, † triplex in Religioſis poſſe diſtingui peculium. 1 Primum eſt quando ita poſſidetur à Religioſo independenter à quouis Superiori, ſiue Prælato, ita vt à nullo Superiori etiam Pontifice ſit reuocabile. Secundum eſt, quando conceditur Religioſo à Superiori deſignatum ad aliquos certos vſus, v.g. ad emendos libros ſiue veſtes, vel quid ſimile: ita tamen quod reuocabile eſt per Superiorem ſi illud petat à ſubdito. Tertium eſt quod etiam eſt reuocabile à Prælato, & eo animo habetur à ſubdito, vt illud in vſus licitos expendat: non tamen determinatur, nec deſignatur à Superiori in quibus vſibus ſit expendendum. Et quidem omnes 2 Doctores conueniunt in eo quod † peculium primi generis non poteſt haberi à Religioſo in ſtatu obedientiæ permanente, quia eſt incompatibile cum voto paupertatis: ſiquidem habere hoc genus peculij, vt pro ſua libera voluntate poſſit quis illud erogare, & eo animo quod etiamſi à Superiore petatur non exhibebit illud, eſt habere proprium cum toto rigore. 3 De † duobus autem aliis generibus peculij eſt diſſidium inter authores: Et quidem de ſecundo genere peculij, communis ſententia tenet, illud tam ante, quàm poſt decretum Concil. Trid. *ſeſſ. 25. de regularibus cap. 2.* fuiſſe, & eſſe licitum religioſis. Quam tenent Ierſon 1. *parte ſummæ, alphabeto 23. litera G.* Syluester verbo *Abbas q. 3. parte 7.* & verbo *Religio 6. q. 7. parte 4.* & Nauarrus *q. 3. de reditibus à. n. 28. & conſilio vnico tit. de Magiſtris lib. 5. conſiliorum.* & alij quos refert, & ſequitur Corduba *in ſumma quæſt. 54.* A qua ſententia ſolus diſſentit Vazquius *in dicto tractatu de reditibus cap. 3. dubio 2.* dicens hoc genus peculij etiam de medio ſublatum fuiſſe à Concilio Tridentino *in dicto cap. 2.* Vbi volens Concilium auferre penitus omne genus peculij à Religioſis regularibus, vt deinceps ex communibus facultatibus, ideſt incorporatis Conuentui omnibus neceſſaria miniſtrentur: in quo paupertatis perfectio in communitate conſiſtit: ſicut in primitiua Eccleſia vt erat anima vna, ita & vnum omnium erat peculium, vnde omnibus neceſſaria miniſtrabantur, vt refertur *Actor. 4.* 4 ita decernit. *Nemini* † igitur *regularium, tam virorum quàm mulierum, liceat bona immobilia, vel mobilia, cuiuſcunque qualitatis fuerint, etiam quouis modo ab eis acquiſita tanquam propria, aut etiam nomine Conuentus poſſidere, vel tenere; ſed ſtatim ea Superiori tradantur Conuentuique incorporentur. Nec deinceps liceat Superioribus bona ſtabilia alicui regulari concedere, etiam ad vſumfructum vel vſum, adminiſtrationem, aut commendam. Adminiſtratio autem bonorum monaſteriorum, ſeu Conuentuum ad ſolos Officiales eorundem, ad nutum Superiorum amouibiles, pertineat. Mobilium verò vſum ita Superiores permittant, vt eorum ſupellex ſtatui paupertatis, quam profeſſi ſunt, conueniat: nihilque ſuperflui in ea ſit, nihil etiam, quod ſit neceſſarium, eis denegetur. Quod ſi quis aliter quidquid tenere deprehenſus aut conuictus fuerit, biennio actiua, & paſſiua voce priuatus ſit, atque etiam iuxta ſuæ regulæ conſtitutiones, & ordines puniatur.* In quibus verbis tria determinat Concilium. Primò quidem, quod deinceps nullus Regularium, tã virorum, quàm mulierum habeat bona aliqua mobilia, ſiue immobilia tanquam propria, ſed ſtatim Superiori ea credantur, & Conuentui incorporantur. Secundò, quod Superiores nulla bona ſtabilia concedãt alicui Religioſo ad vſumfructum, adminiſtrationem, vel commendam; ſed horum adminiſtratio ad Officiales tantùm pertineat, qui ſint ad nutum Superioris amobiles. Tertiò quod bonorum mobilium vſus ita moderatè concedatur, vt decet viros religioſos, vtque eorum ſupellex ſtatui conueniat: Et aliter facientes Concilium priuat voce actiua, & paſſiua per biennium. Ex quibus arguit ſic Vazquius. Apud regulares tam viros quàm fœminas non poteſt eſſe peculium de bonis quæ Conuentui non ſint incorporata poſt decretum Concilij; Sed peculium ſecundi generis eſt de bonis quæ non ſunt incorporata Conuentui; nam, quæ mihi v. g. ſunt conſignata ad vſus proprios ac determinatos, non incorporantur Conuentui: quia incorporari Conuentui eſt, quod in communes expenſas deſtinentur: ergo.

Circa peculium autem Tertij generis communis ſententia tenet, illud & ante dictum decretum Concilij Tridentini potuiſſe haberi à Religioſis; atque etiam poſt illud. A qua Ierſon *vbi ſupra*, & Vazquius in prælegato dubio diſſentiunt. Ille quidem quatenus exiſtimat id genus peculij etiam ante Concilium fuiſſe prohibitum Religioſis iure communi, & ex natura voti paupertatis; quia illud eſt quaſi proprium habere, ex quo plurima damna oriuntur in religionibus, &c. Iſte verò quatenus ait ſaltem poſt Concilium non licere tale peculium Religioſis, quia Concilium prohibet illis habere peculia rerum mobilium de licentia cuiuſlibet Prælati. Pro cuius declaratione dico Primò; peculium primi generis nullatenus licet Religioſis Regularibus, ſiue viris, ſiue fœminis. Hæc concluſio eſt communiter ab omnibus recepta. Et probatur tum ex *dicto cap. non dicatis*, decernente, quod Canonicus regularis non poſſit habere proprium: Tum ex dicto Decreto Concilij Tridentini determinante, quod nemini regulari liceat bona immobilia poſſidere, etiam ad commendam, vel adminiſtrationem, neque liceat Superioribus talem licentiam concedere, quam prius eis prohibuerat Innocentius III. *in cap. cum ad monaſterium §. nec alicui*, vbi ſic ait; *Nec alicui committatur aliqua obedientia perpetuò poſſidenda, tanquam in ſua vita ſibi locetur, &c.* Ex quo licet inferre Prælatos Religionum malè contra dictum caput, & Con-

cilium

silium concedere quandoq; suis subditis quasdã officinas, scilicet grangeam, Sacristiã, & pharmacotecam per modum perpetuæ locationis. Deinde probatur, quia si aliquis Religiosus de suis bonis ante professionem relinquat monasterio aliquam rem, v. g. fundum, vel domum, sibi retinendo vsumfructum ea conditione, quod ab eo non possit auferri per nullum Superiorem: conditio hæc habetur pro non adiecta, & nullam habet vim, quia semper Religiosus subditur voluntati Superioris; eò quòd non est capax dominij, aut proprietatis: esset autem Dominus, si non esset reuocabilis vsusfructus per Superiorem, vt bene notant Corduba, *vbi supra*, & Syluester verbo *Religio quæst. 5.*

6 Sed rogabis† quis potest concedere Religioso licentiam vtendi aliqua re immobili, vel fructibus aut reditibus alicuius rei immobilis siue beneficij ad vsum irreuocabilem, & independentem ab ipsius Prælato? Respondet Nauarrus solum Papam, aut Prouincialem siue Generalem ex illius commissione & authoritate, posse talem licentiam concedere: quia nullus inferior Summo Pontifice potest facere Religiosum etiam indirectè proprietarium. Igitur solus Papa est qui potest, & solet aliquibus Religiosis concedere aliquam pensionem super fructibus beneficij, vel Episcopatus, ea lege, vt independenter à suis Prælatis illam expendant.

Sed contra est, quia Generalis bene potest mihi concedere licentiam vtendi pensione, vel legato in vsus in quos voluero, & dare administrationem perpetuam vnius domus, vel horti, vel grangeæ absque dependentia cuiuslibet Prælati inferioris, & hoc non est facere proprietarium, quia iam dependeo ab ipso Generali: ergo. Secundò, quia data hac licentia, iam non potest eam amplius reuocare per regulam iuris *in 6. quod semel placuit amplius displicere non potest*: & illam: *Decet concessum à Principe beneficium esse mansurum*: & illam *in 6. Mutare consilium quis non potest in alterius detrimentum*; & de qua licentia sic data à Generali Augustinianorum, dicit Nauarrus *consilio citato* 14. fuisse licitam, & sine iusta causa reuocari non posse, semel tamen reuocatam sine iusta causa valere in foro externo; in *consilio* autem 15. videtur aliquanto sibi contrarius, quatenus dicit eam licentiam sic independentem nec à Generali ordinis posse concedi, nisi à solo Summo Pontifice. Et quod Abbas non potest sibi imponere legem à qua recedere nequeat. Videturque satis conforme *dicto §. capituli cum ad monasterium*, & Tridentino *vbi supra*. Et quidem de Generali, puto posse dare talem licentiam expendẽdi pensionẽ, vel legatum relictum Religioso independenter ab omni Prælato inferiori, sed non independenter ab omni absolutè: & hæc forte est mens Nauarri, vt se explicat in *consilio vnico de Magistris & super cap. non dicatis. 12. quæst. 1.*

7 Dico Secundò: † peculium secundi generis neque contradicit voto paupertatis, neque est prohibitum Religiosis à Concilio Tridentino in decreto prælegato. Hæc conclusio statuitur aduersus Vasquium *vbi supra*, & probatur pro prima parte, quia tale peculium & est de rebus mobilibus, & possidetur de licencia Superioris, ac de voluntate illius expenditur in eos vsus, quos ipse designauerat, & pro quibus petita fuerat licentia à subdito, vt supponimus: ergo non possidetur à Religioso tanquam proprium, sed tanquam applicatum ei ad tales vsus determinatè de voluntate Superioris: ergo non contradicit voto paupertatis. Prima consequentia est nota, & secunda probatur ex Doctrina Nauarri *vbi supra*, communiter recepta, quod voto paupertatis solùm contrariatur peculium illud, quod aut est de rebus immobilibus, aut de mobilibus, quæ possidentur tanquam proprium, & sine licentia Superioris.

Deinde pro Secunda parte suadetur ttipliciter. Tum quia Decretum Concilij solùm prohibet regularibus illud pretium quod voto paupertatis contrariatur, vel derogat: in nihilo autem huius generis peculium contrariatur, aut ei derogat: imo est illi valde conforme, dum Religiosus illud habet de licencia Prælati ad eos duntaxat vsus, ad quos illud Prælatus determinatè destinauit. Imo hoc genus peculij, iuxta morem retinetur apud Religiosum communem depositarium, vel apud Syndicum Religionis secularem (vt in ordine Franciscano) ad seruanda Conuentus, & singulorum Religiosorum peculia designatum, nisi ad breue tempus, pro quo Religiosus indiget pecunias pro sibi necessarijs, aut vtilibus vsibus expendere. Tum etiam quia sequeretur, Concilium tollere Religiosis omne genus peculij, siquidem non est aliud vltra tria recensita assignabile, quæ omnia sentit ipse Author tolli à Concilio: consequens autem esse falsum, patet; quia hoc esset damnare praxim communem omnium fere Ordinum regularium mendicantium, & Monachalium, in quibus saltem hoc genus peculij permittitur: ergo. Tum denique quia idem est Religiosum habere hoc genus peculij, atque habere licentiam à suo Prælato, expendendi certã quantitatem pecuniæ in tales, aut tales vsus Prælato manifestatos, & ab ipso approbatos: Sed certum est posse Prælatum subdito concedere talem licentiam, neque de hoc potest esse dubitatio, sicut neque de legitima potestate veri Prælati Communitatis Religiosæ: ergo eadem certitudine tenendum est, illum posse hoc genus peculij subditis permittere, atque concedere.

Dico Tertiò: imo neque † Concilium prohi- 8
buit peculium tertij generis. Hæc conclusio statuitur & suadetur Primò, quia Concilium eo decreto præcipuè intendit confirmare & renouare constitutionem Innocentij III. in *cap. cum ad monasterium*, circa obseruantiam voti paupertatis in Regularibus: in qua duntaxat prohibetur eis, habere peculium de rebus immobilibus tanquam proprium, ideſt per modum Emphyteusis, vel per modum locationis. Superadditque Concilium, quod neque liceat eis de rebus mobilibus peculia tanquam propria, etiam nomine Conuentus possidere vel tenere. Et *infra* subdit, huiusmodi peculia de rebus mobilibus permissa Religiosis, debere esse moderata, ita vt nihil indecens, aut superfluum contineant, & nihil quod sit necessarium eis denegetur. Verùm ex nimia egestate, & inopia Conuentuum, ob quam non possunt Religiosis necessaria prouideri, vsum fateor increuisse, vt Prælati subditis maiora peculia permitterent: & hoc genus peculij in vsus incer-

tos

tos deſtinari,& quod conquiſitum, & receptum fuit de licentia Superioris, nec eſt de bonis immobilibus, neque poſſidetur tanquam proprium, imo neque pro temporum calamitate, pro inopia Conuentuum, pro neceſſitatuum occurſu, & pro perſonarum qualitate eſt ſuperfluum, vel indecens, vt ſupponimus: etenim ſine his circunſtantiis, nec Prælatos permittentes talia peculia à damnabili negligentia, nec ſubditos ea tenentes à graui peccato contra votum paupertatis excuſarent: ergo &c. Secundò quia Decretum Concilij non prohibet huiuſce generis peculia, niſi quando ſunt de bonis, quæ Conuentui non incorporantur, vt ex eius contextu patet: ſed hæc peculia eo ipſo quod Superiori manifeſtantur, & reponuntur apud communem depoſitarium, vel Syndicum, Conuentui incorporantur: nec enim ad hoc oportet, vt in communes ipſius Conuentus ſumptus deſtinentur: ſed ſufficit, quod à Prælato deſtinentur in ſumptus ipſius Religioſi pro tempore occurrentes licitos, & honeſtos; nam quidquid Monachus iſto modo habet vel acquirit, ſuo Conuentui habet, vel acquirit: ergo.

Tertiò; nam aliàs damnaremus praxim receptam communiter, & approbatam apud Conuentus eximiæ reformationis, & Religioſos non mediocris virtutis, peritos ac doctos, apud quos huius generis peculia ſunt in vſu, imo pro illis retinendis iſto modo aſſignantur à Prælatis depoſitarij communes, & Syndici, quorum deſignatio, & officium damnandum quoque eſſet. Apud moniales quoque hoc genus peculij eſt vſum recepiſſimum. Vnaquæque res mobiles, & pecunias, quas propria induſtria, & labore manuum ſuarum conquæſiuit, apud communem depoſitariam, vel in loco communi ad id deſtinato retinet de licentia Superioris, vt in occurrentes ſibi neceſſitates illas expendat: qui vſus pariter quoque eſſet damnandus poſt Concilij Tridentini decretum, quod tamen non eſt dicendum: neque credendum eſt Tridentin. Synodum maiori ex parte, ex Epiſcopis de Religionibus aſſumptis, Ordinum Generalibus, & Patribus grauiſſimis congregatam, hunc vſum adeò cõſuetum in ſuis Religionibus, qui eos latere non potuit, voluiſſe damnare. Quare non eſt opus recurrere ad confugium eorum, qui dicunt decretum Concilij in hac parte non fuiſſe à Religionibus receptum, & ideo à principio eas non obligaſſe, quia id ſine fundamento dicitur. Imo ab omnibus fuit receptum, & omnes obligauit, quoad ea, quæ diſpoſuit ſua lege prohibitiua peculiorum, ne ſcilicet ea retinerent, de rebus immobilibus modo præſcripto *in dicto cap. cum ad monaſterium*: & de rebus mobilibus tanquam propria, & ſine licentia Superioris, aut cum ſuperfluitate, & indecentia reſpectu ſtatus Religioſi. Quod argumentum ab inconuenienti à moralibus, & practicis non paruæ efficaciæ eſt. Imo etiam de rebus immobilibus habere peculia quoad vſum fructum de licentia Superiorum, permiſſum & licitum eſt Religioſis in clauſtro viuentibus, ſtante decreto Concilij: vt bene notat Nauarrus *vbi ſupra*. Et experientia confirmatur quotidiana, dum quotidie videmus plures Religioſos, & ante profeſſionem de ſuis bonis immobilibus relictis monaſterio, aliquam partem redituum, vel fructuũ ſibi reſeruare: & poſt profeſſionem de pecuniis ſua induſtria, vel proprio labore, vt legendo, prædicando, vel miſſando comparatis, cenſum fundare nomine Conuentus, cuius proprietas ſit apud Conuentum, fructus verò, & reditus cedant ipſi Religioſo pro ſibi neceſſariis in vſus licitos & honeſtos, de licentia Prælati expendendi: poſt cuius obitum ſuccedit Conuentus cum proprietate, & vſufructu. Quæ conſuetudo non eſt damnanda, quin potius in magnam cedit Conuentuum vtilitatem. Quia ſic plures excitantur, vt pecunias, quas aliàs expendere poſſent diſcurſu vitæ, in proprietatem cenſus conuertant, ipſi Conuentui relinquendi, ſícque bona immobilia Conuentus augeantur.

Secundum quæſitum in hac quæſtione eſt; 9
Quid de Religioſo per legitimam ſententiam eiecto ſentiendum ſit?

Reſpondeo dicendum Primò, quòd ſemel eiectus legitime ab ordine, hoc eſt per ſententiam legitimè diffinitiuam latam, non tenetur ad ordinem redire à quo ſic expulſus fuit; neque à Prælatis poteſt aut debet inquiri aut cogi vt ad Ordinem redeat: eò quòd *cap. finale de regularibus*, contrarium diſponens, non loquitur de huiuſmodi eiectis, ſed ſolùm de fugitiuis nondum condemnatis in iudicio, aut de condemnatis iniuſtè, ſiue per ſententiam interlocutoriam; vt bene aduertit Nauarrus *titulo de regularibus conſilio 77. & tribus ſequentibus*. Cui etiam ratio euidens ſuffragatur: nam per legitimam expulſionem in Religioſo expulſo extinguitur omnino obligatio erga Religionem, eius clauſuram, & obſeruantias: manet quidem in illo obligatio voti erga Deum, & obedientiæ erga Epiſcopum & Ordinarium cui manet ſubiectus; minimè vero erga Prælatos ordinis à quo legitimè eſt eiectus; ſicut in vno contrahente per reſciſionem contractus extinguitur, in altero obligatio, & promiſſario renuente rem ipſam, extinguitur obligatio in promittente. Ex quo liquet minus veram eſſe opinionem annotatoris Nauarri, qui *in dicto conſilio 77. ad calcem* inquit, Religioſum ſic legitimè expulſum adhuc manere ſubiectum Prælatis eius religionis, donec in alia Religione profeſſionem emittat: ſubdítque periculoſam eſſe Nauarri concluſionem, eò quòd oppoſitam illius teneat Sotus *lib. 7. de iuſtitia quæſt. 2. art. 1. circa finem*, Federicus de Senis *conſilio 134*. Vnbertus *ſuper regula Parentis Auguſtini in capitulo 99*. quem ſequitur Gloſſa conſtitutionis Dominicanæ *diſtinct. 1. cap. 19.* dicens expulſum ob ſuam culpam adhuc in ſeculo manentem, eſſe ſubiectum Prælato ſui ordinis, neque eſſe ab eius obedientia abſolutum, quouſque in alio ordine profiteatur: ſicut ouis ſeparata morbida à grege, adhuc eſt ſui paſtoris. Sed indubitatè tenenda eſt Nauarri ſententia, quæ veroſimilior eſt ob firmam rationem nuper adductam.

Dico Secundò: Si tamen dictus † Religioſus legitimè expulſus velit ad ſuam religionem redire, poterit Prælatus v. g. Prouincialis, Abbas & Prior illum recipere: imo tenetur eum recipere debito non iuſtitiæ, ſed honeſtatis & charitatis ad ſummum, & tunc ſeruanda eſt formula capituli finalis *de regularibus*: quod 10

licet

licet non loquatur de huiusmodi expulsis quoad ius illos repetendi, bene tamen quoad actualem receptionem si velint redire. Formula autem dicti Capituli seruanda, potest fieri secundum Glossam vno ex tribus modis; vel recipiendo dictum expulsum in eodem Conuentu, si nullum adsit inconueniens: vel in loco annexo Conuentui, vt in grangia aliqua expensis ipsius Conuentus propter vitandum scandalum, & pudorem: vel tandem recipiendo eum in alio Conuentu eiusdem Prouinciæ. Et hic vltimus modus ob pudorem, & verecundiam redeuntis regulariter seruari solet; & nunc temporis fuit quæsitum à nobis de quodam Dominicano ad triremes damnato, qui illis completis vult ad suum Ordinem reddire: quo pacto esset recipiendus? Cui responsum dedimus liberè posse Prælatum eum ad habitum & ordinem recipere, vno ex tribus modis à Glossa *dicti capituli finalis* recensitis.

QVÆSTIO XXX.

De facultate, quam à iure habent ad populis concionandum Regulares?

SVMMARIVM.

1 *Prædicatio seu explicatio Euangelij sine priuatim, siue publicè, siue in Ecclesia siue extra illam facta, non est actus iurisdictionis Ecclesiæ, neque alicuius ordinis Sacri.*

2 *Respondetur ad argumenta in contrarium adducta.*

3 *Explanatur sensus duorum Canonum, in quibus videtur attribui Diacono actus prædicandi.*

4 *Caietanus existimans prædicationem Euangelij esse actum proprium Ordinis Sacri, doctrinam postea mutauit.*

5 *Ex commissione Episcopi aut etiam Parochi, quiuis idoneus minister, potest Euangelium more solito prædicare.*

6 *Vtrum Vicarius Parochi possit ex authoritate sui officij, sine noua Episcopi licentia in Ecclesia sibi commendata Euangelium solemniter prædicare?*

7 *Regulares ad munus prædicationis in Ecclesiis ordinum suorum publicè exercendum, indigent Episcopi Diœcesani benedictione; in aliis verò eiusdem licentia speciali. Quæ conclusio probatur ex duobus Decretis Concilij Tridentini*, ibid.

8 *Circa quæ tamen decreta duplex insurgit dubitatio.*

9 *Respondetur dubitationibus adductis.*

10 *Resoluitur casus de quodam Regulari Concionatore ob iustam causam indicto, ne prædicationem faceret; quo non obstante contra Episcopi Diœcesani prohibitionem semel in Ecclesia sui Conuentus prædicauit.*

11 *Probatur præfatum Religiosum nec potuisse nec debuisse concionari contra Episcopi Diœcesani monitorium ipsi notificatum.*

12 *Sex sunt causæ, ob quas potest ac debet Episcopus Diœcesanus Regularibus munus prædicationis impedire.*

13 *Episcopus Diœcesanus potest Regularem in quamcunque ex dictis censuris incursum punire, & censuris ab officio prædicationis suspendere.*

14 *Quæritur qua virtute iuris possint Episcopi Regulares ab officio prædicationis censuris arcere.*

15 *Pro conclusione infertur Episcopum potuisse cum censuris præfatum Religiosum ab officio prædicationis pro tota sua Diœcesi arcere.*

AD huius explicationem placet per sequentes assertiones respondere, quibus tota huius quæstionis quæ satis lata est, comprehendatur.

Igitur dico primò, † prædicatio seu explicatio Euangelij siue priuatim, siue publicè, siue in Ecclesia, siue extra illam facta, non est actus iurisdictionis Ecclesiasticæ, neque alicuius ordinis Sacri: imo neque alicuius minoris. Hæc assertio habet tres partes sigillatim probandas; Quarum prima est communiter recepta, & probatur per manifestam experientiam, qua videmus plures tam seculares quàm regulares Concionatores de licentia suorum Prælatorum munus concionandi laudabiliter exercere, qui tamen nulla iurisdictione funguntur. 1

Deinde Secunda pars probatur à Nauarro *lib.1. consiliorum, titulo mihi de temporibus ordinationum, consilio 2.* hoc est secundum editionem Lugduni anni 1591. etsi secundum alias editiones, habeatur hoc cõsilium *in titulo de ætate & qualitate ordinandorum.* Probatur inquam Primò, quia nullo iure naturali aut diuino aut humano Canonico saltem scripto, reperitur vetita commissio huiusmodi officij concionandi facta vel facienda eis, qui non sunt Sacris ordinibus initiati à Prælato, siue Ordinario, siue Parocho. Secundò quia licet statutum sit ne quis prædicet Euangelium, nisi mittatur iuxta dictum Apostoli *ad Romanos 1.* relatum *in cap. cum ex iniuncto, de hæreticis:* verumtamen nunquam inuenitur statutum, quod mittendus debeat esse Sacro ordine initiatus: ergo. Tertiò probatur soluendo & explicando quædam iura, ac testimonia, quæ oppositum prima facie insinuare videntur. De quorum numero est *canon adiicimus 16.q.1.* vbi habetur; *quod nullus præter Sacerdotes Domini audeat prædicare:* & *canone perlectis 25. distinctione*, & *canone sancta d. 92.* in quibus dicitur, ad Diaconum pertinere Euangelij prædicationem in Ecclesia: ac proinde videntur huiusmodi iura significare quod Euangelij prædicatio sit actus proprius alicuius ordinis Sacri, nimirum Sacerdotij, vel saltem Diaconatus. Hiis accedit Caietanus *3.p.q.64. art.6. §. hanc doctrinam*, dicens; actum prædicandi esse de numero actuum consecratorum: quia est actus ad quem minister consecratur. Nam eius minister ex officio est Episcopus primariò, & secundariò

ſecundariò ſacerdos. Nec obſtat actum iſtum ex inſtitutione Eccleſiæ appropiatum eſſe Ordini Sacro, quoniam (ſubdit Caietanus) inſtitutio Eccleſiæ vel Diuina ad differentiam originis ſpectat, & non ad differentiam formalem: extrahere ſiquidem hominem ab Eccleſia ſacrilegium formaliter eſt, licet ex inſtitutione Eccleſiæ actus iſte ſubſtractus ſit ſacrilegio; ita licet prædicatio Euangelij ex authoritate Eccleſiæ facta ſit actus ordinis, ſub ſpecie tamen actuum ordinis formaliter comprehenditur: ac per hoc inter opera conſecrata computanda eſt, ea ratione, quia ad ipſam, ſicut & ad alios actus ordinis conſecrari oportet Miniſtrum. Et propterea ſecundum doctrinam hinc habitam miniſter malus prædicans, mortaliter peccat, ſicut qui indignè miniſtrat alios actus Sacrorum ordinum. Doctrina autem hæc cui innititur Caietanus eſt Angelici Doctoris; tum *in eodem artic. 6.* generaliter aſſerentis peccare peccato mortali ſacrilegij ex genere ſuo, miniſtrum adminiſtrantem quodcumque Sacramentum nouæ legis, dum exiſtit in peccato mortali. Atque in *4. d. 19. quæſt. 2. art. 2. quæſtiuncula 2. ad quartum*, vbi ait ſpecialiter loquens de actu docendi ſiue prædicandi, Sacram Scripturam non poſſe exerceri ſine culpa ab eo, qui eſt in peccato mortali notorio, ſiue illam doceat ex officio prælationis, ſiue ex officio Magiſtri: ſicut illam docent Magiſtri in ſacra Theologia; eò quòd ille qui docendo impedit finem doctrinæ, peccat: qui autem prædicat Sacram Scripturam in peccato notorio, impedit eius finem, *qui eſt vt credentes ſalui fiant: dum ore profitetur ſe noſſe Deum, factis autem negat.* Rurſus idem D. Thomas *3. part. quæſt. 67. articul. 1. ad primum* inquit, quod ad Diaconum pertinet recitare Euangelium in Eccleſia, & prædicare ipſum per modum Catechizantis: ſed docere & exponere illud populo, pertinet propriè ad Epiſcopum, id eſt ex propria authoritate: ex commiſſione autem ad alios ſacerdotes. Cui doctrinæ adhærens ipſa Prædicatorum Religio in pluribus capitulis generalibus recenſitis à Petro Martyre *3. part. ſui ſummarii conſtitutionum cap. 56.* ordinauit ſtrictè, ne aliquis mittatur ad prædicandum etiam in oppidis, aut villulis, niſi ſit Sacerdos, & Theologiam per duos aut tres annos audierit.

2 Ad quorum tamen † ſingula eodem ordine eſt reſpondendum. Ad primum itaque reſpondetur vno ex duobus modis: nimirum, aut cum Nauarro *vbi ſupra*, quod illud caput loquitur de prædicatione facienda authoritate propria & ratione ſui officij, qualem habet Epiſcopus & Sacerdos Curatus. Vnde nec Monachus etiam ſi ſit Diaconus, nec ſecularis Sacerdos ſimplex non habens Eccleſiam curatam poteſt prædicare, niſi de licentia Epiſcopi, vel Sacerdotis Curati: aut cum Soto in *4. d. 1. q. 5. art. 6.* quod *iniuncto cap. adiicimus*, & in nonnullis aliis, vt *in cap. cum ex iniuncto & cap. excommunicamus 1. de hæreticis & cap. ſicut in vno corpore*, prohibetur Laicus iure humano poſitiuo officium prædicandi; non quia ſit proprium Sacerdotum, ſed propter indecentiam, & periculum ſeminandi aliquem errorem, quod imminet laicis indoctis, dum munus Doctorum vſurpant. Vnde *in dicto cap. excommunicamus. §. quia verò*, ſubdit Innocentius III. pœnam excommunicationis ferendæ aduerſus illos ſiue Sacerdotes, ſiue Laicos, qui officium prædicandi vſurpant ſine licentia Sedis Apoſtolicæ ſiue Epiſcopi diœceſani in hæc verba: *quia verò nonnulli ſub ſpecie pietatis, virtutem eius abneganies, authoritatem ſibi vendicant prædicandi, cum idem Apoſtolus dicat: quomodo prædicabunt, niſi mittantur? omnes qui prohibiti vel non miſſi, præter authoritatem ab Apoſtolica Sede, vel Catholico Epiſcopo loci ſuſceptam, publicè vel priuatim prædicationis officium vſurpare præſumpſerint, excommunicationis vinculo innodentur: & niſi quàm citius reſipuerint, alia competenti pœna plectantur.*

Ad ſecundum reſpondetur † illos duos Ca- 3
nones in quibus videtur attribui Diacono actus prædicandi, tanquam proprius fore intelligendos vel de prædicatione Euangelij quæ fit à Diacono cantante ſiue legente Euangelium, ad Miſſam ſolemniter celebrandam: iſte enim eſt proprius actus Diaconi, vnde character Diaconatus imprimitur in traditione libri Euangeliorum, & ſic dictos canones Gloſſa ibidem, & Nauarrus *vbi ſupra* interpretantur: vel de prædicatione Euangelij per modum cathechizantis, quæ etiam ſolebat fieri à Diaconis, vt D. Thomas in loco nuper citato *3. partis* interpretatur. Alioquin certum eſt, per ordinem Diaconatus non dari cuipiam poteſtatem concionandi populo more vſitato, ſine licentia parochi, Epiſcopi, vel Papæ, niſi ipſe Diaconus aliàs habeat Eccleſiam parochialem, & velit in ea concionari: vt tenet ſententia communiter recepta à Panormitano ſuper *cap. inter cætera de officio Ordinarij*, à Soto *vbi ſupra*, à Nauarro *in dicto conſilio 2.* & *in Manuali cap. 25. num. 141.*

Ad tertium deſumptum ex doctrina † Ca- 4
ietani, fatemur illum in ea tunc fuiſſe ſententia, vt exiſtimaret prædicationem Euangelij eſſe actum proprium Ordinis Sacri, iure diuino ei annexum, quam tamen poſtea *in ſumma* verbo *prædicatorum peccata*, mutauit; dicens ſolùm de iure humano Eccleſiaſtico eſſe annexum ordini Sacro; & ideo eſſe eodem iure prohibitum Sacerdotibus prædicare, dum exiſtunt in peccato mortali, quando prædicant ſtudio & animo prædicandi indignè propter irreuerentiam & iniuriam, quæ fit prædicationi iuxta illud *Pſalmi 49. Quare tu enarras iuſtitias meas & aſſumis teſtamentum meum per os tuum? exiſtimaſti iniquè quod ero tui ſimilis, arguam te, ſtatuam contra faciem tuam*: & Apoſtoli *ad Romanos 2. qui prædicas non furandum, furaris &c.* Soto verò *vbi ſupra* aliter diſtinguit & fortè congruentius, iuxta iamà nobis inſinuatam diſtinctionem ex D. Thoma *vbi ſupra*, nimirum actum prædicandi poſſe exerceri ſine peccato à prædicatore, quando eſt peccator occultus: quando autem eſt peccator publicus, non poſſe exerceri prædicationem ab illo ſine mortali crimine: nam tunc propter ſcandalum fructum prædicationis impedit: eò quòd teſte Gregorio *in Paſtorali*; *neceſſe eſt cuius vita deſpicitur, eius prædicatio contemnatur.* Et Ariſtotele *10. Ethicorum*: *dum ſermones moribus*

ribus dissonant contemnuntur, & veritatem interimunt. Quare & Paul. loco citato *ad Roman.* 2. ait, per huiusmodi prædicatores qui prædicant non furandum, & publici sunt latrones, nomen Dei blasphemari inter gentes. Quando verò quis est occultus peccator, quod nullum sinistrum dedit exemplum, & tunc maximè quando ex officio incumbit, non esset peccatum cum timore & reuerentia prædicare: nam eius prædicatio posset esse fructuosa, contemptus verò semper est mortalis. Vt si quis tam impudenter prædicationem vilipenderet, vt indignum non putaret illam in peccato exercere. Hæc Soto, explicans, & temperans verba Caietani *in summa.* Ex quibus concludendo dico, quod prædicatio exercita à Laico, siue Regulari Sacris Ordinibus non initiato, non fit peccaminosa aut sacrilega ex defectu Ordinis Sacri, neque per vsurpationem officij proprij Ordinis sacri à non habente illum: sed ob alias rationes, nimirum quia vel propter indecentiam aut defectum scientiæ est prohibita à iure Canonico Laicis & non initiatis sacris ordinibus: vel propter defectum authoritatis, siue licentiæ ab Episcopo seu Parocho, vel Prælato aliàs legitimo, vt conclusione sequenti ostendemus. Exercita autem à Prædicatore siue laico siue Regulari cum cæteris debitis circunstantiis; hoc est habente clauem scientiæ, & authoritatem siue ordinariam ex officio, siue ex commissione legitimi Pastoris aut Prælati, neque est prohibita, neque peccaminosa per se loquendo, nisi per accidens reddatur peccaminosa ratione scandali, quia scilicet Prædicator odore malæ vitæ prædicationi iniuriam irrogat, eam contemptibilem faciendo & eius fructum impediendo. Et sic interpretandus est D. Thomas *in loco* 4. *sententiarum.* In alio verò loco tertiæ partis potius est pro nobis, dum ait, actum prædicationis non esse proprium Diaconi ratione ordinis, nisi per modum cathechizantis eos, qui sacro fonte sunt abluendi: quo pacto subministrat proprio ministro Baptismatis, quem ait ibi D. Thomas esse Sacerdotem. Quatenus autem subdit, prædicationem per modum docentis ex officio & authoritate pertinere ad Episcopos, verum ait: quoniam isto modo prædicare est proprium Episcoporum munus, quia Apostolorum sunt successores: quod non tollit, quominus etiam minus principaliter ad Parochos deriuetur, & ad alios ministros, ex commissione. Illud autem vltimum verbum, *ex commissione autem ad alios Sacerdotes*, non est in textu D. Thomæ expressum, sed ab aliquibus citatur, tanquam subintellectum.

5 Dico secundò † ex commissione Episcopi aut etiam Parochi, nedum Sacerdos, sed etiam quiuis alius idoneus minister, licet sacris, imo licet nullis ordinibus sit initiatus, potest Euangelium, more solito prædicare. Hæc conclusio procedit attento solo iure communi: nam iure priuato vnius aut alterius religionis potest oppositum caueri: nimirum vt solis Sacerdotibus munus prædicandi commendetur: vt ex nostri Dominicani Ordinis Capitulis generalibus sancitum fuisse retulimus, & statuitur aduersus duas opiniones è diametro oppositas. Alteram quidem Vbiclef, & Ioannis Hus, asserentium omnibus Sacerdotibus virtute suæ ordinationis conuenire & incumbere officium prædicandi independēter à quacumque licentia Episcoporum: quæ propterea damnata fuit inter alios eorundem Sectariorum errores in Concilio Constantiensi *sess.* 8. & 15. quod aduersetur testimonio adducto Pauli ad *Romanos* 10. *quomodo prædicabunt nisi mittantur*? Neque in hunc errorem coincidit opinio Caietani *in loco præallegato* 3. *partis*, dum ait actum prædicandi esse ex institutione Ecclesiæ proprium Sacerdotij, ac proinde conuenientem omnibus & solis Sacerdotibus ratione suæ ordinationis: quia non ideo negabat in minoribus Sacerdotibus requiri Episcopi licentiam, quemadmodum licet facultas absoluendi sacramentaliter à peccatis conferatur veluti in actu primo omnibus Sacerdotibus ex vi suæ ordinationis, cum hoc stat quod ad eius actualem vsum requiratur licentia Episcopi, & potestas iurisdictionis, siue consignatio ovium vltra ordinis potestatem. Alteram verò asserentium munus prædicandi, etsi non omnibus, tamen solis Sacerdotibus, aut etiam Diaconis conuenire. Quæ fundatur in iuribus *supra citatis*, & in testimonio Ambrosij super illud *ad Ephesios* 4. *dedit quosdam Euangelistas*, dicentis nomine Euangelistarum comprehendi etiam Diaconos, quibus olim Euangelizare licebat sine cathedra. Sed nostra conclusio asserens nec omnibus nec solis Sacerdotibus, aut etiam sacris ordinibus initiatis munus prædicandi posse conuenire, est communiter recepta, & defenditur à Soto, & Nauarro in locis præallegatis, ostenditúrque Primò; nam cum prædicare non sit actus proprius alicuius Ordinis Sacri, consequens est illum posse ab Episcopo committi ac delegari ministris nullo sacro ordine initiatis: imo ex hoc sumitur efficax argumentum ad probandum illum non esse actum proprium Ordinis Sacri, siquidem potest aliis committi: actus enim proprius vnius Ordinis Sacri non potest committi non habenti talem ordinem vt solemniter exercendus. Secundò, quia vsu & consuetudine probata receptum est, vt Laici aliàs docti, de licentia Episcopi prædicent more vsitato, licet nullis ordinibus etiam minoribus sint initiati, dummodo cum prima censura prædicalem habitum gestent. Imo & Parochi frequenter rogare solent huiusmodi Clericos in Theologia proiectos, nondum Ordinibus initiatos, vt prædicent in suis Parochiis: qui solemniter & more vsitato prædicant in illis. Omnia enim huiusmodi officia quæ quouis modo pertinent ad iurisdictionem ordinariam Episcopi, siue Parochi, sunt delegabilia Iure Canonico. Tertiò probatur: nam certum est Episcopum & Parochum habentes Canonicam institutionem suarum Ecclesiarum, posse in illis ex officio prædicare, antequam sacris initientur ordinibus; & similiter posse aliis huiusmodi facultatem delegare: ergo.

Sed meritò rogabis; † Verum idem dicendum sit de Vicario Parochi, quod de Parocho ipso proprietario dicimus: nimirum quod ille pariter atque iste possit ex auctoritate sui officij, sine noua Episcopi licentia, in Ecclesia sibi commendata Euangelium solemniter prædicare? Cui dubitationi aliqui respondent ne- 6

gatiuè, & conſequenter dicunt hunc Vicarium ſine ſpeciali licentia prædicantem puniri poſſe ac debere ab Epiſcopo pœnis indictis *in c. Excommunicamus de hæreticis*, ab Innocentio III. §. *quia verò*, ſuperius allegato. Sed verius eſt oppoſitum, quod mihi perſuadeo tripliciter. Primò, quia licet iſte non poſſit officium prædicandi, ſicut neque alia quæ ſunt iuriſdictionis alteri delegare, non habenti aliunde licentiam prædicandi, cum & ipſe Vicarius ſit delegatus, qui proinde ſubdelegare non poteſt: vtcumtamen per ipſum poteſt prædicare, & gregem ſibi commiſſum edocere more Paſtoris & Concionatoris, ſi aliàs ſit idoneus, ſicut & alia munia proprij Parochi obire. Neque id præſtat ſine Superioris licentia: quia ex vi nominationis, qua à proprio Parocho vel ab Epiſcopo ſiue eius Vicario generali nominatur, & inſtituitur in ſubſtitutum & Vicarium talis Eccleſiæ Parochialis, ſimul accipit facultatem miniſtrandi incolis Sacramenta, & eos edocendi atque inſtruendi in doctrina Chriſtiana, & de neceſſariis ad ſalutem animarum. Acceſſorium enim ſequitur naturam principalis: & ideo facultas ad principale, quale eſt in hac materia adminiſtratio Sacramentorum, extenditur ad acceſſorium, quod eſt inſtruere populum de neceſſariis, ad rite & rectè recipiendum Sacramenta. Vnde prædicando talis Vicarius in Eccleſia ſibi commendata vtitur iure ſuo: nullus autem vtendo iure ſuo alteri iniuriam facit, ob quam puniri debeat. Secundò quia Vicarius perpetuus alicuius Eccleſiæ Parochialis vnitæ alicui collegio vel monaſterio, v.g. qui per canonicam inſtitutionem inſtituitur in Vicarium perpetuum ad præſentationem eius, cui eſt annexa talis Eccleſia, poteſt omnia, quæ poteſt proprius Parochus: quia talis Vicariatus perpetuus habet rationem beneficij Curati: vt probat Nauarrus *lib. 3. conſiliorum titul. de prabendis & dignitat. conſilio 9. ex Clementina 1. de officio Vicarij*: ergo idem poterit Vicarius temporalis, vtpote in quo, quantum ad hoc militat eadem ratio: neque ex natura Vicariatus hoc munus prædicandi ſine alia licentia ſpeciali ei repugnat.

Tertiò probatur: nam quidquid poteſt facere Abbas titularis & proprietarius, poteſt commendatarius illius qui habet eius Eccleſiam in commendam: vt tenent Panormitanus *cap. quærelam de electione*, Decius *cap. edoceri vltimo de reſcriptis*, & Nauarr. *lib. 4. conſiliorum tit. de ſponſalibus, conſilio 5.* & tamen commendatarius Eccleſiæ parochialis non eſt proprietarius, ſed tantùm Vicarius, & ſubſtitutus: ergo, &c. Quæ ratio amplius confirmatur ex eo, quod Subſtitutus in omnibus functionibus perſonalibus ſapit naturam proprietarij, & ſubrogatur loco illius, ac proinde poteſt quidquid Principalis, cuius loco ſubſtituitur & ſubrogatur, poterat. Vnde cum in Concilio Tridentino *ſeſſ. 24. cap. 1. de reformatione matrimonij*, tria determinentur circa matrimonium per Parochum efficienda; nimirum quod antequam matrimonium contrahatur, ter à proprio contrahentium Parocho tribus continuis diebus feſtiuis in Eccleſia inter miſſarum ſolemnia publicè denuntientur. Et quod matrimonium contractum abſque præſente Parocho, vel alio Sacerdote de ipſius Parochi, ſeu Ordinarij licentia, & duobus vel tribus teſtibus, ſit ipſo iure inualidum: ac tandem quod benedictiones nuptiales à proprio Parocho fiant. Quæ omnia Vicarius etiam temporalis Parochiæ præſtare poteſt, & de facto præſtat, vt probat Nauarrus *tit. de ſponſalibus conſilio 27.* etenim per ipſum fiunt denunciationes in Eccleſia eorum, qui matrimonio iungendi ſunt. Et matrimonium contractum coram ipſo & duobus teſtibus eſt validum, iuxta formam Concilij præſcriptam: etſi quia delegatus eſt, non poſſit alteri Sacerdoti licentiam dare, vt coram illo validum matrimonium celebretur: atque ipſos contrahentes in ſua Eccleſia ſolemniter benedicit. Igitur à fortiori, poterit ex ratione ſui officij ſubditos doctrina inſtruere, more vſitato concionando, ſicut poterat Parochus, cum iſte ſit actus minoris iuriſdictionis quàm denuntiationes, & benedictiones nuptiales facere, & aſſiſtentiam & matrimonij valorem requiſitam præſtare. Et dato quod ad prædicandum more vſitato ſpeciali licentia indiget, ſi tamen bona fide id faceret, adhuc non eſſet ab Ordinario puniendus tanquam Canonis tranſgreſſor: quia in dicto §. *quia vero* ſolùm indicuntur pœnæ contra eos, qui ſine licentia Sedis Apoſtolicæ vel Epiſcopi loci publicè vel priuatim prædicationis officium vſurpare præſumpſerint: in huiuſmodi autem Vicariis qui moti bona fide & affectu proficiendi ſubditis prædicant, non habet locum præſumptio, neque ſcienter vſurpant officium prædicandi, quod ſibi probabiliter credunt ratione officij competere, ſicut competit facultas adminiſtrandi alia Sacramenta.

Dico Tertiò; † regulares quoque ad munus 7
prædicationis publicè exercendum vltra conditiones alias ex ſuorum ordinum ſtatutis requiſitas, indigent benedictione Epiſcopi Diœceſani, vt prædicent in Eccleſiis ſuorum ordinum; vt autem prædicent in aliis Eccleſiis, indigent eiuſdem Epiſcopi licentia ſpeciali. Hæc concluſio probatur ex duobus Decretis Concilij Tridentini: in quorum primo ſcilicet *ſeſſ. 5. cap. 2.* ſic habetur. *Regulares verò cuiuſcumque ordinis, niſi à Superioribus ſuis, de vita & moribus & ſcientia examinati, & approbati fuerint, ac de eorum licentia etiam in Eccleſiis ſuorum ordinum prædicare non poſſint, cum qua licentia perſonaliter ſe præſentare coram Epiſcopis, & ab eis benedictionem petere teneantur, antequam prædicare incipiant. In Eccleſiis verò quæ ſuorum ordinum non ſunt, vltra licentiam ſuorum Superiorum, etiam Epiſcopi licentiam haberet teneantur, ſine qua in Eccleſiis quæ ſuorum ordinum non ſunt, nullo modo prædicare poſſint. Ipſam verò licentiam gratis Epiſcopi concedant.* In ſecundo verò quod habetur *ſeſſ. 24. cap. 4.* ſic dicitur. *Nullus autem ſecularis aut regularis etiam in Eccleſiis ſuorum ordinum, contradicente Epiſcopo prædicare audeat.* Cui decreto conformantes ſe Patres Dominicani in Capitulo generali Bononiæ celebrato anno 1564. in quo Concilium Tridentinum fuit promulgarum, decreuerunt, quod Prædicatores non præſumant prædicare etiam in Eccleſiis noſtris, contradicente Epiſcopo. Hiis quoque conſentanea eſt conſtitutio, quæ in fauorem Societatis IESV emanauit à Gregorio XIII. & refertur à Roderico *tomo. 3. regularium quæſt. 32. art. 6.* qua & cæteri mendicantes vti valent per priuilegium communi-

cationis

cationis in hunc modum : *quod huius Societatis Confessores, & Prædicatores ab aliquo Ordinario semel approbati, & à suis Superioribus ad huiusmodi munera deputati quandocumque, siue mari, siue terra iter faciunt, possint non repugnantibus tamen Curatis parochialium Ecclesiarum Verbum Dei prædicare & Christi fidelium Confessiones audire, dummodo id non faciant in oppidis, aut locis, in quibus Ordinarij existunt, nisi eorum licentia desuper obtenta.*

8 Circa † hæc tamen decreta Concilij duplex insurgit dubitatio. Prima est quod videntur sibi inuicem contradicere : nam in priori dicitur, quod Regulares ad prædicandum in Ecclesiis suorum Ordinum, prius solam benedictionem ab Episcopo obtineant : in posteriori autem subditur, quod in suis Ecclesiis non prædicent contradicente Episcopo : & hoc plus videtur esse, quàm solam benedictionem obtinere.

Secunda est; vtrum iuxta Bullam declarationis priuilegiorum Dominicani ordinis, quæ à Pio V. emanauit post Concilium, & est tertia apud Confectium, sic disponens à Prædicatoribus dicti ordinis : *quod semel à suis Superioribus approbati in Ecclesiis propriis quando eis placuerit, etiam in Cathedrali Ecclesia (non tamen quando ab Episcopo met prædicatur) liberè & licitè absque aliquo impedimento, sine etiam ipsius Episcopi contradictione, & absque eo quod coram dicto se præsentauerint, nec eidem licentiam prædicandi exhibuerint, & ab eodem benedictionem obtinuerint, prædicare, & munus prædicationis exequi valeant.* Vtrum, inquam, vigore huius priuilegij valeant prædicare independenter ab Episcopi benedictione prius ob-
9 tenta, per Concilium requisita? Ad quarum † primam respondet Rodericus *in dicta quæst. 32. art. 1.* Episcopum posse contradicere regularibus, ne etiam in suis Ecclesiis prædicent, in casibus expressis in priuilegio 2. Benedicti XI. vbi sic habet. *Caueant tamen omnino* (scilicet Fratres Prædicatores & Minores) *ne ea hora quâ Diœcesani prædicant aut coram se facerent prædicare, prædicent ipsi Fratres : putamus enim dignum, vt maiori minor deferat &c. Vbi verò diœcesani conuocarent ad se Clerum generaliter, eâ horâ semper prædicare cessabunt.* Ecce tres casus, in quibus regulares contradicente Episcopo, etiam in suis Ecclesiis prædicare non possunt. In quibus proinde nedum benedictione, sed etiam speciali licentia Episcopi, ad prædicandum in suis Ecclesiis indigerent. Quibus addere possumus alium casum ex eodem Concilio Tridentino *in dicta sess. 24. cap. 2.* quo non minus congruenter dicta antinomia tollitur : nimirum, quando Prædicator concionando errores aut scandala disseminet. *Si verò quod absit* (ait Concilium) *Prædicator errores, aut scandala disseminauerit in populum, etiamsi in monasterio sui, vel alterius ordinis prædicet, Episcopus ei prædicationem interdicat. Quod si hæreses prædicauerit, contra eum iuxta iuris dispositionem, aut loci consuetudinem procedat, quo casu Episcopus auctoritate Apostolica tanquam Sedis Apostolicæ delegatus procedat. Caueant tamen Episcopi, ne quis Prædicator, vel ex falsis informationibus, vel aliàs calumniosè vexetur, iustámque de eis conquerendi occasionem habeat.*

Ad secundam respondeo negatiuè : eò quòd Gregor. XIII. successor Pij V. vt habetur in Bulla ipsius, quæ est 38. apud Roder. *in compendio priuilegiorum*, prædictum priuilegium ac alia multa ab eodem Summo Pontifice collata annullauit, reducendo ea ad terminos Iuris veteris & decretorum Concilij, ac si prædictæ litteræ Pij V. non emanassent. Et quamuis à successoribus Pontificibus plurimorum ordinum confirmata fuerint priuilegia, semper tamen superaddita fuit illa particula, *dummodo non obstent decretis Concilij, & sint in vsu.* Et Clemens VIII. addidit in confirmatione nostrorum, *& non sint reuocata* &c. Vnde virtute dicti priuilegij, aut alterius, Regulares nostri, aut alterius Ordinis non possunt officium prædicationis exercere, nisi iuxta formam præscriptam in prædictis duobus decretis Concilij Tridentini.

Hic venit resoluendus † casus de quodam 10
regulari Concionatore, qui cum fuisset prohibitus ob iustam causam, ne in Ecclesis parrochialibus, ac etiam in propria sui Conuentus prædicationem faceret, nihilominus contra Episcopi Diœcesani prohibitionem & monitorium ipsi notificatum, semel in Ecclesia sui Conuentus prædicauit. Cuius casus resolutio, sequentibus assertionibus expenditur.

Prima assertio sit ; Præfatus † Religiosus 11
nec potuit nec debuit in Ecclesia sui Conuentus concionari, contra Episcopi diœcesani monitorium ipsi notificatum. Probatur quod non potuit, quoniam id possumus quod iure possumus: Atqui ius prohibet in eo casu talem concionem, iuxta Concilij Tridentini dispositionem *sess. 24. in decreto de reformatione cap. 4.* ibi. *Nullus autem secularis siue regularis, etiam in Ecclesiis suorum ordinum, contradicente Episcopo prædicare præsumat.* Eadem quoque ratione neque dictus Regularis debuit in eo casu prædicare, imo debuit facere oppositum, conformando se mandato Episcopi, atque Concilij dispositioni ; quod etiam *sess. 5. cap. 2. de reformatione*, requirit in regularibus ad prædicandum in Ecclesiis suorum ordinum Episcopi benedictionem & consensum, ibi; *in Ecclesiis suorum ordinum prædicari non possint, cum qua licentia* (intellige suorum Prælatorum) *personaliter se coram Episcopis præsentare, & ab eis benedictionem petere teneantur, antequam prædicare incipiant &c.* Ad prædicandum verò in Ecclesiis non suorum ordinum subdit Concilium, vlterius requiri licentiam Episcopi quam Episcopus gratis concedat. Cùm igitur ad prædicandum in Ecclesiis suorum ordinum Regulares indigeant benedictione Episcopi, non minus quàm licentia ad prædicandum in aliis Ecclesiis non suorum ordinum, consequens fit, quod sicut in istis nec possunt nec debent concionari sine licentia Episcopi diœcæsani, ita nec possunt nec debent in illis concionari sine Episcopi benedictione, quæ omninò defuit præfato Regulari, cui Episcopus diœcæsanus talem concionem prohibuit, & suo monitorio contradixit. Nec potuit dictus Regularis aliquo priuilegio concesso mendicantibus se protegere, & virtute illius prædicare : quia cuncta priuilegia mendicantibus concessa sunt mitigata, & ad terminos Concilij Tridentini redacta per Gregor. XIII. in Bulla quæ incipit, *In tanta negotiorũ mole*; ac per alios Pontifices successores. Sed neque eis suffragatur Bulla Pij

V. *in ordine* 34. *tom.* 2. *Bullarij* ad inſtantiam Regis Catholici Philippi II. conceſſa, ampliatiua priuilegiorum mendicantium. Nam cum in controuerſia mota inter Epiſcopum ciuitatis Angelorum apud Indos & Patres Societatis, & proſequuta Romæ in Congregatione Sacra Eminentiſſimorum Cardinalium ad huiuſmodi controuerſiæ deciſionem deputata, anno 1648. fuiſſet pro parte Societatis propoſitum Sacræ Congregationi; Vtrum commemorata Bulla Pij V. ſit reuocata in Bullis Summorum Pontificum, in quibus exemptiones regularium mitigantur? Reſpondit ſic. *Agendum cum Sanctiſſimo, an velit declarare Bullam non eſſe reuocatam, illam tamen non ſuffragari niſi in locis vbi eſt defectus Parochorum.* Ac proinde non ſuffragari in noſtra Hiſpania, vbi non eſt Parochorum defectus.

Secundò probatur aſſertio. Quia Epiſcopi ob iuſtam cauſam poſſunt ac debent ſuſpendere Regulares ob officio prædicationis exercendo, in quibuſcumque Eccleſiis ſuæ Diœceſis: vt ex ſequenti aſſertione conſtabit: ergo ſtante tali iuſta cauſa & ſuſpenſione, nec poſſunt nec debent in vllis Eccleſiis etiam ſuorum ordinum munus prædicationis exercere: alioquin daretur bellum iuſtum ex vtraque parte, quod eſt inconueniens nullatenus admittendum.

12 Secunda aſſertio ſit. † Sex ſunt cauſæ ob quas poteſt ac debet Epiſcopus Diœceſanus Regularibus munus prædicationis impedire. Hæc aſſertio non aliter probatur quàm referendo tres cauſas aſſignatas à Concilio Tertio Lateranenſi, *ſeſſion.* 11. ſub Leone X. & alias tres aſſignatas à Concilio Tridentino *in allegato cap.* 2. *de reformatione, ſeſſion.* 5. ob quas & earum ſingulas poteſt ac debet Epiſcopus Diœceſanus regularibus munus prædicationis abſolutè & in quibuſcumque Eccleſiis etiam propriis ſuorum Ordinum impedire. Igitur in dicta *ſeſſione* 11. Concilij tertij Lateranenſis, aſſignantur iſtæ tres cauſæ; nimirum ſi concionator ſiue ſecularis, ſiue regularis ſit, prædicet miracula falſa aut incerta, vel nouas prophetias non fundatas in Sacra Scriptura, vel ſi detrahat in ſuggeſtu contra Prælatos Superiores, maximè contra Epiſcopos, ibi: *Nec ſcindant veſtem Chriſti, ſed ab Epiſcoporum & Prælatorum ac aliorum Superiorum eorúmque ſtatus ſcandaloſa detractione, quos coram vulgo & Laicis non modo incautè, ſed etiam intemperanter reprehendunt & mordent, & ab eis malè geſtorum expreſſis quandoque nominibus aperta & manifeſta redargutione, abſtineant.* Statímque Concilium & Bulla Leonis X. Prædicatores contrarium facientes, pœna excommunicationis latæ ſententiæ & priuationis in perpetuum ab officio prædicationis mulctatos decernit, ibi. *Et eis prædicationis officium interdictum eſſe decernimus.* Necnon *in dicto c.* 2. *ſeſſionis* 5. Concilij Tridentini, aſſignantur iſtæ tres cauſæ: nimirum ſi errores aut ſcandala, aut hæreſes Prædicator in populum è ſuggeſtu diſſeminauerit, ibi. *Si verò quod abſit, Prædicator errores, aut ſcandala diſſeminauerit in populum, etiamſi in monaſterio ſui vel alterius Ordinis prædicet, Epiſcopus ei prædicationem interdicat: quòd ſi hæreſes prædicauerit, contra eum ſecundum iuris diſpoſitionem, aut loci conſuetudinem procedat, etiamſi Prædicator ipſe generali vel ſpeciali priuilegio exemptum ſe eſſe prætenderet, quo caſu Epiſcopus authoritate Apoſtolica, tanquam Sedis Apoſtolicæ delegatus procedat.* Vbi verbum *interdicat*, & verbum *procedat* relata ad Epiſcopum, præceptum vel ſaltem mandatum denotant, cui proinde Epiſcopus obtemperare tenetur. Quapropter nec debet contra mandatum Concilij tollerare in officio prædicationis Regularem, in quamcumque ex dictis cauſis incurſum: & cum præfatus Religioſus Concionator è ſuggeſtu haud ſemel ſcandaloſa verba diſſeminauerit, quæ eſt vna ex cauſis à Concilio Tridentino aſſignatis, atque etiam Epiſcopum diœceſanum ſcandaloſa detractione coram vulgo momorſit, & non modo incautè ſed etiam intemperanter & imprudenter reprehendit, quæ eſt altera ex cauſis adductis à Concilio Lateranenſi, vt conſtat ex probationibus coram Notario legitimè aduerſus cum factis; Conſequens eſt fuiſſe ei legitimè & ob iuſtam cauſam, munus prædicationis in quibuſcumq; Eccleſiis, etiam propria ſuis ordinis interdictum; ac proinde illum non potuiſſe, nec debuiſſe contra monitorium & mandatum Epiſcopi in Eccleſia ſui ordinis prædicare, quin lethale peccatum (ſiquidem materia eſt grauis) perpetraret.

Tertia aſſertio ſit; † Epiſcopus Diœceſanus 13
poteſt Regularem in quamcumque ex dictis ſex cauſis incurſum punire, & cenſuris ab officio prædicationis ſuſpendere, etiamſi cauſa ab Epiſcopo non exprimatur. In hac aſſertione conueniunt Diana *tom.* 7. *reſolution moral. tractatu* 12. *Miſcellaneo, reſolutione* 30. Barboſa *in collectan. declarat.* V. *prædicat. n. vltimo & de poteſtate Epiſcoporum parte* 3. *allegatione* 16. *n.* 28. Piaſecius *in praxi parte* 2. *cap.* 3. Franciſcus Leo *in theſauri Eccleſiaſtici parte* 1. *cap.* 3. & Rodericus *in compendio quæſtionum Regular. reſolutione* 112. aduerſus Patrem Debellis ab eodem Diana citatum; qui licet aſſerat Epiſcopum poſſe ſuſpendere Regularem Concionatorem ab officio prædicationis omnino, ob quamcumque ex ſex cauſis dictis, ſubdit tamen; debere cauſam ab Epiſcopo in mandato vel monitorio exprimi, alioquin nulla & inualida eſſet ſuſpenſio. Sed noſtra aſſertio probatur, tum ex quadam declaratione Sacræ Congregationis adducta à Barboſa *in locis citatis*: tum etiam ex conſuetudine & praxi ipſorum Epiſcoporum, qui nulla expreſſa cauſa huiuſmodi concionatores delinquentes, ſolent ſuo mandato aut ſententia lata ab officio prædicationis ſuſpendere: ſicut etiam Epiſcopi in praxi & conſuetudine habent examinare Regulares ad officium prædicandi, non de iure; quia nullo iure ſcripto id eis conceditur. Tum denique quia in allegatis Conciliis non datur Epiſcopis facultas limitata procedendi contra regulares ob dictas cauſas, hoc eſt cum expreſſione cauſæ, & non aliter, ſed abſoluta & ſine vlla limitatione: ergo ſine expreſſione cauſæ poſſunt contra regulares in illis caſibus procedere, quia vbi lex non limitat aut reſtringit, nec nos limitare aut reſtringere debemus.

Rogabis † in virtute cuius iuris poſſunt Epiſ- 14
copi cenſuris regulares in dictis caſibus ab officio prædicationis arcere? Reſpondeo poſſe quidem, non vigore Concilij Tridentini, ſed vigore conſtitutionis Gregorij XV. quæ incipit.

In

Inscrutabili Dei prouidentia : nam simili interrogationi factæ pro parte Societatis IESV sub hoc tenore ; An Episcopus possit cum censuris procedere contra regulares exemptos, si inobedienres fuerint in confessionibus audiendis, vel prædicatione verbi Dei : & hoc, an vigore Concilij Tridentini, vel per quem Canonem ? Sacra Congregatio ad dirimendas controuersias inter Episcopum Angelopolitanum, & Societatis IESV Patres specialiter à Sanctissimo Innocentio X. deputata, sic respondit : *posse procedere non quidem in vim Concilij Tridentini, sed in vim constitutionis Gregorij XV. quæ incipit ; Inscrutabili Dei prouidentia.* Quam declarationem cum aliis eandem litem concernentibus Innocentius X. sua speciali Bulla edita die decima nona Nouembris anni 1652. confirmauit. Huiúsque responsionis ratio est, quia licet in loco præallegato Concilij detur facultas Episcopis vt Sedis Apostolicæ delegatis, procedendi contra regulares exemptos, delinquentes in aliquo ex tribus casibus ibi recensitis, non tamen procedendi per censuras, sed per alia iuris remedia. Quæ tamen facultas datur eis in præfata constitutione Gregorij XV. Quinimo Concilium Tridentinum in tribus dumtaxat casibus, quos recensuimus *supra quæstione* 1. tribuit Episcopis facultatem procedendi per censuras contra regulares exemptos, in quibus iste casus de quo nunc agimus, nequaquam continetur.

15 Hinc † concludendo infero, Episcopum Diœcesanum potuisse cum censuris præfatum Religiosum in prædicando in Ecclesia sui Conuentus contra mandatum & monitorium eiusdem Episcopi, ab officio prædicationis pro tota sua Diœcesi arcere : potuisse quoque vigore dictæ *sessionis* 11. Concilij Lateranensis, contra eundem Religiosum ferre sententiã declaratoriam, qua eum declararet incursum in perpetuam suspensionem, ab officio prædicationis omnino & pro omni Diœcesi. Qua semel lata sententia declaratoria, talis Religiosus manebit vinculo suspensionis omnimodæ ab officio prædicationis innodatus, provt illa verba Concilij præ se ferunt : *Et eis prædicationis officium interdictum esse decernimus.* A quo vinculo sola Sedes Apostolica, per se vel per suum Vicarium siue delegatum poterit eum absoluere, cùm facultas absoluendi à suspensionibus ad forum contentiosum deductis, in Concilio Tridentino *sessione* 24. *cap.* 6. Episcopis denegetur.

* *
*

QVÆSTIO XXXI.

In qua plures casus tum ad censuras Ecclesiasticas, tum ad Ordinum receptionem pertinentes resoluuntur.

CASVS I.

De assumente Ordines minores, aut vtens illis cum excommunicatione; Vtrum incurrat irregularitatem?

SVMMARIVM.

1 *Excommunicatus suspensus aut interdictus assumens minores Ordines nullam ex hoc incurrit irregularitatem.*
2 *Improbatur sententia Nauarri dicentis, initiatum Sacerdotali ordine sine legitimis litteris dimissoriis, manere suspensum per extrauagantem Pij II. similque incurrere irregularitatem.*
3 *Excommunicatus, interdictus vel suspensus vtens Ordinibus minoribus quoad actus proprios eis deputatos, fit irregularis.*
4 *Impugnatur Nauarrus, dicens Ordines minores non esse Sacramenta, sed tantùm Sacramentalia.*
5 *Quomodo septem isti Ordines inter se discriminentur per relationem, siue per diuersos modos cooperandi ad Sacramentum Eucharistiæ.*
6 *Soluitur vnum difficile argumentum, quo Nauarri opinio potest fulciri.*
7 *Christus septem Ordinum spiritualium officia in seipso exhibuit.*

DVAS partes habet hic casus enodandas ; nimirum alteram de assumente ordines minores ; & alteram de vtente illis. Ad quarum primam respondeo † excommunicatum, suspensum, aut interdictum, assumendo minores ordines, nullam ex hoc incurrere irregularitatem. Quæ assertio præterquam quod est communiter apud Theologos & Iuris Canonici Professores recepta, probatur Primò *ex cap. is qui de sententia excommunicationis in* 6. Vbi generaliter decernitur per nullum crimen incurri irregularitatem ipso iure, nisi per aliquod ius fuerit expressum : atqui hæc irregularitas pro excommunicato, vel suspenso assumente ordines minores, nullibi in iure exprimitur : ergo nullatenus est admittenda. Secundò, quia iura puniendia vnum crimen non sunt extendenda ad aliud, neque pœnæ per leges impositæ sunt extendendæ ad alium actum, præsertim quando est minor culpa, & communiter minor ratio puniendi *ex* 1

cap.

cap. pœna de pœnitentiis d. 1. Sed iura punientia malè promotos ad Ordines, loquuntur dumtaxat de malè promotis ad ordines Sacros; quos tantùm afficiunt pœna ſuſpenſionis, & ſi eis vtantur pœna irregularitatis; vt ſtatim videbimus: ergo non ſunt ad malè aſſumentes ordines minores extendenda. Tertiò probatur argumento à maiori ad minus. Excommunicatus ſiue ſuſpenſus recipiens ordinem Diaconatus grauius peccat, quàm ſi aſſumeret ordines minores: & tamen ex primo crimine non afficitur irregularitate: ergo à fortiori neque ex ſecundo. Maior cum conſequentia eſt nota; & Minor probatur, quia de excommunicato recipiente Diaconatum, ſi tunc non cantet Euangelium ad miſſam Ordinantis, non incurrere irregularitatem, eſt certiſſima & omnium conſors ſententia. Quia licet malè ordinem Diaconatus ſuſcipiat, verumtamen non vtitur ordine ſuſcepto. Et hæc pœna tam ſeuera, ſolùm contra eos qui excommunicati, vel ſuſpenſi, vel interdicti Ordini Sacro in eius ſolemni actu & officio vtuntur, in Iure ſtatuitur. Imo etiamſi in ea prima miſſa Euangelium cantet ſic excommunicatus, noſtra tenet ſententia, quam alibi defendimus, quod non incurrit irregularitatem, quia non vtitur ordine Sacro ſuſcepto extra ipſius ordinis ſuſceptionem, quod tamen requirebatur ad eam irregularitatem incurrendam: Totus autem ille actus vſque ad Miſſæ ordinationis conſummationem reputatur pro vnico actu ordinandi, & recipiendi ordines. Vnde quidquid in illo geritur, exiſtimatur geri in ordinis ſuſceptione; quod adeò verum reputamus, quod neque (vt alibi diximus) Sacerdotio initiatus, ſi excommunicatus acceſſit ad ordinẽ Sacerdotij ſuſcipiendum, propter eam Miſſam & conſecrationem, quam vnà cum Epiſcopo celebrat, irregularitatem incurrat, ea ſatis probabili ratione, quod non vtitur Sacerdotij officio extra ipſius integram ſuſceptionem.

2 Quare † non probo ſententiam Nauarri *lib.* 1. *conſiliorum tit. de temporibus ordinandorum, conſilio* 16. quatenus ait initiatum Sacerdotali ordine ſine legitimis litteris dimiſſoriis, manere ſuſpenſum per Extrauagantem Pij. II. *cum ex Sacrorum*, ſimúlque incurrere irregularitatem, quia in eiuſdem ordinis aſſumptione celebrauit Miſſam cum Epiſcopo. Imo & hanc ſententiam annotatio adiuncta eidem conſilio correxit, dicens; *quod talis per dictam celebrationẽ non incurrit irregularitatẽ, quod fortè verius videtur & praxi conformius.* Sed obſtat idem Nauarr. *lib. 5. tit. de Simonia conſil. 97. §. ad ſextam* dicens, cum Panormit. Cardin. & Gloſſa *in cap. 1. de eo qui furtim ordinem ſuſcipit*: *Aſſumentem ordinem ſacrum per ſimoniam, ſcienter fieri irregularem*, eò quòd huiuſmodi ordinatio eſt prohibita ſub pœna excommunicationis & ſuſpenſionis latæ ſententiæ per *Extrauagantem 2. de ſimonia*; & vno atque eodem momento per vnum & eundem actum poteſt quis fieri excommunicatus & irregularis, ob excommunicati actionem, ſicut eodem tempore & per eundem actum, contractus & obligatio ex illo naſcitur, & actio quæ obligatione naſcitur iuxta legem *licet §. de procurator.* Tum etiam, quoniam prædicti authores *in dicto cap. 1. de eo qui furtim ordin. ſuſcip.* probant ex illius contextu, quod qui furtim & ſine licentia Epiſcopi vel approbatione Examinatoris ſuſcipit ordinem Sacrum, ſi præmiſſa fuerat excommunicatio latæ ſententiæ contra ſic accipientes ordinem, eſt irregularis. Verùm hæc ſententia temperanda eſt, ſicut illa prior per adiunctam annotationem fuit temperata & correcta. Quod mihi perſuadeo tripliciter: tum quia talis irregularitas non eſt expreſſa in iure, & per regulam ſuperius allegatam, & ſæpius à Nauarro repetitam, nullus hac tam ſeuerâ pœnâ punitur ipſo iure, niſi in illo fuerit expreſſa; tum etiam quia licet communicans excommunicato in crimine criminoſo, hoc eſt propter quod eſt excommunicatus incurrat excommunicationem eandem; nó tamen incurrit illam, niſi communicet illi poſt incurſam excommunicationem ab ipſo complice. Vnde ſi excommunicatio lata ſit contra mulieres habentes rem cum Clericis, Clericus habens rem cum aliqua muliere, quæ ante non habuit rem cum Clerico, non incurrit excommunicationẽ quam illa incurrit, quia non habuit rem cum illa poſtquam fuit excommunicata: quia oportebat eum cui communicatur, in tali crimine prius tempore eſſe excommunicatum; vt idemmet Nauarrus admittit *ibidem*, & *in Manuali cap. 27. num.* 33. & 117. Ob eandémque rationem alibi diximus, neque fieri irregularem Clericum celebrando in loco aut tempore, in quo ei eſt prohibita celebratio ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ; quia licet celebrando incurrat excommunitationem, tamen non erat ante celebrationem excommunicatus: quod tamen requirebatur vt celebrando incurreret irregularitatem. Alienum namq; eſt à iure duabus pœnis, maximè tam ſeueris ac diuerſis eandem actionem punire, niſi velis ſpecialiſſimam ac ſecuriſſimam eſſe diſpoſitionem illius *cap.* 1. cum aliis duobus, *de eo, qui furtim ord. ſuſcip.* vti à Iure communi exorbitantem.

Tum denique quoniam non eſt eadem ratio in exemplo adducto à Nauarro, de contractu & obligatione atque actione quæ ex illo oriuntur, ſed longè diuerſa ab ea, quæ in noſtro caſu de excommunicatione & irregularitate militat. Nam ibi per ſe connectuntur primum cum ſecundo, & ſecundum cum tertio, & vnum ex natura rei oritur ex alio: Secus autem hic v.g. ex contractu emptionis vnius cenſus quem Petrus emit à Ioanne, ſcilicet viginti ducatorum annui reditus, ex natura rei & per ſe oritur in Ioanne obligatio ſoluendi annuum reditum viginti ducatorum; per ſe quoque & ex natura rei, oritur in Petro ex hac obligatione Ioannis actio petendi illum annuum reditum ſibi debitum. Et ex contractu locationis, quo Petrus locat Ioanni domum ad habitandum in ea per tres annos, v.g. oritur per ſe & ex natura ipſius contractus in Petro, obligatio relinquendi domum liberam Ioanni per triennium; & ſimiliter actio repetendi ab illo pretium locationis. Atqui pœna irregularitatis, quæ infligitur ei, qui ſimoniacè vel furtim Ordinem ſacrum ſuſcipit, ſub excommunicatione latæ ſententiæ prohibitum, non habet per ſe connexionem cum excommunicatione, neque ex natura rei oritur ex illa: ſed valdè per accidens coniunguntur,

vtpote

vtpote ab extrinſecis & diſparatis legibus proueniẽtes. Excõmunicatio quidẽ à lege & volũtate excõmunicãtis illos, qui ſimoniacè aut furtim ordinẽ ſuſcipiũt: Irregularitas verò prouenit, ſi quæ eſt, ex alia lege & voluntate longè diuerſa, & priori accidentaliter ſuperueniẽte, nimirũ afficiẽdi irregularitate eos, qui excõmunicati ordines ſuſcipiũt. Quã legẽ hucuſq; in Iure expreſsã non inuenimus contra eos, qui dũ sũt excõmunicati ordinẽ Sacrũ ſuſcipiũt, maximè ſi prius tempore, non erant excommunicati, ſed per eundem actum ſuſcipiendi ordinem excommmunicationem contraxerunt.

Verũtamẽ admiſſo, quod ex dictis tribus capitulis, *de eo, qui furtim ordin. ſuſcip.* & *ex c. 1. de Clerico per ſaltũ promoto*, admittamus vtcumque excommunicatũ ſuſcipientẽ ordinẽ Sacrã fieri irregularẽ, adhuc hæc pœna non habet locũ in excõmunicato ſuſcipiẽte ordines minores: quia ea capitula procedũt contra ſuſcipientes ordinẽ Sacrũ, quæ proinde cùm pœnalia ſint, nequaquã ſunt ad alium caſum extendenda, præſertim in quo eſt minor puniendi ratio.

Secunda aſſertio reſpondens poſteriori parti quæſtionis ſit: quod neq; † excõmunicatus, interdictus, vel ſuſpenſus vtens ordinibus minoribus quoad actus proprios eis deputatos, fit irregularis. Hæc aſſertio ſtatuitur aduerſus ſatis cõmunẽ opinionẽ Iuriſtarũ, tenentiũ partẽ affirmatiuã: de quorũ numero ſunt Panorm. *in c. 2. de Clerico excõmunicato miniſtrante*, & *in c. finali de exceſſibus Prælatorũ*. Archidiaconus *in c. ſiquis præsbyter* 11. *q.* 3. Angelus Syluеſter & Tabiena *in ſuis ſummis*. v. *irregularitas*. §. 13. & alij quos refert & ſequitur Frãcus *in c. 1. de ſententia excõmunicationis in* 6. Quorum fundamentũ eſt, quod interdictus, & ſuſpẽſus ſimpliciter ab officio, & à fortiori excõmunicatus, vtpote cũ excõmunicatio ſit pœna grauior interdicto & ſuſpẽſione, vtens ordinibus Sacris incurrit irregularitatẽ ex *c. 2. de Cleric. excõmunicato miniſtrãte*, & *c. vlt. de exceſſibus Prælatorũ*, & ex *c. 1. de Clerico per ſaltum promoto*, atq; ex tribus capitulis *de eo qui furtim ordinẽ ſuſcipit*. Sed eadẽ militat ratio in abuſu ordinũ minorum quoad actus eis propriè deputatos: eò quòd etiam ſunt Sacramenta vel partes Sacramenti habentia ſpeciales functiones Sacras in Eccleſiis ad quas deputantur. Ergo cenſuræ in Iure latæ cõtra malè aſſumẽtẽ vel malè vtentẽ Ordine Sacro, debent extẽdi per identitatẽ rationis ad malè aſſumentẽ & vtentem ordinibus minoribus, eo vel maximè quod Canones recenſiti abſolutè loquuntur de malè aſſumente, & vtente ordinibus, ſiue Sacris ſiue minoribus, qui ſimpliciter & vniuocè ordines ſunt. Quod amplius confirmatur, per Extrauagantem Pij. II. quæ incipit *Cum ex Sacrorum*, per quam ipſo iure ſuſpenditur, qui ante legitimam ætatem, vel ſine litteris dimiſſoriis, vel extra tempora iuris ordinẽ Sacrum ſuſcipit, & ſi vtatur illo ante obtentam abſolutionem à ſuſpenſione, fit irregularis; quod non negat de eo qui ſuſpenſus, interdictus, vel excõmunicatus vtitur ordine minori in cultu eius proprio; quia hæc lex non eſt correctiua aut limitatiua iuris antiqui: ergo caſũ omiſsũ de malè vtente ordinibus minoribus, videtur in terminis iuris antiqui reliquiſſe, per illã certiſſimam regulam, quod caſus omiſſus in lege noua, relinquitur iuri antiquo, & ad illius terminos eſt reducendus.

Sed hiis non obſtantibus, noſtra aſſertio eſt tenenda cũ Nau. *in Manuali c. 17. n. 155. & c. 25. n. 7. & lib. 5. conſil. tit. de ſent. excommun. conſil. 44. §. in parte verò cõtrariam*. Verùm † ratio qua ille vtitur, nobis non probatur. Ratio enim eius eſt, quod ordines minores non ſunt Sacramẽta ſed 4
tantùm Sacramẽtalia, ſecundũ opinionẽ Theologorum veriorem, quàm oppoſitã Canoniſtarum, vt itidem probat *in Manuadi cap. 22. num.* 18. Ergo non eſt tanta ratio, cur incurrat irregularitatẽ excõmunicatus aſſumẽs ordines minores, vel vtens illis; ac aſſumens ordines Sacros, vel vtens illis: ac proinde iura quæ faciunt irregularẽ excommunicatũ aſſumentẽ vel vtentem ordine Sacro, malè extendentur ad aſſumentem vel vtentem ordinibus minoribus in actibus eorum propriis. Sed hæc ratio falſo innititur principio. Falſum enim eſt & contra communẽ Theologorum ſententiam, quod Ordines minores non ſint Sacramentum. Nam D. Thom. Theologorum Princeps & communiter in hac materia receptus, dicit *in 4. ſententiarum. ad.* 24. *quæſt.* 1. *art.* 1. *quæſtiuncula* 3. ordinem eſſe Sacramẽntum, quia eſt ſignaculum quoddam Eccleſiæ, ſiue ſenſibile ſignum gratiæ ſanctificantis homines, ſiue per quod datur ſpiritualis poteſtas Ordinato, ad diſpenſationem diuinorum Sacramentorum. Quæ diffinitio conuenit ſingulis ſeptem ordinibus, quia per vnumquemque illorum datur poteſtas Ordinato, ad exequendam aliquam functionem circa excellentiſſimum Sacramentum, quod eſt Euchariſtia. Et *in quæſt.* 2. *art.* 1. *quæſtiuncula* 3. ſubdit in hæc verba. *Ad* 3. *quæſtionem dicendum, quod Ordo dicitur ſacer dupliciter: Vno modo ſecundum ſe, & ſic quilibet ordo eſt Sacer, cum ſit Sacramentum quoddam; alio modo ratione materiæ circa quam habet aliquem actum; & ſic Ordo ſacer dicitur qui habet aliquem actum circa rem aliquam conſecratã; & ſic ſunt tantùm tres ordines Sacri, ſcilicet Sacerdos & Diaconus, qui habẽt actum circa corpus & Chriſti ſanguinẽ conſecratum: & Subdiaconus qui habet actum circa vaſa conſecrata, & ideo etiã eis continẽtia indicitur, vt Sancti & mundi ſint, qui Sancta tractãt*. Hæc ille: ex quibus liquidò conſtat de eius mẽte, Sacramentũ ordinis non in ſolis ordinibus Sacris ſaluari; ſed etiã in quatuor minoribus, qui à Sacris diſtinguuntur. Quomodo autẽ cõparẽtur ſiue cõueniãt ad cõſtitutionẽ vnius integri Sacramẽti, declarat ibi Sanctus Doctor *quæſtiuncula* 1. *ad* 2. dicens: quod hæc diſtinctio ordinũ, non eſt totius integralis in partes, neq; totius vniuerſalis in partes ſubiectiuas; ſed eſt totius poteſtatiui in partes potentiales: cuius hæc eſt natura, quod totũ ſecundũ cõpletã rationẽ eſt in vno; in aliis autẽ eſt aliqua participatio ipſius. Vnde tota plenitudo Sacramenti huius eſt in vno ordine ſcilicet Sacerdotio; ſed in aliis eſt quædã participatio ordinis, quod ſignificatum eſt *Numerorum* 11. quando Deus dixit Moiſi, *Auferam de Spiritu tuo, & tradam eis, vt ſuſtentent onus populi*: & ideo omnes ordines ſunt vnum Sacramentum.

Sed † qua ratione iſti ſeptẽ ordines inter ſe diſcriminẽtur per relationẽ ad Euchariſtiã, hoc eſt per diuerſa miniſteria, & modos cooperandi ad Sacramentũ Euchariſtiæ, declarat ibidẽ fusè Sãctus Doctor *quæſtiuncula* 2. doctrinã Magiſtri in eo textu ex ſanctis Patribus deſumptam expendens, qui ſic eos diſtinguit. Primus eſt Oſtiarius ſiue Ianitor, qui in traditione clauium accipit poteſtatem ad recipiendum bonos in templũ, & excludendi malos ſiue immundos & nolentes credere. Secundus eſt Lector, dictus 5

à legendo, ſicut Pſalmiſta à pſalmis canendis vocatur, cui datur poteſtas, vt ex officio in Eccleſiæ legat prophetias & lectiones veteris Teſtamenti, ad inſtructionem Cathecumenorum, id eſt credere volentium: quam poteſtatem accipit in codice diuinarum lectionum tradito ab Epiſcopo, dicente. *Accipe & eſto verbi Dei relator &c.* Tertius ordo eſt exorciſtarum ſiue adiuratorum; quibus in traditione libri exorciſmorum datur poteſtas vt ex officio fideles energumenos, id eſt ab immundo Spiritu poſſeſſos vel obſeſſos liberent, & diſponant ad Euchariſtiæ Sacramentum recipiendum. Quartus ordo eſt Acolythorum, ſiue quod idem eſt ceroferariorum à deportandis cereis ſiue luminaribus, quorum officium eſt vrceolum cum vino & aqua præparare, & candelabrum cum cereo portare, à quo actu licet ſecundariò denominatur, vtpote magis noto: ſed in porrectione vrceoli vacui, circa quem exercet actum principialiorem, imprimitur ei Character virtute verborum ab Epiſcopo pronunciatorum. Quintus eſt ordo Subdiaconatus, cuius functio propria eſt vaſa Sacra & materiam Sacramenti peæparare; vnde cum ordinatur Subdiaconus, accipit de manu Epiſcopi patenam & Calicem vacuum. Sextus eſt ordo Diaconatus, qui correſpondet ordini Leuitarum in veteri Teſtamento. Horum officium proprium eſt medium inter officium Sacerdotis & Subdiaconi: Sacerdos enim directè habet poteſtatem ſuper Corpus Chriſti conſecrandi illud: Subdiaconus autem ſuper vaſa tantùm, ſed Diaconus ſuper corpus in vaſe contentum. Vnde eius officium non eſt tangere Corpus Chriſti, aut illud conſecrare, ſed portare Corpus Chriſti in patena, & diſpenſare ſanguinem cum calice; & iſte eſt actus eius principalis, ſecundarius autem eſt Euangelium legere & prædicare ex officio. Sed quia poteſtas ad huiuſmodi actum principalem non potuit exprimi in porrectione ſolius vaſis, nec in porrectione ſolius materiæ aut vtriuſque ſimul, quia per hoc exprimitur poteſtas Presbyteri, opus fuit eius poteſtatem exprimi in actu ſecundario, qui eſt lectio Euangelij, & ideo in porrectione libri Euangeliorum, imprimitur Diacono character. Septimus & vltimus eſt ordo Sacerdotum vel Sacra dantium, ſiue Præsbyterorum vel Seniorum, qui non propter ſenectutem, ſed propter honorem & dignitatem ſic nominantur; quorum officium duas functiones habet. Alteram quidem & principalem, ſcilicet conſecrare corpus & ſanguinem Chriſti: alteram verò & ſecundariam præparare populum ad ſuſceptionem huius Sacramenti; & ideo in porrectione calicis & patenæ cum materia conſecranda, vtpote in qua exprimitur eorum præcipuus actus, imprimitur Character Sacerdotalis. Diximus conſultò, in porrectione talis aut talis materiæ conferri ſpecialem ordinum poteſtatem, ad denotandum porrectionem materiæ eſſe magis de eſſentia materiæ huius Sacramenti, quàm contactus illius ex parte ſuſcipientis; quamuis verba formæ, ſcilicet *accipe hoc vel illud*, denotant etiam contactũ eſſe de eſſentia materiæ, vt adnotat D. Thomas *vbi ſupra q.1.art.1.quæſtiuncula 5. in ſolutione ad 3.* cuius verba ponderanda eſſent ab ſcrupuloſis, qui anxiè premuntur, tetigerint ne materiam porrectam ab Epiſcopo in ſui ordinatione?

Sed reſtat † vnũ difficile argumentũ ſoluere, 6
quo Nauarri opinio poteſt fulciri. Omne Sacramentũ eſt à Chriſto Domino immediatè inſtitutũ: vnde & eſt de iure diuino. Atqui quatuor Ordines minores non ſunt de iure diuino, neque à Chriſto inſtituti immediatè, ſed ex Eccleſiæ inſtitutione: ſicut prima tonſura quæ propriè non eſt Ordo, neq; Sacramentũ, niſi quoddam Sacramentale: ergo pariter & quatuor minores ordines non ſunt Sacramentũ, niſi quædãdumtaxat Sacramentalia. Quod amplius cõfirmatur, & roboratur vis argumẽti ex Concilio Tridẽtino *ſeſſ.23.c.2.* vbi agens Sacra Synodus de ordinum pluritate ac diſtinctione, denotat omnes præter Sacerdotiũ & Diaconatũ ab Eccleſia fuiſſe inſtitutos, hiis verbis: *Nã non ſolùm de Sacerdotibus, ſed & de Diaconis Sacræ litteræ apertã mentionẽ faciũt, quæ maximè in eorũ ordinatione attendẽdã ſunt, grauiſſimis verbis docẽt; & ab ipſo Eccleſiæ initio ſequentiũ ordinũ nomina, atque vniuſcuiuſq; eorũ propria miniſteria Subdiaconi ſcilicet, Acolyti, Exorciſtæ, Lectoris & Oſtiarij in vſu fuiſſe cognoſcũtur, quamuis non pari gradu: nã Subdiaconatus ad maiores ordines à Patribus & Sacris Concilijs refertur, in quibus & de alijs inferioribus frequẽtiſſimè legimus.* Huic argumento vno ex duobus modis dicendum eſt: ſcilicet aut potuiſſe Eccleſiam quatuor Ordines minores & Subdiaconatũ inſtituere, inquib. ratio Sacramẽti tantùm participatiuè inuenitur, neq; propterea illos eſſe de iure humano, ſed diuino; quia huiuſmodi inſtitutionẽ Eccleſia à principio Apoſtolorũ fecit nõ ordinari, à poteſtate ſed à Chriſto ſibi ſpecialiter delegata, & per traditionẽ diuinã à Chriſto tradita. Aut ſi mauis, illos fuiſſe à Chriſto immediatè inſtitutos, licet non explicitè ſed tantùm implicitè in ipſa Sacerdotum & Diaconorũ inſtitutione, quos tamen poſtea Eccleſia explicitè diſtinxit. Idq; Magiſter initio diſtinctionis citatæ haud leuiter inſinuauit dicẽs. *Septẽ ſũt ſpiritualium officiorum gradus ſiue ordines, ſicut ex Sanctorũ Patrũ dictis apertè traditur, & capitis noſtri ſcilicet I. C. exemplo monſtratur, † qui omniũ officia in ſemetipſo exhibuit: & corpori ſuo quod eſt Eccleſia, eoſdẽ ordines obſeruãdos reliquit.* Vnde ſubdit Magiſter; officiũ Oſtiarij exercuit Chriſtus, quando flagello de funiculis facto vendẽtes & emẽtes eiecit de tẽplo, ſeq; Oſtiariũ ſignificãs dixit: *Ego ſum Oſtiũ, per me ſi quis introierit, ſaluabitur; & ingreditur, & egredietur & paſqua inueniet.* Offic. verò Lectoris exhibuit, quãdo in medio Seniorũ librum Eſaiæ aperiens, diſtinctè ad intelligendũ legit. *Spiritus Domini ſuper me &c.* Officio autem Exorciſtæ vſus fuit Chriſtus, cum Dæmoniacos multos ſanauit; & *Lucæ.* 11. cum dixit: *Si ego in Beelzebu eijcio Dæmonia, filij veſtri inquo eijciunt?* id eſt Exorciſtæ, qui exorciſmis à Salomone inuentis ad expellẽdos Dæmones ab obſeſſis vtebãtur. Sed officiũ Acolythi de ſe habuiſſe teſtatus eſt Dominus, quãdo dixit; *Ego ſum lux mũdi, qui ſequitur me non ambulat in tenebris.* Officio quoq; Subdiaconi vſus eſt Chriſtus, quãdo linteo ſe præcinxit & mittens aquã in peluim, lauit pedes diſcipulorũ, & linteo terſit. Officium Diaconi exhibuit, quando poſt cænam Sacramentum carnis & ſanguinis diſcipulis diſpenſauit. & quando Apoſtolos dormientes ad orationẽ excitauit dicẽs: *vigilate & orate vt non intretis in tentationem.* Ac tandem officio Sacerdotis functus eſt, quando ſe ipſum in ara

crucis

crucis obtulit idem Sacerdos & Hostia; & quãdo post cænam panem & vinum in corpus suũ & sanguinem commutauit. Qui ergo horum graduum officia in se ipso exhibuit, non ipsos gradus instituit? Neque obstat quod Magister ad calcem textus concludit, dicens. *Subdiaconos verò & Acolythos procedente tempore Ecclesia sibi constituit.* Nam aut de institutione quam fecit authoritate sibi à Christo delegata intelligitur; aut de explicatione illius, quam Christus fecit inuolutam: alioquin quomodo gradus à sola Ecclesia inuenti & instituti imprimerent in Ordinatis spiritualem characterem, & gratiam gratum facientem ex opere operato causarent? quæ proinde dona prima tonsura non confert, nisi solam deputationem siue consignationem tonsurati ad statum & officium clericale: quia propriè non est Ordo nec Sacramentum, sed tantùm quoddam Sacramentale ab Ecclesia institutum, vt idem Nauarr. explicat *tit. de temporibus ordinationum consilio* 11. *& tit. de Sacramentis non iterandis, consilio* 4. neque propterea prima tonsura est iterabilis, quia multa Sacramentalia non sunt iterabilia, vt benedictio Abbatis, benedictio nuptialis & pœnitentia solemnis.

Quare omissa præfata ratione Nauarri, vtpote falso innixa principio, probatur nostra Secũda assertio alia ratione probabiliori; videlicet quoniam iura allegata pro contraria opinione Iuristarum non loquuntur de malè assumente, aut malè vtente Ordinibus minoribus, sed de malè promotis ad ordines maiores dumtaxat; & de malè vtentibus illis, quæ proinde cum pœnalia sint, non debent extendi extra proprium casum. Neque talis extensio potest fieri propter identitatem rationis, cum longè dispar sit ratio in vno, atque in altero casu: eò quòd sicut grauior est culpa illius qui malè assumit, aut malè vtitur ordine Sacro, quàm illius qui malè assumit aut malè vtitur ordine minori, ita & grauiori pœna illum, quàm istum fore plectendum æquitas ipsa iuris exposcit. Vnde non omnis pœna ac censura posita in malè assumentem vel vtentem ordine Sacro, extendenda est ad malè assumentẽ siue vtentẽ ordinibus minoribus. Ex quo relinquitur solutum fundamentum præfatæ opinionis. Ad cuius confirmationem dicendum est, quod licet prædicta extrauagans Pij. II. contra malè promotos ad ordines Sacros, afficiat ipso facto pœna suspensionis, eos qui ante legitimam ætatem, aut sine legitima licentia aut litteris dimissoriis, aut extra tempora iuris aliquem ex ordinibus Sacris suscipiant, & si vtantur tali ordine, incurrant irregularitatem; verùm has pœnas non incurrit, qui sic malè suscipit minores ordines, secundum communiter receptam sententiam. Sed neque hæc extrauagans est correctiua aut limitatiua iuris communis: imo si talis esset, roboraret nostram assertionem, quia tunc illi, & non iuri communi antiquo standum esset, quin potius est explicatiua & confirmatiua iuris illius communis antiqui statuti in tribus capitulis *de eo, qui ord. furt. suscip.* aut si nouum ius condit, antiquum non tollit, sed magis confirmat.

CASVS II.

De quodam excommunicato qui accessit ad recipiendum Sacramentum ordinis: Inquiritur, vtrum recipiat verum Sacramentum?

SVMMARIVM.

8 *Excommunicatus accedendo ad Sacramentum Ordinis, vel Confirmationis, vel Matrimonij, licèt quidem peccat, vera tamen recipit Sacramenta.*

9 *Quadrupliciter potest contingere, vt excommunicatus accedens ad Sacramentum Pœnitentiæ, si prius absoluatur à peccatis quàm ab excommunicatione, verum recipiat Sacramentum.*

10 *Respondetur obiectioni, scilicet Sacerdos excommunicatione maiori non confert pœnitenti verum pœnitentiæ Sacramentum, nec veram absolutionẽ, ob defectũ iurisdictionis.*

RESpondeo affirmatiuè cum Caietano 22. *quæst.* 154. *art.* 6. & Ledesma *quæst.* 50. *de matrimonio art.* 1. *dubio* 2. *& quæst.* 51. *art.* 2. *dubio.* 2. *ad* 1. *& quæst.* 54. *art.* 1. *dub. ultimo* asserentibus † excommunicatum peccare quidem accedendo ad Sacramentum Ordinis vel Confirmationis, vel etiam matrimonij; vera tamen recipere Sacramenta. 8

Quæ sententia suadetur Primò: nam iste tantùm est impeditus, ne rite ac debitè recipiat Sacramentum; non tamen est inhabilis ad verum Sacramentum recipiendum, ita vt factum non teneat: hîc enim verum habet communis regula iuris, quod multa indebitè fiunt, quæ tamen semel facta valent: ergo. Secundò probatur exemplis: Nam indignus beneficij vere recipit collationem beneficij ab Episcopo ei datam, ad quod fuit electus contra iustitiam distributiuam: nec non desponsatus per verba de futuro cum vna; si nubat per verba de præsenti cum alia, iuxta formam Concilij Tridentini *sess.* 24. *cap.* 1. *de reformatione matrimonij*, scilicet coram Parocho & testibus, verum contrahit matrimonium; quia solùm per sponsalia erat impeditus, ad debitè & licitè contrahendum. Rursus hæreticus peccat quidem recipiendo Ecclesiæ Sacramenta, vera tamẽ recipit Sacramenta, si aliàs habet legitimã intentionẽ. Similiter fidelis verũ contrahit matrimoniũ cũ muliere hæretica aut excõmunicata, licet peccet quia contrahit cum impedita ad licitè contrahendum. Similiter excommunicatus accedẽs ad Sacramentum pœnitentiæ, confitens peccata sua integrè & cũ debita attritione: si prius absoluatur à peccatis quàm ab excommunicatione, verum recipit Sacramentũ, imo & eius effectũ, scilicet gratiã remissiuam peccatorum, quia iuxta hanc veriorẽ sententiã Caietani *in summa* Verbo *absolutio*, quàm contra minus veram opinionem Soti *in* 4. *d.* 22. *quæst.* 1. *art.* 1. circa finem negantem defendimus; excommunicatio impedit solùm ne rite homo recipiat, non tamẽ ne verum ac validũ recipiat Sacramentũ. Hic tamen † casus potest quadrupliciter cõtingere: 9 nimirum aut cum aduertentia solius Confessoris aut cum aduertentia solius Pœnitentis;

aut cum aduertentia vtriuſque, aut cum ignorantia inuincibili vtriuſque. Primo modo peccat quidem Confeſſarius peccato ſacrilegij, impendendo prius pœnitenti abſolutionem à peccatis quàm ab excommunicatione: quoniam communicat cum excommunicato in ſacris. Secundo modo peccat pœnitens lethaliter & ponit obicem gratiæ, dum ſcienter in re ſacra communicat cum Confeſſario perſeuerans in excommunicatione; & dum nouum peccatum committit in ipſo actu Sacramentali, ob defectum debiti doloris ac propoſiti, atque etiam integritatis confeſſionis, nullum recipit Sacramentum. Tertio modo vterque peccat, & irritum redditur Sacramentum. Quarto denique modo neuter peccat, verúmque ac fructuoſum pœnitens recipit Sacramentum; ergo pariter excommunicatus verum recipiet Sacramentum in caſu noſtræ concluſionis: ſiquidem par in illo militat ratio.

10 Dices; Sacerdos † excommunicatus excommunicatione maiori non confert pœnitenti verum pœnitentiæ Sacramentum, nec ei veram confert abſolutionem ob defectum iuriſdictionis: ergo pariter pœnitens excommunicatus ſiue maiori ſiue minori excommunicatione, ex defectu capacitatis nullum recipit Sacramentum. Conſequentia patet, quia per minorem excommunicationem priuatur paſſiua communicatione Sacramentorum; & per maiorem actiua ſimul atque paſſiua. Reſpondeo negando conſequentiam; quia excommunicatio maior priuat Miniſtrum Eccleſiæ omni Eccleſiaſtica iuriſdictione, defectu cuius nequit verum conficere Sacramentum; intellige quando eſt non tolleratus. Dicitur autem non tolleratus iuxta conſtitutionem Martini V. vt videre eſt apud D. Antoninum 3. *p. tit. 22. c. 7.* & Caiet. *in ſumma*, verbo, *excommunicatio penultimo c. 1.* tantùm in duobus caſibus, videlicet quando eſt aut manifeſtus percuſſor Clerici, ita vt nulla tergiuerſatione celari poſſit: aut publicè & nominatim denuntiatus. Cæterum cùm ad ſuſceptionem paſſiuam Sacramentorum nulla requiratur iuriſdictio, ſicut ad actiuam collationem requiritur: hinc eſt quod ſic excommunicatus vera Sacramenta conferre non poteſt ex defectu iuriſdictionis qua priuatur; quæ tamen recipi poſſunt ab excommunicato, qui per excommunicationem non redditur omnino incapax, niſi tantùm indignus receptione, ſeu inhabilis, vt ea ritè ac licitè recipiat, recepta tamen valida ſunt.

CASVS III.

De quodam percutiente Clericum, cum ignorantia tamen ſtatuti Eccleſiæ, imponentis pœnam excommunicationis maioris cuicumque manus violentas in Clericum iniicienti. Dubitatur, an iſte ob ignorantiam excuſetur?

SVMMARIVM.

11 *Reſpondetur ad quæſitum negatiuè; Ignorantiam ſcilicet Iuris non excuſare huiuſmodi percuſſorem ab excommunicatione.*

12 *Reſpondetur argumento à ſimili; ſcilicet, qui accedit ad conſanguineam vxoris, ignorans eſſe conſanguineam, non incurrit impedimentum affinitatis.*

13 *Examinantur nonnullæ dubitationes ex hac intelligentia ortæ, ad quarum ſingulas eodem ordine reſpondetur.*

14 *Sacerdos, qui vtens officio ſuo coniugiis prohibitis aſſiſtit, excommunicationem dictam non incurrit.*

15 *Contrahentes exiſtimantes ſe habere impedimentum affinitatis vel conſanguinitatis, quod re vera non habent, dictam excommunicationem non incurrunt.*

16 *Occidens Laicum in veſte Clericali, putans eum eſſe Clericum, licet peccet peccato ſacrilegij, non tamen manet excommunicatus.*

17 *Referuntur duæ obiectiones, ad quas pro concluſione reſpondetur.*

REſpondeo † negatiuè cum ſententia communi Iuriſtarum & Theologorum, dicentium ignorantiam hanc Iuris percuſſorem huiuſmodi minimè ab excommunicatione excuſare: iuxta regulam iuris *in 6. de regulis iuris: Ignorantia facti non iuris excuſat*: maximè Iuris communis, & clari, quale eſt iſtud Canonis: *ſi quis ſuadente diabolo manus violentas in Clericum iniecerit, &c.* ſtatuens pœnam excommunicationis maioris in Clerici percuſſorem. Hic autem percuſſor de quo eſt ſermo, non ignorauit factum, hoc eſt, non ignorauit circunſtantiam percuſſionis ſacrilegæ, cui annexa eſt excommunicationis pœna: Sed tantùm ignorauit ius ipſum dicti canonis: ergo minimè ab excommunicationis pœna excuſatur. 11

Sed contra arguitur: † Qui accedit ad conſanguineam vxoris ignorans eſſe conſanguineam, non incurrit impedimentum affinitatis: ergo ſimiliter, qui percutit Clericum ignorans ſtatutum Eccleſiæ, id prohibens ſub excommunicationis pœna, non incurrit excommunicationem. Fatetur Ledeſma conſequentiam *q. 55. de matrimonio art. 6. dub. 5.* ſed minus verè; cum & à communi ſententia diſcedat, & ſimilitudinem velit ſeruari, vbi magna eſt diſparitas: eò quòd accedens ignoranter ad conſanguineam vxoris, ignorat quidem probabiliter circunſtantiam conſanguinitatis, ac per conſequens excuſatur à peccato inceſtus, cui annexum eſt impedimentum illud affinitatis: in noſtro verò caſu percuſſor Clerici neque ignorat circunſtantiam Clericatus, neque excuſatur à peccato ſacrilegij, cui ex Eccleſiæ ſtatuto annexa eſt pœna excommunicationis. Poteſt etiam negari antecedens: nam adhuc ſic ignorans circunſtantiam conſanguinitatis, ſi accedat ad conſanguineam vxoris, incurrit impedimentum affinitatis, licet excuſetur à culpa inceſtus, ob dictam ignorantiam probabilem & inuincibilem vt ſupponimus: quia hæc impedimenta dirimentia matrimonij non imponuntur in iure, vt pœnæ ſtrictè propter culpam, ſed potius vt quædam inhabilitates propter factum. Vnde non ſemper ſupponunt culpam, ſed factum: qua ratione irregularitas contrahitur propter homicidium iuſtum & propter bigamiam, in qua nulla eſt culpa: eadem quoque ratione incurritur impedimen- 12

tum

tum dirimens matrimonium,à contrahente cum errore circa perſonam,& à contrahente bona fide cum affini in ſecundo gradu, aut cũ conſanguinea in tertio aut quarto gradu, ignorans hanc circunſtantiam affinitatis : in quibus caſibus nulla eſt culpa ex parte ſic contrahentis, quoniam huiuſmodi impedimenta non tam ſunt pœna propter culpam,quàm inhabilitates quædam propter factum & rationabilem cauſam. Ex quo venit intelligenda Clementina illa celebris & vinca de conſanguinitate & affinitate excommunicationis,gladio feriens nubentes ſcienter cum aliquo impedimento dirimente ſub hiis verbis. *Eos qui ſcienter in gradibus conſanguinitatis & affinitatis conſtitutione canonica interdictis, aut cum monialibus contrahere matrimonialiter non verentur : nec non Religioſos & Moniales ac Clericos in Sacris ordinibus conſtitutos,&c. ipſos excommunicationis ſententiæ ipſo facto decernimus ſubiacere &c.* In qua Clementina quatuor genera perſonarum excommunicantur : nimirum contrahentes per verba de præſenti in legitima ætate cõſtituti ad matrimonium, cum impedimento conſanguinitatis vel affinitatis. Secundò Moniales & contrahentes cum illis : Religioſi, ac Clerici Sacris ordinibus initiati,non verò contrahentes cum eiſdem: actio verò pro qua excommunicantur,eſt inceſtuoſus , & Sacrilegus matrimonialis contractus,ſiue conſumetur, ſiue non ; vt notant Caietanus. V. *excommunicatio* §. 47. Sylueſter *eodem verbo* 4. *excommunicatione* 41. Nauarr. *in Manuali cap.27. num.*141. Couarru. 4. *decret al. p.2.c.3.* §.7. & Ledeſma *tractatu de matrim.q.55. art.4.dubio* 1.

85 Ex hac tamen † intelligentia veniunt nonnullæ dubitationes examinandæ. Prima namq; inſurgit dubitatio de illo, qui contrahit matrimonialiter cum tali impedimento ſub aliqua conditione & non abſolutè ? Secunda de illo qui contrahit abſolutè de præſenti,ſed ſine conſenſu interno ? Tertia quando vterque contrahens profert verba de præſenti, tamen vnus habet conſenſum & alter non ? Quarta de illo qui poſt Concilium Tridentinum contrahit ſine Parocho & teſtibus, num in hiis caſibus ſic contrahens incurrat excommunicationem præfatæ Clementinæ ? Idémque inquiritur quintò de illo qui contrahit per metum grauem:& de illo qui contrahit cum affine per affinitatem ortam ex matrimonio rato : nec non de eo qui poſt ſponſalia acceſſit ad Sponſam affectu maritali ; & de illo qui contrahit cum affine vel conſanguinea laborans ignorantia facti. Ac tandem de illis qui ignorato impedimento contraxerunt, & poſtea cognito perſeuerant in affectu coniugali. Ad quarum ſingulas eodem ordine eſt à nobis reſpondendum.

Ad primam itaque dicendum eſt, aut conditionem appoſitam in contractu dicto matrimonij fuiſſe turpem, aut honeſtam, aut impoſſibilem ; & ſiquidem fuit turpis , cum habeatur pro non adiecta , ſi aliàs contrahentes habuerunt verum conſenſum , pariter fuerunt excommunicationis vinculo innodati : ſi verò honeſta fuit conditio , cum ſuſpendat conſenſum in futurum;vt ſi dicat alter contrahentium; contraho tecum ſi Papa diſpenſauerit : ita vt iuxta probabilem ſententiam Theologorum contractus matrimonij dependens ab huiuſmodi conditione,etiam illa adimpleta non habeat vim matrimonij de præſenti, niſi ſponſaliorum dumtaxat , quouſque renouent contrahentes conſenſum coram parocho & teſtibus : propterea talis excommunicationis vinculo non ligantur ; neque illo ligantur ſi conditio fuit impoſſibilis : quia nullum tunc verum conſenſum habuerunt contrahentes ſub tali conditione.

Ad ſecundam iuxta ſententiam Caietani 22. *q.12.art.1. & q.94. art.1.* exiſtimantis, cum qui metu mortis fingit exterius ſe eſſe hæreticum, ſine aſſenſu tamen interno, incurrere excommunicationem latam in iure contra hæreticos: dicendum eſſet in tali caſu contrahentes etiam dictæ excommunicationis vinculo innodari ; nec non iuxta ſententiam Nauarri *in Manuali cap.22.n.*43.aſſerentis contrahentes cum cognito impedimento matrimonij,neutiquam poſſe habere verum conſenſum ad matrimonium. Verius tamen dicendum puto,quod ſic contrahens ſine vero conſenſu interno, licet in foro externo iudicaretur excommunicationi obnoxius,tamen neutiquam in foro conſcientiæ eam incurreret:quemadmodum neque ille qui voce tenus ſine aſſenſu interiori profert hæreſim,excommunicationem in foro conſcientiæ incurreret. Quod amplius confirmatur ex eo, quod nomine matrimonij aut contractus matrimonialis in præfata Clementina ſolùm intelligitur, ſicut & in Iure communiter ſolet intelligi, contractus exterior cum animo & conſenſu celebratus : & cum aliàs lex ſit pœnalis & odioſa, neutiquam ad latiora ſignificata eſt extendenda. Ad tertiam reſpondeo, manere in illo caſu excommunicatum dumtaxat eum , qui apponit verum conſenſum ; quia iſte facit totum quod poteſt & requiritur ex parte ſua,ad contractum matrimonialem ineundum,cum cognito impedimento ac perſona impedita. Ad quartam reſpodeo,in eo caſu non incurrere excommunicationem contrahentes : quia non contrahunt ſeruata forma contractus matrimonialis præſcripta ab Eccleſia : ſicut neque Simoniacus mentalis incurrit excommunicationem , quia non ſeruat formam contractus Simoniaci. Ad quintam dicendum eſt,neque in eo caſu incurri excommunicationem ab illo , qui contrahit metu cadente in virum conſtantem coactus, propter duo:tum quia talis metus ipſo iure annullat contractum ; tum etiam quia lex humana etiam Eccleſiaſtica neminem obligat cum vitæ diſcrimine aut periculo. Ad ſextam reſpondetur vno ex duobus modis,iuxta duas Theologorum ſententias : nimirum aut contrahentem cum ſic affini non incurrere dictam excommunicationem, quia ex matrimonio rato nondum conſummato non oritur affinitas propriè , ſed impedimentum publicæ honeſtatis ſeu affinitatis initiatiuè talis:vt cum aliis ſentit Ledeſma *in dicta q.55. art.1.* verba autem odioſa dictæ Clementinæ potius reſtringenda ſunt , quàm amplianda & extendenda iuxta regulam iuris: *odia reſtringi,fauores conuenit ampliari.* Aut eam verè in vtroque foro incurrere , quoniam vera affinitas oritur ex matrimonio rato , vt aliis placet.

Ad ſeptimam facilis eſt reſponſio : quia licet ante Concilium Tridentinum,ſic accedens affectu maritali poſt ſponſalia cum conſanguinea vel affine , dictam excommunicationem incurreret,

incurreret,eò quòd tunc per talẽ affectum ſolùm verum efficiebat matrimonium : non verò poſt Concilium Tridentinum, quod præſcribit certam formam contractui matrimonij, quæ in ſolo illo affectu non ſubſiſtit. Eodémque modo reſpondetur ad octauum caſum, quod illi qui ignorato impedimento contraxerunt, & poſtea illo cognito perſeuerant in affectu coniugali, ante Tridentinum excommunicationem dictam incurrerent : quia ſolo tali affectu & conſenſu tacito ſeu interno verum efficiebant matrimonium : ſecus verò poſt illud, quia etſi conſenſum præbeant ſine parocho & teſtibus, non ſeruant formam contractus matrimonialis à Concilio præſcriptam. De octauo autem caſu reſpondent Caietanus *verbo excommunicatio*, §.47. Syluester *eodem verbo 4.excommunicatione* 41. & Gloſſa *ſuper eadem Clementina*; contrahentem cum ignorantia facti cum conſanguinea vel affine non incurrere huiuſmodi excommunicationem : bene tamen contrahentem cum ignorantia iuris : eò quòd hîc tenet regula : *Ignorantia facti non iuris excuſat.* Sed verius reſpondetur ſic contrahentem cum qualibet ignorantia ſiue iuris ſiue facti, ſiue vtriuſque,ſiue ſit inuincibilis, ſiue vincibilis & culpabilis (dummodo tamen non ſit affectata,quia hæc tranſit in naturam ſui actus)à dicta excommunicatione excuſari. Cuius ratio eſt,quia Clementina ſolùm excommunicat contrahentes ſcienter : vbi autem lex, maximè odioſa non reſtringit, neque nos reſtringere debemus ad ſolam ſcientiam facti, potius quàm ad ſcientiam iuris : cum aduerbium illud *ſcienter* ad vtramque extendatur, & de vtraque poſſit intelligi : in quo caſu dicta regula iuris non tenet.

14 Colligo Secundò † eandem excommunicationem non incurrere Sacerdotem, qui vtens officio ſuo huiuſmodi coniugiis prohibitis aſſiſtit. Quia ex contextu dictæ Clementinæ non ſub eadem pœna comprehenditur, quæ ſolùm contra contrahentes imponitur; ac proinde ad ſolos illos & non ad aſſiſtentes aut auxiliantes poteſt aut debet extendi. Qua ratione neque ad Procuratores ſic contrahentium in hiis gradibus interdictis extenditur, bene tamen ad ipſos contrahentes per Procuratores à ſe miſſos, & mandatum accipientes ad ſic contrahendum, quia verè contrahentes ſunt(licet per Procuratores) contra quos ſtatuitur dicta Clementina.

15 Colligo Tertiò † contrahentes exiſtimantes ſe habere impedimentum affinitatis vel conſanguinitatis quod re vera non habent, dictam excommunicationem non incurrere,propter duo : tum quia ex contextu dictæ Clementinæ requiritur, quod adſit verè, tale impedimentum interdictum : hîc autem non adeſt niſi ſecundum opinionem & ſcientiam errantem contrahentium : Tum etiam quia dicta Clementina non punit ſic contrahentes, niſi pro contractu inualido & irrito ob impedimentum dirimens interueniens : ſed iſti non obſtante erronea ſcientia verum contractum matrimonij efficiunt : ergo non puniuntur à dicta Clementina. Habemúſque exemplum ap-

16 poſitiſſimum huius in illo, qui † occidit Laicum in veſte Clericali, putans illum eſſe Clericum; licet peccet peccato ſacrilegij ex conſcientia erronea, non tamen manet excommunicatus : quia huiuſmodi excommunicatio à iure non imponitur contra opinati, ſed ſolùm contra veri Clerici percuſſorem,aut occiſorem; ergo pariter neque iſti ſic contrahentes manent obnoxij tali excommunicationi, quam Clementina ſtatuit contra contrahentes cum impedimento non opinato ſed veræ & reali.

Sed † obiicies primò,quòd iſti ſic contrahen- 17
tes iam peccant ex conſcientia erronea : & irrogant tantam irreuerentiam Sacramento, quantam irrogarent ſi contraherent cum vero impedimento ſcienter : Sed iſti puniuntur à dicta Clementina ob huiuſmodi irreuerentiam : ergo & illi. Secundò obiicies *ex cap. ſi verò 2. de ſententia excommunicationis* : ille qui ex ignorantia occidit Clericum nutrientem comam,non manet excommunicatus, quia talis ignorantia eum excuſat : ergo cum contrariorum eadem ſit ratio;oppoſita ſcientia etiam erronea,qua putaret Laicum quem percutit eſſe Clericum,eum facit reum excommunicationis: ac per conſequens in caſu noſtro contrahens cum impedimento opinato ab excommunicatione non excuſabitur. Ad primam obiectionem reſpondetur, in iure humano maximè in pœnalibus legibus, non valere argumentum à ſimili : præterquam non ob irreuerentiam irrogatam Sacramento,dicta Clementina contra huiuſmodi contrahentes cum impedimento cognito excommunicationem imponit : ſed ad euitanda matrimonia irrita & inualida; nec non ad euitandos acceſſus fornicarios & ſacrilegos, atque ad ſic contrahentium temeritatis audaciam metu pœnæ refrenandam, vt ex eius contextu patet. Ad Secundã admiſſo antecedenti, nego conſequentiam : quia ſicut in legibus pœnalibus iuris humani, non tenet in ſimilibus delictis eadem ratio incurrendi ſcilicet eandem aut ſimilem pœnam : ita neque in oppoſitis, oppoſita militat ratio; ita vt ſi vnum à pœna excuſetur, alterum ab eadem non debeat excuſari; præterquam quod argumentum ſolum probat,tam occidentem Clericum exiſtimatum, quàm contrahentem cum impedimento opinato, non excuſari à reatu culpæ & pœnæ æternæ coram Deo : non autem probat eum non excuſari à reatu pœnæ Eccleſiaſticæ, quam ius Canonicum aduerſus dumtaxat veri Clerici percuſſorem ſcienter, & aduerſus contrahentes ſcienter, cum vero impedimento voluit ſtatuere, quæ proinde ad alios non eſt extendenda.

CASVS IV.

De excommunicato quodam publicè & nominatim, qui in articulo mortis, & in foro animæ dumtaxat obtinuit abſolutionem : Inquiritur,an poſſit ac debeat potiri Eccleſiaſtica ſepultura?

SVMMARIVM.

18 *Pro declaratione huius quæſiti tria puncta examinantur.*

19 *Quilibet*

19 *Quilibet excommunicatus ac publicè denunciatus, est ipso iure Ecclesiastica Sepultura priuatus.*

20 *Circa dubium, scilicet An absolutio in foro animæ liberet excommunicatum à pœna excommunicationis, dissentiunt Authores.*

21 *Affirmatiua sententia, tanquam verior & in praxi sequenda, suadetur triplici argumento.*

22 *Excommunicatus decedens in excommunicatione sine absolutione obtenta in foro externo, cum signis tamen contritionis, potest ac debet post mortem absolui, &c.*

QVAS iste venit ad nostras manus in ciuitate Burgensi, dum corpus cuiusdam viri Proceris & Magistratus Philippi III. inhumatum per spatium 24. horarum iaceret, parte contraria & offensa reclamante, vt ei denegaretur Ecclesiastica Sepultura: econtra verò Ecclesia eam ei volente concedere; quia Confessarius quidam Dominicanus eum in articulo mortis ab excommunicatione & peccatis absoluerat. Prævaluítque Theologorum benigniorum sententia, annuentium ei beneficium Ecclesiasticæ sepulturæ non esse denegandum.

18 Pro † cuius declaratione tria in hac quæstione puncta sunt sigillatim examinanda. Primum est an iste sit priuatus Ecclesiastica sepultura? Secundum an absolutio in foro animæ liberet eum ab hac pœna? Tertium an post mortem possit ab hac pœna absolui? quibus sigillatim est respondendum.

Ad primum quidem respondetur affirmatiuè;
19 nimirum † hunc sic excommunicatum & quemlibet alium similiter nominatim excommunicatum ac publicè denunciatum, esse ipso iure priuatum Ecclesiastica sepultura: iuxta regulam iuris: *quibus non licet communicare viuis, neque licet communicare mortuis*: traditam *cap. sanè* 24. *q.* 2. & relatam ab Innocentio III. *lib.* 3. *Decretalium cap. Sacris, de Sepulturis*; qua excommunicatis interdicitur Ecclesiastica Sepultura post mortem; sicut & in vita interdicitur eis communicatio cum aliis extra casus necessitatis contentos hoc versiculo;

Vtile, lex, humile, res ignorata, necesse.

Eadem quoque pœna mulctantur huiusmodi nominatim excommunitati *in cap. sicut ait beatus Leo, de hæreticis*, desumpto ex Concilio Lateranensi *can.* 22. & probant ex communi sententia Raimundi Hostiensis & aliorum Iuristarum, Syluester *in summa, verbo vsura* 4. *q.* 4. & Ioannes Friburgo *lib.* 1. *summæ tit.* 16. *quæst.* 3. & Suarius *disp.* 12. *de censuris sectione* 4. Quod amplius confirmatur: nam in iure hæretici priuantur Ecclesiastica sepultura, quæ proinde decedentibus in hæresi nequit concedi: vt tradit Directorium Inquisitorum *parte* 2. *commento* 25. Zanchius *tractatu de hæreticis, cap.* 34. & Azorius *in* 1. *p. summæ moralis lib.* 8. *cap.* 14. *q.* 6. Sed eadem pœna quoad omnes effectus excommunicationis maioris, & maximè quoad effectum priuationis Ecclesiasticæ sepulturæ, imponitur in iure contra nominatim excommunicatos & publicè denunciatos: vt constat ex relatis capitibus Canonici iuris & Concilij Lateranensis. Vnde & qui excommunicatos sepeliunt, excommunicationem incurrunt; *ex cap. eos de sepulturis*: ergo.

Ad secundum † bipartiti sunt Theologi ac 20
Iurisperiti in duas scilicet sententias. Alij enim de quorum numero sunt Hostiensis super *cap. Parochiano de sepulturis*, Friburgo & Azorius *vbi supra* tuentur partem negatiuam, innixi argumento *ex cap. A nobis* 2. *de sententia excommunicationis*, vbi Innocentius III. determinat, quod excommunicato decedenti in excommunicatione, quantumcumque contritus decesserit, non est communicandum ante absolutionem: nec pro eo orandum, licet sit quoad Deum absolutus. Sed si constat Ecclesiæ de eius contritione præcedente, absoluatur etiam post mortem ab illo, à quo viuus fuerat absoluendus. Iste autem excommunicatus de quo est sermo, tantùm fuit absolutus quoad Deum, & in foro animæ in articulo ipso mortis, & mansit ligatus quoad Ecclesiam, quæ cum in foto externo à sua sententia non absoluit, vt supponimus: ergo nullus fidelis potest ei communicare post mortem, concedendo scilicet beneficium Ecclesiasticæ sepulturæ. Alij verò, de quorum numemero est Suarius *in dicta sect.* 4. tuentur † par- 21
tem affirmatiuam, quæ proculdubio verior est & in praxi sequenda. Et suadetur Primò, quia ablata causa aufertur & effectus: Sed per beneficium Sacramentalis absolutionis quod iste homo recipit à Confessario, instante mortis articulo, absolutionis inquam, non solùm à peccatis, sed etiam à censuris, ablatum fuit ab illo vinculum excommunicationis: ergo & ablatus fuit effectus excommunicationis, scilicet pœna priuationis Ecclesiasticæ sepulturæ. Secundò, quia *in dicto cap. Parochiano tuo, de sepulturis*, decernit Gregorius IV. vt excommunicato pro quibuscumq; excessibus manifestis, si dum esset in extremis constitutus, fuerit per Presbyterum suum absolutus iuxta formam Ecclesiæ, non debent cæmeterium & alia Ecclesiæ suffragia denegari. Sed hic excommunicatus de quo disputamus, dum esset in articulo mortis constitutus, fuit à legitimo Confessario iuxa formam Ecclesiæ absolutus: provt scilicet distinguitur contra absolutum quoad Deum, per solam internã contrionem, quia non solùm dedit signa contritionis suæ, sed etiam clauibus Ecclesiæ se subiecit, & externam absolutionem accepit; ergo non debent ei cæmeterium & alia Ecclesiæ suffragia denegari. Tertiò quia habens Bullam Cruciatæ, gaudet priuilegio illius quoad obtinendam absolutionem à censuris, quantumuis reseruatis: & quoad fruendum beneficio Ecclesiasticæ sepulturæ: Sed iste habebat Bullam Cruciatæ: ergo virtute illius potuit absolui à quolibet Confessario approbato per Ordinarium, ab excommunicatione lata ab homine contra ipsum, & quantumcumque iudici reseruata (præterquam quod in atticulo mortis & extremæ necessitatis nulla censura, neque vlla culpa est reseruata) ac proinde potuit etiam, ac debuit virtute eiusdem priuilegij, frui post mortem beneficio Ecclesiasticæ sepulturæ.

Ad tertium patet resolutio ex dictis; quod 22
sic † excommunicatus decedens in excommunicatione, sine absolutione obtenta in foro externo, iuxta formam Ecclesiæ, cum signis tamen contritionis, potest ac debet post mortem absolui

abſolui ab eodem à quo poterat viuus, nedum virtute Bullæ Cruciatæ, ſed etiam ex diſpoſitione iuris communis in allegato *cap. à nobis*; vt ſic abſolutus poſſit frui ſepultura ſacra, id eſt loco ſacro ſcilicet templo, aut cæmeterio benedicto,& aliis Eccleſiæ ſuffragiis. Quo autem pacto Eccleſia in animam defuncti poſſit exercere actum iuriſdictionis, cum iam non ſit de foro ipſius? alterius loci eſt. Pro nunc autem reſpondetur, poſſe quidem non directè agendo in animam defuncti, ſed indirectè tanquam remouens prohibens,hoc eſt, auferendo impedimentum, quo viui fideles impediti ſunt, ne cum defuncto excommunicato communicent in ſpiritualibus,ſcilicet orando pro eo, aut eius corpori Eccleſiaſticam ſepulturam impendendo; quo impedimento ſublato, vtrumque liberè poſſunt.

Quibus addo, quod Epiſcopus in tali caſu, ad maiorem ſecuritatem ſimul abſoluat reum ab aliis peccatis non reſeruatis, ſupra quæ habet certam iuriſdictionem; quia ſic dum legitimè abſoluit eum directè à non reſeruatis, indirectè & ex conſequenti abſoluit eum à crimine hæreſis licet reſeruato. Et pro maiori explicatione dictæ regulæ depromptæ *ex lege Barbarius*, ſciendum eſt & notandum cum Bellino in Tractatu quem ſcripſit ſuper dictam legem, qui habetur *tomo 16. tractatuum pag.* 340. Barbarium fuiſſe verè Prætorem cum Baldo, contra communem tamen opinionem Iuriſconſultorum. Cuius rationem reddit, quia lex illa dicit fuiſſe verâ præturâ functum: & quod ei non obſtitit conditio ſeruitutis in qua permanſit, quia re vera non erat dominus ſui: res enim vbicumque eſt,domini ſui eſt. Vnde colligit legem illam non eſſe extendendam ad alios caſus, niſi dumtaxat ad illos, in quibus concurrunt eædem conditiones, ſcilicet authoritas eligentium, confidentia eorum credentium electo,& publica vtilitas: cum hiis enim conditionibus, & non aliter communis error facti dat iuriſdictionem aut illam ſupplet. Idem notat Bartolus ſuper eandem legem; dicens, quod tres conditiones in eo caſu concurrerunt, & eædem debent concurrere, vt communis error facti det iuriſdictionem: videlicet authoritas eligentium, ſeu verus titulus in electo; communis error vel Communitatis ſeu populi, & publica vtilitas poſcens vt talis communis error habeatur pro veritate,ſeu vt facta non reuocentur: quamuis putet etiam duas vltimas conditiones ſufficere iuxta aliorum probabilem ſententiam. Cùm autem omnes dictæ conditiones concurrant in noſtro caſu: non eſt cur negemus abſolutionem, ab illo impenſam fuiſſe ratam ac validam.

CASVS V.

Vtrum imagines obſcenas habere in loco publico,aut pingere,ſit peccatum lethale ſcandali?

SVMMARIVM.

23 *Picturam actum turpem repræſentantem, vel diſponentem ad illum collocare in loco publico, eſt peccatum lethale ſcandali.*

24 *Vſus picturæ alicuius corporis nudi, ſcilicet Veneris, aut Angeli pulchri non eſt de ſe peccatum, niſi tantùm per accidens ex praua intentione vtentis.*

RESpondeo iuxta doctrinam traditam de hac materia à Roa *de ſtatuis*, à Ioſeph de Mariri *de caſtitate*, & à Cardinali Paleoto *in ſuo ſpeciali tractatu*: quod ſi † pictura eſt de actu turpi, illum ſcilicet immediatè repræſentans, vel proximam diſpoſitionem & apparatum ad illum, vti illa ſcilicet oſtendendo aliis & collocando in loco publico, intra vel extra domum, eſt peccatum lethale ſcandali: eò quòd ſecum adducit iſte vſus proximum periculum peccandi: & quia nequit habere finem honeſtum, & eſt prouocatiuus ad peccatum luxuriæ. Si autem tantùm ſit † pictura de corpore aliquo nudo, v. g. Veneris,aut pueri, aut Angeli pulchri, vſus illius non eſt de ſe peccatum,& ex genere ſuo, niſi tantùm per accidens ex praua intentione vtentis: eò quòd iſte vſus poteſt habere alium finem honeſtum, vt delectare ſenſus,recreare vel diuertere animum, & contemplari perfectiones naturæ humanæ vel Angelicæ; alioquin pingere Angelos nudos eſſet malum, quia hæc pictura aliquando fuit occaſio aliquibus peccandi: rurſus Comediæ de Hiſtoria Amatoria non poſſent ſine peccato fieri aut audiri, quia aliquos prouocant ad laſciuiam: quæ tamen ſunt falſa: ergo. 23 24

CASVS VI.

De quodam promoto ad ordinem ſacrum ante legitimam ætatem: Inquiſitum eſt à nobis,an manſerit irregularis, & quis cum eo poſſit diſpenſare?

SVMMARIVM.

25 *Reſpondetur ad quæſitum affirmatiuè, manſiſſe ſcilicet irregularem; & quis cum eo poteſt diſpenſare,refertur.*

26 *Refertur duplex difficultas 1. An poſt huiuſmodi Irregularitatem deductam ad forum contentioſum, ſed in eo non ſufficienter probatam, poſſit in ea Epiſcopus vel per ſe vel per Vicarium diſpenſare. 2. An poſt finitum iudicium fori contentioſi, & inflictam pœnam impoſitam à Iudice,poſſit Epiſcopus ſimiliter in ea diſpenſare?*

27 *Ad vtramque difficultatem reſpondetur affirmatiuè.*

28 *Reſpondetur obiectioni: Vtrum ſcilicet Epiſcopus poſſit diſpenſare in irregularitate contracta ex homicidio voluntario, poſt finitum Iudicium fori externi?*

RESpondeo † manſiſſe quidem irregularem, & poſſe cum eo diſpenſare de iure communi antiquo ante Concilium Tridentinum, ſolum Summum Pontificem: de iure autem nouo Concilij Tridentini *ſeſſ. 24. cap. 6.* poſſe Epiſcopum Diœceſanum: Vbi conceditur Epiſcopis facultas diſpenſandi in quibuſcumque 25 29

que irregularitatibus & suspensionibus, ex delicto occulto prouenientibus: excepta ea quæ incurritur propter homicidium voluntarium, & exceptis illis quæ deductæ sunt ad forum contentiosum: ergo in hac irregularitate contracta propter promotionem ad Ordinem Sacrum ante debitam ætatem, si occulta fuerit, & non deducta ad forum contentiosum, poterit Episcopus dispensare. Quæ facultas per specialia priuilegia etiam extenditur ad Prouinciales Ordinum regularium, & Prælatos illos habentes dignitatem quasi Episcopalem quoad suos subditos: vt constat ex motu Pij. V. relata à Sorbo *in suo compendio pagina* 544. Imo experientia constat, huiusmodi facultate gaudere etiam in Ordinibus mendicantium Prælatos inferiores, vt Priores & Guardianos, qui in maioribus Ecclesiæ solemnitatibus, cum sibi subditis in quibuscumque suspensionibus & irregularitatibus occultis dispensant.

26 Hinc oritur † duplex difficultas. Prima est An post huiusmodi irregularitatem deductam ad forum contentiosum, sed in eo non sufficienter probatam, siue quia testes reuera non erant, siue quia ipse reus eos sua industria remouit à testificando, aut ad taciturnitatem induxit, possit nihilominus in ea Episcopus dispensare per se, vel per Vicarium à se deputatum, vt decernit Tridentina Synodus in dicto *cap. 6. sess.* 24. Secunda difficultas est, an post finitum iudicium fori contentiosi, & inflictam atque acceptatam pœnam impositam à Iudice, possit Episcopus similiter in ea dispensare?

27 Ad † primam respondeo affirmatiuè: quia eadem ratio est de his quæ non sunt, & quæ non apparent nec probantur. Vnde idem est non fuisse deductam talem irregularitatem ad forum contentiosum, & illam non fuisse in illo probatam: ac proinde finito iam termino legitimo fori contentiosi, potest Episcopus modo constituto à Concilio scilicet per se, vel per Vicarium, siue Generalem, siue ad id specialiter deputatum, in tali irregularitate tanquam in non deducta ad forum contentiosum dispensare: quia ex quo non fuit probata durante legitimo termino iuris, reducitur ad pristinum statum & terminos irregularitatis non deductæ. Quod etiam confirmatur; quia lex illa Concilij, quando excipit irregularitates & suspensiones deductas ad forum, cum pœnalis sit & odiosa, debet restringi ad eas quæ absolutè & simpliciter dicuntur deductæ cum omni rigore, id est probatæ, & quæ fiunt notoriæ, & desinunt esse occultæ: illa autem quæ non probatur, manet occulta, & de genere illarum quæ ex delicto occulto proueniunt, quas Episcopi possunt dispensare; vt ibi determinat Concilium. Ac proinde ne ista secunda clausula ac limitatio Concilij contradicat priori, oportet hanc irregularitatem sub occultis contineri: in qua proinde accipit Episcopus à Concilio dispensandi facultatem.

Ad secundam difficultatem respondeo etiam affirmatiuè ex *cap. & clerici de iudicis*, quod cum suspenso, vel irregulari deducto ad forum contentiosum, postquam Episcopus, siue Iudex, & Prælatus, functus est officio, illũ declarando incursum in talem censuram, & puniendo pœna arbitraria, potest dispensare. Quia cum Concilium Tridentinum *in dicta sess.* 24. *cap.* 6. excipit à facultate Episcopi irregularitatem deductam ad forum contentiosum, ne possit in illa dispensare, intelligitur ante finitum iudicium, & antequam reus pœnam per sententiam taxatam subeat, aut saltem acceptet subeundam. Nam post finitum iudicium, & postquam reus pœnam iudicio taxatam acceptat (ex tunc enim censeo finitum esse iudicium, cum & iudex iam censeatur functus omninò officio suo, quantum est ex parte ipsius) iam non manet talis dispensatio reseruata, sed intelligitur commissa ipsi Prælato, ad cuius forum fuit commissa causa. Hæc etiam est communis praxis, vt Episcopi aut eorum Vicarij, nec non Ordinum Prælati post finitum iudicium fori externi dispensant in suspensione, aut irregularitate contracta à subdito denuntiato, & per sententiam damnato, aut declarato. Sic etiam cum quis in aliquam excommunicationẽ incurrit Pontificiam, si declaretur in eam incurrisse in foro externo, Prælatus aut Iudex superior eum absoluit, licet talis absolutio sit in Bulla Pontificia Sedi Apostolicæ reseruata. Exẽplum habemus in Bulla Pij V. quæ incipit, *Decori & honestati*: vbi excommunicantur Moniales egredientes à clausura, præterquam quod in tribus casibus ibi recensitis; scilicet incendij, lepræ, & morbi Epidemici, excommunicatione maiori latæ sententiæ; cuius absolutio ipsi summo Pontifici reseruatur: & tamen postquam in iudicio externo aliqua Monialis comprobetur fregisse clausuram, & indictam excommunicationem incurrisse, & pœnam taxatam acceptet; potest ab eodem Superiori absolui, & ita de facto in hac Salmantina ciuitate obseruarunt Visitatores Capituli in Sede vacante cum quibusdam Monialibus, quæ prætextu alicuius priuilegij, aut consuetudinis præsumptæ à clausura exierant, eas (nedum priuilegio Bullæ Cruciatæ de quo non erat dubium) sed ratione finiti iudicij & acceptatæ pœnæ, absoluerunt à præfata maiori excommunicatione, licet Pontifici in prædicta Bulla reseruata.

Dices; † ergo etiam poterit Episcopus dis- 28
pensare in irregularitate contracta ex homicidio voluntario, post finitum iudicium fori externi, in quo reus declaratur incursus in illam, & tanquam homicida punitur: quod tamen est falsum, vtpote contra dictum *cap. 6. sess.* 24. *Tridentin.*; vbi huius irregularitatis dispensatio eximitur à facultate Episcopi, & Papæ reseruatur: ad quem proinde in praxi recurritur pro huiusmodi dispensatione? Respondetur negando consequentiam; quia hæc est specialis reseruatio pro dispensatione huiusce irregularitatis, ex homicidio voluntario prouenientis, (alioquin si ex casuali tantùm proueniret, potest Episcopus in illa dispensare) & ideò siue occulta siue notoria sit, siue deducta ad forum contentiosum, siue non deducta, neutiquam ab Episcopo potest dispensari: imo cum hæc sit singularis exceptio firmat regulam in contrarium.

CASVS VII.

De quodam Studente, qui exiſtẽs in Curia Romana abſque licentia & litteris ſui Ordinarij ac diœceſani promotus eſt ad omnes ordines: & poſtea venit ad ſuam diœceſim quæ eſt Burgenſis, & petit licentiàm ab Ordinario illius ad celebrandum, & vſum ordinis ſacri exercendum: de quo duæ ſe obtulerunt difficultates. Prima eſt an iſte ſic promotus manſerit ſuſpenſus dumtaxat, aut etiam irregularis? Secunda difficultas eſt, an Ordinarius poſſit ei talem licentiam concedere, & eum à ſuſpenſione quàm incurrit abſoluere?

SVMMARIVM.

29 *Suſpenſio eſt pœna taxata in Iure Canonico contra malè promotos ad Ordines.*

30 *Regula tenens irretitum cenſura celebrando manere irregularem, quomodo ſit intelligenda?*

AD primam reſpondeo, iſtum ſic promotum manſiſſe dumtaxat ſuſpenſum: eò
29 quòd hæc eſt † pœna taxata in iure canonico contra malè promotos ad ordines: ex *cap. eos, qui de tempor. ordinandorum in 6.* & *ex extrauaganti noua* Pij. II. quæ incipit, *cum ex Sacrorum*: & ſpecialiter in Concilio Tridentino *ſeſſ. 23. cap. 3. de reformatione*, hæc pœna ſtatuitur contra promotos ſine licentia ſui Ordinarij dum dicitur, *quod ſic ordinatus à ſuſceptorum ordinum executione, quandiu proprio Ordinario videbitur expedire, ſit ſuſpenſus &c.* Et cum nullibi fiat mentio de irregularitate; conſequens eſt quod neutiquam ob huiuſmodi exceſſum promotus ad ordines, illam incurrit ex regula communiter recepta, quod nullus cenſuram incurrit (intellige à iure latam) quæ in iure non ſit expreſſà: vt etiam probat Nauarr. *in ſumma cap. 27. num. 155.* & Suarius *diſp. 31. de cenſuris ſect. 1. num. 13.* ergo. Deinde quia ſi iſte ſic promotus irregularitatem contraheret, id contigiſſet, quoniam ſolemniter exercuit aliquem ex Ordinibus Sacris ſic ſuſpenſus: v. g. dum recipiens Subdiaconatum ſine licentia Ordinarij proprij manſit ſuſpenſus, poſtea promotus ad Euangelium, fortè Euangelium cantauit cum ſolemnitate: aut ſaltem (quod omnino certum eſt) promotus ad presbyteratum celebrauit ſimul cum Epiſcopo ordinante Miſſam, & conſecrauit ſimul cum illo; ergo in hoc actu incurrit irregularitatem. Conſequentia hæc patet ex communiſſima regula iuris, quod quicumque celebrat irretitus aliqua cenſura manet irregularis. Atqui neque ob huiuſmodi ſolemnem celebrationem manſiſſe irregularem iſtum Scholarem ſic promotum, perſuadeo
30 mihi ex duplici capite: tum quia † dicta regula tenens quemcumque irretitum cenſura celebrando manere irregularem, intelligitur de illo qui celebrat extra actum ipſum ſuſceptionis ordinis, ob quem manet ſuſpenſus: computatur autem pro eodem actu ſuſceptionis totum illud officium quod Epiſcopus peragit dum ordines celebrat: alioquin ſi ſuſcipiens ordinem Diaconatus ob quem manet ſuſpenſus, maneret ſimul irregularis, cantando Euangelium in eadem Miſſa, quam pro celebratione ordinum peragit Epiſcopus, duplici pœna puniretur idẽ delictum: quod eſt alienum omnino tam à Diuino quàm ab humano iure maximè Canonico; quia non punit bis Dominus in id ipſum; & ſcriptum eſt *Nahum. 1.* quod non conſurget duplex tribulatio: ergo. Tum etiam quia aliàs ſi quis celebraret Miſſam in loco aut in tempore prohibito, eam celebraret ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, duplicem cenſuram ſimul contraheret eodem actu celebrationis, ſcilicet & excommunicationem impoſitam celebranti in tali loco aut tempore; & irregularitatem: quia irretitus excommunicatione celebrans manet irregularis. Conſequens autem eſt falſum: ergo & illud ex quo ſequitur. Sequela patet à paritate rationis: Minor autem probatur multipliciter: Tum quia ita tenet communior ac verior ſententia Theologorum ac Iuriſtarum. Tum etiam quia aliàs ob eandem culpam punitur quis duplici pœna grauiſſima, ſcilicet excommunicationis & irregularitatis: quod iam diximus à iure & à ratione eſſe alienum. Tum denique quia dicta regula iuris, ſcilicet omnem irretitum aliqua cenſura celebrando miſſam aut exercendo ſolemniter actum ſui ordinis incurrere irregularitatem: verum habet dumtaxat de irretito extra talem actum, in quo vel ob quem incurrit irregularitatem; vel quod idem eſt ſolum habet verum, quando talis celebrat, irretitus cenſura Eccleſiaſtica antecedenter ad actũ celebrationis: nam ſi incurrit talem cenſuram in ipſo actu celebrationis, non celebrat irretitus, ſed celebrando venit irretiendus: & cum dicta regula ſit odioſa & pœnalis, ſtrictè & non amplè eſt intelligenda de illo, qui quando accedit ad celebrandum, irretitus cenſura accedit, & iſte tunc incurrit irregularitatem & non aliàs.

CASVS VIII.

De quodam alio Studente ordine ſacro Diaconatus initiato: qui ob minas illatas fœminæ nuptæ videtur irregularitatem incurriſſe.

SVMMARIVM.

31 *Relato prius caſu quæſtionis, reſpondetur affirmatiuè; ſcilicet dictum Clericum incurriſſe Irregularitatem ex homicidio caſuali.*

32 *In hoc quod eſt incurrere in homicidium, pares ſunt minans, atque conſulens & mandans.*

33. *Percutiens fœminam, ex qua percuſſione ſequitur abortus fœtus iam animati, non intentus à percutiente, ex communi ſententia manet Irregularis.*

CAſus quidẽ fuit quod iſte Clericus carnaliter cognoſcebat quandã fœminã nuptam,

&c.

& Zelo commotus ex suspicione quam habuit, quod illa alium tertium adamaret, illam comminatus est, dicens se reuelaturum fore eius lasciuiam marito; quod illa timens muliebri fragilitate ait; si id feceris, illicò me veneno sumpto sum occisura, statimque emptum venenum ostendit Clerico, dicens: isto veneno me sum occisura si marito reueles hanc fragilitatem. Tunc Clericus imprudenter & temerariè persistens in dictis comminationibus, dixit; faciam sine dubio, & ad puerum præsentem eiusdem mulieris filium, aut nisallor famulum, ait: Vade puer, dic patri, vel Domino tuo hæc & hæc &c. illáque assumpto veneno mortem intra duos dies incurrit. Inquiritur, an iste Clericus incurrerit irregularitatem?

31 Respondeo † incurrisse quidem irregularitatem ex homicidio casuali dumtaxat; quia procul dubio per minas istas imprudentes fuit causa saltem indirecta homicidij istius mulieris, dans operam rei illicitæ; & aliàs præuidens causam seu periculum probabile mortis futuræ, quam debuit & potuit præcauere ac vitare, & noluit; ergo homicidium secutum fuit illi voluntarium saltem indirectè, ac per consequens contraxit irregularitatem ex
32 homicidio casuali. Secundò probatur: nam † in hoc quod est incurrere in homicidium, pares sunt minans, atque consulens, & mandans; nam vterque moraliter mouet, & quandoque minans efficacius, maximè respectu personarum quæ timidæ & pauidæ sunt, cuiusmodi sunt mulierculæ. Sed mandans (& eadem ratio est de consulente, vt bene probat Suarius *tom. 5. de censuris disp. 45. sect. 2.*) quando mandat non directè homicidium, sed aliam actionem iniuriosam seu indebitam, ex qua tamen cum effectu sequitur homicidium, incurrit irregularitatem; quia licet excusetur ab homicidio voluntario seu directè volito, nequaquam tamen excusatur ab homicidio indirectè volito: ex *cap. finali de homicidio in 6.* vbi decernitur, quod mandans percussionem ex qua sequitur homicidium, etiamsi cum limitatione mandatum dederit, & excludendo homicidium, & mandatarius imperium excesserit; cuius causam reddit textus ille: *cum mandando in culpam fuerit*: quasi dicat, ideo imputari mandanti tale homicidium, quia mandans dedit operam rei illicitæ, iniustam percussionem mandando.

Tertiò probatur etiam à simili desumpto ex
33 illo † qui percutit, ex qua percussione sequitur aborsus fœtus iam animati non intentus à percutiente, quem communis sententia tenet manere irregularem: & verior sententia sustinet hanc irregularitatem esse ex homicidio casuali: quam tuentur Nauarrus *in Manuali cap. 27. num. 240.* & Suarius *sect. citata contra Caietanum 22. quæst. 64. art. vltimo ad 2.* habétque fundamentum in D. Thoma *in eadem solutione ad 2.* Sed eadem ratio videtur esse de illo, qui minis aut metu graui premeret & affligeret prægnantem, ex qua afflictione sequeretur aborsus: ergo pariter iste maneret irregularis ex homicidio casuali: ergo & ille qui minis ita comprimit & affligit mulierem vt se interimat, quando ipsa aliàs testatur se ob talem afflictionem fore interempturam: vt contigit in specie nostri casus. Quartò potest etiam probari nostra assertio ab alio simili, de illo scilicet qui fugientem detinet ne fugiat, cum periculo quod ab alio occidatur: de quo verior sententia tenet, quod manet irregularis, si ita detentus ab alio occidatur. De quo casu videndi sunt Syluester *in summa* v. *homicidium* & Suarius, *in dicta sect. 2. num. 2.* cuius rationem reddunt, quod qui sic detinet fugientem vt ab alio feriatur, non minus influit in mortem quàm qui percutit: sed iste etiam si non intendat nec præuideat mortem, manet irregularis ex homicidio casuali secuto ex eius percussione; ergo & ille. Tunc vltra, sed non minus influit in mortem qui minis prouocat pauidum ac timidum vt se interimat, quàm qui detinet vt ab alio percutiatur leui percussione; ex qua tamen detentione secutum fuit homicidium: ergo habemus intentum.

CASVS IX.

De quodam Studente inuento in iocosa armorum contentione, ex qua Ioannes iocosè percussus à Paulo interiit: Inquiritur an iste Studens qui Paulum comitabatur, manserit irregularis?

SVMMARIVM

34 *Paulum mansisse Irregularem, non autem eius socios, duplici argumento probatur.*

34 Respondeo † Paulum quidem mansisse irregularem, sed non eius socios. Prima pars probatur, quia Paulus fuit incautus & negligens iocator, excercens actionem periculosam de se, qualis fuit præstringere Ioannem cum ense nudo & acuto, per regulam de incauto percussore etiam dante operam rei licitæ: quam communiter tradunt Doctores & colligunt ex *cap. presbyterum*, & *cap. continebatur*, *de homicidio*; & expédit Suarius *tomo de censuris disp. 45. sect. 5.* Deinde Secunda pars probatur, quia reliqui socij non fuerunt cooperati ad homicidium, de cuius authore certò constat ex processu, vtpote cùm non fuerint socij in rixa vera: de quo idem Suarius *sect. 3.* Vnde iudex Ecclesiasticus debet declarare Petrum ac reliquos socios immunes ab irregularitate, aut ad melius & pro maiori securitate conscientiæ, in cuius foro semper tutior pars est eligenda, dispenset Diœcesanus cum Petro iuxta facultatem sibi concessam à Tridentino *sess. 24. cap. 6.* ad dispensandum in qualibet irregularitate ex delicto occulto prouidente, (excepta illa quæ prouenit ex homicidio voluntario) ac proinde etiam in ista quæ ex casuali homicidio & occulto processit, si quæ processit.

CASVS X.

De quodam religioſo Dominicano, qui alium Fratrem eiuſdem Ordinis extra Conuentum moribundum inuenit, & contra Medici iudicium, eum in curru impoſuit & miſit ad Conuentum, quò perueniens ſtatim mortuus fuit: Inquiſitum eſt; vtrum infirmum moribundum tali periculo exponens ſcilicet ictibus currus, ex quo eius mors accelerata fuit, contraxerit irregularitatem ex homicidio caſuali?

SVMMARIVM.

35 *Duæ regulæ aſſignantur à Caietano de homicida caſuali, dante operam rei licitæ.*

36 *Ex quibus infertur dictum Religioſum incurriſſe irregularitatem, & etiamſi res dubia eſſet, in foro tamen conſcientiæ habendum pro irregulari, & à celebratione Miſſæ debere abſtinere, vſque ad obtentam diſpenſationem.*

35 ℣ Eſpondeo affirmatiuè † propter duas regulas aſſignatas à Caietan. 2. 2. *q.* 64. *art.* 8. de homicida caſuali dante operam rei licitæ. Prima eſt, quod tunc imputatur homicidium in huiuſmodi negotio, quando non adhibet diligentiam, quæ à communiter prudentibus emanare conſueuit. Secunda eſt, quod ſi actio eſt periculoſa ex ſuo genere, maior diligentia adhibenda eſt, ne operanti homicidium imputetur: illa ſcilicet quæ apponit debitas circunſtantias, cum quibus actus honeſtetur, & ſine quibus opus redderetur illicitum ob periculum imminens: cuiuſmodi eſt tenere ſecum infantes teneros in lecto: aut voluere infirmum moribundum ſine prudentia & debita cautela. Sed à dicto Religioſo nec fuit adhibita communis diligentia circa hunc infirmum, cuius ſignum eſt quod illum currui & famulo credidit contra Medici conſilium; & aliàs actus de ſe eſt periculoſus: nimia enim commotio currus de ſe periculum mortis affert infirmo, maximè debili & iam morti appropinquanti:
36 ergo † irregularitatem ex homicidio caſuali contraxit. Imo ſi res dubia eſſet, adhuc habendus eſſet pro irregulari in foro conſcientiæ, & abſtinere ſe deberet à celebratione Miſſæ, vſque ad obtentam diſpenſationem: mitius tamen Prælatus in foro externo ſe deberet habere cum eo. Ratio primi eſt regula iuris; in dubiis tutior pars eſt eligenda ſcilicet quoad forum animæ: Ratio vero Secundi eſt alia regula iuris; ſcilicet in dubiis mitior pars eſt eligenda, ideſt quoad forum iudiciale.

CASVS VLTIMVS

De Sacra Communione: An liceat eam dare fidelibus in Paraſceue & ſabbato ſancto?

SVMMARIVM.

37 *Pars affirmatiua huius quæſiti communiter à Doctoribus recepta, triplici argumento probatur.*

38 *Pluribus in locis poſitiua conſuetudo obſeruatur porrigendi Sacram Euchariſtiam in die Veneris Sancti.*

39 *Nulla eſt prohibitio Eccleſiæ Sacram Euchariſtiam porrigendi fidelibus in die Paraſceues & Sabbati Sancti.*

40 *Referuntur tria Ceremonialia Authentica à Romana Eccleſia ſemper obſeruata.*

℣ Vadetur pars negatiua, tum conſuetudine in Eccleſia recepta non dandi Sacramentum Euchariſtiæ fidelibus hiis duobus diebus: tum etiam Eccleſiaſtica prohibitione in *Canone Sabbato, de conſecratione, diſtinct.* 3.

Sed † pars affirmatiua præterquam quod eſt communiter à Doctoribus recepta, de quorum numero ſunt Bibliotheca veterum Patrum *tomo* 15. *in libro de ritibus*, Ioannes Bellet Pariſienſis *in expoſitione diuini officij c.* 44. Durandus *in ſuo Rituali lib.* 6. *cap.* 75. Bellarmin. *lib.* 4. *de Euchariſtia cap.* 24. Suarius *tomo* 3. *diſp.* 80. *ſect.* 2. Valent. *tom.* 4. *quæſt.* 8. *punct.* 5. § 8. Siluius 3. *p. quæſt.* 8. *art.* 4. Vaſquez *tom.* 3. *diſp.* 32. *cap.* 2. Sà verbo *Euchariſtia num.* 14. Sanderus *de viſibili Monarchia Eccleſiæ lib.* 7. Ledeſma *tom.* 1. *cap.* 14. *q.* 1. Sanchez *in quæſtionibus practicis, diſp.* 22. *num.* 20. Laiman *lib.* 5. *tractat.* 5. *de Euchariſtia cap.* 4. Villalobos *tomo* 1. *tract.* 8. *diffic.* 20. & alij quam plures, quos breuitatis cauſa omittimus recenſere. Suadetur Primò, quia licet in nulla Prouincia aut Eccleſia ſit conſuetudo communicandi hiis duobus diebus, iſte non vſus non infert conſuetudinem poſitiuam & prohibitiuam miniſtrationis Euchariſtiæ, ſed ſolùm negatiuam quæ nihil operatur: eò quòd negatio inualida & inefficax eſt ad introducendam legem ſeu prohibitionem. Tum etiam quia diſſuetudo ſeu non vſus dumtaxat fuit introducta, ex eo quod regulariter omnes fideles ſumunt Sacram Communionem in die antecedente, ſcilicet feria 5. & aliàs non eſt in vſu quotidiana communio: aut etiam ob ingentem illorum duorum dierum occupationem, & ſacrorum officiorum ſolemnitatem, cum qua Miniſtri Altaris ne Sacram Communionem porrigant fidelibus, impediuntur; ergo. 3

Secundò, quia † pluribus in locis poſitiua 38
conſuetudo obſeruatur porrigendi Sacram Euchariſtiam in die Veneris Sancti. Ita obſeruari in tota Germania, teſtatur Adamus Tannero *q.* 10. *dub.* 7. nec non in aliquibus noſtræ Hiſpaniæ Parochiis & religionibus antiquis id ipſum obſeruari, aut hucuſque fuiſſe laudabiliter obſeruatum, probat Sanchius *vbi ſupra* citatus. Huic accedit conſuetudo contraria poſitiua

ſitiua Eccleſiæ, quæ in vſu habuit à principio, imo & præcepit fidelibus quotidianam communionem: quod præceptum impoſuit Anacletus *cap. peracta, de conſecratione d.* 1. hic autem vſus & præceptum durauit in Romana Eccleſia atque in noſtra Hiſpania vſque ad tempora Hieronymi, teſtatur ipſe *in Epiſtola ad Luciniũ & in Apologia ad Pamachium*, & cum rigore obſeruati in dictis tribus diebus ſcilicet Feria V. Paraſceue, & Sabbato Sancto, conſtat ex Annalibus ritualibus *infra* citandis : ſpecialitérque in vſu fuiſſe Sacram communionem Feria VI. Paraſceues temporibus Sancti Dorothei, teſtatur Floretius *in quodam ſermone de mendacio*, Bibliothecæ veterum Patrum *tom.* 4. *folio* 779.

39 Tertiò; quia † nulla extat prohibitio Eccleſiæ Sacram Euchariſtiam porrigendi fidelibus hiis duobus diebus, nimirum Paraſceues & Sabbati Sancti. Nam in dicto *cap. Sabbato*, non prohibetur miniſtratio, ſed ſolùm celebratio Euchariſtiæ, vt patet ex verbis contextus *dicti cap.* deſumptis ex *Epiſtola* 24. Innocentij I. electi anno 420. & ex *Concilio Arauçicano* 1. (quo tempore vigebat vſus porrigendi fidelibus Euchariſtiam in die Sancto Paraſceues) quæ ſic habet : *Traditio Eccleſiæ habet, quod biduo iſto Veneris & Sabbati Sancti Sacramenta penitus non celebrari, &c.* Ex quibus liquidò conſtat non prohiberi miniſtrationem & porrectionem Euchariſtiæ, niſi tantùm celebrationem & illius conſecrationem. Vnde poſt editum hoc decretum Eccleſia permiſit ac iuſſit populum Chriſtianum hiis duobus diebus Sacram ſumere communionem, vt conſtat ex *Concilio Arauçicano* 2 anno 524. celebrato, & ex † tribus Cæ-
40 remonialibus authenticis quæ Eccleſia Romana obſeruauit & coluit, & quibus ſemper eſt vſa vſque ad hoc nouiſſimum, quod in præſentiarum obſeruat. Primum fuit Cæremoniale Gelaſij I. Papæ electi anno 442. in quo cunctas à temporibus Apoſtolorum Eccleſiæ traditiones ac ritus collegit. Secundum fuit Cæremoniale dictum Sacramentarium, ſeu dictum liber Sacramentorum, in quo Gregorius I. electus anno 600. plures Cæremonias collegit, quaſdam ex libro Gelaſij reformans, & alias nouas ſuperaddens, in Rubricáque Feriæ V. ſanctæ ſic habet : *Communicet omnis populus, ſeruet de ipſo Sacrificio in craſtinum, vnde communicent*: & in Rubrica Veneris Sancti ait; *& communicant omnes cum ſilentio.* Tertium Cæremoniale fuit dictum, ordo Romanus de diuinis Catholicæ Eccleſiæ officiis, ab vniuerſali Eccleſia receptum & ordinatum, anno 800. in cuius Rubrica & annotatione circa Feriam V. hebdomadæ Sanctæ habetur ſic : *Communicet omnis populus, & Sacerdos ſumat oblatas integras ad ſeruandum vſque mane in die Paraſceues, de quibus communicent.* Et in annotatione Veneris Sancti ait, *& communicant omnes cum ſilentio* : habetúrque iſte ordo Romanus *tom.* 8. *Bibliothecæ veterum Patrum folio* 841. cuius & mentionem facit Abbas Alcuinus, dicens : reſeruandum eſt de corpore Domini ad communicandum in Paraſceue : fuiſséque receptum à tota Eccleſia & in noſtra Hiſpania conſtat, tum ex Concilio Romæ celebrato à Gregorio VII. anno 1034. & 1081. Ex quibus patet ad rationem dubitandi pro parte negatiua, neque conſuetudine neque lege Eccleſiaſtica hiis diebus Sacræ communionis vſum prohiberi.

QVÆSTIO XXXII.

In qua plures caſus de iure patronatus, atque de Regularibus reſoluuntur.

DIFFICVLTAS I.

De iure patronatus in qua aliqui caſus reſoluuntur.

SVMMARIVM.

1 *Reſoluitur caſus de Duce Oſſunæ Patrono Academiæ Oſſunæ; Vtrum ex vi Bullæ cuiuſdam Summi Pontificis poſſit facere conſtitutionem de auferendo aliquam partem redituum Collegij, & illam applicare Vniuerſitati, & econtra?*

2 *Reſoluitur alius caſus de rege Catholico Philippo IV. An poſſit poſtulare à Summo Pontifice, vt Eccleſiam Collegiatam ciuitatis Calataiud erigat in Cathedralem cum Epiſcopo, aut etiam ſine illo?*

3 *Vtrum Patronus legati relicti pro nubendis fœminis orphanis, poſſit illius partem aliquotam dare vni fœminæ orphanæ pro aſſumendo ſtatum Religionis?*

4 *Vtrum idem Patronus ſimilem quantitatem eiuſdem delegati poſſit diſtribuere fœminis, quæ habent parentes pauperes, qui eas alere congruè non poſſunt.*

5 *Refertur ratio, quæ pro primo quæſito ſententiam affirmatiuam tuetur.*

6 *Patronus non poteſt ſine diſpenſatione diſtribuere legati huius portiones puellis habentibus parentes pauperes, relictis aliis verè orphanis.*

7 *Refertur caſus de puella dotata à Patrono legati pij, cum conditione vt nuberet intra biennium, poſt cuius nuptias, ad mariti inſtantiam matrimonium declaratur à Iudice ordinario nullum: Inquiritur an mortuo marito habeat ius ad dotem?*

8 *Alius caſus de legato pio relicto pro redimendis captiuis Regni Toleti; Vtrum poſſit iſtis deficientibus applicari vna vice pro redimendis Fratribus Franciſcanis captiuis, qui nullius ſunt domicilij?*

CAsvs † primus eſt de Duce Oſſunæ, qui cum ſit patronus Academiæ Oſſunæ in Vandalia, ex vi Bullæ, in qua datur ei à Summo Põtifice ius talis patronatus, & ſimul facultas ad quascumque conſtitutiones de nouo faciendas, & antiquas abrogandas : Inquiſiuit vtrum poſſit facere conſtitutionem de auferendo aliquam partem reditum applicatorum Collegio, & illam applica- 1

re Vniuerſitati : aut econtrà? Reſpondetur negatiuè, id eſt nequaquam poſſe Excellentiſſimum Ducem Oſſunæ ex vi dictæ Bullæ & facultatis ipſi in illa conceſſæ, condere conſtitutionem, qua ſtatuat de reditibus applicatis Collegio, aliquam partem deinceps applicandam fore Academiæ, aut econtra. Ratio huius reſpõſionis eſt, quia talis cõſtitutio eſſet iniuſta & irrationabilis, ad quã proinde nõ datur ei facultas in Bulla Pontificia: & id poſſumus quod iure poſſumus : ergo. Tum etiã quia tales reditus appropriati ab initio fundationis ipſi Collegio ſunt Eccleſiaſtica bona, ſicut etiam & applicati Academiæ, atq; eius Cathedris; ergo neque Collegium in fauorem Academiæ, neque Academia in fauorem Collegij poteſt parti cedere, aut etiam alienare ; ſiquidem bona Eccleſiaſtica propria authoritate à poſſidente alienari non poſſunt : ergo neque poteſt Collegium tali ſtatuto de alienatione alicuius partis redituum ſibi applicatorum conſentire.

2 Caſus † ſecundus eſt de Rege noſtro Catholico Philippo IV. An poſſit poſtulare à Sũmo Pontifice, vt Eccleſiam Collegiatam ciuitatis Calataiud in regno Arragoniæ erigat in Cathedralem cum Epiſcopo, aut etiam ſine illo ? Reſpondetur concluſione bimembri ; nimirum non poſſe quidem in caſu primo ſcilicet cum Epiſcopo : bene autem in ſecundo, ſcilicet quod talis erectio fiat ſine Epiſcopo. Prima pars huius aſſertionis ſuadetur Primò, quia quod non licet facere, neque licet petere. Sed non licet facere hanc erectionem cum Epiſcopo, cum ſit in iniuriam tertij, hoc eſt Eccleſiæ Tarraconenſis, atque eius Epiſcopi Diœceſani : ergo. Secundò quia licet hæc erectio ſit quædam gratia & priuilegium, quam proinde Summus Pontifex de potentia ſua abſoluta condere poteſt : non tamen licitè & iure poteſt : quia nunquam præſumitur Papa velle conferre priuilegium alicui cum damno & iactura alieni iuris; *ex cap. ex tuarum, de authoritate & vſu Pallij*, & *cap. licet, de officio Ordinarij*, & *cap. licet de tranſlation* ; & quia id ſimpliciter & moraliter poſſumus quod iure poſſumus, &c. Tertiò quia hæc eſt nouitas, quæ proinde intentari nec poteſt, nec debet ſine euidenti & vrgenti neceſſitate aut vtilitate, argumento *ex c. cum conſuetudinis, de conſtitutionibus* : vbi dicitur conſuetudinis & vſus longæui non eſt vilis authoritas, & nouitates plerumque pariunt diſcordias: & *ex cap. quis neſciat d.* 11. vbi id ipſum habetur : & ex illo axiomate Hippocratis. *Omnes mutationes periculoſæ :* quod allegat Ioannes Andreas *in dicto cap. cum conſuetudinis :* & notat Nauarr. *lib.* 3. *conſiliorum conſilio* 2. Huiuſmodi autem neceſſitas atque vtilitas non repræſentatur ex parte dictæ ciuitatis aut Eccleſiæ Calataiud; ergo. Quartò, nam poteſt Eccleſia Cathedralis Tarraconenſis voce magna clamare illam regulam iuris : *Id quod noſtrum eſt, ſine conſenſu noſtro auferri non poteſt : ff. de regulis iuris.* Vltimò quia indecens eſt Regem Catholicum poſtulare quod fortè denegabitur à Summo Pontifice : quod ſi non denegatur (quia preces Principum ſunt armatæ) iam cooperabitur ſuis precibus damno alterius, ac proinde non excuſabitur : nam qui damni cauſam dat, damnum quoque feciſſe videtur : ergo.

Deinde Secunda pars, nimirum quod ſi erectio facienda ſit ſine nouo Epiſcopo liceat; ſuadetur Primò, quia minoris difficultatis eſt, & ex cauſa rationabili atque ex vtilitate euidenti facilis eſt à Summo Pontifice, & poſtulabilis eſt à Rege Catholico. Secundò quia corroboratur duobus exemplis, nimirum Eccleſiæ Vbedæ, & Eccleſiæ Sancti Dominici de la Calzada ; quarum altera reſpectu Epiſcopatus Gienenſis, & altera reſpectu Epiſcopatus Calligurritani, erecta eſt in Cathedralem ſine nouo Epiſcopo: ergo ob rationabiles cauſas, etiam poteſt erigi ſimiliter Eccleſia Calataiud in Cathedralem ſine nouo Epiſcopo. Cognitio autem, & iudicium cauſæ motiuæ & vtilitatis ſoli Pontifici competit, cuius eſt talem gratiam concedere. Exiſtimóque cauſas allegatas pro Eccleſia Calataiud eſſe ſufficientes ; nimirum quia illa ciuitas ſeruit Regi Catholico cum donatiuo, quia eſt opulenta ; & Eccleſia abundat reditibus & Canonicis competentibus in numero ac facultatibus. Et ſicut Summus Pontifex hanc gratiam iſto ſecundo modo licitè poteſt facere : ita & Catholicus Rex poteſt illam petere : nam id licitè poſſumus petere à Superiori, quod licitè ab illo fieri poteſt.

Hinc reſoluitur caſus alius de † patrono legati relicti pro tradendis fœminis orphanis ſtatui matrimonij, ſeu pro illis nubendis: Nunquid poterit illius partem aliquotam dare vni fœminæ orphanæ pro aſſumendo ſtatum Religionis ? v.g. reliquit in hac ciuitate Salmantina, quidam vir nobilis legatum pium quingentorum ducatorum ſingulis annis diſtribuendorum, ſub hac forma : vt ſingulis fœminis vitæ probatæ volentibus nubere, & ad effectum nubendi, dentur centum ducata : Vna ex hiis fœminis habens aliàs ius ad iſtam quantitatem centum ducatorum, non vult nubere carnaliter, vult tamen nubere ſpiritualiter, & Chriſtum ſponſum ſibi aſſumere in aliqua religione ; Inquiſiuit Patronus, Vtrum poſſit huic fœminæ partem iſtam aliquotam legati pij conſignare, vt nubat Chriſto in religione. Inquiſiuit Secundò † Vtrum poſſet ſimilem quantitatem eiuſdem legati diſtribuere fœminis, quæ habent parentes pauperes qui eas alere congruè non poſſunt, maximè ſi de præſenti non compareant Orphanæ ? 3 4

Ad † primum quæſitum reſpondetur affirmatiuè, contra ſententiam Baldi & aliorum Iuriſtarum negantium. Et probatur, quia nomine nuptiarum & matrimonij etiam veniunt intelligendæ nuptiæ ſpirituales, & profeſſio ſolemnis, quæ eſt matrimonium ſpirituale ac melioris conditionis quàm carnale, quod proinde non cenſetur excluſum per dictam clauſulam: ergo ſine diſpenſatione poteſt Patronus illam partem centum ducatorum conſignare puellæ orphanæ, volenti ingredi religionem & in illa profiteri : neque enim agit contra vltimam Fundatoris voluntatem, quæ ex vi dictæ clauſulæ etiam ad matrimonium ſpirituale profeſſionis extenditur. Neque contra ius aliarum puellarum volentium nubere carnaliter ; nam vnaquæque illarum tantum habet ius adquiſitum ad vnam partem aliquotam, ſcilicet centum ducatorum, quæ non minuitur ex portione quam iſta recipit ; neque enim portio iſtius ingreditur in portiones aliarum aut illas minuit, 5

ſed

sed cum sit ab illis separata, sine illarum præiudicio huic confertur, vt nuptias carnales in spirituales permutet.

Ad secundum quæsitum respondeo negatiuè, id est non † posse patronum sine dispensatione distribuere legati huius portiones puellis habentibus parentes pauperes, relictis aliis verè orphanis, id est orbatis parentibus: eò quòd istæ non sunt verè orphanæ cum habeant parentes: legatum autem est relictum pro verè orphanis dumtaxat: ergo. Rursus quia illæ quæ sunt orbatæ parentibus, habent ius adquisitum ad tale legatum, secundum omnes eius partes ac portiones: ergo distributio facta puellæ habenti parentes, fit cum præiudicio & iniuria alterius, quæ habet ius adquisitum ad eandem portionem quod licitè fieri non potest. Cum dispensatione autem bene potest fieri talis distributio ex rationabili causa: quam dispensationem possunt facere in huiusmodi legatis Episcopi Diœcesani, vt Legati Summi Pontificis, ex Concilio Tridentino *sess. 22. cap. 6.* Pro cuius exacta declaratione videndus est Molina *tract. 2. de iustitia disp. 173. & 174.* vbi docet, dispensationes defunctorum morte confirmatas, neutiquam posse per Principem secularem aut Prælatum Ecclesiasticum rescindi aut mutari; cum sit in præiudicum alterius qui ius ad legatum adquisiuit, cum illis conditionibus cum quibus testator disposuit: & oppositum est contra septimum Decalogi præceptum. Qua ratione neque vllus Princeps potest facere contra vltimam voluntatem testatoris: vt si testator reliquit maioratum vitis, nequit Princeps ad id habilitare fœminas, nisi postea condat legem in sua ditione aut regno, vt fœminæ non excludantur à maioratibus: sic enim bene potest labefactari dispositio testatoris. Cum hoc tamen stat, quòd solus Papa, & ob rationabilem causam etiam Princeps secularis suprema fungens potestate, possit commutare legata pia, vt in specie nostri casus, non quidem agendo contra vltimam testatoris voluntatem, sed eam prudenter interpretando *ex allegato capit. 6. Concilij Tridentini*, quam proinde interpretationem & commutationem atque dispensationem, vt talis fiat commutatio à Patronis, possunt facere Episcopi, non vt Ordinarij, sed vt delegati Papæ: ex quo infertur quod huiusmodi facultatem aliis delegare non possunt: nam delegatus subdelegare non potest.

7 Casus quartus est de † quadam puella dotata à patrono legati pij, in quantitate centum aureorum, v.g. sub hac conditione quod nuberet intra biennium; & postea disponit Testator, quod marito detur dicta quantitas dotationis: Ista nupsit Petro, sed postea ad eiusdem mariti instantiam matrimonium declaratur à Iudice ordinario nullum, maritóque iam vita functo, illa in viduitate manens petit dictam quantitatem dotationis: Inquiritur an habeat ius ad huiusmodi quantitatem, quam proinde teneatur Patronus de iustitia ipsi consignare? Respondetur affirmatiuè: quia iam ista puella impleuit conditionem testatoris, quantum est de se, nubendo scilicet in facie Ecclesiæ & intra biennium consignatum. Tum etiam, quia sicut hoc matrimonium bona fide contractum & consummatum, sufficiens est vt filij procreati ex illo censeantur legitimi: ita est sufficiens ad lucrandam dotem. Neque obstat clausula illa, quod dos siue legatum tradatur marito, propter duo: tum quia mortuo marito vxor relicta, quoad hoc gerit vices ipsius, ac proinde potest petere quod ille non petiit viuens; aut quia morte præuentus fuerit; aut quia ante petitionem legati à matrimonij vinculo fuit solutus. Tum etiam, quoniam hæc conditio apposita fuit in testamento, ad hoc vt constaret de matrimonij contractu inito; sed iam constitit de illo sufficienter per notorietatem facti: ergo. Dixi *bona fide*: nam secus censendum foret, si fœmina ista nuberet Petro fraudulenter, & cum scientia nullitatis matrimonij; tunc enim nec ipsa dictam dotationem iure petere posset.

Casus quintus † de legato pio relicto pro redimendis captiuis Regni Toleti v. g. Vtrum possit istis deficientibus applicari vna vice pro redimendis fratribus Franciscanis captiuis qui nullius sunt domicilij? Respondeo huiusmodi applicationem posse fieri pro vna vice & in vna aut altera occasione, quando adest rationabilis causa, ex parte rei & cum licentia Episcopi Diœcesani: aut quando legatum commodè impleri non potest. In specie autem nostri casus adest causa rationabilis in fauorem religionis Franciscanæ: & alias legatum impleri non potest, ob defectum captiuorum ex eodem regno: ergo potest dicta commutatio fieri de licentia Diœcesani; vt resoluunt Syluester, verbo *legatum* 4. q. 12. & 13. Vazquez *tract. de testamentis cap. 8. dub. 3.* Beza 4. *p. casu* 22. Naldus verbo *legatum, num.* 12. & Bonacina *disp. 3. de contractibus q. 17. p. 8. §. 4.* Vltra licentiam Diœcesani requiritur etiam consensus Ecclesiæ, in cuius fauorem relictum est legatum. Quod amplius confirmatur: nam ad faciendam commutationem legati pij relicti pro vno fine in alterum finem pium, quando adest causa rationabilis, habet Summus Pontifex authoritatem tanquam supremus Princeps Ecclesiasticus: cuius esse vltimas voluntates interpretari, & etiam pro rationabili causa cõmutare, diximus *supra*, etiamsi talis commutatio fiat in perpetuum: ac proinde de eius licentia atque cum eius dispensatione potest fieri talis commutatio in perpetuum: sed etiam Diœcesani habent facultatem dispensandi in huiusmodi legatorum piorũ distributione pro vna aut altera vice, tanquã Legati Pontificis ex *ibidem* adducto loco Cõcilij Tridentini: ergo pariformiter de eorum licẽtia, ob rationabilem & iustam causam ex parte rei ipsius, poterit legatum relictum pro vno pio fine, distribui pro altero, vt proponitur in specie nostri casus. 8

DIFFICVLTAS II.

De Regularibus, in qua plures casus veniunt resoluendi.

SVMMARIVM.

9 *Vtrum vouens strictiorem Religionem ingredi v. g. mendicantium, satisfaciet voto, si monachalem aliquam religionem ingrediatur*

tur & profiteatur in ea?

10 *An vouens determinatam Religionem ingredi, quam semel ingressus ex tentatione Dæmonis reliquit, &c. maneat liber à voto?*

11 *Vtrum possit Nouitius nouitiatum inchoatum in vno Conuentu, continuare in alio?*

12 *Ad quæsitum respondetur affirmatiuè, & duplici ratione probatur.*

13 *Inquiritur, quisnam potest cum Religioso volente transire ad laxiorem Religionem dispensare.*

14 *Resolvitur casus de commissione Præsidis S. Hieronymi ad præsidendum electioni Generalis quæ fit in Conuentu S. Bartholomei: An simul præter commissionem Nuncius Hispaniæ concedat ei facultatem cogendi octo Diffinitores, vt approbent & confirment electionem Conuentus, &c.*

15 *Resoluitur alius casus etiam materiam electionis concernens.*

16 *Vtrum Moniales de la laura Vallisoletano possint petere dispensationem à Summo Pontifice in conditionibus relictis à Fundatrice?*

9 PRIMVS est de Petro, qui † vouit strictiorem religionem ingredi v. g. mendicantium, & profiteri in illa; nunquid iste satisfaciet voto, si monachalem aliquam religionem ingrediatur & profiteatur in ea? Respondetur minimè satisfacere: eò quòd det minus Deo quàm promisit: Vnde peccat mortaliter contra votum, licet professio emissa sit valida: quia votum primum fuit tantùm simplex, quod subsequens solemne irritat. Si tamen iste emisisset tantùm votum de ingrediendo religionem vt sic: si animo determinatè profitendi in strictiori, reuera voto satisfacere profitendo in monachali. Hinc inferunt bene Azorius *lib.* 11. *summæ moralis cap.* 23. *q.* 12. & Sanchez *lib.* 4. *summæ cap.* 16. *n.* 16. nec per Bullam Cruciatæ posse primum votum de strictiori religione commutari in monachatum, eò quòd per Bullam non potest commutari votum maius in illud quod est minus, nisi tantùm in id quod æquale est: votum autem istud prius de Religione est, & maius quàm profiteri in religione laxiori, scilicet monachali: ergo nequit illud pro isto commutari.

Secundus est de quodam alio Studente, qui
10 vouit tale monasterium, aut † determinatam religionem ingredi & profiteri in illa, quam semel ingressus reliquit, ex tentatione dæmonis, aut mundi. Postea repetiens habitum à Prælatis Conuentus, accepit repulsam: Inquiritur an maneat liber à voto? Respondetur, quod aut iste taliter vouit hanc religionem determinatè, vt materia voti fuerit sola Religio hæc, siue habitatio & permanentia in hoc Conuentu: & tunc videtur quod maneat liber, itavt etiam possit nubere si velit. Aut materia voti fuit esse Religiosum vt sic, ita vt indiuiduatio huius religionis, siue Conuentus fuerit conditio concomitans, aut partialis materia, & non totalis, & tunc non manet liber nisi in aliis duobus, aut tribus Conuentibus aliarum religionum habitum petat, qui si manifestando priorem inconstantiam & fragilitatem ab eis repulsam reportet, liber omnino à voto manebit.

Tertius est de quodam Nouitio Sancti Hieronymi, qui in Conuentu Salmantino vult continuare nouitiatum inchoatum in Conuentu Sancti Leonardi Albani, quem propter incendium deseruit religiosorum maior pars: de
11 quo inquisitum fuit à me; † Vtrum possit iste Nouitius nouitiatum inchoatum in vno Conuentu continuare in alio? Ratio autem dubitandi pro parte negatiua est, quia iure particulari huius sanctissimæ religionis Hieronymianæ Nouitij profitentur pro sua domo, in qua habitum recipiunt: vnde in illa sola habent vocem actiuam in electionibus, & professionem faciunt, solis Prioribus Conuentuum nominatim expressis; ergo ita appropriari videtur Nouitiatus singulis domibus, vt inceptus in vna non possit in alia continuari.

Sed hac ratione non obstante † respondeo
12 affirmatiuè, id est posse dictum Nouitium Sancti Leonardi, continuare nouitiatum in Conuentu Salmantino, sine repetitione temporis anteacti in priori Conuentu; nec non sine repetitione propositionum, quibus ibi fuit propositus singulis quatuor mensibus iuxta eiusdē ordinis leges. Ratio prima huius est: quia de iure communi (cui nulla religio particularis derogare potest, aut solet) tres tantùm conditiones ad integritatem & valorem nouitiatus & anni probationis requiruntur; scilicet annus integer supra decimum quintum expletum: & continuus, & cum retentione habitus ordinis: ergo cū istis solis tribus conditionibus petitis à iure communi, saluatur in hoc Nouitio, integritas nouitiatus, etiamsi desit permanentia in eodem Conuentu, vtpote quæ non est conditio à iure communi petita.

Secunda ratio est: quia, *quod Patrum sanctionibus non est statutum, superstitiosa inuentione non est præsumendum*: argumentum ex Canone *consuluisti* 2. *q.* 4. Sed nullo iure cauetur ista cōditio, scilicet quod per totum annum probationis Nouitius in eodem Conuentu sui ordinis permaneat; ergo. Tertia ratio desumpta ex argumento à fortiori: nam Nouitius exiens extra monasterium cum habitu ordinis, & cum licentia petita Prælati, continuat annum nouitiatus, partim intra & partim extra claustrum: quia sic censetur manere in claustro & sub obedientia, dum exit cum licentia Prælati, iuxta communem & receptam sententiam Panormitani *cap. ex rescripto de iureiurando*. Nauarri *cap. statuimus* 14. *quæst.* 3. Sylvestri verbo *religio* 3. *q.* 14. & Roderici *tomo* 3. *regular q.* 15. *art.* 10. Igitur à fortiori continuat nouitiatum, translatus de vno Conuentu ad alium sui ordinis: quia censetur moraliter potiori iure manere in primo, & sub obedientia eiusdem Prælati, cum seruet easdem leges, & easdem asperitates experiatur? Ex quo patet ad rationem dubitandi, quia ius illud priuatum non obstat: quia professio etiam tacitè fit eidem Generali Priori, etsi non exprimatur, nisi Priori Conuentus. Et quia discrimen illud carendi voce actiua extra suum Conuentum, tantùm est accidentale, ac per consequens non tollit vnitatem formalem religionis, obedientiæ, status legum, ac professionis, &c.

Hinc nonnulli alij casus resoluuntur ad eandem materiam de regularibus spectantes. Primus est † de Religioso volente transire ad
13 laxiorem

laxiorem religionem, qui inquisiuit; qui cum eo posset dispensare? Respondeo posse quidem in huiusmodi transitu cum illo Prælatum ordinarium dispensare, ex iusta ac rationabili causa; Sed quæ sit iusta causa ac rationabilis? declarat Rodericus *tomo 3. regularium quæst. 52. art. 4.* & colligitur ex D. Thoma *22. q. 184. art. 8.* dicens: quod est infirmitas, & moralis impotentia seruandi regulam: maximè quando dispensatio facta cum huiusmodi Religioso aut Moniali, esset inuisa aliis Religiosis eiusdem monasterij: nec non persecutio quam patiatur iste Religiosus ab aliis: maximè cuius ipse non dedit causam, aut semel datæ, iam ipsum pœnituit.

14 Secundus est,† de commissione, quam Illustrissimus Hispaniæ Nuntius concedit Præsidi Sancti Hieronymi, vt præsideat electioni Generalis, quæ fit in Conuentu Sancti Bartholomei de Lupiana: An simul concedat ei facultatem cogendi octo diffinitores, vt approbent & confirment electionem Conuentus, quādo alias electus est persona digna? Respondeo affirmatiuè: si tamen commissio datur verbis absolutis & non restringentibus. Cuius ratio est, quia vbi ius non restringit, nec nos restringere debemus; & quoniam hoc est conforme iuri communi Canonico *in cap. præterea, de officio iudicis delegati.* Vbi Alexander III. sic ait: *quia ex eo quod causa sibi committitur, super omnibus quæ ad causam ipsam expectare noscuntur, plenariam recipit potestatem, &c.*

15 Tertius casus† concernens etiam materiā electionis est inquisitus à Reuerendo nostro Prouinciali. Vtrū electio facta in Conuentu Sancti Ildefonsi Taurēsi veniat cassanda & irritāda; eò quòd non fuit vocatus à Præsidente ad illam quidam Frater ibi assignatus, licet depositatus pro tunc in altero Conuentu intra dictam, scilicet in Conuentu de Tordesillas? Respondeo negatiuè, quia hoc est idem atque inquirere; Vtrum Fratres depositati sint vocandi ad electiones eorum Conuentuum, ad quos dicti Fratres pertinent tanquam assignati? Sed sic est, quod depositati non sunt vocandi ad dictas electiones, neque ad eas pertinent secundum ius nostrarum constitutionum: ergo. Minor probatur duplici argumento. Primò quia depositatus non inseruit Cōuētui suæ assignationis, sed soli Conuentui suæ depositionis: ergo non pertinet ad electionem illius. Hac enim ratione Confessores Monialium non habent vocem actiuam in Conuentibus suæ assignationis, quia illis nō inseruiunt, sed sunt deputati seruitio aliorum Conuentuum scilicet Monialium: Secundò quia aliàs ex vi eiusdem legis daretur bellum iustum ex vtraque parte: nam Suppriorr Taurensis posset vocare dictum Fratrem, quem simul & pro eodem tempore Prior de Tordesillas cuius obedientiæ est subiectus, posset occupare in aliquo negotio sui Conuētus, incompossibili cum præsentia in Conuentu Taurensi: quod non est admittendum: ergo neque illud ex quo sequitur. Licet autem hoc secundùm ius nostrarum constitutionum videatur verum, tamen de facto attenta consuetudine oppositum est in praxi seruandum.

Quartus est pro Conuentu Monialium de
16 la Laura Vallisoletano: Vtrum dictæ † Moniales possint petere dispensationem à Summo Pontifice in conditionibus relictis à Domina Ducissa Fundatrice? quæ eis reliquit sua bona cum istis conditionibus, scilicet vt cantent omnes horas Canonicas, vt non habeant famulas seruitrices, vt non habeant torno, nisi in beaterio adiuncto: & vt non petant dispensationem super hiis: si secus fecerint, legatum deuoluatur ad Moniales S. Bernardi eiusdem ciuitatis?

Respondeo negatiuè quia omnes istæ conditiones sunt honestæ, omnésque proinde sunt validæ, cum nulla illarum sit turpis, neque est de numero earum quæ repelluntur à iure, eò quòd nulla est contra ius aut legem: ergo si petant dispensationem super aliqua illarum, adquiritur ius Monialibus S. Bernardi: nec Moniales de la Laura tuta conscientia possunt legatum sub hiis conditionibus retinere.

DIFFICVLTAS III.

De quibusdam casibus qui se obtulerunt disputandi anno 1630. secundum nostras constitutiones, ob mortem Reuerendi admodum nostri Patris Prouincialis Fratris Didaci de la Fuente: qui morte præuentus officium sui Prouincialatus non perfecit; ad quorum resolutionem Patres Prouinciæ vocati fuerunt à Reuerendo Patre Vicario ad Conuentum Sanctæ Crucis Segouiensis, ibique ab eisdem simul congregatis sequentia puncta resoluta fuere.

SVMMARIVM.

17 *Priores vacare debent finientes triennium suum post mortem Prouincialis.*

18 *An Breue determinans quod Prouincia iuxta ordinationem Capituli Toletani liberè vti possit tali Breui, & socios non eligere, habeat sufficientem valorem, vt possit executioni mandari?*

19 *Soluuntur argumenta pro contraria parte adducta.*

20 *An Capitulum electionis sit anticipandum?*

21 *An Vicarius Gallecia expiret mortuo Prouinciali?*

22 *An possit Vicarius dare assignationes Fratrū?*

23 *Vtrum donati Carmelitarum Discalceatorum sint verè professi solemnium professione votorum?*

24 *Resoluitur casus de quodam Priore ex pecuniis mutuatis emente vineam vtili Conuentui.*

25 *Resoluitur alius casus de Religioso vnius religionis, qui sine licentia bona fide transiuit ad secundam strictiorem, &c.*

26 *Vtrū Religiosus, qui sine charactere Sacerdotali Missam celebrauit, denunciandus sit Iudicibus Tribunalis Sanctæ Inquisitionis?*

27 *Vtrum Generalis Ordinis S. Hieronymi possit impedire, ne Prælati Ordinarij Conuentuum Nouitios ad habitum & professionem recipiant, iubendo vt sic vel sic recipiantur?*

PRIMVM est, quod † Priores vacare debe- 17
bāt finientes triennium suum post mortem

Prouincialis:quod probatur Primò,quia Breue Iulij II. eſt abolitum, vel nunquam fuit receptum à Prouincia noſtra: vel quia ſi fuit aliquando receptum maximè ab anno 1054.vſque ad 1514 in Capitulo Corduuæ antè diuiſionem prouinciæ, & tunc in biennalibus, ſed non in triennalibus Prioratibus: & quia in iſto Capitulo dicitur: acceptamus breue Leonis X.quod fuit confirmatiuum breuis Iulij II. dumtaxat quoad hoc, quod Prouinciales non poſſint reeligi, niſi poſt duplex quadriennium:ergo cum dictio *dumtaxat*, ſit excluſiua, habet has exponentes: acceptamus quoad hoc,& quoad nihil aliud,id eſt neque quoad continuationem Prioratuum, finientium infra Septuageſimam;quia in hoc non fuit vſu receptum;neque ad non reelectionem infra quadriennium,& propter contrarium vſum ob eandem rationem; neque quoad continuationem Prioratuum deſinentium mortuo vel amoto Priore,propter contrariam conſuetudinem. Et quia illud Breue non habet locum niſi in biennalibus, vt detur Capitulum Toloſanum reſpondens prouinciæ Ruſiæ: & meritò, quia hæc eſt materia circa quam,vltra quam non agit lex aliqua Neque obſtat quod dicat Gloſſa *cap.16.d.2.* hoc Breue fere in toto Ordine receptum eſſe:quia intelligitur quoad temporalitatem Prioratuum, ſed non quoad alios caſus,vel per ly *fere* excipitur aliqua prouincia,& hæc eſt noſtra.

18 Secundum punctum fuit; † An Breue quod determinat quod Prouincia iuxta ordinationem Capituli Toloſani liberè poſſit vti tali Breui,& ſocios non eligere,habeat ſufficientem valorem, vt poſſit ſine alio ſupplemento executioni mandari?Reſpondetur affirmatiuè:quia eſt mixtum ex indulto & conſtitutione:ratione primi cum ſit petitum,valet à die conceſſionis, & non indiget conſenſu vel acceptatione:ſicut legatum dat ius abſenti à die diſpoſitionis: ſic Epiſcopus ab ipſo *fiat*, fruitur redditibus, &c. Ratione ſecundi, valet à die promulgationis, per quam lex accipit vltimum complementum, etiamſi abrogans ſit alterius antiquæ;ſicut hæc abrogat noſtram conſtitutionem pro hac prouincia, iuxta *cap.1.de conſtitutionibus in 6.* quia vtraque pendet ex Pontificis voluntate & eſt nota illi, &c. Neque enim melius abrogatur lex antiqua, quàm promulgando contrariam.

19 Rurſus probatur † ſoluendo fundamenta contraria. Primò ſcilicet datur facultas, qua liberè vti poſſit,ergo acceptare & non acceptare: ſed hîc & nunc non eſt facultas refutandi Breue: ergo. Reſpondetur vel admiſſa minori negando conſequentiã,quia Prouincia petens & non retractans petitionem in Capitulo intermedio Beneuentano, ſe neceſſitauit ad non refutandum. Vel negando Minorem, quia Vicarius Prouinciæ hic & nunc poterat non promulgare, ſed ſuſpendere vſque ad Capitulum Prouinciale,in quo Prouincia poſſet refutare. Reſpondetur Secundò, quod illud Verbum, *quo liberè vti poſſet*; intelligitur comparatiuè, id eſt reſpectu Capituli Generalis,id eſt,iã ſine dependentia veſtri Generalis & Capituli,poteritis vti tali Breui: quia habemus vnum Breue acceptatum in Capitulo Burgenſi anni 1558. &c. in quo dicitur,vt nos non obligent Breuia Pontificia, niſi petita à Patre Generali aut acceptata ab illo.

Secundò arguitur: quia Conuentus habent ius mittendi ſuffragium per ſocium: ſed non renunciarunt huic iuri, nec requiſiti fuere:ergo. Reſpondetur hoc non requiri,aliàs vna lex non poſſet abrogare aliam aut conſuetudinem inuitis Profeſſoribus: Conſequens eſt falſum;ergo. Et quia Rex inuitis Studentibus Academiarum, abrogauit ius ſuffragandi in cathedris, cùm tamen lex dicat, *dentur cathedræ ad ſuffragia audientium*: & in noſtro ordine habemus ſimile: quia priuauit voce actiua Diaconos quatuor annorum, & abſtulit iam ſocios & Prioribus ſuffragium in Capitulis intermediis,quando illa reduxit ad vnam congregationem. Et ratio eſt euidens; quia quando ius oritur ex lege poſitiua (ſecus de iure naturali) qui poteſt deſtruere legem,poteſt tollere tale ius:ſed ius eligendi ſocios in Conuentibus, oritur ex noſtra inſtitutione: ergo Papa poteſt tollere illam, &c.

Tertiò obiicies: hoc eſſe verum, quando Papa ex motu proprio condit legem contrariam: ſecus quando dat illam dependenter à petitione partis. Sed hoc Breue non petiuit pars legitima & formalis, ſcilicet Prouincia, ſed poſtulauit Beneuentana Congregatio, quæ ad hunc actum ſpecialem non habuit commiſſionem. Reſpondetur quod illa Congregatio erat Prouincia in eſſe repræſentatiuo: eò quòd per Breue Apoſtolicum & compromiſſum, tota Prouincia compromiſit in illa,ad omnes actus in generali ſine exceptione alicuius.

Tertium punctum eſt, † An Capitulum electionis ſit anticipandum:Et ratio dubitandi pro parte negatiua, eſt Breue Pauli IV. anni 1557. quod habetur Salmanticæ petitum à Prouincia in Capitulo Placentino,quod dat authoritatem Vicariis in omnibus ſine vlla exceptione, & acceptatum in Capitulo Segouienſi anno 1554. & figit diem à quo incipiat quadriennium,ſcilicet diem electionis, ſed non confirmationis, conſignandum à proximo Capitulo,& tandem determinat,quod illa dies ſit fixa pro Capitulo electionis,ita vt ſi mortuo Prouinciali(præterquam in 4.anno)non potuerit præueniri Capitulum illo anno, relinquatur vſque ad diem ſignatũ ſequentis anni.Cõfirmatur,quia ex tribus caſibus,in quibus illud Breue nõ eſt ſeruatũ,ſcilicet in electione ſucceſſoris Martini de Ayala, & electione Alphonſi de S. Dominico, & Ioannis de las Cuebas:Iſte vltimus fuit diſpenſatus à Nuntio,cuius diſpenſatio fuit præſentata à Priori Salmantino: ergo. Et alij fuere diſpenſati, quia proximus fuit primus ipſi Breui,nam contigit anno 1569.ergo etiam in caſu mortis, *quantocius noſtræ conſtitutionis* eſt abrogatum, &c. 20

Sed hoc non obſtante, pars affirmatiua eſt verior: & approbatur ex verbo *quantocius noſtræ conſtitutionis cap.3. de electione Prouincialis d.2.*quæ non eſt abrogata:eò quòd licet Breue Pauli IV. dicat non obſtantibus conſtitutionibus Ordinis Veſtri,tamen non facit ſpecialem mentionem huius conſtitutionis.Et quia in Breui Innocentij VIII. anni 1488. figitur dies expreſsè *Dominica, Deus qui errantibus*, pro electione Prouincialis, à quo incipiat triennium ſui Prouincialatus,dicitúrque quod in caſu mortis non expectetur illa dies, ſed anticipetur.

quantocius

quantocius. Quod breue licet fuerit prius, non videtur abrogari per ſecundum Pauli IV. cuius intentio non fuit tollere *quantocius*, ſed figere diem à quo incipiat quadriēnium Prouincialatus, qui factus eſt quadriennalis cum ante eſſet triennalis. Et quia prouidere de Prælato quantocius Eccleſiæ ſeu Communitati videtur eſſe de iure communi, *ex cap. ne pro defectu de electione*, vbi Innocentius III. ait, ne pro defectu paſtoris Dominicum gregem lupus inuadat, aut pro abſentia ſponſi Mater viduata graue in bonis detrimentum patiatur, &c. *intra trimeſtre eligant, &c.* & non dicit *quantocius*, quod adhuc eſt reſtrictiuum verbum, id eſt ſine interuallo vel cum modico interuallo: & tamen ita Eccleſia Cathedralis vel Regularis quam Innocentius III. vocat gregem ſine paſtore & viduam, &c. Vicarium habebat, quia Capitulum mortuo Epiſcopo eligit Vicarium. Et quia bene ſtat in Breui Pauli IV. quod dies electionis ſit inuariabilis ex natura rei, & per ordinem ad diffinitorium ſecundum legem ordinariam; quando vacat Prouincialatus modo ordinario, & ſit variabilis in caſu mortis, propter *quantocius* noſtræ conſtitutionis: ſicut idem effectus eſt fortuitus reſpectu cauſæ ſecundæ, & per ſe intentus reſpectu primæ. Et tandem quia nunquam fuit obſeruatum in dictis caſibus ſiue cum diſpenſatione, ſiue ſine illa, quod eſt ſignum quod in corde Prouinciæ nunquam fuit receptum, neque viſum fuit conueniens propter inconuenientia Innocentij III. ideo ad cautelam determinatum fuit, quod petatur diſpenſatio à Domino Nuntio & vtamur ea *quantocius*.

21 Quartum punctum fuit; † An Vicarius Galleciæ expiret mortuo Prouinciali? Ratio dubitādi pro parte affirmatiua eſt: quia eſt Vicarius perſonæ Prouincialis, & quia conſtitutio dicat de iſtis Vicariis nationum, quod durent vſque ad proximam diem Capituli ante electionem Prouincialis noui, tamen non loquitur in caſu mortis. Verior eſt ſententia negatiua, quia dicta conſtitutio loquitur abſolutè & ſine vlla exceptione: & quia licet ſit Vicarius Prouincialis, tamen fuit nominatus à diffinitorio, ac proinde durat vſque ad ſequens Capitulum, ſicut Superiores & Vicarij Monialium.

22 Quintum fuit; † An poſſit Vicarius dare aſſignationes Fratum? In quo reſolutum fuit, poſſe: tum quia illa conſtitutionis Gloſſa *d. 2. c. 16. de certis detractionibus, &c.* quæ ait apud Burdegalam, Vienam, & Bononiæ determinatum fuiſſe, ne fiant mutationes Fratrum, &c. niſi ratione officij Prioratus, &c. infra mēſem quod eſt tempus ad eandem electionem Prouincialis, eſt Gloſſa, & non habet vim conſtitutionis; ipſa verò conſtitutio tantùm ait *infra menſem ante electiones quaſcumque*: quod intelligitur, de electionibus Conuentualibus, vt patet ex contextu; dicit etiam, niſi ratione Prioratus; igitur ſentit poſſe eligi Priores mortuo Prouinciali, &c. Hoc nota pro primo puncto. Et quia ille menſis debet intelligi de menſe proximo ante diem conſignatum pro electione Prouincialis: imo etiam quoad hoc eſt abrogata hæc conſtitutio quoad electionem Prouincialis in hac prouincia per vſum contrarium.

Hinc quoque nonnulli alij caſus materiam de regularibus concernentes reſoluuntur. Pri-

23 mus eſt † de donatis Carmelitarum Diſcalceatorum. Vtrum ſint verè profeſſi ſolemnium profeſſione votorum? Reſpondeo non eſſe verè profeſſos, neque emittere vota ſolemnia valida, quibus fiant verè Religioſi, quandiu authoritas Sedis Apoſtolicæ eorum profeſſionem non approbauerit, aut ſolemnizauerit; ſicut fecit cum Ieſuitis approbando eorum primam profeſſionem trium votorum ſimplicium: aut ſicut ſolemnizauit profeſſionem donatorum ordinis Benedictini, atque donatorum Trinitariorum Diſcalceatorum ſpecialibus motibus propriis. Neque enim Patres Generales Carmelitani priuata authoritate id poſſunt introducere, neque authoritate ipſis data in communi condendi leges pro ſuo Ordine neceſſarias: nam ſolemnizare vota aut profeſſionem religioſorum, ſtatúmque religionis conſtituere, ac diſtinguere ab ſtatu non religionis, eſt munus proprium Apoſtolicæ Sedis, ac Summi Pontificis, ac proinde nulli alteri poteſt conuenire.

Secundus eſt de † quodam Priore huius 24
prouinciæ Dominicanæ, qui ex pecuniis mutuatis, id eſt mutuo acceptatis, emit vineam quandam vtilem Conuentui: Inquiſitum fuit, vtrum has pecunias poſſit ſoluere creditoribus ex Capitali vnius cenſus redempti, quin pœnas taxatas contra alienantes bona Eccleſiæ, & contra vendentes bona immobilia, incurrat? Reſpondeo quod ſi vinea erat vtilior Conuentui quàm cenſus, & aliàs interuenit licentia Superioris ſcilicet Prouincialis, & conſilium Patrum diſcretorum, non incurrit dictas pœnas, ſed fuit bonus ac fidelis adminiſtrator ac diſpenſator: quia pro eodem computantur dare inſolutum, atque emere rem immobilem: idémque moraliter cenſetur in noſtro caſu ſoluere pretium vineæ, & emere vineam.

Tertius eſt de † Religioſo vnius religio- 25
nis, qui ſine licentia bona fide tranſiuit ad ſecundam ſtrictiorem, & poſt ingreſſum habuit licentiam taciram à Superiore primæ religionis, à quo & obtinuit licentiam ſimul relinquendi matri ſuæ bona quæ habebat ad vſum: cum qua tacita licentia conſummato nouitiatu profeſſionem emiſit. Inquiritur vtrum hæc profeſſio ſit valida? Reſpondeo, nihilominus dictam profeſſionem valere; quia illa ratihabitio fuit licentia tacita, & retrotrahitur ad tempus primi tranſitus iuxta regulam iuris *in 6. Ratihabitionem retrotrahi & mandato comparari non eſt dubium.* Neque obſtat argumentum factum: quia tantùm conuincit requiri aliquam licentiam ſaltem tacitam: hæc autem in noſtro caſu non defuit. Quod autem ſufficiat licentia petita licet non obtenta, docet Rodericus *tom. 3. regularium quæſt. 52. art. 3. ex cap. licet de regularibus*: & eſt communiter recepta doctrina D. Thom. *22. quæſt. 185. art. 8.* eò quòd per hanc ſaluatur obedientiæ obſequium, quod ſubditus ſuo Prælato tenetur exhibere.

Quartus eſt de quodam † Religioſo, qui 26
ſine charactere Sacerdotij Miſſam celebrauit. De quo inquiſitum fuit, Vtrum denuntiandus eſſet Iudicibus Tribunalis Sanctæ inquiſitionis? Reſpondeo debere denuntiari: quia caſus iſte non eſt mixti fori, ſed eſt de numero eorum qui tribunali dicto reſeruantur. Vnde in dicto In-

quiſitionis relato à Paramo *lib. 3. de origine inquiſitionis q. 5 pagina 627. columna 2.* continetur ſub his verbis : *Aut quod quis cùm non eſſet Sacerdotali charactere inſignitus miſſam dixerit aut celebrauerit, aut aliquod Sacramentum noſtræ Sanctæ matris Eccleſiæ adminiſtrauerit, &c.* Igitur cum in hoc edicto, non recenſeantur caſus mixti fori, ſed illi dumtaxat qui priuatiuè pertinent ad Sanctæ inquiſitionis tribunal : conſequens eſt hunc priuatiuè ad illud ſpectare, ac proinde de neceſſitate fore illi denuntiandum.

27 Quintus eſt; †vtrum Generalis Ordinis Sancti Hieronymi poſſit impedire, ne Prælati Ordinarij Conuentuum nouitios ad habitum & profeſſionem recipiant : iubendo vt ſic vel ſic recipiantur, videlicet qui à talibus examinatoribus approbati fuerint ab ipſo Generali deputatis & non aliter ? Reſpondeo dicendum dupliciter potuiſſe hoc contingere : Primò ſic, quod Generalis dicti ordinis auocauit ad ſe priuatiuè receptionem nouitiorum alicuius Conuentus: Secundò ſic, quod ordinauit ac præcepit, ne ſine ſuo cõſẽſu & approbatione examinatorum, quos ipſe nominauerit, tales receptiones faciant. Et tunc inquiſita ſunt tria. Primò an talis ordinatio & vocatio ſit valida ? Secundò an tales receptiones factæ in virtute huiuſmodi legis priuatæ ſint validæ; Tertiò An cenſuræ quas contra aliter recipientes Prælatos ordinarios Conuentuum indixit, ſint iuſtæ & in foro conſcientiæ ligantes?

Ad quorum ſingula eodem ordine reſpondetur. Ad Primum quidem, quod ſi dicta ordinatio & auocatio contigit primo modo, eſt prorſus iniuſta & inualida, propter tria: tum quia quod fit contra *ius* in hac materia eſt inualidum & habetur pro infecto, id eſt non facto, ſecundum regulam vtriuſque iuris *quæ contra, de regulis iuris in 6.* & *lege non dubium Cod. de legibus*: ſecundũ ius autem cõmune, cõuenit Cõuentibus & eorũ immediatis Prælatis facultas recipiendi nouitios ad habitum & profeſſionem : necnon ſecundum leges priuatas dicti ordinis Hieronymiani ſiue conſtitutiones, quas neque Generalis poteſt mutare aut alterare : ergo non poteſt huiuſmodi facultatem eis auferre & ſibi auocare. Tum etiam, quia ſolus Generalis ſine Conuentu non poteſt facere de nouitio Monachum aut profeſſum : Conuentui enim competit facultas hæc à iure communi *cap. ad Apoſtolicam de regularibus in 6.* Si autem poſſet ſupplere Generalis vocem Prælati immediati & totius Conuentus aut maioris partis, in qua totus Conuentus repræſentatur ; iam poſſet ſe ſolo ſine Conuentu facere profeſſum ac recipere ad profeſſionem : ergo. Tum denique quia vbi pertinet receptio ad profeſſionem, ad Conuentum & ad Abbatem ſine Prælatum immediatum de iure, neque ſolus Abbas, neque ſolus Conuentus poteſt ad talem profeſſionem validè recipere ; quia vtriuſque conſenſus ad valorem ſimul requiritur de iure ; vt probat Nauarrus *conſilio 62. de regularibus & ſuper cap. ſtatuimus de regula* : ergo vrgentiori ratione neque ſolus Generalis, qui eſt Prælatus mediatus, poteſt validam profeſſionem ſine Conuentu Nouitio conferre. Tunc vltra : in dicto autem ordine Sancti Hieronymi, nedum de iure communi, ſed etiam de iure priuato & municipiali conſtitutionum ipſius, vt in ſpecie caſus relatum fuit, pertinet ad Conuentum ſimul & Prælatum immediatum receptio Nouitiorum ad habitum & profeſſionem : quod etiam conſtat ex noua quadam conſtitutione Gregorij XIII. adducta à Roderico *tomo 3 de regularibus queſt. 10. art. 1.* ergo.

Si autem Secundo modo contigit dicta ordinatio Patris Generalis, dicentis v.g. volo & iubeo, vt deinceps talis Conuentus non recipiat Nouitios ad habitum & profeſſionem, etiam examinatos & approbatos ab eodem Conuentu & Prælato eius immediato, & examinatoribus per ipſum nominatis, niſi etiam adſit conſenſus & approbatio mea, aut examinatorum à me nominatorum ; non video cur Generalis talem legem iſtè & validè non poſſit concedere : provt etiam in aliis religionibus ſæpe à Generalibus ſimilis lex ſtatuitur pro bono communi ipſorum Conuentuum ; vt ſcilicet nouitiorum ingreſſus reddatur difficilior, & ne nouitiorum multitudine de facili receptorum grauentur: niſi tale ius recipiendi nouitios priuatiuè pertineat ad Conuentum & Prælatos eorum immediatos : tunc enim militant rationes factæ, nimirum quia talis alteratio, & reſtrictio facultatis Conuentus eſt contra ius & contra conſtitutiones dicti ordinis, quas Generalis, provt præfertur, non poteſt alterare, ac proinde neque eis contraueniendo poterit prohibere validè, ne recept ones Nouitiorum fiant ſine ſuo conſenſu, aut ſiue à ſe nominatorum examinatorum approbatione.

Ad Secundum dicendum eſt, dictas receptiones primo modo factas, eſſe prorſus inualidas, necnon Secundo modo, ſi facultas, recipiendi priuatiuè pertineat ad Conuentus & eorum immediatos Prælatos; vtpote quia fiunt contra ius commune & particulare, & contra leges ſeu conſtitutiones irritantes, & contra præſcriptam conſuetudinem eiuſdem religionis. Secus ſi non priuatiuè pertineat ad Conuentus & eorum Prælatos immediatos, provt in aliis ordinibus maximè in Dominicano contingit.

Ad Tertium reſpondetur, cenſuras latas à Generali in eo caſu, in quo per talem ordinationem derogat iuri & conſuetudini præſcriptæ Conuentus aut ordinis conſtitutionibus, in foro interno eſſe inualidas, ac per conſequens non ligare : ſed quoniam dum non ſeruantur in foro externo poteſt ſcandalum oriri, debet Conuentus ad eundem Reuerendiſſimum Generalem ſupplicare, vt conſcius iuris Conuentus eas reuocet ; aut debet ad ſuperiorem iudicem Apoſtolicum prouocare per viam violentiæ, qua cognita violentia eas reponet.

DIFFICVLTAS IV.

De renuntiatione: In qua tres caſus hanc materiam concernentes examinantur.

28 *Vtrum renunciatio hæreditatis metu reuerentiali facta ſit valida in foro exteriori & interiori?*

29 *Re*

29 *Resoluitur casus de vxore à marito sollicitata, vt in fauorem ipsius renuntiaret bona dotalia, quæ annuit & instrumento donationem firmauit, &c.*

PRimvs est de quodam filiofamilias volente ingredi religionem, qui coactus à parente & fratribus metu reuerentiali, vt in fauorem eorum hæreditatem renuntiaret:eam renuntiauit : de quo inquisitum fuit. Vtrum
28 fuerit † renuntiatio valida in foro exteriori? Respondeo affirmatiuè cum Zenedo *q.6.Canon.* quia iuxta veriorem sententiam, dispositio Concilij Tridentini *sess.* 25. *cap.*16. non habet locum in renuntiatione facta ante ingressum religionis;licet Sanchez *lib.7.summæ cap.5.*cum Molina & aliis probabiliter teneat partem negatiuam.Inquisitum fuit Secundò; vtrum similiter valeat dicta renuntiatio in foro interiori? Respondeo non valere,sed potius Parentem & fratres teneri ante sententiam iudicis ad restitutionem,cum communi sententia quam sequitur Sanchez *lib.*4. *de matrim.disp.*4.*n.*11.*&* 13. eo quòd metus reuerentialis,& minæ incutientes metum grauem qualiter hîc interceſſerunt, sufficiunt impedire translationem dominij,quæ debet fieri per liberam omnino voluntatem & gratuitam donationem.

29 Secundus casus est de Maria † vxore Petri, quæ ab illo sollicitata, vt donaret ei, aut in fauorem ipsius renuntiaret bona dotalia,quæ annuit & instrumento donationem firmauit; sed illam non iurauit, licet ei imponeretur falsò quod iurauerit eam : quæ postea superuixit post mortem mariti, antequam bona acciperet ab ipsa, pro securitatéque conscientiæ petiit ante mortem mariti relaxationem iuramenti, & dictã renuntiationẽ & donationem reuocauit, licet renuente marito aut in absentia ipsius.Super quo fuit à nobis inquisitum; Vtrum Petrus potuerit tuta conscientia talia bona donata obtinere? Rursus vtrum eius hæredes tutè possint illa retinere?

Respondetur neutrum sanè : quia dicta renuntiatio post relaxationem iuramenti petitam & obtentam, ipso iure est inualida inter maritum & vxorem. Neque habet vllum valorem aut obligandi vim, nisi ob sanctitatem iuramenti; quod vel non fuit præstitum à Maria,vel iam fuit relaxatum. Nec non quia fuit reuocata à Maria; quæ reuocatio valet, licet renuat Petrus; ac tandem quia superuixit Maria post mortuum donatarium, antequam res donatæ in eius dominium transirent:vnde sicut ipse Petrus non potuit talia bona obtinere, ita neque eius hæredes cognita veritate possunt iustè illa retinere.

DIFFICVLTAS V.

De Residentia; in qua nonnulli casus resoluuntur.

SVMMARIVM.

30 *Vtrum Scholasticus studens Salmanticæ, virtute Eugeniæ possit abesse beneficio Curato vltra septennium?*

31 *Resoluuntur octo puncta de beneficiis curatis.*

32 *Prælati & Superiores populum sibi commissum per seipsos gubernare tenentur, iure positiuo,naturali & Diuino.*

33 *Præcepto Ecclesiastico præceptum est Prælatis & Parochis omes suas agnoscere, pro illis sacrificium offerre,&c.*

34 *Prælati & curam animarum habentes, iure positiuo Ecclesiastico prohibentur lucrari fructus beneficiorum, quando absque causa & licentia iuridica non residunt.*

35 *Prælatos & Magistratus iure naturali ad gubernandum personaliter obligari, probatur dupliciter.*

36 *Idem quoad ius Diuinum suadetur variis testimoniis Scripturæ.*

37 *Quænam sit nominis Episcopi etymologia?*

38 *Officium boni Pastoris qua in re consistit.*

39 *Boni Prælati videntes damna ex eorum absentia subsequi, illam condemnant,& personalem præsentiam maximè commendant.*

40 *Munus Episcopale est matrimonium quoddam spirituale.*

41 *Supremi Principes seculares ad personalem assistentiam in suo regimine pari obligatione tenentur.*

42 *Reges debent per seipsos audire causas populi, quando congruè possunt.*

43 *Resoluitur casus de quodam studente, qui 26. Martij implet annum ætatis 24. de quo inquisitum fuit. Vtrum die 28. Martij possit recipere ordinem Presbyteratus, computando dies bissextiles?*

44 *Resoluitur alius casus de decimis castanearum vnius oppidani habentis prædium in alio.*

45 *Vtrum prædium donatum vni Ecclesiæ parochiali, & situm intra territorium eiusdem, debeat decimam ei qui fructus beneficij arrendauit?*

46 *Clericus ex prædiis propriis Ecclesiæ,non debet decimas, maximè quando prædia sunt sita in eadem parochia.*

47 *Respondetur argumentis in contrarium adductis.*

PRimvs, † Vtrum Scholaris studens Sal- 30
manticæ, virtute Eugenianæ possit abesse beneficio Curato vltra septennium?

Respondeo cum Nicolao Garcia *tractatu de obligatione recitandi* 3.*p.cap.*2.vbi resoluit † octo 31
puncta de beneficiis curatis (nam de simplicibus supponit non petere residentiam ex consuetudine & iure particulari : licet illam petant de iure communi, exceptis præstimoniis quæ ex nullo capite illam petunt.) Primò quod Curatus neque per duos menses potest abesse, nisi iusta causa & de licentia Episcopi in scriptis, contra Nauarrum : quia id petit Concilium Tridentinum *sess.*23. *cap.*1. secus tamen petit in Episcopis.Secundò,quod si absit per vnum mẽsem, aut duos sine tali licentia, non facit pro rata fructus suos, qui fructus restituendi sunt fabricæ parochiæ,vel illius pauperibus.Tertiò, quod non excusat causa notoria & vrgens sine tali licentia in scriptis; si tamen est periculum in mora, debet illam absens petere, &c. nec sufficit tacita & interpretatiua. Quartò, quod nec sufficit petita & non obtenta : quia Concilium requirit licentiam obtentam & approbatam:

batam. Quintò quod non excuſatur Curatus à reſidentia vltra bimeſtre, propter ſeruitium Epiſcopi, aut inquiſitionis, niſi illam habeat à Sede Apoſtolica. Sextò quod nec excuſat abſentia à parochia vel à Canonicatu lis, aut proſecutio litis: bene tamen proſecutio litis ſuper iuribus parochialis, aut Canonicatus, quia tunc agit cauſam ipſius Eccleſiæ &c. Septimò quod non tenetur ad reſtitutionem fructuū reſidens, ſeruiens tamen per Vicarium; licet malè faciat in hoc, quia Concilij pœna non eſt extendenda, niſi ad eos quos aſſignat, vel non reſidentes. Octauò quod de iure communi legentes ac ſtudentes Theologiam vel Ius Canonicum, per quinquenium excuſantur à reſidentia, etiam ſine licentia Epiſcopi; quia illam habent à iure *cap. finali de magiſtris*: tamen per Eugenianam ſtudentes Salmanticæ iuris Canonici per quinquenium; Theologiæ per ſeptennium tantùm à principio Dialecticæ: & in quacumque facultate licita, & etiam legentes publicè etiam ſine ſalario de mandato Clauſtri, dummodo legant per octo menſes in anno: quia ita dicit Eugeniana. Et hoc priuilegium non eſt derogatum per Concilium Tridentinum *ſeſſ. 23. cap. 1.* quia illud verbum; vel *rigore Eugenianæ*, non intelligitur de iſta Eugeniana, quæ eſt Bulla priuata: ſed de Eugeniana, quæ eſt extrauagans & Tertia *de priuilegiis*: & Concilium ſolùm abrogat ibi priuilegia communia ſeu iuris communis: quæ incipit, *diuina*, & eſt eiuſdem Eugenij. IV.

Secundus de reſidentia Prælatorum in ſuis Eccleſiis; & Principum in ſuis ditionibus: Vtrum Prælati & Superiores quibus incumbit ſpiritualis ſiue temporalis animarum gubernatio, per ſeipſos munus proprium exercere teneantur?

32 Reſpondeo dicendum, † teneri huiuſmodi Prælatos & Superiores per ſeipſos populum ſibi commiſſum gubernare iure poſitiuo, & naturali, & diuino; ita vt oppoſitum facientes, peccent mortaliter contra præceptum iuris poſitiui & diuini ac naturalis. In hac concluſione conueniunt Couarruuias *lib. 3. variarum reſolutionum cap. 13.* Nauarr. *in manuali cap. 25. num. 121.* Caietan. 2. 2. *quæſt. 185. art. 5.* & Valentia *ibidem diſp. 10. quæſt. 3. puncto 5.* Soto *lib. 3. de iuſtitia, quæſt. 3. art. 3. & 4.* Azor *tom. 2. inſtitutionum moralium lib. 7. cap. 6.* & Soto Maior 1. *Thimot. 1. à pagina 43.* & Author libri qui inſcribitur *Oeconomia Canonica 2. claſſe cap. 3. §. 1. & 3. claſſe cap. 2. §. 2.* vbi multa ſuper hac re congerit teſtimonia & argumenta.

33 Hæc concluſio probatur quoad primam partem. Nam † præcepto Eccleſiaſtico præceptum eſt Prælatis & Parochis, quibus cura animarum incumbit, oues ſuas agnoſcere, pro illis Sacrificium offerre, verbi diuini prædicatione, Sacramentorum adminiſtratione, ac bonorum operum exemplo paſcere. Sed hæc omnia nequeunt præſtare ſine perſonali cura & aſſiſtentia: ergo. Minor patet: quia omnia iſta ſunt officia perſonalia. Maior verò probatur ex Cōciliis. In Concilio enim Anthiochenſi *cap. 17.* & Sardicenſi *cap. 14.* quæ habentur *tom. 1.* & *in Epiſtola 2* Euariſti Papæ ad Fratres Ægvpti, quæ etiam habetur *tom. 1. Conciliorum*, id præcipitur: & in *dicta Epiſtola* adducit Euariſtius illud *Hieremiæ 6. Probatorem dedi populo meo robuſtum, & ſcies & probabis viam illorum.* Ex quo loco infert, quod Prælatus tenetur probare, examinare ſuum populum, & exquirere peccata illius: & *in 1. parte decreti 2. quæſt. 1.* dicitur, quod qui ſuſceptum officium Epiſcopatus non adminiſtrat, canis impudicus dicendus eſt magis quàm Epiſcopus: & 1. *quæſt. 1.* præcipitur Epiſcopis, ne ſuas Eccleſias derelinquant, etiam in tempore perſecutionum ſub his verbis, *in Canone, ſuggeſtu; Attendite vobis & omni gregi, in quo vos Spiritus ſanctus conſtituit Epiſcopos, regere Eccleſiam Dei, quam acquiſiuit proprio ſanguine Saluator mundi, vt non ſit qui vos decipiat ac ſeducat ſubtilitate ſermonis, vt plebem vobis commiſſam relinquatis &c.* & *canon. ſciſcitaris* dicit Nicolaus Papa; *Si perniciosum eſt nautam in tranquillitate nauem deſerere, quantò magis in fluctibus.* Quibus verbis Gratianus addit ſubſequentia: *Hoc etiam tunc obſeruandum intelligitur, quando inter ſubditos aliqui inueniuntur, quibus Prælatorum vita proficiat; quando nec ſpecialiter Prælatus quæritur, nec per alios tuta poteſt eſſe Eccleſiæ ſalus, ne ſi deſerere incipiat quibus prodeſſe poteſt, dicatur de eo, Mercenarius autem fugit &c.* & in Concilio Tridentino *ſeſſ. 6. decreto de reformatione cap. 1.* præcipitur Prælatis, vt attendentes ſibi & vniuerſo gregi &c. *vigilent ſicut Apoſtolus præcipit, in omnibus laborent, & miniſterium ſuum impleant*: & ſtatim ſubdit; *implere autem illud ſe nequaquam poſſe ſciant, ſi greges ſibi commiſſos mercenariorum more deſerant*: & *ſeſſ. 23. decreto de reſidentia Prælatorum cap. 1.* præcipit eiſdem ſub reatu peccati mortalis, ne vltra duos aut tres menſes abſint ſuis Eccleſiis, abſque licentia à Superiori in ſcriptis obtenta.

Secundò probatur: nam † Prælati & curam 34
animarum habentes, etiam iure poſitiuo Eccleſiaſtico ſunt prohibiti lucrari fructus beneficiorum ſuorum, quando abſque cauſa & licentia iuridica non reſident, ita vt ante Iudicis condemnationem teneantur illos pro rata reſtituere: ergo iure poſitiuo tenentur reſidere, & conſequenter perſonaliter regere oues ſuas. Antecedens habetur *in dicta ſeſſ. 23. decreto de reſidentia cap. 1.* vbi inter alias pœnas, hæc contra non reſidentes ſancitur, vt pro rata temporis abſentiæ fructus non faciant, neque tuta conſcientia, alia etiam declaratione non ſequuta, illos ſibi detinere poſſint: habetur etiam *in cap. cum omnes de conſtitutionibus*, vbi Innocentius III. declarat Prælatos non reſidentes lucrari non poſſe: vnde Hoſtienſis & Panormitanus *ibidem*, Caietanus verbo *beneficium*, Alenſis 3. *part. quæſt. 36. num. 5. art. 2.* Driedo *lib. 2. de libertate Chriſtiana cap. 4.* Couarruu. *lib. 3. variarum reſolut. cap. 13.* & ferè omnes alij iuris Canonici profeſſores & Theologi, dicunt Parochum ſiue Prælatum curam animarum habētem, fructum non lucrari, & inſuper illos debere ante condemnationem reſtituere pro rata temporis quo non reſidet: quam ſententiam ſequitur & locupletatur Valencia *vbi ſupra diſp. 10. quæſt. 3. puncto 5.*

Quoad Secundam partem, quæ aſſerit † iu- 35
re etiā naturali Prælatos & Magiſtratus ad gubernandū perſonaliter obligari, probatur dupliciter. Primò ex ratione officij gubernādi, quod

non

non solùm est dignitas, & honor; sed officium & onus personale à personali cura dependens. Sed tale munus personale ex natura sua requirit præsentiam & assistentiam gubernatoris: ergo. Maior patet ex illo 1. *Thimot.* 3. *qui Episcopatum desiderat bonum opus desiderat*: quem locum explicans Hieronym. ad Oceanum, ait; *opus non dignitatem, laborem, & non delitias*: & Augustinus *lib.* 14. *de ciuitate Dei, c.* 14. dicit, quod Apostolus in hiis verbis exponere voluit, Episcopatum nomen esse operis & non honoris. Minor probatur: nam de intrinseca ratione officij personalis est, vt qui illud habet gubernet sibi subditos dirigat, &c. vt patet ex officio Pastoris, nautæ, & Ianitoris, ad quos pertinet per seipsos pascere, nauim regere, & ianuis claudendis ac aperiendis assistere: ergo. Secundò de iure naturali est, quod Prælatus & quilibet quouis modo gubernator, non solùm regat, sed etiam quod bene regat populum sibi commissum. Sed ad bene regendum requiritur personalis præsentia & administratio: ergo. Maior est certa & nota lumine naturali: Minor verò probatur, qui enim per alios gubernat, non potest non defectum in regimine committere: eò quòd ministri & Vicarij non tanto amore, affectu, cura, ac diligentia studeant gubernationi deseruire. Vnde *Zachar.* 11. reprehenditur derelinquens gregem suum sub hiis verbis; *O pastor O idolum derelinquens gregem*: & *Ioann.* 10. dicitur, *quod mercenarius & qui non est Pastor, fugit* &c. & *Actorum* 20. in concione quam Paulus habuit ad omnes Episcopos Asiæ, illis præceperat: *Attendite vobis & vniuerso gregi*, subiungit: *ego scio quomodo ministrabunt post discessionem meam lupi rapaces in vos, non parcentes gregi &c.* ergo ex absentia Prælati necessarium est per se loquendo damna aliqua fore subsequenda.

36 Quod verò † ius diuinum id suadeat: patet Primò ex variis testimoniis Scripturæ, in quibus à Prælatis exigitur personalis præsentia, cura ac administratio: inprimis namque propterea appellantur vigiles & custodes, & speculatores, &c. *Ezechielis* 3. & 18. *Esa.* 26. *dicuntur vigiles & custodes super muros Hierusalem*: & *Cant.* 3. de illis dicit Sponsa: *inuenerunt me vigiles qui custodiunt ciuitatem, &c.* Quem locum explicantes Theodoretus & Ambros. *lib.* 3. *de Virginibus* & *sermone* 7. *super Psal.* 118. dicunt; hos vigiles esse pastores qui debent per seipsos vigilare & custodire. De quibus Paulus *Hebr.* 13. postquam præceperat subditis, vt obedirent præpositis suis, subdit rationem, dicens: *Ipsi enim peruigilant quasi rationem pro animabus vestris reddituri, &c.* & Ambros. *lib.* 2. *super cap.* 2. *Lucæ* explicans illud, *Et pastores erant in regione eadem vigilantes & custodientes, &c.* dicit, per illos intelligi Prælatos & Episcopos, quorum munus est vigilare, & custodire gentium greges: & Paulus *dict. cap. Actorum* 20. ait illis Episcopis Asiæ: *Attendite vobis & vniuerso gregi, &c.* & concludit; *propter quod vigilate memoria retinentes per triennium, &c.* Con-

37 firmatur hoc argumentum ex ipsa † nominis Episcopi etymologia: quia hoc nomen *Episcopus* Græcè significat Speculatorem, inspectorem seu Superintendentem, & deriuatur à verbo Græco ἐπισκέπτομαι, quod significat idem quod ἐπιβλέπειν, speculari, inspicere, attendere, & inuisere, vt in ipso nomine denotetur, quod propriù est Episcopi speculari, inspicere (hoc est) quasi ex specula quadã prouidere atq; prospicere semper vniuerso gregi sibi diuinitus commisso. Vnde attestatur huic etymologiæ Homerus *lib. vlt. Iliadum*, vbi appellat Hectorẽ *Episcopum arcis Troianæ*, (hoc est) speculatorem, custodem, atque excubitorem præsentissimum ac diligentissimum: & Cicero *lib.* 7. *Epistolarum ad Atticum, epistol.* 10. vbi ait: *Vult enim me Pompeius esse quem tota hæc Campania & maritima ora habeat Episcopum, ad quem delectum & negotij summa referatur*: Sed nemo potest speculari, inspicere, considerare absens quæ procul posita sunt: neque potest aliquis Pastor vigilare excubiásque agere super gregem suum, si ipse longè absit à grege, à quo vix potest etiam præsens lupos arcere.

Secundò probatur; nam ad † officium bo- 38
ni pastoris pertinet oues suas cognoscere, familiariter illas vocare, & propriis nominibus appellare, ita vt oues audire possint voces ipsius, & illas ab alienorum voce discernere, vt Christus pastorum Princeps *Ioan.* 10. docet: Sed hæc omnia requirunt Pastoris præsentiam & curam personalem: ergo. Minor patet, & Maior amplificatur multis testimoniis, scilicet *Prouerbiorum* 2. dicitur ad Principem & legitimum Pastorem: *Diligenter agnosce vultum pecoris tui &c.* & *Esa.* 40. de Christo Pastorum Principe & exemplari vaticinando ait, in hæc verba: *Sicut Pastor gregem suum pascet; in brachio suo congregabit agnos, & in sinu suo leuabit, fœtas ipse portabit.* Vbi aduertendum est, Vatem non dixisse, in brachio alieno, neque in sinu alterius, neque per alios inssurum portari: sed potius quod in brachio suo agnos congregabit, quod in sinu suo leuabit, & per seipsum fœtas portabit: vt denotaret hoc secundum potius quàm primum decere probum ac legitimum Principem seu Pastorẽ. *Ezechiel* 34. conqueritur Deus de Principibus & pastoribus Israel, non quia nulli essent, sed quia non habebant curam populi per seipsos, dicens: *Ecce dispersæ sunt oues meæ, eò quod non esset Pastor*: id est eò quòd non est præsens personaliter pastor: non enim deerant Pastores tunc temporis in terra Israel, vt patet ex verbis antecedentibus, quibus illos comminatur dicens: *Væ pastoribus Israel qui pascebant semetipsos &c.* quem locum explicans Hieronymus ait sic: *Et dispersus est populus Dei, vel vitiis vel errore hæreticorum, eò quòd non esset Pastor bonus qui poneret animam suam pro ouibus; sed omnes mercenarij, qui lucrãtim de gregibus considerant, & cum lupum viderint fugiunt &c.* Et quia tot mala sequuntur ex absentia Pastoris, ideo absens potius mercenarij nomen quàm Pastoris promeretur: quod nomen inuidum & contrarium est officio Pastoris: vt patet ex eodẽ Hieronymo *Esa.* 10. vbi explicans illa verba, *quasi anni mercenari*, sic ait. *Omnis enim mercenarius & qui non est pastor, cuius non sunt oues propriæ, cum viderit lupum venientem fugit, quia mercenarius est, & oues ad eum non pertinent &c.* & Poeta Latinus *Ecloga* 3. quæ Palæmon inscribitur, ingenio & more mercenarij Pastoris ita canit:

Hic alienus oues custos, bis mulget in hora;
Et succus pecori, & lac subducitur agnis.

Confirmatur & amplificatur hoc argumentum:

30 tum: nam omnes † boni Prælati videntes magna damna ex abſentia eorum ſubſequi, illam condemnant, & perſonalem præſentiam maximè commendant: ergo. Antecedens patet ex 1. *Thimot.* 1. vbi Paulus Timotheo quem præfecerat Epiſcopum Epheſiorum loco ſuo, præcepit ea ipſa die qua ab Epheſo in Macedoniam erat receſſurus, vt remaneret Epheſi, quæ erat metropolis Aſiæ, cuius præcepti mentionem faciens dicto loco ait: *Sicut rogaui te vt remaneres Epheſi*: ac ſi diceret: ſicut rogaui te præſens, vt remaneres Epheſi in metropoli tuæ Diœcæſis, ſic facito, quia hoc decet Epiſcopum, à ſua ſcilicet diœceſi non recedere, vt exponit Oecumenius &c. & ad *Galatas* 1. conqueritur de Galatis, quod in ſua abſentia quam ad breuem moram fecerat, ſtatim aberrarent à ſua doctrina, dicens. *Miror quod ſic tam citò transferemini ab eo, qui vos vocauit in gratiam Chriſti in aliud Euangelium: quod non eſt aliud, niſi ſũt aliqui qui vos conturbant*: & ſubdit; *O inſenſati Galatæ! quis vos faſcinauit non obedire veritati &c.* Vnde Athanaſius *in Apologia ad Conſtantinum Imperatorem*, ſic de ſe ipſo ait. *Noſti ex lectione Scripturarum, quanti ſceleris ſit Epiſcopos Eccleſiam ſuam deſerere, & negligere gregem Dei: paſtorum enim abſentia Lupis inuadendi occaſionem præſtat. Caterum Arriani & cateri hæretici per noſtram abſentiam, locum oportunitatémque venabantur, vt populum ad impietatem ſeducerent &c.* & ſubdit. *Si igitur fugiſſem, quam excuſationem apud veſtros Epiſcopos, vel potius apud eum qui mihi hunc gregem concredidit, habuiſſem?* Et D. Gregorius Naziancenus *oratione ad Arrianos*; cuius initium eſt. *Vbi ſunt tandem &c.* Aduerſarijs enim quibuſdam ei obiicientibus & exprobrantibus, quod exiguum gregem haberet, ita reſpondet: *At mihi grex exiguus, ſed in præcipitium fertur: at anguſta mihi caula, ſed interim lupis inacceſſa; ſed interim Latrones non admittens, verùm eiuſmodi, vt nec à furibus nec ab extraneis tranſcendi queat, paruus grex timore me non afficit, vtpote facilè conſpicuus, quoniam cognoſco mea, & à meis cognoſcor: oues meæ vocem meam audiunt, quam à diuinis oraculis audiui, quam à Sanctis Patribus didici: eas nominatim voco & me ſequuntur vtpote à quo ſemper aquâ refectionis educantur &c.* His fauet vetus & vulgare illud proverbium; *Oculus Domini impinguat equum*: cuius mentionem Ariſtot. *lib.* 1. *Oeconomicæ*: vbi refert quod interrogatus quidam, quid equum maximè ſaginaret, reſponderit; oculus Domini: & etiam refert quod interrogatus alius quod ſtercus agro optimum eſſet: reſponderit, Domini veſtigia: & Plinius *lib.* 8. *cap.* 6. ait; Maiores dixiſſe, quod oculus Domini fertiliſſimus eſſet in agro. Vnde olim apud Romanos non licebat plebis Tribuno ab vrbe Romana abeſſe, niſi vix per vnum diem, vt refert Aulus Gellius *lib.* 3. *cap. de veteri Romanorum diſciplina.* Et etiam Sacerdotibus non licebat equo vehi, ne ſi longè digrederentur, Sacrorum cultus detrimentum acciperet: quapropter cùm Lucio Valerio Flacco (qui erat Sacerdos & Conſul) bellum gerendum eſſet, Lucinus Pontifex Flacco mulctam dixit, ſi à Sacris diſceſſiſſet &c.

Quæ doctrina amplius confirmatur ex du-
40 plici capite. Tum ex † munere Epiſcopali quod eſt matrimonij cuiuſdam ſpiritualis: ergo propter vinculum huiuſmodi non licet Epiſcopis, multum aut longè abeſſe à ſuis Eccleſiis, quarum ſunt ſponſi: ſicut neque maritis licet abeſſe ab vxoribus. Conſequentia hæc tenet à fortiori, quia vinculum matrimonij ſpiritualis maius eſt carnali: argumento iuris canonici ex *cap. inter*: & *cap. quanto*, & *cap. licet de tranſlatione Epiſcopi*: in cuius ſignum 2. *Paralip.* 35. dicitur de miniſtris templi, quod nunquam à Sanctuario diſcedebant: ita vt neque in puncto diſcederent à miniſterio. Similiter Petrus Apoſtolorum Princeps, & Eccleſiæ ſupremus Paſtor proiecit ſe in mare, vt denotaret, teſte Bernardo *lib.* 2. *de conſideratione*, quod in toto mundo debebat præeſſe: econtra verò Diſcipuli à naui non egrediuntur, ad ſignificandam aſſiſtentiam quam in ſuis Eccleſiis particularibus habere debebant. Tum etiam ex *cap. legum diuinarum & Eccleſiaſticarum*, quæ cum ſint carnis aſperiores ac difficiliores, exigunt ad ſui obſeruantiam in Republica Chriſtiana cõtinuam & perſonalem ſpiritualium Paſtorum aſſiſtentiam: vt probat Marquez *lib.* 2. *de vita Ioſue cap.* 1. *pag.* 206.

Iam verò † ſupremos Principes ſeculares ad 41
ſimilem aſſiſtentiam in ſuo regimine pari obligatione teneri; ſuadetur Primò ex Concilio Moguntino *cap.* 2. celebrato anno Domini 888. quod habetur *tom.* 4. *Conciliorum*, & fuit celebratum primo anno Arnulphi Imperatoris: vbi declaratur obligatio Imperatoris ac Regis ſub hiis verbis: *Regale miniſterium ſpecialiter eſt populum Dei gubernare & regere cum æquitate & iuſtitia, & vt pacem & concordiam habeat ſtudere &c. Quapropter in throno regiminis poſitum eſt ad iudicia recta peragenda, vt ipſe per ſe prouideat & perquirat, ne in iudicio aliquos à veritate & æquitate declinet:* Similia verba de Regali miniſterio & officio habentur in Concilio Lateranenſi: *in Epiſtola ad Recaredum*, & in Concilio Pariſienſi *lib.* 2. *cap.* 1. & *cap.* 2. (habentur hæc duo Concilia *tom.* 3.) vbi in huius confirmationem adducitur illud Iobi Regis Orientalis, qui *cap.* 24. de ſe ipſo aiebat. *Cumque ſederem quaſi Rex circumſtante exercitu, eram tamen mœrentium conſolator, auris audiens beatificabat me, & oculus videns teſtimonium reddebat mihi &c. Pater eram pauperum, & cauſam quam neſciebam, diligentiſſimè inueſtigabam.* Idem argumentum proſequitur Concilium Aquiſgranenſe *cap.* 3. & 4. *ſeſſ. vltimæ*, quod habetur *eodem tom.* 3.

Eandem ſententiam ſequitur Marquez *lib.* 1. *de vita Moyſis*: quod † Reges debent per ſeipſos 42
audire cauſas populi, quando congruè poſſunt, ita vt eos ab hac obligatione ſola impoſſibilitas, aut vitæ aut valetudinis euidens periculum excuſet, aduerſus Bodinum Politicum negantem *lib.* 4. *de Republica cap.* 6.

Fauent præclara Sacræ paginæ teſtimonia v. g. illud *Prouerb.* 20. *Rex qui in ſolio, diſſipat omne malum intuitu ſuo*: & *cap.* 27. *Diligenter agnoſce vultum pecoris tui*: quod non minus ad Principes laicos quàm ad ſpirituales Paſtores dirigitur. Ideo namque Reges appellantur populorum paſtores, *Exodi* 2. Moyſes voluit perſonaliter populum in Ægypto captum inuiſere, & iniurias ei illatas experiri: quo facto denotaret populi vtilitatem, & Regis ac

gubernatoris

gubernatoris poteſtatem in aſſiſtentia perſonali conſiſtere. Et *Gen.* 30. Iacob ex cõtinua aſſiſtẽtia multos gregis prouẽtus ſuſcepit. Quoniam teſte Nazianz. *orat.* 18. in præmiũ continuæ aſſiſtẽtiæ atque aſſiduæ vigilantiæ Iacob, Deus multiplicauit illi ouium fœtus. Mirificè conſonat huic ſententiæ hiſtoria 4. *Regum* 9. vbi refertur quod Iehu fugientem in curru, *percuſſit inter ſcapulas, & egreſſa eſt ſagitta per cor eius.* Contra legem boni Regis eſt egredi percuſſum è bello inter ſcapulas ſiue vulnus à tergo accipere: quod ob hanc rationem notat ſacer textus tanquam monſtruoſum euentum: lex enim regiminis ac dignitatis Regiæ poſtulat, vt Rex ac Princeps in periculo etiam cum propriæ vitæ diſcrimine terga non vertat, gregem indefenſum relinquens.

43 Tertius eſt de † quodam Studente, qui die 26. Martij huius anni v. g. 635. implet annum ætatis 24. de quo inquiſitum fuit, Vtrum die 26. Martij poſſit recipere ordinem Presbyteratus, computando dies biſſextiles? Reſpondeo iuxta regulam Syluestri verbo *ætas*, non poſſe; eò quòd licet dies biſſextilis annumeretur & faciat exceſſum, quando computatio fit per dies, vtpote quia addito illo fiunt plures dies: tamen quando computatio fit per annos in iure, qualis eſt hæc facta in Tridentino; & Clementina *generalem, de ætate & qualitate ordinandorum*, dum ibi dicitur: *non minor 25. annis fiat Præsbyter, &c.* quia tunc dies vigeſima octaua, & vigeſima nona Februarij computantur vt vna dies, & finis eiuſdem menſis: & ideo non faciunt maiorem ætatem annualem. Verum eſt, quod in odioſis computantur tanquam duo dies diſtincti: ſi aliqua lex aut ſententia pœnalis dicat; ſit iſte delinquens depoſitus, vel ſuſpenſus per duos menſes: tranſacto die 28. Februarij, poteſt vti officio ſuo, & debet ad illud reſtitui: quia tunc cenſetur ille vltimus dies in quo talis menſis completur.

44 Quartus eſt, cuine debentur † decimæ Caſtanearum vnius oppidani de los Baños, habentis prædium in oppido de Herbas?

Reſpondeo prænotando cum Azorio *lib.* 7. *cap.* 24. *quæſt.* 14. decimas eſſe in duplici differentia. Aliæ ſunt prædiales, & iſtæ debentur parochiæ dictricti, vbi eſt fundus ſeu prædium: aliæ verò ſunt perſonales; & iſtæ cùm ſequantur perſonam, debent ſolui parochiæ, in qua habet perſona domicilium & recipit Sacramenta: niſi oppoſitum conſuetudine ſpeciali fuerit introductum. Ergo cum ſecundùm conſuetudinem illorum oppidorum decimæ Caſtanearum ſint perſonales, videtur eas debere ſolui parochiæ de Baños, vbi iſte Dominus fundi habet ſuum domicilium. Sed tamen ex alia parte videtur, quod debeat eas ſoluere parochiæ de Herbas vbi eſt fundus. Primò quia hic idem fundus ab initio quando recipiebat ſemina tritici & hordei, antequam arbores in eo plantarentur, decimabat Eccleſiæ de Herbas: igitur & modò debet eidem decimare; quamuis mutata fuerit in illo qualitas fructuum. Secundò quia aliàs poſſet beneficium de Herbas extingui, aut valde extenuari; ſi extranei domini fundorum exiſtentium in eius diſtricto, plantarent in eis arbores pro aliis ſeminibus: quod eſt inconueniens: ergo probabilius dicendum eſt, quod iſte agricultor tenetur ſoluere decimas Caſtanearum beneficiario de Herbas, cui antea ſoluebat decimas frumenti & hordei, quorum loco ſucceſſêre Caſtaneæ cum eodem onere & qualitate.

Quintus † Vtrum prædium donatum vni 45
Eccleſiæ parochiali, & ſitum intra territorium eiuſdem Eccleſiæ, debeat ex oleo & tritico, decimam ei qui fructus beneficij arrendauit: Ratio dubitandi pro parte affirmatiua deſumitur ex triplici capite. Primò ex Panormitano ſequuto Innocentium in *cap. nouum genus, de decimis*, dicente Clericum debere decimas ſoluere vniuerſim ex quibuſcumque prædiis ſiue patrimonialibus, ſiue dotalibus Eccleſiæ; eo vel maximè, quod licet prædia ſint dotalia Eccleſiæ, ſemper ſunt oneri ſubiecta & ea ſeruiture affecta. Secundò quia quando prædium transfertur in dominium Eccleſiæ, & datur in eius dotem ab aliquo laico; reuera transfertur cum eodem onere decimandi. Neque enim fas eſt vnam Eccleſiam cum alterius damno dotari, aut ditari, *ex cap. cum Eccleſiæ*, & *cap. quicumque 16. quæſt. 1.* & *cap. nuper, de decimis*, colligitur prædia collata ad monaſterium fundandum, neutiquam ab obligatione decimæ perſoluendæ liberari: ergo. Tertiò quia poteſt quis tanquam priuata perſona ſibiipſi vt publicæ obligari: ita Rex poteſt filios ſuos quos genuit extra matrimonium vt priuata perſona, legitimare tanquam Rex, & tutor tanquam debitor pupillo, ſoluit ſibi vt tutori; ergo pariter beneficiarius vt priuata perſona ex prædiis dotalibus Eccleſiæ, debet ſibi vt parocho decimam ſoluere: ac proinde idem ius transfert in arrendatarium fructuum beneficij.

Sed hiis non obſtantibus reſpondeo cum communi ſententia D. Thomæ 2.2. *quæſt.* 87. *art.* 4. & Gloſſæ *in dicto cap. nouum genus.* Azorij *lib.* 7. *cap.* 24. *q.* 1. & Syluestri verbo *decima q.* 7. aſſerentium, † Clericum ex prædiis propriis 46
Eccleſiæ, & quæ pertinent ad eius dotem, non debere decimam, maximè quando prædia ſunt ſita in eadem Parochia: eò quòd tunc eadem Eccleſia nequit eſſe agens & patiens, id eſt nequit à ſeipſa exigere decimam: neque idem beneficiarius ſibiipſi poteſt aut debet ſoluere decimam. Ad † fundamenta in contrarium 47
reſpondetur. Ad primum dicendum eſt, quod ſententia S. Thomæ præferenda eſt ſententiæ Innocentij & Panormitani, in fauorem bonorum ac dotis Eccleſiæ. Aut quod Innocentius & Panormitanus loquuntur de prædiis patrimonialibus Clerici: de hiis enim verum eſt debere decimam: quod etiam fatetur D. Thomas *vbi ſupra.* Ad Secundum nego antecedens; quia eo ipſo quod prædium ſit dos Eccleſiæ gaudet priuilegio immunitatis Eccleſiaſticæ; ac per conſequens ſicut ſit inalienabile, ita liberatur ab obligatione ſoluendi decimam. Vnde iam bona monaſteriorum & prædia quæ ipſi Monachi colunt per ſeipſos & ſuos famulos, ex priuilegio à tali obligatione ſunt vindicata. Poteſt etiam dici verum antecedens de prædiis vnius Eccleſiæ ſitis in aliena parochia: ſecus de ſitis in eadem: de quibus eſt ſermo. Ad Tertium nego conſequentiam, quia illa diſtinctio non habet locum in Clerico reſ-

pectu prædiorum ſuæ Eccleſiæ : quia illa non poſſidet vt priuata perſona, ſed potius vt perſona publica & nomine ipſius Eccleſiæ: ex quibus proinde ſibi non debet decimam.

DIFFICVLTAS VI.

De teſtibus non propalandis in Religionibus.

SVMMARIVM.

48 *Refertur caſus de quodam Religioſo Dominicanæ familiæ, qui accuſatus de quodam defectu per nonnullos teſtes Domeſticos probato, petiit pro ſui defenſione teſtium manifeſtationem.*

49 *Prælatus Dominicani ordinis, non debet nec poteſt ſecundum iura dare reo ad ſui defenſionem teſtium nomina.*

50 *Modus procedendi in Religionibus ſine teſtium publicatione eſt iuſtiſſimus, & maximè neceſſarius ad pacem Religioſi ſtatus conſeruandam.*

51 *Tradere nomina teſtium accuſato, eſt contra pacem & honorem religioſi ſtatus: Idem probatur ab exemplo.* Ibid.

52 *Defenſio per teſtium publicationem licet ſit de iure naturali, non tamen eſt ſeruanda inter Religioſos, qui huic iuri renuntiarunt.*

53 *Idem probatur ab inconuenienti.*

54 *Idem probatur à conſuetudine longæua, à qua non eſt recedendum abſque euidenti vtilitate aut vrgente neceſſitate.*

55 *Vltimò probatur ex fine huius beneficij à iure introducti, &c.*

56 *Ad rationes dubitandi ab initio adductas, reſpondetur.*

48 ASVS † vnicus eſt de quodam religioſo Dominicanæ familiæ, qui cùm à ſuo Prælato argueretur de quodam defectu per nonnullos teſtes domeſticos, probato, petiit pro ſui defenſione teſtium manifeſtationem: quæſitúmq; fuit à nobis, vtrum poſſet ac deberet hoc remedium ei concedi? Ratio dubitandi pro parte affirmatiua eſt, quia cum defenſio vnicuique ſit naturalis, ac de iure naturali debita, conſequenter & media neceſſaria ad defenſionem, vnicuique debentur : Vnum autem ex mediis neceſſariis, eſt publicatio teſtium, vt eis opponere poſſit exceptiones iuris. Accedit quod in formulario conſtitutionũ dicti ordinis, nouiſſimè edito à Magiſtro Seraphino & Generali Barchinonis anno 1620. *cap. 6. num.* 14. habetur, quod Iudex in noſtro ordine procedens in cauſis criminalibus, debet dare locum & tempus defenſionis reo : Inſuper probationes, nomina teſtium, copiam indiciorum & notam propriæ confeſſionis, &c. & inquirere, an velit aliquid opponere, contra deponentes?

Sed tenenda eſt pars negatiua, tanquam
49 vera : nimirũm † nec debere nec poſſe ſecundum iũra, Prælatum Iudicis in criminali cauſa officio fungentem, Dominicani ordinis (idem de aliorum Ordinum Prælatis dicendum puto) dare reo ad ſui defenſionem teſtium nomina. Hæc aſſertio pro prima parte probatur ; quia ab hac obligatione per ſpeciale priuilegium abſoluuntur Prælati, ac Iudices regularium, vt conſtat *ex cap. qualiter, de accuſationibus* : vbi Innocentius III. poſtquam Prælatis ac Iudicibus ſecularibus ſeruandos fore apices, & ordinem iuris præſcripſit, maximè quantum ad publicationem teſtium & nominum eorum traditionem faciendam reo in accuſationibus, ſubdit in hæc verba : *Hunc tamen Ordinem contra regulares perſonas non credimus vſquequaquam ſeruandum.* Extant quoque vtriuſque Bonifacij conſtitutiones, ſcilicet VIII. & IX. ſpecialiter in fauorem Dominicani Ordinis editæ, & in libello conſtitutionum eiuſdem inſertæ: quibus decernunt hij Summi Pontifices, Prælatos dicti ordinis, dummodo ſeruent in accuſationibus ſubſtantiam iuris, poſſe omittere apices iuris, & ſolemnitates atque accidentales circunſtantias : vna autem ex accidentalibus conditionibus eſt publicatio teſtium & nominum ipſorum traditio : poteſt enim ſine hac ſaluari ſubſtantia iudicij, nimirum accuſatio ſeu denuntiatio, ſeu inquiſitio ex parte iudicis, teſtium legitima depoſitio, atque defenſio ex parte rei iure naturali ei debita ; quæ per ſe non dependet ex teſtium publicatione, licet aliquando per accidens propter ignorantiam teſtificantium contingat rei defenſionem impediri : ergo ab hac abſoluti cenſentur regularium Iudices ac Prælati, maximè Dominicani inſtituti.

Deinde pro Secunda parte ſuadetur Primò, quia eſt communis ſententia Doctorum, aſſerens † hunc modum procedendi in re- 50
ligionibus ſine teſtium publicatione eſſe iuſtiſſimum, conuenientiſſimum, imo & maximè neceſſarium ad pacem religioſi ſtatus conſeruandam ; quam tradunt & probant Hoſtienſis ſuper *cap. citato qualiter & quando*, Manſo *de cauſis regularium cap.* 17. & Rodericus *tom.* 2. *Regularium quæſt.* 3. Secundò; nam † tradere nomina teſtium accuſato eſt 51
contra pacem & honorem religioſi ſtatus : Contra pacem quidem : quia cum veritas odium pariat, neceſſe eſt accuſatum odio habere eos, quos ſciuerit contra ſe veritatem dixiſſe in iudicio : ex quo odia, iurgia, & diſcordiæ oriuntur. Contra honorem verò, quia vt accuſatus quærat excuſationes in peccato ſuo, & vt inueniat exceptiones iuris quas teſtibus nominatis opponat, operæ pretium eſt, illum accedere ad ſeculares Aduocatos, eos conſulere, & occultos religioſorum defectus propalare, ſicque à clauſtro ad forum cauſidicum eos adducere, quod honori Religionis derogat procul dubio. Pax autem & honor ſunt maximum bonum Communitatis, propter quod conſeruandum indebita & illicita redditur teſtium publicatio, quod directè & per ſe pacem deſtruit & honorem lædit. Tertiò probatur ab exemplo ; nam Catholicus Rex Hiſpaniæ dum Viſitatores mittit ad Regia tribunalia & Chancellarias contra earum Magiſtratus, nec non ad collegia Academiarum ; atque dum Senatus Regius mittit probatores vt probent nobilitates illius, qui intendit militaris alicuius ordinis

ordinis ſtemmate inſigniri : ac tandem dum Tribunal Sanctæ Inquiſitionis procedit contra accuſatos de crimine hæreſis ; in omnibus & ſingulis hiis caſibus iubet ac præcipit, ne nomina teſtium publicentur. Quæ conſuetudo & præſcriptio ac forma procedendi in hiis omnibus Tribunalibus & Communitatibus eſt iuſtiſſima & conuenientiſſima : & tamen ſi talis teſtium publicatio eſſet de iure diuino ac naturali, debita & petita ad rei defenſionem, neutiquam poſſent illam lex & conſuetudo regni denegare, aut in ea diſpenſare ; quia in huiuſmodi diuino ac naturali iure nequaquam poteſt humana poteſtas diſpenſare : ergo pariter & in Religionibus iuſtus & conueniens modus procedendi in accuſationibus eſſe poteſt ſine teſtium publicatione. Maior patet experientia ; quam probant & pro conuenientiſſima iudicant ac laudant, Ioannes Redinus *tractatu de majeſtate Principis*, qui habetur *tom. 16. tractatuum*, Caſaneus *in Catalogo gloriæ mundi parte. 4. à conſideratione 4. vſque ad 5.* quantum ad viſitationes Tribunalium Regiorum : ſtilum verò eundem procedendi ſine teſtium publicatione in collegiis, probat idem Redinus *ibidem* cum Cino, & Baldus *in lege finali Cod. quæ ſit longa conſuetudo* : Stilus autem Sanctæ Inquiſitionis probatur ex *cap. finali de hæreticis in 6.* vbi hæc formula ita præſcribitur.

52 Quartò : nam admiſſo, quod talis † defenſio per teſtium publicationem eſſet de iure naturali, ac proinde teneret in aliis Tribunalibus, non tamen eſſet ſeruanda inter Religioſos, quippe qui huic iuri renuntiarunt ; nam eo ipſo quod dans nomen alicui religioni, profitetur illius leges, conſtitutiones, ac laudabiles conſuetudines quæ etiam habent vim legis, cedit cuicumque iuri in contrarium : ob quam rationem Profeſſor Dominicanus cedit implicitè in profeſſione iuri appellandi ad tribunal extra religionem ; quia hæc appellatio licet aliàs ſit de iure naturali, prohibetur in eiuſdem ordinis conſtitutionibus, cui proinde iuri vnuſquiſque cedere poteſt. Ergo cùm iſte modus procedendi in accuſationibus ſine teſtium publicatione, ſit longæua conſuetudine receptus in eodem & aliis ordinibus; conſequenter Profeſſores eorum iuri petendi dictam publicationem implicitè renuntiarunt : quam renuntiationem iuris diuini ac naturalis fieri poſſe licitè ac validè, etiam in cauſis grauiſſimis, & capitalibus, docent Baldus & Salicet. *in lege finali §. ſi de tempor. appellatione* : ſcienti autem & volenti non fit iniuria, *leg. nemo videtur defraudare ff. de regulis iuris*, & *leg. quæritur ff. de ædili edicto*, vbi dicitur ; *Iura ſua renitentibus non eſſe dandum regreſſum.* Vnde Religoſo petenti huiuſmodi teſtium publicationem in ſui defenſionem, poteſt Prælatus reſpondere eam denegando, quod Paterfamilias reſpondit *Math. 20.* operario ; *Amice non facio tibi iniuriam.* Eadem quoque ratione Magiſtratus tribunalium, prætenſores collegiorum ac muneris Inquiſitionis atque Ordinum militarium, dum ſciunt in hiis tribunalibus & Communitatibus, pro inquiſitionibus, viſitationibus, ſiue probationibus faciendis via ſummaria abſque teſtium publicatione, cuicumque iuri petendi illam etſi naturali implicitè cedunt, ac per conſequens iuſtè illis petentibus denegaretur.

Quintò probatur † ab inconuenienti : nam 53
aliàs nunquam aut rarò inter Religioſos in accuſationibus veritas iudicialiter patefieret, ac proinde delicta manerent impunita : quod derogat tum iuri naturali, tum religionum conſeruationi : ergo. Conſequentia patet: quia nullus Religioſus inferior auderet veritatem firmare contra Prælatum aut ſuum Præceptorem, ne ſubditus illius, & ne diſcipulus iſtius incurreret odium & inimicitiam, erga quos habet reuerentialem, ne dicam ſeruilem timorem. Ob quam rationem probat Panormitanus *in cap. finali, extra de iudiciis*, non eſſe dandam teſtium publicationem in accuſationibus contra iudices : eò quòd per illam derogaretur legi, *ita vulneratus ff. ad legem Aquileam, ne ſcilicet delicta maneant impunita.*

Sextò probatur alia ratione Redini *vbi ſupra* : nimirum quia † à conſuetudine longæua 54
quæ ſemper profuit, & nemini nocuit, non eſt recedendum abſque euidenti vtilitate aut vrgenti neceſſitate ex *leg. in rebus ff. de conſtitutionibus Principum*, eò quòd habet vim legis ſecundum Cardinalem *in Clementina ſæpe, de verborum ſignificationibus*, vbi dicitur : *longæuum vſum cauſarum, iuri compara i*, id eſt conſuetum modum procedendi in litibus. Nulla autem inuenitur euidens vtilitas, aut vrgens neceſſitas labefactandi hanc longæuam conſuetudinem religionum maximè Dominicanæ, excludendi beneficium publicationis teſtium : ſi enim aliqua eſſet, maximè eſſet, vt accuſatus ſuam innocentiam illæſam agnoſceret, aut læſam defenderet : quæ quia eſt bonum priuatum vnius particularis perſonæ, non præponderat publicæ vtilitati Communitatis, cuius gratia excluſa eſt teſtium publicatio, *lege ex his*, & *lege ius ſingulare ff. de legibus*, & *lege vnica ff. de officio prætoris* : præterquam quod timor iſte accuſati, quod eius innocentia ruat ob defectum manifeſtationis teſtium, in Dominicano Ordine, eſt vanus : ſicut eius qui timet quod cælum ruat : & de numero eorum, de quibus dicitur à Dauide, *ibi timuerunt vbi non eſt timor.* Vltima † ratio deſumitur 55
ex fine huius beneficij à iure introducti, manifeſtandi nomina teſtium, qui procul dubio eſt ad infirmandum dicta teſtium, opponendo eis aliquas legitimas exceptiones. Hunc aſſignauit Innocentius III. *vbi ſupra*, dum ait : *Nomina teſtium ſunt ei publicanda, nec non exceptiones & replicationes legitimæ admittendæ.* Huiuſmodi autem exceptiones numerat Bagarotus *tractatu de teſtibus*, qui habetur *tom. 4. tractatuum Iuriſtarum*, dicens ; eſſe inimicitiam, infamiam, ſeruitutem, periurium conuictum ex alio proceſſu : quæcumque enim ex hiis probetur, excludit teſtem ſecundùm iura, & eius teſtimonium labefactat & annullat. Finis autem iſte ceſſat in Religioſis, ſicut & in Epiſcopis, quia vt ipſe Bagarotus ait ; præſumit ius illos eſſe omnino veridicos, & teſtes omni exceptione maiores, vtpote cum ſint imitatores illius Domini ac Magiſtri, qui dixit *Ioan. 14. Ego ſum via, veritas, & vita* : & iterum. *Si veritatem dico vobis, quare vos non creditis mihi ?* præterquam quod huiuſmodi exceptiones derogant valde

statui religioso,& propterea ne ex consequenti ei fiat iniuria, aut inferatur graue nocumentum, nec debent nec possunt præsumi contra eius alumnos & professores: sunt enim seruitutis incapaces; periurij autem, odij, infamiæ & inimicitiæ etsi capaces absolutè & simpliciter sint, moraliter tamen & humano modo loquendi, sunt expertes & alieni: quæ proinde aduersus illos præsumi non possunt.

56 Ad † rationem primam dubitandi respondetur ex dictis; quod licet defensio sit naturali ac diuino iure debita accusato, non tamen per hoc medium publicationis testium, quod fuit beneficium inuentum à iure positiuo, ac per consequens ab eodem iure aut consuetudine habente vim legis potuit abrogari & oppositum introduci, prout de facto contingere videmus in pluribus secularium Cómunitatibus, nedum in Religiosis. Rursus admisso quod sit hoc beneficium à naturali iure concessum: potuerunt homines maximè religiosi ob finem maioris obseruantiæ ac obedientiæ, illi renuntiare: sitque satis iuri naturali, quod reus habet ad sui defensionem, si ei tradantur dicta testium fideliter traducta, eorum nomina subticendo: prout in religionibus & maximè in Dominicana obseruari consueuit.

Ad Secundam dicendum, opinionem illam Reuerendissimi Generalis Dominicani fuisse priuatam,& ab ipso vt à Doctore priuato promanasse: quandoquidem oppositā ex eiusdem ordinis constitutionibus & vsu ac consuetudine colligitur esse firmatam. Voluit nihilominus Reuerendissimus Generalis Seraphinus siccus in præfatis verbis beneficium publicationis testium exhibendum fore accusato à Prælato seu iudice,non præceptiuè sed permissiuè dumtaxat, pro eo scilicet tempore & loco: quo iudex censeat nullum imminere periculum, aut sequi inconueniens ex eo quòd reo nomina testium manifestentur: quod quia rarò aut nunquam in praxi ita eueniet, sic & rarò aut nunquam præfati Patris Magistri Generalis opinio est ad praxim reducenda.

Hiis accedit, quod dictus Reuerendissimus Generalis præfato formulario loquitur de delictis inducentibus infamiam; & quando in eis proceditur per viam accusationis, vt ex ipso contextu formularij patet. Quam doctrinam præfatam tradit *in cap. 6.* vbi agitur de reo per viam accusationis delato ad iudicium:in huius autem processu per viam accusationis in causa criminis infamiam inducentis, permittitur etiam secundum iura & consuetudinem nostræ religionis publicatio testium, quia debet procedi in huiusmodi seruando ordinem ac rigorem iuris, secundum quem debet fieri testium publicatio. Vnde *in cap. generali,* nuper anno præterito sub Reuerendissimo Nicolao Ridolfi celebrato, hæc eadem consuetudo nouissima lege confirmatur ac roboratur, dum præscribendo formam procedendi contra Priores decernitur, quod in delictis inducentibus infamiam personæ, & Ordini, ac per viam accusationis seruetur rigor ac ordo iuris, videlicet cum publicatione testium:in aliis verò delictis per viam simplicis inquisitionis, aut denuntiationis delatis, vt contingit in ordinariis Conuentuum Visitationibus,Prælatus satisfacit muneri suo ac iuri defensionis rei, si testimonia testium per præceptum extorqueat, & summarium eorum reo tradat ad sui defensionem:quo denotatur nullatenus publicationem testium ei esse faciendam: quia singularis exceptio firmat regulam in contrarium.Doctrina autem à nobis superius tradita,& consuetudo excludendi talē publicationem,locum habet in processibus per viam Inquisitionis aut denuntiationis factis,atque in delictis quæ nec ex genere suo,neque ex vi iuris inducunt reo aut Ordini notabilem infamiam. Et quod dictum formularium loquatur strictè in casu accusationis,patet;quia statim subdit id conuinci ex illo *Actorum* 25. *Non est consuetudo Romanis damnare hominem aliquem, prius quàm is qui accusatur præsentes habeat accusatores, locúmque defendendi habeat ad abluenda crimina:* quasi hoc sit de iure diuino ac naturali.

DIFFICVLTAS VII.

In qua nonnulli casus ad quorundam officiorum venditionem spectantes resoluuntur.

SVMMARIVM

57. *Vtrum Domini non supremi, vt Duces & Marchiones possint vendere siue locare officia Tabellionatus aut Prætoratus?*
58. *Vtrum Dux Albaniæ possit licitè officium Tabellionis conferre alicui, sub hâc conditione, vt eroget certo cuidam Hospitali quinque aut sex mille teruncios.*
59. *Resolnitur alius casus priori similis siue affinis.*
60. *Resoluitur casus de Maria nobili tutrice filij sui, habentis in ciuitate Salmantina officium Magistratus, cui contigit ius eundi ad Comitia, & habere in illis suffragium: In quo duo notatu digna inquiruntur.*

PRimus est, †Vtrum Domini non Supremi, 57
vt Duces & Marchiones possint vendere siue locare officia Tabellionatus, aut Prætoratus? Respondeo non posse, nisi habeant dominium eorum à Rege siue supremo Principe,cui subditi sunt:quia isti Domini non supremi non habent dominium huiusmodi officiorum secularium, nisi tantùm potestatem dispensatiuam, scilicet dispensandi illa seu conferendi personis idoneis,ad id munus præstandum & seruiēdum Reipublicæ; cuius regimen ipsis dumtaxat est commissum.

Secundus est †Vtrum Dux Albaniæ possit li- 58
citè officium Tabellionis conferre alicui sub hac conditione, vt eroget certo Hospitali aut pio loco quinque aut sex mille teruncios? Respondeo posse,quia hoc non est vendere officiū, sed exigere eleemosynam à recipiēte officium; nō exigitur vt pretium officij, sed vt eleemosyna, aut recōpensatio gratitudinis pro beneficio accepto liberaliter facienda.Vnde ad illam nō potest nec debet Dux recipientem legaliter obligare.Tertius huic † similis siue affinis cōtigit 59
in oppido de Saluatierra,vbi cōtinuò ac de more sunt tres Tabelliones cōstituti à Duce Albano: sed modò tantùm sunt duo, & tertius non est nominatus ab Excellentissimo Duce, qui tamen

tamen vult vt isti duo soluant consignatam quantitatem quinque mille teruncionum, pro certis operibus pietatis, quam Tertius debebat soluere; aut à Duce ad id compelli? Respondeo negatiuè: eò quòd istud onus est personale, ac per consequens extinguitur cum persona. Tum etiam quia lucrum maius est incertum: ergo propter illud non est eis imponendum onus certum.

60 Quartus est † de Maria nobili tutrice filij sui habentis in hac ciuitate Salmantina officium Magistratus, hoc est *vn Regimiento*, cui contigit hac vice ius eundi ad comitia Regni, & habere in illis suffragium: Inquisitum fuit Primò, an dicta Maria potuerit licitè transferre huiusmodi sortem & officium seruiendi illam in Curia Regia Petro v. g. amico vel consanguineo, deducendo in pactum per instrumentum publicum aliquas conditiones onerosas: v.g. quod Petrus obligetur dare ipsi Mariæ omnia emolumenta pecuniaria, & reseruet sibi gratuita beneficia Principis quæ vulgo dicuntur, *Las mercedes como habitos y encomiendas, alcaidias, corregimientos, &c.* Inquisitum fuit Secundò; vtrum ciuitas Salmantina possit ac debeat Petro dare mandatum residendi in Comitiis cum suffragio consultiuo, aut etiam decisiuo iuxta nouam schedulam Regis. Ratio dubitandi pro parte affirmatiua desumitur ex vna ordinatione, quam habet ciuitas Salmantina à Regibus confirmatam, permittentem huiusmodi officia cum sorte posse transfigi & renuntiari in fauorem alterius.

Sed pro parte negatiua facit, quod venditio horum officiorum cum sorte est prohibita: tum per legem Regni: tum per nouam schedulam Regiam, quæ insuper reddit emptorem inhabilem ad tale munus Procuratoris comitiorum Regni exercendum. Hæc autem fuit emptio palliata, vtpote non gratis & liberaliter, sed pro re pretio æstimabili, facta transactio: ergo. Aliter dicendum est ad vtrumque quæsitum: nimirum & dictam Mariam peccasse, & dictam ciuitatem mandatum non posse dare Petro emptori. Ratio primi est, quia dicta Maria fecit contra legem Regni, & schedulæ Regiæ prohibitionem; quæ lex iusta est, ac proinde obligans in foro conscientiæ: libera tamen est Maria ab obligatione restituendi, quia vendit rem aliàs proficuam & pretio æstimabilem. Ratio verò Secundi est triplex. Prima est iam adducta pro parte negatiua, quia nimirum iste contractus fuit non gratuitus, qui dumtaxat est permissus per ordinationem ciuitatis, sed fuit onerosus: ac proinde emptio palliata. Secunda est, quia nomine venditionis intelligitur omnis contractus non gratuitus, sed quomodolibet onerosus: vt bene notat Nauarrus circa diffinitionem Simoniæ *in manuali cap.* 3. & *consilio* 52. *de Simonia* ex Glossa 1. *quæst.* 1. Ergo dictus contractus vtpote sub venditione comprehensus, est per legem Regni & schedulam prohibitus. Tertia est, quia Petrus est factus mandatarius inhabilis propter schedulæ Regiæ sententiam latam irritantem & priuantem ipso facto: Sed mandans non potest dare mandatum mandatario inhabili: tum quia moraliter euidens est, quod qui emit officium ex ambitione, non erit fidelis Regno, ac proinde periculosum est dare illi mandatum; *& qui amat periculum peribit in illo*: vt dicitur *Ecclesiastic.* 3. Tum etiam quia actio mandantis redditur nulla, dum cadit supra subiectum inhabile ad mandatum exequendum.

DIFFICVLTAS VIII.

In qua alij casus ad materiam tritici venalis spectantes resoluuntur.

SVMMARIVM.

61 *Vtrum oppidum del Varco, triticum acceptum à Petro, teneatur eodem pretio soluere, aut solùm pretio taxæ?*

62 *Farina an possit vendi vltra taxam?*

63 *Vtrum aliquis habens fundum alienum, Domino non comparente, possit illum alteri vendere aut sibi reseruare?*

PRIMVS est; Vtrum oppidum del Varco, triticum acceptum à Petro, cui *per arrendamiento le salia à Veinte reales*, teneatur eodem pretio soluere, aut solùm pretio taxæ? Respondeo teneri quidem soluere Petro tritico pretium 20. Regalium, quia hæc alienatio tritici exhibiti à Petro arrendatario quorundam beneficiorum Ecclesiæ, in fauorem oppidi & Communitatis, fuit necessitata & coacta: ergo in illa debet Venditor seruari indemnis. Tum etiam, quia ita in propria specie nostri casus decidit *lex* 21. *tit.* 11. *lib.* 5. *recopilationis*, dicens; quod si populus, aut depositum commune extrahat triticum ab arrendatariis redituum beneficiorum, &c. illis soluat pretium *acomo les sale el trigo*. Ex quo autem nec determinat, nec restringit, censetur velle quod etiam vltrà taxam debeat eis triticum extractum solui: nam vbi lex non restringit, nec nos restringere debemus. Econtra verò disponit ibi lex de Agricolis, dicens hiis triticum soluendum esse, dummodo pretium non excedat taxam, quæ singulatis exceptio firmat regulam in contrarium. 61

Secundus casus est de † Farina: An possit vendi vltra taxam? Respondeo posse; quia lex generalis imponens taxam tritico, non illico eam imponit farinæ aut pani cocto: nisi alia lege speciali id prohibeatur. Fateor de pane cocto & farina extare aliam legem Regni, quæ est 4. *tit.* 25. *Recopilationis*, edita à Philippo II. prohibens, ne quis farinam aut panem coctum vendat, nisi cum moderato lucro; & insuper ne quis illum vendat (intellige regulariter, aut ex animi proposito) nisi quibus ex officio incumbit, aut qui habent in Republica officium & figuram pistorum, contra quam legem peccabit vendens sine hoc officio, aut figura panem coctum: peccabit quidem contra iustitiam legalem, sed non contra iustitiam commutatiuam; ac proinde non tenebitur ad restitutionem, nisi accipiat vltra taxam nimis, & vltra impensas quas fecit in panis decoctione, in molendino, & furno. 62

Tertius est de illo, qui habens fundum alie-

num, cuius Dominus non comparet poſt ſufficientem diligentiam, vult illum alteri vendere, aut ſibi retinere : Inquiritur Vtrum id poſſit licitè facere ? Reſpondeo ſub diſtinctione : aut enim iſte fundus à principio fuit per iniquam actionem occupatus : aut bona fide. Si primum, reſtituendus eſt pauperibus. Si ſecundum, poterit quidem occupator illum ſibi retinere, aut etiam pretium illius, ſi velit eum vendere. Ratio huius eſt, quia fundus non comprehenditur in legibus de bonis, quæ dicuntur *monſtrença*, cuiuſmodi tantùm ſunt animalia, teſte Bañez 2.2. *quæſt.* 66. *art.* 5. *dub.* 2. bona tamen *monſtrença* etiamſi bona fide occupentur à priuata perſona, debent ſecundum leges Hiſpaniæ tradi Iudici, vt ille ea tribuat illis quibus competunt ex priuilegio.

REVER.mi & ILLVSTRISS.mi

D. FRANCISCI DE ARAVXO

DISPVTATIONES DECISIVÆ AD STATVM CIVILEM PERTINENTES.

REVER.mi & ILLVSTRISS.mi

D. FRANCISCI

DE

ARAVXO

DISPVTATIONES DECISIVÆ

AD

STATVM CIVILEM

PERTINENTES.

DECISIVÆ DISPVTATIONES AD STATVM CIVILEM PERTINENTES.

DISPVTATIO I.

De Contractibus, in septem Quæstiones diuisa.

QVÆSTIO I.

Circa explicationem legitimam capitis *Nauiganti*, de Vsuris.

SVMMARIVM.

1 *An verè à Gregorio IX. Vsurarius iudicetur, & vt talis legitimè condemnetur, qui à debitore recipit aliquid vltra sortem, etiamsi suscipiat in se periculum?*

2 *Respondetur affirmatiuè, & solutionibus argumentorum, quæ pro contraria parte possunt induci, probatur.*

3 *Verus ac germanus sensus illius primi casus contentus in dicto cap.* Nauiganti, *pro vindicanda assertione, exponendus.*

4 *Vsuræ peccatum non committitur, nisi vbi ratione mutui accipitur pretium vltra sortem.*

5 *Fidei iussor potest licitè accipere pretium pro fidei iussione.*

6 *Refertur legitima interpretatio dicti capitis* Nauiganti.

7 *Expenduntur singuli tituli recensiti, quibus mutuans videtur posse liberari à labe vsuræ in recipiendo aliquid vltra sortem.*

8 *Referuntur tres casus, in quibus sine labe vsuræ licitè ac iustè aliquid peti potest vltra sortem; Circa quorum duos priores, sententia communiter recepta, vtroque iure probatur.*

9 *Circa tertium casum, scilicet quoad lucrum cessans, prout distinguitur à damno emergenti, dissentiunt Authores.*

10 *Referuntur Authores, qui sententiam affirmatiuam tuentur, quæ præterquam quod sit communi Doctorum vsu recepta, rationibus à Nauarro perpensis demonstratur; quarum summa ad quinque reducitur.*

11 *Ex quibus facilis adest solutio argumentorum Soti pro parte negatiua adductorum.*

12 *Vtrum ratione metus periculi, possit mutuator siue qui vendit suas merces credito, licitè recipere aliquid vltra sortem, vel vltra iustum pretium?*

13 *Impensæ faciendæ possunt in pactum ab initio duci, &c.*

14 *Vtrum mutuator siue venditor nullis impensis factis, aut labore exhibito tempore solutionis, possit recipere pretium illud auctarium, quod initio contractus pepigit pro labore aut impensis sibi soluendum?*

15 *In casu fidei iussionis potest Fideiiussor paciscì de pretio sibi soluendo ab illo, pro quo fidei iubet.*

16 *Ingrediens contractum licitè potest lucrum sine pecunia correspondens recipere.*

17 *Vtrum vſuram committat, qui anticipata ſolutione emit merces minori pretio, quàm futuro tempore ſint valiturę?*

18 *Pretium iuſtum rei comitatur eius exiſtentiam.*

19 *Reſoluitur caſus de ſponſore, qui Dæmonis arte aut alicuius ex Iudicibus induſtria, nouit maiorem partem ſchedularum in vrna exiſtentium tali aut tali eſſe cedendam.*

20 *Thales per Aſtrologiam cognoſcens futuram olei abundantiam, exigua pecunia in hyeme emit, quantum olei vnuſquiſque eſſet collecturus.*

21 *Ioſeph prægnoſcens diuinitus futuram ſeptem annorum vbertatem, quos totidem annorum ſequutura erat ſterilitas, vili pretio frumenta emendo, cariori poſtea vendendo Pharaonem laudabiliter ditauit.*

22 *Vendens rem plus quàm valeat, quia ſolutionem differt, peccat.*

23 *Duæ ſunt conditiones, propter quas venditio mercis credito facta, maiori pretio quàm currenti ob dilatam ſolutionem iuſtificatur.*

24 *Reſoluuntur tres difficultates ex hac doctrina ortæ: ad quorum Primam; Vtrum ſcilicet caſus capitis* in ciuitate *ſit numero diuerſus à tertio caſu capitis* Nauiganti? *aliter Caietanus, aliter Sotus reſpondet.*

25 *Soti opinio tanquam verior & probabilior multipliciter perſuadetur.*

26 *Reſoluitur alius caſus præcedenti aliquantulum ſimilis.*

27 *Ad ſecundam difficultatem reſpondetur affirmatiuè, poſſe ſcilicet venditionem hanc fieri nedum pretio indiffinito menſis Maij, ſed etiam determinato v.g, tanto, quantum probabiliter iudicatur futuram.*

28 *Ad tertiam difficultatem, quicquid in contrarium dicit Sotus, reſponſio negatiua eſt verior, ſcilicet caſum tertium capitis* Nauiganti *nullatenus poſſe abſque ſecunda conditione iuſtificari.*

PRAESENS quæſtio expoſcit, vt tres caſus de vſuris in cap. *Nauiganti* contentos, ad materiam de Vſuris pertinentes ſigillatim expendamus, quos proinde ſingulis dubiis ſuo ordine explanare oportet.

DVBIVM I.

De Primo caſu dicti capitis Nauiganti, *Vtrum ſit vſurarius?*

A Littera ipſius capitis exordium ſumamus, quæ ſic habet. *Nauiganti vel eunti ad nundinas, &c.* In qua Gregorius IX. hos tres caſus decernit ſecundum eius Rubricam. Primus eſt, Vſurarius cenſendus eſt qui à debitore recipit aliquid vltra ſortem, etiamſi ſuſcipiat in ſe periculum; Secundus eſt, &c. Tertius deniq; eſt, &c.

Igitur in hoc dubio inquirimus de primo caſu: † An verè à Gregorio IX. iudicetur vſurarius, & vt talis legitimè condemnetur? Reſpondeo ex communi ſententia apud Sotum *lib. 6. de iuſtitia q. 4. art. 2.* & Gloſſa *ſuper eodem cap. &c.* verè illum contractum eſſe vſurarium, prout à Gregorio proponitur ac diffinitur. Cuius euidens ratio eſt, quod ille mutuator vi mutui verè; fictè autem ratione periculi, recipit aliquid à mutuatario vltra ſortem, in quo vſuraria iniquitas conſiſtit: quod † ſolutionibus argumentorum, quæ pro contraria parte induci poſſunt, patefiet.

Primum ſumitur ex titulis, quibus in eo caſu poteſt recipi aliquid vltra ſortem. Illi enim mutuatori, potuit mutuando ſuam pecuniam damnum emergi, aut lucrum ceſſare, ſi ea ſorte eſſet negotiaturus in portu, ſiue in nundinis, à quibus poteſt mutuator ſe indemnem ſeruare, ſicut & poteſt venditor, teſte D. Thom. *2. 2. q. 77. art. 1.* à ſimilibus damnis quæ patitur ex dilata pretij ſolutione, ſe indemnem ſeruare. Secundum ſumitur ex metu & periculo futuræ ſolutionis; quod enim in futurum expectatur ſoluendum à debitore, maximè paupere aut litigatore, aut ratiociniis implicato, non poteſt non ſubeſſe metui ac periculo, (nam vt vulgo dicitur, midinero manſo, ſe haçe brauo,) quæ ſunt pretio æſtimabilia, quicumque namque prudens vir, mallet amittere centum v.g. drachmas, quàm tali metu anxiari: ergo. Tertium ſumitur ex impenſis, quas facturus eſt mutuator in recuperando ſuas pecunias: vt enim eas recuperet, debet impleto temporis termino mittere nuntium cum chirographo ad mutuatarium, eum vrgere minis, ac tandem miniſtris iudicialiter agentibus, quas proinde impenſas poteſt in pactum è principio contractus ducere, & eas pretio adhibere: ergo. Quartus ſumitur ex fidei iuſſione, contractu aſſecurationis, ac ſocietatis; in quibus caſibus fidei iuſſor pro obligatione ſoluendi debitum pro debitore principali, cui tacitè mutuat, dum pro eo ſoluit; iniens contractum aſſecurationis pro obligatione ſoluendi merces ſi perierint, & ingrediens ſocietatem pro periculo cui exponit pecunias ſuas, poteſt lucrum aliquod recipere: ergo pariter mutuans poteſt licitè à principio ſic cum mutuatario paciſci: da mihi lucrum quod fideiiuſſori daturus eras, & ego ſubibo periculum: aut etiam da mihi lucrum quod aſſecuratori, aut ſocio daturus eras, alioquin da mihi fidei iuſſorem, vel quempiam aſſecuratorem, &c.

Quæ omnia confirmantur à ſimili locationis atque commodationis. Si quis enim Petro v.g. locaret equum ad iter, aut bouem ad colendum agrum, vltra ſtipendium vſus, ſi probabiliter timeret equum ſiue bouem nimia fatigatione vexatum, defecturum fore, poſſet cum Petro de pretio paciſci, vt ſi equus vel bos langueſceret aut periret, ſuo damno langueſceret aut periret: ergo pariter in caſu mutuatæ pecuniæ; ſiquidem vtrobique videtur eadem ratio militare.

Verùm ab hiis noſtra aſſertio vindicatur. Ad Primum namque vt reſpondeamus, operæ pretium eſt, † verum ac germanam ſenſum illius primi caſus contenti *in dicto cap. Nauiganti*, aſſignare. Neque enim fuit animus Gregorij IX. reprehendere aſſecurationes, quæ de ſe ſunt vtiles valde in Republica Chriſtiana, quaſi ex eo capite redderetur illa mutuatio pecuniæ facta nauigãti aut eunti ad nundinas vſuraria, vt Gloſſa, Hoſtienſis & Ioannes Andreas interpretantur.

Sed

Sed neque fuit animus Gregorij, damnare pro vsurario contractu eum, quo mutuatarius obligetur petere ab ipso mutuante, vt pro certo pretio assecuret pecuniam tradendam mutuatario; vt Caietanus, Syluester, Ioannes Maior, Medina & Soto sunt interpretati; quia hoc adeò notum erat, vt minimè indigeret tanta opera à summo Pontifice declarari. Sed neque fuit animus Pontificis decernendi esse crimen vsuræ, si quis mutuet pecunias verè per loca periculosa traiciendas, suscipiendo periculum in se, & assecurando eas iusto pretio, quod ipsi offert mutuatarius, qui vult sibi eam assecurari: quia iste contractus in vtroque foro est licitus, vt probat Nauarrus in *dicti cap. Nauiganti, commentario*, adiuncto *in Manuali*, & summato *in Summa latina cap. 17. num. 284.* cuius & meminit *lib. 5. consiliorum tit. de vsuris, consilio 21.* sequutus Decium *consilio 123.* Idque demonstrat duplici ratione mihi euidenti.

4 Prima est, quod non † committitur vsuræ peccatum, nisi vbi ratione mutui accipitur pretium vltra sortem, vt patet ex vsuræ diffinitione, quæ diffinitur esse lucrum ex mutuo proueniens: Atqui in dicto contractu non accipitur pretium ratione mutui, sed ratione assecurationis factæ à mutuante, & periculi suscepti in se per aliquem contractum distinctum à mutuatione, & non gratuitum, vtpote quem mutuans non tenebatur inire: ergo ratione illius potuit absque labe vsuræ accipere pretium, quod alter tertius posset pro simili assecuratione accipere.

5 Secunda est, quia † fideiiussor potest licitè accipere pretium pro fideiiussione, eò quòd est pretio æstimabilis, & contractus indebitus ac distinctus à mutuo, quod debet fieri gratis sicut commodatum; vt tenet Bartolus communiter receptus *in leg. hoc iure ff. de donation.* Sed eadem est ratio de assecuratore, cùm fideiiussio æquipolleat assecurationi, & de æquipollentibus eadem sit ratio. Nam fideiiussor fit in effectu assecurator debiti alieni: ergo pariter talis assecuratio siue facta ab altero tertio, siue facta ab eodem mutuante (hoc enim discrimen nihil interesset) est iusto pretio æstimabilis, modò absit fraus & dolus, qualis esset si mutuator diceret, nolo tibi mutuare, nisi præstes mihi fideiiussorem, cum quo conueni vt non fideiiubeat nisi tanto pretio inter nos diuidendo. Aut si dicat, mitto te ad fratrem meum cui misi pecunias, qui tibi eas mutuat, cum pacto vt ego pro te fideiiussionem faciam, quam tamen non faciam postea nisi pro certo pretio. Et licet Nauarrus *vbi supra num. 285.* hos duos contractus dubitanter velit à labe vsuræ liberare, eò quòd non ratione mutui, sed ratione alterius contractus distincti pretiũ accipiatur, mihi constans est eorum damnatio, quia in vtroque conficitur mutuatio contra naturam mutuationis, non gratuitò, sed pro interesse conuento & pactato, cuius pactio à principio refunditur in ipsam mutuationem & illam inficit.

6 Quare † legitima interpretatio dicti capitis *Nauiganti*, est, quod Pontifex volens obuiare quamplurimis vsuris palliatis, quæ fiebant cum assecuratore suscepto pretio pro ea, vbi nullum verum, sed tantùm fictum erat periculum: eò quòd multi non inuenientes gratuitos mutuatores, qui sine lucro vellent sibi mutuare, fingebãt se velle traiicere pecuniã mutuatam in alias terras longinquas, & petebant à mutuante assecurationem faciendam pro certo pretio. Vnde inducit Gregorius prudentissimè præsumptionem iuris & de iure, quod iste sic mutuans pecuniã traiiciendam per loca periculosa, suscipiendo periculum in se ob aliquod pretium, est censendus vsurarius: quia præsumitur quod vi mutui vult illud prerium extorquere absque necessitate assecurationis. Ideóque Pontifex consultò non dixit, est vsurarius, sed censendus est vsurarius: id est præsumendus. Igitur concludendo dico; aut quod secundum communem interpretationem Doctorum citatorum, cui & Rubrica illius textus cõsonat, quæ sic habet; *Vsurarius est qui à debitore recipit aliquid vltra sortem, etiam si suscipiat in se periculũ*: talis mutuãs est Vsurarius, quia pro susceptione periculi, quod nullũ erat, recipit aliquid vltra sortẽ. Nullu autẽ adesse periculũ in eo casu colligit Sotus ex ipsa disiunctiua *Nauigãti, vel eunti ad nundinas*: nã eũtes ad nundinas nulli subsunt periculo regulariter loquẽdo, vnde & nauigatio illa absque vllo fieret: aut secundum specialem Nauarri interpretationem, quod mutuans pecuniam numeratam cum assecuratione, suscepto pro ea pretio, est censendus vsurarius, id est præsumendus, quia est mutuatio periculosa & ambigua: potest enim fieri tripliciter; nimirum cum vero periculo, & mutuatario sponte volenti assecurari sibi eam pecuniam à mutuante; & tunc elicita; aut cum pacto, vt mutuatarius teneatur petere assecurationem à mutuante faciendam pro tali pretio, & tunc est vsuraria, siue adsit, siue non adsit periculum, quia illa obligatio in mutuatario est pretio æstimabilis, & consequenter mutuatio non est gratuitò facta, qualiter fieri debet secundum sui naturam: aut tandem potest fieri cum periculo ficto, quod mutuatarius fingit, volens sibi à mutuante assecurari pecuniam pro iusto pretio, vt sic inveniat quempiam, qui sibi eo pretio allectus, velit pecuniam mutuare; & tunc etiam est vsuraria mutuatio. Vnde cùm hæc mutuatio possit huiusmodi triplicem figuram habere, meritò præsumenda est vsuraria; donec Confessario, aut viro docto consulto de illa, constet de vero periculo, cui mutuatarius velit pecuniam acceptam exponere, nauigationi periculosæ, aut itineri periculoso illam committendo, atque etiam de libera eius voluntate in petendo à mutuante assecurationem faciendam, eodem pretio (& non maiori) quo ab altero tertio fieret talis assecuratio.

Quibus sic præsuppositis ac prænotatis, † 7 expendere libet singulos titulos in argumento recensitos, quibus mutuans videtur posse liberari à labe vsuræ in recipiendo aliquid vltra sortem. Quorum primus est de damno emergenti, quod quidem emergit inuito Domino, neque ab eius voluntate aut industria dependet, sed est veluti passio rebus ipsis inhærens; lucrum autem cessans, dependet à voluntate & industria illius, qui suis pecuniis aut mercibus vti vult ad lucrandum in contractibus licitis. Quapropter † in tribus casibus vtrumque horum contingens ob mutuum, licitè ac iustè & 8

ſine labe vſuræ peti poteſt: nimirum ,quando vel mora in ſoluendo præceſſit , aut quando præceſſit vis aut metus, vt ſi Dominus à Vaſallo , aut Rex à ſubditis petat mutuatam pecuniam;aut ſi à principio paciſcitur inter mutuãtem & mutuatarium, de ſoluendo damnum vel lucrum ceſſans. Et quidem circa duos priores caſus eſt ſententia communiter recepta vtroque iure , ſcilicet Ciuili & Canonico probata. Nam *lege cum quidam ff. de vſuris & Cod. eodem, lege vſuras*,coguntur mutuatarius & emptor qui in ſolutionis mora eſt , lucrum ſoluere mutuanti , aut venditori : & *cap. peruenit , in cap. conſtitutus , de fidei iuſſor.* & *in cap. conqueſtus , de vſuris.* In quorum duobus prioribus Ius Canonicum decernit , quod ſi fideiiuſſor ſoluendo pro principali debitore , pro quo deuouit,diſpendium vel damnum aliquod accipit, illud tenetur ei principalis debitor reſarcire: in poſtremo autem ait Gloſſa , quod ratione moræ in ſoluendo , tenetur moroſus emptor ſiue mutuatarius vſuras ſoluere. Ratio quoque huius eſt manifeſta , quia tunc mutuans aut etiam venditor patitur inuitus diſpendium tam lucri ceſſantis , quàm damni emergentis : id eſt per vim cogitur illud pati , ac proinde inuoluntarius patitur iniuriam , quæ per iuſtitiam commutatiuam eſt à cauſante damnum reſarcienda.

Eadem quoque ratio militat in ſecundo caſu ; vis enim ac metus tollunt aut ſaltem diminuunt voluntarium. Vnde ſiquis Vaſallus per vim Domini ſui , aut Regis aut ciuitatis ,cogitur ſuas pecunias mutuare , quas negotiationi habebat expoſitas , aut paratas ad emendam rem frugiferam v. g. vineam vel cenſum , nedum emergens damnum , ſed etiam lucrum ceſſans veroſimile poteſt exigere , ac de illo paciſci, quia eſt inuoluntarius ob metum damni ſibi imminentis, ſi in ea occaſione ſuo Domino aut Regi aut ciuitati non mutuaret.

9 Circa † tertium verò caſum,eſt diſſidium inter Doctores quoad lucrum ceſſans,provt condiſtinguitur omnino à damno emergenti. Nam Scotus *in 4. d. 15. quæſt* 2. Durandus *in 3. d. 17. quæſt.* 2. Innocentius illuſtris Iuriſconſultus *ſuper cap. finali de vſuris* : & Sotus *lib. 3. de iuſtitia quæſt.* 1. *art.* 3. Panormitanus *in cap. ad noſtram de emptione & venditione* , D. Antonius 2. *part. tit.* 1. *c.* 8. §. 2. partem negatiuam tuentur ; nimirum , quod qui ceſſante omni vi , metu ac fraude , ſpontaneus & voluntarius ſiue rogatus ſiue non rogatus , (amicabiles enim preces non tollunt voluntarium) mutuat ſuas pecunias negotiationi , aut emptioni rei frugiferæ paratas ; non poteſt licitè capere intereſſe lucri ceſſantis contingentis ante moram & culpam , aut de illo à principio paciſci: quam opinionem ait Sotus eſſe communem antiquorum Iuriſtarum & Theologorum , & contrariam eſſe modernorum. Ideoque illam amplectitur , licet non omnino iſtam condemnare audeat , neque improbabilitatis arguere. Arguit itaque Sotus , pro ſua & antiquorum opinione. Primò quia nulla lex Ciuilis aut Canonica extat , probans hunc titulum lucri ceſſantis , qui tamen ſi iuſtus eſſet , non poſſet non aliqua lege fulciri : ſicut multis legibus approbatur titulus ille recipiendi damnum,aut etiam lucrum ceſſans contingens ratione moræ. Secundò quia D. Thomas 22. *quæſt.* 78. *art.* 2. *ad primum* , diſtinguit inter damnum emergens , & lucrum ceſſans ; dicens quod de illo poteſt mutuans à principio paciſci : ſecus de iſto , quia huiuſmodi lucrum non habetur in actu , & poteſt multis modis impediri. Tertiò quia hoc in caſu lucrum non propriè ceſſare dicitur , quia non ceſſat inuito , ſiquidem iſte voluntariè mutuat : nam teſte Ariſtotele *lib. 3. Ethicorum*,inuoluntarium ſola vis , metus, aut ignorantia facit : quæ omnia in noſtro caſu ceſſant:ergo ſi iſte voluntariè amouet ſuas pecunias à negotiatione & induſtria , voluntariè quoque amittit lucrum illud , quod ex eis poſſet comparare , ac proinde illud nequit ducere in pactum. Quartò,ſi iſte ſponte, non rogatus , offerret ſuas pecunias mutuatario , non poſſet lucrum ceſſans ab illo recipere : ergo neque ſi id rogatus faciat , quia rogatus non deſinit eſſe omnino voluntarius.

Verùm † partem affirmatiuam tuentur Syl- 10
ueſter *in ſumma. V. vſura* 1. *quæſt.* 19. Caietanus *in ſuo ad articulum* 2. *dictæ quæſtionis* 78. 2. 2. *commentario* , & *in ſumma V. vſura* , Contradus *quæſt. 3. de cõtractibus*, Adrianus *in quæſt. de vſura*, & Nauarrus *in ſumma latina*,eandem tranſcribens ex *commentario de Vſuris*,*notabili* 15. *cap.* 17. *num.* 211, *& ſequenti* , & *lib. 5. conſiliorum tit. de Iudæis* , *conſilio* 4. Quæ ſententia licet modernorum Doctorum iam vſu eſt communiter recepta , & rationibus à Nauarro perpenſis demonſtratur. Quarum ſumma ad has quinque reducitur. Prima ſumitur ex *lege* 3. *ff. de eo quod certo loco* ; & *leg.* 1. *Cod. de ſententia*,quæ pro eo quod intereſt profertur , ſecundum quas licitum eſt mutuare ad intereſſe verum , tam damni emergentis , quàm lucri ceſſantis ſeruatis ſeruandis : ſed præcedente pacto de lucro ceſſante ſoluendo ſeruantur ſeruanda ſecundum Gloſſam & Bartolum *in dicta lege* 1. ergo. Secunda eſt , quod licet pecunia abſolutè conſiderata non magis valeat,quàm ipſius quantitas valet ; tamen ſi eſt negotiationi expoſita, vel alterius rei frugiferæ deſtinata, pluris valet, quàm ſimilis quantitas non ita expoſita ac deſtinata:& conſtat *ex dicta lege 3. ff. de eo quod certo loco*, ad calcem illius: igitur mutuans pecuniam ſuam ſic expoſitam aut deſtinatam, poteſt paciſci de illo maiori valore, à mutuatario ſoluendo. Tertia procedit à ſimili de tritico iam ſato , vel ſationi expoſito, quod pluris valet & pluris licet vendere,quàm idem vel alterũ tantùm abſolutè conſideratũ, ita vt qui illud ſuſtulerit, plus reſtituere teneatur ; atque de operario qui poteſt accipere pretium operarum, quas ad preces alterius omiſit, qui eas ſoluere promiſit:ſimilitérque mutuans poteſt accipere lucrum , quod ad preces mutuatarij omiſit,propter promiſſionem de intereſſe reſarciendo. Neque non de illo qui inſtrumenta ſuæ artis commodat alteri , poteſt iuſtè ab illo recipere lucrum,quo priuatur ob id quod caret inſtrumentis : ergo negotiator etiam poterit recipere lucrum, quod amiſit ex eo quod à ſe abdicat pecuniam negotiationi expoſitam, eò quòd pecuniæ etiam ſunt negotiatori inſtrumenta ad lucrandum , ſicut inſtrumenta opificis deſeruiunt ei ad operandum, &c. Nec valet diſcrimen à Soto aſſignatum , quod vſus inſtrumentorum artis diſtinguitur ab ipſis inſtrumentis,

strumentis, éstque per se locabilis, quin instrumenta transeant in dominium conductoris: at vsus pecuniæ non distinguitur à pecunia, nec est per se locabilis, cùm pecunia ipsa sit vsu consumptibilis, & transeat in dominium mutuatarij. Nam esto hoc sit verum, non facit ad propositum, quia nos non facimus comparationem inter vnum & alterum vsum, quasi vnus & alter sit locabilis, sed inter impedimentum quod ex vno, & altero sequitur: & inter emolumentum quod cessat opifici carenti suis instrumentis, & lucrum quod cessat mutuanti carenti suis pecuniis, eò quòd illas per mutuum transegit in obsequium mutuatarij; & dicimus quod sicut ille de suo emolumento, ita & iste potest de suo lucro cessante pacisci. Sed neque argumentum procedit de locatione, vt sibi effinxit Sotus, nisi de commodatione quæ non minus gratis, quàm mutuario, petit fieri. In hac enim consideratione par est vtriusque ratio: ac proinde idem ius debet esse, argumento *legis illud ff. ad leg. Aquiliam.* Quarta est, quoniam habens aliquam rem, quæ nec sibi, nec alteri pluris valet, quàm octo, v.g. nequit eam alteri pluris vendere, etiamsi emptori maioris sit emolumenti: bene tamen si pluris valeat sibi, potest eam vendere tantò maiori pretio, quantò sibi magis valet secundum D. Thomam. 22. *quæst.* 77. *art.* 1. & Scotum *in* 4. dicta *d.* 15. *quæst.* 2. communiter receptos. Sed mutuanti pluris valet pecunia exposita negotiationi, aut emptioni rei frugiferæ: ergo potest pacisci cum mutuatario de illo maiori valore, atque illum iustè ab eo recipere. Vltima sic procedit. Quoniam facultas lucrandi reperta in pecunia, licet non augeat eius pretium in se considerata, bene tamen illud auget, vt subest industriæ illius, qui scit & vult ea vti ad iustè lucrandum, sicut potentia generandi quæ inest tritico, licet non augeat eius pretium absolutè considerata, bene tamen provt subest industriæ illius, qui habet illud iam fatum aut fationi destinatum, nec habet aliud simile quod fationi destinare possit, ac per consequens mutuator poterit de illo maiori valore pacisci, & cum iusto pretio compensare.

11 Ex † his facilis adest solutio ad argumenta Soti. Ad Primum namque negamus antecedēs: tum quia duæ extant leges citatæ in prima ratione adductæ pro nostra sententia, huiusmodi lucrum cessans approbantes, siue tanquam licitum permittentes. Tum quia in legibus vtriusque Iuris præallegatis, in quibus approbatur expressè lucri cessantis aut damni emergentis interesse ratione moræ, tacitè quoque approbatur interesse lucri cessantis ei, cui magis valet pecunia, etiam ante moram, cum eadem sit vtriusque ratio: vbi enim eadem est ratio, idem quoque ius militat, argumento dictæ *legis illud, ad legem Aquiliam.*

Ad Secundum, fateor Angelicum Doctorem eam distinctionem fecisse, sed eius verbis neutiquam interesse lucri cessantis, prout à nobis adstruitur, condemnatur. Postquam enim dixerat, mutuantem posse licitè in pactum deducere recompēsationem damni, per quod subtrahitur sibi aliquid, quod debebat habere; subdit sic: *Recompensationem verò damni, quod consideratur in hoc, quod de pecunia non lucratur, non potest in pactum deducere, quia non potest vendere id quod nondum habet, & potest impediri multipliciter ab habendo.* Quorum verborum sensus genuinus est, quod lucrum cessans negatiuè dumtaxat consistens in sola negatione, quatenus quis sua pecunia non lucratur, nequit in pactum deduci; ex hoc autem non negat Sanctus Doctor posse paciscilucrum illud quod cessat priuatiuè, hoc est propterea quod mutuans impeditur lucrari sua pecunia exposita ad negotiandum, quæ est veluti apta nata proximè ad lucrandum, dummodo istud lucrum non exigatur à mutuante, vt res in actu habita, sed tantùm vt habita in potentia, & multis modis impedibilis, v. g. lucrum hoc quod Petro mutuanti poterat ex eius industria obuenire, æstimatur fore decem ducatorum, deductis impensis laboris & itineris, (harum enim excursio semper est facienda) non debet ex integro in pactum deduci, eò quòd non est in actu, sed tantùm in spe & potentia, quæ potest multis modis aut à toto effectu, aut ab illius parte impediri; eò quòd subest multis periculis; quibus consideratis secundum prudentis viri æstimationem, sat erit deducere in pactum lucrum septem vel octo ducatorum, hoc est tres partes lucri probabiliter obuenturi. Idem de tritico fato dicendum est; nam si deductis impensis seminis, laboris & culturæ, probabiliter producturum erat decem modios, sat erit deducere in pactum septem modios soluendos ab emptore; eò quòd illi decem modij sunt tempore emptionis tantùm in spe & potentia multis periculis obnoxij, quibus possunt impediri, aut saltem ex parte deficere, puta per aëris intemperiem, & pluuiæ defectum, aut locustarum ingluuiem. Et hæc est mens Angelici Doctoris in verbis recensitis, neque alius sensus magis genuinus eis aptari valet.

Ad Tertium negandum est antecedens: imò hoc in casu lucrum cessat inuito. Nam licet tunc mutuator voluntariè mutuet, tamen inuitus lucrum amittet, dum illud à principio contractus in pactum deducit, & mutuatario facit præuisum ac notum, vt cum ea conditione mutuatam pecuniam accipiat, quam manifestat esse negotiationi, aut rei frugiferæ venditioni destinatam: alioquin si hæc manifestatio ex parte mutuatoris, & præuisio ex parte mutuatarij non præcederet sub explicito, aut saltem tacito pacto, fateor iniustè lucrum illud à mutuatario extorqueri, qui inuoluntarius esset in soluendo ob ignorantiam quæ causat inuoluntarium, sicut mutuator iniustus esset in exigendo lucrum, nec conuentum, nec manifestatum à principio. Quod si nec damnum emergens ante moram & culpam, non potest iustè recipi regulariter loquendo, nisi præcedente pacto, vt bene perpendit Nauarrus *vbi supra ex lege. si sterilis §. cum per venditorem ff. de action. empt.* quantò minus lucrum cessans.

Ad Quartum fateor cum Soto, eandem esse rationem de mutuatore rogato ac non rogato, quoad conditionem voluntarij; Sed nego illi, quod mutuans non rogatus non possit lucrum in pactum deducere, si dum offert amico vel vicino indigenti suam pecuniam, manifestet ipsi eam pecuniam esse destinatam, vel destinandam alicui negotiationi, cuius lucrum velit sibi resarciri.

Circa Secundum argumentum videndum

12 nobis est,† Vtrum ratione metus periculi possit mutuator, siue qui vendit suas merces credito, licitè recipere aliquid vltra sortem, vel vltra iustum pretium? In quo partem affirmatiuam tenet Medina *quæst.* 38. *de restitutione*, motus secundo & quarto argumento adductis: Verùm tenenda est pars negatiua cum Conrado *q.* 59. *de contractibus*, & Soto *in dicto lib.* 6. *quæst.* 4. *art.* 1. communiter receptis. Suadetúrque Primò: nam aut istud periculum cui mutuator pecunias, & venditor ad creditum, merces committit, est fictum, vel est verum: quia mutuatarius, siue emptor reuera, est pauper vel fraudulentus & malefidus (quod vulgo dicitur *tramposo.*) Si primum, neutiquam potest vendi, quia quod non est, nequit esse pretio æstimabile, etenim non entis, nullæ sunt passiones. Si secundum, adhuc non potest pretio æstimari propter tria. Tum quia mutuator præuidens suas pecunias periculo exponi, (idem dicito de venditore ad creditum) non inuitus sed voluntarius mutuat & subit periculum, quod proinde vendere non potest: scienti namque & volenti nulla fit iniuria. Vnde aut illas non mutuet, aut aliam cautionem accipiat, v. g. per aliquem contractum non gratuitum, scilicet fideiiussionis aut assecurationis. Tum etiam, quia vltra duos titulos recensitos, scilicet damni emergentis & lucri cessantis, daretur tertius recipiendi in mutuo pretium vltra sortem: quod tamen negat communis Doctorum sententia, siquidem eo in casu mutuator posset recipere tale pretium vltra sortem, non titulo damni emergentis, nec titulo lucri cessantis: nec propter impensas *in recuperando pecuniam mutuatam faciendas* (*supponimus enim hæc omnia cessare in dicto casu*) *solo titulo* metus siue periculi: ergo iste esset tertius titulus iustificandi vsurarium lucrum. Tum denique, quia aliàs conditio indiuidualis mutuantis siue vendentis ad creditum, esset causa legitima augendi pretium: vt si esset homo magis ex sua indiuiduali conditione timidus & meticulosus. Consequens esse falsum patet, quoniam naturalis conditio non est vendibilis, nec conducit ad pretium rei transeuntis in dominium alterius. Secundò probatur, quia vel metus iste fuit ab initio contractus præcautus, & notus factus mutuatario siue emptori; vel non, sed post initum contractum, ipse mutuator siue venditor, metu periculi anxiatus est. Si primum, non potest metum pretio redimere, quia volũtariè in illud periculum se ingessit: si secundum, neque potuit pro metu subsequenti pretium auctarium recipere, quia mutuatarius siue emptor fuit insçius illius, ac proinde inuitus & inuoluntarius tale pretium solueret, quia ignorantia causat inuoluntarium: ergo. Tertiò probatur soluendo argumentum 2. 3. & 4. quibus innititur contraria opinio. Igitur ad Secundum respondetur, metum illum & periculum non esse pretio æstimabilia, vi mutui, aut venditionis expectata pecunia; neque talis æstimabilitas conuincitur ex illa præsumptione, quod mallet quis prudens vir iacturam facere centum regalium, quàm tali metu vexari: nam etiam mallet homo perdere centum scuta, quàm digitum sibi amputari, & tamen non potest digitum pretio vllo vendere.

13 Ad Tertium fatemur † impensas faciendas posse in pactum ab initio duci, neque non labores à mutuatore siue venditore in recuperando suas pecunias exhibendos: vt bene docet Sotus *in dicta q.* 4. *art.* 1. § *Supereſt autem*, cum Medina citato loco, consentiens in hac parte. Labores enim, opera & impensæ sunt apud venditorem & mutuatorem, quas & possunt locare, & pretio redimere, atque à principio de illis paciſci, quando probabiliter iudicatur earum contingentia: quod & consuetudine probata contrahentium confirmatur. Nam emens censum, paciſcitur cum Censualista, vt transacto tempore solutionis, vadat minister ad recuperationem annui reditus, cum duodecim, v. g. regalium salario soluendo à Censualista: pariter solet mercator paciſci cum emptore, vt post moram eius expensis vadat minister pretium mercium venditarum accipere. Eadémque consuetudo seruatur apud mutuatores: neque est damnanda, cùm ab hominibus probatæ vitæ seruetur, & instrumentis publicis istæ conuentiones confirmentur. Cuius ratio est euidens, quod in huiusmodi casibus istud pretium non ratione mutui, nec ratione lucri cessantis recipiatur: sed ratione operum vel impensarum exhibendarum ab ipso mutuatore, siue mercatore, à quibus proinde iustè potest se indemnem seruare, quod ad titulum damni emergentis potius reducitur: quo proculdubio iustificatur, vt diximus, pactio & receptio pretij vltra sortem, quod potius dicendum est merces laboris, & impensarum recompensatio. Quid † si neque vllus labor exhibeatur, neque vllæ 14
impẽsæ fiant tempore solutionis, quia mutuatarius aut emptor ante moram & culpam mittit pecuniam mutuatam, aut pretium rei venditæ in domum mutuatoris siue venditoris: poteritne recipere mutuator, siue venditor pretium illud auctarium, quod initio contractus pepigit, pro labore, aut pro impensis sibi soluendum? Sotus §. *nuper citato* respondet affirmatiuè, eò quòd cessante fraude, si probabili coniectura timentur labor & impensæ, nulla est iniquitas de illis pactum inire, & constitutum pretium recipere, etiamsi nullas sit postea mutuator facturus: nam etiamsi esset plura expensurus, non posset iustè amplius recipere, quàm fuit conuentione firmatum. Verùm contrarium sentio, & valde miror Sotum, qui cùm tam difficilis fuerit in iustificando titulum lucri cessantis, quando non cessat inuito, atque in admittendo titulum metus siue periculi: cùm tanta facilitate admiserit pretium laboris & impensarum ab initio conuentum, etiamsi postea nullæ fiant in recuperando mutuatas pecunias, aut pretium mercium credito venditarum. Ratio quæ me mouet est duplex. Prima quia nullius entis nullæ sunt passiones: ergo laboris & impensarum quæ nullæ sunt nulla est æstimabilitas: ac proinde nec nullum pretium potest recipi pro illis.

Secunda est, quoniam pactum illud initio initum inter contrahentes de labore & impensis recompensandis, semper est conditionatum, hoc est sub conditione laboris exhibendi, & impensarum faciendarum: ac si diceret mutuator siue venditor, dabis mihi tantum pretium pro labore & impensis, si quas fecero in recuperando, quod tibi mutuaui aut vendidi: aut est pœnalis, id est in pœnam morosæ solutionis:

Sed

Sed pœnalis deficiente culpa, atque contractus conditionatus deficiente conditione non subsistit: ergo vi talis contractus, neque emptor (idem puta de mutuatario) deficientibus impensis est debitor illarum: neque venditor habet ius petendi earum recompensationem; alioquin si pactum fuisset omnino absolutum, & pro quouis euentu implendum, iniustum & vsurarium existimo fore iudicandum.

Ad Quartum admisso antecedente, negatur
15 consequentia. Nam † in casu fideiussionis, potest quidem fideiussor paciſci de pretio sibi soluendo ab illo, pro quo fideiubet, non quidem ob periculum quod subit, sed propter obligationem quam suscipit in se, soluendi pro debitore principali, si ille non soluat, & perdendi suam pecuniam: quæ obligatio est pretio æstimabilis, vt habetur *leg. hoc iure ff. de donation.* & tradit Nauarrus *in Manuali cap. 17. num. 185. & lib. 5. consiliorum, tit. de vsuris, consilio* 21. Similiter in contractu assecurationis, potest licitè qui assecurat merces, v.g. pretium recipere, non ratione periculi, sed ratione obligationis, qua se obligat soluere merces alteri si perierint, & facere suorum bonorum iacturam.

16 Denique † ingrediens contractum societatis, licitè potest lucrum suæ pecuniæ correspondens recipere, non ob periculum, sed quia illam exponit negotiationi. Ad confirmationem neganda est consequentia: nam latum inter vnum & alterum casum versatur discrimen: pecunia enim mutuata transfertur in dominium mutuatarij, de cuius proinde periculo non potest paciſci mutuans, quia solius mutuatarij interest ea pecunia vti, cum sola obligatione reddendi tantundem mutuanti. Secus autem contingit in equo locato aut accommodato, quippe qui manet semper in dominio locantis seu commodantis, qui proinde de eius incolumitate vtpote rei suæ potest paciſci.

DVBIVM II.

Circa secundum casum eiusdem capitis Nauiganti? *Vtrum à labe vsuræ sit immunis?*

CAsus iste secundus in dicto contextu sic habet. *Ille quoque qui dat decem solidos, vt alio tempore totidem sibi grani vini vel olei mensuræ reddantur; quæ licet plus valeant, vtrum plus vel minus solutionis tempore fuerint valituræ, verosimiliter dubitatur, non debet ex hoc vsu-*
17 *rarius reputari.* De quo dubitatur, † Vtrum vsuram committat, qui anticipata solutione emit merces minori pretio, quàm futuro tempore sint valituræ? In quo dubio communis sententia Iuristarum tenet, ab vsuræ labe vindicari dictum contractum, cum Soto *lib. 6. de iustitia quæst. 4. art. 2. conclusione* 1. Nauarro *in Manuali c. 17. num. 210. & in commentario de vsuris, notabili* 12. *& duobus sequentibus.* Pro cuius declaratione noto, huiusmodi contractum posse effici vno ex tribus modis. Primo sic: ego emo à te triticum colligendum mense futuro Augusti, pretio duodecim drachmarum ob anticipatam solutionem, quod pretium est minus iusto, quo tunc æstimabitur triticum. Secundò sic; ego emo à te triticum colligendum mense Augusti, pretio indiffinito, quo tunc triticum fuerit valiturum, datis tamen arrhis anticipata solutione. Tertiò sic; ego emo à te pretio taxato duodecim drachmarum triticum colligendum mense Augusti proximè venturo, anticipata solutione taxati pretij, quia sub dubio est, an tunc ita plus, minusve sit valiturum. Et quidem si primo modo fiat, manifestè est vsurarius ea firma ratione, qua vtitur Nauarrus *vbi supra*, quia nimirum, qui emit vel locat minori iusto pretio ob anticipatam solutionem, est vsurarius: nam æquipollenter & tacitè mutuat illam pecuniam, vt tantundem & aliquid amplius recipiat mense venturo Augusti: quod peccatum regulariter committunt, qui emunt, aut locant reditus Regum, Episcoporum, & aliorum Principum siue Magnatum necessitate oppressorum, minori iusto pretio infimo ob anticipatam solutionem vnius anni, & multò minori ob duorum siue trium annorum anticipatam solutionem.

Si verò celebretur Secundo modo, procul dubio est licitus ea firma ratione, qua vtitur Sotus *in loco citato*: quia nimirum † pre- 18
tium iustum rei comitatur eius existentiam: tanti enim res æstimatur, quanti valet quando existit, quia tunc & non ante venit in vsum hominum, ob quem quæcumque res ab hominibus æstimantur: igitur cùm quantitas ista tritici empti non veniat in vsum, nisi mense Augusti, eius iustum pretium taxandum est iuxta valorem quem tunc habebit: quod fit in dicto contractu celebrato secundo modo. Denique si celebretur Tertio modo, etiam est iustus & à labe vsuræ alienus: quia celebratur iuxta formulam capitis *Nauiganti*, in quo decernitur à Gregorio IX. talem contractum sic celebratum, non esse reputandum vsurarium. Cuius ratio euidens est, quod iustitia huius emptionis non in anticipata solutione fundatur, alioquin vsuraria foret. Nam si eadem emptio fieret sine anticipata pretij solutione, v.g. hoc modo: ego à te emo triticum totum tuæ messis, computando singulos modios (quotquot illi fuerint) pretio duodecim drachmarum tradendo tempore eiusdem messis, pro quo dubium est tritici futurum pretium, contractus valet, & vtrinque patiet obligationem; ita vt neque emptor possit petere pretij relaxationem, neque venditor teneatur illam facere, etiamsi totum triticum grandine pereat. Siue enim hoc aut illo modo, id est, siue anticipata solutione taxati precij, siue dilata vsque ad tritici traditionem, emptio celebretur, eiusdem rationis ac iustitiæ est, dummodo sub dubio sit futurus valor tritici: ergo sicut celebratus secundo modo, non fundatur in anticipata solutione, ita neque celebratus tertio modo. Fundatur igitur iustitia dictæ emptionis in cõiecturali seu probabili æstimatione rei dubiæ, quæ potest prudentia, & conuẽtione seu pacto diffiniri. Qua ratione spõsiones pecuniæ super dubio aliquo euẽtu iustificantur: vt in Salmantina Academia olim quando Cathedræ ad suffragia audientium distribuebantur, plerisque solitum erat facere sponsiones pecuniarum pro illo, qui cathedram esset obtenturus, v. g. vnus faciebat sponsionem centum ducatorum pro Petro, & alius faciebat sponsionem

eiusdem

eiuſdem quantitatis pro Paulo, depoſitiſque vtrinque pecuniis apud tertium, ſponſores Cathedræ euentum expectabant, qui erat ſatis dubius, imo & fortuitus vtpote à iuuenum voluntatibus dependens; obtinentéque Petro cathedram, qui pro illo ſpoponderat, dictam quantitatem pecuniæ depoſitæ ab altero, qui pro Paulo ſpoponderat, lucrabatur. Qui modus lucrandi per huiuſmodi ſponſiones (quas vulgo Apueſtas vocant) licitus reputatur; eò quòd vterque ſponſor pari dubio ac periculo ſuam pecuniam exponit.

19 Sed inſtabis; quod ſi ille qui facit † ſponſionem pecuniæ pro Petro v.g. certò ſciret cathedram eſſe conferendam Petro, vt quia ſuffragiis & ſchedulis iam in vrna exiſtentibus, Dæmonis arte, aut alicuius ex Iudicibus ſeu Conſiliaribus induſtria ei reueletur, Petri eſſe maiorē partem ſchedularum? Reſpondeo, tunc huiuſmodi ſponſorem iniuſtè lucrari depoſitam pecuniam alterius talis euentus ignari, ac proinde ad reſtitutionem teneri; eò quòd tunc nec dubio nec periculo æquali ſuam pecuniam exponit. Secus eſſet ſi poſt factam ſponſionem ac depoſitum pecuniæ cum dubietate euentus, alter ſponſor ſatageret aliqua via etiam illicita ſcire, quis in vrna maiorem numerum ſchedularum ſiue ſuffragiorum haberet. Paritérque iudicandum eſt de illo emptore, qui anticipata ſolutione emeret triticum v. g. vel oleum minori pretio, certò ſciens multò maiori fore in tempore traditionis valiturum: eò quòd tunc tacitè mutuat illam pecuniam cum fœnore, neque dubio alicui aut periculo eam exponit, contra formulam dicti capitis *Nauiganti*. Huic reſolutioni videntur obſtare exempla Thaletis Mileſij, Alexandrini mercatoris, & Io-

20 ſephi Patriarchæ. Ille † namque teſte Ariſtotele *lib. 1. Politicorum cap. 7.* ſciens per Aſtrologiam futuram olei abundantiam, exigua pecunia in hieme emit, quantum olei vnuſquiſque collecturus eſſet; poſtea verò ingentiſſima copia olei proueniente, cuius & ipſe ſolus erat venditor, ampliſſimam pecuniam congregauit, in quo potius laudatur quàm vituperatur. Secundus verò teſte Cicerone *lib. 3. officiorum*, veniens Rhodum fame laborantem, cum frumenti copia, ſciens quod poſt ipſum alij Mercatores cum ingenti frumenti quantitate venturi eſſent, Rhodanos non monuit, ſed ſuum frumentum pretio currenti vendidit, & quidem laudabiliter ſecundum Diogenem, cuius ſententiæ ſub-

21 ſcribit D. Thomas *q. 77. art. 3. ad 4.* Ioſephus † denique vt refertur *Geneſ. 41.* diuinitus præcognoſcens futuram vbertatem annorum ſeptem, quos ſequutura erat aliorum totidem ſterilitas, vili pretio prius emendo frumenta, & poſtea cariori vendendo, Pharaonem laudabiliter ditauit. Verùm hæc exempla noſtræ reſolutioni minimè obſtant. Non quidem primum, quoniam Thales Mileſius in illa emptione anticipata ſolutione infimi pretij, cum certa præſcientia futuræ abundantiæ olei vendendi cariori pretio, non laudatur ab Ariſtotele de virtute aut iuſtitia, ſed de ſagacitate & induſtria qua diues factus fuit, oſtendens contra opinionem vulgi exprobrātis Philoſophis paupertatem, facillimè eos poſſe per Philoſophiam temporales diuitias comparare, niſi eas ob virtutis & Philoſophiæ amorem deſpectui haberent. Neque Secundum quia mercator ille Alexandrinus veniens Rhodum, ſuum frumentum venditurus, illud vendidit pretio currenti & pecunia numerata, cuius nec dilata, nec anticipata fuit ſolutio; aſportandam verò copiam illuc frumenti ab aliis mercatoribus, quæ eſſet pretium minutura, non tenebatur pandere, quia pretium comitatur exiſtentiam rei venalis, vt ſæpius docuimus: vnde abundantia futura alicuius mercis ſiue præuiſa, ſiue non præuiſa, non minuit pretium quo eadem merx in præſenti æſtimatur. Neq, Tertium; nam Ioſephus iuſtus & prudens fuit in emendo frumenta vili pretio durante copiæ tempore, & vendendo eadem cariori durante inopiæ tempore; quia tam emptio, quàm venditio facta fuit pecunia numerata iuſti pretij, minorati quidem ob abundantiam in vno tempore, & aucti ob inopiam in altero.

DVBIVM III.

Circa tertium caſum cuius formula in capite Nauiganti *ſic habet.*

RAtione huius dubij etiam excuſatur, *qui parat nos, granum, vinum, oleum & alias merces vendit, vt amplius quàm tunc valeant, in certo termino recipiat pro eiſdem: ſi tamen ea tempore contractus non fuerat venditurus.* Qui caſus coincidit cum illo, quem Alexander III. diffinierat *in c. in ciuitate, eodem titulo*, dicens; quod † ven- 22
dens rem pluſquam valeat, quia ſolutionem differt, peccat: niſi dubium ſit, an tempore ſolutionis erit valor rei variatus, & venditor non erat venditurus tempore quo vendidit. Hæc Secunda conditio licet in textu non exprimatur, apponitur in Rubrica, ſecundum communem intellectum. Itaque † cum duabus conditionibus 23
iſta venditio mercis credito facta maiori pretio, quàm currenti ob dilatam ſolutionem, iuſtificatur; nimirum quod fiat cum dubio variationis pretij tempore ſolutionis, & quod venditor non eſſet merces venditurus eo tempore quo eas vendit. Cuius ratio eſt duplex; Prima quod venditor poteſt æſtimare rem ſuam ſecundum valorem quem habitura eſt eo tempore, quo erat eam venditurus; ergo ſi menſe Maij v.g. erat triticum venditurus, poteſt licitè pretio Maij illud æſtimare, ac ex nunc pro tunc illud vendere; quia vt dictum eſt, pretium rei venalis comitatur eius exiſtentiam, intellige quam habet, quando venditur numerata pecunia, vel quam habet in futurum tempus, in quod ſeruanda erat à ſuo Domino. Secunda eſt, quod licitum eſt venditori ſeruare ſe incolumem à damno emergenti: atqui ſi triticum v. g. in menſem Maij ſeruaturus, illud venderet menſe Ianuarij pretio tunc currente, damnum pateretur, quod illi emergeret, diſtrahendo triticum minori pretio, quàm habiturum erat tempore deſtinatæ venditionis: ergo licitè poteſt titulo damni emergentis vitandi, ſecundum futurum pretium, triticum æſtimare ac vendere; deductis tamen impenſis, quas in ſeruando triticum vſque ad illum menſem eſſet facturus.

Ex † hac doctrina tres veniunt ſoluendæ 24
difficultates. Prima eſt; Vtrum caſus capitis *in ciuitate* ſit numero diuerſus à 3. caſu capitis

Nauiganti?

Nauiganti. Secunda est, Vtrum venditio hæc possit fieri nedum pretio indiffinito mensis Maij, sed etiam pretio determinato, v.g. tanto, quantum probabiliter iudicatur futurum. Tertia, Vtrum qui triticum non sit in mensem Maij seruaturus, possit licitè illud maiori pretio, quàm præsenti vendere: hoc est vtrum casus tertius capitis *Naviganti*, possit aliquando iustificari absque secunda conditione.

Ad primã igitur difficultatẽ aliter Caiet. 22. q. 78. *art.* 1. & aliter Sotus *vbi sup. q.* 4. *art.* 2. respõdet. Nam Caiet. ait esse casus adeò diuersos, vt vnus nec cũ alio coincidat, nec per aliũ explicetur, eò quòd casus Capitis *in ciuit.* est, quando vẽditio mercis nõ consũmatur in præsenti, sed ob dilationem pretij expectati in futurum (quæ consideratur vt actio complens venditionem) petitur cumulatius pretium, quàm currens de præsenti, vt si quis abundans tritico tempore natiuitatis Dominicæ, rogatus vt vendat decem modios v.g. soluendos mense Maij pretio tunc currenti, aut tali pretio determinato, quod præsumitur probabiliter tunc fore: dicat roganti. Ego vendo tibi hos decem modios tritici, pro quorum singulis mense Maij viginti drachmas dabis, quo pretio probabiliter iudicatur tunc triticum fore valiturum, & hæc venditio sic absolutè consũmata est licita, & à labe vsuræ immunis, vtpote nec tacitè mutuum includens, etiamsi venditor non esset triticum in Maium seruaturus. Vnde est casus omnino diuersus à casu 3. Capitis *Nauigãti*, qui vt sit licitus, petit hanc secundam conditionem, eò quòd illa venditio non erat absoluta & consummata in præsenti, sed expectabat sui consummationem in tempus solutionis, cuius dilatio considerabatur vt distincta actio à venditione, & inuoluens tacitum mutuum, vt si venditor diceret: Ego tibi vendo triticum hoc, & mutuo tibi pretium vsque ad mensum Maij; qui contractus planè esset vsurarius ratione mutua taciti, nisi purificaretur per illam secundam conditionem, quod venditor esset triticum seruaturus, vsq; ad mensem Maij.

25 Sotus verò (cui assentior) † melius respondet esse vtriusque capitis eundem casum, Gregoriúmq; IX. Alexandri III. mentem explicuisse, quod mihi multipliciter persuadeo. Primò quià Rubrica dicti Capitis *in ciuitate*, quæ explicat argumentum ac mentem textus, apponit huiusmodi secundam conditionem Gregorij IX. quod scilicet venditor suas merces non esset tunc vẽditurus secundum communem intellectum. Secundò quoniam contractus emptionis & venditionis optimè consũmatur independenter à reali traditione rei ex parte vendentis, & à reali solutione pretij ex parte ementis, vtpote cuius perfectio & consummatio solùm consistit in eo, quod vtrimq; pariat obligationem, cùm contractus nihil aliud sit, quàm vltro citroq; obligatio *ex leg. Labeo, ff. de verborum significatione*. Igitur dilata solutio, aut traditio non obest, quominus dicta venditio consummata sit eo tempore, quo fit antecedẽter ad realẽ pretij solutionẽ. Tertiò quia eadem semper est forma huiusmodi venditionis factæ credito, siue ob expectatã pecuniã, nimirum hæc; Vendo tibi triticum nunc in mense Decembris aut Ianuarij pretio quod habebit mẽse Maij: eadémq; in aliis mercibus quæ venduntur credito seruatur, nunquámq; fit illa venditio inchoata & incompleta, quam fingit Caietanus, includens mutuũ ob dilatam solutionem. Imo si quis vendens suas merces nunc, mutuaret pretium currens in præsenti, recepturus cumulatius pretium tempore futuro, planè vsuram committeret intrinsecè malam; quæ proinde nulla via nullàue conditione honestari posset, quia reciperet lucrum ex mutuata pecunia; quod est intrinsecè malum. Quod amplius sic declaro. Si iste venditor non esset seruaturus suum triticum in mensem Maij, aut suum vinũ, vel oleum in mensem Augusti; nullo titulo posset recipere pretium quod triticum habiturum est mense Maij, aut pretium quod vinum siue oleum habiturum erat mense Augusti: nam cum istæ merces non erant seruandæ vsque ad illud tempus, nequeunt gaudere pretio illius temporis. Vnde vendere illas pretio expectati temporis ad quod ex intentione venditoris non erant peruenturæ, est vendere illas maiori pretio, quàm valent, quod est intrinsecè malum, quia pretio currenti & non futuro taxandus est valor earum mercium, quæ tempori futuro non sunt destinatæ, nisi tantùm præsenti. Sicque talis venditio non subterfugeret malitiam, aut vsuræ, si ratione mutui taciti vel expressi obligaret emptorem ad cumulatius pretium soluendum, aut iniustæ venditionis, siue deceptionis in vendendo rem pluris quàm valet. Ac tandem concludo: Si casus capitis *in ciuitate* esset, vt à Caietano depingitur, nimirum venditionis mercium pretio quod habituræ erunt tempore futuro præfixo; & iste contractus sic consummatus est licitus, cur Pontifex ibi monet Episcopum, vt suos ciues à tali forma vendendi arceat? Nam à contractu licito & iusto nemo debet arceri: ergo arcentur, quia licet non haberet ille contractus figuram vsuræ, vtpote cuius figura potius erat emptionis & venditionis: incertum tamen erat, an illi venditores, suas merces essent in tempus futurum seruaturi: nam hoc dependebat ex eorum intentione quæ soli Deo nota erat, sine qua conditione talis contractus erat iniquus, aut labe vsuræ, aut deceptionis in vendendo merces carius, quàm valebant.

Hinc venit soluendus alius casus præcedenti aliquantulum similis: vt si Petrus abundans tritico mense Ianuarij, dicat Paulo egenti & roganti, vt sibi vendat decem modios soluendos mense Maij pretio tunc currente. Ego nolo vendere, sed mutuo tibi hos decem modios tritici, recipiendos mense Maij, vel pretium eorum, quod tunc curret: qui contractus mutui est honestus, etiamsi Petrus non esset seruaturus triticum in mensem Maij, seruata hac vnica conditione, vt liberum sit Paulo reddere decem illos modios ante mensem Maij, si possit & velit; alioquin iniquus & vsurarius esset.

Ad Secundam difficultatem respondeo affirmatiuè: nam cùm id quod sub dubio est possit humana prudentia diffiniri ac taxari, hinc fit nedum illam venditionem anticipata solutione factam esse licitam, quando fit pretio indiffinito, verùm etiam quando fit pretio determinato v.g. si dicat Petrus Paulo; Vendo tibi decẽ modios tritici, pro quorum singulis solues mihi decem & octo drachmas, quia probabiliter iudicatur mense Maij tanti fore valituros. Cuius ratio est duplex: Prima quod iustitia huius contractus nõ fũdatur in sola dilata solutione, alioquin

quin vsuræ labe inficeretur; sed vt optimè notauit Sotus, in probabili coniectura rei dubiæ, quæ prudentia valet diffiniri ac taxari. Secunda est; quia si quis econtra viliori pretio emeret totidem modios tritici mense Maij, quando valent singuli decem & octo drachmis, anticipata solutione, dicens: dabis mihi tempore messis viginti modios tritici, pro quorum singulis, soluo tibi nunc de præsenti duodecim drachmas: ista emptio licita est, valdéque est in vsu apud homines timoratæ conscientiæ, maximè Communitatum Oeconomos, qui vinum, oleum, carnes, pisces, & grana emunt anticipando solutionem vilioris pretij, quàm in præsenti dictæ merces valeant: eò quòd fundatur in coniectura rei dubiæ, & huiusmodi merces non veniunt in vsum mentium, nisi quando viliori pretio æstimantur: ergo pariter venditio similium mercium facta per dilatam solutionem erit licita ob easdem rationes; tum quia in coniectura rei dubiæ fundatur: tum, quod pecunia expectata non veniat in vsum vendentis, nisi quando merces auctiori pretio æstimentur.

Ad Tertiam difficultatem, Sotus *in dicto art. 2.* postquam refert opinionem Caietani circa intelligentiam tertij casus *in cap. Nauiganti*, contenti; subdit, etiam opinionem illam sustineri posse cum duabus conditionibus; nimirum, si venditio fiat pretio indiffinito, & si venditor rogatus vendat. Itaque saluat Sotus eam venditionem factam ab eo qui non erat suas merces in futurum seruaturus, vt si dicat. Ego nolens vendere credito meum triticum, rogatus à te vendo illud tibi pretio mense Maij valiturum. Verùm *responsio* negatiua est præferenda. Primò quia vt dictum est, nullius entis nullæ sunt passiones, quomodo igitur triticum non seruandum ad Maium pretio Maij erit æstimabile? Secundò; nam iuxta regulam à Soto præscriptam, res dubia potest probabili coniectura diffiniri ac taxari: cùm ergo hoc indiffinitum pretium, quantum aut quale futurum sit in mense Maij, sit in dubio, cur non poterit probabili coniectura determinari? ac proinde cui licet indiffinitum pretium mensis Maij exigere pro tritico vendito mense Ianuarij, v. g. ob dilatam solutionem, etiam licebit pretium probabiliter & prudentialiter determinatum exigere. Vnde Sotus admittens primum, minus consequenter negat Secundum. Tertiò, quia iuxta aliam regulam ab eodem Soto præscriptam, *lib. 6. q. 1. art. 3.* qui rogatus mutuat, voluntariè mutuat, nam rogatio non tollit voluntarium; vnde non potest lucrum cessans exigere, quia lucrum non censetur cessare, nisi inuito: ergo pariter qui rogatus vendit suum triticum (idem dicito de aliis mercibus) quod non erat vsque ad mensem Maij seruaturus pretio credito, voluntariè illud vendit, ac proinde nullum ei lucrum cessat in sententia Soti, quod possit licite exigere: & consequenter nullo titulo potest licitè exigere pro tritico vendito mense Ianuarij auctius pretium, quàm illud, quod de præsenti æstimatur. Concludendo igitur dico, Tertium casum dicti capitis *Nauiganti*, nullatenus posse sine secunda conditione ibi apposita iustificari, quæ quia in casu capitis *in ciuitate*, non erat certa, ideo monentur illi mercatores à tali contractu cessare.

QVÆSTIO II.

Præcedenti affinis.

Vtrum liceat emptori & venditori se ipsos inuicem decipere citra dimidium iusti pretij?

SVMMARIVM.

1 *Circa hanc quæstionem tres versantur sententiæ, quarum Prima asserit absolutè licitũ esse contrahentibus inuicem se decipere, dũmodo deceptio sit citra dimidiũ iusti pretij.*
2 *Meretricium & vsuræ permittuntur legibus ciuilibus, ad vitanda grauiora facinora.*
3 *Referuntur authores secundæ sententiæ, priori è diametro oppositæ, & à Theologis & Iuristis communiter receptæ.*
4 *Tertia sententia asserit deceptorem circa dimidium iusti pretij peccare quidem contra iustitiam, sed ad restitutionem non teneri.*
5 *Secunda sententia aliis præferenda, statuitur pro conclusione indubitatè tenenda, & variis argumentis probatur.*
6 *Præcepta naturalia ac Diuina per leges humanas non possunt abrogari, neque dispensari.*
7 *Resoluuntur duo dubia, 1. De latitudine iusti pretij mediocris & rigidi in merce vendita, respectu cuius debet sumi medietas. 2. Quid sentiendum, quando bona fide ex parte venditoris & emptoris, res venditur citra dimidium iusti pretij.*

IN hac quæstione † tres versantur sententiæ: duæ extremæ, & alia media via procedens. Illarum prima asserit absolutè licitum esse contrahentibus inuicem se decipere, dummodo deceptio sit citra dimidium iusti pretij. Hanc tenuêre Durandus Minorita cum aliis citatis à Conrado *q. 57. de contractibus*, qui pro se citat Scotum *in 4. sententiarum d. 15. q. 2.* quatenus ait in omni contractu inuolui aliquam donationem: eò quòd durum esset inter contrahentes, si non semper intenderent de indiuisibili iustitia aliquid sibi remittere ac condonare. Verùm hiis verbis quibus fortè delusus fuit Durandus, Scotus approbat mutuam remissionem deceptionis factæ citra dimidium iusti pretij, cùm *art. 3. eiusdem quæstionis* subdat, quòd in fraudibus nulla sit voluntaria donatio, nisi tantùm eius, quæ fit inter contrahentes citra vltráque indiuisibile pretium; intra tamen latitudinem iusti, sicut propriè non datur deceptio, ita neque opus est vlla remissione aut condonatione propriè, nisi tantùm largè accepta. Igitur quorumcumq; sit aut fuerit hæc opinio, suadetur Primò ex Innocentio insigni Iurisperito, qui super *cap. quia plerisque de immunitate Ecclesiarum*, ait, quod quando contractus iure tenet, pars lædens nec peccat, nec tenetur restituere donec pars læsa repetat: atqui iste contractus quo vnus contrahens decipit alterum citra dimidiũ iusti pretij, iure tenet: ergo nec deceptor peccat, nec restituere tenetur. Maior præmissa patet ex illo vulgari axiomate: qui peccat legis authoritate non peccat, sed qui contra legem agit; desumpto ex Parente Augustino aduersùs Pellicianum, relato *in decretis 23. q. 4.*

q. 4. *canone, qui peccat*, & ex *lege Grachus, Cod, ad leg. Iuliam de Adulter.* Minor autem probatur, quia vtroque iure tam ciuili, quàm Canonico permittitur contrahentibus se inuicem decipere citra dimidium iusti pretij in emptione & venditione, nimirum in *leg. Rem*, & *leg. si voluntate, Cod. de rescindenda vendit.* & *lege in causæ 2. ff. de minoribus* §. *idem Pomponius, leg. item si prætio ff. locati*; & *cap. cum dilecti*, & *c. cũ causa extra, de emptione & vẽditione.* Neq; valet dicere cum Conrado *vbi supra*, huiusmodi leges aut solùm permittere illã deceptionem quæ fit intra latitudinem iusti pretij, quod habet latitudinem pretij mediocris, & rigorosi: aut solùm permittere deceptionem citra dimidium iusti pretij non tanquam honestam, 2 sed tanquam impunem, sicut † meretricium & vsuræ permittuntur legibus ciuilibus, ad vitanda grauiora facinora, non vt actiones honestæ, nisi tantùm vt impunes in humano foro. Neutra inquam interpretatio valet. Non Prima, quia intra latitudinem iusti pretij nulla propriè est deceptio: nam tota illa latitudo est iusta, iustè namque potest quis vendere suas merces pretio rigoroso, aut mediocri, aut pio, cui & quando voluerit. Neque Secunda, quia in dicta *lege in causæ* §. *idem Pomponius*, dicitur, *licere naturaliter contrahentibus se decipere &c.* Quod autem licet sine culpa fit; maximè quod licet naturaliter; hoc est per naturam, quia inclinatio naturæ non est ad malum. Secundò quia sicut leges præscriptionis in vtroque foro priuant dominio rei propriæ eum, qui fuit omissus in eius conseruatione aut recuperatione, in pœnam talis omissionis: ita & potuerunt emptorem condemnare in vtroque foro illo excessu, in quo fuit deceptus in pœnam imprudentiæ, ob eundem finem scilicet vitandi litium multitudinem: ergo. Tertiò, nam si venditor tanquam reus huiusce deceptionis sit delatus ad Iudicium per emptorem deceptum, absoluetur à Iudice per sententiam latam iuxta dictas leges; ac proinde iustam: sententia autem iusta obligat in vtroque foro, scilicet externo & interno conscientiæ: ergo.

3 Secunda † sententia huic è diametro opposita est communiter recepta à Theologis *in 4. sententiarum d. 15.* & à discipulis D. Thomæ cum suo Authore 22 *quæst. art.* D. Antonio 2. *part. tit. 1. cap. 16.* Soto *lib. 6. de Iustitia quæst. 3. art. 1. in solutione ad 1.* Est quoque communis inter Iuris peritos antiquiores, de quorum numero sunt Innocentius *in cap. in ciuitate de vsuris*, Glossa *in leg. semper ff. de regulis iuris*, Baldus *in cap. cum causa de testibus* allegat, & probat dictam Glossam in eandem sententiam, & Panormitanus *super citato cap. quia plerisque.*

4 Tertia est † media Gersonis *in tractatu de contractibus* & *in suis floribus*, asserentis huiusmodi deceptorem citra dimidium iusti pretij, peccare quidem contra iustitiam, sed nequaquam ad restitutionem teneri: eò quòd scienti & volenti (ait ille) non fit iniuria. Hanc sententiam nonnulli iuniores Iurisprudentiæ Professores amplexi sunt, ea ratione moti, quod dictæ leges in hoc casu, maximè quando deceptus non est ignarus fraudis quam patitur, aut etiam quando vterque contrahens est ignarus illius, transferant dominium illius excessus in deceptorem, ob finem pacis publicæ, & obuiandi litium vo-

ragini, vtriq; iuri valde exosæ. Qua ratione etiã leges præscriptionis transferũt dominium bonorum alienorum in possidentem bona fide.

Sed hiis non obstantibus † Secunda sententia est aliis præferẽda, statuitúrq; à nobis, vt cõclusio indubitatè tenenda: & probatur Primò supponendo ex allegata *leg. Rem maioris. Cod. de rescinden. vendit.* Quod vendere vltra dimidium iusti pretij, est recipere pro re vendita iustũ pretium, & plus amplius quàm medietas eius: & emere citra dimidiũ iusti pretij, est dare pro re empta minus quàm sit medietas iusti. Ait enim dicta lex: *Minus pretium esse videtur, si neq; dimidia pars veri soluta est*: exempli gratia; Vendit quis alteri modium tritici, cuius iustum pretiũ est decem & octo regalium, cuius medietas est nouẽ; si pro illo recipiat 26. regalia, decipit citra dimidium. Si verò quis soluat pro illo octo, emit citra dimidiũ iusti pretij. Quo supposito, ostẽditur hanc deceptionẽ vtrinque, scilicet ex parte ementis & vendentis esse iniquã & iustitiæ cõmutatiuæ contrariã, ac proinde obnoxiã restitutioni. Primò quia contrariatur iuri naturali ac diuino: naturali quidẽ in illo communi principio ex fontibus naturalis iuris manante: *quod tibi non vis fieri alteri ne feceris*: diuino autem in illo ab ore Christi Domini oraculo prolato: *quæcumque vultis vt faciant vobis homines, hæc & vos facite.* Ergo cum nullus velit sibi vendi merces vltra iustum pretium: neque ipse venditor vult merces sibi emi citra iustum pretium. Secundò, quia præcepta naturalia ac diuina neq; abrogabilia, neq; dispensabilia sunt per leges humanas siue Ciuiles, siue Canonicas: vt ostendimus *in tractatu de legibus.* Solius enim Dei qui est conditor iuris naturalis ac diuini, est, sua præcepta, aut dispensare, aut mutare: atqui præceptũ seruandi iustũ pretium in contractu emptionis & venditionis, est diuinum & naturale: ergo nec abrogari, nec dispensari quomodolibet valet per leges humanas, ita vt per illas fiat licita deceptio citra dimidium iusti pretij, quam prohibet ius diuinũ ac naturale. Maior cũ consequentia est nota: Minor autẽ ostenditur sic. Contractus emptionis & venditionis inuentus est pro bono cõmuni Reipublicæ, & æquali hominum cõmodo, ad seruandã æqualitatẽ rei ad rem inter homines, quæ teste Aristotele *lib. 5. Ethicorũ*, est obiectũ iustitiæ cõmutatiuæ: vt neutra pars debeat alterã grauare, neq; venditor plus valeat extorquere, quàm valeat mers vẽdita: neq; emptor minus soluere, quàm accepit: alioquin nõ seruatur æqualitas iustitiæ; quin potius contractus inæqualis & iniustus euadet. Tertiò; nullus trãsfert dominiũ illius rei, quam dat alteri inuitus & nõ voluntariè, eò quod voluntate dominium trãsfertur: Sed emptor inuitus & non voluntarius dat vẽditori quantitatẽ illã, quæ excedit iustũ pretiũ etiam citra dimidiũ: ergo nõ transfert illius dominiũ in venditorẽ. Maior est nota lumine naturali, & patet in illo qui soluit vsuras pro pecunia sibi mutuata, quarũ dominium nõ trãsfert in mutuantẽ, eò quòd illas soluit inuitus & nolẽs. Minor autẽ probatur: quia fraus & ignorantia opponitur volũtario; in eo autẽ excessu supra iustũ pretiũ, interuenit fraus ac deceptio ex parte venditoris, contra Apostoli præceptum 1. *ad Thessalon. 14. ne quis fratrem suũ in negotio circũueniat.* Interuenit quoq; ignorãtia ex parte emptoris, qui si sciret iustũ rei valorem,

5

talem

talem excessum non daret. Quod si ignorantiam non patitur, & nihilominus soluit excessum, hoc facit inuitus, vt vexationem redimat, sicut qui soluit vsuras mutuatori non volenti sine illis mutuare, inuitus soluit, mallet enim eas non soluere, ideóque earum non transfert dominium. Idem quoque dictum putabis de emptore, qui viliori pretio citra dimidium iusti defraudat venditorem. Quartò si venditor defraudet emptorem vltra medietatem iusti pretij v.g. rem valentem viginti aureis, vendat triginta duobus: tenetur restituere totum illum excessum, videlicet duodecim aureos, vt constat ex illa *lege* citata *Rem. Cod. de rescinden. vendition.* quæ propterea iubet rescindi talem venditionem. Signum igitur euidens est, omnes & singulos aureos qui sunt partes illius duodenarij restituendos esse, ac proinde eorum dominium non esse apud venditorem. Vltimò probatur ab inconuenienti, quod sequitur ex opposita sententia Durandi & sequacium: nimirum, quod etiam venditoribus liceret defraudare emptores vini, olei, tritici, & panis, v.g. in mensuris: dummodo deceptio fieret citra dimidium æqualis mensuræ, videlicet auferendo ab emente decem amphoras vini, vel decem modios tritici, vel decem vlnas panni, & tradendo illi tantum sex pro integro pretio omnium decem quatuor, siquidem eadem millrat vtrobique ratio: & vterque est contractus emptionis & venditionis, quod tamen est contra diuinum ius, *Deuteronom. 25.* ibi: *Non habebis in sacculo diuersa pondera, maius & minus: neque erit in domo tua modius maior & minor.* Ex hiis manet impugnata Tertia opinio Gersonis: Si enim huiusmodi deceptio non licet, quia est iniuriosa contra iustitiam commutatiuam: igitur obligat ad restitutionem: nam peccato contra iustitiam commutatiuam inseparabiliter est annexa obligatio restituendi.

7 Hinc† soluenda restant duo dubiola. Primum est quando est latitudo iusti pretij, mediocris & rigidi in merce vendita, respectu cuius debet sumi medietas. Secundum est, quid sentiendum, quando bona fide ex parte venditoris & emptoris res venditur citra dimidium iusti pretij? Ad Primum namque dicendum puto, pretium rigidum assignandum esse in fauorem vendentis, quippe qui ius habet vendendi pretio rigido intra latitudinem iusti: pium autem pretium assignandum esse in fauorem emptoris, qui pariter ius habet emendi pretio pio ac minimo intra latitudinem iusti. Vnde venditor quidquid accipit supra rigidum, & emptor quidquid tollit de pio pretio, tenetur ante sententiam iudicis parti deceptæ restituere.

Ad Secundum respondeo, tunc deceptorem nec peccare, nec ad restitutionem teneri, quandiu in ea bona fide perseuerat, qua contraxit. Postquam tamen resciuerit id in quo alteram partem fraudauit, tenebitur restituere: alioquin peccabit contra iustitiam, tanquam iniustus rei alienæ detentor. Existimóque in hoc casu loquutos fuisse neotericos Iuristas, qui dixerunt leges ciuiles citatas transferre dominium in eum, qui alterum citra dimidium iusti pretij inscius ac bona fide defraudat: ac proinde ad restitutionem nec teneri titulo rei acceptæ, quia Dominus effectus est illius excessus: nec titulo iniustæ actionis, quia non peccauit ob bonam fidem & iustam ignorantiam iusti pretij, eò quòd tunc maior vrget causa in huiusmodi legibus ciuilibus transferendi dominium, ne scilicet inter innocentes lites insurgant: quam opinionem memini me ad instantiam cuiusam Iurisperiti subscriptione firmasse. Verior tamen est nostra doctrina, quam in præsenti firmamus.

Ad Primum autem pro prima sententia respondetur, vtramque præmissam esse distinguendam: nam prima habet quod contractus qui iure tenet est licitus, & non obligans ad restitutionem: quod est verum, quando contractus iure tenet per leges non impedientes translationem dominij, vt sunt leges pertinentes ad ludum, in quo lucrans adquirit dominium pecuniæ, quam lucratur, nec tenetur restituere, nisi altera pars repetat coram Iudice infra terminum octo dierum à lege præfixum. In Secunda verò dicitur, quod contractus emptionis & venditionis, in quo vnus alterum defraudat citra dimidium iusti pretij iure tenet, quod est verum quantum ad duos effectus, quos leges ciuiles in huiusmodi contractu operantur, nimirum quod nec datur actio repetendi parti læsæ, nec contractus venit rescindendus, vt litium voragini obuietur, & communi paci cõsulatur: falsũ verò quoad forum conscientiæ, in quo fraudator neutiquam est immunis à culpa. Ex quo patet ad probationem: Nam licet non peccet qui agit authoritate legis iussoriæ, bene tamen qui agit authoritate legis permissiuæ: alioquin vsurarij & meretrices non peccarent, quia leges eos permittunt, quod est absurdum. Nam licet leges eos relinquant impunes, hoc est, liberos à pœna, sed non à culpa in foro Dei, qui sua diuina lege vsuram & meretricium prohibet. Quare sustinenda est vtraque solutio inter arguendum assignata. Ad impugnationem prioris, fateor illã propriè non esse deceptionẽ, nisi abusiuè & laxato vocabulo. Ad posterioris autem improbationem, dico in ea lege idem esse *licere naturaliter*, atque permitti contrahentibus se decipere ex naturali, hoc est, ex communi mortalium vitioso desiderio, quod Mimus ille apud Augustinum aiebat, insitum esse cunctis mortalibus vili emendi, & magno vendendi, desiderium.

Ad Secundum, ad missa maiori, neganda est minor. Nam leges id possunt, quod iustè possunt: iniustè autem priuarent dominio illius excessus, in quo emptor à venditore, aut venditor ab emptore citra dimidium iusti pretij fuerit deceptus, eò quòd ignorantia iusti pretij indiuisibilis etiam in solertes & prudentes homines cadit, qui nec sic pretia iusta mercium ad vnguem capere valent: ergo ex parte decepti deest imprudentia, & adest regulariter iusta ignorantia: ex parte vero decipientis regulariter adest mala fides. Quam ob rem, nec ille pœnam, nec iste beneficium legis meretur: sicut contingit in legibus præscriptionis, quæ dominio bonorum priuant vnum & afficiunt alium: illum quidem ob negligentiam in conseruando & recuperando sua bona; istum verò ob bonam fidem, qua aliena bona tanto tempore possedit. Ad Tertium respondetur, eum deceptorem sic delatum ad iudicium, absoluendum fore à Iudice per sententiam iustam præcipientem, ne rescindatur contractus in foro iudiciali causa obuiandi litibus.

litibus. Verùm quia hæc iudicis absolutio non est Sacramentalis, non absoluet reum à culpa coram Deo, imo relinquet eum culpæ & restitutioni obnoxium.

Ad fundamentum Tertiæ opinionis, quo ducitur Gerson, respondetur illud axioma ineptè ab ipso ad suum intentum assumi: nam licet pars decepta sit conscia & voluntaria in contractu emptionis & venditionis, sed non in læsione. Ad aliud fundamentum quo ducuntur Neotherici, dico quod siue deceptus sit conscius, siue sit ignarus illius deceptionis, neutiquam dominio per dictas leges priuatur; non quando est conscius, quia tunc inuoluntariè soluit excessum illum in quo est defraudatus, sicut mutuatarius conscius, sed inuoluntarius soluit vsuras: neque quando est ignarus, quia eius ignorantia maius in illo causat inuoluntarium. Quod si in vtroque contrahente esset probabilis ignorantia & bona fides, tunc fortè probabiliter posset ab hiis Neothericis defendi translatio dominij; sed non verius: nostra enim doctrina veritati est conformior.

QVÆSTIO III.

Vtrum licita sit & cum quibus conditionibus census annui siue perpetui, siue temporalis emptio?

SVMMARIVM

1 *Referuntur authores, qui de censuum perpetuorum ac temporalium iusta emptione, atque de conditionibus ad eam vindicandam à labe vsuræ requisitis, tractant.*

2 *Census vnde deriuatur. Nomen census tripliciter vsurpatur* ibid.

3 *Romanorum Cæsarum fastus, Orbem describi iubentium, vt recensitis capitibus, quantum esset eorum imperium, cognoscerent.*

4 *Vsurarius reditus idem est quod vsura.*

5 Vsura & Fœnus *sunt Synonyma.*

6 *Refertur triplex diffinitio Census apud Authores; quarum Tertia reiectis cæteris, vtpote leges bonæ diffinitionis seruans, est amplectenda.*

7 *Censiticus contractus est diuersus à mutuo.*

8 *De ratione mutui sunt quatuor: quorum duo priora communia sunt donationi; duo posteriora sunt propria mutui, per quæ mutuum à reliquis contractibus distinguitur.*

9 *Recensentur octo conditiones de iure Canonico requisitæ, vt census in vtroque foro legitimè contrahatur.*

10 *Vtrum omnes sint necessariæ ad iustificandum censitiuum contractum, controuertitur inter Authores.*

11 *Referuntur Authores, qui negatiuæ tanquam veriori sententiæ subscribunt, eademque præter alia suadetur, respondendo argumentis pro parte affirmatiua adductis.*

12 *Resoluuntur duæ obiectiones, quæ pro parte contraria possunt moueri.*

DE huius quæstionis argumento, hoc est † de censuum perpetuorum ac temporalium iusta emptione, atque de conditionibus ad eam vindicandam à labe vsuræ requisitis, tractant Sotus *lib. 6. de iustitia q. 5.* per tres articulos, Nauarrus *in repetitionibus super cap. 1. 14. q. 3. à num. 88. & in Manuali latino c. 17. num. 234.* vbi transcribit constitutionem Pij V. super censibus editam anno 1585. quæ incipit; *Cùm onus Apostolicæ seruitutis*, Manuel *in summa, in declaratione dictæ constitutionis Pij V.* Felicianus *lib. 1. de censibus*, Menochius *lib. 3. de præsumptionibus, præsumptione* 107. Ioannes Baptista *commentario 2. de vsuris* §. 2. Bañesius 2. 2. *q. 98. art. 4.* Salonius *tom. 2. in controuersiis de censibus*, Ioannes Gutierrez *in quæstionibus practicis lib. 2. quæst. 117.* Zenedus *in q. 7. Canonica*: & nouissimè Gaspar Rodericus tres integros libros in 35. quæstiones diuisos eruditè conscripsit; specialiter autem articulum hunc, de quo est nostra disceptatio, disputat, *q. 4. libri* 1. cum aliis plurimis, quos tam ipse, quàm Zenedus *vbi supra* plena manu congesserunt. 1

Vt autem in hac controuersia scientificè procedamus, à diffinitione census, quid nominis, & quid rei, iuxta Aristotelicũ documentum incipiendum est, vt videamus in quo contractus censualis à mutuo & aliis contractibus differat. Hac enim facta inspectione, facili negotio ad veram resolutionem inquisiti dubij perueniemus: nimirum, quo pacto censiticus contractus, sit iustus & à labe vsuræ alienus.

Igitur Census † à *censendo* deriuatur, eò quòd recenseri debent subditorum facultates, vt pro sua quisque Principi tributum soluat; vt habetur *leg. formam, ff. de censibus.* Inde secundò deriuatum est nomen census, ad significandum capitationem, hoc est, tributum illud quod pro capite exigitur, videlicet pensionem illam, quam singuli ciues pro capite Principi in signum subiectionis pendunt: qui † superbiæ fastus Romanorum Cæsarum proprius erat, qui orbem describi iubebant, vt personarum capitibus cathalogo recensitis, quantum esset eorum imperium, sibi innotesceret. Cuius vtique superbiæ pœnas acerbas dedit Regius Vates, eò quòd ad idem intentum iussit populum numerari, *lib. 2. Regum cap. 24.* De hoc etiam tributi genere Iudæi Christum sciscitati sunt, an liceret censum Cæsari soluere? eò quòd existimantes & merito, se iure diuino esse liberos à subiectione & dominio Romanorum, huiusmodi censum, qui erat iugum subiectionis Cæsari tribuere recusabant, qui tamen alia tributa à Romano Imperatore pro regimine ac defensione Reipublicæ imposita, minimè soluere renuebant. Indéque iam Tertiò nomen census vsurpari solet pro reditu, dicto à *redeo*, eò quòd redeat singulis annis, siue mensibus, significátque in hac acceptione quamcumque pensionem censuariam, præsertim annualem, ad quam menstrua vt pars ad totum ordinatur, siue reducitur; ad differentiam pensionis vsurariæ, quæ etiam comprehenditur sub nomine reditus: verùm cum hoc discrimine, quod reditus censualis est legitimus, & legibus approbatus: vsurarius verò est illegitimus & illicitus, vtpote legibus humanis ac Diuinis reprobatus. 2 3

Huiusmodi autem † vsurarius reditus, est idem quod vsura, ab *vsu* dicta, sed non iam 4

vſum ipſum ſignificat, neque abvſum ſeu rei conſumptibilis vſu conſumptionem; vt falsò Parladorus *lib. 2. rerum quotidianarum c.* 2. putauit: aliud enim eſt id à quo nomen imponitur & aliud quod nomen ſignificat. Vnde vſura, ſiue reditus vſurarius propriè ſignificat lucrum illud, quod ex vſu ſortis principalis accreſcit: quod dicitur fætus ſiue fætura pecuniæ ſecundum Calepinum, Prateium, Verrucium, Othomanum, & alios Linguæ Latinæ peritiſſimos. v. *vſura*. Et ratione probatur contra Parladorum. Nam ſi mutuatarius retineat pecuniã ocioſam, ſoluit vſuras: & Tutor ſi retineat pecuniam pupilli ocioſam in arca, cogitur ſoluere vſuras *leg. tutor ff. de adminiſtratione Tutoris*: Igitur datur vſura abſque vſu & conſumptione.

5 Rurſus † *Vſura & Fœnus* Synonyna ſunt ex *lege, Caius de vſuris, & lege ſi vnus §. 1. ff. pro ſocio.* Etenim fœnus à *fœtu* dictum, ſecundum Barronem *lib.* 3. vèl ſecundum Ariſtotelem *lib. 1. Politicorum cap. 7.* à *fundo*, quaſi fætura pecuniæ ſiue fundi, contra naturam parientis: fœnus enim idem eſt quod fætus numi.

Iam ad diffinitionem quid rei cenſus tranſi-
6 tum faciamus. Triplicem † diffinitionem apud Authores citatos cenſus inuenio. Primam aſſignat Sotus *quæſt. citata art.* 1. & probant Menochius *num.* 3. & Ioannes Baptiſta *num.* 56. ſub hac forma: *Cenſus eſt ius percipiendi penſionem ſiue in fructibus, ſiue in pecunia, ſiue in re aliqua vtili.* Secundam tradit Felicianus *lib.* 1. *citato, cap.* 4. dicens. *Cenſus conſignatiuus, qui propriè eſt reditus, eſt contractus inſtitutus à conſuetudine, ex quo vnus vendit, & alter emit ius certi reditus ſoluendi ſingulis annis in pecunia.* Tertiam aſſignat Rodericus *lib. 1. de cenſibus q.* 3. loquens de cenſu ſumpto non pro penſione, ſed ſtrictè pro iure percipiendi penſionem, neque de ſeruatiuo, ſed de conſignatiuo, qui magis eſt in vſu, dicens. *Cenſus eſt ius ſingulis annis (ſi ſit annuus) certam penſionem exigendi ſuper obligatione perſonali, vel etiam alienis bonis creditori legitimè conſtitutum.* Quarum diffinitionum prima videtur diminuta, quia conuenit aliis à diffinito contra regulas bonæ diffinitionis à Dialectica traditas: conuenit namque Euphiteuſi, & locationi in quibus datur ius percipiendi aliquid in pecunia, vel in aliqua re vtili: & poteſt conuenire vſuræ, nimirum, ſi quis propter mutuandi officium recipiat quidpiam vltra ſortem. Secunda quoque diffinitio eodem, imo & maiori defectu laborat: conuenit enim cenſui vſurario ex praua conſuetudine introducto, provt paucis ab hinc annis ſunt huiuſmodi cenſus vſurarij in noſtra Hiſpania, præſertim in Curia Regia ſub nomine cambij introducti, nimirum recipiendo non ſolùm pro pecunia depoſita apud Campſorem ſeu Mercatorem, ſingulis annis decem, vel etiam duodecim pro centum, ſaluo Capitali: hoc enim tolerabile eſt, quia Campſores & Mercatores, alienis pecuniis, tantundem & amplius lucrantur; ſed etiam quod grauius eſt, recipiendo pro pecunia mutuata Procetibus ære alieno grauatis, duodecim pro centum, pignoribus & arrhis traditis mutuatori, aſſecurato Capitali. Et aliàs dicta diffinitio non conuenit cenſui fructuario, qui ſoluitur in fructibus: neque conuenit cenſui adquiſito ſine pecunia, videlicet per donationem vel legatum. Quare illis reiectis amplectenda eſt Tertia diffinitio Roderici, vtpote leges bonæ diffinitionis ſeruans. Conſtat enim genere & differentia: nam ius eſt genus in quo conuenit cenſus conſignatiuus cum reſeruatiuo, cum locatione, dominio, ſeruitute &c. Cæteræ partes explicant differentiam; nam dicitur, ſuper obligatione perſonali, propter cenſum perſonalem, ſuper alienis bonis, excludit locationem, Euphiteuſim & cenſum reſeruatiuũ, quæ fiunt in bonis propriis: additur *legitimè conſtitutum*, ad excludendum vſurarium, qui eſt illicitus.

Secundò operæ pretium eſt prænotare † 7
Cenſiticum contractum eſſe diuerſum à mutuo; nam mutuum eſt contractus, quo res noſtras in pondere, numero & menſura conſiſtentes, id eſt vſu conſumptibiles alteri damus, vt idem genus, vel tantumdem in genere nobis reddatur. Per quam diffinitionem conſtat, vt bene notat Rodericus *quæſt. 4. citata* † 8
quatuor eſſe de ratione mutui, nimirum, quod res mutuata fiat accipientis, & tranſeat in dominium illius: quod detur illi gratis iuxta Chriſti Domini præceptum: *mutuum date, nihil inde ſperantes*: quod mutuatario detur ius vtendi re mutuata per aliquod tempus: & quod obligetur ad idem genus, vel ad tantumdem in genere reddendum. Duo priora communia ſunt donationi; & ſecundum commune eſt commodationi, quæ gratis quoque fieri debet. Duo poſteriora ſunt propria mutui, per quæ facilè mutuum à reliquis contractibus tum nominatis, tum innominatis diſtinguere valemus. Nominati ſunt ſeptem, quorum artificioſam diuiſionem ſcitè colligit Sotus *lib. 6. de iuſtitia quæſt. 2. art.* 1. videlicet emptio ac venditio, cambium, & mutuum in quibus transfertur dominium rei: Euphiteuſis, in qua transfertur dominium vſus fructuum, retento rei dominio. Commodatio ſimplex, permutata accomodatio, & locatio atque conductio, in quibus transfertur dominium ſolius vſus. Innominati verò ſunt quatuor, ſcilicet do vt des, facio vt facias, do vt facias, facio vt des. Igitur mutuum in transferendo dominium rei mutuatæ conuenit cum cambio & emptione, differt verò ab Euphiteuſi, commodato, & locato: in transferendo autem gratis tale dominium, differt à cæteris contractibus, excepto vnico commodato. In obligando denique ad reddendum tantundem in eodem genere, differt à cambio, & à contractibus innominatis, in quibus datur vnum pro alio, vt triticum pro pecunia, vinum pro oleo: quatenus autem concedit tempus mutuatario vtendi re mutuata, differt à pignore, & depoſito, quæ tale tempus non requirunt. Et cùm cenſus ſit quædam ſpecies emptionis, ſequitur planè differre eſſentialiter à mutuo, vtpote in quo alienatur omnino ſors principalis, abſque obligatione reddendi illam, quod non contingit in mutuo. Et cùm in ſolo mutuo reperiatur vſura, ſequitur in cenſu legitimè conſtituto vſuram eſſe non poſſe. Vt autem legitimè conſtituatur, debet ſeruare conditiones omnes pro cenſu conſtituendo à legibus Eccleſiaſticis aſſignatas: alioquin vna deficiente, illicitus euadet cenſus, quia malum ex quocumque defectu reſultat, ſicut bonum ex integra cauſa.

Tertiò

9 Tertiò venit prænotandum, quot † & quæ sint huiusmodi conditiones requisitæ de Iure Canonico, vt census in vtroque foro legitimè contrahatur: quas quidem *in suis Extrauagantibus de emptione & venditione*, Martinus V. & Calixtus III. ad octo reduxerunt; & omnes eò tendunt, vt contractum censiticum à mutuo purificent, & eum relinquant intra limites emptionis ac venditionis: cáſque omnes confirmauit & roborauit Pius V. nouissimè *in suo Motu proprio, Cum onus Apostolicæ seruitutis.*

Conditiones autem sunt istæ. Prima est, quod census constituatur super rebus certis & immobilibus & fructuosis, puta agro, vinea, vel domo. Secunda est, quod talia bona, & non persona maneant obligata reditui. Tertia est, quod pretium sit iustum, hoc est aut legibus taxatum, aut reditui proportionatum. Quarta est, quod huiusmodi pretium integrum soluatur tempore contractus. Quinta est, quod venditori semper liceat censum quoad totum, aut membratim, & quoad partem redimere. Sexta est, quod nihilominus non maneat obligatus ad redimendum. Septima est, quod peremptis hypothecis, illico pereat census, & cesset reditus. Octaua tandem est, quod reditus censualis fructus hypothecæ
10 non excedant valorem. Vtrum † autem omnes sint necessariæ ad iustificandum censiticum contractum? Res dubia est inter Doctores. Nam quidam affirmant, quidam verò negant. De numero affirmantium sunt Nauarrus *vbi supra*, & Bañesius *in dicto art. 4. dubio vltimo*; eò quòd omnes fuerunt approbatæ à Pio V. *in motu proprio*; *cùm onus Apostolicæ seruitutis*, quem ait Bañesius obligare in foro conscientiæ, vtpote à quo nunquam fuit supplicatum. Miranda quoque Dominicanus eiusdem fuit sententiæ, cùm in summa Conciliorum dictas extrauagantes in formam vnius redactas, videlicet Martini & Calixti colligens, cunctas præfatas conditiones tanquam necessarias ad æquitatem censitici contractus recenset. Quæ sententia potest confirmari; ex eo quod voluntas & dispositio Principis in vno actu, habet vim legis circa alios similes: quod probant Vazquius 12. *disp.* 157. *cap.* 5. & Marquez *lib. de vita Moysis cap.* 30. *ex lege vlt. Cod. de legibus, & ex cap. in causis de sententia & re iudicata*: & *Prouerbiorum* 16. *voluntas Regum labia iusta*; 1. *Reg.* 30. *non factum est hoc ex die illa*; & exemplo filiarum Salphat, *Numerorum* 27. quas Moises admisit ad paternam hæreditatem, quo facto legem constituit in populo Israëlitico admittendi fœminas ad paternam hæreditatem: igitur dispositio Martini & Calixti in suis Extrauagantibus, approbantium census cum illis conditionibus sibi propositis & enarratis, legem constituit, vt in similibus contractibus eædem conditiones seruarentur.

11 Verùm † de numero negantium, sunt Conradus *de contractibus q.* 74. & 75. Sotus *q. citata art.* 1. *circa finem*, Salon, Zenedo, Manuel, *in locis citatis*, & Rodericus *in dicta q.* 4. *pagina* 17. & 18. quorum sententiæ vt veriori subscribo, illámque mihi persuadeo Primò, quia secluso motu Pij V. bene potest constitui census personalis, id est super sola obligatione personæ, aut etiam ita quod hæc sit principalis, realis verò sit illi accessoria: quinimo experientia constat ita esse omnes census in Hispania constitutos, quidquid Manuel Ioannes Gutierrez & Nauarrus *vbi supra* contradicant. Tum, quod in huiusmodi personali censu fit deterior conditio emptoris, propterea quod fragilior & minus tuta sit obligatio personæ solius morti & paupertati obnoxia, ob quam rationem minus sunt in vsu census personales: de quibus propterea dictæ Extrauagantes non meminerunt, nisi solùm de realibus: tum quod saluatur in eo vera emptio iuris ad reditum; quod ius habet rationem mercis, & est materia emptionis & venditionis, cuius pretium perpetuò & omnino alienatur, ex quibus fit consequens, in eo non inuolui rationem mutui, ac proinde neque vsuræ; per quæ soluuntur etiam fundamenta contrariæ opinionis. Ad Primum enim respondetur, motum Pij V. in Hispania saltem non fuisse receptum, imo ab ipso fuisse supplicatum, constat ex Curiis Regni Matriti anno 1585. celebratis, in quarum *cap.* 2. interrogatus Rex Catholicus Philippus II. Vtrum census deinceps cum illis conditionibus deberent constitui? Respondit, quod latuit Bañesium & Nauarrum, *Aeso vos respondemos que del dicho breue supplico nuestro Embaxador en Roma.* Quæ supplicatio interposita suspendit dictæ constitutionis effectum. Ad Secundum dicendum est, voluntatem Principis in vno actu, tunc habere vim legis circa alios similes, quando est disponens iubendo, siue præcipiendo, aut prohibendo: secus quando non est præceptiua aut prohibitiua. Dicti autem Pontifices in suis Extrauagantibus, nec præcipiunt eas omnes conditiones seruari in census realis constitutione: neque prohibent expressè, ne realis census sine illis constituatur: sed tantùm census sibi propositos cum illis conditionibus in narratiua expressis approbarunt, nihil circa necessitatem earundem conditionum determinando: vt rectè adnotauit Sotus, & Rodericus *vbi supra*. † Dices, quod licet *Motus Pij V.* non 12
fuerit in Hispania receptus, tamen fuit expeditus consilio præmisso peritissimorum Doctorum: quod est signum manifestum fuisse tunc temporis opinionem communem, illas conditiones esse ad æquitatem census requisitas. Rursus ex Secunda conditione dictarum Extrauagantium colligitur manifestè, illegitimum esse censum personalem. Verùm neque istæ obiectiones vrgent. Non Prima, quia Doctores illi, quorum consilio *Motus Pij V.* emanauit, non ex communi, sed ex particulari ipsorum opinione loquuti fuerunt, in qua & parologizatos fuisse constat, quia conditiones expositas in narratione dictarum Extrauagantium, approbatas, vt necessariò obseruandas existimarunt. Neque Secunda, quia illa secunda conditio excludens censum personalem tantùm fuit enarrata, non verò iussa, nec approbata, sed dumtaxat census realis (de quo erat sermo) constitutus cum illa fuit à Pontificibus approbatus. Quoniam verò contractus censiticus potest esse aliunde iniustus, (licet non vsurarius) videlicet ex defectu iusti pretij: iustum autem pretium est quod lege Regni aut probata consuetudine fuerit taxatum; videndum restat, vtrum possit licitè census tam redimibilis, quàm perpetuus emi minori pretio quàm per legem taxato? Et cùm certum sit apud omnes Doctores, censum in prima constitutione

ſtitutione non poſſe licitè emi minori pretio quàm per legem Regni aut conſuetudinem approbatam taxato; id tamen dubium eſt de cenſu iam ſemel legitimo pretio conſtituto, quod *ſequenti quæſtione* examinabitur.

QVÆSTIO IV.

Vtrum liceat cenſum ſemel creatum iuſto pretio, viliori emere?

SVMMARIVM.

1 *Doctorum ſententia circa hanc quæſtionem eſt quadruplex : Refertur fundamentum pro prima abſoluiè affirmante.*
2 *Referuntur Authores pro ſecunda ſententia omnino negante, quorum opinio triplici argumento ſuadetur.*
3 *Tertia opinio ſub diſtinctione media via incedit.*
4 *Refertur diſtinctio quartæ ſententiæ, quæ duas priores melius concordat, adeóque pro concluſione ſtatuitur.*

1 IN qua † quæſtione Doctores in quatuor ſententias partiti ſunt: è quibus duæ ſunt extremæ, & aliæ duæ mediam tenent viam. illarum prima abſolutè affirmans eſt, quam tuentur Nauarrus *in Manuali cap. 23. num. 91.* & Ioannes Gutierrez *in practicis quæſtionibus lib. 2. quæſt. 173. num. 4. & ſequentibus*, quorum fundamentum eſt, quia cenſus iam creatus ſubinduit modum & naturam mercis vendibilis; merces autem vendibiles non habent pretia conſiſtentia in indiuiſibili, neque ſemper à lege Principis taxata; ſed earum pretia ex voluntate contrahentium dependent, & communi fori æſtimatione taxantur: igitur cenſus iam ſemel creatus non ex lege Regia, ſed ex contrahentium voluntate & communi æſtimatione penſari debet; ac proinde minori pretio, quàm per legem Regiam taxato emi valet.

2 Secunda ſententia † omnino negans eſt, quam ſequuntur Molina *tom. 2. de iuſtitia diſp. 393.* Manuel Rodriguez *vbi ſupra conditione 3. dubio 2.* cum aliis relatis à Salone *tom. 2. titulo de cenſibus, controuerſia 10.* & Zenedo *quæſt. 7. canonica*, quam ſuadent Primò ex dicto Motu Pij. V. edito anno 1568. ibi, *declarantes cenſum ſemel conſtitutum nunquam poſſe ob temporum &c. nec quoad vltimo contrahentes minui vel augeri.* Secundò, quia leges ſtatuentes pretium cenſibus abſolutè loquuntur, hoc eſt, de cenſibus tam in prima eorum creatione ſiue emptione, quàm de ſecunda: ergo vbi lex non diſtinguit, nec nos diſtinguere debemus: ac proinde in qualibet cenſus emptione ſeruari debet pretium lege Regia taxatum, tanquam iuſtum. Tertiò quia tunc emptor huiuſmodi cenſus ſcienter emit pretio iniuſto, ab homine conſtituto, vt in plurimum in egeſtate, qui proinde eſt venditor inuoluntarius, ſicut ille qui ob redimendam vexationem ſoluit vſuras ei qui gratis mutuare non vult: ergo iniqua eſt talis cenſus emptio.

Tertia † opinio media via incedens, ait ſub 3
diſtinctione; nimirum licitum quidem eſſe emere cenſum iam conſtitutum viliori pretio, ſi conſtitutus ſit ad rationem maioris pretij ſupra quatuordecim, v. g. ad rationem decem, & ſex & vltra: ſecus autem ſi conſtitutus ſit ad rationem quatuordecim; eò quòd iſtud eſt minimum pretium ex taxatis de lege: Vnde ſi emeret pretio inferiori ad quatuordecim, emeret pretio iniuſto. Huic videtur Zenedo *vbi ſupra* magis aſſentire, neque ab hac concordia diſſentiunt Gutierrez & Molina ſuperius relati. Verùm hæc opinio iam hiſce temporibus in noſtra Hiſpania non habet locum, poſt legem Regni latam & vſu receptam, qua iuſſum eſt, nullum cenſum redimibilem poſſe emi aut conſtitui minori pretio, quàm viginti. Cùm ergo per hanc legem minimum pretium iuſtum cenſus redimibilis, debeat eſſe ad rationem viginti; dubia & anceps manet quæſtio apud eoſdem Authores, Vtrum cenſus ſemel conſtitutus ad rationem viginti, poſſit licite emi viliori pretio infra viginti, quod eſt lege taxatum: v. g. ad rationem decem & ſex, vel decem & octo.

Quare Quarta † ſententia quæ melius duas priores concordat, hac vtitur diſtinctione. Aut cenſus ſemel iam conſtitutus pretio legibus taxato, eſt firmus & ſecurus; aut eſt infirmus & litigioſus ex aliquo capite. In priori caſu non poteſt licitè emi viliori pretio, bene tamen in poſteriori. Hanc tuentur Medina *in ſumma cap. 14. §. 26.* & Gaſpar Rodriguez *in ſuo tractatu de cenſibus lib. 1. quæſt. 4. citata dub. 3.* quæ & eſt ſententia Salonis *vbi ſupra*, à nobiſque ſtatuitur pro concluſione, vtpote per quam optimè duæ priores ſententiæ ad concordiam reducuntur. Nam Secunda quæ videtur abſolutè negare cenſum ſemel conſtitutum iuſto pretio, poſſe iuſtè vilius emi, loquitur in primo caſu, ſcilicet quando cenſus permanet in prima ſui firmitate ac ſecuritate, quam in prima ſui conſtitutione habebat, quod eius argumenta dumtaxat conuincunt. Prima verò ſententia, affirmans huiuſmodi cenſum poſſe iuſtè vilius emi, quàm fuerit conſtitutus, loquitur in ſecundo caſu, hoc eſt quando cenſus decidit à ſua prima firmitate & ſecuritate: propterea quod aut hypothecæ deteriores factæ fuerunt, aut aliqua lis mota eſt, aut moueri timetur cum fundamento aduerſus talem cenſum; tunc enim talis cenſus fit deterior & minus æſtimabilis, ac proinde minori quoque pretio dignus eſt: ergo minori pretio poteſt ad æqualitatem emi, quod conuentione partium & non lege taxandum eſt, hoc eſt, illud erit iuſtum pretium, in quo partes, nimirum emptor & venditor ſecluſa omni fraude ac dolo attenta qualitate infirmitatis cenſus conueniunt.

QVÆSTIO V.

Vtrum liceat pecuniam exponere in societatem, saluo Capitali?

SVMMARIVM

1 *Contractus societatis de se & simpliciter initus, est licitus & vtroque iure probatus, siue vno, siue altero modo fiat.*

2 *Referuntur Doctorum tres opiniones circa aliud genus societatis, in quo scilicet quis suã sortem pecuniæ apponit in cumulo saluo Capitali, &c. quarum prima negat dictam societatem ponentis pecuniam saluo Capitali esse licitam.*

3 *Refertur secunda opinio, asserens licitum esse pecuniam in societatem exponere saluo Capitali, cum tribus contractibus expressè siue implicitè celebratis.*

4 *Referuntur Authores qui in mediam quandam declinant opinionem.*

5 *Secunda opinio vtpote veritati conformior & in foro conscientiæ satis securæ, aliis præfertur.*

6 *Probatur eadem assertio, mediam opinionem labefactando.*

7 *Probatur satisfaciendo argumentis primæ opinionis.*

8 *Resoluitur casus* cap. per vestras, de donat. inter vir. & vxor. *de marito ad egestatem vergenti iusso pecuniam apud Mercatorem collocare, vt eius lucro viuere, & matrimonij onera possit sustentare.*

9 *Refertur sensus dicti* cap. per vestras.

10 *Resoluitur alius casus de Officiali Sacri Palatij, cum Mercatore contrahente societatem circa annuum ipsius officij fructum centum aureis taxatum, &c.*

11 *Resoluitur alius casus de pacto in societatibus licitè apponi solito.*

12 *Alius casus de Mercatore, vendente merces carius ob dilatam solutionem.*

13 *Resoluitur casus vltimus de contrahente cum alio, sub conditione vt darentur sibi decem pro centum, mortuóque illo morte naturali durante societate, Capitale remaneret apud socium. &c.*

IN hac quæstione, in qua conditionem & circunstantias contractus societatis intendimus inuestigare, omnes Doctores conueniunt in vno, & discriminantur in alio. Conueniunt quidem, dum omnes vnanimi consensu & voce profitentur, 1 † contractum societatis de se & simpliciter initum esse licitum & vtroque iure probatum, siue vno siue altero modo fiat. Hoc suppositum non aliter probatur, quàm eius singula verba exponendo. In primo fronte ponitur contractus societatis simpliciter initus, hoc est iuxta leges societatis, quæ nihil aliud est, quàm contractus quidam, in quo duo vel plures in vnam negotiationem conueniunt, vt quisque pro pecuniis, vel operis lucri particeps fiat. Deinde subditur huiusmodi contractum legitimè initum, esse licitum & vtroque iure probatum: nam *in cap. per vestras, de donation. inter virum & vxor.* Innocentius III. illum approbat, & similiter ius cæsareum illum approbat, instituta de societate per totum, & toto *Cod.* ac *ff. pro socio.* Quæ leges in iure naturali fundantur. Nam cùm negotiatio sit licita secundum se, & vnicuique licitum sit sua pecunia periculo exposita negotiari; siue negotiatio fiat per ipsum, siue per socium, aut amicum, qui sit veluti eius minister. Nam quod per amicos facimus, per nos facimus: ille qui pecuniam in societatem exponit, dummodo eius periculum subeat, illam sub suo retinet dominio, ac proinde iustè fit particeps lucri, quod per negotiationem parit. Additur tandem, siue vno siue altero modo fiat, ad denotandum vno ex duobus modis contingere fieri societatem. Nimirum vel quando plures Mercatores simul suas pecunias congerunt in vnum cumulum, communésque habent ministros & operas, ita vt communes sint illis pecuniæ, operæ, & expensæ: quod genus societatis vsitatissimum fuisse, ait Sotus, mercatoribus Burgensibus, Londinensibus, Genuensibus & Brugensibus, in quo proculdubio, vnusquisque potest lucri portionem percipere, pro rata pecuniæ periculo expositæ, industriæ & operarum impensarum correspondentem. Aut quando vnus de societate, v.g. Petrus apponit solas pecunias, & alius v. g. Paulus exhibet solam industriam, alius verò scilicet Ioannes exhibet vnam partem pecuniæ, & aliam industriæ siue operarum, quarum sortium vnusquisque subit periculum, quod genus societatis etiam est licitum, iustéque socij fiunt participes lucri, pro rata suæ sortis. Petrus quidem habita ratione ad pecuniam, non secundùm eius totam quantitatem, sed dumtaxat secundùm qualitatem periculi, cui pecunia ipsius exposita sit: Paulus verò habita ratione ad solam industriam & laboris impensi qualitatem: Ioannes denique habita ratione ad vtramque, nimirum pecuniæ periculum, & industriam. Siue igitur primo siue secundo modo celebretur societatis contractus, licitus ac iustus est, dummodo tam lucri, quàm damni resultantis fiat distributio, seruata dicta proportione.

Cùm itaque omnes Doctores conueniant in hac suppositione, discriminantur † circa aliud 2 genus societatis, in quo scilicet quis suam sortem pecuniæ apponit in cumulo, saluo Capitali, paciscens cum altero socio, vt talis pecuniæ subeat periculum. Súntque tres opiniones. Prima est communis Accursij *leg. si non fuerint ff. pro socio*, Panormitani super dicto *cap. per vestras*, & Soti *lib. 6. de iustitia, quæst. 6. artic. 3.* & aliorum quamplurimùm negantium dictam societatem ponentis pecuniam saluo Capitali esse licitam; qui eam probant, tum ex *lege societatem, Cod. pro socio*, vbi dum societas illa approbatur, in qua vnus pecunias, & alter operas periculo exponit,

exponit, videtur tacitè reprobari illa, in qua ſocius neque pecunias neque operas periculo exponit. Tum etiam, quia ille qui confert pecuniam ſaluo capitali, verè mutuat illam alteri, qui illius periculum ſubit, cuius proinde efficitur Dominus; nam verè Dominus eſt rei, ille cui res perit ſi perdatur; & cùm alias pecunia ſoli Domino ſuo poſſit lucrari; hinc eſt talem mutuatorem ſi recipiat aliquid lucri vltra ſortem, eſſe vſuræ reum. Tum denique, quia non bene negotiatur ille, qui nec pecunias, aut operas periculo exponit: illa etenim eſt licita negotiatio, in qua aut propria pecunia, aut labor & induſtria negotiantis negotio exponitur. Requiritur enim triplex conditio ad ſocietatem, ſcilicet negotiatio licita, pecunia ſiue induſtria periculo conferentis eam expoſita, atque proportionalis diſtributio damni, ſiue lucri reſultantis pro rata quantitatis vniuſcuiuſque & periculi cui ſubeſt: quæ omnes conditiones deficiunt in illo, qui tutum ſeruat Capitale.

3 Secunda † opinio ait, licitum eſſe pecuniam in ſocietatem exponere ſaluo Capitali, cum tribus contractibus expreſsè, ſiue etiam implicitè celebratis, videlicet ſocietatis, aſſecurationis pecuniæ pro certo pretio, & venditionis incerti lucri pro certo, v. g. ſi Petrus conferens in ſocietatem mille aureos, conueniat cum Paulo ſocio ſic: ego expono in noſtram ſocietatem hos mille aureos, vtque eos mihi tutos ſerues, promitto tibi quinquaginta aureos, & vt mihi aſſecures certum lucrum, videlicet quinquaginta aureos, dabo tibi triginta, qua ratione pro centum aureis, quos lucratur ſingulis annis ſocietas, aſſecurat iſte ſuum Capitale, & viginti aureos ex lucro. Hanc tenent Ioannes Maior *in 4. diſtinct. 15. q. 48. & 49.* & Nauarrus *lib. 5. Conſiliorum, tit. de vſuris conſilio 8. & 9. & conſilio 16.* & *in Manuali cap. 17. num. 252.* Quorum ratio eſt, quod iſti duo poſtremi contractus poſſunt iniri cum diuerſis perſonis: Vnus quidem cum Ioanne, vt aſſecuret mihi capitale, alter verò cum Franciſco, vt aſſecuret mihi, vel vendat incertam lucri quantitatem; quam proinde poſſum recipere vltra ſortem, abſque labe vſuræ; quia vterque contractus eſt licitus & in euentibus dubiis ac fortunæ expoſitis negotiis ſatis vſitatus; vt in ſponſionibus (vulgo apueſtas) quæ in exitu litium & Cathedrarum euentu fieri ſolent. Si ergo licitus eſt vterque contractus cum diuerſis, pariter & cum eodem Paulo negotiatore, apud quem ponit Petrus ſuam pecuniam: vt ſi dicat ex condicto, dabo tibi mille aureos in ſocietatem, ex quibus pro aſſecuratione illorum, cape quinquaginta, & dabis mihi viginti pro lucro: reliquum ſume tibi; nam contractus qui ſecundum ſe ſunt liciti, non variantur ex eo quòd cum diuerſis, aut cum vno & eodem celebrentur. Occaſione huius argu-
4 menti † Hoſtienſis, & Ioannes Andreas citati à Maiore *vbi ſupra*, & Caietanus *opuſculo 16. Reſponſionum quæſt. 11.* in quandam mediam declinant opinionem: Illi quidem dicentes, quod poteſt fieri tutum Capitale ea lege, vt ſi per ipſam negotiationem pereat, teneatur negotiator illud reſtituere, non autem ſi pereat caſu fortuito. Iſte verò ait, dictos contractus non eſſe licitos, ſi ſimul cum eadem perſona fiant, vt ſi Petrus dicat Paulo, verbi gratia; contraho tecum ſocietatem hac lege, vt conueniamus etiam de pretio aſſecurationis, & quantitate lucri, nam tunc eſt mutuum palliatum: eſſe verò licitos ſi fiant ſucceſſiuè, ita vt poſtquam pecunia eſt expoſita à Petro communi lege ſocietatis, Paulus ſocius negotiator, non coactus ſed voluntarius eoſdem ineat contractus, ad eundem modum, quo idem Author loquens de penſionibus ſimili diſtinctione vſus dixerat, penſionem non poſſe conſtitui cum pacto ſimul redimendi; bene autem ſucceſſiuè.

Verùm ex hiis opinionibus † Secunda eſt 5
aliis præferenda, vtpote veritati conformior & in foro conſcientiæ ſatis ſecura. Suadetúrque Primò ratione facta à Maiori, quæ mihi euidens eſt; quæ amplius confirmatur ab ipſo, ex eo quòd non valet hæc conſequentia, ſubit alius periculum meæ pecuniæ: ergo mutuo illam (qua vtitur Sotus,) nam inſtatur in contractu locationis, & commodationis: poſſet enim quis locare aut commodare equum ſuum alteri qui periculum illius ſubiret, & tamen non mutuaret equum in eo caſu, vt per ſe notum eſt: ergo, &c. Reſpondet Sotus, quod hoc in caſu, in quo conductor & commodatarius ex pacto ſubeunt periculum rei locatæ ſiue commodatæ, interuenit contractus venditionis, quo locator, ſiue commodator vendit vſum rei ſuæ, retento illius dominio. Verùm hæc ſolutio deficiens apparet, eò quòd ſequitur ex illa, hos contractus locationis & commodationis non differre à contractu emptionis ac venditionis: Conſequens eſt falſum, & contra doctrinam communiter receptam & traditam ab eodem Soto *lib. 6. quæſt. 2. art. 1.* ergo & illud ex quo ſequitur. Quare ratio Maioris manet inconcuſſa, quæ amplius confirmatur. Experientia namque conſtat, ſæpiſſimè pecuniam, ſicut & alias merces nauigantium ab India ad Hiſpaniam, aut etiam econtra ab Hiſpania ad Indiam aſſecurari à Patronis, ſiue nauium ducibus pro taxato pretio, quin in aſſecurantes talium pecuniarum ſiue mercium dominium transferatur: igitur ex eo quòd ſocius ponat in ſocietatem pecuniam ſaluo Capitali, mediante aſſecurationis contractu, non ſequitur quod illam mutuet aſſecuratori, neque quod eius dominium in illum transferat: eo vel maximè, quod aſſecuratio eſt contractus licitus de ſe & ex obiecto, ſi fiat iuſto & currenti pretio, quia datur pro re æſtimabili, qualis èſt aſſecuratio rei periculis expoſitæ, poteſtque fieri de vita, de mercibus, de pecunia, ac de aliis euentibus.

Deinde † probatur eadem aſſertio, labefa- 6
ctando aliam mediam opinionem, contra Ioannem Andream & Hoſtienſem quidem. Nam ſicut poteſt fieri ſaluum Capitale per contractum aſſecurationis in negotiatione, ita & in caſu fortuito, hoc enim eſt onus aſſecurãtis, quod & ipſe poteſt nedum ſponte, ſed pro taxato pretio ſubire. Contra Caietanum verò, quia ſiue dicti contractus fiant ſucceſſiuè, ſiue ſimul, ſiue fiant cum diuerſis perſonis, ſiue cum eadem, liciti ſunt, vt dictum eſt: neque

per

per eos, siue isto, siue illo modo fiant, transfertur dominium pecuniæ depositæ, neque implicatur mutuum : ergo neque communiter vsuraria malitia.

7 Vltimò probatur † satisfaciendo argumentis primæ opinionis. Ad Primum namque respondetur, in illa lege societatem probari quidem expressè illam, in qua vnus pecunias, & alius operas periculo exponit : reprobari verò tacitè illam societatem, in qua neuter pecunias aut operas periculo exponit, dum per assecurationis superuenientem contractum, expositor pecuniarum illarum Capitalem non saluat. Ad Secundum neganda est maior præmissa : illa etenim regula fallit in multis, vt in locato, commodato, deposito & pignore, in quibus potest recipiens subire periculum rei locatæ, commodatæ, atquæ rei depositæ : siue inpignoratæ, quin efficiatur Dominus illius, ac per consequens quin interueniat mutuum. Vnde ex eo quod negotiator subeat periculum pecuniæ alterius socij, non sequitur effici Dominum illius, aut ei mutuari pecuniam. Nec valet argumentum Soti ; illa pecunia si pereat, perit ipsi negotiatori, qui de illa etiam potest facere quod sibi placuerit, aut emendo agrum, aut in eleemosinas erogando, aut in ludos prodigendo : igitur efficitur Dominus illius. Non inquam valet : nam etiam Conductor, & commodatarius, & depositarius, qui subit periculum rei locatæ, commodatæ aut depositæ, potest facere quod voluerit de illa, ita vt si pereat, ipsi pereat; & tamen non efficitur Dominus illius. Quinimo retorquetur argumentum contra Sotum, admittentem hos duos contractus assecurationis, scilicet Capitalis, & lucri, certi pro incerto, posse fieri cum diuersis, aut etiam cum eadem persona extra societatem, cui peribit pecunia, si pereat, quin adquirat dominium illius : ergo contractus assecurationis pecuniæ expositæ non infert tanslationem dominij in assecurantem, quando non est de societate: quod autem sit de societate, hæc est accidentalis circunstantia, quæ non mutat naturam contractus. Quod autem Sotus subdit, fieri argumentum à pluribus ad vnum, & ideo non valere consequentiam Maioris, dum ex eo, quòd isti duo contractus possint licitè fieri cum diuersis extra societatem, colligit posse quoque licitè fieri cum vno & eodem de societate, etiam fallit multipliciter. Tum quia arguere à pluribus ad vnum, non est defectus Dialecticus, qui vitiet argumentationem : quod enim lex diuina aut humana non prohibet agere cum pluribus, neque prohibet agere cum vno. Tum etiam, quia illos duos contractus nedum cum diuersis, sed etiam cum vno & eodem extra societatem posse iniri, fatetur Sotus. Tum denique, quia idem Sotus fatetur contractum assecurationis lucri certi posse licitè iniri cum socio negotiatore : cur autem nequeat cum illo iniri contractus assecurationis Capitalis, nullam aliam reddit rationem, nisi quia esset mutuatio cum lucro, & ex consequenti vsuraria. Cuius ex dictis patet infirmitas.

Ad Tertium fatemur, illam negotiationem esse illicitam, dum pecunia aut labor negotiantis non exponitur periculo; nisi nouo contractu assecuretur Capitale, secundum totum, aut secundum partem, cum parte lucri ei correspondentis.

Hinc veniunt soluendi plures casus. Primus 8
est ex *cap. per vestras, de donationibus inter virum & vxorem*, vbi iubetur marito ad egestatem vergenti pecuniam dotalem apud mercatorem collocare, vt eius lucro viuere, & matrimonij onera sustentare possit : quod tamen fieri non potest, nisi saluo Capitali, quia dotalia bona debent salua consistere. Sunt qui fateantur; hoc in casu licitum esse marito pecuniam dotalem in societatem exponere saluo Capitali, indeque lucrum recipere ; eadémque ratione aiunt licitum esse tutori bona pupilli saluo Capitali exponere negotiationi : & genero fructus pignoris extra sortem suscipere, pro alendis oneribus matrimonij. Verùm cum hæc sit manifesta vsura (nisi superueniente contractu assecurationis Capitalis & certi lucri purgetur, vt dictum supponimus) contra ius diuinum & naturale, neutiquam dispensabile, vt habetur in *cap. super eo de vsuris*; consequens est, neque in dicto *cap. per vestras*, cum marito fuisse dispensatum. Cuius † proinde 9
mens est ; marito licebit pecuniam dotalem negotiationi exponere, communi iure societatis apud tutum mercatorem : hoc est vel eam periculo Capitalis exponendo, vt de eius lucro possit viuere ; quod si tunc pereat Capitale dotalis pecuniæ, non ei in culpam imputabitur, nec restitutioni erit obnoxius ex dicti capitis benignitate : vel saluando Capitale, & lucrum certum per duos licitos contractus assecurationis assignatos, quos nec exclusit nec expressit dictum *cap. per vestras*, sed solùm declarauit simpliciter modum, quo maritus posset de fructibus dotis viuere. Idémque nec amplius conceditur tutori circa bona pupilli : de genero autem est diuersa ratio : nam quando socer non soluit genero dotem, & ei confert pignus fructiferum, censetur fructus pignoris concedere ad alenda matrimonij onera : eò quòd tenetur ei dare, vnde cum filia ducta in vxorem viuat.

Secundus † casus est, quem Sotus *vbi supra* 10
expendit & condemnat, etsi Romæ valde vsitatum affirmet : & res ita se habet. Conueniunt duo per modum societatis. Petrus scilicet habens officium in sacro Palatio valens mille aureos, & fructiferans quotannis centum ; & Paulus mercator dans illi centum aureos, hoc est decimam partem Capitalis, vt etiam decimam partem fructus ac lucri singulis annis, hoc est, decem percipiat ; cum hac tamen lege, vt si Paulus moriatur ante sex menses, perdat omnino suum Capitale, scilicet centum aureos, ad quorum restitutionem Petrus minimè teneatur : sin verò superuiuat, Petrus teneatur ei reddere illa centum ; aut ratione moræ teneatur illi reddere decem singulis annis, saluo semper Capitali : qui quidem contractus quoad primam partem licitus est; nam illud periculum quod subit mercator amittendi centum aureos, si intra sex menses priores è vita decedat, est pretio æstimabile, potestque in pactum duci, sicut quicumq; alius casus fortuitus. Quoad Secundam verò partem est vsurarius; nam transactis sex mensibus aut illa pecunia manet in societate, aut extracta à

ſocietate. Si Primum: ergo debet manere periculo negotiationis expoſita, & non ſaluo Capitali; alioquin eſt mutuum, quod vltra ſortem lucrari non poteſt. Si Secundum, vt re vera contingit, quia Mercator proteſtatur initio contractus, ſe poſt ſex menſes ſuperſtitem nolle amplius manere in ſocietate, tunc reducitur illa pecuniæ depoſitio ad alium contractum; nimirum vel ad mutuum, & ſic eius lucrum erit vſurarium, niſi percipiatur ratione damni emergentis, aut lucri verè ceſſantis, vtpotè quia mercator habebat illam expoſitam negotiationi: vel ad cenſum, & ſic erit emptio iuris recipiendi à Petro decem aureos. Sed in dicto caſu non contingit, quia Mercator cogit Petrum ad reddendum Capitale & redimendum cenſum, & ratione moræ ſoluit decem quotanis, quod eſt contra naturam cenſus: ergo dictus contractus quoad Secundam partem eſt omnino iniuſtus & vſurarius, niſi aut ad communem formam ſocietatis, vel ad formam cenſus reducatur: aut niſi lucrum illud mutuatæ pecuniæ ratione damni emergentis, vel lucri verè ceſſantis, percipiatur à mercatore.

Verùm Nauarrus *tit. de vſuris conſilio 25.* huiuſmodi contractum iuſtificat, dicens, quod ſocietas ſuper officio ex vna parte, & ex altera apponente centum aureos cum pacto recipiendi duodecim durante ſocietate; ea tamen lege, vt ſi deponens illa centum, moriatur antequam recedat à ſocietate, perdat totum Capitale, eſt licita; quia iuſtificatur propter periculum quod ſubit iſte ſocius perdendi totam ſortem principalem, eò quòd iſtud periculum eſt pretio æſtimabile: ergo & eius pretium poteſt duci in pactum, & taxari ad quantitatem duodecim, vel decem aureorum vna vice ſoluendorum. Quod confirmat Nauarrus exemplo mutui. Nam ſi quis mutuet alteri mille, ea lege vt ſi moriatur ante tres annos v. g. perdat ſortem principalem: ſi verò ſuperuiuat, reddantur ei centum pro milliario, nequaquam eſt vſurarius: quoniam iſta centum correſpondent periculo quod mutuans ſubit in fauorem mutuatarij: Vnde non ratione mutui illa recipit, ſed ratione periculi pretio æſtimabilis. Cùm igitur in noſtro priori caſu, ille Mercator qui confert centum aureos Officiali Romano, cum quo ſuper officio contrahit ſocietatem, periculum ſubeat pretio æſtimabile, ſcilicet perdendi totam ſortem in fauorem Officialis; hinc eſt quod licitè poſſit tranſacto ſpatio ſex menſium, ab illo vltra ſortem recipere decem aureos: non quidem ratione mutui aut moræ, nec ratione ſocietatis, quæ iam ab illo die intelligitur diſſoluta, ſed ratione periculi pretio æſtimabilis. Dixi *vna vice ſoluendorum*; nam hoc eſt pretium, quo iſtud periculum æſtimari valet ſecundum Nauarri mentem: alioquin ſi ſingulis annis eſſent ſoluenda, vſurarium eſſet pactum vt vult Sotus, quia diſſoluta ſocietate, nullus extat titulus recipiendi illud pretium ſaluo Capitali, niſi adſit titulus damni emergentis, vel lucri ceſſantis, vel niſi contractus ad formam cenſus reducatur. Hincque patet, qualiter Sotus & Nauarrus concordent; ille enim damnat iſtum contractum cum pacto recipiendi decem ſingulis annis, diruta iam ſocietate: iſte verò illum iuſtificat, cum pacto recipiendi decem vel duodecim vna vice, ratione periculi perdendi totam pecuniam, quod ſubit mercator in vtilitatem Officialis.

Tertius caſus eſt eiuſdem Nauarri, in dicto *conſilio 25. quæſt. 5.* nimirum † de pacto illo in ſocietatibus licitè apponi ſolito, videlicet, ſi quis dicat alteri ſocio: confero tibi pecuniam iſtam, ea lege vt poſſim diſcedere à ſocietate quando voluero, & ſoluta ſocietate illico mihi pecuniam reddas: quia iſtæ duæ conditiones ſunt licitæ, & contractus ex conuentione partium legem accipiunt. Quoad aliam verò tertiam conditionem (ſi fortè apponatur) non valet, ſcilicet, quandiu fueris in mora reddendi mihi ſortem principalem, dabis mihi idem intereſſe, quod dabas durante ſocietate: eò quòd tunc iam deeſt titulus accipiendi lucrum vltra ſortem, ceſſauit etenim ſocietas & periculum ſiue metus amittendi ſortem, paritúrque proinde lucrum illud ex tacito mutuo, eſtque vſurarium fœnus. Fateor tamen dictum Officialem quandiu fuerit in mora reddendi ſortem Mercatori, teneri ad ſoluendum illi damnum emergens, aut lucrum verè ceſſans iuxta Sancti Thomæ doctrinam 22. *quæſt.* 62. *art.* 4. 11

Quartus caſus eſt, † de Mercatore vendente merces carius ob dilatatam ſolutionem, quàm de præſenti valeant; iniuſtum eſſe contractum, niſi fiat cum illis duabus conditionibus adnotatis in *cap. finali de vſuris*: vel etiam faciendo duos contractus explicitè, vel ſaltem implicitè cum emptore: vnum quo dicat, vendo tibi has merces pro iuſto pretio, videlicet centum aureis: & alium quo dicat, mutuo tibi iſtos centum aureos vſque ad annum, ea conditione vt in fine anni ſoluas mihi centum & viginti; centum quidem pro pretio mercium, viginti verò pro lucro ceſſante, quod ego veroſimiliter adquirerem cum hiis centum, quæ modo ad tuas preces & in tui vtilitatem mutuo. Cum hiis enim conditionibus mutuatarius tenetur in foro conſcientiæ reddere illud intereſſe in pactum deductum. 12

Quintus caſus eſt eiuſdem Nauarri in *conſilio 26.* de † illo qui iniuit contractum ſocietatis hac conditione; confero tibi centum aureos, vt des mihi decem ſingulis annis durante ſocietate; quod ſi moriar morte naturali durante ſocietate, retineas tibi Capitale; ſin minus, reſtitues illud meo hæredi; qui contractus validus eſt & iuſtus ob rationem iam dictam: quia nimirum ſubit periculum quod eſt pretio æſtimabile. Interim tamen iſte mercator mortuus eſt morte quadam violenta, quia equus cui inſidebat calce punctus illum necauit; quare ſocius qui dicta lege centum aureos acceperat in ſocietatem, tenetur illos hæredi mercatoris vita functi reſtituere. 13

QVÆSTIO

QVÆSTIO VI.

Vtrum dispensatoribus montis, qui vulgo dicitur pietatis, aut posito, liceat aliquam paruam, siue mediocrem quantitatem vltra sortem mutuatam recipere?

SVMMARIVM

1 *Referuntur Authores, qui de hoc argumento agunt.*
2 *Caietanus & Sotus asserunt vsurariam esse in his montibus siue positis, receptionem lucri vltra sortem mutuatam: quorum fundamenta ad tria reducuntur,* ibid.
3 *Nauarri sententia huic opposita est verior, & variis argumentis ab Authore probatur.*
4 *Mons pietatis quid; eius vsus, & à quo initium habuit.*
5 *Referuntur aliquot capitula siue conditiones dicti montis.*
6 *Bulla Lateranensis Concilij pietatis montem cum dictis capitulis Italiæ constitutum tanquam licitum & pium approbat.*
7 *Caietanus proprio argumento euincitur.*
8 *Expensæ soluendæ sunt ab illo, cuius interest talem montem conseruare.*
9 *Probatur hæc assertio argumento ab inconuenienti desumpto, quod in moralibus non parum vrget.*
10 *Resoluuntur nonnulla dubia: quorum Primum est, An dictus mons possit à contractu mutui liberari, ac proinde à labe vsuræ ex defectu mutui?*
11 *Resolvitur dubium* cap. per vestras, de donation. inter vir. & vxor.
12 *Ex cuius verissima & genuina ratione refutantur tres aliæ à diuersis Authoribus assignatæ.*
13 *Maritus, quandiu ei non soluitur dos, potest etiam fructus pignoris extra sortem recipere.*
14 *Maritus potest pacisci cum eo qui dotem promisit, vt ei soluat annuam pensionem quoad soluatur dos.*
15 *Si fructus pignoris excedant onera matrimonij, non potest illum excessum maritus recipere extra sortem.*
16 *Maritus vel eius hæredes teneantur vxori per diuortium separatæ, aut etiam viduæ alimenta præstare, quoad ei reddatur dos.*

EXAMINARE in hac quæstione intendimus iustitiam, qua ministri dispensatores huiusmodi pietatis montium, siue positorum, paruam siue pecuniæ, siue tritici quantitatem menstruam, vel annualem à mutuatariis vltra sortem accipiunt, pro salariis eorum, qui huiusmodi administrationi incumbunt: aut etiam pro eiusdem montis conseruatione. De quo † argumento copiosè inter alios, agunt Caietanus *tomo 2. opusculorum tractatu 6. de monte pietatis*; Sotus *lib. 6. de iustitia & iure quæst. 1. art. 6.* & Nauarrus *in commentario de vsuris, notabili 20. & sequenti, & in Manuali Latino cap. 17. num. 213.* referens seipsum in priori loco; qui diuiduntur in duas opiniones extremè oppositas. Prima est † Caietani & Soti, 2
asserentium vsurariam esse in hisce montibus, siue positis, huiusmodi receptionem lucri vltra sortem mutuatam. Quorum fundamenta ad hæc tria reducuntur. Primum est, quia vsura est lucrum ex mutuo, vt habet communiter recepta diffinitio: atque recipere vltra quantitatem mutuatæ pecuniæ, aut mutuati tritici tantum in singulos menses, aut annos ratione dilatæ solutionis mutui, quod fit in dispensatione huiusmodi pietatis montium seu cumulorum, est recipere lucrum ex mutuo, vt ex facti specie constat: igitur est vsurarium lucrum. Secundum quod est herculeum argumentum sic procedit. Solus ille cuius interest eam summam pecuniæ vel tritici quantitatem incolumes seruare, debet suis impensis ministros sustentare, per regulam iuris, quod qui sentit commodum, debet quoque incommodum sentire: atqui hoc interesse non est mutuatariorum, sed solius mutuantis, cuius proinde onus esse debet suos sustentare ministros; ergo quidquid vltra sortem recipit, extorquere videtur, ratione mutui, siue ratione dilatæ solutionis: ac per consequens vsuraria est extorsio. Maior cũ consequentia est nota; & Minor præmissa sic ostenditur. Si quis dines in ciuitate misericors in pauperes conciues, statueret secum cuicumq; petenti pecuniam mutuare, non aliter tamen quàm suscepto pignore ad certum tempus iuxta leges mõtis pietatis, huiusmodi pignus non recipit in vtilitatem mutuatarij, sed in propriam suam, vt suæ pecuniæ tutam faciat solutionem: ac proinde quod tale pignus custodiatur sua interest, non mutuatarij, qui mallet pignus apud se retinere, sed quia mutuator non vult ei suam pecuniam credere, nisi pro suscepto pignore, ideo pignus ei tradit; in quo valde differunt depositarius, & pignoris retentor siue custos: quod ille nõ in suã sed in depositantis vtilitatem depositum recipit, iste verò in sui vtilitatem recipit pignus custodiendum. Vnde ille tenetur depositum restituere, non ratione acceptiõnis, nisi tantùm ratione rei acceptæ: iste autem ratione eiusdem acceptionis tenetur acceptũ pignus reddere. Ex hoc discrimine aliud oritur, nimirum quod si depositum perdatur citra grauem culpam depositarij, minimè ad eius restitutionem tenetur: pignus autem cùm quacumque culpa etiam leui creditoris perdatur (secus si absque vlla) tenetur ad eius restitutionem; ac proinde creditori incumbit pignoris custodia, ne si eius leuissima culpa perdatur, debitor fiat reddendi pignus suo Domino.

Tertium est; idem iudicium ferendum est de mutuaticia pecunia huiusmodi cumuli, siue communitatis, atque de illa quam mutuat ciuis particularis, cùm vtriusque eadem sit ratio, & par obligatio mutuandi gratis: Sed personæ priuatæ interest suam pecuniam tutò seruare, & non pauperum quibus eam mutuat: nam licet in eorum vtilitatem cedat mutuata pecunia, tamen beneficium mutuationis deesset eis conferre gratis; neque enim pauperibus interest

diuitias hominis diuitis tutas ſeruare, ob id ſolùm quod eis mutuet; igitur idem iudicium ferendum eſt, de pecunia, vel frumento dicti cumuli, cuius dominium ſola Reſpublica habet.

3 Verùm † oppoſitæ ſententiæ vt veriori ſubſcribo cum Nauarro *vbi ſupra*, adſtruenti nullatenus vſuræ labe huiuſmodi montium pietatis diſpenſationem maculari. Pro cuius declaratione noto Primò,† 4 montem pietatis nil aliud eſſe, quàm cumulum ſiue aceruum pecuniæ, aut frumenti, pro ſubleuandis, pauperum Reipublicæ miſeriis per mutuum deſtinatum: qui primùm in Italiæ quibuſdam ciuitatibus initium habuit, temporibus Pij II. qui & fuit Æneas Siluius, ac dicti montis approbator: poſtea verò à Lateranenſi Concilio ſub Leone X. iterum fuit receptus, & cum certis legibus ac conditionibus approbatus: cuius approbationis extat authentica Bulla; cui Concilio Caietanus vt Romanæ Eccleſiæ Cardinalis ſe interfuiſſe teſtatur 2.2. *q.* 1. *art.* 10. Rurſus idem in *opuſculo citato*, commemorat dicti montis Capitula non fuiſſe ſimpliciter per eam Bullam approbata, ſed tantùm quatenus ſacris canonibus non eſſent contraria.

5 Noto ſecundò, quod inter † capitula ſiue conditiones dicti montis primum eſt, quod pecunia ſiue frumentum ſit in communi cuſtodia cum obligatione mutuandi, & quod non mutuo detur, niſi in certum tempus, quo tranſacto, illico reddatur: ne apud paucos cum detrimento boni publici aceruus occupetur. Secundum eſt, vt mons diſpenſetur non aliter, quàm ſub pignoratitia cautione, vt tuta æris vel frumenti mutuati reddatur ſolutio; alioquin ſi mutuatarij pauperes ſoluendo non eſſent, mons breui tempore extingueretur. Tertium, vt pignora vltra præfixum tempus non ſint ſeruanda, ſed illico ſub haſta exponenda, vt ex eorum pretio cumulus reficiatur. Quartum eſt quod mutuatarius in ſingulos menſes, aut annos, exiguam conferat æris vel frumenti quantitatem, non ratione mutui, ſed pro ſoluendis ſtipendiis miniſtrorum, qui tum ad ſeruanda pignora & illa excutienda; tum ad illa vendenda ob moram reddendi ſortem mutuatam: tum etiam ad ſcribendas rationes dati & accepti ſunt deputati. Et de hac contributione eſt diſſidium inter Doctores, Vtrum labe vſuræ inficiatur; aliis quidem aſſerentibus, & aliis negantibus, quibus libenter ſubſcribendum duximus in præſentiarum. Quapropter eorum ſententia, &

6 noſtra ſuadetur Primò ex dicta † Bulla Lateranenſis Concilij, quæ pietatis montem cum dictis capitulis Italiæ conſtitutum tanquam licitum & pium approbauit: Concilium autem generale legitimè congregatum, in hiis quæ ad fidem & mores pertinent, errare non poſſe oſtendimus cum D. Thoma 2. 2. *q.* 1. *art.* 10. Neque obſtat quod notat Cardinalis Caietanus *in ſuo opuſculo cap.* 15. dicens hæc capitula montis non ſimpliciter per dictam Bullam approbari, niſi ſolùm cum hac limitatione, quatenus ſacris canonibus non contrariantur. Nam hæc non fuit limitatio, quaſi aliqua ex dictis capitulis non eſſent contraria canonibus, & aliquod illorum eſſet contrarium, alioquin mons ipſe non fuiſſet ſimpliciter approbatus cum ſuis capitulis: ſed tantum *ly quatenus* fuit dictum per appoſitionem, ac ſi diceretur; approbantur Capitula montis quatenus, vel quæ non ſunt contraria, vel quia non ſunt contraria ſacris Canonibus. Præterquam quod in Bulla ipſa typis mandata, talis limitatio non reperitur: neque credendum eſt, quod Dominus Caietanus præſumendo & coniectando ait, talem limitationem fuiſſe typis mandatam: quis enim tam grande piaculum ſuper ſe vellet inferre, vt approbaretur Capitulum in Bulla, quod in eius Originali erat à Summo Pontifice reprobatum.

Secundò ſuadetur † argumento ad hominem aduerſus eundem Caietanum, qui *in cap.* 5. *ſui opuſculi*, fatetur miniſtros montis poſſe licitè recipere à mutuatariis aliquam quotam pro obligatione mutuandi, quia hæc obligatio eſt pretio æſtimabilis: & ſimiliter pro ſoluenda penſione domus conductæ, ad cuſtodienda pignora & illa excutienda, ne ea lædantur aut aliter maculentur; quando ſunt talis materiæ quæ huius generis cura aut excuſſione indigent: quia hæc officia ſunt per ſe ordinata in fauorem nedum mutuantis, ſed etiam pauperum mutuum petentium & pignora deponentium: alioquin (ait ille) pro ſtipendio miniſtrorum inſeruientium in mutuando, in recipiendo pignora, in recuperando pecuniam mutuatam, & in reddendo pignora ſuis dominis; aut in augmentum ipſius montis, vſuraria eſt exactio ſiue receptio cuiuſcumque quotæ. Sed ſic eſt, quod quando quis, ſiue ſit perſona priuata, ſiue communitas, obligatur ad mutuandum, huiuſmodi obligatio quæ eſt pretio æſtimabilis, refunditur in cunctas actiones & operas officio mutuandi deſeruientes; vtpotè quia ſunt operæ miniſtrorum deſtinatorum ac præparatorum ad mutuandum; quæ proinde etiam ſunt pecunia æſtimabiles: ergo etiam pro illis poteſt recipi iuſtum pretium abſque vſuræ & iniuſtæ labe: & nedum pro ſtipendio miniſtrorum, ſed etiam pro augendo monte, poteſt taxatum recipi pretium ac moderatum lucrum: quod enim licet priuatæ perſonæ obligatæ ad mutuandum, etiam licet Communitati quando obligatur pariter ad mutuandum. Atqui homini priuato qui obligaretur mutuare cuicumque à ſe petenti mutuum, licitum eſſet vltra ſortem accipere aliquod præmium, quo & ſors principalis augeretur: ergo idem Communitati liceret, ac per conſequens monti, qui eſt cumulus pecuniæ communis ad mutuandum deſtinatus.

7

Tertiò ſuadetur ex illo communi principio, quod vtriuſque opinionis Authores admittunt, & maximè Caietanus & Sotus innituntur, nimirum † quod expenſæ ſoluendæ ſunt ab illo, cuius intereſt talem montem conſeruare. Atqui huiuſmodi montem conſeruare, non ſolius Domini pecuniæ depoſitæ intereſt, ſed etiam Vniuerſitatis pauperum: vtpote in quorum vtilitatem ordinatur, ſcilicet cùm totus iſte cumulus ad pauperum Reipublicæ miſerias ſubleuandas ſit deſtinatus: ergo ipſos quoque debet tangere expreſſarum ſolutio. Maior cum conſequentia ſupponitur vt nota. Minor autem præmiſſa in qua eſt difficultas, ſic oſtenditur Mons iſte ſiue cumulus pecuniæ poteſt congeri vno ex tribus modis: nimirum aut ex pecunia, quam vnus

8

ciuis

ciuis diues & pius contulit ad vsum pauperum, retinens in se illius dominium, solam administrationem credens certis ministris à Republica deputatis vel deputandis; aut transferens dominium talis pecuniæ & administrationem in ipsam Rempublicam; & certè iste fuit modus, quo teste Domino Caietano huiusmodi Mons initium habuit in Italia: Aut ex pecuniis, quas plures ciues & pij viri misericordes in pauperum subsidium Reipublicæ contulerunt, in ipsam dominium simul cum administratione transferentes. & hoc modo existimo quæ posita vulgo in nostra Hispania vocantur, ex tritico fuisse congesta; quod ad Italici Montis aliqualem imitationem, aut Episcopus aliquis in oppidis suæ Diœcæsis, aut aliquis ex ipsis oppidanis, aut ipsa Communitas ex suo horreo publico in pauperum subsidium mediante mutuo contulit. Neque enim alius modus excogitari potest instituendi aut Italicum montem, aut Hispanicum positum. Et quidem si primo modo fuerit institutus, non solius Domini deponentis pecuniam, sed æquè Vniuersitatis pauperum etiam interest eam conseruare pecuniæ summam, ob obligationem ad mutuandum pauperibus, qua se ille siue Respublica adstrinxit; licet enim mutuatio debeat fieri gratis, obligatio tamen illa ad mutuandum mercede digna est, & pecunia æstimabilis, quæ prudentum iudicio taxari debet; iste tamen modus quia minus vsitatus est, non est multum considerandus.

Si autem secundo modo sit institutus, qui planè magis est in vsu, tunc conseruatio montis siue positi, tam Reipublicæ quæ cum dominio administrationis occupationem sustinet, quàm Vniuersitatis pauperum interest, in cuius vtilitatem est mons destinatus. Denique si tertio modo mons fuerit institutus, quod in positis Hispaniæ mons obtinuit, idem iudicium ferendum est atque de primo modo, quo videlicet mons institutus fuerit à persona priuata, transferente dominium simul & administrationem in ipsam Rempublicam, nimirum quod vtriusque interest ærarium siue positum conseruare; Reipublicæ quidem, quæ illius dominium habet, ex quo haud paruo splẽdore refulget: Vniuersitatis verò pauperum, quia ex ærario totam vtilitatem reportat. Quod si demus oppidanos solam ærarij, vel positi ab ipsis instituti, in Rempublicam administrationem transtulisse; casus profectò Methaphysicus est, nedum minus consuetus, quia tunc maneret ærarium sine vero dominio, cuius interesset illud tutum conseruare: ac proinde eo casu dato totum pondus obligationis illud conseruandi, caderet supra paupertũ vniuersitatem, quorũ expensis deberet ærariũ refici ne paulatim cõsumeretur. Nec valet solutio Soti dicentis hoc in casu dominium ærarij manere apud ipsum ærarium, quasi ipsum sit Dominus sui: ideóque teneri se ipsum suis expensis conseruare; quod possumus in fauorem Soti exemplo confirmare, videlicet ad eum modum, quo homo est custos suorum membrorum, quæ proinde tenetur conseruare; ita cumulus iste est Dominus & custos illarum æris quantitatum, quas mutuare, & mutuatas recuperare tenetur. Verùm dominium istud in cumulo difficile intelligitur ob defectum realis distinctionis, quæ inter Dominum & rem cuius est Dominus debet versari, nemo enim est Dominus sui ipsius. Quod si vulgo dicitur, hominem liberum esse Dominum sui, intelligitur ad hunc sensum, quod est Dominus suarum actionum: Cumulus autem ille à suis pecuniis, vel frumenti modiis realiter non distinguitur; homo verò à suis membris ob partem rationalem realiter discriminatur. Quare non cumulo qui sui dominium non habet, sed Vniuersitati pauperum, quæ vtilitatem ærarij reportat, imo & in eo casu dominium vtile haberet, incumbit obligatio ærarium tutum suis expensis custodiendi. Igitur quocumque modo velimus montem siue ærarium formare, neutiquam possumus liberare Vniuersitatem pauperum ab obligatione faciendi expensas aliquas pro illius conseruatione.

Quartò probatur † nostra assertio argumẽto ab inconuenienti desumpto, quod in moralibus non parum vrget: nimirum quia si mons ipse deberet se suis expensis conseruare, paulatim minueretur vsque ad totalem sui extinctionem: consequens non est admittendum: ergo neque illud ex quo sequitur Sequela admittitur ab aduersariis, & est manifesta. Nam si quotidianæ expensæ & salaria ministrorum de ipso cumulo deberent extrahi absque vllo alio eiusdem cumuli augmento, necesse est cumulum se ipsum paulatim consumpturum fore. Minor autem probatur, quia nefas videtur admittere opus tam pium, tantoperéque à Summis Pontificibus approbatum ac laudatum, non posse aliter subsistere, nisi aut per vsuras cum offensa Creatoris, aut per nouas expensas à fundatore superadditas: provt fatetur Sotus, dicens oportere ne mons extinguatur, vt persona siue Respublica, quæ eam summam æris vel tritici in montem cõfert, superaddat aliũde nouos reditus, quibus mons sine sui detrimento possit conseruari, sicque constitutos esse quarundam ciuitatum Italiæ montes pietatis, puta Mediolani, Brixiæ, & aliarum, quas Dominus Caietanus in suo opusculo refert, in quibus publico stipendio sustentantur montis administri. Verumtamen harum ciuitatum exempla gratis admissa, tantùm probant id quod melius fieret, si aliunde quàm à mutuatariis administri montis alantur: non autem quod iniustè fieret, si à mutuatariis extrahatur mediocris contributio pro administrorum salariis, imo & pro ipsius cumuli incremento, obdictam obligationem qua ad mutuandum adstringitur, quæ non modica pecunia est æstimabilis. 9

Hinc veniunt nonnulla dubiola soluenda. Primum est, quod etiam Dominus Caietanus commemorat, dubitando in persona aliquorum Doctorum *cap. 13. sui opusculi.* An † dictus mons possit à contractu mutui liberari, ac proinde à labe vsuræ ex defectu mutui? Sunt qui dicant (ait Caietanus) in huiusmodi montibus pietatis non mutuum propriè, sed potius societatis contractum interuenire, eò quòd pauperes cum ciuibus pecunias in monte siue cumulo deponentibus, contractum societatis ineunt seruandi tutam illam pecuniæ quantitatem, ea conditione, vt pauperes singuli recipiant ad vsum temporalem certam pecuniæ quantitatem, qua indiguerint cum obligatione eam restituendi cumulo cum quodam auctario, pro salario ministrorum conseruationi montis inseruientium, 10

tium, qui suas operas pro tali salario locant. Vnde videtur non mutuum, sed societatis & locationis tantùm contractus in huiusmodi montibus interuenire, eo vel maximè, quod in mutuo oportet mutuantem à mutuatario distingui, atque rem mutuatam alienam esse à petente mutuum: hîc autem non sic contingit, nam mutuans sunt pauperes ipsi, qui & mutuatarij; pecunia quoque mutuata est ipsorum pauperum, qui eam accipiunt de cumulo ad vsum infra certum tempus, quo finito eandem cumulo reddere tenentur. Verùm hæc opinio nequit locum habere in monte consueto modo constituto, nimirum quando dominium pecuniæ siue frumenti manet apud ciuem particularem, qui eam contulit, vel apud Rempublicam ipsam; nisi solùm in illo monte qui tertio modo superius insinuato & inconsueto fuerit fundatus, quando scilicet nemine manente cum dominio, sola administratio in Rempublicam transfertur. Ratio primi dicti est, quod in illis casibus realis saluatur distinctio inter mutuantem & mutuatarium: qui pecuniam à mutuante petit non suam sed ipsius mutuantis, apud quem est dominium cumuli. Ratio verò secundi dicti est, quia eo in casu dumtaxat diximus posse saluari, manere cumulum sine vero Domino extra ipsum; & tunc fortè dominium esse apud ipsam pauperum vniuersitatem, quæ ius habet ad accipiendum de cumulo pecuniam vnicuique necessariam, siue frumentum ad vsum pro certo tempore, quod dicitur dominium vtile. In quo sensu vulgo dicitur in nostra Hispania, frumenti posita esse pauperum Reipublicæ, quia fortè ea lege sunt relicta à Prælato Diœcesano, vel diuite aliquo ciue aut oppidi Domino temporali, vt eorum dominium nec in ipsis, nec in Republica siue ciuitate, aut oppido maneat, sed in pauperum vniuersitate: soláque administratio ad ciuitatis, vel oppidi ministros designatos pertinęat: quod si ita esset, non mutuum, sed solùm vsus quidam temporalis interueniret; ad eum modum, qui in quibusdam communitatibus, puta Collegio, seu Conuentu solet fieri, vt vtensilia, videlicet vestes, & vasa in communi depositio asseruantur. Vnde vnusquisq; de Communitate accipit promiscuè vestimentum, vel vas quo indiget ad vsum pro certo temporis curriculo, quo transacto illud reddit Communitati, in cuius acceptione neque mutuum, neque in eius redditione, etiamsi fieret cum auctario, vsuræ vitium interueniret. Fateor modum istum esse securissimum in vtroque foro, si iuxta illum mons aut positum fundaretur: sed dubito, Vtrum aliquis sit ita fundatus: existimo namque Italicos montes, & Hispanica posita aliter esse fundata, nimirum transferendo eorum dominia in ipsam Rempublicam, quæ per suos administros pecuniam siue frumentum pauperibus mutuat: & nihilominus à labe vsuræ ob obligationem mutuandi vindicari.

11 Secundum est † super *cap. Per vestras de donation. inter virum & vxor.* vbi Innocentius III. permittit marito, vt pecuniam dotalem in societatem negotiationi exponat apud mercatorem aliquem, vt eius lucro viuat & onera matrimonij sustentet, saluo Capitali, quandoquidem dos debet salua persistere. Ex quo videtur colligi, pecuniam aut frumentum in cumulo communi posse collocari saluo Capitali adaucto, cùm cumulus ipse in fauorem pauperum augeatur, aut saltem tutus conseruetur: tum eius administri salarium competens accipiant. Et quamuis nonnulli Iuris interpretes sentiant, in hoc capite indulgeri marito in fauorem matrimonij, vt possit dotem saluo Capitali apud mercatorem collocare, vt eius lucro onera matrimonij sustineat, sicut genero ob eandem rationem *in cap. salubriter de vsuris*, conceditur, vt fructus pignoris extra sortem suscipiat, quandiu ei non soluitur dos: eodémque indulto aiunt bona pupilli potiri: tamen hæc interpretatio sustineri nequaquam potest; quoniam recipere vsuras, neutiquam, nec pro redimenda vita captiui est dispensabile, vt expressè habetur in *cap. super eo de vsuris*; vtpote diuino ac naturali iure contrarium. Quare vt bene aduertit Sotus in dicto *lib. 6. de iustitia quæst. 6. art. 2. ad 1.* in eo *cap. per vestras*, solùm declaratur modus, quo maritus possit fructibus dotis alere familiam, nimirum si illam apud tutum mercatorem iure communi societatis ibi approbatæ collocet, scilicet relinquendo capitale periculo expositum, quod tamen adhuc manet saluum respectu vxoris, cui maritus, aut eius hæredibus semper tenetur dotem integram restituere, quantum est de se & ex vi iuris, nisi per accidens ob inopiam fiat impotens. Idémque & non aliter potest tutor de bonis pupilli disponere, vt de eorum fructibus aut lucro pupillum alat. De fructibus autem pignoris traditi genero, quandiu ei dos non soluitur, est alia longè diuersa ratio: quia nimirum gener licitè percipit fructus pignoris sibi traditi in securitatem soluendæ dotis, hoc priuilegium ipsi concedente vtroque iure in *cap. salubriter de vsuris*, & *lege Pater ff. de dol. mal.* eò quòd gener non percipit huiusmodi fructus extra sortem dotis vi mutui expressi aut palliati, sed ob aliam rationem, quæ à diuersis Authoribus diuersa assignatur: plures referunt Couarruuias *in cap. 1. lib. variarum resolutionum*: Sotus *in dicto lib. 6. quæst. 1. art. 2. §. exsurgit autem*: & Nauarrus *in commentario de vsuris, notabili 20. & duobus sequentibus*; repeto compendiosè *in Manuali cap. 17. num. 213.* & quidem communis, quam assignant Panormit. Fortunius & alij supra dictum *cap. salubriter*, Sotus, Couarruuias *vbi supra*; & Syluester V. *vsura 1. §. 7.* sumitur ex sustentatione onerum matrimonij; reddit enim in dicto *cap. salubriter*, idem Innocentius III. hanc solam causam concedendi genero hoc indultum vsufruendi pignore sibi tradito, in securitatem soluendæ dotis, dicens: cùm frequenter fructus dotis non sufficiant ad onera matrimonij sustinenda. Ex † qua verissima & 12
genuina ratione refutantur tres aliæ à diuersis Authoribus assignatæ. Prima est Adriani *q. de vsura*, asserentis causam sumi ex interesse lucri cessantis, ita vt pro lucro quod cessat genero defectu dotis, licitè percipiat fructus pignoris ei correspondentes, & non aliàs; nam etiam in aliis contractibus (arguit Adrianus) qui recipit pignus fructiferum, tenetur aliqua onera sustinere, & nihilominus debet in sortem principalem fructus pignoris computare. Secunda ratio assignatur à Nauarro *vbi supra* dicente

causam

causam huius priuilegij genere concessi, fundari in tacita donatione dotantis, quam (ait Nauarrus) esse genuinam, & colligi ex multis in donatione concurrentibus. Tertia assignatur ab Almaino *in 4. sententiar. d. 15. q. 2.* dicente causam huius sumi ex mora soluendi dotem, ita vt si socer non sit in mora soluendi dotem, tunc gener neutiquam possit licitè capere fructus pignoris vltra sortem. Verùm omnes istæ rationes, siue causæ deficiunt à veritate. Primum quidem Adriani propter tria: Tum quia contradicit contextibus dicti *cap. salubriter, & lege Pater*, in quibus sola ratio sustinendi onera matrimonij assignatur in vno, & insinuatur in altero pro causa indulgēdi genero huiusmodi licētiā capiendi fructus pignoris extra sortē. Tum etiam, quia ratio lucri cessantis, etiam habet locum in aliis contractibus, puta in mutuo, commodatione, &c. & tamen iura aliquid particulare concedunt genero in fauorem matrimonij ob obligationem supportandi illius onera, non qualitercumque sed seruando tutam dotem; semper enim tenetur vxori maritus de integra dote, quod non contingit in aliis contractibus, in quibus etsi recipiens pignus in securitatem sortis siue pretij sustineat aliqua onera, non tamen tenetur sortem principalem tutam seruare: cuius rationis vim non plenè agnoscentes Adrianus & Nauarrus, in suas non genuinas prolapsi fuere. Tum deniq; quia aliàs in solo genero mercatore haberet locum ratio lucri cessantis, quia huic soli qui pecuniam dotalem exponeret negotiationi, cessaret lucrum, & ideo ille solus posset fructus pignoris capere extra sortem: Cùm tamen hoc priuilegium omni genero concessum sit à Iure: ergo, &c.

Deinde Secunda ratio Nauarri minus vera & magis aliena est à contextu *dicti cap. salubriter*, & à mente Pontificis in illo, qui cùm esset interrogatus de iure, non respondit de donatione, sed de iure; hoc est quid secundum ius liceat genero recipienti pignus fructuosum in securitatem soluendæ dotis, eò quòd frequenter (ait textus) fructus dotis non sufficiant ad onera matrimonij supportanda. Rursus, multoties socer esset inuitus, haberétque contrariam voluntatem, scilicet non donandi fructus pignoris genero, sed computandi eos in sortem doti: ergo tunc non posset gener eos recipere extra sortem, vtpote cessante causa tacitæ donationis: & tamen hoc indultum absolutè conceditur genero, siue socer habeat voluntatem donandi tales fructus, siue habeat contrariam voluntatem, per quam non potest transferri dominium talium fructuum in generum, eò quòd actus agentium non operantur vltra eorum intentionem *ex leg. non omnis ff. si certum petatur*. Denique ratio Almaini deficit propter tria. Tum quia ob moram soluendi nemo potest recipere aliquid vltra sortem, nisi aut ratione dāni emergentis, aut lucri cessantis: quod ostendimus in nostro casu locum non habere. Tum etiam, quoniā hoc indultū conceditur genero in legibus allegatis absolutè, & sine vlla distinctione aut restrictione: siue socer sit in mora, siue non sit in mora soluendi: & vbi lex non distinguit aut restringit, nec nos distinguere aut restringere debemus, iuxta receptissimam regulam iuris. Tum denique, quoniam siue socer sit in mora soluendi, siue non, hoc est, siue transactus sit terminus solutioni præfixus, siue adhuc terminus solutionis ex conuentione partium præfixus non sit completus, militat eadem ratio iuris, videlicet, quia dote salua tenetur maritus familiæ prouidere, & onera matrimonij supportare: ergo pariter in vtroque casu gener eodem potitur priuilegio, sibi à iure concesso. Nam etsi gener voluntariè terminum illum solutionis à socero assignatum admittat, censetur illum admittere secundum ius, ac proinde iuri suo non cedit.

Vnde inconcussa & firma manet ratio communis, quæ in obligatione supportandi onera matrimonij salua dote fundatur, vtpote à iure ipso assignata.

Hinc colliguntur quorundam casuum concernentium resolutiones. Colligo primò de † marito qui non est gener, cui alter qui non est socer, sed patruus v.g. vxoris dotem promisit, à quo & fructiferam pignus accepit, quandiu ei non soluitur dos, possit etiam fructus pignoris extra sortem recipere; eò quòd licet textus citati tantùm de genero loquantur, tamen quia militat eadem in vtroque ratio, eadem quoque censetur iuris dispositio 13

Colligo Secundò, † posse etiam siue generum siue maritum paciscí cum eo, qui dotem promisit, vt ei soluat annuam pensionem quoad soluatur dos, pro supportandis oneribus matrimonij, pensionem inquam tantam, quantam ex dote lucrari verosimiliter posset; Ita resoluunt Sotus & Nauarrus *vbi supra*; eò quòd licet textus non loquantur nisi de fructibus pignoris, tamen quia eadem militat ratio in pensione & fructibus pignoris, eadem quoque esse debet iuris dispositio. 14

Colligo tertiò cum Syluestro & Soto *vbi supra*, quod † si fructus pignoris excedant onera matrimonij, non potest illum excessum maritus recipere extra sortem, sed tenetur quidquid supereſt, aut in sortem dotis imputare, aut domino pignoris restituere. Ratio manifesta est, qua huiusmodi indultum iuris concessum genero seu marito, solùm extenditur ad eos fructus, qui pro alenda familia & supportandis oneribus matrimonij sunt necessarij & sufficientes: ergo reliquum quod superfuerit, aut restituendum domino pignoris, aut in sortem dotis est computandum, nisi gratuita eius tacita vel expressa interueniat donatio. 15

Colligo Quartò cum Nauarro *vbi supra*, teneri † maritum siue gener sit, siue non sit, & eius hæredes vxori per diuortium separatæ, aut etiam viduæ quoad ei reddatur dos, alimenta præstare, quæ verosimiliter ex dote fructificari possunt. Ratio in promptu est, quia maritus tenetur semper de dote integra soluenda vxori quam recepit; igitur quandiu dotem non reddit vxori separatæ, tenetur alimenta æquiualentia fructibus dotis conferre, non solùm lucri cessantis aut damni emergentis, sed ex conditione ipsa dotis, quæ ad id obligat maritum, vt dictum est. 16

QVÆSTIO VII.

De vsurario contractu: Vtrum cuncta bona vsurarij sint tacitè hypothecata, vel aliquo modo obligata restitutioni faciendæ mutuatario?

SVMMARIVM

1 *Referuntur Authores tam Iurisperiti, quàm Theologi, qui de huius quæstionis argumento tractant.*
2 *Pro cuius explanatione distinguenda sunt tria bonorum genera in vsurarij domo.*
3 *Qua supposita distinctione diuisi sunt Authores in tres sententias; quarum Prima assert omnia bona vsurarij esse de iure tacitè hypothecata restitutionis faciendæ mutuatario.*
4 *Secunda sententia assert ista tantùm bona esse hypothecata restitutioni vsurarij lucri, quæ per vsuram sunt comparata.*
5 *Tertia sententia, vtramque explicando conciliat, adeóque tanquam verior, & præter discipulos D. Thomæ à nouioribus Iuristis recepta, probatur.*
6 *Vsurarij bona neutiquam sunt tacitè hypothecata pro soluendis vsuris.*
7 *Neque bona empta vsurario fœnore sunt realiter obligata pro vsuris soluendis.*
8 *Respondetur obiectioni* cap. cum tua, de vsura.
9 *Cuncta bona per vsuram extorta, sunt nedum personali, sed etiam reali obligatione, obnoxia restitutioni mutuatario faciendæ.*
10 *Authores affirmantes dominium vsurarum in vsurarium transferri, falsò sentiunt & impropriè loquuntur.*
11 *Quid dicendum, si res vsuraria vsu consumptibilis aut etiam fructifera transeat ad extraneum non hæredem?*
12 *Si plures hæredes sint vsurarij, vnusquisque tenetur ad restitutionem faciendam mutuatario pro sua parte, &c.*
13 *Resoluitur casus de quodam Asentista, qui reliquit suis hæredibus quinque milliones, partim in censibus & domibus, partim in iuribus ac debitis super Regio thesauro.*
14 *Caietanus contra Authoris opinionem duplici argumento insurgens, impugnatur.*

REM valde vtilem in controuersiam ad vsurarum voraginem obstruendam, & fœnoris vsurarij vitium comprimendum, atque à Christianis pectoribus
1 euellendum, vocamus. De cuius † argumento tractant Iurisperiti, tum antiqui, tum moderni super *cap. tua nos*, & *cum tua*, *de vsuris*, atque super *cap. quanquam eodem tit. in sexto*: præsertim Glossa, Panormitanus, Hostiensis, Baldus *in leg. executorem, Cod. de executione rei iudicatæ*, & *leg. finali Cod. de seruo pignori dato manumisso*, & Couarruuias *lib. 3. variarum, c. 3.* & Theologi cum D. Thoma 22. *q.* 78. *art.* 3. Sylvester V. *vsura* 6. *q.* 5. Sotus *lib.* 6. *de iustitia q.* 1. *art.* 4. *ad* 3. Caietanus *tom.* 2. *opusculorum* 8. *q.* 5. Nauarrus *in summa c.* 17. *n.* 278. Medina *q.* 4. *de vsura ad quartum*, & Ioannes Azorius 3. *p. lib.* 5. *tit. de vsura. c.* 14. & 16. cum aliis ab ipso citatis. Pro † cuius 2
quæstionis tituli intelligentia & explanatione, distinguenda sunt tria bonorum genera in vsurarij domo, nimirum patrimonialia siue hæreditaria aut alio titulo obtenta: per vsuram extracta, siue sint fructifera, siue non fructifera & vsu consumptibilia, & ea quæ lucris vsurariis sunt empta. Qua † supposita distinctione, di- 3
uisi sunt Authores in tres sententias, duæ sunt extremæ & vna media. Prima illarum fuit antiquorum cum Baldo asserentium, omnia huiusmodi bona vsurarij esse de iure tacitè hypothecata restitutioni faciendæ mutuatario: eò quòd omnia sunt obligata tali restitutioni, & mutuatarius contra omnia habet actionem repetendi quod ab illo iniquè ablatum est per vsuram, ita vt in omnibus possit ac debeat ministerio Iudicis fieri executio: hypotheca autem nihil est aliud quàm obligatio huiusmodi. Neque enim requiritur, quod creditor habeat dominium hypothecarum: qui enim vendit censum aliquem super domo aut vinea sua, non transfert dominium domus aut vineæ in emptorem, sed domus & vinea manet in dominio ipsius, obligata tamen reditui fœnebri. Similiter Rex Hispanus dum super suis bonis, quæ vulgo dicuntur *Alcanala*, & *Millones*, vendit aliquem censum qui dicitur *Iuro*, non transfert dominium illorum in emptores siue Iuristas, sed manent apud Regem & in eius dominio, licet maneant quasi hypothecata & obnoxia obligationi soluendi annuum reditum emptori. Medina autem citatus cum Gabriële & aliis, limitat hanc sententiam, ad bona comparata per vsuram, & ea quæ illis empta sunt, sicque eam limitatam defendit.

Secunda † sententia est omnium moderno- 4
rum & communiter recepta, vt referunt Panormitanus & Hostiensis *vbi supra*, negatiua, id est, asserens non omnia huiumodi bona esse hypothecata, siue obligata restitutioni vsurarij lucri, nisi tantùm illa quæ per vsuram comparata sunt: cætera verò libera esse ab hac obligatione. Cuius signum euidẽs est; quòd si vsurarius vendat aut donet alicui tertio sua bona patrimonialia, aut etiam illa quæ fœnore vsurario emit, reuera transfert eorum dominium in donatarium, siue in emptorem, apud quem libera manent omnino à tali obligatione, vtpote in quem sine illo onere transierunt.

Tertia † sententia vtramque concilians & 5
ad concordiam reducens, est Caietani ac Dominici Soto, qui sui præceptoris mentem explicantes, dum ait *in dicto art.* 3. cuncta vsurarij bona obnoxia esse obligationi restituendi, dicunt priorem sententiam intelligendam esse de obligatione personali, posteriorem verò de obligatione reali: & ita vtramque sententiam habere verum in suo sensu. Quæ proculdubio sententia est vera, ab omnibúsque D. Thomæ discipulis, & nouioribus Iuristis recepta. Pro cuius declaratione dico primò; † huiusmodi vsurarij bona neutiquam sunt ra- 6
citè hypothecata pro soluendis vsuris. Hæc assertio statuitur aduersus Baldum & alios antiquos Iuris peritos, defensores primæ sententiæ.

Et

Et suadetur Primò : nam hypotheca, siue expressa, siue tacita, solo iure humano est introducta : atque nullum extat ius humanum, Ciuile vel Canonicum, hypothecam in bona Vsurarij primi aut tertij generis etiam tacitam inducens : ergo neutiquam sunt hypothecata.

Secundò, hypotheca est obligatio quæ afficit rem ipsam, & ratione rei ligat personam : quæ proinde comitatur rem quocumque ierit, ita vt res hypothecata neque liberè alienari, neque in alterum transferri possit, quin officio Iudicis valeat vindicari, sub quocumque possessore, donec debitum pro quo est obligata, plenè creditori satis fiat. Atqui bona vsurarij hæreditario iure obtenta, & ea quæ pecunia vsuraria emit, nulla reali obligatione afficiuntur pro vsuris soluendis, ideóque valent liberè in alterum transferri, quin detur actio mutuatario in talibus bonis, dum sunt in alterius possessione : vt manifesta patet experientia. Quis enim vnquam vidit bona patrimonialia Petro donata, aut vendita à Paulo vsurario, esse in Petro obligata pro soluendis vsuris Pauli? aut illa repeti coram Iudice à mutuatario?

7 Dico Secundò, † neque bona empta vsurario fœnore sunt realiter obligata pro vsuris soluendis. Hæc conclusio militat aduersus Gabrielem, Medinam, & alios Theologiæ, ac paucos Iuris peritos, ab Azorio *vbi supr.* citatos, limitantes priorem sententiam ad duo bonorum genera: id est affirmantes tum vsurarium fœnus, tum bona quæ illo comparantur, esse realiter obligata pro soluendis vsuris. Et probatur Primò eisdem duobus argumentis factis pro prima conclusione, quia nimirum nullo iure humano hæc hypotheca est inducta super hisce bonis emptis fœnore vsurario, & quia hæc bona liberè transferri possunt in tertium possessorem, id est sine vlla tali obligatione. Secundò probatur ratione Angelici præceptoris, *in solutione ad 2. & ad 3. dicti articuli 3.* nimirum, quia possessiones, quæ de vsuris sunt comparatæ, sunt eorum qui eas emerunt, eò quòd non sunt fructus pecuniæ vsurariæ, sed industriæ ipsius ementis, ac proinde vsurarius habet legitimum dominium earum, sicut & aliorum bonorum ; vnde & potest illas in alterum liberè transferre venditione aut donatione, quod verum non esset si manerent obligatæ reali obligatione pro vsuris soluendis : ergo.

8 Dices, † oppositum colligi ex prælegato *cap. cum tua, de vsuris*, vbi Alexander III. ait: *Possessiones verò quæ de vsuris comparatæ sunt, debent vendi, & earum pretia hiis à quibus vsuræ sunt extortæ restitui, vt sic non solùm à pœna, sed etiam à peccato possint (quod per vsurarum extorsionem incurrerant) liberari.* Respondeo, ex hiis verbis solùm colligi huiusmodi bona esse obligata ad restitutionem obligatione personali, quandiu sunt in potestate vsurarij ; ex eo enim quod persona vsurarij est obligata, cuncta eius bona sunt quoque ex consequenti obligata, quandiu in eius potestate, aut hæredis qui in eius locum succedit, manent. Vnde non dicit textus allatus, quod istæ possessiones comparatæ vsuris vbicumque fuerint, restituãtur mutuatario, sed quod vendantur (intellige quandiu sunt sub dominio vsurarij, & alia eius bona non supperant) & quod ipsarum pretia restituantur hiis, à quibus extortæ sunt vsuræ: non quidem in integrum ; possent namque excedere quantitatem vsuræ extortæ, sed dumtaxat secundum quantitatem extortæ vsuræ debet fieri restitutio, ex pretiis earum possessionum venditarum : vt scitè D. Thomas *in dicta solutione ad 2. articuli 3* citati, interpretatur.

Dico Tertiò ; † cuncta bona per vsuram 9
extorta, sunt nedum personali, sed etiam reali obligatione obnoxia restitutioni mutuatario faciendæ. Et quidem quòd refundatur in ea personalis obligatio, per se est nota veritas: nam sicut quilibet alius creditor habet actionem contra personam vsurarij repetendi ab illo coram iudice, quod suum est, ita mutuatarius habet actionem repetendi vsuras extortas, qui ex eo quod mutuum accepit, fœnúsque auctarium necessitate coactus soluit, non debet esse peioris conditionis, quàm quilibet alius creditor. Quod si personalis obligatio ratione personæ ad bona hæreditaria vsurarij, & ad possessiones vsuris comparatas refunditur, vt probatum est, fortius ad ipsas vsuras extenditur. Quod autem realis obligatio eas afficiat immediatè & secundum se, & ratione ipsarum in personam redundet, probatur Primò discursu facto à D. Thoma in corpore articuli prælegati ; nam ista bona aut vsu consumuntur, vt pecunia, vinum, oleum, & triticum, quæ nullum alium vsum habent, præter sui consumptionem, quæ proinde tantùm secundum quantitatem extortam sunt restituenda & non amplius, aut eadem. met si permanent, aut in specie, aut in valore si iam consumpta sunt: vel habent vsum fructum cuiusmodi sũt vinea, fũdus, ac domus & similia, quæ vsu non consũuntur, & hæc debent restitui cum fructibus, quia sunt fructus earũ rerũ, quarũ dominiũ, non apud vsuariũ sed apud alterum scilicet mutuatarium permanet; & res vbicumq; est, Domini sui est, & suo Domino fructificat, cui proinde est cum fructibus restituenda. Ecce D. Thomas assignat radicem huiusmodi realis obligationis, in rebus per vsuram extortis, quia scilicet earum dominium non transfertur in vsurarium, sed apud mutuatarium permanet. Secundò id ipsum confirmant tres textus Canonici iuris allegati. Nam *in cap. cum tua*, Alexander III. decernit vsurarios cogendos fore per pœnas Concilij Lateranensis vsuras restituere mutuatariis, vel eorum hæredibus, vel (hiis non superstibus) pauperibus erogare, dummodo in facultatibus habeant vnde eas valeant restituere; quia iuxta verbum Augustini, non remittitur peccatum, nisi restituatur ablatum. Secus autem si facultates non habeant ; isti enim nulla pœna debent mulctari (ait Pontifex) cùm eos nota paupertatis euidenter excusset : & *in cap. tua nos*, subdit ; *quod filij ad restitutionem vsurarum ea sunt districtione cogendi, qua parentes sui si viuerent cogerentur : id ipsum contra hæredes extraneos etiam credimus exercendum.* Nec mirum ; quia hæres quicumque, siue filius siue extraneus in loco personæ succedit, ac proinde eius obligationem, nedum realem sed etiam personalem incurrit. Denique *in cap. Quanquam, de manifestis vsurariis*, decernit Gregorius X. Ecclesiastica sepultura priuandos, etiãsi in testamento

mandent vſuram reſtitui, niſi primò realiter ſatisfiat, vel ſecundum formam in eo *cap.* præſcriptã, idonea præſtetur cautio mutuatariis, aut eorum hæredibus, vel eis abſentibus, loci Ordinario, ſiue Parochiæ Vicario. Tertiò, quia huiuſmodi fœnora vſuraria vbicumque inueniantur, & quocumque transferantur, ſunt ei reſtituenda apud quem manet eorum dominium, ſcilicet mutuatario. Neque enim abſque hac obligatione transferti valent: adeò vt nullus poſſit tuta conſcientia accipere in vxorem cum dote filiam illius vſurarij, cuius bona non excedunt vſuras reddendas: è quibus Primum prouenit ex obligatione reali: Secundum verò prouenit ex obligatione vtraque & reali vſurarum, & perſonali, qua cuncta bona vſurarij ſunt obligata eis, à quibus extortæ ſunt vſuræ. Hinc patet primò ſolutio ad fundamentum primæ & ſecundæ ſententiæ: illud enim de obligatione perſonali (quam immeritò vocat hypothecam) iſtud verò de obligatione reali procedit.

10 Colligo Primò † dominium vſurarum nequaquam in Vſurarium transferri: ideóque Authores id affirmantes falsò ſentire & impropriè loqui; de quorum numero ſunt Gloſſa 14. *q.* 4. *cap. ſi quis vſuram*, & *cap. debitores de iureiurando*, Paludanus, Adrianus, Henricus, Roſella, & alij citati ab Azorio *vbi ſupra cap.* 12. quibus & ipſe nonnihil arridet: excepto Nauarro falsò ab ipſo citato *in ſumma cap.* 17. *n.* 265. oppoſitum expreſsè ibi affirmante. Corollarium hoc præterquam eſt expreſſa ſententia Angelici Præceptoris *vbi ſupra*, Bonauenturæ *ibidem*, Maioris, Richardi, Soti *lib.* 6. *de iuſtitia q.* 1. *art.* 4. Couarruuiæ *lib.* 3. *variarum cap.* 3. Nauarri *vbi ſupra*, & aliorum quos plena manu congeſſit Azorius *in cap.* nuper allegato, eam ſcitè & eleganter probat Caietanus *opuſculo citato q.* 1. tripliciter: tum quia vſurarius nullo iuſto titulo facit rem vſurariam ſuam: ergo non habet illius dominium. Antecedens patet, quia non ſufficit ad id voluntas mutuatarij tradentis, niſi tradat cum ea intentione vt rem faciat alterius, quæ intentio longè eſt ab illo qui coactus ſoluit vſuras: ſicut neque ob eandem rationem tradens graſſatori metu mortis aut vi coactus pallium, transfert in eum dominium illius, qui proinde illud repetere poteſt in iudicio, & graſſator tenetur illud ante Iudicis ſententiam ſpoliato reſtituere. Tum etiam, quia ſi res per vſuram extorta eſt fructifera, vſurarius tenetur illam cum fructibus perceptis, ac etiam cum percipiendis & ſua culpa relictis, reſtituere: ſi autem dominium haberet illius, fructus faceret ſuos. Tum denique, quia per contractum omni lege ſcilicet humana & diuina inualidum, non transfertur dominium: cuiuſmodi eſt contractus vſurarius. Hiis adde, quod ſi res vſuraria in permixta extet in indiuiduo vel ſpecie, eſt reſtituenda mutuatario integra, & inſuper cum damno ei emergente & lucro ceſſante. Dixi *in permixta*; nam ſi oleum vſurarium, aut vinum miſceatur cum oleo, vel vino vſurarij, dominium illius adquirit, quia vnus modus acquirendi dominium eſt per mixtionem: hæc autem omnia in quibus vtriuſque opinionis Authores concordant, rectè cum opinione tribuente dominium vſurario congruere non poſſunt.

Sed neque D. Thomas oppoſitum autumat *in* 4. *d.* 15. *q.* 2. *art.* 4. *quæſtiuncula* 2. & *opuſculo* 73. *cap.* 19. dum ait ſecundum aliquos in vſura transferri dominium: nam firma ſententia id negat *in art. citato ex* 22. & *quodlibeto* 7. *q.* 3. *artic.* 2. & *eodem opuſculo* 73. *cap.* 3. Bergamúsque antimoniam tollit *dubio* 209. dicens Sanctum Doctorem ibi loquutum fuiſſe ex aliena ſententia, ideóque dixit *ſecundum aliquos*, aut loquutum de pignore amiſſo à non ſoluentibus intra terminum aſſignatum in contractu mutui, huius enim iure mutuans acquirit dominium, ſecus illius lucri, quod exigit vltra ſortem.

Colligo Secundò † quid dicendum ſit ſi res 11
vſuraria vſu conſumptibilis, aut etiam fructifera tranſeat ad extraneum non hæredem, v.g. ad donatarium, legatarium, vel emptorem bona fide? Nam ſi vſu conſumptibilis ſit, & extet in indiuiduo, debet mutuatario cuius eſt, reſtitui, aut eo non ſuperſtite, illius hæredibus: Si autem conſumpta iã eſt, debet emptor, ſiue donatarius vel legatarius reſtituere tantum id in quo factus eſt ditior iuxta regulam à Theologis traditam, de eo qui particeps eſt rei furto ſublatæ, quam bona fide accepit & conſumpſit, provt ſcitè notat Nauarrus *in dicto n.* 278. Si autem res fructifera ſit, à donatario & legatario reſtituenda eſt ſuo Domino, qui eſt mutuatarius. Si autem ſit in poteſtate emptoris, pretium illius non pertinet ad mutuatarium, ſed debet retineri ab vſurario, vt illa euicta, hoc eſt per iudicem recuperata à mutuatario, pretium reſtituatur emptori.

Colligo Tertio, quòd † ſi duo aut plures 12
ſint hæredes vſurarij, vnuſquiſque tenetur ad reſtitutionem faciendam mutuatario pro ſua parte: & altero non potente reſtituere, alius in totum obligabitur, quantum feret ſecundùm ſuæ hæreditatis partem, vt bene notat Nauarr. *in dicto numero* 279. Cuius ratio eſt, quia hæres contrahit obligationem reſtituendi, non ſolùm titulo rei acceptæ, ſed etiam titulo iniuſtæ acceptionis, non ſuæ, ſed vſurarij in cuius loco ſuccedit cum obligatione perſonali, vt colligitur *ex cap. tua nos, de vſuris*, prælegato.

Colligo Quartò & vltimò, quid † dicen- 13
dum ſit de quodam Aſentiſta, qui in die obitus reliquit ſuis hæredibus non filiis, ſed conſanguineis, quinque milliones, partim in cenſibus & domibus, partim in iuribus ac debitis ſuper Regio theſauro. Cuius bona ſunt tripartita, ſiue in tres partes diſtinguenda: nimirum patrimonialia, ſiue ſors illa principalis, cum qua abhinc decem & octo annis intrauit Matritum, & incepit inire cum Rege Catholico contractus, qui vulgo dicuntur *aſientos*, quam ſortem conſtat fuiſſe centum millium ducatorum dumtaxat, & illa bona quæ per vſuram extorſit, hoc eſt per immoderatum intereſſe & lucrum, atque tandem alia quæ vſurariis lucris emptione comparauit, iuxta aſſignatam ſuperius diſtinctionem. Illa bona ſecundi generis cum obligatione reali, cætera cum obligatione perſonali reſtitutioni obnoxia ad hæredes tranſierunt, ac proinde relicta hæredibus ſorte illa principali centum millium ducatorum, cum moderato lucro; vſuraria bona euincantur à theſauro Regio, & quæ his empta fuerint vendantur, iuxta documentum Alexandri III.

in

in dicto *cap. Cum tua*, vt ex eorum pretio fiat thesauro Regio integra satisfactio. Quod sic existimo faciendum, vt instrumenta & chirographa singulorum contractuum celebratorum, intra spatium decem & octo annorum reuideantur, & illis reuisis ac perpensis, sors centum millium ducatorum commodè rato lucro singulis contractibus correspondente, v.g.cum octo vel decem ducatis, qui est census duplicatus, pro singulis centum mutuatis Regi, (si enim centum in censuali contractu pariunt quinque annui reditus,optimum est quod centum mutuata,proprer expensas & laborem, atque obligationem quam subit mutuator Asentista, pariant decem annui fœnoris) segregetur, & sic segregata hæredibus relinquatur, & reliquum cumuli thesauro Regio reddatur, à quo per vsuram est extortum; maximè retineantur ab illo, euictione per iudicem facta, illa iura quæ super dicto thesauro empta fuere, cùm sint fructus fœnoris iniqui, quæ proinde apud quemcumque fuerit eorum possessio, euictioni sunt subiecta.

Pro corollario autem 3. confirmato *ex cap. tua nos,de vsuris*, iterum est aduertendum,quòd ibi Panormitanus & communiter Canonistæ nostram tenent opinionem. Verùm contra il-
14 lam † insurgit Caietanus in dicto *tractatu de vsuris, quæst. 5.* duplici motus argumento. Primò quidem, quia communis regula soluendorum debitorum habet, quod hæredes tenentur secundùm hæreditatis portiones tantùm: ergo neuter tenetur in totum.Secundò,quia obligatio paterna transit ad hæredes sicut hæreditas: sed hæreditas transit diuisa: ergo & obligatio transit etiam diuisa: ac per consequens vnusquisque hæres tantùm tenetur restituere mutuatario proportionabiliter secundum portionem hæreditatis perceptæ,etiam altero nolente,aut facto impotente ad restituendum:& hoc (ait ille) per se loquendo, nam per accidens posset contingere casus,in quo alter hæres teneretur in solidum, vt si diuisione, aut successione hæreditatis induceret cohæredem ad retentionem vsurarum, vtpote quia iam titulus iniustæ actionis,siue retentionis eum tangeret. Neque amplius ex allegata decretali colligitur.Hactenus Caietanus, in cuius sententia satis probabili, duo mihi ingerunt difficultatem. Primum est quod ait, nimirum, quod etiamsi hæres succedat in omnibus vsuris quas pater extorsit, & alter succedat in portione paterna nullis vsuris admixta, adhuc iste tenetur restituere iuxta portionem hæreditatis,v.g.si vsuræ valent centum,tenetur ad restituendum quinquaginta. Secundum est, quod scilicet omnia bona nedum vsuraria,sed etiam aliunde habita legitimo titulo, in hærede sunt obligata restitutioni partiali obligatione personali, sicut erant in patre obligata restitutioni totali.Quæ duo non satis cohærentia videntur: nam si obligatio personalis refunditur in hæredem in nullis vsuris succedentem, refunditúrque in bona legitimè possessa, interrogo quo titulo? aut iniustæ actionis, & hoc non, quia supponimus hæredem innocentem esse, & neutiquam iniustitiæ paternæ participem: aut rei acceptæ,& hoc non, quia supponimus nihil de vsuris extortis recepisse: poterit nihilominus dici in fauorem Caietani,obligationem personalem restitutionis partialis in istum hæredem, & cuncta eius bona refundi titulo rei acceptæ æquiualenter,quia ratione illius portionis hæreditatis factus est ditior,quàm debebat, quia restitutis vsuris suo Domino,minor portio hæreditatis eum tangeret. Elige ex hiis quam malueris opinionem, mihi prima magis arridet.

DISPVTATIO II.

In duas partes diuisa.

PARS PRIMA.

De Iudæorum baptizatorum Regni Lusitani culpa ob ignorantiam, aut aliam causam commissa : Vtrum ita minuatur siue excusetur ex parte, vt mereatur pœnarum oirdinariarum relaxationem ex Regis benignitate, aut aur penso?

EA meum impulit animum in hac disputatione cum Iudæis Lusitaniis ad arenam descendere, quod hoc tempore Rex Catholicus Philippus IV. postulauerit consilium super huiusmodi relaxatione à primariis Theologis Academiæ Salmantinæ,& Complutensis. Me quoque ad id præstandum vocauerit suo Regio decreto : qui licet affectum obsequentissimum, executionem verò iustis de causis præstare non potui,quas eidem Regiæ Maiestati præsentaui: in scriptisque meum iudicium responsione data obtuli. Quapropter iussus scribo,& interrogatus respondeo : placétque responsionem in quinque Sectiones diuidere. Prima quid facti species habeat, declarabit. Secunda statum quæstionis proponet,& argumenta, quibus dicti Iudæi possint à seueritate iustitiæ ad Regiam benignitatem prouocare : In tertia viam reconditam aperire tentabo, per quam Iudæi ad portum remissionis possint peruenire. In quarta mentem meam tribus assertionibus aperiam:& in Quinta dabitur aduersariorum argumentis solutio, & eis condonationis portus denegabitur.

SECTIO I.

Quid facti species habeat?

SVMMARIVM.

1 *Ferdinandus Catholicus Rex Zelo fidei commotus eiecit Iudæos, qui ad vicinam prouinciam Lusitanam confugerunt.*
2 *Emanuel Rex Lusitaniæ, vt donaret Iudæos libertate Christiana,eos fecit sacrilegos.*
3 *Iudæi opes regni Lusitaniæ deglutiunt, & illis abundantes pœnas Iudaismi conantur redimere.*

ANNO milleſimo quadrageteſimo nonageſimo ſecundo, † Ferdinandus Catholicus Rex zelo fidei commotus eiecit Iudæos, 1
qui ad vicinam prouinciam, Luſitanam dico, confugerunt, Regem Emanuelem inuadunt, qui tunc clauum tenebat,eis incolatum concedit ſub conditione, vt dent Chriſto nomen in Baptiſmo : & vtinam non dicamus, quod de Cicerone Auguſtinus ; vt faceret homines liberos,fecit Sacrilegos.Sic Emanuel† vt donaret 2
Hebræos libertate Chriſtiana eos fecit Sacrilegos, quia dum à fide ſuſcepta per Baptiſmum de Chriſto nato recedunt, Iudaiſmo ſacrilegium, & hæreſim addiderunt. Statim terram occupant,variis artibus fœnerandi incumbunt, quas eis indidit Patrum crimen, † opes 3
Regni deglutiunt : & illis abundantes, pœnas Iudaiſmi conantur redimere, tentantes prius cum Ioanne III. filio Emanuelis, ne Sanctum tribunal fundaret. Poſteà cum Philippo III. abhinc 26.annis,ſcilicet, anno milleſimo ſexceteſimo quinto, quas pro culpis commiſſis incurrerans pœnas, magna auri copia oblata redemerunt : modò cum Philippo IV. idem tentant.Quæ autem ſint cauſæ, ob quas hæc oblatio ſit licita, ſiue receptio, ſiue relaxatio? dabit ſectio ſequens.

SECTIO II.

Quænam ſint cauſæ ob quas hæc relaxatio, ſiue condonatio poſſit reddi licita?

SVMMARIVM.

4 *Propter ſpem emendæ ſupplicium abſolutè omittitur,aut ad tempus ſuſpenditur.*
5 *Iudæorum infantes & nonnullos adultos inſontes punire,pietati ac iuſtitiæ derogat.*
6 *Priuilegium Baptiſmi excuſat Iudæos à pœnis taxatis.*
7 *Quid faciendum cum Iudæis, qui alios fideles ſua communicatione inficiunt, aut ſaltem ſcandalum præbent.*
8 *Referuntur Reges Catholici, qui Iudæos è regno ſuo publico edicto relegarunt.*

PRIMA cauſa quæ ſe ſtatim offert pro parte ipſorum Iudæorum eſt,† ſpes emen- 4
dæ,

dæ, ob quam supplicium iustè ac prudenter delinquentium omittitur absolutè, aut saltem suspenditur ad tempus. Secunda desumitur ab inconuenienti quod sequitur ex opposita sententia, ideſt, ex pœnæ taxatæ per leges inflictione, nimirum innocentes, videlicet, † infantes omnes Iudæorum filios & nonnullos adultos insontes fore puniendos: quod quidem pietati ac iustitiæ derogat, quæ innocentes prohibet puniri, & propterea dictat parcendum esse multitudini, ne cum nocentibus iustitia vindex supplicio afficiat insontes: quæ doctrina maximè habet verum, teste D. Thom. 2.2. q.108. *art.1. ad 5. & art.4. ad 2.* in duobus casibus; nimirum quando aut minor pars multitudinis delinquit, aut quando delinquentes nequeunt congruenter sine innocentium scandalo siue detrimento puniri: quis autem non videat maiorem partem multitudinis Iudæorum Regni Lusitani, esse à peccato Iudaismi alienam? nec non delinquentes non posse puniri sine insontium scandalo ac detrimento? Tertia ratio prædictos Iudæos à pœnis taxatis excusans, est † priuilegium Baptismi quo debent gaudere: eò quòd baptizati sunt omnes, & Christo regenerationis lauacro nomen dederunt; alioquin iniuria non parua baptismo irrogaretur: sicut enim in fauorem fidei & Baptismi Ecclesia statuit, vt fideles capti in bello iusto non efficerentur serui capientium, quod priuilegium etiam ad hæreticos baptizatos extendi debet: communis Theologorum sententia ita statuit in eiusdem fauorem, vt fideles siue quoquomodo baptismi characterem retinentes non possint debellari, aut per bellum iustum mortis pœna mulctari, aut in seruitutem redigi. Iniusta igitur esset lex, & iniustum decretum esset, quo talis debellatio aduersus Iudæos baptizatos regni Lusitani indiceretur. Si dicas, † instat periculum infectionis; quia sua communicatione fideles aliàs & ex sano sanguine ac nobili natos inficiunt, eos ad Iudaismum inclinantes, aut saltem eis scandalum præbent; quid igitur faciendum cum illis?

Respondeo, posse quidem ac debere relegari, hoc est à regno Lusitaniæ expelli, ex vtraque causa id postulante iure diuino. Ex Prima quidem: nam qui amat periculum peribit in illo, ait author Ecclesiast. *cap.3.* Ex secunda verò iubet Euangelium, abscindi manum & brachium, si nos scandalizat. Hæc mitissima pœna expulsionis à regno est, quam Rex Catholicus decreto suo ac lege potest licitè statuere, citra mortẽ, citra spolium bonorũ, citra seruitutẽ aduersus Hebræos baptizatos: quã probat Concilium Toletanum 5. *can.3.* vbi diffinitum habemus, sub Sancto Eugenio Toletano Archiepiscopo præsidente: *vt quisquis regni sortitus fuerit apicem, non ante conscendat Regiam sedem, quàm inter reliqua pollicitus fuerit, nullum non Catholicũ permittere in suo regno degere: si verò temerator huius promissi exiterit, sit anathema maranata.* Igitur cùm expulsio infidelium è regno Christiano inuenta sit à Patribus huius Concilij materia iuramenti & voti, signum est illam esse actionem bonam, imo & in obsequium Dei magis gratam: quia votum est promissio Deo facta de meliori bono. Dum autem approbatur expulsio, improbari videtur à Patribus Concilij quæuis alia seuerior pœna ex recensitis. Fauent etiam exempla Regum Catholicorum Hispaniæ nostræ, qui zelo honoris Dei accensi huius Canonis eximij seruatores extiterunt, infideles è regno eiiciendo, existimantes se in hoc gratum obsequium diuinæ Maiestati læsæ, & offensæ per Iudaismum & hæresim, præstituros.

Primus horum fuit Rex Scintilla, cuius tempore, & ad cuius petitionem præfatum decretum Concilij Toletani editum fuit: qui anno 640. † Iudæos è suis regnis publico edicto relegauit. Postea verò Rex Bamba non minus Sanctus quàm prudens, expulit nationem Hæbream à prouincia Narbonensi, ad quam tunc temporis imperium Regum Gothorum extendebatur. Deinde currente anno 1492. Catholici Reges nostri Ferdinandus & Elizabet, (vt refert Pontificalis historia *lib.4.cap.15.*) ob periculũ peruersionis edicto publico iusserũt exire à Regno Castellæ & Aragoniæ Iudæos, quod decretum publicum die vltima Martij eiusdem anni fuit executioni mandatum: ac simili edicto anno 1502. mense Februarij iusserunt pelli è regno Sarracenos, vt constat ex *libro Pragmaticarum Regalium folio 4.* nisi nomen Christo vellent in baptismo dare: non quidem vt illos cogerent baptizari, quod esset imprudens consilium & prohibitum *lib. 5. Decretalium* citato *cap. Iudæi*: sed ne sua communicatione fideles inficerent: ob quam causam licitum est Principibus Christianis Iudæos & hæreticos è suis regnis pellere. Cùm igitur expulsio sit, tum periculi, tum scandali remedium sufficiens, hoc beneficio poterit Rex Catholicus vti erga Hebræos Lusitanos, hac pœna poterit licitè in eos animaduertere, non alia seueriori: eo vel maximè, quod de Iudaismi crimine non possint conuinci neque argui, nisi per testes singulares, quorum testimonium non sufficit, vt eis pœnæ legis infligantur. Et hæc sit vltima causa, ob quam remissionis beneficium promerentur, ne per testes singulares contra ordinem iuris damnentur. Igitur status quæstionis in eo est positus: Vtrum Iudæi Lusitani, non obstantibus his causis, scilicet non obstante spe veniæ, non obstante priuilegio baptismi, & periculo puniendi insontes: ac tandem non obstante defectu plenæ probationis per testes contestes, possint ac debeant pœnis ordinariis contra Iudaismum lege taxatis mulctari? Cuius solutionem sequens sectio dabit.

SECTIO III.

Sitne licitum & expediens Iudæos nunc in regno Lusitano commemorantes ab illo expellere?

SVMMARIVM.

9 *Expulsio Iudæorum è regno Lusitano, necessaria est necessitate præcepti, & obligatoria in foro conscientiæ.*

10 *Quæ assertio suadetur variis argumentis.*

11 *Conuersatio cum hæreticis, commune ac generale periculum secum adducit.*

12 *Ratio motiua admittendi ac tolerandi Iudæos in*

in regno Luſitaniæ eſt ſpes concepta emendæ & reſipiſcentiæ ipſorum.

13 *Rabbini Iudæorum ſunt inſtar hæreſiarcharum, de quibus nulla eſt ſpes emendæ.*

14 *Hæreticus pertinax eſt adinſtar corui, qui ad arcam Eccleſiæ nunquam reuertitur.*

15 *Expulſio Iudæorum probatur ſpeciali B. Brigitæ reuelatione.*

16 *Honor Regis in quo præcipuè conſiſtit.*

17 *Adducuntur argumenta pro defenſione Iudæorum.*

18 *Innocentes occidere directè & ex primaria intentione, iure naturali ac Diuino prohibitum eſt.*

19 *In Sacra Scriptura quomodo intelligitur occidere vel conatum habere occidendi inſontem laudabiliter & ſine peccato.*

20 *Princeps non poteſt directè morti dare, nec debellare totam aliquam ciuitatem aut Communitatem, in qua promiſcui ſunt nocentes & innocentes.*

21 *Per accidens licitum eſt Principi occidere innocentes.*

22 *Princeps poteſt aliis pœnis (citra capitalem) licitè ob iuſtam cauſam Communitatem plectere, innocentéſque ac infantes vtriuſque ſexus damnare.*

23 *Per inductionem probatur, Regem Catholicum poſſe nationem Hebræam in Luſitania pœna ſpolij & ſeruitutis plectere, ob iuſtam cauſam, quam dedit ſua hæreſi ac Iudaiſmo pertinaci.*

QVoniam teſte Paulo 1. *ad Corinth. 6. Omnia mihi licent, ſed non omnia expediunt*: poteſt contingere licitam fore hanc expulſionem, ſed non expedientem aut neceſſariam, ideo hoc diſcutiendum eſt in hac ſectione : Pro cuius declaratione hanc ſtatuo concluſionem.

9 Expediens,† neceſſaria neceſſitate præcepti, & obligatoria in foro conſcientiæ eſt expulſio Iudæorum è regno Luſitano, ex ſuppoſitione, quod habeatur de eorum Iudaiſmo ſufficiens probatio; & ſuppoſito quod talis iudicetur illa probatio, quæ habetur ex teſtimoniis & indi-

10 ciis allegandis inferius. Hæc † aſſertio ſuadetur Primò exemplo Regum Catholicorum, qui illam neceſſariam & expedientem iudicarunt, ob periculum peruerſionis imminens ex eorum ſocietate & communicatione cum Chriſtianis: neque modò imminet minus periculum ex Iudæorum, cum Catholicis Luſitanis conuerſatione, ſiquidem nedum peruerſionis, verùm & proditionis patriæ ac totius illius regni

11 imminet. Secundò id ipſum ſuadetur ex † communi ac generali periculo, quod ſecum adducit cum hæreticis conuerſatio : quod Paulus deduxit ex conditione ipſius hæreſis quam dicit aſſimilari fermento ad *Galatas 5.* nec non canceri 2. ad *Timot. 2.* & Spiritus Sanctus *Eccleſiaſt. 3.* eam comparat pici : quam ob rem idem Apoſtolus 2. *ad Corinth. 7.* generaliter prohibet omnem cum infidelibus communicationem dicens : *nolite iugum ducere cum infidelibus, &c.* vt Ambroſius & Anſelmus interpretantur; ob periculum imminens proximè : qui enim ſe probabili periculo peccandi exponit, procul dubio peccat contra illud *Eccleſiaſt. 3. qui amat periculum in illo peribit.* Et Gloſſa *decreto* 13. ſic intelligit illud Euangelij conſilium ſiue mandatum : *Si manus tua vel pes tuus ſcandalizet te*, id eſt, infidelis, *abſcinde eum* : Hoc autem periculum creſcit ex natiua Iudæorum propenſione, ad dogmatizandum & trahendum alios in ſuæ legis profeſſionem, vt ipſe Dominus teſtatur *Matth. 23.* dicens : *Væ vobis Scribæ & Phariſæi hypocritæ, quia circuitis mare & aridam, vt faciatis vnum proſelytum*; id eſt, veſtri iudicij diſcipulum ac profeſſorem.

Tertiò probatur ex eo quod tota † ratio mo- 12
tiua ac finalis eos admittendi ac tollendi in regno Luſitaniæ, eſt ſpes concepta emendæ, & reſipiſcentiæ ipſorum : ob hanc enim eos expulſos à Caſtella excepit & admiſit Rex Emanuel. Tum etiam quia ob hanc permittit Eccleſia eos fidelibus admiſceri: imo ob hanc permiſit aliquando matrimonium fidelis cum infideli, videlicet vſque ad tempora Concilij Toletani IV. quod ratione huius periculi prohibuit dictam commixtionem fidelis cum infideli. Sed Hebræi regni Luſitani ſunt verè Iudaizantes, à ſuo Iudaiſmo non recedentes, aut ſaltem vehementer de illo ſuſpecti ſine ſpe emendæ ac pœnitentiæ; ergo prohibita & nociua iudicari debet eorum cum fidelibus cohabitatio; quam proinde tolli neceſſe eſt per ipſorum expulſionem. Minor patet : tum quia longitudo temporis decurſi, id eſt 120. annorum à Rege Emanuele, eſt pertinaciæ ipſorum indicium manifeſtum. Tum etiam quoniam dogmatizantes ſunt & † Rabbini vt in plurimum adinſtar hæreſiarcharum : de quibus nullam fore ſpem emendæ ipſe Lutherus hæreſiarcha teſtatur, qui ſcribens aduerſus vnum ex diſcipulis ſuis, videlicet Zuinglium, ſic ait: *Non eſt auditum à ſeculo, quod Author alicuius hæreſeos reſipuerit, aut reuerſus ſit, quia peccatum iſtud nimirum grande eſt.* Quod teſtimonium quia eſt rei contra ſe ipſum fidem facit : nam reus confitens contra ſe, etiam extraiudicialiter planè probet graue indicium ſufficiens ad torturam; vt habet Gloſſa *leg. capite ff. de adulteriis*, communiter recepta, teſte Iulio Claro *lib. 4. receptarum ſent. q. 21. num. 30.* Accedit teſtimonium etiam Baſilij *cap. 15. ad Theodorum*, id ipſum confirmans ex illo *Hieremiæ 13. Si mutare poteſt Æthios pellem ſuam, aut pardus varietates ſuas.* Quod de ſectariis, & maximè de cuiuſuis ſectæ magiſtris Baſilius interpretatur: vtpote quibus non minus difficile eſt deſiſtere ab errore ſuo, quàm Æthiopi & pardo natiuum colorẽ exuere. Quod ſi ad litterã de natione Hebræa hoc teſtimonium intelligatur, euidentius in illo denotatur, qnàm difficile ſit hoc genus hominum à ſuis erroribus recedere. His conſonat Cyprianus *lib. de Vnitate Eccleſiæ* dicens: *qui lapſus eſt, ſibi tantùm nocuit, qui verò hæreſim vel ſchiſmata facere conatus eſt, multos ſecum trahendo decipit, &c. peccaſſe ſe hic, & intelligit, & lamentatur*; *ille tumens in peccato ſuo & in ipſis ſibi delictis placens, à matre filios ſegregat, oues à paſtore ſollicitat.* Conditio hæc potiſſimè in Hebræis viget, qui vehementer ſolliciti ſunt, vt vnum proſelytum ſuæ legis faciant : propterea enim *Leuit. 7.* præcipiebat Deus omne

13

varium & immundum eiicere foras, id eſt, † 14
hæreticum pertinacem, qui adinſtar corui ad arcam Eccleſiæ nunquam reuertitur. De quibus proinde ait Paulus 1. *ad Timot. 4.* quod cauteriatam habent conſcientiam, quoniam ſicut

ſignum

signum relictum ex cauteria nequit tolli aut radi ; ita neque error dogmatizantis vix tolli potest. Vnde Augustinus *lib. 5. contra Donatistas*, comparat illos humoribus infectis corporis humani, qui nisi euacuentur, & separentur à bonis, ad sanitatem restitui non possunt : ergo sicut est necesse humores prauos euacuari pro sanitate totius humani corporis tuenda ; ita & pro salute corporis mystici conseruanda, necesse est Hebræos & hæreticos euacuari atque expelli. Et quemadmodum omittens debitam, contra medicinæ artis regulas, euacuationem, peccaret contra charitatem, qua suam vitam corporalem diligere tenetur: ita Princeps omittens debitam Iudæorum siue hæreticorum contra sapientum ac supremi Senatus Regij consilium siue iudicium, peccaret contra charitatem, qua tenetur amare suum regnum tanquam proprium corpus mysticum; imo & contra iustitiam, qua tenetur regni tam spiritualis quàm corporalis prospicere vtilitati: eo maximè, quod teste D. Thom. *lib. 1. de regimine Principum* : Rex in regno se habet, sicut anima in corpore : animæ autem proculdubio imputaretur in peccatum, quod suum corpus à periculo spirituali aut corporali non eriperet, cùm posset : igitur, & Regi pariter in culpam imputabitur, quod proprium regnum à periculo simili non eripiat, cùm possit.

15 Quartò probatur argumento desumpto ex † B. Brigidæ speciali reuelatione, quæ refertur inter eius reuelationes *lib. 8. cap. 4. decem scilicet consiliorum siue præceptorum*, quæ Regi Suetiæ intimet, ac proponat ad illius & aliorum Regum instructionem, quorum nonum in ordine est: quod Rex non communicet cum his qui ab Ecclesia sunt excommunicati, ne foueat illos, qui Deum & mandata eius deridենt : sed informet eos verbis, & nisi resipuerint ostendat eis seueritatem suam, & subtrahat eis beneficia sua:

16 *nam † honor Regis est, diuina super omnia diligere, & Dei honorem suis viribus augmentare.* Decimum est, quod populum diligat: in nullo autem melius amorem Dei potest ostendere, quàm fictos Christianos & veros inimicos salutis animarum è regno relegando : præ omnibusque rebus debere Principem Christianum, religionem ac Dei cultum promouere, professores alienæ religionis extirpando, ostendit D. Th. *lib. 2. de regim. cap. 16.* & Philo Iudæus *in lib. contra Flaccum Præsidem Ægypti*, inquit : *Vbi de religione ibi de vita quoque agitur*: quasi non minus pro illa, quàm pro ista sit pugnandum, laborandúmve.

Sed † his non obstantibus, videtur iniusta

17 talis Hebræorum Lusitaniæ expulsio, ac proinde iusta eorum defensio, quia ex illa sequitur innocentes pueros & infantes, nec non ex adultis plures insontes puniri, quod pietati & iustitiæ derogat, quæ innocentes prohibet puniri: & propterea dictat parcendum esse multitudini, ne cum nocentibus, iustitia insontes afficiat supplicio. Et quidem parcendum esse multitudini, quando aut minor pars peccat, aut nequeunt delinquentes puniri sine scandalo aut damno innocentium : docet D. Thom. *22. q. 108. art. 1. ad 5.* & *art. 4. ad 2.* Perspicuum autem est, non posse in nostro casu supplicium exequi in delinquentes, quorum & minor est pars, sine magno scandalo & innocentium detrimento : imo si tale supplicium in delinquentes ac reos Iudaismi exequeretur, proculdubio esset directè innocentes occidere, ac relegare, aut bonis spoliare : quod etiam iure naturali ac diuino prohibitum est. Et quidem prohibitum esse † iure naturali ac diuino innocentes occidere directè & ex primaria intentione, ita vt nulli liceat in insontem sagittam iniicere, aut lanceam contorquere, cùm hæc potestas soli Deo sit reseruata, docent communiter Theologi cum D. Th. *22. q. 64. art. 6.* Aut quia solus Deus est Dominus vitæ & mortis : ac proinde de vita innocentis facere potest quidquid voluerit: aut quia respectu Dei nullus sit innocens, cùm omnes filij Adæ simus, obnoxij culpæ originali, ob quam debitum mortis incurrerunt temporalis : quotiésque Deus illam alicui homini, aliàs iusto & insonti infligit, est in pœnam peccati originalis, vt tradit D. Th. *opusc. 9. q. 86.* Vnde quoties in Sacra Scriptura refertur aliquem † siue peccato 19 & laudabiliter occidisse, aut habuisse conatum occidendi alium aut alios innocentes : id intelligendum est fecisse ex speciali Dei commissione & tanquam Dei ministrum: quo pacto Abrahamus excusatur à peccato in conatu occidendi filium suum Isaac : alioquin à peccato neutiquam excusari posse, tenet verior sententia Patrum ac Theologorum, de quorum numero sunt August. *q. 8. in Iosue* D. Th. *22. q. 104. art. 4. ad 2. & q. 108. art. 4. ad 2.* Duran. Alensis & alij, quos referunt & sequuntur Castro *lib. 2. de iusta hæreticorum punitione cap. 10.* Vazques *1. 2. disp. 135. cap. 3.* & Marquez *in vita Iosue cap. 31.* Nec tamen desunt Authores grauioris notæ, de quorum numero est Liranus super *Deuteron. 24.* qui rationibus & exemplis Sacræ Scripturæ oppositam sententiam persuadere conantur, nimirum Principes supremos posse ex ordinaria potestate innocentes occidere ob iustam causam: aut propter parentum, vel fratrum peccata, eò quod licitè priuant filios hæreticorum etiam Christianos & innocentes hæreditate paterna, & cunctis bonis temporalibus ob hæresim parentum: quod est illos probabili periculo mortis exponere. Dauid quoquque laudabiliter tradidit septem filios Saulis cruci affigendos, ad petitionem Gabaonitarum ob Saulis periurium quo eius iusiurandum violauerat: nec tamen legitur id specialiter à Deo fuisse Dauidi mandatum. Phinees zelo Dei filios ac pueros innocentes Madianitarum occidit ob luxuriam matrum, quæ ad luxuriandum Dei populum incitauerat. Iosue suprema authoritate Ducis, qua fungebatur, occidit Achan, & omnes eius filios qui parentis peccato non consenserãt: & Innocentius III. *in cap vergentis*, ait filios hæreticorum misericorditer reseruari : quo denotat eos iustè posse ad mortem damnari. Subditque; quandoque filij pro peccatis patrum temporaliter puniuntur, *etiam secundum diuinum iudiciũ*: denotans quod etiam secundùm humanum possint temporali morte damnari. Quibus rationibus & exemplis licet nõ careat aliqua probabilitate hæc sententia; sed vera & indubitata renenda est Prima, contra quam dicendum est, Principẽ nulla ex causa ob peccata aliena posse licitè morti tradere innocentem directè ac ex primaria intentione. Sciendum est secundò, quod † nec morti damnare potest directè 20 Princeps, aut debellare totam aliquam ciuitatem, vel communitatem, in qua promiscui

miſcui ſunt nocentes & innocentes : quoniam hoc eſſet directè occidere innocentes pariter atque nocentes. Qua ratione teſte Caietano & Abulenſi non excuſantur à peccato homicidij filij Iſraël, qui vt refertur *Iudicum* 20. ob peccatum parentum cunctos pueros ac fœminas Beniamin iugularunt : ob eamdémque rationem teſte Rufino *lib. 2. Eccleſiaſt. hiſtoriæ cap.* 18. merito Sanctus Ambroſius reprehendit Theodoſium Imperatorem, propterea quod ciuitatem Theſſalonicæ ſine delectu gladio percuſſit.

21 Sciendum eſt Tertiò quod † per accidens licitum eſt Principi occidere innocentes, vt quando bello iuſto expugnat aliquam ciuitatem quæ aliter expugnari non poteſt, niſi gladio omnes in ea inuentos percutiendo : nam tunc Princeps non voluntariè occidit illos, ac per conſequens eorum mors non debet Principi in culpam imputari : ſicut nec mihi imputatur mors innocentis, qui per ignorantiam me aggreditur, & à me pro defenſione iuſta occiditur, quia non occiditur à me ex intentione. Et cùm eadem ſit ratio de aliis pœnis, maximè ſeueris & grauibus, vt de perpetuo exilio, omniúmq; bonorum ſpolio & infamia; conſequens fit, quod nec has pœnas licet innocentibus Iudæorũ filiis infligere: ac proinde hoc titulo parcendi ſcilicet multitudini, atq; vitandi damnũ & ſcandalum innocentium, videntur ſatis Luſitani Hebræi à præfatis pœnis defendi ac vindicari.

22 Sed nihilominus ſciendum eſt Quartò pro huius vera reſolutione, quod † aliis pœnis (citra capitalem) poteſt licitè Princeps ob iuſtam cauſam Communitatem plectere, innocentéſque ac infantes vtriuſque ſexus damnare, in ſeruitutem redigendo, ac bonis priuando: quo pacto, ſimoniacè adquirens beneficium licet ignorans inuincibiliter illo priuatur *ex cap. penultimo de electione*; & promotus ſimiliter Simoniacè ad ordines, manet ſuſpenſus, *ex c. præſentiam 1. q. 5.* ſine peccato quidem, non tamen ſine iuſta cauſa: nullus enim (ait regula 23. Iuris in 6.) eſt puniendus ſine culpa, niſi iuſta ſubſit cauſa. In his autem caſibus ius Canonicum, peccatum alterius punit in promoto ignoranter ad officium, beneficium, ſiue ad ordines. Iuſta quoque cauſa puniẽdi dictis pœnis innocentem, eſt hæreſis, Idololatria parentum ac Maiorum, proditio patriæ, &c. ob quam poteſt quiſpiam ſine culpa perſonali puniri. Et ideo quando ad plenam partis læſæ ſatisfactionem, aut Reipublicæ tranquillitatem mediũ neceſſariũ eſt debellatio totius ciuitatis, expulſio vel ſpoliũ, licitè à Principe exequi poteſt, ac debet; vt tradũt Victoria *in rel. 2. de Indis à*

23 *n.* 41. & Bañez 2. 2. *q.* 40. *ar.* 1. *dub.* 11. *concl.* 3. Cùm igitur † Rex Catholicus noſter poſſit peccatum communitatis in ſingulis ſiue innocentibus punire, pœnâ ſpolij & ſeruitutis perpetuæ, quia hæc eſt iuſta cauſa; conſequens etiam eſt quod poſſit nationem Hebræam ex maiori parte Luſitaniæ, plectere pœna ſpolij & ſeruitutis, ob iuſtam cauſam quam dedit ſua hæreſi ac Iudaiſmo pertinaci. Nam in hoc ſenſu habet verum ſententia Gloſſæ ordinariæ *Deuteron.* 13. dicentis: quod licet in multis caſibus parcendum ſit multitudini, non tamen in caſu Idololatrię, vel hæreſis parcendum: mota ab exemplo Dei, qui in eodem cap. iubet, in ore gladij percuti totam ciuitatem, in qua aliqui inueniantur qui ſuo exemplo, aut doctrina alios ad Idololatriã dũ inducãt. Præceptum hoc iudiciale proculdubio fuit pro tunc neceſſarium, ad remouendam nationem illam Hebræam à cultu Idolorum, ad quem ex ſua natiua conditione eſt inclinata; ideoque iam cum ipſa lege veteri expirauit. Verumtamen præbuit Deus Principibus Chriſtianis exẽplum, vt ſimilia delicta in communitatibus plectant; aut eas omnino debellando & gladio percutiendo, ſi omnes earum ciues ſint delicto obnoxij: aut ſi aliqua earum pars fuerit innoxia & inſons, eas plectendo pœnis mitioribus moderati ſpolij, ſiue expulſionis.

SECTIO IV.

Quæ ſit mens authoris, aut quæ veritas in hac parte tenenda?

SVMMARIVM.

24 *Author declarat mentem ſuam tribus aſſertionibus: quarum Prima probat, indicia & præſumptiones, quæ de Iudaiſmi crimine habentur, ſufficientiſſimas eſſe probationes ad eos plectendos pœna ordinaria citra Capitalem.*

25 *Pro cuius aſſertionis probatione duo veniunt prænotanda, quæ Author latè proſequitur.*

26 *Suſpectus vehementer de hæreſi, ab Innocentio III. non ordinaria, ſed arbitraria dumtaxat pœna plectitur.*

27 *Adulterium non probatur ex ſolis coniecturis, niſi adſit violenta præſumptio.*

28 *Referuntur aliquot indicia grauiſſima & vehementiſſima contra Iudæos Luſitaniæ ad eos plectendos: quorum Primum eſt auaritiæ atque vſurariæ conditionis, quod vitium radix eſt omnium malorum.*

29 *Iudæi comparantur cum Prometheo, duos boues Ioui offerenti, &c.*

30 *Vitium proditionis patriæ Iudæis ſemper fuit agnatum.*

31 *Iudæorum expulſionem è Regno Luſitano licitam eſſe & iuſtam, triplici titulo probatur. 1. debiti ſupplicij iuridicè inflicti. 2. medij neceſſarij. 3. iuſtæ defenſionis.*

32 *Infidelium genera ſunt tria: quorum Primum genus ſubiectum eſt Principi Chriſtiano de iure & facto; Secundum de iure non facto; Tertium nec de iure, nec de facto.*

33 *De his quomodo agendum ex communi ſententia refertur.*

34 *Ratio, cur priuilegium baptiſmi & fidei non ſauet Iudæis Luſitanis.*

35 *Iudæi ob crimen perfidiæ & Apoſtaſiæ, pœnis contra hæreticos latis ſunt puniendi.*

36 *Nationem Hebræam Luſitaniæ quoad omnes perſonas, quæ fuerint Iudaiſmi crimine conuictæ, ſpolio bonorum ac poſſeſſionum eſſe priuandam, triplici argumento pro concluſione ſectionis probatur.*

IN hac ſectione opus eſt mentem propriam † tribus aſſertionibus declarare. 24

Igitur dico primò; indicia & præſumptiones quæ de Iudaiſmi crimine aduerſus Luſitanos Hebræos habentur, ſufficientiſſima

ſunt

sunt ad plenam probationem, ac per consequens ad eos plectendos pœna ordinaria
25 citra capitalem. Pro † huius assertionis probatione, prænotandum est Primò, quòd testes singulares testantes de diuersis actibus eiusdem generis criminis, quando sunt in magno numero, sufficientem ac plenam aliquando faciunt probationem in iudicio, ad hoc vt iudex possit reum in communi damnare, v.g. tanquam hæreticum, simoniacum, aut vsurarium, &c. contra regulam *in cap. bonæ 1. de electione.* Hoc notabile tradunt Couarruuias *lib. 3. variarum cap. 3. num. 5. & tit. 2. lib. 8. ordinationum regalium*: dum ait, posse Principem condere legem iustam, qua statueret talem probationem ex testibus singularibus fore sufficientem: & in secundo loco subdit, de facto eam haberi pro sufficienti contra vsurarios. Antonius Gomez 3. *de delictis c. 12. n. 12.* Hipolitus *consilio 7. n. 27.* sequutus Baldum; speciatim in aliquibus generibus delictorum ob eorum impossibilem moraliter aut saltem difficilem approbationem per testes contestes, habet hæc doctrina verum: vt contra Iudicem corruptum ex *cap. 6. tit. 9. lib. 3. recopilationis*: contra vsuram ex *lib. 4. tit. 6. lib. 8. recopil.* Quæ etiam probatur per testes singulares, vt notat Gometius citatus. Probant etiã testes singulares subordinationem in Cathedris Salmanticensis, Valesoletanæ, & Complutensis Academiæ ex *leg. 31. tit. 7. lib. 1. recopil. in nouo codice anni 1610.* nec non delictum inducendi monetam ab extraneis regnis probatur per testes singulares ex *noua pragmatica* 27. die Martij edita, anni 1627. habet etiam verum ad probandum Simoniam confidentialem, teste Nauarro *c. 23. n. 11.* ex Bulla Pij V. quæ incipit, *intollerabilis.* Quam doctrinam vniuersaliter probat Bañez 2. 2. *q. 70. art. 2. dub. 3.* duplici ratione. Prima est quia hoc genus delictorum regulariter nequit per plures testes concordes in vna ac singulari actione rei cõprobari; quò enim turpiora sũt hæc delicta ac maioribus pœnis subiecta, eò homines illa maiori cautela cõmittunt, hominum conspectum ac concursum effugiendo. Vnde impossibilis moraliter, est eorum per testes concordes ac cõtestes comprobatio: ergo ne maneãt impunita quod est contra ius naturæ, expediens fuit, vt pro sufficienti habeatur dicta comprobatio per testes singulares. Secunda est, quia nõ est minus impossibile moraliter, & humano modo loquẽdi, mendaciũ inueniri in ore trium hominum contestium & concordũ, circa vnam actionem singularem alterius, quàm in ore triginta testium singularium, circa distinctos actus alterius, scilicet criminosi in eadem materia. Quo enim pacto verosimile erit, quod triginta homines ex diuersis locis siue oppidis, conueniant ad mentiendum in damnum tertij, v.g. Petri, asseuerantes illum esse Simoniacum, aut vsurarium; si concursus trium ad mentiendũ circa eamdem actionem singularem non iudicatur verosimilis? Quæ duæ rationes pariter conuincunt, habendam esse huiusmodi probationem per plures testes singulares, pro sufficiẽte contra hæresim: etsi oppositum sentiat Farin. *tract. de testib. q 75. à n. 207. vsque ad 22.* sed absque vrgenti fundamento ni fallor. Nam licet ex vsu ac consuetudine tribunalium fidei, ita sit in more, vt nunquã testes singulares probent contra hæreticum, aut Iudæum ad pœnam ordinariam illi infligendam: quia est vltima scilicet capitalis; quæ non est ordinaria respectu aliorum criminum videlicet simoniæ, vsuræ, &c. aut etiam quia nunquam testes singulares in tam magno numero conuenere. Veruntamen ad pœnam mitiorem capitali infligendã, quando testes singulares viginti aut triginta sunt, & non infimæ notæ, non est cur non sufficiant crimen hæresis comprobare: imo tantò magis vrgent adductæ duæ rationes à Bañnez in hoc genere delicti, quantò nobis constat hæreticos esse magis cautos & astutos, qui propterea, teste Hieronymo super *Isaiæ 9.* hypocritæ nuncupantur, & de illis intelligitur illud Pauli 1. *ad Timoth. 4. In hypocrisi loquentium mendacium.*

Secundò prænotandum est, quod id genus sufficiens probationis habetur etiam per vehementes præsumptiones ac grauissima indicia. Nam est hoc notabile ita certum sicut Primum, etsi probabile valde sit. Prima pars huius documenti suadetur *ex cap. litteras tuas, de præsumptionibus lib. 2. Decretalium*, vbi † Innocentius 26
III. decreuit suspectum vehementer de hæresi, non ordinaria, sed arbitraria duntaxat pœna esse plectendum, sub his verbis: *Quocirca mandamus, quatenus eum propter solam suspicionem quamuis vehementem, nolumus de tam graui crimine condemnari, &c. discretam ei pœnitentiam iniungentes, ex qua valeat apparere, vtrum in tenebris ambulet, an in luce: vtrúmve sit verè pœnitens, an fictè conuersus?* Hæc autem vehemens suspicio orta fuerat ex eo, quod iste reus semel suam hæresim confessus fuerat, quam postea negauit. Neque obstat quod in hoc eodem *tit. cap. afferte mihi gladium*, decretum fuerat à Gregorio IX quod ex violenta præsumptione fertur diffinitiua sententia, qualem protulit Salomon 3. *Reg. 3.* inter duas illas meretrices, quarum vtraque sibi infantem vendicare prætendebat. Salomon autem iussit inter vtramque diuidi infantem: atque ex affectu compassionis quem vna earum erga infantem exhibuit, per violentam quamdam præsumptionem, colligit eam esse veram infantis matrem: cui proinde pro tribunali sedendo, iussit puerum viuum reddi, dicens: *date huic infantem viuum*, &c. Non inquam obstat hoc, quoniam causa ista erat fauorabilis valdè ac pia, in qua agebatur de præseruando infante à morte, & de tradendo illum matri suæ: & in huiusmodi causis non est inconueniens, Iudicem ex violenta præsumptione ductum, fauorabilem proferre sententiam: ingens autem esset incommodum in causis odiosis, in quibus agitur de puniendo aliquo delicto pœna capitali à lege taxata, si Iudex ob solam præsumptionem quantumcumque violentam, contra reum capitis proferret sententiam: nam quantò in causis Primi generis tenditur in fauorem reo exhibendum: tantò in causis secundi generis tenditur in detrimentum reo inferendum, contra naturale ius quod habet, nisi testibus sufficientibus capitali sententia iudicialiter condemnetur. Secundò probatur eadem pars ex eo, quòd indicia & præsumptiones quantumuis grauissima sint, minorem fidem faciunt in iudicio quàm duo testes, aut tres: De quibus dixit Dominus *Deuteron. 19. In ore duorum vel trium testium stare omne verbum*: quod consulto non dixit stare in duobus vel tribus indiciis, siue præsumptionibus.

Deinde ſecunda pars probatur: tum quia eſt ſententia Iulij Clari *lib.5. receptarum ſententiarum in practica criminal. q.20. num.6.* dicens eſſe ſententiam communiter receptam, quod reus ob ſola indicia quando ſunt grauiſſima, poſſit iudicialiter ad pœnam pecuniariam, imo ad corporalem, citra capitalem condemnari: & *num.7.* dicit, quod in aliquibus caſibus impoſſibilis, aut nimis difficilis probationis, vt aſſaſſinati, hæreſis & ſimoniæ, poteſt Reus iudiciali ſententia pœna capitis plecti, ob indicia, non leuia, nec grauia vtcumque, ſed grauiſſima, ne ſcilicet huiuſmodi delicta maneant impunita: Et quoniam in huiuſce generis indiciis veritas moraliter deficere non poteſt. Eandem ſententiam ſequitur Azorius 3. *p. ſummæ moralis lib.13. cap.26.* & Sanchez *lib.10. de matrim. diſp.4.* dum ait ex eodem *cap. litteras, de præ-*
27 *ſumptionibus*, † adulterium non probari ex ſolis coniecturis, niſi adſit violenta præſumptio, cui tamen crimini per leges pœna capitis eſt taxata; ergo. Tum etiam quia cum ſint tria indiciorum genera, nimirum leuia, quæ ſunt ſufficientia ad inquirendum contra Reum, grauia quæ ſunt ſufficientia ad ſemiplenam probationem, ac proinde ad citandum, vocandum, interrogandum, incarcerandúmque reum, atque ad torquendum: & grauiſſima quæ faciunt maiorem probationem: ergo plenam, ac proinde ad condemnandum reum, pœna ordinariáque mulctandum; alioquin à grauibus ſeu à leuibus nequaquam diſcriminarentur.

28 Dico ſecundò; huiuſmodi † indicia quæ contra nationem Hebræam Luſitanicam habentur, ſunt tertij *generis*, hoc eſt grauiſſima & vehementiſſima, ac per conſequens ſufficientia ad eam plectendam pœna exilij perpetui, quæ eſt pœna citra capitalem. Probatur: nam Primum indicium eſt auaritiæ atque vſuratiæ cupiditatis, cui ſemper Hebræa natio & quaſi à natiuitate eſt dedita: vnde Hebraico populo, ob nimiam & natiuam ad auaritiam propenſionem, permiſſum fuit vitium fœnerandi alienis. Hoc autem cupiditatis vitium eſſe radicem omnium malorum, nedum Iudaiſmi & cuiuſuis infidelitatis, teſtatur Paulus 1. *ad Timoth.6.* Ob hanc
29 † Promotheus fingitur duos boues obtuliſſe Ioui, teſte *Comite Natali, libro* 4. alterius quidem pellem oſſibus repletam, alterius verò pellem carnibus repletam, è quibus Iouis illius Primum elegit: ſic Iudæi contemnentes verum Deum, ei bouem apparentem gerunt ſcilicet cum oſſibus, ſibi carnes reſeruantes, nimirum virtutes duntaxat apparentes Deo offerentes. Ob hanc Balaam conductus à Balac Rege Moabitarum, iuit ad maledicendum populo Dei, in itineréque ab Angelo gladium enaginante de iumento eiicitur: Sic Iudæi Eccleſiæ ac Deo maledicentes à maledictione huiuſmodi non deſiſtunt miraculis, nec ſuppliciis, neque à iumento ſuæ ignorantiæ cadunt, quia adhuc Moyſis velamen eſt poſitum ſupra cor eorum. Et propterea ait Leo Papa *ſerm.9. de paſſione Domini; Nullum eſt in eo corde iuſtitiæ veſtigiũ, in quo auaritia fecit habitaculum*; ergo cum fecerit habitaculum in natione Hebræa, ſignum eſt nullum in ea manſiſſe veſtigium ſanctitatis. Ob hanc Philippus cognomento Pulcher Rex Galliæ, tranſtulit Curiam Summorum Pontificum à Roma in Galliam, fuitque occaſio ſchiſmatis perniciosiſſimi in Eccleſia, quod per annos 52. durauit, videlicet ab anno 1378. vſque ad annum 1440. Ob hanc Petrus de Lerna aliàs vir integerrimus noluit Pontificatui cædere, ſed maluit mori Schiſmaticus in Peñicoſla, vt refert Pontificalis hiſtoria *tomo 2. pag. 27. Hæc vna* (ait Comes lib. citato) *multas fecit hæreſes: ſi auaritia & ſpes priuatorum commodorum de medio tollatur, collabentur omnes hæreſes facillimè, eritque omnibus vnus Deus, vna religio, vnus ritus, vnus paſtor, & vnum ouile.* Vnde ſi hæc non aperuiſſet portam miſericordiæ & remiſſioni atque indulgentiæ, qua indulſit Philippus III. initio ſui regni huic nationi Hebreæ Luſitaniæ: profectò hodie eſſet ſalubriter punita & correcta, vnáinq; nobiſcũ religionem ac Chriſtianiſmum profiteretur. Neque ob aliam cauſam, niſi ob auaritiam miniſtrorum Regis ad hanc ſalubrem correctionem non peruenit, eidémque confiſa in ſuo Iudaiſmo pertinax perſeuerat. Aliud indicium eſt † proditionis pa- 30
triæ, cùm hoc vitium fuerit Iudæis ſemper agnatum: nam teſte D. Th. 2.2. *q.39. art.2. ad 1.* Hæbræa natio fuit ſemper ad ſeditiones prompta: de qua dicitur 1. *Eſdræ 4. Ciuitas illa à diebus antiquis* (puta Hieroſolyma) *aduerſus Reges rebellat, & ſeditiones & prælia concitantur in ea*: ob hæc indicia poteſt ac debet pœna expulſionis è regno Luſitano mulctari.

Secundò probatur hanc † expulſionem eſſe 31
licitam & iuſtam triplici titulo, ſcilicet debiti ſupplicij iuridicè inflicti, medij neceſſarij ad vitanda grauiora mala, & iuſtæ defenſionis. Omnes enim iſti tituli in ea concurrunt: ſed omnes ac ſinguli eam iuſtificant & excuſant à peccato: ergo. Minor patet; de Primo quidem, quia infligere debitum ſupplicium delinquentibus à lege taxatum, ne delicta maneant impunita, eſt opus honeſtum virtutis, iuſtitiæ ſcilicet vindicatiuæ, nedum licitum. De ſecundò verò, quia licitum eſt vnicuique maiora mala vitare & perila fugere, etiam cum damno alterius, quando hoc per ſe ac directè non intenditur, vt patet in illo, qui ſuum inuaſorem vt ſe defendat, iuſtè occidit. De tertio denique patet, quoniam moderata defenſio vnicuique eſt licita, ac debita iure naturæ: nec non quod quiſque ſe à damnis tam corporalibus, quàm ſpiritualibus ſeruet indemnem, eſt actus charitatis qua homines tenentur ſe diligere, ac proinde bonus & honeſtus. Tertiò probatur: nam Catholicus Rex poteſt licitè debellare hanc nationem Hebræam Luſitaniæ commorantem, priuando illam bonis temporalibus, videlicet poſſeſſionibus, officiis, honoribus, ac dignitatibus, imo & morti damnare: igitur à fortiori poteſt illam ſolo ac patria priuare, in alias prouincias relegando. Pro antecedentis euidentia operæ pretium eſt aduertere ex Soto, *lib.5. de iuſtitia q.5. art.3.* † tria eſſe genera infidelium. Primum eſt 32
eorum, qui de iure & de facto principi Chriſtiano ſunt ſubiecti; de quorum numero ſunt omnes illi, qui ſub ditione Regis Hiſpani habent ſua domicilia, ſiue Chriſto in baptiſmo nomen dederint, ſiue non. Secundum eſt eorum qui de iure, ſed non de facto principi Chriſtiano ſunt ſubditi, cuiuſmodi ſunt illi qui per tyrannidem prouincias occupant Regis Hiſpani, v. g. Inſulani de Hollandia & Zelandia, qui de iure ſunt ſubditi Regi Hiſpano, ſed non de

facto,

facto, vtpote cui de facto obedientiam debitam negant, contra eius imperium conspirando. Tertium eorum, qui nec de iure, nec de facto principi Christiano subduntur : vt sunt modò Turcæ & Mauri Africani respectu Regis Hispani.
33 Ex quibus certa & communis sententia de † infidelibus primi generis, tenet posse Principem Christianum eos debellare, ac præfatis pœnis plectere : ferendo scilicet legem pœnalem, vt perpetua infamia laborent, aut amissionem bonorum temporalium incurrant: aut etiam morte ob delictum perfidiæ plectantur. Similiter de infidelibus secundi generis, posse ob tyrannidem debellari, aut etiam ob proditionem patriæ: certa res est. De infidelibus autem Tertij generis, ait Soto, ob solam carentiam fidei, hoc est, propter infidelitatem negatiuam, aut etiam ob peccatum infidelitatis seu Idolatriæ, non posse à principe Christiano debellari : nisi adsint aliæ causæ iustæ, quas numerans Azorius 3. *p. summæ lib. 2. cap. 7. q. 30.* ait esse tres : scilicet vel quia infesti sunt regno Christiano, ei molestias ingerendo ; vel quia eius fideles conantur à fide Christi auertere : vel quia eius religionem conculcare siue contemnere præsumunt & intentant. Atqui Hebræi Lusitani sunt respectu Catholici Regis Hispani infideles primi generis : vtpote cui de iure & de facto subduntur, dum eius terras incolunt, & eius dominio ac ditioni obtemperant, tanquam vasalli ipsius ; ergo ob delictum hæresis, perfidiæ, ac Iudaismi potest illos debellare, ac ferre legem pœnalem, qua eos infamiæ pœna ac confiscationis bonorum plectat. Neque eis fauet priuilegium fidei seu baptismi, quo gaudent baptizati fideles capti in bello iusto, ne scilicet efficiantur serui capientium, quod ad hæreticos extendit cõmunior sententia Theo-
34 logorum. Non † inquam fauet eis ; quia sicut certum est hoc priuilegium extendi ad hæreticos baptizatos : ita certum est non extendi ad Apostatas, vt scitè aduertit Bañez 2. 2. *q.* 40. *art.* 1. *dub.* 2. quia isti teste Caietano ibi *q.* 11. *art.* 1. nedum à mediis, sed à fine Christianæ religionis qui est Christus, omnino separantur : ac per consequens nefas est fauere eis priuilegium Christianæ religionis, quam omnino negarunt. Hebræi autem post baptismum Iudaizãtes sunt Apostatæ ; quia à Christo omnino recedunt, siquidem illius negant aduentum, eius passionem auersantur : de quibus propterea ait Paulus, Christum esse illis scandalum. Vnde *in cap. contra Christianos, de hæreticis in 6.* Ius Canonicum eos appellat Apostatas, quos proinde decernit fore omnibus pœnis contra hæreticos latis, puniendos : ac per consequens nullum eis baptismatis priuilegium fauet : ergo Rex Hispanus potest eos pœna debellationis ac seruitutis animaduertere tantò iustius, quàm in infideles non baptizatos sibi subiectos, quantò eorum perfidia post baptismum susceptum est grauior, vtpote Apostasia.

Quartò probatur argumento desumpto *ex*
35 *dicto cap. contra Christianos* : vbi dicitur † Iudæos ob crimen perfidiæ & Apostasiæ esse puniendos eisdem pœnis contra hæreticos latis : hæretici autem plectuntur in iure pœnis amissionis bonorum, perpetuæ infamiæ, & priuationis dignitatum ac officiorum publicorum, quas permixtim & indiscriminatim Ius Canonicum contra hæreticos & contra Iudæos imponit : vt videre licet *in cap. nullæ officia d. 50. Decretorum : & lib. 5. Decretalium cap. sicut Iudæi* : & *cap. ex speciali* : parique ratione posset Rex Catholicus legem ferre pœnalem redigendi vtrosq; in seruitutem, & eos relegandi à regno : qua semel constitutâ iustè Iudæi Lusitani è regno pellerentur : ergo.

Dico Tertiò ; † spolium bonorum, ac possessionum in natione ista Hebræa Lusitaniæ, quoad omnes personas quæ fuerint Iudaismi crimine conuictæ, aut vehementer indiciatæ ; vtile, licitum, ac conueniens est. Hæc conclusio probatur eisdem rationibus, quibus probatur licitam ac iustam esse huiusmdi Hebræorũ expulsionem & exilium perpetuum : illis enim pariter conuincitur licitum ac iustum fore spolium bonorum, si fiat cum debitis moderamine & circumspectione : eædem enim ad iustificandum spolium hoc concurrunt, videlicet titulus iusti supplicij ob delictum hæresis & Iudaismi, iniuriáque Sacramentorum, & vsurarij lucri : titulus iustæ defensionis regni ac patriæ ; & titulus redimendi vexationem, ne scilicet eorum diuitiæ & arma prosint hostibus, & nobis reddantur nociua ; hoc enim idem esset atque dare arma hostibus nostris. Vnde sicut licitum est tollere arma ab hostibus nos infestantibus ; ita & licitum est tollere bona à Iudæis ad hostes confugientibus per exilium & expulsionem. Probatur Secundò ; nam cùm isti Hebræi sint Apostatæ à fide semel susceptæ, non minus quàm hæretici, iustè & conuenienter plecti possunt omnibus pœnis contra hæreticos latis in iure, inter quas est vna confiscatio & spolium omnium bonorum : igitur & hæc iustè potest eis per sententiam aut legem infligi. Tertiò probatur *ex cap. Iudæi, eodem tit.* vbi cauetur, ne quis Iudæos bonis propriis spoliet sine iudicio, hoc est, sine legitima authoritate, qualis est in Principe supremo : & quia singularis firmat regulam in contrarium, denotatur huiusmodi Principem suprema gaudentem potestate, cognita causa, & per modum supremi Iudicis posse eos bonis spoliare. Imo cùm possit eos aliis grauioribus pœnis punire, v. g. infamia perpetua, seruitute & morte, à fortiori & hac leuiori quæ est bonorum amissio & confiscatio moderata, ac iuxta tegulas prudentiæ temperata : hac enim vt mitiori pœna mater Ecclesia in hæreticos confitentes & reconciliatos ad pœnitentiam animaduertit, dum eos ab vltimo mortis supplicio præseruat, à quo tamen non præseruat relapsos fictè cofitentes aut pertinaces : quam pœnam ius meritò etiam ad filios Innocentes extendit : vt patet *ex cap. vergentis, de hæreticis*, vbi Innocentius III. dicit filios hæreticorum non à confiscatione bonorum sed à morte parentum misericorditer esse reseruandos, secundùm legitimas sanctiones ; in quos propterea quadrat illa subsannatio ab Augustino contra Donatistas iactata, *in ep. ad. Vincẽtium Donatistã. Res falsò appellatis vestras, quas neque iustò possidetis, & secundum leges amittere iussi estis* : quam potissimè aduersus Iudæos regni Lusitani possemus iactare, quippe qui vt hæretici merentur secundùm Ecclesiæ leges omittere bona, vt patriæ proditores suis bonis ei perditionem intentantes, iusta defensio potest illos licitè punire talibus instrumentis damni ;
36

ſpoliando per bonorum amiſſionem; vt vexantes regnum, poſſunt cogi à tali vexatione ceſſare, & vt prædatores per vſurarios contractus, quibus deditos eſſe teſtatur ipſorum antiqua & connaturalis auaritia, poſſunt ad bonorum reſtitutionem faciendam regno compelli; ſicut & quælibet alia bona ex diminutis ponderibus conquiſita, aut aliis prauis contractibus, eidem Reipublicæ debent reſtitui, quæ fuit damnificata. Eiſdemque titulis quibus conuincitur huiuſmodi ſpolium, probatur eſſe nedum licitum ac conueniens, ſed etiam obligatorium ac neceſſarium neceſſitate præcepti, vt pœnam debitam ſecundùm legem; cuius proinde inflictio erit actus iuſtitiæ vindicatiuæ, ad quem Princeps ſecularis exequendum ex officio tenetur, vtpote legibus Canonicis ſimpliciter, ciuilibus autem quoad vim directiuam ſubiectus.

SECTIO V.

Satisfit argumentis in oppoſitum.

SVMMARIVM

37 *Diluuntur argumenta, quibus oppoſita ſententia fulcitur; quorum Primum deſumptum eſt ex ſpe emendæ atque reſipiſcentiæ.*

38 *Ratio deſumptæ ex inſontibus non eſt ſufficiens ad veniam Iudæis omninò concedendam.*

39 *Satisfit 3. & 4. argumento, ex quibus concluditur beneficium remiſſionis à Rege Catholico auri penſo oblato non poſſe obtineri.*

40 *Quod idem confirmatur, exemplo Regis Ricaredi, qui oblatum pretium à Iudæis ſui Regni repudiauit, pro quo laudabili facto à Gregorio Magno in ſua ad eum Epiſtola laudatur.*

37 IN hac Sectione operæ pretium eſt, † nonnulla argumenta diluere quibus ſententia oppoſita fulcitur. Ad Primum igitur deſumptum *in ſect.* 2. ex ſpe emendæ & reſipiſcentiæ, reſpondetur hanc in Iudæis Luſitanis non eſſe ſufficientem cauſam concedendi eis veniam. In quam ſententiam adducor propter tria. Tum quia longa eorum ac diuturna pertinacia, per centum & viginti annos à temporibus Regis Emanuelis, qui eos ſub hac ſpe emendæ in ſuo regno primus excepit: eſt indicium manifeſtum impœnitentiæ ipſorum. Fateor quidem ob hanc ſpem emendæ Regem Emanuelem glorioſæ memoriæ, eos è Caſtellæ regno expulſos, in ſua ditione excepiſſe & tolleraſſe. Fateor ob hanc ſpem Eccleſiam eos permittere fidelibus commiſceri: imo ob hanc aliquando permiſit matrimonium fidelis cum infideli, ſcilicet vſque ad tempora Concilij Toletani IV. Sed nego iam hanc rationem eis ſuffragari, quos impœnitentes & pertinaces longa experientia oſtendit. Tum etiam quia vt in plurimum ſunt Rabini ac dogmatizantes adinſtar hæreſiarcharum, de quibus nullam fore ſpem emendæ ipſe Lutherus contra Zuinglium diſcipulum teſtatur, dicens: *Sed non eſt auditum à ſeculo, quod author alicuius hæreſeos reſipuerit aut reuerſus ſit, quia peccatum iſtud nimirum, grande eſt.* Quod teſtimonium quia eſt rei confitentis contra ſe ipſum, licet extra iudicium, ſufficiens eſt ad vehementem de reo concipiendam ſuſpicionem, eúmque torquendum: ex gloſſa *lege cap. ff. de adulteriis*, communiter recepta: vt notat Iulius Clarus *lib. 5. receptarum q. 21. n. 30.* Tum denique ob teſtimonium Baſilii *epiſt. 15. ad Theodorum*, id ipſum atteſtante, ex illo *Hieremiæ 13. Si mutare poteſt Æthiops pellem ſuam, aut pardus varietates ſuas*: quod Baſilius de hæreſiarchis & quibuſcumque dogmatizantibus interpretatur, quibus tam difficile eſt ab errore incepto deſiſtere, quàm Æthiopi & pardo natiuum calorem exuere. Quod ſi ad litteram hoc teſtimonium de populo Hebræo intelligere velimus: iam ex illo inueniemus, quàm difficile à ſuis erroribus iſta natio reſipiſcat, in qua ſicut viget veluti natiua inclinatio, vt ſuæ legis faciat vnum proſolytum: ita & vt ad Iudaiſmi profeſſionem alios inducat.

Ad Secundum reſpondetur, neque † illam 38
rationem deſumptam ex inſontibus eſſe ſufficientem ad veniam illis omnino concedendam: eò quòd maiorem eſſe partem Iudaizantium, teſtatur experientia: neque eſt omninò impoſſibilis punitio nocentium, ſeruatis illæſis infantibus, & innocentibus, licet ſit ingens in ea punitione difficultas exequenda: ſed ingens difficultas ſolerti cura ac diligentia eſt vincenda.

Ad Tertium † patet ex dictis *ſect.* 3. quando 39
& quo pacto, atque cum quibus conditionibus, licitum ſit principi Chriſtiano inſontes plectere pœnis, citra capitalem, vt bonorum ſpolio, & patriæ amiſſione.

Ad Quartum conſtat ex dictis *ſect.* 4. in pluribus caſibus per teſtes ſingulares haberi ſufficientem ad huiuſmodi pœnas infligendas probationem: maximè ob peccatum Iudaiſmi, & hæreſum, quibus nec baptiſmi priuilegium fauere oſtendimus ibidem. Ex quibus omnibus concludendo dico, neutiquam auri penſo ab ipſis Luſitanis Hebræis oblato, poſſe ac debere beneficium remiſſionis à Rege Catholico obtineri: quem nec decet tale pretium admittere alio ſpecialiori titulo, ſcilicet, ratione ſanguinis Gothici, quem intra venas habet. Siquidem Sanctus † Rex Ricaredus eius progenitor in ſi- 40
mili conflictu oblatum pretium à Iudæis ſui Regni repudiauit, pro quo & Gregorius Magnus Epiſtola 126. *lib.* 7. ei refert gratias ſub his verbis. *Quia cùm veſtra Excellentia conſtitutionem quamdam contra Iudæorum perfidiam dediſſet, hi de quibus probata fuerat, rectitudinem Veſtra mentis inflectere, pecuniarum ſummam offerendo moliti ſunt; quam Excellentia veſtra contempſit, & omnipotentis Dei placere iudicio requirens, auro innocentiam prætulit, qua in re mihi Dauidi Regis factum ad memoriam venit, cui dum concupita aqua de ciſterna Bethlehemitica fuiſſet allata, protinus dixit; abſit à me, vt ſanguinem iuſtorum hominum bibam, quam quia fudit, & bibere noluit, ſcriptum eſt; libauit eam Domino,* (ſcilicet 1. Paralipp. 11.) *Si igitur ab armato Rege in ſacrificium Dei verſa eſt aqua contempta, penſemus quale ſacrificium omnipotenti Deo Rex obtulit, qui pro amore illius, non aquam, ſed aurum*

accipere

accipere contempſit. Itaque Fili excellentiſſime, fidenter dicam, quia libaſti aurum Domino, quod contra eum habere noluiſti. Verùm aliquanto diſpar ratio militat in noſtro caſu, vtpote in quo non Hæbræi non baptizati, cum quibus Ricaredus agebat, ſed charactere baptiſmati inſigniti ſunt, qui in noſtro caſu ad tribunal miſericordiæ prouocare contendunt. Quod diſcrimen amplius ex dicendis in Secunda diſputationis parte patefiet.

PARS SECVNDA.

De illis Hebræis, qui è Luſitaniæ Regno ad Caſtellæ, Galleciæ, & Vandaliæ Regna confugerunt: Vtrum ſimili indulto gaudere debeant?

CVM abhinc multis annis Hebræo ſanguine infecti, qui iam Chriſto nomen in baptiſmo dederunt, è Luſitania ad hæc noſtra Regna ſe contulerint, aut animo effugiendi rigorem tribunalium Sanctæ Inquiſitionis Portugaliæ, vt ſatis in præcedente parte huius diſputationis explanatum; aut animo Regales reditus adminiſtrandi, aut vtroque ſimul ducti: & his temporibus plurimæ eorum familiæ in eorumdem Regnorum tribunalia Sanctæ Inquiſitionis delatæ inciderint, atque propter Iudaiſmi culpam in carceribus ſint detentæ: & ſimile indultum à Rege Catholico poſtulauerint tanto auri penſo redimendum, quantum confiſcationi bonorum prudentum iudicio æquiualens fuerit. Propterea operoſius in hac ſecunda parte diſputationis videndum eſt, Vtrum huiuſmodi indulti conceſſio ſit licita, & an ſit conueniens, vel expediens?

---

§. I.

Proponitur ſtatus diſputationis, provt res in præſenti habet.

SVMMARIVM.

1 *Nomine remiſſionis ſiue indulti quid hic intelligitur.*
2 *Hominum vita & honor à bonis temporalibus dependet.*
3 *Nobilitas nihil aliud eſt quàm diuitiæ cum antiquitate.*
4 *Tres ſunt modi tollendi vota facta Deo, ſecundùm Theologos.*

IVxta Ariſtotelis documentum in libris poſteriorum præcipientis, vnamquamque diſputationem incipiendam fore à nominis etymologia, ideo & hanc noſtram diſputationem à diffinitione, quid nominis, ſeu nominis etymologia incipere oportet. Igitur † remiſſio
1 hæc ſeu indultum, quod à Rege Catholico dicti Hebræi in carceribus detenti poſtulant, nil aliud ſignificat, quàm commutationem pœnarum corporalium, v.g. carceris, exilij, & Sacci benedicti in pœnam pecuniariam, quæ vel reſpondeat dictis pœnis infligendis, vel æquipolleat bonis meritò ſecundum leges confiſcandis. Sed neque iſtam pecuniariam pœnam eſſe parui pendentem inde conſtat, quod † ho- 2
minum vita, & honor à bonis temporalibus, ac diuitiis dependeant. Quæ ſi antiquæ fuerint, in eis conſiſtit nobilitas, teſte Cicerone, dicente † nobilitatem nihil aliud eſſe quàm diuitias 3
cum antiquitate. Atque huc reſpexit Innocentius III. *in cap. Vergentis de hæreticis, lib. 5. decretalium*, vbi damnans hæreticos ad confiſcationem bonorum, rationem huius ſubiungens ait; *vt temporalis ſaltem pœna corripiat, quem ſpiritualis non corrigit diſciplina.* Theologi quoque diſtinguentes † modos tollendi vota facta 4
Deo, dicunt eſſe tres; nimirum irritationem, ſiue omnimodam relaxationem, qua vtitur Pater; diſpenſationem, qua vtitur Prælatus, & commutationem vnius materiæ in aliam, qua vtitur Confeſſarius. Itaque vbi loco vnius pœnæ, alia ſubrogatur etiam pecuniaria, dicitur commutatio, qualis fit per Bullam Cruciatæ in votis, quæ commutantur in ſubſidium terræ ſanctæ, quod debet eſſe temporale. Sed ſic eſt, quod in hac remiſſione ſiue indulto, quod pro familiis incarceratis poſtulatur, debet ſubrogari pœna pecuniaria loco aliarum pœnarum ſiue pœnitentiarum: igitur dicenda potius eſt commutatio ſeu remiſſio commutatiua, quàm remiſſio abſoluta.

---

§. II.

Huiuſmodi commutatiuam remiſſionem licitam eſſe ſecundum ſe.

SVMMARIVM.

5 *Remiſſio iſta ſuperius propoſita licita eſt in foro conſcientiæ.*
6 *Bonitas moralis conſiſtit in conformitate ad legem.*
7 *Bona ablata hæreticis, ſi reuertantur ad fidem ex miſericordia eis reſtituuntur.*
8 *Gregorius Lopez conciliat duas opiniones Iuriſtarum contrarias.*
9 *Iudæi incarcerati ſunt in triplici differentia.*
10 *Quomodo cum ſingulis eorum agendum, monſtratur.*

VÒd hæc † remiſſio ſic propoſita ſit licita 5
in foro conſcientiæ, ſuadetur Primò ex communi

communi doctrina Theologorum, asserentium actum humanum fieri bonum moraliter per conformitatem cum lege, malum autem per difformitatem, v.g. homicidium est malum, quia contrariatur quinto decalogi præcepto, & audire sacrum in die festo est bonum, quia conformatur Ecclesiæ vel præcepto. Itaque
6 † bonitas moralis consistit in conformitate ad legem: sed sic est quod ista remissio est conformis ad leges Ecclesiasticas Iuris Canonici, quas obseruare, & cum quibus conformari debet Tribunal Sanctum Inquisitionis. Etenim in allegato *cap. vergentis*, hæc remissio erga hæreticos consulitur (eademque ratio est de Iudæis) ibi. *Nisi eis ad cor reuertentibus & abnegantibus hæreticorum consortium, misereri aliquis voluerit*, scilicet Iudex. Bonifacius VIII. *in cap. vt commissi eod. tit.* vbi amplians Inquisitorum potestatem ad has, & illas functiones, subdit. *Et illorum, qui humiliter stant propter hæresim in carceribus, pœnam vnà cum Prælatis quorum iurisdictioni subsunt, mitigandi, vel mutandi, cum videritis expedire.* Peña quoque 2. *parte directorij in commento ad cap. Vergentis*, ait hanc sententiam esse veram, obseruarique in tota Italia, vbi Inquisitores conformantur cum iure communi, cum quo vbicumque Iudices fidei conformari debent. Rursus Ioannes Andreas super *cap. vergentis*, ait hanc sententiam conformem quoque esse legibus ciuilibus, quæ maiori innituntur æqualitati, quàm Canonicæ. Nam *lege 7. partita 7. titulo 7.* loquendo de filiis hæreticorum reuersis ad fidem, subditur. *Pero si despues de esto se tornassen à la fe, deben les dar su parte de haredad.* Vbi Gregorius Lopez ait; *innuitur hîc, quod bona hæreticorum debent restitui hæredibus reuersis ad fidem.* Quam legem subdit ille concordare cum iure ciuili in *leg. cognouimus, Cod. de hæretic. & leg. Manicheos eodem Cod.* cum Anthentico, *vt cum, de appellation. §. causas, versiculo si quis*; Et cum iure Canonico *Canon. Iudæi 1. q. 4.* desumpto ex Concilio Toletano IV.
7 cum Glossa 22. *q.* 7. ibi; *quod licet † bona sint ablata hæreticis, si tamen reuertantur ad fidem, ex misericordia restituuntur*, vt in *cap. ipsa putas*; nam de rigore non sunt eis restituenda; & *partita 7. tit. 25. leg. 4. & tit. 25. leg. 2.* ibi: *E si sequisieren tornar a la fe, despues que fueren reconciliados, debe los perdonar.* Vbi idem Gregorius Lopez, *Redeuntes ergo ab hæresi admittendi sunt, & eadem per hoc pœnas criminis, quando non sunt relapsi*: vt *in cap. super eo, & cap. ad abolendam, & cap. vt officium de hæretic. in sexto*, & tradit D. Thomas 22. *q.* 11. *art.* 4. Per quæ omnia
8 dictus † Gregorius Lopez conciliat duas opiniones Iuristarum contrarias; scilicet communem, dicentium in hoc correctas esse leges Ciuiles à iure Canonico, quod in praxi est sequendum, nimirum quod bona semel confiscata, nec ad ipsos hæreticos, nec ad eorum filios deuoluuntur, sed ad fiscum: & alteram Ioannis Andreæ, Villadiego *tractatu de hæretica pranitate q.* 20. ac Sancti Thomæ *vbi supra*, dicentium deuoluenda esse, tum ad hæreticos reuersos ad fidem, tum ad eorum filios in fide permanentes; non quidem de rigore iuris, bene tamen ex misericordia ac iuris benignitate: quod intelligе: *Si continuò post deprehensionem erroris ad fidei Catholicæ vnitatem sponte recurrant abiurata hæresi.* Quæ verba sunt Lucij III. *in cap. Ad abolendam*, ibi: *Nisi abiurata hæresi & satisfactione exhibita, confestim ad fidē confugerit Orthodoxam, secularis Iudicis arbitrio relinquatur.* Dubitat autem Gregorius Lopez *vbi supra*, quodnam sit illud tempus significatum per ly, *confestim*, vel *continuo*; & respondet sufficere, quod reuersio fiat intra tempus gratiæ conditum ab Inquisitoribus in suo edicto; imo cum Archidiacono, Hostiensi, Ioanne Andrea, Villadiego ab ipso citatis, subdit; sufficere etiam post tempus gratiæ manente re integra, si redeant ad fidem, antequam sint per sententiam damnati, aut etiam processati & conuicti per probationes: imo etiam si sint conuicti per testes, dummodo nondum sit prolata sententia *ex cap. Accusatus de hæretic. in sexto §. ille quoque.* Igitur cùm huiusmodi relaxatio, siue remissio culparum hucusque commissarum, sit conformis legibus vtriusque iuris communis, tam ciuilis, quàm Canonici, quas tenetur & solet Tribunal Sanctæ Inquisitionis obseruare; consequens est illam esse licitam & moraliter bonam, ea nimirum bonitate, quæ in conformitate ad legem consistit.

Secundò suadetur, quoniam † isti incarcerati 9
modò, diuiduntur in triplici differentia. Alij sunt innocentes falsò delati, vel accusati, quia diuites à pauperibus, & quia nobiles à plebejis eiusdem nationis facilè accusantur. Alij sunt delinquentes: alij fortè (quod me latet) sunt pertinaces in Iudaismo, vel relapsi impœnitentes. Respectu † priorum, remissio est debita per re- 10
gulam iuris *in 6. Sine culpa nisi subsit causa, non est aliquis puniendus.* Respectu autem secundorum, indulgentiam esse iustam, docet Angelicus Doctor 22. *q.* 11. *art.* 3. dicens, quod licet hæretici non mereantur veniam ex parte delicti, bene tamen ex parte clementiæ Ecclesiæ, quæ eos non condemnat, nisi post primam & secundam monitionem: dicente Apostolo ad *Titum 3. hæreticum hominem deuita, scieus, quia subuersus est, qui huiusmodi est*: eò quòd iste iam iudicatur pertinax, de cuius conuersione Ecclesia desperat: & *art.* 4. subdit de lapsis prima vice, ad fidem reuertentibus. *Et ideo Ecclesia primò reuertentes ab hæresi, non solùm recipit ad pœnitentiam, sed etiam conseruat eos in vita, & interdum restituit eos dispensatiuè ad Ecclesiasticas dignitates, quas prius habebant: & hoc pro bono pacis frequenter legitur esse factum.* Respectu denique posteriorum non habet locum remissio, quia iuxta regulam iuris in sexto, *Peccati non datur venia nisi correcto*: & in proximè allegato *artic.* 4. post verba recensita, subdit hæc D. Thomas. *Sed quando recepti iterum relabuntur, videtur esse signum inconstantiæ eorum circa fidem, & ideo vlterius redeuntes, recipiuntur quidem ad pœnitentiam, non tamen vt liberentur à sententia mortis.* Quorum verborum sensus planus est, quod isti relapsi recipiuntur ad pœnitentiam quoad salutem spiritualem animæ, sed non quantum ad bonum temporale, videlicet vitæ, diuitiarum & honorum. In quo maximè ista remissio differret ab ea, quam Lusitani Hebræo sanguine infecti quondam postulabant, & propterea eam illis consulimus disputatione præcedenti, denegandam fore, vtpote quæ generalis erat, nec vllos innocentes comprehendebat.

§. III.

§. III.

Non modò licita, Verùm etiam conueniens & expediens esset huiusmodi indulgentia pro culpis dumtaxat hucusque commissis.

SVMMARIVM.

11 *Probatur dictam indulgentiam & remissionem Iudæorum pro tempore esse maximè conuenientem; idque Primò exemplo Regis Catholicissimi Philippi III.*

12 *Pro vtilitate publica oportet pœnas temperare, & legum pœnalium rigorem mitigare.*

13 *Caietanus asserit, licitè & conuenienter permitti à Principibus supremis ritus Iudæorum, propterea quod in illis fidei testimonium saluatur.*

14 *Quæ omnia ex doctrina D. Thomæ confirmantur, asserentis Epicheiam esse virtutem adiunctam iustitiæ legali.*

11 QVm iam probatum sit huiusmodi indulgentiam esse licitam, restat probare † illam fore hîc & nunc conuenientem & expedientem. Neque enim expedit facere omnia quæ licitè possunt fieri; cùm dicat Apostolus: *Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt.* Suadetur igitur Primò ab exemplo Catholicissimi Philippi III. Regis, qui anno 605. similem indulgentiam concessit omnibus Hæbræis Hispaniæ, tam liberis quàm in carcere detentis pro culpis vsque tunc commissis, mulctans eos pro bonis confiscandis, *en vn millon y ocho cientos mil ducados.* Quod si tunc fuit conueniens iudicio Regis adeò timoratæ conscientiæ, de quo iactatur dicere solitum, quod mirabatur quempiam hominem cubare noctu in lecto, conscium criminis lethalis: cur modò non erit conueniens? imo multò magis modò erit conueniens; eò quòd tunc erat suspensio armorum apud Belgas, & Hispania fruebatur illis felicibus nouem annis initæ pacis cum Prouinciis rebellibus Hollandiæ & Zelandiæ; nunc autem premitur bellis duobus internis, scilicet cum Lusitanis, & extra cum Gallis; ita vt possimus cum Paulo 2. *ad Corinth.* 7. flendo dicere, *foris pugnæ, intus timores*; & econtra. Quantò autem subsidia sunt magis necessaria, tantò hæc indulgentia est conuenientior: eo vel maximè, quod aliqui Magistratus à Rege missi in nonnullas ciuitates horum Regnorum, vtentes Regalia sibi commissa, reis incarceratis & morte dignis, simile indultum contulerunt, eorum mortem, siue triremes commutantes in pecuniarium subsidium pro huiusmodi bellis exhibendum. Cur ergo similis commutatio non expediet in hiis, qui minori pœna sunt digni? quod frequenter fuisse factum testatur D. Thomas *vbi supra*, historiarum nequaquam ignarus. Secundò probatur ex quodam morali principio, tradito à Tiraquello de pœnis temperandis *causa* 45. nimirum, quod † pro 12
vtilitate publica oportet pœnas temperare, & mitigare legum pœnalium rigorem; & *causa* 48. subdit Tiraquellus: *Et quando alij ad frugem melioris vitæ traherentur, si pœna minuatur, est ob id certè minuenda*; quod etiam colligitur ex iure Canonico *cap. vltimo de diuortiis* & *cap. finali, qui filij sint legitimi*, & *cap. quod Christus*, & *cap. ipsa pietas*, 23. *quæst.* 4. desumptis ex Ambrosio & Augustino, quorum est vna & eadem conclusio, videlicet, non semper in eos qui peccant vindicta est exercenda; cuius rationem reddit Augustinus, *quia non res eorum, sed ipsos quærimus*: & Ambrosius super *Lucæ cap.* 9. expendens illa verba Christi, *nescitis cuius spiritus estis*, prolata contra discipulos petentes ignem de cælo aduersus Samaritanos, quod Christum non receperant, ait; *Ostenditur nobis non semper in eos qui peccant vindicandum, quia nonnunquam amplius prodest clementia tibi ad patientiam, quàm lapso ad correctionem. Vnde & Samaritani citius crediderunt, à quibus hoc loco ignis arcetur.* Et Bonifacius VIII. in dicto *cap. vt commissi*, informans Inquisitores de modo procedendi contra hæreticos & eorum fautores, sic ait. *Discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, &c. Si verò aliquis ex prædictis hæretica labe primitus abiurata, redire voluerit ad Ecclesiæ vnitatem, ei iuxta formam Ecclesiæ absolutionis beneficium impendatis, & iniungatis eidem, quod iniungi talibus consueuit.* Hoc autem etiam esse conforme consuetudini tribunalis Iudicum fidei, testatur Pigna *vbi supra*, *in commento ad dictum cap. Vergentis*, ibi: *hoc communiter solet obseruari, vt ab inferioribus Inquisitoribus vbique hæreticis redeuntibus bona condonentur.* Idque obseruari in tota Italia conformando se iuri communi. Quinimo si aliter fiat, (subdit ille) non potest rectè Ius commune in locis citatis interpretari: pro quo & refert plures Authores. Sed sicut quod ex hac mitigatione & indulgentia sequitur vtilitas publica, & augmentum Vassallorum multiplicationi, commerciis, ac etiam Religioni, nam misericordia moti ipsi incarcerati, & eorum filij ad fidem reuertentur, & in ea perseuerabunt. Neque iste est casus Regis Catholicissimi Recaderi, qui pecuniam oblatam à Iudæis non baptizatis, viuere conantibus in suis Synagogis, & Iudaismum profiteri pertinaciter volentibus, recusauit. Noster autem casus procedit de Iudæis iam baptizatis, ad fidem Catholicam redire volentibus, & omnino Mosaicas ceremonias ac ritus abrogantibus.

Tertiò suadetur ex quadam doctrina † Car- 13
dinalis Caietani 22. *quæst.* 10. *art.* 11. asserentis licitè & conuenienter permitti à Principibus supremis non habentibus superiorem, in suis ditionibus, ritus Iudæorum, propterea quod in illis saluatur testimonium nostræ fidei, vtpote cum in illis repræsentetur Christus venturus, quem iam præsentem Christiana fides agnoscit, dummodo talis permissio non faciat

permittentes participes Iudaiſmi. *Caue* (ait ille) *ne permiſſio ſit admixta participationi.* Quam doctrinam refert & amplectitur Nauarrus *lib.5. conſiliorum tit. de Iudæis*, & *in Manuali cap.17. §.195.* dicens hoc lucrum participatiuum vocari à Nicephoro *lib.16. cap.20. hiſtoriæ Eccleſiaſticæ*, *Vectigal deteſtabile*, laudátque Anaſtaſium Imperatorem, qui illud relegauit è ſua ditione: & teſte Auguſtino *lib. de ordine relato à D. Thoma in dicto art.* 11. conuenienter & licitè permittuntur meretrices, & eis domus locantur propter maius bonum Reipublicæ, *Auſer meretrices* (ait Auguſtinus) *& turbabis omnia libidinibus.* Si igitur ex hac permiſſione maiora bona Reipublicæ ſequuntur, quantò maiora ſequentur ex pœnarum mitigatione, & commutatione in ſubſidium pecuniarium, quando Princeps bellis premitur & ſuppetiis indiget.

41 Quæ † omnia confirmantur ex alia doctrina Angelici Doctoris 22. *quæſt.*120. *art.*1. *&* 2. aſſerentis Epicheiam eſſe virtutem adiunctam iuſtitiæ legali, & illa præſtantiorem, quia inclinat ad obſeruationem legis ſecundùm mentem & intentionem legiſlatoris, mitigátque vigorem legis propter maius bonum: vt patet in *lege depoſiti*, quæ præcipit depoſitum reddi ſuo Domino. Sed Epicheia dictat non eſſe reddendum gladium Domino, quando vergit in eius vel alterius nocumentum; vt ſi Dominus incideret in amentiam, ob quam crederetur de illo, quod ſe ipſum, aut alterum gladio perimeret: ergo ob plura bona & excellentiora iam recenſita, æquum foret ſecundum Epicheiam, legum pœnalium Sanctæ Inquiſitionis cum huiuſmodi incarceratis mitigare rigorem.

§. IV.

Quid ſequatur expediens ex dictis circa confiſcationem bonorum?

SVMMARIVM.

15 *Quomodo cum Iudæis in poſterum delinquentibus agendum ſit, ex ſuperius dictis colligitur.*

16 *Quibus ſuppoſitis aſſertio Authoris continet duas partes probandas: quorum Prima eſt, quod bona Iudæorum ad ſuum priſtinum ſtatum, hoc eſt ad Regium fiſcum reuertantur.*

17 *Probatur ſecunda pars, ſcilicet de lege diſponente, ne bona confiſcata redeant vnquam ad hæreticum, ſiue ad Iudæum ſemel condemnatum &c. eáque triplici argumento.*

18 *Rex Catholicus ad concedendam Iudæis ſuæ nationis Indulgentiam, & commutationem pœnitentiarum in pœnam pecuniariam, non indiget Bulla aut expreſſa conceſſione Summi Pontificis.*

15 EX † dictis planè colligere licet, confiſcationem bonorum huiuſmodi delinquẽtium in futurum aliter faciendam fore, ſiue ad aliam formam reducendam: nimirum ad iſtam: quod bona illorum, qui pro crimine Iudaiſmi fuerint deinceps incarcerati, atque in illo vel confeſti, vel per teſtes legitimos conuicti, maneant addicta Regio fiſco, & ex nunc pro tunc Catholicus Rex ea condonet gratuito horum filiis, & in filiorum defectum, conſanguineis eorundem vſque ad decimum gradum, in fide permanentibus, ſeruando formam ſucceſſionis ab inteſtato. Pro huius aſſertionis declaratione ſupponendum eſt tanquam certum, bona confiſcata per Tribunal Sanctæ Inquiſitionis in Regnis Hiſpaniæ meritò applicari Regio Fiſco, vt oſtendunt Paramus *de origine inquiſitionis lib.* 2. *titulo* 2. *cap.*3. *num.* 14. Couarruuias *lib.*2. *variar. cap.*9. Reportorium inquiſit. V. *diuiſio*, *circa finem.* Pegna 3. *p. directorij commento* 58. Heimericus 3. *p. directorij quæſt.* 109. *num.* 4. & Caſtro *de iuſta hæreticorum punitione lib.*2. *cap.*5. eò quòd Rex Hiſpanus ſubminiſtrat expenſas, & quæcumque neceſſaria Inquiſitoribus. Verùm poſtea iuſtis de cauſis Rex Hiſpanus abdicauit à ſe & à ſuo Regio fiſco huiuſmodi bona hæreticorum, & illa ſuis decretis ac Regiis ſchedulis ipſis Tribunalibus Sanctæ Inquiſitionis donauit, tum pro alendis Inquiſitoribus; tum pro neceſſariis expenſis eorundem tribunalium. Hoc itaque ſuppoſito † noſtra aſſertio continet duas partes pro- 16
bandas. Prima eſt, quod hæc bona ad ſuum priſtinum ſtatum, hoc eſt ad Regium fiſcum reuertantur. Secunda eſt quod huiuſmodi bona applicata fiſco Regio, nunquam ad ipſum hæreticum reuertantur, ſed ex nunc pro tunc lege ſancita, hæretici filiis, aut eiuſdem conſanguineis vſque ad decimum gradum condonentur. Igitur Prima pars ſuadetur primò ex doctrina communiter recepta Paracij *lib.*4. *conſilio* 2. *numer.*114. Deciani *tractat. criminal. lib.*5. *cap.*25. Pegna *in additionibus ad Heimericum commento allegato*, & aliorum quos refert & ſequitur Farinacius *de hæreticis quæſt.* 86. §. 9. aſſerentium, poſſe Principem laicum condere legem ſuper confiſcatione bonorum hæreticorum, quando ad ipſum iure Canonico aut conſuetudine à Summo Pontifice approbata pertinebant. Cùm ergo huiuſmodi hæreticorum bona ad Regem Hiſpanum iure Canonico & Ciuili pertineant, rectè poterit legem condere, vt talia bona ad Regium Fiſcum conuertantur: neque vnquam ad ipſum hæreticum ſemel condemnatum redeant. Secundò ſuadetur, quia conuenientiſſimum eſt ſalaria & expenſas Iudicum fidei, & aliorum miniſtrorum Sancti officij, non conſignari in condemnationibus reorum ab ipſis iudicibus factis, ne detur eis occaſio, aut cauſa incitatiua detrudendi in carcerem, aut condemnandi nedum reos, ſed etiam inſontes, vt paucis abhinc temporibus vidimus nonnullos ſine culpa in carcere detentos, & poſtea liberos dimitti.

Quapropter initio Regni Caroli V. in comitiis Valeoleti celebratis, inter alia Capitula eidem propoſita, in quibus modus procedendi Inquiſitorum Hiſpaniæ contra reos

tempera

temperabatur, & ad formam iuris communis reducebatur. Secundum ordine fuit sequentis tenoris. *Item que el salario que seles diere a los Iuezes y officiales esté situado, y no seles pague de las condenaciones que hizieren, y pœnitencias que hechaven, porque no sea causa de incitarles a condenar a ninguno iniustamente. Y para esto sera bueno que en cada Iglesia Cathedral de los lugares donde residen los Inquisidores, vbiesse vna, o dos calongias diputadas para el dicho officio, que tubiesse porsu salario, como las ay para los Predicadores, o que la Inquisicion se cometiesse a los ordinarios.* Verùm cum huiusmodi bona confiscata sint applicata Inquisitoribus pro eorum sustentatione, & tribunalium expensis, oportet loco illorum alios reditus annuos, vel quædam alia iura subrogare, in quibus eisdem alimenta & expensæ consignentur: quod facillimè præstabit Rex Catholicus, concedendo præfatum indultum hominibus Hebrææ nationis, commutans eorum pœnitentias in pœnam pecuniariam, quam eorum familiæ infra & extra regnum existentes in tanta quantitate erogabunt, vt vel pro principali iurium, vel pro emendis censibus, & annuis reditibus æquiualentibus abundè sufficiat. Igitur hoc medium ex nullo capite redditur difficile aut incongruum: non quidem ex parte Principis, qui super hoc fisco potest legem condere, ac de illo tanquam de re propria disponere, illum applicando cui maluerit: ac proinde melius poterit illum sibi applicare. Sed neque ex parte Inquisitorum, qui illud minimè repugnabunt; si dentur eis pro alimentis suppetiæ æquiualentes.

17 Iam veniamus † ad probandam secundam partem, videlicet quod dicta lex condenda disponat, ne bona confiscata redeant vnquam ad hæreticum siue Iudæum semel condemnatum, bene tamen ex nunc pro tunc eius filiis, siue consanguineis iisque ad decimum gradum in fide permanentibus condonentur. Quæ suadetur Primò, quoniam hæc dispositio est conformis vtrique communi iuri, Ciuili scilicet & Canonico: Ciuili quidem in *lege 4. titulo 25. partita 7.* ibi. *E por ende mandamos que todos quantos esta maldad ficieren* (scilicet redeundi ad Iudaismum vel Mahomestimum) *que pierdan porende todo quanto auian, e no puedan lleuar ninguna cosa de ello, mas que finque todo a sus hijos, si los ouiere, aquellos que fincaren en la nuestra fé, e no renegaren, e si fijos no tubieren ellos, a los mas propinquos parientes que ouieren, fasta el diceno grado, que finquen en la crehencia de los Christianos: e si tales fijos, ni parientes ouieren, finquen todos sus bienes para la camara del Rey.* Cui consonant aliæ leges partitæ, scilicet *lex 7. titul. 7. partita 6. & lex 2. titul. 26. V. otro si decimos partita 7.* & ius Ciuile *leg. cognouimus*, & *leg. Manicheos*, *Cod. de hæreticis.* Canonico autem in *dicto cap. Iudæi* desumpto ex Concilio Toletano IV. vbi sic habetur. *Iudæi baptizati, si postea prauaricantes in Christum qualibet pœna damnati extiterint, à rebus eorum fideles filios excludi non oportebit, quia scriptum est; Filius non portabit iniquitatem patris*: & *in cap. Vergentis de hæreticis* ibi. *Neque ad eos bona eorum vlterius reuertantur, nisi eis ad cor reuertentibus misereri aliquis voluerit.* Idque obseruari in tota Italia testatur Pegna *supra* citatus in *commentario ad cap. Vergentis*; vbi Inquisitores conformantur omnino iuri communi Canonico, quod aliter (ait ille) in locis allegatis interpretari nequaquam potest. Secundò probatur, quia per hanc dispositionem magis consulitur fidei, cùm sit magis rigida, minúsque fauorabilis hæreticis, quàm illa qua vtitur Ecclesia cum illis ex permissione iuris Canonici, in dicto *cap. Vergentis*, & *cap. ad abolendam*, ibi. *Nisi abiurata hæresi confestim ad fidem confugerit, &c.* superius §. 2. relato. Nam secundùm hanc dispositionem iuris Canonici & Ciuilis, nedum filiis aut consanguineis, sed etiam ipsis hæreticis ad fidem reuersis, possunt ac debent ex Iuris vtriusque benignitate bona confiscata condonari; vt bene notat Pigna *in dicto commento 583. part. directorij*; ibi. *Quantum verò attinet ad textum in cap. Vergentis, de hæreticis, quo vtitur iste Heimericus ad hanc suam opinionem stabiliendam: Is quidem optimè probat posse Inquisitores, vel alios ad quos pertinet bona hæreticorum confiscare, illa hæreticis pœnitentibus & reuertentibus condonare.* Per hanc autem nostram dispositionem nunquam bona semel confiscata ad ipsum hæreticum reuertuntur; quinimo ipse manet eis in perpetuum priuatus, quantumuis Ecclesiæ post condemnationem reconcilietur.

Tertiò probatur; quia per hanc dispositionem ad praxim reductam innumerabiles vtilitates hiis regnis sequentur; nimirum quòd thesaurus Regius cum suis reditibus crescceret, commercia augerentur, pecunia non transiret ad extraneos, vires & arma hostium confinantium minuerentur: eò quòd bona cuncta horum hominum dictæ nationis, quæ in extranea Regna, timentes ne per Tribunal Sanctæ Inquisitionis confiscarentur, deportarunt, ad nostra redirent. In tantæ autem vtilitatis considerationem diximus supra ex Tiraquello, mitigandas esse pœnas legis: quod etiam testatur Rex Alfonsus in *leg. 8. titulo 25. partita 7.* loquens de his qui de Christianis efficiuntur Mauri, ait. *Trabaxaria de facer algun grande seruicio a los Christianos, que se tornaria en gran pro de la tierra, e por ende los que trauaxassen de facer tal bien como esse sobredicho, no finquen sin galardon*, & ibi, *le sea por ende perdonada la pœna del infamamiento, y no pierdan sus bienes.* Ex quo sequitur, quod multò melius merentur huiusmodi indulgentiam illi, qui iam sunt intra Ecclesiam & reducuntur ad veram fidem, ex quorum conuersione sequuntur vtilitates recensitæ: & quidem pro vtilitate publica conuenientem valde fore pœnarum mitigationem, docent Tiraquellus *vbi supra* relatus *causa 45. & 48* argumento *cap. vltimi, qui filij sint legitimi*, & *cap. vltimi de diuortiis*: & Lucas de Peña super *leg. 1. Cod. de desertoribus lib. 12.*

Hinc colligo † Regem Catholicum ad 18
concessionem huius indulgentiæ & commutationis pœnitentiarum in pœnam pecuniariam pro culpis hucusque commissis ab hominibus nationis, neutiquam Bulla, aut expressa concessione Summi Pontificis indigere. Hoc corollarium suadetur ex illa regula;

frustra precibus impetratur, quod est in postulantis potestate. Atqui Rex Catholicus hoc habet in sua potestate, quoniam eam facultatem tribuunt illi Iura: Ciuile quidem *in legibus Partitarum* citatis: Canonicum verò in *decretis* præallegatis. Nam in *cap. ad abolendam*, ibi. *Nisi abiurata hæresi, &c.* dicitur non esse relaxandum illum hæreticum, qui abiurata hæresi confestim ad fidem orthodoxam confugerit; in *cap. Vergentis, de hæreticis*, consulitur Iudici, vt misereatur eorum, qui ad cor reuertentes, abnegant hæreticorum consortium: & in *cap. vt commissi, eodem tit. in 6.* Bonifacius VIII. impartitur facultatem Inquisitoribus mitigandi, vel mutandi pœnas detentis in carceribus, cùm viderint expedire. Nec semper in eos, qui peccant etiam contra fidem, esse vindicandum, constat ex Canone *quod Christus*, & Canone *ipsa pietas*, in decreto superius relatis. Quod amplius confirmatur ex eo, quòd si aliqua ratione id non posset Rex Catholicus, ea esset, quod pœnæ hæreticis debitæ sunt consignatæ per leges Ecclesiasticas, tum iuris Canonici communis; tum per constitutiones particulares inquisitionis Hispaniæ Bullis Pontificiis confirmatas: super quas Princeps laicus nullam habet authoritatem, sed etiam per easdem leges Ecclesiasticas, nedum ciuiles, præallegatas, datur facultas Inquisitoribus priuatis mitigandi & commutandi huiusmodi pœnas hæreticis, cùm viderint expedire. Igitur Rex Catholicus, licet non se solo, aut per se immediatè; bene tamen mediante iudicio ipsorum Inquisitorum, & præcipuè Generalis Inquisitoris, poterit dictam facere mitigationem & commutationem. Quod si in eo indulto quod concessit Rex Philippus III. anno 605. interuenit Bulla aut concessio Pontificia, quod mihi est incertum, similem poterit Rex Catholicus nunc impetrare, etsi non vt simpliciter necessariam, saltem ad melius esse, atque ad maiorem conscientiæ securitatem.

Vtrum autem liceat aut expediat cætera Capitula admittere, & ad praxim reducere, quæ Carolo V, Imperatori in comitiis Valisoletanis per non paucos Prælatos, ac viros doctos in Theologia, & in vtroque. Iure, vt ipse Imperator fatetur in sua Regia schedula ad hunc finem responsiua, in ordine ad temperandum rigorem, & modum procedendi in futurum Sanctæ inquisitionis Hispaniæ, circa incarceratos, circa testium depositionem, circa Iudicum ætatem & qualitatem, circa reorum compurgationes, atque aliarum pœnatum executionem? alius iudicet: interim suspendo Iudicium quoadvsque materia adeò grauis maturo consilio tractatur, quod existimo conuenientissimum fore: & tunc si spiritus adhuc rexerit artus, proprium proferemus iudicium.

DISPVTATIO III.

De sortium nequam vsu quandoque honesto, & cum quibus conditionibus, in sex paragraphos diuisa.

§. I.

Vnde sors dicta fuerit, quid sit, & qui authores de illa tractent?

SVMMARIVM.

1 *Sors vnde dicta, & pro quare sumitur: Eadem olim* Phur *dicta*, ibidem.
2 *Referuntur nominis Latini* Sors, *variæ significationes.*
3 *Sors in quo sensu in præsenti disputatione accipitur.*
4 *Referuntur prophani & Sacri Authores, qui de sortibus in stricta significatione accepti tractant.*
5 *Ex quibus plures colliguntur sortis diffinitiones, verbis quidem diuersæ, sensu autem consentientes.*

1 SORTEM † à serie dictam secundum Varronem, & sumi pro fortuito alicuius rei euentu, fortuna & casu, notat Ambrosius Calepinus. V. *sors.* Olim dictam *phur*, colligimus ex Esther *cap. 9.* vbi de die decima tertia mensis Adar sorte destinata occisioni Iudæorum, per eorum infestum hostem Aman, dicitur; *& misit Phur, quod nostra lingua vertitur, in sortem*: quod nomen nec Persicum, nec Susianum esse, sed Hæbræũ, planè constat ex eiusdem libri Esther *cap. 3.* ibi: *Mense primo, cuius vocabulum est Nisan, anno duodecimo Regni Assueri, missa est sors in vrnam, quæ Hebraicè dicitur Phur, coram Aman, quo die & quo mense gens Iudæorum deberet interfici; & exiuit mensis duodecimus, cui vocatur Adar.* Quare minus cautè Delrius *lib. 4. Magicarum disquisitionum c. 2. q. 7. section. 3.* id in Hieronymi reducit authoritatem, quod in sacro Canone est expressum. Inde Hebræis festum Phurim fuit perpetuo ritu institutum, eo ipso die, quo mutata fortuna, eorum occisio in Persarum necem ab Assuero fuerit commutata: *Atque ex illo tempore* (subditur in eodem *cap. 9.* Estheris) *dies isti appellati sunt Phurim, idest sortium, eò quòd Phur, idest sors in vrnam missa fuerit.* Congruitque nomen *Phur* cum re significata, ab effectu labendi, siue cadendi; nam significat idem quod labi seu cadere: ac proinde sortibus adaptatur, quæ in vrnam coniectæ labuntur.

Varias † huius nominis Latini, *sors*, significationes idem Ambrosius recensèt: accipitur 2

namque

namque frequenter pro prima & Capitali pecunia, quæ in societatem confertur, vt inde lucrum fiat; vnde *consortes* dicti, qui sortes contulerunt, & qui vnam rem habent inter se communem. Sic Terentius *in Adelph. Hei mihi etiam de sorte nunc venio in dubium* : hoc est de pretio quo empta fuerat fidicina. Vsurarius quoque à Theologis & Iurisperitis vocatur, qui aliquid vltra sortem mutuatam, sine iusto titulo accipit à mutuatario. Significat insuper apud Virgilium *lib.* 3. *Æneidos* fatalem necessitatem : *hic exitus illum sorte tulit:* & *lib.* 6. significat apud eundem, idem quod iudicium; *hæ sine sorte datæ, sine Iudice sedes* : eò quòd Iudices Romani dies pro audiendis causis sortiebantur. Accipitur quoque pro oraculo seu responso Sacerdotibus à Diis dato. Apud Valerium *lib.* 1. *Legati ad Delphicum oraculum missi, retulerunt præcipi sortibus, vt aquam eius lacus emissam per agros diffunderent.* Accipitúrque quandoque pro genealogia & progenie, vt apud Ouidium *lib.* 6. *Fastorum.*

Si genus aspicitur, Saturnum prima parentem
Feci: Saturni sors ego prima fui.

Verumtamen specialiori modo & vsitatiori, accipitur pro inquisitione fortunæ siue Diuinæ prouidentiæ, de aliquo contingenti & humano euentu; vel pro signo dato, per quod distinguantur res confusæ ab inuicem. In qua † acceptione in præsenti disputatione nomen fortis vsurpamus. Sic Cicero *lib.* 2. *de diuination.* Dicendum igitur putas de sortibus? Quid enim sors est? idem propemodum, quod micare, quod talos iacere, quod tesseras. Quibus in rebus temeritas & casus, non ratio, neque consilium valet. Tota res est inuenta fallaciis, aut ad quæstum, aut ad superstitionem, aut ad errorem. Et *lib.* 1. *ad Atticum* subdit in eandem considerationem, *Senatus decreuit vt Consules Galliam sortirentur* : & iterum, *Prætores nondum sortiti sunt prouincias.* Consonant Plautus *in Asin* : *Si nihil impetrare potero, saltem sortiar, &c. Ego sic agam: coniiciam sortes in situellam* (id est in vrnam) *& sortiar tibi & Chalino.* Virgilius 3. *Aeneidos.* ibi.

Sternimur optatæ gremio telluris ad vndam,
Sortiti remos.

Id est remos sigillatim & ordinatè sorte partitos accepimus ad remigandum : & *lib.* 8. ibi. *pariterque laborem sortiti*, id est functiones quasdam laboriosas sorte diuisas suscipientes. Hinc enim deriuatum fuisse nomen sortis, ad significandum munus siue officium cuipiam incumbens, patet ex illo Titi Liuij. *Sancitum esse à Patribus, vt finito bello Magistratus ad comitia Romam redirent: si id facere grauarentur, quod non suæ sortis id negotium esset, se quidem id facturum, quod Senatus censuisset.* Sic potest non incongruè intelligi (etsi ad sortem propriè dictam referant plures Patres) illud quod *Luc.* 1. de Zacharia Sacerdotio ordine vicis suæ ante Dei altare fungente. *Sorte exiit vt incensum poneret ingressus in templum Domini*, id est ex consuetudine & obligatione sui muneris exiit, ad ponendum incensum in templum Domini.

De † sortibus itaque in hac stricta significatione acceptis tractant prophani & Sacri Authores. Ex prophanis, Cicero & Virgilius in *locis iam citatis*, Homerus *Iliade* 8. *in Galeam*, Tacitus *lib.* 5. *de moribus Germanorum*, Asconius Sigonius *lib* 2. *de Iudic. cap.* 12. Iunius Hornanus *lib.* 2. *Animadu. c.* 5. & Cœlius Rodiginius *lib.* 7. *antiquarum lection. cap.* 19. Ex Sacris autem Parens Augustinus super *Psalm.* 30. in illum versum. *In manibus tuis sortes meæ* : & *Psalmo* 67. super illud; *inter medios Cleros*, id est sortes; *Epistola* 180. & *lib.* 1. *de doctrina Christiana cap.* 18. Gregorius Magnus *lib.* 5. *in* 1. *Reg. cap.* 14. *& lib.* 9. *Epistolarum cap.* 47. Isidorus *lib.* 8. *etymologiarum cap.* 9. Beda super *c.* 1. *Actorum*, & Gratianus *in decretis causa* 26. *q.* 1. 2. *&* 5. Angelicus Doctor pluribus in locis, videlicet *quodlibeto* 12. *art.* 35. Contra gentes *c.* 154. *Opusculo* 73. *c.* 8. *ad Ephes.* 1. *lection.* 4. *ad Colossen.* 1. *lect.* 3. sed speciatim elegans opusculum edidit de hoc argumento, per quinque capita diuisum, quod prosecutus est 22. *q.* 95. *art.* 3. & 8. Caietanus *in vtriusque articuli commentario*; & *in summa.* V. *sors & sortilegium.* Cæsarius Cistercienſis ordinis Sancti Bernardi contemporaneus *lib.* 8. *miraculorum c.* 56. Martinus del Rio *lib.* 4. *disquisitionum Magicarum c.* 2. *q.* 7. *section.* 3. *& c.* 4. *q.* 1. *&* 2. & Magister Torre *tom.* 2. *de religione q.* 95. *art.* 8. per quatuor disputationes, cum aliis recentioribus. 4

E † quibus plures colliguntur sortis diffinitiones, verbis quidem diuersæ, sensu autem consentientes. v.g. *Sors est*, (ait D. Thomas in locis citatis *ad Ephes. & ad Colossen.*) *cùm aliquid fit, vt considerato eius euentu aliquid innotescat*; aut est, *exquisitio diuinæ prouidentiæ de aliquo contingenti & humano*; aut etiam, *est committere aliquid diuino Iudicio.* Ex dicto autem *opusculo* 25. *& art.* 8. *quæstion.* 95. depromitur hæc exactior diffinitio. *Sors est inquisitio occulti excedentis humanam industriam per aliquid à nobis factum de rebus humanis ad nos pertinentibus, vel habendis, vel vtendis, vel cognoscendis.* His consonat alia diffinitio seu descriptio assignata à Magno Gregorio in loco citato *super lib.* 1. *Regum.* Videlicet, *qui sortes mittunt per visibilium rerum coniecturas latentia sæpe deprehendunt.* Sic Ionathæ comestio melis contra Saulis mandatũ, sorte fuit deprehẽsa. Sic Mathias ad Apostolatũ sorte fuit ascitus: ex quo Gregorius moralitatũ prosequutor, ad spirituales sortes ascẽdit, dicens. *Sortes ergo spirituales ponimus, quando per exteriora signa operum, ad occultiorum notitiam peruenimus : sors enim est vnius cuiusque propria conuersatio.* In quo sensu reprobi *Sapientiæ* 2. inuitantes se ad fruendum sensualibus voluptatibus, dixerunt. *Quoniam hæc est pars nostra, & hæc est sors nostra*, id est conuersatio; & Paulus ad *Philipen.* 3. *Nostra conuersatio in cœlis est*; id est occupatio : quæ acceptio coincidit cum illa, qua diximus, sortem quandoque sumi pro munere, & officio, occupatione, cui aliquis est destinatus. Consonat quoque alia diffinitio, quam D. Thomas adducit in quodlibeto prælegato, dicens. *Sors propriè est indicium, quod exquiritur ex aliquo ab homine facto, ad inquirendum occultum.* Quibus prænotatis videndum est quotuplex sit sortium modus ac differentia. 5

§. II.

Quotuplex sit sortium vsus ac modus?

SVMMARVM.

1 *Sortes tripliciter diuiduntur.*
2 *Sors est vna ex tribus speciebus subalternis Manganiæ, siue artis diuinatoriæ.*
3 *Impugnatur Delrius, ponendo tres tantùm species Manganiæ siue diuinationis; Aruspicium scilicet, Augurium & sortes.*
4 *Distinguuntur duo pacta cum Dæmone inita, explicitum videlicet & implicitum.*
5 *Explicitum pactum conuenit dupliciter.*
6 *Diuinatio Regis Babiloniæ in biuio per commixtionem sagittarum, siue in altum proiectarum, haruspicinam diuinationem admiscuit.*
7 *Sors est quadruplex ex parte causæ.*
8 *Modus sortium ex parte materiæ est multiplex; vsitatiores recensentur* ibid.
9 *Referuntur Authores, qui de differentiis sortium tractant.*
10 *Ex parte finis sors diuiditur in diuisoriam consultoriam & diuinatoriam.*
11 *Vtrum hæ diuisiones sint essentiales?*
12 *Tertia diuisio sortis ex parte finis desumpta, est essentialis & adæquata in genere sortis.*

1 SOrtes † tripliciter diuidere contingit, quia ex triplici capite possunt diuidi: nimirum aut ex parte causæ à qua expectatur occulti euentus productio & manifestatio: aut exparte materiæ, ex qua fiunt sortes: aut ex parte finis, ad quem sortitio ordinatur. Et quidem ex primo capite, quatuor esse constat sortium species ex D. Thoma *in dicto opusculo 25. c. 3. & art. 8.* citato, ex *quæst. 93.* nimirum illam, in qua euentus sortium expectatur ex astrorum situ aut motu, & illam in qua ex sola fortuna expectatur euentus, nec non eam in qua expectatur à Dæmone: atque illam in qua expectatur à Deo immediatè consiliante seu reuelante. Ab his namque causis dumtaxat potest effectus sortium expectari. Pro cuius declaratione scire
2 oportet † sortes esse vnam ex tribus speciebus subalternis Manganiæ, siue artis diuinatoriæ; vt testatur idem D. Thomas *q. 95.* præallegata *art. 3.* ad calcem corporis, vbi recensens species ac modos omnes artis diuinatoriæ & Manganiæ, sic concludit. *Sic ergo patet triplex diuinationis genus, quorum primum est per manifestam Dæmonum inuocationem, quod pertinet ad nigromanticos. Secundum autem est per solam considerationem dispositionis alterius rei quod pertinet ad Augures. Tertium est, dum facimus aliquid vt nobis manifestetur aliquid occultum, quod pertinet ad sortes. Sub quolibet autem horum multa continentur: vt patet ex dictis*, puta in discursu articuli. Et quamuis sortes ad illud genus diuinationis reducantur ab Angelico Doctore, in quo non est pactum explicitum cum Dæmone, nisi tantùm latens & implicitum: nihilominus id intelligendum est per se loquendo, & quantum ex natura sortium; nam per accidens & ex intentione sortientium, posse in illis explicitam Dæmonis inuocationem admisceri, idem D. Thomas testatur, in dicto *art. 8.* dicens: Si verò ex spirituali causa expectetur sortium iudicium quandoque quidem expectatur ex Dæmonibus; sicut legitur *Ezech. 21.* quòd Rex Babilonis stetit in biuio in capite duarum viarum, diuinationem quærens, commiscens sagittas interrogauit idola, exta consuluit. Ecce in sortis diuisoriæ vsu miscuit iste Rex idolorum inuocationem, & Aruspicium per consultationem Dæmonum in visceribus animalium occisorum, vt inquireret quam viam aggrederetur, ducentem ad Hierosolymam, aut ducentem in Rabbat ciuitatem Ammonitarum: & cùm sagitta caderet ad dexteram viam, quæ ducebat in Hierosolyman, & simul facta est diuinatio super illam, id est responsum accepit, vt Hierosolymã obsideret: & in dicto *opusculo 25. c. 3.* concludit, quod hoc tertium genus inquirendi occulta, scilicet per sortes, solet commisceri alicui prædictorum generum, quandoque propheticæ consultationi, sicut patet in facto Gedeonis, qui per vellus extensum in aëra, exquisiuit rorem in signum futuræ victoriæ, *Iudicum 6.* quandoque verò permiscetur necromanticæ inspectioni, aut aruspicio, aut augurio, &c. E quibus plura pactum cum Dæmone explicitum inuoluunt, quod † Delrium plane la- 3
tuit: nam *in dicta q. 7. section. 1.* à sortibus omnino explicitum pactum excludit; & recensens species eius Manganiæ siue diuinationis, in qua non inuenitur explicitum pactum, nisi ad summum latens & implicitum, ponit tres tantùm, nimirum Aruspicium, Augurium, & sortes. In qua enumeratione alio errore cæcutiuit, dum Aruspicium, & Augurium in genere illius Manganiæ collocat, quæ explicito Dæmonum pacto non innititur, nisi implicito dumtaxat, quod proculdubio manifestus est error apud Manganiæ peritos. Tum quoniam D. Thomas in dicto *cap. 3. sui opusculi de sortibus*, & *art. 3. citato*, inter species diuinationis per expressam Dæmoniaci auxilij, vel consilij implorationem, numerat præstigium, necromantiam, quæ diuinat per corpora mortua Pythonicam, quæ futura prænoscere conatur per homines viuos. Hydromantiam, quæ per aquam, Pyromantiam, quæ per ignem, & Auruspicium, quæ in visceribus animalium immolatorum Idolis futura prænuntiat. Tum etiam, quoniam Isidorus *lib. 8. Etymologiarum cap. 9.* ariolationem quæ eadem est cum Aruspicio diffiniens, ait; Ariolos sic vocatos, *propterea quod circa aras idolorum nefarias preces emittunt, & funestra sacrificia offerunt, iisque celebritatibus Dæmonum responsa accipiunt.* Haruspicium enim dicitur à veteri vocabulo *Haruga*, quod hostiam significat. Vnde huiusmodi ariolationem siue Haruspicium solitum fieri per explicitam Dæmonis inuocationem, in animalibus occisis eis litatis, sicut & cum expressa idololatria, testantur cum Isidoro; Rabanus *lib. 2. de Magor. præstig. c. 1.* Gratianus, Iuo, & Burchardus, qui in decretum, *26. q. 3.* id retulerunt.

Tum denique argumento ad hominem probatur contra ipsum Martinum de fluuio, qui in eodem *cap. 2. q. 5.* præmiserat, † distinguens duo 4
pacta, cum Dæmone inita, videlicet explicitum & implicitum siue tacitum, quæ teste Augustino

lib. 2.

lib.2.de doctrina Christiana cap.22. & D.Thoma *q. citata 95. artic. 2.* sunt omnis diuinationis fundamentum ; ait , implicitum esse, quando quis exquirit cognitionem soli Deo reseruatam, aliunde quàm ex Deo , hoc est per media indebita , & ad id minimè à diuina prouidentia instituta,nam Dæmon se ingerere solet huiusmodi vanis inquisitionibus occultorum , vt homines implicet vanitate. Vnde qui hiis vanis obseruationibus & insaniis falsis intendit, eo ipso vult à Dæmone edoceri,& cum illo pactum tacitum contrahit : Explicitum autem † contingere dupliciter; aut quando quis conceptis & expressis verbis Dæmonis auxilium implorat, vti faciunt incantatores,& Necromantici seu Magi , qui coniurant per quasdam formulas à Dæmone institutas : aut facto ipso, nimirum quando quis facit aliquid, quod scit dæmonem pro signo siue tessera suæ opis & efficientiæ constituisse. Cùm ergo in haruspicio diuinationem quærens animalium occisorum,quæ Dæmonibus seu idolis litantur, viscera obseruet,vt inde occulta prænoscat,quod factum Dæmon in signum suæ opis instituisse, citra dubium sit; pariter citra dubium quoque est, hunc diuinationis modum pacto explicito Dæmonis inniti,non illi,quod expressis verbis celebratur,sed alteri,quod in facto cui Dæmon se ingerit scienter, hoc est , sciente, & consentiente diuinatore consistit , cuius oppositum contingit in pacto implicito;nam istud inuenitur teste D.Thoma *vbi supra*, quando quis vanis obseruationibus vtitur ad occultorum notitiam habendam , quibus præter eius intentionem se ingerit Dæmon : non ergo debuit hic author haruspicium speciebus diuinationis soli pacto implicito innitentis,annumerare.

Quibus adde, quod illa † diuinatio , quam Rex Babiloniæ assumpsit in biuio per commixtionem sagittarum siue in altum proiectarum, vt in quam partem caderet,versus eam exercitus iret, vt volunt Rabbini,& Paraphrastes Chaldæus;siue in pharetram immissarum,vt educta inde prima partem versus quam iret exercitus, indicaret, vt vult Hieronymus , haruspicinam diuinationem admiscuit , quia Rex exta, id est animalium occisorum præcordia & viscera consuluisse dicitur; & eo ipso fuisse factam per explicitam Dæmonum inuocationem , asserit Angelicus Doctor in dicto *articul. 3.* Quid si idola non interrogaret , aut exta consuleret ? adhuc facto ipso idolis cultum exhibendo , & victimarum exta inspiciendo, pactum explicitum secundi generis cum Dæmone iniret.

Cùm igitur sortientes possint exquirere occultum aliquid humanam industriam excedens, ex astris siue cælorum motu , aut dispositione, vel ex fortuna quæ sunt causæ corporales:vel ex spirituali causa,quæ est Dæmon,vel ex Deo: & non sint aliæ causæ corporales siue spirituales , à quibus possit exquiri occultorum euentuum notitia ; sub Deo namque Angeli electi qui eius obtemperant motui , comprehenduntur : Consequens est † quadruplicem dumtaxat esse sortem ex parte causæ,quarum prima potest vocari astronomica, secunda fortuita,tertia Dæmoniaca & superstitiosa, & quarta diuina, siue religiosa.

Ex † parte verò materiæ, ac rerum quibus sortientes vtuntur ad occulti inquisitionem, est multiplex modus sortium ; & quidem magis, quàm possit numero comprehendi , quia prope infinitæ sunt res,quibus sortes mitti possunt: sed vsitatiores sufficiat recensere. Aliquando enim sors fit per virgas absconditas in vrnam, qualis fuit facta pro declarando Sacerdotio in tribu Leui, *Numerorum 17.* aliquando per virgas vel sagittas proiectas in altum , qualis fuit Regi Chaldæi *vbi supra*. Aliæ sortes fiunt per schedulas cum nominibus inscriptis sortientium, missas in sinum, de quibus *Prouerbiorum 16.* dicitur. *Sortes mittuntur in sinum.* Vel in vrnam , aut vas aliquod , quo genere sortium vtpote frequentiori & faciliori,vtuntur Collegia ad Rectoris nominationem & Magistratus ciuitatum, ad sortienda officia procuratorum, qui comitiis Regni adesse debent; & per huiusmodi sorticionem , certæ pecuniæ quantitates quas homines pij testamento relinquunt in dotem virginum orphanarum diuidendas , eis quibus sors obtingit,consignantur. Aliquando eiiciũtur sortes taxillis, vel fabis albis & nigris, aut etiam festucis inæqualibus , aut litteris Alphabeti,aut calculis aureis siue argenteis,prout est in cuiusque prouinciæ aut Reipublicæ more.De quibus † differentiis luculenter egerunt Cælius Rodiginius *lib.7. antiquar. lection. c.19.* Petrus Gregorius *in titulum de election.c.3.* & *in syntagm.iuris lib.34.c.5.* Martinus de Fluuio *in dicto lib.4.cap.2.q.7.section.3.* & Turrianus in explicatione litteræ textus *dicti articuli 8. quæstionis 95.* Quibus annumerandas esse censeo tres differentias ludorum,qui in sortibus diuisortiis consistunt , & valde in Europa sunt vsitati , nimirum ludus chartarum , & ludus taxillorum siue alearum , & ludus loteriæ , qui vulgo dicitur *Rifar* , quibusuis fiat instrumentis.

Tandem ex † parte finis diuiditur sors in diuisoriam,consultoriam & diuinatoriam.Nam vt constat ex eius diffinitione ; aut sors est de rebus habendis, aut de agendis , aut de rebus cognoscendis:hoc est,aut ordinatur ad habendam aliquam rem,& tunc est sors diuisoria,aut ad vtendum re iam habita , siue ad aliquid agendum,& sic est consultoria,quia sors succedit loco consilij;aut ordinatur per se primò ad aliquid occultum cognoscẽdum siue præteritũ, siue futurum,siue absens;& hæc dicitur sors diuinatoria.Rogabis†an istæ diuisiones sint essentiales?Respondeo nihil incõuenire, eas omnes essentiales esse:quod enim in rebus respectiuis quales sunt humani actus , idem diuisum pluribus diuisionibus essentialibus diuidatur iuxta diuersos respectus,ad diuersa principia nullum est inconueniens : ergo neque inconuenit sorticionem,quæ est humanus actus plures admittere diuisiones essentiales. Vnam per respectum ad causas manifestatiuas occulti quod inquiritur ; aliam per respectum ad instrumenta, mediis quibus fit inquisitio occulti : & aliam per respectum ad finem , à quo humani actus speciem sumunt;maximè cùm D.Thomas *in dicto art.3.q.95.ad 2. & ad 3.* dicat, species Geomantiæ siue Manganiæ essentialiter in eo genere differre : eò quòd diuersificantur per varia instrumenta, quæ non assumuntur solùm vt signa, sed potius vt principia manifestandi rem occultam:

occultam : diuersitas autem principiorum refunditur in obiecta, vt patet in demonstrationibus scientificis, quarum distincta principia & media, obiecta quoque ac scientias diuersificant.

Verùm mihi magis arridet opposita sententia, iuxta quam dicito † tertiam diuisionem ex parte finis desumptam, esse essentialem & adæquatam in genere sortis, quod de se est indifferens ad bonum & ad malum morale vt *infra* ostendam. Duas autem priores accidentales esse sorti, etsi prima in genere moris, & secunda in genere ludi vel ludricæ actionis possit dici essentialis. Explico singula dicta. Accidit quidem sorti, quod eiiciatur hac aut illa intentione, inquirendi occultum ex hac aut illa causa : finis namque operantis non diuersificat essentialiter humanum actum, nisi finis ipsius operis. Rursus accidit sorti vti hiis aut illis rebus, siue instrumentis siue signis ad rem habendam, hæc enim est materialis diuersitas respectu sortis diuisoriæ ; & idem erit respectu sortis consultoriæ, aut diuinatoriæ, vti hiis aut illis rebus, ad vtendum re habita, vel ad capiendam notitiam euentus occulti. Et ideo accidentales sunt generi sortis prima & secunda diuisio. Si autem consideretur sors in genere moris, scilicet actus boni aut mali moralis determinatè, erit ei essentialis prima diuisio, sicut eidem vt ludrica actio est, erit essentialis secunda diuisio. Exemplum habes in animali, quod accidentaliter diuiditur per album & nigrum ; quæ tamen sunt differentiæ essentiales generis colorati : haud dissimiliter sortitio quæ de se est actus humanus indifferens accidentaliter, diuiditur per ludum chartarum, taxillorum, &c. qui tamen actus essentialiter differunt in genere ludi ; nam ludere chartis, ludere taxillis, aut ludere virgis, siue schedulis in vrnam missis, vel in altum proiectis, diuersi sunt ludi : Hoc nota pro secunda diuisione. Sed pro prima aliud exemplum accipito, nimirum, quod contingit sæpe actum vnius vitij, aut de se indifferentem, & ex obiecto, inducere accidentaliter malitiam alterius ex superueniente circunstantia, vt exire in agrũ, qui de se est actus indifferens, ex fine conuitiandi proximum inducit malitiam conuitij, & si fiat ex fine furandi, vestitur accidentaliter malitia furti ; & occisio Clerici quæ ex obiecto est homicidium, & contra Iustitiam, ex circunstantia personæ fit sacrilegium, contrarium virtuti religionis. Sic sortitio diuisoria vel consultoria, quæ de se & ex obiecto est actus indifferens, si fiat animo diuinandi per astra, vel Dæmonis auxilium, fit sortilega diuinatio, & subinduit accidentaliter malitiam superstitionis contrariæ virtuti religionis.

12

---

§. III.

Quæ sit efficacia sortium ?

SVMMARIVM.

1 *Referuntur duo errores circa efficaciam quam habent sortes ad finem intentum per ipsas.*

2 *Probatur vtrumque errorem esse Catholicæ doctrinæ & fidei contrarium.*

3 *Diuina Prouidentia non imponit omnibus rebus mundi necessitatem.*

4 *Dispositio stellarum nullam habet habitudinem dependentiæ aut connexionis ad effectus casuales.*

5 *Dempta parte Astrologiæ, quæ circa motus & numerum ac proprietates cœlorum eorumque effectus necessarios versatur, reliquæ, quæ sunt tres, sunt illicitæ, vanæ ac superstitiosæ.*

6 *In Astrorum obseruatione tria solent peccata interuenire, quorum primum est quando Astronomus ex astrorum aspectu situ aut influxu, Christianæ fidei mysteria deducit.*

7 *Secundum est quando electiones rerum agendarum aut omittendarum cœlestium corporum dispositioni, vt certæ cuidam causæ & veluti legis decreto subiiciuntur.*

8 *Tertium est quando Planetarij isti iudicant futura libera & purè contingentia ex astris certò posse præsciri.*

9 *Hiis opponit Caietanus, asserens vno ex tribus modis posse quempiam expectare effectum sortium à cœlorum influxu & causalitate.*

10 *Primus modus Caietani respuitur propter duo.*

11 *Reiectis duobus erroribus istis probantur duæ sententiæ Catholicorum ; quorum Prima asserit actus sortiales certò & infallibiliter euentum inquisitum indicare, non ex astris aut eorum necessitate fatali, &c. sed ex sola Dei prouidentia ratione pacti, quod pepigit cum hominibus sortientibus.*

12 *Secunda sententia huic opposita negat omnem sortibus efficaciam, quæ quia a Doctoribus est communiter recepta, pro conclusione statuitur, & duabus assertionibus expenditur.*

13 *Actus sortiales neque secundum se, neque ex astrorum dispositione, &c. habent vllam efficaciam causalitatis, & certitudinem signi respectu effectus.*

14 *Expectare cognitionem futurorum ex cœlorum impressione est illicita & superstitiosa diuinatio.*

15 *Omne signum corporale & naturale, aut est effectus aut coëffectus ab eadem causa, cuius quod significat.*

16 *Actus sortiales quando fiunt ex Dei iussu vel ex illius explicita aut implicita reuelatione, semper habent certam significationem rei occultæ quæ per sortes inquiritur.*

17 *Quæ conclusio procedit, præsertim de sortibus consultoriis ac diuinatoriis.*

18 *Dæmon multa occulta nedum præterita sed etiam futura certò cognoscit quæ homines latent.*

19 *Respondetur argumentis pro contraria opinione supra adductis.*

His prænotatis circa diffinitionem ac diuisionem sortium, iam operæ pretium est examinare, quam habeant † efficaciam ad finem intentum per ipsas, in qua disputatione sunt duo errores, ac duæ quoque Catholicorum sententiæ. Primus error fuit Epicureorum auferentium diuinam prouidentiam, eò quòd existimabant

existimabant omnes effectus sublunares casu & fortuitò euenire; ac per consequens nullam inesse sortibus efficaciam, sed earum inquisitionem inutilem ac vanam penitus esse.

Secundus est aliorum, asserentium actus sortiales habere efficaciam ex astrorum & cœlestium corporum influentia, vt euentus occulti & futuri intenti per sortes necessariò fiant & infallibiliter pandantur: de quorum numero fuere Algacelis relatus *in 2. parte directorij Inquisitorum, q. 2.* & Priscilianus; qui syderum influentiæ, & fati necessitati omnia subdebant: eò quòd existimant tam ipsos sortiales actus, quàm euentus futuros, syderum ac cœlorum necessitati subdi. Cuius opinionis sunt Astrologi, quos Genethliacos & planetarios vocant, qui tribuentes astris & cœlestibus corporibus influentiam & causalitatem supra omnes huiusmodi effectus, etiam futuros contingentes & casuales, atque ab humano arbitrio pendentes, ex eorum situ, positione & motu, occulta quæuis & futura per astrorum inspectionem audent prænuntiare. Contra quos scripsere D. Thomas *in dicta q. 95. art. 3. & 5.* Picus Mirandulanus in suo *opusculo contra Astrologos in duodecim libros* partito, Benedictus Pererius *toto lib. 3. de Magia*, Martinus Delrio *lib. 4. cap. 3. q. 1.* & ex nostratibus Turrianus in *suo* ad dictum articulum quintum *commentario* per duas disputationes. Hinc inferre ausi sunt isti Planetarij, quod actus sortiales fato & syderibus subiecti, necessitate quadam disponuntur ad euentum illum possidendum, quem sydera indicant, & ad quem suo pondere inclinant, v.g. dum quis de futura victoria quæsiturus per sortes, aut taxillos in mensam proiicit, aut duas schedulas in vrnam mittit, in quarum altera nomen victoriæ, & in altera fugæ nomen inscribit. Si tot puncta proiicit, v.g. paria, quæ sibi victoriam portendunt, aut schedulam victoriæ educit, aiunt isti Astronomiæ vanæ cultores, taxillos ea puncta ostendere, quæ cœlesti dispositioni ad victoriam inclinanti correspondent: & manum adducentis schedulam victoriæ, à syderibus moueri ad illam schedulam educendam, quæ victoriam portendit, dispositioni eorundem syderum correspondentem: & hoc fatali quadam necessitate, qua etiam ex hominis voce repente prolata, futurum euentum ominantur: vt Mediolanenses ex voce pueri repente clamantis Ambrosium Episcopum, illum à Magistrali præfectura ad Episcopalem euexerunt; & Lusitani ex voce puerulæ in cunabulo iacentis, & proclamantis Ioannem Magistrum de Auis in Regem Portugalliæ, eum ad Regium solium euexerunt, quasi fatali moti necessitate; qua etiam vulgares homines, dum quis alteri repente & indeliberatè honorem Episcopo debitum impendit, & titulo dominationis interpellat, dicunt audacter eum certò fore Episcopum, quia astra ad eam vocem hominem salutantem interpellentia, Episcopalem dignitatem indicant in salutato.

2 Sed † vtrumque errorem esse Catholicæ doctrinæ & fidei contrarium, probatur. De primo quidem, patet tum exemplis Sacræ scripturæ; nam *Iosue 7.* Achor furti de anathemate reus, sorte sanctè & laudabiliter deprehensus est; Saul quoque *1. Regum 14.* sorte deprehendit Ionatham filium suum mel comedisse cótra ipsius Regis edictum. Ionas etiam cùm à facie Dei fugeret, à nautis sorte deprehensus, in mare proiectus, & à cete absorptus est. Zacharias quoq; Sacerdos legitur *Luc. 1.* quod sorte exiit, vt incensum poneret; & Mathias à D. Petro, vt legitur *Actorum 1.* sorte in Apostolatum & Iudæ successorem est electus. *Quod ergo* (concludit Gratianus *in decretorum 2. parte 26. q. 2. canon. 1.*) *tantorum exemplis probatur, patet malum non esse*, ac proinde neque inutile aut vanum. Fauent quoque exempla hominum prudentium ac timoratæ conscientiæ, qui rerum diuisionem, & ligatorum applicationem pro dotandis puellis, sortibus laudabiliter, & cum approbatione Ecclesiasticorum Antistitum, committunt. Tum etiam autoritate Parentis Augustini dicentis super *Psalmo 30.* ad illum versum; *In manibus tuis sortes meæ*, sors non est aliquid mali, sed res in humana dubietate diuinam indicans voluntatem. Tum denique, quia iste error vt efficaciam sortibus neget, diuinam tollit prouidentiam, & cunctos euentus casuales facit, & in vtroque contrariari fidei Catholicæ probat D. Thomas *1. p. q. 22. art. 1.* & noster commentarius ad *articulum 1. quæstionis 23.*

De secundo autem, qui vt sortibus efficaciam tribuat, omnia ineuitabili fato, & syderum necessitati subiicit, quod etiam esse dogmatibus fidei contrarium, patet: quoniam vnico ictu à Deo prouidentiam tollit, humani arbitrij libertatem subuertit, & diuinationem approbat superstitiosam ac damnabilem per astrorum inspectionem; funiculum triplicem ex his tribus malis contexens, qui tamen facili negotio rumpetur à nobis, singula eius fila enodando. Tollit inprimis † Diuinam prouidentiam, quæ non om- 3
nibus rebus mundi imponit necessitatem, nisi dumtaxat illis quæ à causis necessitate naturæ operantibus proueniunt, in contingẽtibus contingentiam, & in liberis libertatem seruat illæsam, vt ostendit D. Thomas *in dicta q. 22. de prouidentia, art. 4.* Subuertit quoque humani arbitrij libertatem, quam naturæ & fidei lumen adstruit, quia huiusmodi libertas & indifferentia ad bene & malè operandum, ad operandum, & non operandum, non compatitur cum fatali necessitate, & ineuitabili determinatione ad vnum, cum qua dictus error contendit humanos actus à syderibus prouenire. Denique approbat diuinationem per astra; vt ex eorum situ, motu ac dispositione inspectis, occultos & futuros quoscumque euentus, vt certos & ineuitabiles Planetarius & sortilegus prænuntient. Hanc autem diuinationis speciem esse damnabilem ostendit D. Thomas *in dicta q. 95. art. 3. & 5.* eò quòd
† dispositio stellarum nullam habet habitudi- 4
nem dependentiæ aut connexionis ad effectus casuales, siue per accidens, siue futuros contingentes & liberos. Neque enim est eorum effectus signum naturale, sicut fumus est signum ignis, cuius est proprius effectus, neque est coëffectus cum illis alicuius tertiæ causæ superioris corporalis, quia non est dabilis supra cœlos, sicut Iris significat quandoque serenitatem, quia ambo sunt coëffectus eiusdem causæ, & ideo dum significat causam, ex consequenti significat serenitatem, quæ est eiusdẽ causæ effectus. Omne autẽ signũ corporale (intellige naturale) aut est effectus eius, cuius est effectus, aut est coëffectus ab eadem causa signati procedẽs. Sed neq;

est causa effectuum per accidens, aut liberorum: quia ambo ista genera subtrahuntur causalitati corporum cœlestium; Primum quidem, quia entia per accidens, vt quod homine fodiente sepulchrum inueniatur thesaurus, & quod cadente lapide fiat terræ motus, teste Aristotele *lib. 6. Metha. textu 4.* sicut non sunt vnum, neque ens: ita neque habent vnam causam, naturalem scilicet, qualis est virtus cœlorum, ac proinde neque per illam possunt certò cognosci antequam fiant, quoniam sic se habet vnaquæque res ad cognosci, sicut ad esse. Secundum verò, quia humanum arbitrium quod est facultas voluntatis & rationis siue intellectus, neque est corpus, neque actus organi corporei, sed purè spiritualis, in quam proinde virtus corporea cœlorum influere directè non valet. Vnde si quis consideratione astrorum vtatur ad præcognoscendos, aut cum certitudine prænuntiandos casuales & fortuitos euentus, aut effectus à libero arbitrio dependentes, ex falsa & vana obseruatione procedit, cui Dæmonis operatio se immiscet, & consequenter erit illicita & superstitiosa diuinatio. Hactenus D. Thomas in suo discursu, contra quem obiicies: Effectus per accidens etsi non reducantur in vnam causam naturalem, bene tamen in duas. V. g. quod fluuius repente inundans suffocet boues illuc casu accedentes: Inundatio fluminis habet pro causa Aquarium, & accessus bouium habet pro causa Venerem sydus cœleste. Quarum virtutes vtpote naturales, potest Mathematicus sua naturali scientia penetrare. Respondebis iuxta nostram doctrinam *1. part. quæst. 57. art. 3.* neque Mathematicum, neque Angelum lumine scientiæ naturalis posse scire dispositionem & concursum omnium causarum secundarum, quæ hîc & nunc debent applicari & influere, vt iste effectus per accidens sine impedimento ponatur in esse.

5 Secundò probatur, quia † dempta illa parte Astrologiæ, quæ circa motus & numerum ac proprietates cœlorum, eorúmque effectus necessarios, & immediatos, vt eclypses, stationes, retrogradationes, aspectus, coniunctiones & oppositiones versatur, quæ verè est scientia naturalis; nec non illa parte, quæ ad alios effectus veluti secundarios, scilicet tempestates, serenitatem nauigationi seruiétes, pluuias, siccitates, calorem & frigus agriculturæ conducentes; atque aëris temperiem, anni salubritatem, & similia, pro corporum sanitate extenditur, cuius partis vsum vt licitum excipit Bulla Sixti V. contra Astrologos iudiciarios, quæ incipit *Cœli & terræ creator Deus*: maximè si hos effectus secundi generis, non vt certò nisi tantùm vt regulariter & in plurimum futuros prænuntiet. Reliquæ partes, quæ sunt tres; nimirum prima vocatur natiuitatum, quæ ex horoscopo alicuius hominis coniectat quicquid noxium, vel secúdum sit illi in discursu totius vitæ euenturum. Secunda vocatur electionum quæ ax astris coniectat, quando & quibus locis singula facienda sunt ab homine, vt ei feliciter cedant. Tertia vocatur imaginum sculpendarum, quæ per imagines fabricatas ad similitudinem imaginum cœlestium, v. g. Leonis, Tauri, Arietis, &c. in Zodiaco fixarum, coniectat effectus futuros ab eisdem cœlestibus signis procedentes; sunt prorsus illicitæ, vanæ & superstitiosæ, ac vt tales prohibitæ & damnatæ, maximè si vltra gradum suspicionis, aut formidinis, aut cum hac limitatione, ad hoc astra inclinant: futuros euentus, aut occultas hominis actiones, vt furta, adulteria, V. g. certò coniectat. A qua damnationis censura purgabuntur duæ priores (secus tertia planè præstigiosa) cum aliqua ex dictis limitationibus, si dicat Astronomicus; suspicor, vel timeo hunc puerum talem fore, vel ad hoc illum astra inclinant, vel horoscopus hoc illi portendit. Nam aliàs damnantur iure diuino, *Esaiæ 44.* ibi; *Ego sum Dominus irrita faciens signa diuinorum, &c. & cap. 47. Defeciſti in multitudine cõsiliorum tuorum, stent & saluent te augures cœli qui contemplantur sydera*: & *Ieremiæ 10. à signis cœli nolite metuere, quæ timent gentes; quia leges populorum vanæ sunt.* Damnantur quoque Iure canonico ab Ecclesia in dicta Bulla Sixti V. in decretis 26. *q. 2. & q. 3.* in Concilio I. Bracharensi *c. 9. & 10.* contra Algacelem & Priscilianum: & iure ciuili *leg. 2. Cod. de Malefic. & Mathemat. leg. Mathematicos. Cod. de Episcopis*: damnantur à Sanctis Patribus, & Iuris consultis, quorum testimonia plena manu congerunt Picus Mirandulanus in suo opusculo, & eius nepos patrui libros defendens, Franciscus Picus *lib. 5. de Prænotion.* Martinus Delrio *in dicto c. 3. q. 1.* & Turrianus *tom. 2. q. 95. art. 5. disp. 1.*

Tertiò probatur ex elegantissima doctrina Caietani in Summa V. *Astrorum obseruatio*, dicentis, † in huiusmodi astrorum obseruatione, 6
tria solere peccata interuenire. Primum quidē, quando Astronomus ex astrorum aspectu, vel situ & influxu, Christianæ fidei mysteria deducit, in quem scopulum impegit Petrus Haliacensis, qui diluuium Noë, natiuitatem Christi Domini, religionis ac legum mutationem astrorum influxui & aspectui subiecit. In eundémque errorem lapsi fuere Firmicus, Machiauellus, Paulus Iouius *lib. 13. historiæ*, cum aliis Italis, supernaturalia arcana astrorum disciplinæ subiicientes. Quos tanquam perfidiæ reos, merito confutat Ioannes Picus Mirandulanus Comes *in suo opusculo contra Astrologos lib. 2. c. 5. & lib. 5. cap. 11.* & ratione suadetur. Nam quæ à sola Dei voluntate libera dependent, cuiusmodi sunt Christianæ religionis mysteria, solius quoque Dei reuelatione possunt nobis innotescere, non per syderum cursum aut influxum, quem potest sua potentia absoluta immutare ac impedire: ideoque Christiana, superior dicitur à Regio Vate, pariter cœlo ac terra Psalmo 148. *Confessio eius super cœlum & terram.* Pugnat etiam horum opinio cum duobus testimoniis Christi Domini: altero *Math. 13.* dicentis diem Iudicij esse cunctis hominibus ignotum, etiam ipsi filio Dei incarnato, quia cæteros homines huius diei ignaros siue nescientes facit. *De die autem illo, vel hora nemo scit, neque Angeli in cœlo, neque filius, nisi Pater*: Altero Apostoli Pauli *ad Ephes. 3.* dicentis, mysterium incarnationis & natiuitatis Christi fuisse gentibus ignotum, & solius Dei reuelatione potuisse innotescere, ibi. *Mihi omnium Sanctorum minimo data est gratia hæc, in gentibus Euangelizare inuestigabiles diuitias Christi, & illuminare omnes, quæ sit dispensatio Sacramenti absconditi à seculis in Deo: vt innotescat Principibus & potestatibus in cœlestibus per Ecclesiam multiformis sapientia Dei &c.*

Secundum

7 Secundum † peccatum est, quando electiones rerum agendarum. V.g. quid homini agendum, vel omittendum sit in discursu vitæ, pace belloque, quando itinerandum, quandoque nauigandum, quando lis sit contestanda, prosequendave, vt felicem exitum habeant, cœlestium corporum dispositioni vt certæ cuidam causæ & veluti legis decreto subiiciuntur; hæc enim obseruantiæ & diuinationis norma repugnat diuinæ gratiæ, quæ vincit naturam, & qua sapiens dominari potest astris, repugnat diuinæ legi, quæ talia vetat sic obseruari; derogat nostræ mentis & consilij dignitati, qua sumus cunctis rebus corporeis sublimiores, tollit quoque politicum regimen per amicorum consilia, per Magistratus & Senatus consultos, & necessitatem implorandi diuinum auxilium per orationem, contra Euangelicam legem, quæ nobis præceptum orandi imponit *Math. 6. & Lucæ 18.* Vt quid enim Princeps, in negotiis publicis pacis bellique agendis vel omittendis Senatorum consilia exposceret? vt quid priuati homines in negotiis domesticis peragendis, vel dimittendis, consilium secum, aut cum amicis capesserent? vt quid ad orationem recurrerent pro instantis negotij felici euentu? si hæc omnia futura in causa cœlesti ineuitabili continentur, in qua & ad vnum ineuitabiliter sunt determinata?

8 Tertium peccatum est, † quando isti Planetarij iudicant futura libera & purè contingentia, ex astris certò præsciri ac prædici posse: contra Esaiæ testimonium *capit. 41.* dicentis, futurorum huiusmodi præscientiam solius Dei esse: nec non contradicit hæc futurorum coniectatio per astra rationi naturali, & naturæ ipsorum futurorum; quæ ex eo quod libera sunt, non habent in suis causis secundis fore determinatum, sed indifferens ad vtrumlibet, antequam fiant, quia hæc est natura liberi arbitrij: & ex eo quòd sunt contingentia, non habent in causis secũdis determinatum fore, antequam fiant, sed impedibile per aliam causam. Hæc enim est conditio causæ contingentis, quod sit impedibilis in sua operatione, quam non subterfugit virtus actiua corporum cœlestium: nulla enim est, quæ aut per contrariam dispositionem materiæ recipientis, aut per alterius astri contrariam virtutem actiuam, non possit impediri; ac proinde neque certo præsciri aut prædici possunt antequam fiant, præterquam à Deo qui vocat ea quæ non sunt, tanquam ea, quæ sunt, & qui futura libera & contingentia intuetur in se ipsis sua scientia visionis, aut etiam in suo decreto tanquam in causa determinata; nam sicut res se habet ad esse, ita ad cognosci. Igitur cùm ista futura antequam ponantur in esse, non habeant in suis causis extra Deum fore determinatum, ita neque possunt certò cognosci nisi à Deo, aut per eius reuelationem homini, vel Angelo factam. Igitur cùm actus sortiarij sint humani ac liberi, non subiecti causis cœlestibus, neque ex eis valent euentum intentum certum facere, aut iudicare.

9 Verùm † hiis opponit Caietanus in allegato *art. 8. quæstionis 95. §. ego autem*, quod licitè potest quis expectare effectum sortium à cœlorum influxu & causalitate, vno ex tribus modis; puta, aut vtendo humanis actibus, quales sunt extrahere paleam, aut schedulam, aut iacere puncta plura, paria, vel imparia, vt in deliberatis; vel non vt subiectis cœlo simpliciter, nisi tantùm quoad inclinationem, ad eos tamen effectus corporales qui cœlo subsunt: vel si expectetur effectus sortium à cœlo ratione circunstantiæ temporis, puta, quia occurrit tunc tempus prosperitatis homini sortienti promissæ in eius horoscopo, secundum Astrologicũ indicium: & propterea sperat, quod omnia in quibus agitur de ipso, prosperè ei euenient, & quod Cœlum inclinauit secundum suas vires in eius exaltationem: & fortè cadet sors super ipsum, illa hora. Consolatio quippe ista (ait Caietanus) licet leuis sit, damnanda tamen non est: quin potius ista toleranda sunt quando sortes non fiunt præcisè propter cœlestẽ operationẽ, sed partim â fortuna, partim à cœlo, partim à diuina prouidentia effectus sortium speratur. Cuius secundum & tertium dictum à nobis admittitur, quia iam diximus Iudicium huiusmodi Astronomiæ posse extendi ad effectus contingentes futuros, maximè corporales, cum hiis limitationibus, suspicor, timeo quod ita eueniet, aut secundum astrorum inclinationem, nisi aliunde impediatur, &c. † Primum verò 10 respuendum esse puto, propter duo. Tum quia actus sortiales non possunt nõ esse liberi ac deliberati, quippe qui semper ex animi deliberatione, & præconcepto fine fiunt, & ordinantur ad finem, vel habendi rem aliquam, vel vtendi re habita, vel sciendi rem occultam siue futuram, qui proinde vt sic subiecti cœlo non sunt. Tum etiam, quia admisso eos actus quandoque fieri indeliberatè ab homine sortiente, tamen sunt actus intellectus & voluntatis operantis per modum naturæ, non quidem corporeæ, sed spiritualis, in quos propterea cœlum directè influere non valet. Sed neque tales actus indeliberati vllam connexionem habent cum re diuidenda aut liberè agenda, aut præcognoscenda, vnde neque illam valent certò efficere, vel significare. Dices; vltimus actus sortium qualis est extrahere schedulam Petri, vel Pauli, vel Mariæ, est indeliberatus, & præter intentionem mittentis manum in vrnam, & aliàs est corporeus, & habet connexionem cum effectu sortis; ergo potest esse à cœlo talis effectus. Respondeo sortem quidem diuisoriam habere connexionem cum diuisione seu applicatione rei sortitæ, non ex vi actus sortialis secundùm se expectati, sed ex vi pacti initi inter sortientes. Secus autem contingit in diuinatoria ac consultoria sorte; quam enim annexionem habet schedula v. g. indicans victoriam cum reali victoriæ consequutione, aut schedula indicans fugam cum ipsa fuga capessenda? Rursus ille motus schedulæ in vrna primò occurrentis, aut manus istam schedulam præ aliis apprehendentis, & eam à cæteris sequestrantis, etsi vt corporalis motus dependeat à cœli motu & influxu, vtpote mediante quo fit omnis motus sublunarium corporum, verumtamen provt est eductio istius schedulæ potius quàm aliarum, & sequestratio huius à cæteris, est effectus omnino fortuitus & casualis, qui proinde nequit reduci vt in causam per se infortunam cæcam, aut virtutem cœlestem, nisi in Deum &

eius prouidentiam. Præterea si iste effectus reduceretur in causam cœlestem, hoc esset secundum Planetarios, propter inclinationem astrorum in hunc indiuidualem euentum: & sic iuxta infinitatem operationum & effectuum indiuidualium in hoc vniuerso sublunari, ponendæ essent in astris infinitæ inclinationes, quod nemo nisi iocando, audebit affirmare: ergo in hoc euẽtu & similibus verum habet Philosophicum axioma, quod opus naturæ, est opus intelligẽtiæ, & illa sententia Angelici Doctoris *lib.3.contra Gentes, cap.154.circa finem*, dum loquens contra Planetarios, qui dicunt quod motus, qui sunt præter deliberationem rationis, vt visa somniantium, & eorum qui sunt mente capti, & motus & garritus auium, & descriptiones punctorum, cùm quis non deliberat. quot puncta debeat scribere, sequuntur impressionem corporis cœlestis, & ideo possunt esse signa effectuũ futurorum, qui ex motu cœlesti causantur. Sed quia hoc modicam rationem habet, id est debilem & nullius valoris, (interpretatur ibi Ferrariensis §. *Attendendum*) magis æstimandum est, quod prænuntiationes, quæ ex huiusmodi signis fiunt, ab aliqua causa intelligente originem habeant, cuius virtute disponuntur prædicti motus præter deliberationem existentes, secundùm quod congruit obseruationi futurorum: quæ quandoque est Deus ministerio bonorum Angelorum, in somnis & in sortibus suam indicans voluntatem; & plerumque sunt maligni spiritus. Et eodem *lib.3.c.85.* dixerat, ad quæ virtus cœlestis non extenditur, & quæ proinde corporalibus signis prædici non possunt. Et §. *sciendum tamen est*; concludit actus indeliberatos & non humanos, in quibus scilicet non est consilium, neque electio, vt motus amentium & brutorum, sequi impressionem corporum cœlestium, ex quo fit (ait Ferrariensis ibi §. *Aduertendum*) quod tales scilicet amentes, aut somniantes futura aliqua prædicent, de illis quæ ex influxu corporum cœlestium proueniunt, quatenus mouentur ad iudicandum ex aliqua eorundem in vires sensitiuas interiores & earum organa, impressione.

11 Hiis † itaque duobus reiectis erroribus, veniamus iam ad duas sententias Catholicorum. Prima asserit actus sortiales certò & infallibiliter euentũ inquisitũ indicare, non ex astris, aut eorum necessitate fatali, neque ex Dæmonis tacita ingestione; sed ex Dei prouidentia, ratione facti quod pepigit cum hominibus sortiẽtibus, quibus promisit, si cum debitis circunstantiis actus sortiales facerent, se adfuturum, suam voluntatem indicando, & euentum de quo fieret inquisitio, certum propalando. Cuius opinionis fuit Abulensis *super c.7. Iosue q.39.* dum ait; quod si per sortes consulatur Deus, quis è duobus sit alicuius criminis patrati reus, nunquam permittet sortem super innocentem cadere, haud obscurè denotans, propterea Deum non id permissurum esse, quia hoc esset contra suam fidelitatem, quâ tenetur dicta verificare, & promissa adimplere. Suadetúrque Primò hæc opinio ex duobus testimoniis Sacræ paginæ, in quibus videtur facta reuelatio huius promissionis & pacti initi cum hominibus, videlicet *Prouerbiorum 16. Sortes mittuntur in sinum, sed à Domino temperantur.* Et *c.18. Contradictiones comprimit sors, & inter potentes quoque diudicat.* Fauet Augustinus *in Psalm.30.* super illum versum, *In manibus tuis sortes meæ*, dicens. *Sors non est aliquid mali, sed res in humana dubitatione diuinam indicans voluntatem.* Ergo si sors diuinam indicat voluntatem, est certum signum illius, quod Deus vult, in cuius propterea manibus dicuntur positæ sortes, quia promisit se illis adfuturum, vt occultum euentum inquisitum reddat certum. Secundò, quia aliàs inutilis & superuacaneus esset vsus sortium, si sortientes relinquat dubios de euentu, sicut erant ante sortitionem. Tertiò, quia oratio est certò impetratoria illius quod petitur à Deo, si fiat cum debitis quatuor conditionibus assignatis à D.Th.22.q.83. *art.15.* vt scilicet quis pro se petat, necessaria ad salutem, piè & perseueranter: propterea quod innititur diuinæ promissioni, qua Deus ex sua misericordia promisit concessurum orantibus cum dictis conditionibus, id quod orando ab ipso postularunt, iuxta illud Math.7. *Petite & dabitur vobis, omnis enim qui petit accipit, &c.* Lucæ 11. *Pater vester de cœlo dabit Spiritum bonum petentibus se.* Psalmo 34. *oratio mea in sinu meo conuertetur*, id est frustrabitur mercede sibi debita, vt Glossa interpretatur. Et Iacobi 1. *Postulet autem in fide nihil hæsitans, &c.* Atqui sortitio facta cum debitis circunstantiis inferius assignandis, non minus innititur diuinæ promissioni, vt dictum est: ergo non minus certum dbita effectum.

Secunda † sententia huic è diametro oppo- 12
sita, negat omnem sortibus efficaciam, nedum ad causandum effectum qui inquiritur per sortes, sed etiam ad eum certò significandum. Hæc est communiter à Doctoribus recepta, quam tuentur D. Thomas *in dicto art.8. quæstionis 95. & in dicto c.154. lib.3. contra gentes*, Caietanus & Ferrariensis in suis ad Diuum Thomam commentariis. Martinus Delrio *vbi supra c.2. q.7. sect.3. & c.4. q.1.* Et Turrianus noster super dictum articulum 8. *disp.1.* quam proinde statuimus pro conclusione, eámque duabus assertionibus expendimus.

Prima assertio sit, † actus sortiales, neque se- 13
cundum se, neque ex astrorum dispositione, neque ex fortuna habent vllam efficaciam causalitatis, aut certitudinem signi respectu effectus, qui per sortem inquiritur; id est, neque sunt causa operatiua physicè vel moraliter illius; neque sunt illius certum signum. Vt discursus pro hac assertione fiat manifestior, suppono hunc casum (& eadem erit ratio de aliis similibus) v.g. quod Rex Hispanus necessitate compulsus, cum deuotione ac reuerentia inquirit per sortem consultoriam, vtrum debeat hoc anno præsenti 1645. agere bellum aggressiuum contra Cathalanos, vel conseruare defensiuum dumtaxat: & ex duabus schedulis in vrnam missis, quarum vna indicat aggressionẽ, & altera defensionẽ, educitur ab vrna illa quæ indicat defensionem: ex quo Rex bonum consilium capessit de eligendo bello defensiuo. Hoc supposito sic procedit discursus noster, in hoc casu isti actus sortiales, nimirum præparare schedulas, illas inscribere, in vrnam mittere, eas conuoluere, & vnam educere, neque vllo modo sunt causa electionis belli defensiui: neque certum illius signum: ergo nullo modo possunt illam pandere vt certo futuram. Consequentia patet à sufficienti diuisione. Antecedens verò quoad priorem partem probatur, quia illius actus, neque

que ex sua natura, neque ex astrorum impressione, neque ex fortunæ influxu sunt causæ dictæ electionis. Non quidem ex sua natura, quia sunt actus humani facilè transeuntes, & corporei, qui multo tempore ante illam electionem voluntatis euanescunt: ergo nequeunt in illam physicè influere; sed neque moraliter, quia neque habent vim meriti, aut impetrationis de se, nisi ratione orationis adiunctæ. Neque ex astrorum impressione, quia tam electio belli defensiui, quam dicti actus sortiales sunt humani ac liberi, ac proinde non subiecti astrorum causalitati, vt arguit D. Thomas sæpius *in dicta q. 95.* præsertim *art. 5. 6. & 8.* dicens,
4 quod † expectare cognitionem huiusmodi futurorum ex cœlorum impressione, est illicita & superstitiosa diuinatio, pacto implicito dæmonis innitens, qui in has obseruationes se tacitè ingerere solet. Et in hoc differt hæc diuinatio per sortes ab aliis, quod in illa non solùm inquiritur de rebus humanis futuris, vel occultis, sed etiam id per quod inquiritur est actus humanus, scilicet sortialis, vt ex sortium diffinitione liquidò constat. In aliis autem fit inquisitio rerum occultarum per inspectionem motus, vel dispositionis aliarum rerum; v.g. Necromantiæ diuinatio fit inspiciendo corpora mortua, Hydromantia, inspiciendo aquam, & augurium ad motum, vel garritus auium attendit, &c. Neque ex fortuna, quia hæc sanè intellecta est collectio plurium causarum secundarum incognitarum, aut per accidens concurrentium, respectu quarum talis electio est effectus casualis & fortuitus, & in quem vtpote liberum & spiritualem, talis causarum vtpote corporalium collectio nequit directè influere: ergo nullo ex his modis possunt actus sortiales dictam electionem causare, secluſa causa intellectuali, de qua erit sermo in sequenti assertione.

Deinde quoad posteriorem partem, ostenditur assertio ratione sæpius à D. Thoma *in dicta*
15 *quæst. 95.* repetita, maximè *art. 5. & 8.* quia † omne signum corporale & naturale aut est effectus, aut coëffectus ab eadem causa, eius quod significat. Exemplum primi habemus in fumo, qui est proprius effectus ignis, cuius est signum. Exemplum secundi habemus in Iride, quæ significat serenitatem, quia serenitas & Iris sunt effectus eiusdem causæ cœlestis, & in crocitatione Assionis, quæ significat pluuiam futuram, quia ambæ sunt effectus eiusdem virtutis cœlestis. Atqui actus sortiales neque sunt effectus illius euentus occulti, qui per sortes inquiritur, quem vel multò ante præcedunt, si est futurus, vel multò post tempore subsequuntur, si est præteritus: neque sunt coëffectus eiusdem causæ, v.g. in casu adducto electio belli defensiui, & actus sortiales non sunt coëffectus ab eadem causa cœlesti, aut alia causa corporali procedentes: ergo isti non sunt signum naturale & certum illius. Vnde positis actibus sortialibus, potest non sequi talis electio; posset enim Rex post eductam schedulam indicantem defensionem, mutato consilio, aut eligere bellum aggressiuum, aut stabilita armorum suspensione inter vtramque partem, ab vtriusque belli electione abstinere. Sed quia possunt tam actus sortiales, quàm manifestatio euentus occulti esse ab eadem causa spirituali, puta vel à Deo vtrumque sua prouidentia disponente, vel à dæmone ad vtrumque instigante, & tunc actus sortialis habebit certam significationem euentus occulti non quidem ex natura rei, sed veluti ad placitum ex Dei ordinatione, vel dæmonis pacto, ideo sequentem statuimus conclusionem.

Secunda assertio sit: † quando actus sortiales fiunt ex Dei iussu, vel ex illius explicita, aut 16
implicita reuelatione, semper habent certam significationem rei occultæ quæ per sortes consultorias, siue diuinatorias inquiritur; sed non quoties fiunt ex pacto dæmonis, habent talem certam significationem, licet eam habeant aliquando. Hæc assertio non considerat bonitatem aut malitiam sortium, de quo *sequenti* §. dicemus: nisi efficaciam dumtaxat in causando, siue certitudinem in significando. Neque procedit de sortibus diuisoriis, quia hæc semper indicant rei veritatem, sùntque certa signa diuisionis siue applicationis intentæ, non quidem ex natura actuum sortialium, sed ex sortientium conuentione & pacto, v. g. sortiuntur duo vel tres homines vestem aliquam, quis eam debeat accipere, sicut milites Christi Domini Crucifixores, sortiti fuerunt eius tunicam inconsutilem, ne eam in partes scinderent; mittúntque singuli singulas schedulas propriis nominibus inscriptas in sinum vel vrnam, pacto inito & conuentione facta, vt illius sit vestis, cui obtigerit sors. Tunc schedula primitus educta certò significat vestem esse illius, cuius nomen habet inscriptum. Hæc autem certa significatio non sumitur ex ipsa schedula inscripta & sequestrata, seorsim considerata, sed ex pacto & conuentione sortientium. Sed † procedit con- 17
clusio præsertim de sortibus cõsultoriis ac diuinatoriis, de quibus asserit, quod si innitantur iussioni, mandato siue reuelationi Dei, tunc actus sortiales habent certam significationem illius occulti, quod inquiritur: quam etiam quandoque habent si innitantur pacto dæmonum: sed non semper. Ratio primæ partis sumitur ex duobus attributis Dei, nimirum quod sit omniscius ac summè fidelis & verax: ex eo enim quod est omniscius, omnia occulta tam præterita & præsentia, quàm futura quantumcumque contingentia cognoscit, ex quo prouenit vt neminem decipere possit ob ignorantiam: & ex eo quod est summè verax & fidelis, prouenit quod neminem fallat ex malitia; & quod in omnibus promissiones suas adimpleat, & dicta factis conformet: ergo necesse est, quod quoties sortes consultoriæ vel diuinatoriæ fiunt ex Dei iussu, siue reuelatione, habeant certam significationem veritatis inquisitæ à Deo, qui nec ex ignorantia, nec ex malitia fallere potest sortientes. Quæ ratio confirmatur dupliciter. Tum quia in eo casu in actus sortiales influit Deus, non solùm voluntate beneplaciti & consequenti, qua concurrit ad omnes effectus vniuersi, vt causa prima physica & naturalis, sed etiam voluntate signi, vt causa proxima moralis, suadens, consulens vel præcipiens vnum, & prohibens aliud. Suasio autem, consilium, præceptum & prohibitio sunt certa signa diuinæ voluntatis, vt probat D. Thomas *1. p. q. 19. art. 12.* ergo tunc erunt huiusmodi actus circa signa diuinæ voluntatis, ac proinde certò veritatem à Deo inquisitam indicabunt.

Tum etiam, quia quando huiuſmodi ſortes iaciuntur ex iuſſu aut reuelatione Dei, innituntur ipſius explicitæ, aut ſaltem tacitæ promiſſioni, qua pollicetur ſe affuturum actibus ſortialibus, & per illos veritatem inquiſitam indicaturum. Quapropter habent certam ſignificationem ad indicandum veritatem ex Dei pollicitatione, quam habebant ſortes vſitatæ in Veteri Teſtamento: iaciebantur enim ad conſulendum Deum de occultis & futuris euentibus, ex diuina lege namque fuerant introductæ, vt per illas Deus ſuam panderet voluntatem; vnde & certò illam indicabant, certúmque populum reddebant de veritate inquiſita, quam certitudinem ſignificationis, non habebant ex natura ſua, neque ex humano beneplacito, ſicut contingit in diuiſoriis, ſed ex Dei placito, ſtatuto ac lege, in quibus & pollicitatio quædam imbibitur. Vnde ſi in caſu poſito, Rex Hiſpanus per ſortem inquirens à Deo, Vtrum pro præſenti anno debeat eligere bellum defenſiuum, aut aggreſſiuum; Deus illi reuelaret, vt per ſortem faceret hanc conſultationem, & conſequenter promitteret ſe illi per ſortem, ſuam voluntatem manifeſtaturum; tunc planè talis ſortitio ex iuſſu & reuelatione Dei facta, & eius pollicitationi innitens, haberet certam ſignificationem, per quam & Rex certus redderetur (niſi perfidus eſſet) de diuina voluntate conſulenti ſibi bellum defenſiuum, & prohibenti aggreſſiuum.

Deinde ratio Secundæ partis, quod ex dæmonis pacto habeant actus ſortiales certam ſignificationem veritatis occultæ quæ inquiritur,
18 eſt; quia † dæmon multa occulta nedum præterita, ſed etiam futura, certò cognoſcit, quæ homines latent, & aliàs ex vi pacti initi expliciti, vel impliciti, pollicetur ea ſuis alumnis & cultoribus pandere, vt ſibi Diuinitatis attributum ſciendi futura arroget, & cultum latriæ ab illis extorqueat, atque à Deo auertat, & fallaciis atque vanitatibus implicet; quam pollicitationem ex hiis motiuis ſæpius adimplet: ergo tunc actus ſortiales ex dæmonis pacto & reuelatione habebunt certam ſignificationem, ad veritatem inquiſitam ab ipſo indicandam. Verùm ratio ob quam actus ſortiales aliquando & multoties deficiunt ab hac certa ſignificatione, & fallunt in pandendo veritatem inquiſitam à dæmone, procedit ex duobus attributis contrariis diuinæ ſcientiæ, & ſummæ veracitati, vel ab eis deficientibus, nimirum quia non eſt omniſcius, neque ſummè verax, ſed multum fallax & infidelis. Ex primo namque oritur, quod neque omnia occulta, neque omnia futura certò cognoſcit: latent enim eum cordium cogitationes & futura contingentia, maximè libera. Vnde quando de hiis conſulitur à ſuis alumnis, aut tacet, aut eos decipit propter ignorantiam rei inquiſitæ. Ex ſecundo autem defectu oritur, quod etiam eos fallat ex malitia ſuæ perfidæ voluntatis, quia infidelis eſt, mendax & pater mendacij, neque dicta conceptibus, neque facta dictis conformans. Vnde multoties reus initi pacti exiſtens interrogatus per ſortes, ſicut & per alias vanas obſeruationes, etiam de hiis quæ cognoſcit, mentitur; Deo ſic permittente, vt hac pœna mulctentur, qui in tam fallacis & infidelis Magiſtri verba iurarunt.

19 Ad primum † pro contraria opinione reſpondeo, ex illis teſtimoniis non colligi talem Dei promiſſionem. Non quidem ex primo: nam ſenſus illius eſt, quòd ſortes miſſæ in ſinum vel vrnam, à Domino temperentur, non quoad effectum pandendi veritatem inquiſitam, de hoc enim nulla eſt facta pollicitatio à Deo in nouæ legis ſtatu; ſed ſolùm quoad illum primum effectum, ſcilicet ſequeſtrationis & eductionis vnius ſchedulæ, vel taxilli præ aliis, qui licet reſpectu noſtri ſit fortuitus & caſualis, reſpectu tamen Dei eſt per ſe intentus & prouiſus: quo ſic Salomon refutaret errorem eorum, qui hos euentus fortunæ, vel fato potius, quàm diuinæ prouidentiæ attribuunt, eóſque omnino fortuitos & improuiſos etiam reſpectu Dei, cum iniuria ipſius infinitæ prouidentiæ exiſtimabant. Aut ſenſus eſt, ſortes à Domino diſponi quoad effectum pandendi veritatem inquiſitam, quando ex Dei reuelatione iaciuntur; aut ſi mauis, intelligitur de ſortibus antiquis, & in Veteri Teſtamento vſitatis, quæ ex lege & ſtatuto Dei fiebant, & illius reuelationi ac pollicitationi innitebantur. Neque ex ſecundo; vtpote quod loquitur de ſolis ſortibus diuiſoriis, per quas ex conuentione & pacto ſortientium pro vitandis diſcordiis, certò diiudicatur, quis quam partem accipiat. Neque ex tertio, cuius ſenſus eſt conſonus diffinitioni ſortium, quatenus per illas operatur illum primum effectum ſequeſtrationis & eductionis vnius inſtrumenti ſortialis præ aliis. Quod autem Dauid in eo Pſalmo ait, loquens cum Deo; *In manibus tuis ſortes meæ*, quaſi proteſtans ſortes etiam quoad veritatem inquiſitam, eſſe in manibus Dei, & ab illo infallibiliter diſponi, non intellectus certitudinem, ſed animi confidentiam indicat; aliud enim eſt confidere de Deo, quod ſortes diſponet, & aliud eſſe certum de veritate per ſortes inquiſita. Primum pertinet ad voluntatem, cuius virtus eſt fiducia ſiue confidentia; Secundum pertinet ad intellectum, cuius propria perfectio eſt certitudo. Dauid ergo orando cum magna fiducia, ait ſuas ſortes eſſe in manibus Dei poſitas; vnde præmiſerat: *Ego autem in te ſperaui Domine, dixi, Deus meus es tu, in manibus tuis ſortes meæ*; non tam ſorti ipſi, quàm orationi & fiduciæ, bonum ſortis exitum attribuens, ſicut & in aliis beneficiis, quæ à Deo poſtulamus, contingere ſolet. Vel dicamus cum Parente Auguſtino, nomine ſortis, gratiam à Dauide intelligi metaphoricè. *Quare ſortis nomine appellat gratiam?* inquit Auguſtinus; & reſpondet, *quia in ſorte non eſt electio, ſed voluntas Dei*. Nam ſicut quod ſors cadat ſuper Petrum, v.g. non eſt propter illius electionem, ſed ex Dei voluntate ac prouidentia, vt dictum eſt; ita quod Petrus eligatur ad gratiam, non eſt ex eius viribus, aut electione, ſed ſine eius meritis ex Dei electione. Ex qua gratia contingit Sanctis, & non ex eorum meritis, iuxta illud *Ioannis* 15. *Non vos me elegiſtis, ſed ego elegi vos.* In quo ſenſu interpretatur D. Thomas duo teſtimonia Apoſtoli, ſcilicet illud ad *Epheſ.* 4. *In quo etiam nos ſorte vocati ſumus*: & illud ad *Coloſſen.* 1. *Qui dignos nos fecit in partem ſortis ſanctorum in lumine*, id eſt per electionem Dei ad gratiam. Ad ſecundum, nego antecedens; nam iam diximus, in ſortibus diuiſoriis certificari ſortientes de re inquiſita ex vi pacti initi inter eos: in conſultoriis autem ac diuinatoriis,

factis

factis ex iussu, aut speciali impulsu Dei, qualiter fiebant in lege Moysis, certi de euentu inquisito reddebantur sortientes per diuinam reuelationem, qua secluſa, verum est sortientes manere dubios de veritate inquisita, sed adhuc non est inutilis earum vsus; quia sortientes spectant à Deo auxilium, vt suggerat bonum consilium, de agendis aut vitandis; & cùm sors consultoria succedat loco consilij, ille super quem cadit sors determinatur ad illud agendum, vel vitandum, quod sors indicat, in vi præcedentis electionis, qua secum deliberauit facere aut vitare illud, quod sors indicaret, vt in exemplo superius adducto patet, vt si Rex secum deliberaret, agere bellum illud, quod schedula indicaret, vtilis ei esset sortitio; nam si schedula sequestrata indicaret bellum defensiuum, illud eligeret, & vitaret aggressiuum, in virtute præcedentis deliberationis.

Ad Tertium nego minorem: oratio namque ob sui excellentiam, quia est eleuatio mentis in Deum, & excellentissimus actus excellentissimæ virtutis moralis scilicet religionis, habet vim impetrationis ex Dei promissione annexa, quam nō habet sortitio, quæ de se est opus indifferens ad bonū & malum, & si fiat cum debitis circunstantiis, est actus virtutis cuiusdam moralis inferioris scilicet Eutrapeliæ, quæ est species modestiæ, & pars temperantiæ, vt docet D. Thomas 22. *quæst.* 168. *artic.* 2. Quod si sortientes adiungant sorti consultoriæ deuotionem & orationem, cum fiducia & perseuerantia, & petant à Deo quidpiam necessarium ad suam salutem, habebit quidem sors vim impetrationis, non ratione sui, sed ratione adiunctæ orationis.

§. IV.

De vsu sortis diuisoriæ, cum quibus conditionibus sit licitus?

SVMMARIVM.

1 *Sortes diuisoriæ apud quos à primis temporibus vsitatæ fuerunt.*
2 *Iura in quantum permittunt eas inter Catholicos.*
3 *Referuntur Authores, qui de conditionibus sortis diuisoriæ licitè celebrandæ scripserunt.*
4 *Referuntur quatuor conditiones requisitæ, vt sors diuisoria licitè celebretur.*
5 *Per defectum cuiuscumque ex his conditionibus redditur sortitio illicita, licet diuerso modo & indistincto gradu malitiæ.*
6 *Sortitio ex genere suo non mala quomodo iudicanda.*
7 *Sors in qua expectatur euentus à Deo, licet secundùm se non sit mala, ex quadruplici tamen capite potest reddi peccaminosa.*
8 *In diuisione propriarum rerum ad sortitionem licitam, non requiritur necessitas, dummodo aliæ tres conditiones concurrant, &c.*
9 *Cui conclusioni alij contrariantur, quorum opinio dupliciter potest suaderi.*
10 *Quibus non obstantibus nostra assertio est veritati conformior, & quadruplici argumento probatur.*
11 *Referuntur Authores, qui de sorte diuisoria, eiúsque duobus permixtis contractibus atque eorum iustificatione tractant.*
12 *Mos Ecclesiæ assignandi per sortem diuisoriam Sanctos, pro diis tutelaribus, isto anno habendos in quauis domo Religiosorum, prima die Ianuarij.*
13 *Referuntur obiectiones huic consuetudini receptissimæ oppositæ.*
14 *Quibus non obstantibus, consuetudo sortiendi Diuos tutelares, prout communiter apud viros doctos & Religiosos sit, sustinenda est vt proba, & neutiquam damnabilis.*
15 *Respondetur obiectionibus in contrarium adductis.*
16 *Deus vt causa prima voluntate beneplaciti operante, concurrit ad quosuis effectus causarum secundarum.*
17 *Respondetur adductis à principio, pro opinione requirente causam necessitatis pro omni sorte diuisoria.*
18 *Sortitio diuisoria redditur illicita ex parte materiæ, si fiat super dignitatibus Ecclesiasticis.*
19 *Honorius III. huiusmodi sortitionem iure humano Pontificio prohibet.*
20 *Referuntur quinque difficultates, quæ ex huius Decretalis contextu insurgunt.*
21 *Ad propositas difficultates sigillatim respondetur.*
22 *Referuntur aliquot rationes, ob quas expediens fuit Ecclesiasticas electiones sortibus non committere.*
23 *Circa quintam difficultatem discriminantur Authores, qui tamen facilè ad concordiam reducuntur.*

SOrtes† diuisorias valde vsitatas fuisse à pri- 1
scis temporibus, apud Athenienses primùm, qui in Areopago Iudicum officia, variis litteris in vrnam coniectis, sortiebantur; tradunt Lucianus Demosthenes, & Sigonius *lib.* 3. *de Repub. Athenien.* Deinde apud Romanos, Siculos & alios Gentiles, referunt idem Sigonius *lib.* 2. *de iudic. c.* 12. Cornelius Tacitus, Plutarchus in Apophtegmat. & Iunius Hornanus *vbi supra.* Iura † quoque inter Catholicos eas 2
permittunt, ad determinandum quid ab hoc vel ab illo habendum sit boni, aut patiendum mali in temporalibus bonis & malis; puta super hæreditate & bonis diuidendis, super optione pluribus relicta, super seruis manumittendis, atque in cæteris dignitatibus, officiis temporalibus, actionibus, pœnis, rebúsque aliis, exceptis Episcopali, atque Ecclesiastica quauis dignitate, quas prohibent iura sortiri *in lege* 47. *Cod. de Episcop. & cap. finali de sortilegiis.* Vnde in omni tempore apud fideles fuisse, & modò in lege Euangelica esse vsu & consuetudine receptas, & tanquam licitas priuatim & publicè celebrari, videntibus & consentientibus Ecclesiæ Prælatis, ex Sanctis Patribus superius citatis, & experientia constat. Vt autem † licitè ce- 3
lebrentur, nonnullas exigunt conditiones, de quibus videndi sunt Caietanus *in summa V. sors*, Martinus Delrio *in dicto cap.* 4. *quæst.* 1. Franciscus Garcia *lib.* 3. *de contract. c.* 20. Ludouicus

Lopez

Lopez *lib.2. de contract.cap.3.* & Turrianus in ſuo commentario ad *articul. 8. quæſtion. 95. diſp.2.* de quibus tres ſequentes ſtatuo concluſiones.

4 Dico itaque primò : † Quatuor ſunt conditiones requiſitæ vt ſors diuiſoria licitè celebretur:ita vt per cuiuſcumque defectum reddatur illicita. Prima eſt vt euentus ſortis expectetur à Deo,non à Dæmone nec ab aſtris,aut fato & fortuna. Secunda, vt ſors fiat ſimplici animo & cum debita reuerentia, ſine admixtione alicuius ſuperſticionis ; vel abuſu rerum ſacrarum vel Sacræ ſcripturæ. Tertia eſt,vt illi qui ſortiuntur,æquali iure nitantur, aut æqualiter ſint digni pœna. Quarta eſt quod præcipua intentio ſortientium,non ſit inquirere voluntatem Dei modo extraordinario, niſi tantùm litium,diſcordiarum,ſiue inuidiarum ablatio ſiue extinctio. Probatur concluſio. Nam †
5 per defectum cuiuſcumque ex hiis conditionibus,redditur ſortitio illicita,licet diuerſo modo & indiſtincto gradu malitiæ. Etenim ſi euentus ſortis expectetur à Dæmone, erit ſuperſticioſa per expreſſum pactum cum Dæmone. Similiter ſi ab aſtris & fato, erit ſuperſticioſa per pactum implicitum, qui in huiuſmodi obſeruationem ſe tacitè ingerit,vt ait D. Thomas ; ac per conſequens vtrobique erit lethale peccatum. Similiter ſi expectetur à fortuna, intelligendo fortunam vt Gentiles eſſe quendam Deum, eſſet idololatrica ſortitio,& lethalis culpa : intellecta autem fortuna ſecundum iudicium Chriſtianorum Philoſophorum, pro collectione cauſarum ſecundarum occultarum,& per accidens conuenientium,cum ſubordinatione ad diuinam prouidentiam,aut nullum, aut tantùm veniale peccatum eſt.

Rurſus per defectum ſecundæ conditionis, erit quoque peccaminoſa ſortitio iuxta qualitatem irreuerentiæ ; aut mortalis, ſi magna; aut venialis, ſi parua fuerit irreuerentia. Per defectum verò tertiæ conditionis redditur ſortitio imprudens, ſiue irrationabilis & iniuſta, quia fit cum periculo communis boni & læſione iuſtitiæ,atque cum damno tertij,vt ſcitè aduertit Caiet. *in ſumma V. ſors.* & *in allegato art.* 8. §. *ſed hæc ambiguitas*; dicens ſortem licitam eſſe in dignitatibus temporalibus,ſecundum mentē D. Thom. ſanè intelligendam,puta quantum eſt ex ſuo genere, concurrentibus cæteris, quæ ad actum licitum exiguntur, ſcilicet quod non ſtultè fiat, vel cum iniuria alicuius, vt contingeret, ſi promiſcuè ad ſortiendam dignitatem temporalem, vel officium publicum, digni & indigni, idonei, & non idonei admitterentur. Tunc enim peccatum eſſet fatuitatis & iniuſtitiæ:fatuitatis quidem,quia ageret homo contra naturalem dignitatem rationalis creaturæ, cui datum eſt,vt ratione ſibi, & aliis prouideat, & maximè Reipublicæ:iniuſtitiæ verò, quia periclitatur bonum Reipublicæ, & eorum qui ſunt officio digni ; nam poſſet ſors fauere inepto, cum damno Reipubliceæ, & iniuria dignorum. Vnde vt ab huiuſmodi malitia purgetur ſors, debent ad illam tantùm idonei & digni admitti, ne pax turbetur. Similiter quando in militia per ſortem diuiſoriam inter plures reos inquiritur, quis necandus, & quis liberandus ſit, oportet ſortientium parem eſſe reatum; alioquin ſortitio foret iniqua quoad minus nocentes. Tandem per defectum quartæ conditionis redditur ſortitio peccaminoſa, peccato vanitatis, & venialis quia caret debito fine. Etenim finis non debet eſſe inquirere voluntatem Dei modo extraordinario ; eò quòd iſte modus eſt omnino incertus, vtpote nulli Dei promiſſioni innitens, ſed lites, querelas, inuidias, aut diſcordias auferre ; iuxta adductum Salomonis prouerbium, *contradictiones comprimit ſors, &c.* Per modum autem extraordinarium inquirendi diuinam voluntatem, non intelligo,modum miraculo admixtum,hoc enim eſſet peccatum mortale tentationis Dei contra religionem, quod à ſortibus alienum eſt ; nam propterea D. Thomas *in ſolutione ad tertium, artic.* 8. relegat iudicium ferri candentis, & aquæ feruentis à ratione ſortium, quòd in illis expectetur miraculum à Deo, ſecus autem in iſtis : ſed intelligimus recurſum vanum ad ſortes, quando ſcilicet ſine illis diſcordia ſopiri & pax obtineri poteſt : bonum enim pacis dumtaxat eſt, quod in huiuſmodi officiorum, dignitatum, Iurium & pœnarum diuiſionibus ſortem permittit, ſeruatis cæteris conditionibus.

Secundò probatur concluſio:nam teſte Caietano *vbi ſupra*, cùm † ſortitio ex genere ſuo 6
non ſit mala, eius malitia iudicanda eſt ex admixta irreligioſitate aut iniuſtitia,aut imprudētia:ſicut è conuerſo eius bonitas ex admixta religione,iuſtitia, prudentia & pace, eſt iudicanda. Atqui per conditiones prædictas purgatur ſors à dictis vitiis irreligioſitatis, iniuſtititiæ & imprudentiæ,vt perſpicuum eſt;ſicut conſtat quod per defectum primæ & ſecundæ conditionis ſubinduit ſors malitiam irreligioſitatis; iniuſtitiæ, per defectum tertiæ, & imprudentiæ vitium incurrit per defectum quartæ conditionis.

Tertiò probatur diſcurſu Angelici Doctoris *in dicto artic.* 8. vbi concludit, quòd † ſors illa 7
in qua expectatur euentus à Deo (cæteris iam cauſis excluſis) licet ſecundùm ſe non ſit mala, adhuc tamen poteſt quadrupliciter, id eſt ex quadruplici capite reddi peccaminoſa:nimirum ſi abſque neceſſitate ad ſortes recurratur. Deinde,ſi in neceſſitate,cum irreuerentia tamen Dei ſortibus vtamur. Rurſus ſi diuina oracula & Sacræ paginæ teſtimonia, ad temporalia negotia cōuertātur. Quartò ex parte materiæ,ſi ſortitio fiat ſuper dignitatibus Eccleſiaſticis, quæ concordi electione per Spiritus Sancti inſpirationem facta conferri debent. Atqui in iſtis conditionibus imbibuntur quatuor à nobis aſſignata. Nam quod euentus expectari debeat à Deo,ſupponitur à D. Thoma ; quod autem fiat ſortitio non ſtultè & vanè,ſed prudenter,includitur in conditione neceſſitatis : eo enim ipſo quod ſortitio fiat cum neceſſitate,ob finem ſeruandæ pacis & vitandæ diſcordiæ,fit prudenter ob debitum finem. Deinde quod fiat ſine ſuperſtitione & irreuerentia, includitur in tribus conditionibus poſtremis à D. Thom. aſſignatis; nimirum, in eo quod fiat cum reuerentia Dei, & non conuertendo verba Sacræ Scripturæ ad negotia ſecularia,neque ſuper dignitatibus Eccleſiaſticis. Sed quod ſortitio fiat ſine iniuria tertij, huius non meminit D. Thomas, quia earum dumtaxat conditionum mētionem fecit, quæ exiguntur,vt ſortitiones fiant prudenter & religioſè,

religiosè, ne in eis crimen vanæ superstitionis ac diuinationis contrarium Religioni inueniatur: quod ad tractatum de vitiis oppositis religioni pertinebat. De crimine autem iniustitiæ, alienum debere esse à sortilibus actibus, sicut & à cæteris humanis, suppositum ex quæstionibus præcedentibus *in eadem* 22. vbi de virtute iustitiæ, & eius contrariis vitiis egerat. Igitur cum prædictis conditionibus licitæ sunt sortes diuisoriæ. Vnde & in praxi receptæ sunt, vt quando in militia plures sunt rei, sorte diuisoria exquiratur, quis plectendus capite, & quis impunis debeat manere: dummodo æqualis sit sortientium reatus. Sic etiam tempore tempestatis, licitum est sortiri ex omnium consensu, quæ personæ, aut cuius merces in mare sint proiiciendæ: & tempore pestilentiæ sortiri solet laudabiliter, quis parochorum in vrbe debeat remanere, ne aut populus sine vllo ministro maneat, aut ne omnes ministri peste infecti pereant. Eadem ratione, quando eleemosyna, aut legatum pium vni ex pluribus concedi debet, & dubium est cui detur, sortitione diuisoria res decidi potest. Quæ duo postrema exempla sunt quæ adducuntur & approbantur à Parente Augustino *epistola* 180. *ad Honoratum*, & *lib. 1. de doctrina Christiana c.* 28.

8 Dico secundo; † in diuisione propriarum rerum ad sortitionem licitam non requiritur necessitas, dummodo aliæ tres conditiones concurrant, videlicet, quod euentus expectetur à Deo, siue etiam à fortuna vt subiecta Deo: quod non adsit irreuerentia, & quod diuinis oraculis non vtantur sortientes in tam seculari negotio. In hac † conclusione, non omnes conueniunt. Nam D. Thomas *in opusculo citato de sortibus cap. 2. & cap. 5.* fuit contrariæ opinionis, dicens sortem diuisoriam non habere locum, intellige licitè factam, nisi quando super rerum diuisione contradictiones aliter sopiri non valent, nisi per sortem diuino iudicio committatur; & quòd ludus taxillorum non caret vitio vanitatis, quia ludentes se committunt fortunæ. Eiusdem opinionis fuit Martinus Delrio *in dicto cap. 4. q.* 1. dicens, quòd solum bonum pacis sortem diuisoriam permittit, hoc est, quando aliter nequit discordia in rerum diuisione sopiri. Potéstque suaderi Primò ex illo *Prouerbiorum* 18. *Contradictiones comprimit sors, & inter potentes quoque iudicat*; vbi explicatur finis & causa motiua præsertim sortis diuisoriæ. Et in *quodlibeto citato*, subdit idem Sanctus Doctor, sortem diuisoriam esse licitam cum quatuor conditionibus, nimirum quando fit cum necessitate, cum debita deuotione, quando sacra non conuertit ad secularia negotia, & quando non fit super Ecclesiasticis dignitatibus: ergo sentit quod redditur illicita, per defectum necessitatis. Secundò quia in dicto *cap. 5.* ait, quod sortitio extra casum necessitatis est peccatum tentationis Dei: nam tentare Deum contingit, quando quis habens quid faciat ex humana industria, eo prætermisso, requirat diuinum iudicium. Confirmatur amplius hæc ratio, ex eo quod, vt notat idem Angelicus Doctor *in dicto art. 8. & c. 5. opusculi citati*, triplex peccatum, potest inueniri in sortibus, scilicet superstitionis si expectetur euentus à dæmone explicitè inuocato, vel tacitè se ingerente, quale fuit in sortitione illa Regis Babylonis per proiectionem sagittarum; aut tentationis Dei, quando expectatur miraculum, quando res aliter humana industria potest obtineri: aut vanitatis, quando scilicet sors mittitur super rebus inutilibus, siue ad sortientes, vel eorum coniunctos non pertinentibus, puta si quis existens in Gallia, sorte inquireret de hiis quæ ad Indos pertinent, & cum quibus nullatenus in vita communicat. Vel quando mittitur super rebus humanam industriam non excedentibus, puta si quis sorte inquireret, an hodie comederet, vel hoc anno fruges ex agro colligeret. Ex hiis autè tribus peccatis, secundum, quod est tentationis Dei vitatur per necessitatem, ait D. Thomas iuxta illud 2. *Paralip.* 20. *Cùm ignoremus, quid agere debeamus, hoc solum habemus residui, vt oculos nostros dirigamus ad te*, scilicet diuinum iudicium implorando; ergo sors diuisoria quarumcumque rerum absque vrgenti necessitate exercita, peccato tentationis Dei inficitur.

Sed † his non obstantibus, nostra assertio est 10
veritati ac D. Thomæ conformior, quam tuetur Caietan. *in summa loco citato*, vbi articulum necessitatis pro consultoria duntaxat sorte requirit, & Turrian. *disp.* 2. Et probatur Primò; nam D. Thom. *in dicto art.* 8. corrigens sententiã quam tenuerat in opusculo, ait; quod si sortialiũ actuũ euentus expectetur ex fortuna, *quod locum habere potest solum in diuisoria sorte, non videtur habere, nisi forte vitium vanitatis*. Particulam fortè addidit, quasi dubitando, an peccatum sit committere fortunæ sanè intellectæ rerum diuisionem, per sortem denotans, quod potest fieri sine vllo peccato, etsi cessante necessitate plerumq; imprudenter & sine honesto fine diuisio rerum, quæ aliàs ex humana electione poterat fieri, sorti committitur, in quo ad summum vanitatis peccatum interuenire potest.

Secundò; nam propterea D. Thomas necessitatem exigit in sortibus, ne sit tentatio Dei, dum homines neglectis mediis prudentialibus ad diuinum iudicium recurrunt, & à solo Deo euentum expectant. Atqui hæc ratio non procedit in diuisoriis sortibus, nisi tantùm in consultoriis: ergo. Minor ostenditur dupliciter: tum quia cùm homines sint Domini suarum rerum, eas diuidere, applicare & distrahere possunt prout libuerit eis, siue sine sortibus, siue vtendo sortibus, seruatis aliis conditionibus. Tum etiam quia dum homines huiusmodi rerum diuisionem committunt fortunæ, vtendo sorte diuisoria, fortunæ inquam sanè intellectæ, eam committunt simul Deo vt causæ primæ naturali modo & physicè operanti (cui vt sic subordinatur fortuna, id est, concursus causarum secundarum, dispositus in ordine ad fines nobis ignotos,) sed non Deo vt operanti voluntate signi, & proximè siue immediatè aliquo signo manifestante suam voluntatem; in quo nulla est tentatio, aut irreuerentia Dei, aut vanitas, quia isto modo dependent à Deo omnes effectus mundi, scilicet vt à causa prima operante illos voluntate beneplaciti, medio concursu causarum secundarum: ergo, &c.

Tertiò probatur; nam ludus taxillorum & ludus chartarum pictarum sunt in sortibus diuisoriis, in quibus ludentes pecuniæ partitionem committunt fortunæ, sine vlla necessitate, sed ioci ac delectationis causa; & tamen sunt liciti,

imo & honesti, vtpote actus virtutis Eutrapeliæ, si cum mediocritate exerceantur. Rursus ludus ille, valde apud Hispanos consuetus, qui vulgo dicitur *Riffar*, & consistit in quadam sorte diuisoria, ex consensu & beneplacito consortientium siue ludentium instituta, quæ vel chartis, vel taxillis, vel schedulis siue aleis exercetur, prout concertatores conuenerint: permiscentúrque in huiusmodi ludo duo contractus tacitè & virtualiter saltem. Primus est venditionis, respectu illius, qui exponit equum v. g. vel iocale aliquod, pro summa quadraginta aureorum sortiendum inter quatuor socios, quorum singuli decem aureos conferunt, & sic conficiunt summam quadraginta, quæ est integrum & iustum pretium, pro quo Dominus vendere censetur pignus vel jocale, quod sortitioni exponit. Secundus est sortis diuisoriæ respectu ipsorum sortientium, qui inter se conueniunt sic, vt cui sors faueat, ille pro suis decem aureis totum equum siue jocale recipiat, cæteri verò suas symbolas amittant. Qui duo contractus liciti sunt seruatis debitis conditionibus; nimirum ex parte venditoris, quod non plus pretij recipiat pro sua merce, quàm recipere posset, illam quouis alio iusto contractu distrahens; eò quòd iste contractus est venditionis, ad cuius iustitiam requiritur, vt non plus iusto pretio merces vendantur: ex parte verò emptorum siue sortientium, requiritur vt in suo contractu sortis diuisoriæ æqualiter in hanc conditionem conueniant, vt quisque accipiat, quod illi sors detulerit, nam æquali fortunæ, siue periculo subsunt. Requiritur insuper, quod nulla sit fraus, aut collusio inter sortientes, & eos qui sortes extrahunt ex vrna, vel vase; alioquin tam ipse sortiens quàm eius collusores tenentur mercem per talem collusionem obtentam restituere, non venditori, qui iam rem suam iusto pretio vendidit, sed consortientibus, qui dubium euentum suis symbolis, siue pretiis partialibus emerunt. De huiusmodi ludo & † sorte diuisoria, eiúsque duobus permixtis contractibus, atque eorum iustificatione: & quot personarum genera in eo lucrum percipere possint, videantur Franciscus Garcia, & Ludouicus Lopetius *vbi supra*, Molina *tom. 2. de iustitia, disput. 509.* Conradus *lib. 2. de contractibus tractatu 3. q. 71.* Briandus *quodlibet. 5.* Saa *in Aphorismis* V. *venditio*, & Martinus Delrio *in allegato cap. 4. quæst. 2.* & tamen huiusmodi sors *Lotheriæ* seu *Riffæ* exercetur à sortientibus plerumque, maximè quando fit priuatim, sine vlla necessitate, sola ioci, aut delectationis causa, aut ex sola intentione percipiendi aliquam sibi mercem vel supellectilem commodam. Dixi *quando fit priuatim*, nam quando fit publicè, hoc est, Reipublicæ, vel Principis authoritate, solent merces sortitæ pluris vendi, quàm iusto pretio, vt illa quantitas excedens non venditori cedat, sed vel causæ piæ, vel necessitati Reipublicæ, cui illam Princeps assignauit, & sub qua conditione licentiam huius sortiarij contractus concessit. 11

Vltimò probatur exemplo quotidiano sortium, super eligendis Sanctis aduocatis & tutelaribus. Mos † enim viguit per omnes fere Ecclesiæ prouincias, vt prima die Ianuarij, quæ est anni totius ianua, in quauis domo præsertim Religiosorum, singulis domiciliaribus, siue fratribus assignentur per sortem diuisoriam Sancti, quos eo anno habeant aduocatos & tutelares hoc modo. Primò in vnum vas coniiciuntur tot schedulæ, quot sunt sortientes, propriis singulorum nominibus inscriptæ, & in altetum mittuntur totidem schedulæ inscriptæ nominibus Sanctorum siue Sanctarum. Deinde quispiam educit ex vno vase schedulam Petri, verbi gratia, & ex altero educit schedulam vnius Sancti, verbi gratia, Sancti Francisci, & hunc suscipit pro suo tutelari, quem proinde in discursu totius anni speciali deuotionis aspectu inuocat in sui patrocinium: & sic de aliis. Qui vsus sortiendi Sanctos tutelares, est licitus & honestus, vtpote apud viros probatæ vitæ ac religiosos receptus. Et quia nullum in hoc fit præiudicium aut irreuerentia aliis Sanctis, quod vnus præ alio à me verbi gratia impensius colatur. Vnde hanc consuetudinem vt piam defendit Cæsarius Heisterbarchiensis, ex ordine Cistercienſi *lib. 8. miraculorum cap. 56.* dicens eam ex electione sortiali Diui Mathiæ emanasse: & tamen nulla vrget necessitas eligendi sic Sanctos tutelares. Quinimò facilior & congruentior modus foret vnicuique eligere in tutelarem eum Sanctum, qui sit vel Magister eius virtutis, quam vult imitari, vel Aduocatus illius ærumnæ quam patitur, verbi gratia, quod concionator eligeret in tutelarem Apostolum Paulum; qui paupertatis esset æmulator, eligeret Sanctum Franciscum; & qui dolore dentium premeretur, eligeret Sanctam Apolloniam, & patiens dolorem gutturis, eligeret Sanctum Blasium; eósque impensius colerent homines, quorum ope ad suas ærumnas subleuandas confidunt melius fore adiuuandos. 12

Verùm † huic consuetudini receptissimæ opponunt quidam; Primò illud decretum Concilij Agathensis *cap. 38.* relatum à Gratiano *in decretis 26. q. 5. Canone Aliquanti*, damnans eas, quas Sanctorum Patrum sortes vocant: & quòd à Gelasio Papa *dist. 15. c. Sancta Romana Ecclesia* reiicitur vt apocryphus liber, qui dicebat *sortes Apostolorum*. Deinde obiiciunt, quod non licet sorte diuisoria eligere Magistrum, Ducem, Iudicem, aut Magistratum, nisi vrgente necessitate: ergo pari ratione nec licebit eligere sorte diuisoria Diuum tutelarem & patronum, nisi vrgenti necessitate. Rursus vti sorte consultoria non licet nisi vrgenti necessitate, ne tentatio Dei incurratur. Atqui ista Diuorum tutelarium sortitio provt communiter fit, licet ex vna parte sit diuisoria, simul ex alia est consultoria; est namque diuisoria quatenus cumulus Diuorum inter sortientes partitur: consultoria autem quatenus sortitio succedit loco consilij sperati à Deo præparante sortes, vt eueniant singulis sortientibus illi Diui, qui eis sint fauorabiliores, quos proinde vt sibi à Deo voluntate signi datos acceptant, & impensius colunt: stultè quoque & imprudenter sperant sic sortientes, Deum per has sortes declaraturum, qui Sanctus præ aliis debeat ab isto aut illo impensius coli, aut quis Sanctus magis proderit, quàm alius: hanc enim expectationem neque Deus promisit, neque sortiales actus efficiunt suapte natura. 13

Sed

14 Sed † hiis non obstantibus nostra ratio manet inconcussa, & dicta consuetudo sortiendi Diuos tutelares, provt communiter apud viros doctos & personas religiosas fit, sustinenda est vt proba & neutiquam damnabilis, vtpote viris & fœminis probatæ virtutis recepta, & exercita. Surius namque in vita Sanctæ Elisabethæ viduæ refert, ei pro voto ter consequenter sorte Ioannem Euangelistam obtigisse: Necnon Reginæ nostræ Hispaniæ Elisabethæ, vt filio suo primogenito & Principi Balthasari Carolo in Baptismate nomen vnius ex tribus Regibus Magis pro voto imponeret, bis consequenter nomen Balthasaris dicitur obtigisse.

15 Quapropter † ad primam obiectionem in contrarium, dicendum est illas sortes Sanctorum & Apostolorum damnatas à Concilio Agathensi, & à Gelasio Papa, non esse istas, quæ fiunt pro deligẽdis Sanctis tutelaribus, sed alias longè diuersas, quæ diuinationis causa in nomine quorundam Sanctorum vel Apostolorum fiebant, vt patet ex ipso contextu dicti Canonis *Aliquanti*, qui sic habet. *Aliquanti Clerici siue Laïci studeant auguriis, & sub nomine fictæ religionis per eas, quas sanctorum Patrum sortes vocant, diuinationis scientiam profitentur, aut quarumcumque scripturarum inspectione futura promittunt.* Fortassis quoque sors Apostolorum reiecta, aut saltem parum tuta & nonnihil suspecta erat illa, cuius meminit Marinæus *lib.* 10. *rerum Hispaniarum*, & quam narrat vsum fuisse Petrum, Septimum Regem Aragoniæ, Zelo quidem Dei motum, sed non secundùm scientiam, vt nato sibi primogenito nomen imponeret, iussisse duodecim cereos albos eiusdem ponderis & mensuræ in sacello Diuæ Virginis accendi, cum nominibus duodecim Apostolorum singulis cereis inscriptis, vt illius Apostoli nomen filio suo imponeret, cuius cereus reliquis consumptis, solus diutius perdurasset; & quoniam cereus Diui Iacobi nomine insignitus supra reliquos diuturnitate perdurasset, propterea natus infans Iacobus est nuncupatus, cuius sortitionis faustitatem præclara gesta Regis nati manifestarunt.

Tutior verò & securior est alia quædam sors Apostolorum, ac proinde minimè vetita, cuius meminit Cæsarius in loco superius allegato, dicens consuetudinem Prouinciæ nostræ Matronis esse, vt tali cum sorte specialem sibi Apostolum eligant. *In duodecim candelis* (ait ille) *duodecim Apostolorum nomina singula in singulis inscribuntur, quæ à Sacerdote benedicta altari simul imponuntur; accedens verò fœmina, cuius nomen per candelam extraxit, illi plus cæteris honoris & obsequij impendit.* Sicque (vt legimus apud Lopez Gomeram in historia Mexicana *cap.* 21.) Ferdinando Cortezio sortienti, Sanctus Petrus Apostolorum Princeps, illius nouæ Ecclesiæ à se fundatæ, Patronus & veluti petra fundamentalis obuenit. Ad secundam admisso antecedente, fateor consequentiam; vanitatis enim vitio non carebit ista Diuorum sortitio, si absque vlla necessitate fieret, licet non tanta requiratur necessitas, quanta in sortitione Iudicum, & Magistratuum secularium; eò quòd in hiis posset sors fauere minus idoneo, & minus digno in Reipublicæ damnum: quod periculum non imminet in sortitione Diuorum, qui Deo fruuntur & in Cathalogo sanctorum ab Ecclesia sunt adscripti. Ad tertiam Turrian. noster *vbi sup. disp.* 3. *dub.* 3. §. *in quarta obiectione*, & Diana *parte quinta*, non omnino approbant istam consuetudinem apud Hispanos deligendi Sanctos tutelares, sed ex parte condemnant vt illicitam, vanam & superstitiosam, nimirum quatenus dicta sortitio vt communiter excercetur, est consultoria & sine vrgentissima necessitate facta. Verùm nimis iustos se ostentant hij Authores, & summa iustitia, summa quoque iniuria esse solet. Ego econtra existimo huiusmodi sortitionem provt in Hispania communiter apud viros siue fœminas religiosas fieri consueuit, nihil consultoriæ sortis admiscere, sed purè diuisoriam esse ac proinde licitam, & omnis superstitionis esse expertem. Si tamen alibi consultoria sors in hac Diuorum partitione admisceretur, vanitatis ac superstitionis vitio non careret, à quo tamen sortientes ob ignorantiam & bonam fidem excusarentur.

Ad quartam nego antecedens, si talis mani- 16
festatio expectetur facienda † à Deo, vt à causa prima voluntate beneplaciti operante, hoc enim modo concurrit Deus ad quosuis effectus causarum secundarum; vnde expectare à Deo & eius prouidentia, vt singulis sortientibus det per sortem singulos Diuos, quos in discursu anni, aut vitæ impensius colant & inuocent, supposita eorum conuentione, quod impensius colent & inuocabunt Sanctos, quos sors eis dederit, nullam irreuerentiam Deo inuoluit. Quinimo nullam vanitatem, si hæc sortitio fiat ex aliquali necessitate, verbi gratia, ob vitandam discordiam, quæ inter fratres, aut domesticos, siue sorores eiusdem Communitatis posset oriri ex eorum pio desiderio colendi impensius, & præ cæteris aliquem Sanctum. Nam tunc si omnes, aut plures hoc pium desiderium in vnum & eundem Sanctum explicarent: fieret inter illos non parua contentio, atque discordia, quæ nulla alia via melius & facilius posset extingui, quàm ad sortes recurrendo.

Ad primum autem † ex adductis à principio, 17
pro opinione requirente causam necessitatis pro omni sorte diuisoria, dicito; à Salomone explicari in eo loco principalẽ finẽ & regulariter requisitum. Ad secundũ dicito, S. Doctorem in eo opusculo illius fuisse opinionis, quam postea in loco Summæ temperauit, per particulam *fortè*. Ad confirmationem, data maiori præmissa, & minori: neganda est consequentia. Nam in sortitione diuisoria propriarum rerum, quas Dominus sicut pro libito potest distrahere, ita & per sortem diuidere sine vlla vrgenti necessitate, dummodo ex aliquo honesto & rationabili fine operetur, scilicet vt melius, æqualius, jocundius & commodius, tales res inter sortiẽtes amicos, siue domesticos diuidãtur. In quo sicut nulla fit Deo irreuerentia, ita neq; vlla Dei incurritur tentatio; etiamsi diuisio sortialis committatur fortunæ rectè intellectæ, hoc est non excludenti diuinam prouidentiam, nullum peccatum est, ait D. Thom. *in dicto quodlibeto*; & subdit, aut tantum leue, vt illud peccatum fortè vanitatis, quod in sorte diuisoria fortè inueniri potest, quãdo exercetur super hiis

rebus,quæ dependent ab aliorum dominio aut poteſtate, puta officiorum, Magiſtratuum, dignitatum & ſimilium. Aut etiam ſi mauis, diſtingues minorem : peccatum tentationis Dei purgatur per conditionem neceſſitatis in illis ſortibus diuiſoriis, quæ hanc conditionem expoſcunt,concedo ; de quarum numero diximus eſſe ſortitionem Sanctorum tutelarium : in aliis autem quæ hanc conditionem non expoſcunt, nego; qualis eſt ſortitio rerum, quas proprius Dominus vult,delectationis,aut amicitiæ oſtendendæ cauſa inter amicos, vel ſuos domeſticos per ſortem partiri.

18 Dico Tertio; †Sortitio diuiſoria redditur illicita ex parte materiæ, ſi fiat ſuper dignitatibus Eccleſiaſticis. Illicita inquam, non quia mala ſit ab intrinſeco, ſed eſt mala quia prohibita, *cap. finali de ſortilegiis.* Hæc concluſio eſt Angelici Doctoris *in dicto art.* 8. & communiter à Theologis recepta. De qua videndi ſunt Caietanus *ibi* §. *Eſt tamen hic dubitandi.* Torre *diſp.* 3. §. *Ad ſecundam obiectionem*; & tribus dubiis ſequentibus,& Martinus Delrio *vbi ſupra.* Et probatur primò, quia talis ſortitio ſi eſſet mala ab intrinſeco, eſſet mala ex obiecto, ſicut mendacium, furtum, & homicidium, & ſimilia quæ ſunt prohibita, quia mala; atqui illam ſic non eſſe malam patet, quia de ſe & ex obiecto non habet vnde vitietur magis,quàm dignitatum & Præfecturarum ſecularium ſortitio; quia vtraque poteſt committi fortunæ,præſertim quando lites ac diſcordiæ aliter terminari aut vitari non valent : & ſortitio fit inter æquè dignos & idoneos. Tum etiam, quia non eſt prohibita iure naturali aut Diuino de ſe,niſi quatenus vitiatur ex aliqua adiuncta circunſtantia, videlicet aut ratione iniuſtitiæ,aut irreuerentiæ, aut tentationis Dei ob defectum vrgentis neceſſitatis, aut alicuius circunſtantiæ ad moralem actus bonitatem requiſitæ. Secundò, quia pari ratione eſſet mala ſortitio in ſecularibus Præfecturis, quæ etiam debent conferri dignioribus,& qui bonum commune procurent magis, & quarum electiones etiam fiunt ex motione & concurſu Dei authoris naturæ, ſicut electiones Eccleſiaſticarum dignitatum fiunt ex inſpiratione Spiritus Sancti, vt authoris gratiæ. Et tamen D. Thomas ait licitum eſſe, committere ſortibus diuiſoriis electiones dignitatum temporalium, quæ ad terrenam diſpoſitionem & temporale regimen ordinantur : ergo ſentit non eſſe de ſe malum committere ſortibus electiones Eccleſiaſticarum præfecturarum; quod enim de ſe eſt malum, ſemper & vbique eſt malum. Atqui licitam fuiſſe talem ſortitionem in lege Veteri, patet in Summo Pontificatu illius legis collato Aaroni per ſortes, vt refertur *Numerorum* 17. & Apoſtolatu collato Diuo Mathiæ per ſortem, *Actorum* 1. ergo.

19 Quod autem ſit huiuſmodi † ſortitio iure humano Pontificio prohibita, patet ex *dicto cap. finali de ſortilegiis*, vbi Honorius III. ſcribens Capitulo Lucanenſis Eccleſiæ,quod ſorte tres compromiſſarios elegerat, vt illi vice totius Capituli Epiſcopum eligerent, prout de facto elegerunt, reſpondet : *Electionem celebratam de ipſo ad gratiam confirmationis admittimus, ſortis vſum in electionibus perpetua prohibitione damnantes.* Eſtque huic Capiti præfixa hæc concluſio. *Non ſolum electio* (intellige Eccleſiaſtica) *per ſortes fieri non debet, ſed etiam electiones compromiſſariorum per ſortes aſſumi non debent.* Nomine autem Eccleſiaſticæ dignitatis intelligitur illa,in qua officium aliquod aut beneficium, vel adminiſtratio ſiue iuriſdictio Eccleſiaſtica confertur. Sed † ex huius decretalis contextu 20
nonnullæ inſurgunt difficultates. Prima quia abſolutè & ſine diſtinctione prohibet in electionibus vſum ſortium; vbi autem lex non diſtinguit, nec nos diſtinguere debemus; igitur pariter ſecularium atque Eccleſiaſticarum dignitatum ſortitio hac decretali manet prohibita. Secunda, quia nulla apparet ratio diſcriminis, ob quam Ius Canonicum debuit vnam, & non alteram prohibere ſortitionem, cùm neutra de ſe ſit illicita & mala, & vtraque ex adiunctis circunſtantiis poſſit illicita reddi.

Tertia eſt, quia ſi hæc prohibitio Iuris Canonici eſſet ſeruanda,cùm negatiua & vniuerſalis ſit eius formula, in nullo caſu poſſet committi ſorti electio Eccleſiaſtica : quod tamen eſſe falſum patet in caſu, qui frequenter accidit in communitatibus, nimirum quod poſt ſæpius intentam electionem, duo habent paria ſuffragia,quod vulgo dicitur *empatar.* Tunc enim nullum aliud ſupereſt remedium, neque aliter poteſt diſcordia ſopiri, niſi Iudicium ſorti committere,non quidem vt electio fiat,quæ iam per ſuffragia facta eſt in duobus, qui æquè idonei fuerunt iudicati, & electi; ſed vt electio facta, determinatè ſortiatur in vno illorum duorum effectum. Rurſus poſſet ob vitandas diſcordias,ſi aliter eas vitare non valeret,Congregatio eligere duos aut tres magis idoneos ad Eccleſiaſticam præfecturam; vt poſtea ſuper illos mittatur ſors, quia hoc in caſu iam non committitur electio ſorti,quod in dicta decretali eſt prohibitum : ſiquidem iam illi duo vel tres ſunt electi à tota Congregatione,aut ab illius maiori parte;& ſolùm ſorti committitur,in qua perſona ex illis electis, debeat electio habere effectum. Quarta difficultas eſt, quod talis electio Eccleſiaſtica licet ſit ibi prohibita,tamen ſemel facta per ſortem,erit valida propter duo. Tum quia ibi electio facta à Canonicis Lucanenſibus ſupponitur valida, ſiquidem admittitur ad gratiam confirmationis, & confirmatio ſupponit valorem actus, vt ſentit Gloſſa ibi. V. *Ad gratiam.* Tum etiam quia in ea prohibitione nullum verbum additur annullans,aut irritans,niſi tantùm prohibens vſum ſortium in electionibus : Lex autem prohibens non irritat,niſi addat verbum declarans nullitatem actus : ergo.

Quinta difficultas eſt, quod ea prohibitio cùm odioſa ſit, debeat reſtringi ad proprietatem verborum, & non extendenda ad reliquas conuẽtiones,quæ electiones non ſunt,ac proinde non erit extendenda ad compoſitionem litigantium ſuper beneficio Eccleſiaſtico. Vnde talis compoſitio poterit fieri per ſortes : quod tamen videtur eſſe inconueniens, poſſet enim ſors fauere litiganti,qui non haberet iuſtum titulum.

Verùm † ad propoſitas difficultates ſigillatim reſpondendum nobis eſt. Ad primam igitur reſpondeo,in eo textu de ſolis electionibus Eccleſiaſticis fieri ſermonem, ac proinde in ſolis illis prohiberi vſum ſortium : vnde per illud nomen *electionibus*, Eccleſiaſticas dumtaxat licet intelligere, iuxta contextum & eius 21
communem

communem Glossæ ac Doctorum interpretationem, qui pariter sentiunt de ciuilibus ac secularibus electionibus nihil ius Canonicum dispoſuisse.

22 Ad Secundam respondeo † multas esse rationes, ob quas expediens fuit Ecclesiasticas electiones sortibus non committere. Prima est quam ibi Glossa assignat, & videtur colligere ex contextu, nimirum ob vitandas fraudes, & inconuenientia, quæ in huiusmodi sortibus solent admiscери. Secunda, ne Catholici in eligendo Sacerdotes, conuenirent cum Ethnicis, & Gentilibus; quos habere consuetudinem vnoquoque anno eligere sortibus Iouis Sacerdotem, refert Cicero de Syracusanis *oratione 4. in Verrem.* Tertiam & quartam rationem assignat Caietanus *in dicti artic. 8. commentario. §. sed hæc ambiguitas:* dicens, quod terrenæ dignitates & administrationes, vtpote ad terrena officia ordinatæ, parùi pendendæ sunt; & ideo licitum est in illis vti sortibus, dummodo tantùm idonei & digni ad illas admittantur; secus autem in Ecclesiasticis, quæ quia ad spirituales functiones ordinantur, & ad æternam hæreditatem, in electione & Spiritu Sancto debent permanere. Rursus finis & præcipuum bonum dignitatum temporalium est pax temporalis ciuium & externa, ad quam sortes ordinantur. Finis autem & præcipuum bonum dignitatum spiritualium est pax Dei, quæ exuperat omnem sensum, à solóque Spiritu Sancto effici potest, ideóque à solo illo mediante concordi electione expectari debet; Vnde & antecedenter ad electiones Ecclesiasticas, Missa Spiritus Sancti celebrari iubetur, ad illius auxilium implorandum, quo Electorũ animos ad concordem electionem conciliet, ac proinde licet ex tali electione inter electores turbatio prudenter timeatur, nunquam Ecclesiastici Prælati per sortes sunt eligendi, quia sortitio solùm ad vitandam turbationem & discordiam temporalem ordinatur; sed non potest efficere illam pacem quam mundus dare non potest, scilicet spiritualem, quam solus Spiritus Sanctus fidelium cordibus infundit, & ad quam Spirituales præfecturæ ordinantur.

Ad tertiam, admissa maiori præmissa neganda est minor: etenim existimo cum Glossa *in cap. duobus de rescriptis in sexto*, Felino *in cap. Capitulum, eodem titulo*, cũ Cardinali *in cap. licet causam, de probationibus*, & aliis, neque in illo casu licitum recursum ad sortes, quia tunc neutrius est electio. Vnde si ad sortem recurreretur, iam tota electio committeretur sorti contra prædictam iuris prohibitionem. Neque in secundo casu licita est sortitio ob eandem rationem. Nec non quia sunt alia remedia congruentiora: supersunt enim in vtroque casu duo remedia; nimirum aut remedium compromissariorum approbatum *in cap. Quia propter, de electione*; vbi tres tantùm modi eligendi Prælatos Ecclesiasticos approbantur, scilicet scrutinij, aut per viam compromissi, eligendo scilicet compromissarios, qui vice omnium electorum nominent Prælatum, aut communis inspirationis: Ergo licet sortitio compromissariorum etiam sit prohibita *in dicto cap. finali de sortilegiis*, tamen electio compromissariorum, approbata est in eo *cap. Quia propter*: aut etiam remedium recursus & deuolutionis ad Superiorem, quod in congregationibus bene institutis inuenitur; vt in ordine Prædicatorum est constitutio iubens, quod Vocalibus ad electionem Prælati accedentibus, & non concordantibus intra vnum mensem, illo transacto, deuoluatur electio ad Prouincialem. Quod si in huiusmodi euentibus in aliqua Religione aut Congregatione reperiatur consuetudo recurrendi ad sortes, approbante & consentiente Summo Pontifice, licita erit talis sortitio, ex eo quod censetur Summus Pontifex in iure communi dispensasse.

Ad Quartam difficultatem respondet Glossa, talem electionem sortitione factam venire quidem irritandam, sed non esse ipso iure irritam. Verior tamen est sententia Panormitani (quam & sequitur Torre *vbi supra dub. 2.*) asserentis omnem electionem sortitione factam post latam illam *leg. capit. finalis de sortilegiis*, esse ipso iure nullam, eò quòd est facta contra iuris dispositionem; & facta contra ius habentur pro infectis iuxta regulam Iuris *in sexto*. tum etiam, quia est contra formam præscriptam *in dicto cap. Quia propter, de electione*, vbi dicitur: *Aliter electio facta non valeat*. Tum denique, quia licet Honorius III. illam electionem Lucanensis Capituli gratiosè confirmauerit, eò quòd fuerat facta ante conditam à se legem, antequam nondum erat prohibitus modus eligendi per sortes Prælatos Ecclesiasticos: Verùm occasione sumpta illius facti, omnem deinceps electionem Prælati Ecclesiastici sortibus commissam, aut committendam, ob inconuenientia fraudis scilicet & iniustitiæ, quæ talem modum solent comitari, prohibuit & annullauit, dicens. *Sortis vsum in electionibus perpetua prohibitione damnantes.* Quod participium *damnantes*, æquiualenter, licet non expressè, significat nullitatem, cùm de æquipollentibus eadem sit ratio. Alioquin si præceptum dumtaxat voluisset Pontifex imponere, sufficerat ei dicere, *perpetuò prohibemus*: dum autem addidit *damnantes*, voluit quod talis prohibitio annullationem includeret.

Circa † quintam dissentiunt Doctores. Nam 23
alij relati à Felino in præallegato *cap. Capitulũ, num. 21.* affirmant licitum esse vsum sortium, in terminandis litibus Ecclesiasticis: ipse verò Felinus *vbi supra*, & Cardinalis *in dicto cap. causam*, cum aliis sentiunt oppositum; qui tamen possunt ad hanc concordiam reduci. Nimirum quòd licet talis sortitio non sit iure prohibita, tamen si fiat priuata partium litigantium authoritate, erit illicita; secus verò si fiat authoritate Iudicis superioris. Prima pars huius asserti, patet argumento facto ab Authoribus prioris opinionis, quia scilicet *in dicto cap. finali de sortilegiis*, solùm prohibetur vsus sortium in electionibus Ecclesiasticis. Secunda pars conuincitur argumento facto ab Authoribus posterioris sententiæ; nimirum quoniã per huiusmodi sortitionem incurritur periculum obtinendi beneficium sine legitimo titulo, vtpote quem non potest dare ei, cui fauet sors, consensus partis aduersæ, si aliàs illum non habebat: & simul incurritur peccatum sacrilegij, quatenus sortientes exponunt se periculo, irreuerenter & sine potestate tractandi rem sacram.

Denique Tertia pars probatur, quia quando sortitio

sortitio fit inter litigantes authoritate Iudicis, vtrumque periculum vitatur: nimirum & vitiosi ingressus in beneficium, & irreuerentis tractationis. Primum quidem, quia mediante illo pacto & sortitione, Iudex confert titulum beneficij, ei cui fauerit sors. Etenim pactum sortiendi, tunc materialiter & vt conditio se habet respectu authoritatis Iudicis, quæ est ibi tota ratio operandi. Secundum verò, quia iam adest legitima potestas obtinendi beneficium, ob cuius defectum erat illius irreligiosa contractatio.

§. V.

De vsu sortis consultoriæ, cum quibus conditionibus licitus reddi queat?

SVMMARIVM.

1 *Sors consultoria tot exigit conditiones ad sui rectitudinem, vt rarò sit licita.*
2 *Referuntur quatuor conditiones ad sortem consultoriam requisitæ. 1. Articulus necessitatis. 2. Positiuus actus reuerentiæ. 3. Modus proportionatus. 4. Debita materia.*
3 *Quibus omnibus & solis concurrentibus, licitum erit vti sorte consultoria.*
4 *Respondetur obiectioni Martini Delrio, asserentis sortem consultoriam atque diuinatoriam esse damnabilem, & sub anathemate prohibitam.*
5 *Opponuntur quædam obiectiones, quæ pro veritate harum assertionum elucenda, conducunt.*
6 *Respondetur obiectionibus, & Prima quidem; dicendo ex sortibus legis antiquæ nullum posse sumi argumentum, ad iustificandum vsum sortium in lege Euangelica.*
7 *Impugnatur Beda, asserens hanc legem sortiendi durasse in Apostolis vsque ad electionem Mathiæ, &c.*
8 *Patronatus Diui Iacobi super Hispaniam nulla humana authoritate potest tolli aut minui.*
9 *Refertur triplex sententia Patrum de electione Mathiæ ad Apostolatum.*
10 *Quæ sententiæ etsi veneratione dignæ, nonnullas tamen patiuntur difficultates; quarum Prima à Patribus reiicitur, vtpote textui non conformis.*
11 *Examinatur secunda sententia, & in quo verum dicit, in quo non, monstratur.*
12 *Tertia sententia secundum quid Authori non probatur, neque à Patribus recensitis expressè asseritur.*
13 *Licitum est orare pro quibuscunque rebus obtinendis, siue magnis siue paruis, modò non sint peccaminosæ.*
14 *Respondetur tertiæ obiectioni, scilicet de sorte quæ fit per diuina oracula & sacræ paginæ testimonia.*
15 *Principes hoc sortitionis genere vtentes, à vitio vanitatis non excusantur, nisi eos bona fides, & ignorantia inuincibilis excuset.*
16 *Refertur alius modus, quo licitus erit Catholicis iste ad sacrorum librorum apertionem recursus.*
17 *Circa quartam obiectionem duo examinantur. Primum est de vtilitate sortis consultoriæ, quæ nullum certum aut probabile iudicium causat in sortiente de euentu inquisito. Secundum est sensus axiomatis*; Superstitiosum est præsagium vnde sumi non valet.
18 *Ad quæsita respondetur, eorúmque difficultas enodatur.*
19 *Latum est discrimen inter diuinationem factam per sortes, & diuinationes, quæ fiunt per alias vanas obseruantias, scilicet per astra, auguria, &c.*

AD hanc dubitationem respondeo duabus conclusionibus. Quarum prima sit. Sors † consultoria, qua consulimus quid agendum 1
sit, & in qua sors succedit loco consilij, tot exigit conditiones ad sui rectitudinem, vt rarò sit licita. Hæc assertio est expressa Caietani *in loco citato summæ*; & insinuata satis ab Angelico præceptore *in opusculo allegato cap. 5. & in dicto art. 8.* probatúrque discursu eiusdem Sancti Doctoris *ibidem*: Ad † consultoriam sortem quatuor ad 2
minus requiruntur conditiones. Requiritur namque primò articulus necessitatis, ne tentetur Deus, vbi industria humana potest prouideri: quia prædicta necessitas (ait ille) in qua licitum est per sortes diuinum iudicium implorare, maximè locum habet in sorte consultoria. Secundò requiritur reuerentia, ne scilicet irreuerenter consulatur Deus. Nam vt dicit Beda *vbi supra. Si qui necessitate aliqua compulsi Deum putant sortibus exemplo Apostolorum esse consulendum, videant hoc, ipsos Apostolos collecto fratrum cætu, & precibus ad Deum confugisse.* Quæ conditio nedum negatiuè, sed etiam positiuè est accipienda, hoc est, non solùm requiritur negatio irreuerentiæ, sed etiam positiua reuerentia per aliquem actum orationis, aut humiliationis, Deo exhibita antecedenter ad actum sortialem; quod minus aduertenter negauit Torre *vbi supra disp. 2. §. 1.* idque manifestè conuincitur, ex adducto testimonio Bedæ, quod refert D. Thomas, ad probandam exigentiam huius conditionis, exemplo Apostolorum, qui nedum negatione irreuerentiæ, sed positiuo actu reuerentiæ se ad sortitionem Apostolatus Mathiæ disposuerunt, scilicet collecto fratrum cætu, & precibus ad Deum fusis. Tum etiam quia negatio irreuerentiæ ad cuiuscumque humani actus moralem bonitatem exigitur, vt ipse Turrianus fatetur. Atqui Beda & D. Thomas specialiori modo, dicunt ad sortitionem consultoriam exigi reuerentiam: ergo sentiunt exigi positiuam reuerentiam. Fateor quidem negatiuam sufficere ad diuisoriam, cuius euentus fortunæ committitur, de qua fortè loquebatur Turrianus: secus autem ad consultoriam, quæ defectu positiuæ reuerentiæ vitio vanitatis & temeritatis, aut irreligiositatis non carebit, quia indebitè Diuinum Iudicium implorat. Tum denique quoniam propterea olim huiusmodi consultoriæ sortes semper cum positiua reuerentia erga Deum celebrabantur. Nam primò statuebantur sortituri coram Deo, mox oratio fundebatur; deinde sortes singulis dabantur, quæ & miscebantur in sinu, vrna, vel alio vase; aut commixtæ in altum proiiciebantur, indéque cuius sors exibat super eum cadere dicebatur; quam formulam

mulam in electione Sancti Mathiæ sorti commissa seruatam legimus *Actorum* 1. facitque in eandem sententiam Tertia conditio, videlicet modus proportionatus, ne scilicet diuina oracula, aut Sanctorum reliquiæ ad secularia negotia conuertantur: eò quòd nonnulla irreuerentia est grauis, aut leuis secundum negotiorum qualitatem, miscere sacra prophanis. Huius conditionis exigentiam probat D. Thomas ex testimonio Parentis Augustini *Epistola* 119. ad inquisitiones Ianuarij *cap.* 20. ibi. *Hi qui de paginis Euangelicis sortes legunt, etsi optandum sit, vt potius faciant, quàm ad Dæmonia consulenda concurrant; tamen ista mihi displicet consuetudo, ad negotia secularia, & ad vitæ huius vanitates, diuina oracula velle conuertere.*

Quartò denique exigitur debita materia, ne scilicet pro electionibus spiritualibus, siue Ecclesiasticis hoc fiat, vtpote quas Spiritus Sancti inspiratione fieri debere docet Beda super *Actorum* 1. *cap.* Necnon quia Ecclesia id prohibuit in sortibus diuisoriis, *in dicto cap. finali de sortilegiis*: ergo à fortiori in consultoriis. Patet consequentia; nam omnes conditiones requisitæ ad rectitudinem sortis diuisoriæ, à fortiori & strictius requiruntur ad rectitudinem sortis consultoriæ, vtpote quæ facilius vitiatur, & difficilius redditur licita. Diuisoria namque non semper exigit articulum necessitatis, vtpote sine qua diximus fieri licitè in propriarum rerum, aut etiam minimi momenti rerum diuisione. Neque semper exigit positiuam reuerentiam: exigit tamen indispensabiliter fieri debito modo, & supra debitam materiam: igitur sors consultoria indispensabiliter exigit has quatuor conditiones ad sui rectitudinem: nimirum, articulum necessitatis, positiuum actum reuerentiæ, debitum modum, ne sacra misceat prophanis; & debitam materiam, ne scilicet fiat super electionibus Ecclesiasticis, ob Canonici Iuris prohibitionem: Cùm igitur rarò istæ conditiones concurrant, ideo & rarò redditur licitus vsus sortis consultoriæ.

Secunda conclusio sit. † Concurrentibus tamen hiis omnibus & solis conditionibus, licitum erit vti sorte consultoria. Hæc assertio statuitur aduersus Martinum Delrio *vbi supra cap. 2. q. 7. section. 4. ad calcem*, asserentem sortem consultoriam pariter atque diuinatoriam, damnabilem esse: & sub anathemate prohibitam *in cap. sortes* 26. *q.* 5. vbi ex Leone IV. ad Episcopos Britanniæ scribente, hæc refert Gratianus. *Sortes quibus cuncta vos vestris discriminatis prouinciis, quas Patres damnauerunt, nihil aliud quàm diuinationes & maleficia esse decernimus: Quam ob rem volumus, illas omnino damnari, & inter Christianos vltra volumus nominari, & ne exerceantur, anathematis interdicto prohibemus.* Quod amplius probat hic Author; quia sors consultoria est illa, per quam inquirimus, quid nobis agendum vel iudicandum sit: hæc autem non licet nobis nisi à Deo inquirere. Deus verò non vult nos suam voluntatem inquirere per sortes, sed petere illam à doctrina Ecclesiæ, Sacra Scriptura, Superioribus nostris, & ab aliis doctis ac piis viris: subditque esse lethale peccatum quando quidpiam superstitionis adhibetur, vel sorti certò creditur: qui autem simpliciter, peccatum tantùm veniale committeret. Sed nostra assertio probatur. Tum quia est expressa Angelici Doctoris & Caietani in locis præallegatis: qui antiquissimum istum Canonem à Martino citatum ignorare non potuerunt. Tum etiam, quia D. Thomas cum quatuor conditionibus recensitis, dixit licitum esse diuinum iudicium implorare, neque alias conditiones ad rectitudinem consultoriæ sortis postulauit: ergo sensit cum eis dumtaxat licitum fore vsum sortis consultoriæ.

Ad † primum autem fundamentum Martini Delrio ex Canone *sortes* petitum, dicito, Canonem hunc damnare solùm sortilegos & diuinatoriæ sortis professores: vt patet ex eius contextu, & eiusdem quæstionis quintæ titulo, qui de Sortilegis vel Diuinis inscribitur. Ad secundum à ratione petitum, negabis minorem pro secunda parte: Neque enim Deus prohibet nobis, ne suam voluntatem per sortes inquiramus, alioquin vsus sortium esset iure diuino prohibitus & intrinsecè malus, contra Parentis Augustini dictum super *Psalm.* 30. *Sors non est aliquid mali, &c.* Neque à Salomone diceretur sortes à Domino temperari: igitur Deus etiam vult, vt concurrentibus præfatis conditionibus, eius voluntatem & consilium circa agenda à nobis per sortem inquiramus, vtque loco consilij sors succedat, dummodo ei certam fidem veluti diuino oraculo non adhibeamus.

Sed vt † veritas harum assertionum magis eluceat, operæ pretium est quarundam obiectionum phalangem opponere. Primò namque occurrunt exempla Sacræ Scripturæ, nimirum Achoris *Iosue* 7. Ionathæ 1. *Reg.* 14. & Ionæ fugientis à facie Domini, qui sorte consultoria in suis criminibus deprehensi sunt, deficientibus duabus conditionibus, videlicet articulo necessitatis, & positiua reuerentia. Mathias quoque ad spiritualem dignitatem, videlicet Apostolatum loco Iudæ per sortem ab Apostolis fuit electus, vt refertur *Actorum* 1. ergo non tot exiguntur conditiones ad rectitudinem sortis consultoriæ.

Secundò; nam sicut licitum est Deum exorare pro rebus magnis & paruis, ac proinde sine vrgenti necessitate: ita licitum est Deum consulere expectando manifestationem diuinæ voluntatis, pro rebus siue magni momenti, siue parui, in quibus necessitate non vrgemur: vt licitum est viatori ad diuium peruenienti sortiri de ingredienda via: non quidem sicut fecit Rex Babylonis superstitione vtendo, & exta consulendo, sed simplicem sortitionem faciendo. Tertiò multi viri sancti sine peccato, imo laudabiliter circa agenda à se diuinam voluntatem exquisierunt, sortiendo per diuina oracula & sacræ paginæ testimonia: ergo tertia conditio non exigitur ad rectitudinem sortis consultoriæ. Antecedens patet: nam D. Basilius Epistola ad Eustachium Sebastiæ Episcopum de seipso refert ita fecisse: & Augustinus *lib.* 8. *Confessionum cap vltimo*, similiter de se ipso narrat, quòd sedens sub quadam ficu in lachrymas prorumpens, audiuit vocem per modum cantus de vicina domo sibi dicentem. *Tolle, lege, Tolle, lege*: ex qua intellexi (ait ille) *diuinitus mihi iuberi, vt aperirem codicem Sacrum, & legerem, quod primum caput inuenissem. Audieram enim de Antonio, quod ex Euangelica lectione, cui fortè superuenerat*

peruenerat, admonitus fuerit tanquam sibi diceretur, quod legebatur, Math.19. Vade & vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cœlis, &c. & tali oraculo confestim ad me esse conuersum. Arripui, aperui, & legi in silentio capitulum, quò primò coniecti sunt oculi mei. Non in comessationibus & ebrietatibus, non in cubilibus & impudicitiis, non in contentione & æmulatione, sed induite Dominum Iesum Christum, & carnis prouidentiam ne feceritis in concupiscentiis Rom. 13. Nec vltra volui legere, nec opus erat; statim quippe cum fine huius sententiæ quasi luce securitatis infusa cordi meo, omnis dubitationis tenebræ diffugerunt, &c. Sancta quoque Theodora Alexandrina, tali sortitionum genere vsa legitur apud Methaphrastem Vndecima Septembris; & Gregorius Turonensis *lib. 4. historiæ c.16. & 20.* refert quosdam Sacerdotes Galliæ, apertis codicibus Sacris, consuluisse de fortuna Chranni filij Regis Francorum: multique alij similes casus videri possunt in Andranico apud Gregor. *lib.8.* in Athanasio *in vita Antony*, & in Sulpitio *in vita Sancti Martini.*

Vltimò arguitur, ex eo quod adhuc concurrentibus dictis quatuor conditionibus, non potest sumi certa aut probabilis coniectatio ex sorte consultoria: quia Deus nullibi eam certitudinem promisit. Et quia sæpenumero contingit in huiusmodi sortitionibus oppositum veritatis indicari, vt in Monomachia multoties innocens vincitur & succumbit, nocente manente victore, iusto Dei iudicio: ergo vanus est huiusmodi sortium vsus, imo & superstitiosus: quia superstitiosum est sumere præsagium vnde sumi non potest.

6 Ad primum † nihilominus respondetur, ex sortibus legis antiquæ nullum posse sumi argumentum, ad iustificandum vsum sortium in lege Euangelica. Nam vt post Hieronymum & Bedam monuit Gratianus *in decretorum 2. parte 26. quæst.2. §. his ita respondetur*: lex illa vtendi sortibus cum præmissa quadam orationis formula, fuit cæremonialis à Deo per Moysem illi populo data quæ proinde abrogatione Veteris Testamenti cæremoniarum, cessauit. *Nam antequam Euangelium clarescieret,* (ait Gratianus) *multa permittebantur, quæ tempore perfectioris disciplinæ penitus sunt eliminata. Copula namque Sacerdotalis vel consanguineorum, nec legali, nec Euangelica vel Apostolica authoritate prohibetur, Ecclesiastica tamen lege penitus interdicitur. Sic & sortibus nihil mali inesse monstratur: prohibentur tamen fidelibus, ne sub specie diuinationis ad antiquos Idololatriæ cultus redirẽt.* Vnde illæ sortes relatæ in argumento, & à Gratiano recensitæ *in dicta q.2. canon.1.* fuerunt licitæ eo Veteris legis tempore, non solùm ea ratione, quam Martinus Delrio considerauit *vbi supra*, quia videlicet fuerint diuisoriæ, cùm habuerint etiam admixtam consultationem: sed quia fiebant ex Dei iussu, & secundùm formulam à Moyse lege cæremoniali præscriptam. Vnde & certitudinem euentus inquisiti ex Dei promissione causabant, quoties cum debita formula cæremoniali fiebant, cuius iam supra mentionem fecimus. Quæ proinde in exemplum nostri temporis non esse adducenda, notat Hieronymus super *cap.1. Ionæ* dicens. *Non statim debemus sub exemplo Ionæ sortibus credere; vel illud de Actibus Apostolorum huic testimonio computare, vbi sorte Mathias in Apostolatum eligitur,* eò quòd lex illa cæremonialis hoc nostro tempore cessauit, & promissio diuina de manifestando euentu per sortes inquisito defecit.

Sed quod ait † Beda super *Actorum cap. 1.* 7
hanc cæremonialem legem sortiendi durasse in Apostolis vsque ad electionem Mathiæ, vtpote quia nondum Spiritus Sanctus venerat super illos, neque eos suis charismatibus adimpleuerat; post Spiritum verò Sanctum acceptum, Apostolos nõ amplius vsos fuisse sortitione, sed sola oratione ad Deũ fusa, ieiunio adiuncto; sic enim legimus *Actorum 9.* elegisse septem Diaconos & Præsbyteros, qui mensis ministrarent: non satis probare possum propter duo. Tum quia leges cæremoniæ amplius ex quadam permissione durarunt adhuc post diem Pentecostes: vt Synagoga cum honore & veluti funerali pompa sepeliretur. Tum etiam quoniam missio Apostolorum ad prædicandum per totum orbem, ac distributio prouinciarum, sortibus facta est. Nam prouinciam nostræ Hispaniæ sorte Diuo Iacobo Zebedæo obtigisse, ad prædicandum Euangelium certò constat, (eadémque ratio est de aliis) ex duobus testimoniis. Primum est ipsius Apostoli Iacobi, qui apparens Ramiro Primo Castellæ Regi, à Sarracenorum phalangibus circundato & oppresso, ita fuit alloquutus. *Nunquid ignorabas, quod Dominus noster Iesus Christus totam Hispaniam meæ tutelæ per sortem deputasset, & meæ commisisset protectioni.* Cuius oraculi attestationem fecit ipse Rex Ramirus in quodam priuilegio, concesso Ecclesiæ Compostellanæ, Era. 872. & anno 846. confirmato per Innocentium II. Cœlestinum III. & Alexandrum IV. Secundum testimonium est Flauij Dextri anno 34. *n.5.* vbi sic habet. *Sortitione diuina contigit Sancto Iacobo Zebedæi filio Hispania.* Igitur & hanc sortitionem prouinciarum post aduentum Spiritus Sancti, constat fecisse Apostolos in vnum collectos Hierosolymis, aut illam Moysis antiquam cæremonialem legem obseruendo, aut si mauis ex superueniẽti iussu & reuelatione Christi Domini, eisq; sortientibus, immediata Spiritus Sacti assistentia; vt sic singulis patronatus super prouinciis sibi partitis & consignatis competerent de iure Diuino, vtpote collati à Christo iubente sortes, & ab Spiritu Sancto eas immediatè temperante.

Hinc intellexerunt Summi Pontifices nostri temporis, solicitantibus Hispaniæ Ecclesiis Cathedralibus, † patronatum Diui Iacobi super 8
Hispaniam, nulla humana authoritate posse tolli, minui, aut diuidi; quia totus integer & indiuisus soli Diuo Iacobo Apostolo competit de iure Diuino, vtpote illi soli à Christo Domino concessus, & ab Spiritu Sancto per sortem confirmatus.

De † electione autem Mathiæ ad Apostolatum per sortem celebrata, de qua specialis fit mentio in argumento, discutiendum breuiter est, qualis fuerit illa sors? in cuius explicatione diuisi sunt Patres in tres sententias. Prima fuit Dionysij *lib. de Ecclesiast. Hierar. c.6.* asserentis sortem illam non fuisse consuetam iuxta ritum & morem Veteris legis, sed alterius ordinis & rationis, nimirum manifestationem diuinæ voluntatis, aliquo cœlesti signo visibili scilicet, vel radij coruscantis, vel Columbæ, vel Angeli

apparentis

apparentis super caput Mathiæ, vel adinstar illius signi, quod petiit seruus Abrahæ *Geneſis* 29. ad cognoscendam Virginem, quæ erat futura vxor Isaaci filij Domini sui, provt Dionysium interpretantur Maximus, Pachimedius, Carthusianus, Antoninus 1. *parte Historiali, tit.* 6. *cap.* 2. & Franciscus Turrianus in annotationibus circa Diui Clementis institutiones.

Secunda est Chrysostomi, & Bedæ super *cap.* 1. *Actorum*; Hieronymi super *cap.* 1. *Ionæ*, Laurentij Iustiniani *in sermone de Sancto Mathia*, Augustini *concione* 2. *in Psalmum* 30. Diui Thomæ *in dicto art.* 8. Antonini *vbi supra cap.* 15. & Abulensis super *cap.* 7. *Iosue q.* 41. asserentium illam sortem fuisse communem ex vsu & more Veteris Testamenti acceptam ab Apostolis, vt medium minus perfectum ad rem aliquam cognoscendam vel diuidendam. In quo autem hæc imperfectio posita fuerit, innuitur à Chrysostomo *homilia* 3. *super Actus Apostolorum*, & explicatur à Torre *disp.* 3. *citata dub.* 3. §. *circa tertiam obiectionem*: fuisse in duobus, videlicet in timore, quo Apostoli angebantur, ne turbatio & contentio inter eos oriretur, si ad electionem per suffragia accederent; & in tepiditate fidei, qua adhuc ante aduentum Spiritus Sancti laborabant, non certò credentes nec sperantes, Deum moturum fore corda eorum ad vniformem Apostoli sibi grati electionem, & ideo eam commiserunt sorti, qua vtebantur cultores legis Veteris ad vitandas discordias, & quia erant modicæ fidei.

Tertia sententia est, quam insinuant Origenes *homilia* 1. *in Iosue*, Chrysostomus, Hieronymus, & Augustinus *in locis præallegatis*: nimirum huiusmodi Apostolatus electionem fuisse ex Christi reuelatione commissam sortitioni consuetæ, & simul aliquo signo cœlesti visibili probatæ; vt sic Christus eos certificaret se illis in ea electione adesse, & sicut præsens Apostolos elegerat immediatè, ita & absens Iudæ successorem eligeret. Idque videntur postulasse Apostoli cum dixerunt; *Ostende quem elegeris*, non vt caderet sors super vnum è duobus, sicut in cæteris sortibus solet euenire, sed vt suam manifestaret voluntatem aliquo speciali modo inconsueto, hoc est, visibili cœlesti signo. Ve-
10 rùm † etsi has sententias veneratione dignas fateor, nonnullas tamen patiuntur difficultates. Prima namque communiter à Patribus reiicitur, vtpotet extui non conformis. Si enim Apostoli à Deo postularent indicem diuinæ voluntatis in aliquo cælesti ac visibili signo, vt quid ad sortes recurrerent? ad quas tamen recurrisse narrat Sacer textus, dum ait. *Et dederũt sortes eis, & cecidit sors super Mathiam.* Quæ verba iuxta regulam Patrum in sensu proprio ac litterali sunt interpretanda; siquidem ex illo nullum contra fidẽ aut bonos mores sequitur inconueniẽs.

11 Deinde † secunda sententia licet verum dicat in eo, quod ait sortitionem esse medium quoddam minus perfectum inquirendi diuinam voluntatem, ac proportionatum populo illi antiquo, qui sub vmbris ac figuris sensibilibus rerum inuisibilium repræsentatiuis degebat, & qui promissionibus bonorum temporalium nixus Deum colebat. Nec non Apostolos tunc temporis illis duabus imperfectionibus laborasse; timoris videlicet discordiæ ac contentionis, cùm paulò ante facta fuisset contentio inter illos, qui eorum videretur esse maior; ac modicitatis fidei, vtpote quorum incredulitatem paulò ante Christus Dominus in cœlum conscendens exprobrauerat. Sed quod ex hac duplici imperfectione moti ad sortitionem Apostolatus recurrissent, non mihi facilè persuadeam; imo ad oppositum existimandum duplex ratio suadet. Prima ex sortitione prouinciarum, qua sibi Apostoli prouincias terræ diuiserunt ad prædicãdum in eis Euangelium, postquam iam aduentu Spiritus Sancti fuerant ab vtraque imperfectione vindicati. Secunda est, quia vsque tunc adhuc leges Moysis cæremoniales durabant: nam etsi mortuæ essent per Christi mortem, non tamen erat earum vsus mortiferus, quas propterea & Apostoli ex quadam indulgentia & permissione obseruabant. De quarum numero vna erat sortitio facta sub formula à nobis superius adnotata, ad exquirendam circa res occultas agendas, cognoscendas, vel diuidendas, diuinam voluntatem: ergo potius credendum est Apostolos ex conformitate ad legem cæremonialem imperfectam quidem, sed illi statui proportionatam, & ex affectu seruandi illam, recurrisse ad communem vsum sortis diuisoriæ, & simul consultoriæ, certos quidem ex vi diuinæ promissionis factæ communiter illi statui, aut etiam ex vi specialis reuelationis ipsis factæ, quod per illam sortitionem cum debita reuerentia & in articulo tantæ necessitatis, scilicet complendi duodenarium numerum Apostolorum, Deus eis manifestaret quis ex duobus nominatis, in Apostolum esset acceptandus. Neque huic expositioni obstat electio septẽ Diaconorum celebrata per suffragia, eò quòd iam Apostoli aduentu Spiritus Sancti essent in fide & charitatiua concordia robustiores, vt Beda sibi persuasit. Nam cùm huiusmodi Diaconorum mẽsis ministrantium esset res minoris momenti, humano consilio in quod cuncti Apostoli facilè conuenerunt, facta fuit: imo ex contextu *cap.* 6. *Actorum*, colligitur hanc electionem non ab Apostolis immediatè, sed à tota discipulorum multitudine ad instantiam Apostolorum factam fuisse. Dicitur enim sic. *Conuocantes autem duodecim multitudinem discipulorum, dixerunt. Non est aequum nos dreelinquere verbũ Dei, & ministrare mensis. Considerate ergo fratres viros ex vobis boni testimonij septem, quos constituamus super hoc opus.* Ecce Apostolorum instantiam & propositionem. Sequitur. *Et placuit sermo coram omni multitudine: & elegerunt Stephanum, &c. hos statuerunt ante conspectum Apostolorum.* Ecce factam electionem à tota discipulorum multitudine: qui in negotio minoris momenti, ad corporale ministerium ordinato, noluerunt ad sortes recurrere, sed vel scrutinio, vel communi inspiratione in illos septem nominatos ministros conspirarunt.

Tertia † deniq; sentẽtia, quatenus cũ cæremo- 12
niali vsu sortis, visibile signum index diuinæ voluntatis commiscet, mihi non probatur; sed neq; ab vllo ex recensitis Patribus expresè asseritur. Tum, quia si Apostoli petierunt indicem diuinæ voluntatis, vt signo visibili cœlesti Apostolum sibi gratum declararet, quando dixerunt orantes. *Tu Domine qui corda nosti omniũ, ostende quẽ elegeris ex hiis duobus vnũ*, scilicet ex Ioseph & Mathia, frustra recurrerẽt ad sortes; nã frustra fiunt per plura, quæ possunt fieri per pauciora.

Sufficienter autem fieret manifeſtatio diuinæ voluntatis per ſignum illud viſibile cœleſte, ſiquidem eſſet certiſſimns index illius : atqui conſtat Apoſtolos ad ſortes illico recurriſſe poſt dictam orationem effuſam. Nam ſubditur. *Et dederunt ſortes eis, & cecidit ſors ſuper Mathiam : & annumeratus eſt cum vndecim Apoſtolis.* Neque tam ſuperuacanea actio admittenda eſt in Apoſtolis : ergo. Tum etiam quia oratio illa : *Oſtende quem elegeris*, non vrget neque cogit nos dicere, quòd Apoſtoli petierint alium indicem diuinæ voluntatis diuerſum à ſorte, aut extra ſortem ; ſed ipſam ſortem, quæ per ſe & ratione ſui, ſine alio adiuncto ſigno viſibili, indicat diuinam voluntatem : vt conſtat ex eius diffinitione, quia eſt inquiſitio occulti per aliquod à nobis factum, indicans diuinam voluntatem : & ab Auguſtino *in Pſalmo* 30. diffinitur ſors, quod non ſit aliquid mali, ſed res in humana dubitatione diuinam indicans voluntatem : Præſertim ſi Apoſtoli ex ſpeciali Dei reuelatione moti ad eam ſortitionem recurrerunt : Aut etiam ſi ob ſolam cæremonialis legis obſeruantiam de vſu ſortium, cui annexa erat promiſſio de certificatione euentus inquiſiti, & manifeſtatione diuinæ voluntatis. Sed neque propterea vſurpanda venit à nobis Apoſtolorum ſortitio, qui ſumus cultores legis gratiæ, per quam cæremoniales leges Moyſis abolitæ penitus & extinctæ ſunt. Neque trahenda ad ſortiendas Eccleſiaſticas dignitates, quia in eis Ius Canonicum vſum ſortium prohibuit, quem tamen vetus lex permittebat.

Ad ſecundum nego antecedens pro ſecunda
13 parte. Licitum † quidem eſt orare pro quibuſcumque rebus obtinendis ſiue magnis, ſiue paruis, dummodo peccaminoſæ non ſint, quia Saluator, qui nec fallere, nec falli poteſt, cuncta promiſit orantibus *Math. 7. & Ioannis* 14. Hanc enim voluit eſſe orationis prærogatiuam, & perfectionem legis gratiæ, in qua propterea ſtultum & abſurdum foret relicta oratione, quæ ob ſui excellentiam promiſſionem habet, confugere ad ſortem, cui vtpote de ſe actioni indifferenti, Deus ſe adfuturum in Nouo Teſtamento, non eſt polliticus. Quare nec eſt licitum vti ſortibus pro rebus parui momenti, in quibus non vrget neceſſitas, niſi ſortitio ſit purè diuiſoria : hanc enim ſicut in diuiſione propriarum rerum ſine vrgenti neceſſitate, ita & in diuiſione actionis parui momenti ob aliquem honeſtum finem licet aſſumere. Sicut qui ſorte purè diuiſoria poſitus in biuio, vellet ad alterutram ex duabus viis aggrediendam determinari : qui caſus poteſt contingere vno ex duobus modis ; nimirum, aut quando quis pergens in aliquod oppidum, peruenit ad biuium, & ignarus viæ capeſſendæ, ne oleum & operam perdat, moram ibi faciendo, ſuam determinationem in eligendo alterutram viam committit ſorti & fortunæ. Aut faciens iter, peruenit ad biuium, & ſola animi recreationis cauſa, aut ob ſolam libertatis experientiam, electionem viæ capeſſendæ committit ſorti & fortunæ ; provt quidam ex meis anteceſſoribus facere conſueuerat, quando tempore vacationum è Conuentu ad vnum ex oppidis ſuburbanis cauſa vacandi labore & ſtudio, cum amico vel diſcipulo aliquo exibat, ſorte papiracea in aërem coniecta, illud iter capeſſebat, quò ventus ſortem deferebat : Et quidem in primo euentu ſortitio licita eſt, quia itinerantem neceſſitas vrget : in ſecundo autem non auderem excuſare ſortientem à peccato vanitatis & imprudentiæ, quia nec eum ad ſic ſortiendum aliqua vrget neceſſitas, nec talis ſortitio eſt tam purè diuiſoria, quin aliquid admiſceat conſultoriæ.

Ad tertium † admiſſo antecedenti negatur 14
conſequentia. Fatemur equidem nonnullos viros nedum pios, ſed etiam Doctos ac Sanctos huiuſmodi ſortitionis genere vſos fuiſſe ; ſed ex diuerſis motiuis, ob quæ, aut ex parte, aut ex toto excuſandi ſunt à peccato, vt ſtatim dicemus ; ſi prius tamen huius ſortitionis originem expendamus, quam traxiſſe, certum eſt ex vſu Gentilium, qui aperto libro Homeri vel Virgilij, v. g. ad primum verſum ſibi obuium attendebant ; & inde coniectabant, quid eſſet agendum. Sic Socrates ſui obitus diem diuinauit : ſic Claudius Macrinus, Gordianus Iunior & alij Imperatores tempus vitæ vel imperij ſui coniectarunt. Huic vanitati ſuperſtitioſæ Ethnicorum ſucceſſit deinde apud Chriſtianos apertio Veteris, aut Noui Teſtamenti, quam mentiendo vocant ſortes Apoſtolorum ſiue Sanctorum, quas & Eccleſia damnauit in Conciliis Agathenſi, & Aurelianenſi quorum decreta refert Gratian. *q. 26. 5. Canone Aliquãti, & canone, ſi quis Clericus.* Sed hac ſortitione vſi sũt vltra recẽſitos in argumento, bona fide, aut etiam Dei zelo ; ſed non ſecundùm ſcientiam, Heraclius Imperator apud Cedrenum, Romanus Diogenes apud Cuſpinianum, Merouius apud Gregorium Turonenſem *lib. 5. Hiſtoriæ Francorum cap.* 14. Gundulfus apud Ranulphum, & Seraphicus Patriarcha Franciſcus, vt referunt Sanctus Bonauenta *in vita ipſius cap.* 13. & D. Antoninus 3. *p. hiſtor. tit.* 24. §. 7. ſub hiis verbis. *Immiſſum eſt eius menti diuinum oraculum, quod in apertione libri Euangelici aperiretur ei à Chriſto, quod Deo in ipſo ac de ipſo maximè foret acceptum. Oratione itaque præmiſſa cum multa deuotione, Sacrum Euangeliorum librum de altari ſumptum, in Sanctæ Trinitatis nomine aperiri fecit per ſocium, virum vtique Deo deuotum & ſanctum. Sanè cùm in trina libri apertione ſemper paſſio Domini occurreret, intellexit vir Deo plenus, quod ſicut Chriſtum fuerat imitatus in actionibus vitæ, ſic conformis ei eſſe deberet in afflictionibus & doloribus paſſionis, antequam ex hoc mundo tranſiret.* Vnde quod attinet ad † Principes qui hoc ſortitionis gene- 15
re vſi fuere, à vitio vanitatis non excuſamus, niſi eos bona fides & ignorantia inuincibilis excuſat : ſicut excuſamus Theodoram Alexandrinam, eò quòd nondum erat ſatis Cathechizata in doctrina Catholicæ fidei. Sanctos verò laudabiliter operatos fuiſſe cenſemus : quia ad huiuſce ſortitionis vſum Spiritus Sancti inſtinctu & ſpeciali Dei monitione impulſi fuerunt ; vt Baſilius & Auguſtinus de ſeipſis in locis citatis narrant, & de Seraphico Franciſco Bonauentura teſtatur. Dum autem interuenit diuina monitio ſiue reuelatio, hæc ſola ſufficit conditio ad huiuſce ſortitionis vſum honeſtandum, illáque ſola præcedente nihil timendum accuſandúmve eſt. Sed quoad alios Chriſtianos, in quibus hæc conditio diuinæ monitionis ac reuelationis ceſ-

ſat;

sat; duæ requiruntur & sufficiunt conditiones, vt licitè hoc sortitionis genere vtantur, nimirum si quis id faciat debita cum reuerentia, precibus ad Deum deuotè fusis, & graui necessitate compulsus, ad terminandam litem grauem, vel anceps consilium, intellige tamen, non de negotio terreno & temporali: vt intellexit Martinus Delrio in harum duarum conditionum adnotatione, quam fecit in dicto *cap.* 2. *q.* 7. *sect.* 3. §. *sextã vocant*: pro nulla enim terrena necessitate licet sacra miscere prophanis, & oracula diuina ad temporalia negotia conuertere, indispensabiliter namque in hoc irreuerentiæ & irreligiositatis crimen committitur: Sed de negotio spirituali & ad animæ salutem conducenti: tunc enim diuina non ad terrena conuertuntur, neque Sacra prophanis miscentur, sed diuina diuinis, & spiritualia spiritualibus deseruiunt, quod nullam irreuerentiam inuoluit. Qualis fuit necessitas vrgens Seraphicum Franciscum, sua videlicet & proximorum salus: nec defuit oratio cum multa deuotione præmissa. Eisdem conditionibus excitatum credimus Basilium, & legimus Augustinum *in loco citato* sub arbore fici sedentem, lachrymabilibus precibus ad Deum fusis, cœlestem illam vocem *Tolle, lege*, audiuisse pro suæ animæ salute, & vt carnis desideriis parceret, codicem sacrum aperuisse, quæ apertio etiam cessante diuina monitione, aliis duabus conditionibus munita, fuisset licita. Sed has omnes tres conditiones adfuisse in B. Mathiæ sortitione, simul cum more deligendi suis vicibus summi Sacerdotis, nondum abolito, satis clarè docet Beda *in cap.* 1. *Actorum*, & nos *in solutione ad primum* adnotatum relinquimus.

16 Præterea est † alius modus, quo licitus erit Catholicis iste ad sacrorum librorum apertionem recursus (provt se fecisse testatur Gregorius Turonensis *lib.* 5. *Historiæ Francorum c.* 47.) non quidem ad coniectandum res futuras: sed vel ad animi solatium, vel ad aliquod bonum consilium capessendum, ex verbis sacri codicis fortè occurrentibus. Dixi *fortè occurrentibus*. Nam plerumque ex vi talium verborum animus legentis ad neutram partem determinatur, sed manet æquè dubius ac pendulus, sicut ante sacri codicis apertionem, vt si cogitanti de contemnendo seculo, occurreret primùm ille versus, *Liber generationis Iesu Christi*, aut ille; *In principio creauit Deus cœlum & terram*. Vnde fit, hoc genus sortitionis minoris efficaciæ esse de se, quàm genus sortis diuisoriæ, quod saltem ex pacto sortientium, eos ad aliquam partem determinat. Si tamen cogitanti de renunciando seculo primùm obuium esset illud Christi oraculum *Math.* 19. *vade & vende omnia, quæ habes, &c.* eius animum moraliter moueret, atque ad seculi contemptum determinaret: aut si animi mœrorem patiẽti, primùm occurreret testimonium illud Christi Domini *Mathei* 11. *Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos*: Certè magnum solatium adferret. Quemadmodum si anceps boni consilij, aut mœrore afflictus vaderet ad concionem audiendam; ex verbis Concionatoris fortè ad cor eius loquentis, aut bonum caperet consilium, aut saltem animi solatium capesseret.

17 Ad † Quartum duo veniunt expẽdenda. Primum, quæ vtilitas consultoriæ sortis, quæ nec ex se, nec ex diuina permissione, (quæ nõ extat) certũ aut probabile Iudiciũ causat in sortiente de euentu inquisito: Hæc enim est conditio sortis consultoriæ, & diuinatoriæ secundùm se expectatæ. Nam diuisoria ex pacto & condicto sortientium firmam operatur rei sortitæ diuisionem, vt superius iam adnotauimus.

Secundum est, qualiter sit intelligendum axioma illud tritum; *Superstitiosum est præsagium, vnde sumi non valet.*

Circa † Primum aduerte, quod licet melius 18
& securius sibi ancipiti, quid agendum sit in tali negotij occurrentia, foret ad orationem & preces, quæ cum debitis conditionibus habent annexam Dei promissionem, recurrere, cum quibus habent vim impetrationis, quàm ad sortem, cui nulla est annexa promissio: Verumtamen cùm duplex sit effectus, quem sortientes possint expectare, nimirũ & ablationem dubietatis, quam per alia humana media auferre non valent, sed in ancipiti positi recurrunt ad sortem consultoriam, animo decernentes se illam partem amplexuros, ad quam sors inclinauerit, in quo imitantur sortientes conditionem sortis diuisoriæ, siquidem hunc effectum veluti moralem operatur in illis sortitio ex vi decreti ac condicti, quo se ad illam partem decreuerunt determinare, quam indicauerit sors succedens loco consilij: & manifestationem diuinæ voluntatis signi, hoc est, approbando meliorem partem, & operando euentum sortialium actuum, voluntate non solùm beneplaciti, sed etiam voluntate signi & per modum consiliantis. Et hunc effectum neque operantur sortiales actus, neque eum licet per illos vt certò venturum expectare, cùm id Deus non promiserit: ac proinde ex illis neque certum iudicium, neque probabilis opinio speculatiuè loquendo, prudenter concipi potest de euentu aut actu inquisito, bene tamen in praxi licitè & prudenter poterit sortiens concipere spem probabilem, Deum tẽperaturum esse sortem sua voluntate signi & per modum consiliantis, & quod sors indicabit ei, id quod fuerit conforme consilio Dei, & eius voluntati signi: maximè si sortitio valletur omnibus conditionibus requisitis ad sui moralem bonitatem, puta necessitate, debita materia, modo, recta operantis intentione, ac timore & reuerentia erga Deum cum oratione præmissa. Nam etsi hæc sola sufficeret ad impetrandum bonum consilium à Deo, vestita quatuor conditionibus superius recensitis; verumtamen quia illarum cõcursus incertus est, neutiquam est inutilis seruatis seruandis recursus ad sortitionẽ; vt singula quæ nõ prosunt, simul collecta iuuẽt.

Circa secundum aduerto, hoc axioma in materia diuinationis sæpe inculcatum esse; ex quo Angelicus Doctor *in dicta q.* 95. *art.* 2. probat diuinationem esse speciem superstitionis, quia futura prænoscere tentat; vnde prænosci non valent, hoc est ex dæmone, aut explicitè inuocato, aut implicitè, provt in vanis obseruantiis se ingerit latenter, earum rerum, quæ assumuntur ad effectus agendos, aut cognoscendos, ad quos nullam habent virtutem. Quare sensus dicti axiomatis planus est, superstitiosum esse expectare euentum præsagitum aut à Dæmone explicitè inuocato, aut etiam tacitè inuocato; quia quæcumque dæmonis inuocatio, est superstitiosa. Aut etiam expectare euentum

præsagitum à causa impotente illum producere, vel certò enuntiare: eò quòd tunc est vana inquisitio, in quam Dæmon se ingerere solet: ac proinde superstitiosa. Applicando autem dictum axioma ad sortes, distinguito sic cum Thoma *in allegato articulo* 8. Aut diuinatio per sortes expectatur à Dæmone, & tunc est clara superstitio, sicut est manifesta Dæmonis inuocatio. Aut expectatur ab Astris, & tunc est superstitio ex tacita Dæmonis inuocatione, quia præsagium inquiritur à causa nullam habente potestatem super actus sortiales. Aut expectatur à Deo, & tunc non est superstitio, licet aliis criminibus possit commaculari, videlicet irreuerentiæ, & tentationis Dei: aut etiam ab omni culpa vindicari, si cum conditionibus debitis sortitio fiat. Aut tandem expectatur euentus à fortuna, quæ expectatio in sola sorte diuisoria locum habere potest; vt docet Angelicus Doctor in locis citatis ex *opusc.* 25. & 22. *q.* 95. & neque tunc interuenit aliqua superstitio, etsi alia peccata possint interuenire, videlicet imprudentiæ, leuitatis & vanitatis: aut etiam irreuerētiæ, si sortitio diuisoria fiat sine debitis cōditionibus, hoc est sine necessitate, quādo hæc exigitur, aut in debito modo, & nō recta intentione, aut supra indebitam materiam, nimirum in dignitatibus Ecclesiasticis. Nisi sortientes dum se committunt fortunæ, intelligant nomine fortunæ aliquam causam independentem à diuina prouidentia, veluti quandam occultam Deam, tunc enim committent peccatum Idololatriæ, quæ est quædam superstitionis species, vt docet D. Thomas 22. *quæst.* 92. *art.* 2. & 94. *art.* 1.

19 Hinc infero cum Caietano in dicto *art.* 8. §. *citato*, † latum esse discrimen inter diuinationem factam per sortes, & diuinationes quæ fiunt per alias vanas obseruantias, puta per astra, per auguria, per omina, per somnia, & similia. Licet enim conueniant hæc duo genera, teste D. Thoma *q.* 95. *art.* 5. in eo quod non sumant coniectationem ex Dæmonis explicita inuocatione, sed ex tacita, quatenus Dæmon se ingerere in huiusmodi solet: tamen in diuinatione sortium potest dari medium. Nam inter non expectare diuinationem à Deo, & expectare illam superstitiosè à Dæmone, datur hoc medium quod est illam expectare à fortuna, absque superstitione: in cæteris autem, hoc medium non reperitur; nam eo ipso quod diuinatio non inquiritur à Deo, sed ab astris, vel à motibus seu garritu auium, vel à somniis non habentibus virtutem causandi vel enuntiandi talem euentum, inquiritur à Dæmone se in eis ingerente, & committitur diuinatio superstitiosa. A quo proinde vitio remotior est vsus sortium, in quo possunt sortientes, nec Deo nec Dæmoni se committere, sed fortunæ sine superstitione, siue prudēnter siue stolidè; siue seriò, siue iocosè id faciant.

§. VI.

De sorte diuinatoria, quando & cum quibus conditionibus sit licita?

SVMMARIVM.

1 *Sors diuinatoria, qua inquiritur futurorum contingentium cognitio, est damnata, vtpote Dæmonum societati innixa.*
2 *Diffinitur quinam sint Sortilegi.*
3 *Diuinatio teste D. Thoma, nihil est aliud quàm vsurpare modo indebito prænunciationem futurorum euentuum, quod est proprium Dei.*
4 *Superstitiosum est futurum velle prænoscere.*
5 *Referuntur tres obiectiones, quæ huic doctrinæ aut assertioni videntur obstare.*
6 *Respondetur obiectionibus, & primæ quidem; dicendo sortitionem consultoriam per se primò non ordinari ad cognoscendum futura, sed tantùm ad tollendas dubitationes plerumque occurrentes in progressu vitæ humanæ.*
7 *Sors diuinatoria si fiat diuinatiuè, hoc est cum indebita vsurpatione diuinæ cognitionis, est intrinsecè mala, & iure Diuino prohibita.*
8 *Respondetur tertiæ obiectioni, dicendo non esse inconueniens eundem actum humanum, seruata physica identitate, vestiri duabus malitiis moralibus, &c.*
9 *Sors diuinatoria quæ res occultas, vt furta, thesauros, virginitatem, &c. inuestigat, est superstitiosa & omni iure prohibita.*
10 *Inquisitio rerum occultarum per sortes est sortilegium, quod manifestam inuoluit superstitionem.*
11 *Respondetur obiectioni, vtile scilicet esse, inquirere veritatem à sciente illam.*
12 *Artis notoriæ Professores quinam sint: Ars notoria, id est nota faciens omnia,* ibid.
13 *Diuus Thomas damnat artem notoriam, vt illicitam, vanam, superstitiosam atque inefficacem.*
14 *Vanum & superstitiosum est per artem notoriam dici quosdam dies felices, quosdam infelices ad humanarum actionum directionem.*
15 *Astrologi Iudiciarij* Canone non obseruetis, *damnantur vt superstitiosi & fidei Christianæ & Baptismi prauaricatores.*

Vic postremæ dubitationi, quæ inquirit, Vtrum seruatis aliquibus conditionibus, possit fieri licitus vsus sortis diuinatoriæ? Respondeo duabus sequentibus assertionibus.

Prima sit. Sors † diuinatoria, qua inquiritur futurorum contingentium cognitio, quæ solius Dei est propria, est damnata, vtpote dæmonum societati innixa; & propterea est peccatum mortale ex suo genere. Hæc assertio est communiter à Doctoribus recepta, & expressa Angelici Doctoris in locis citatis; vbi expressè ait esse triplex genus sortium: scilicet diuisoriæ, quæ est licita in rebus ac negotiis temporalibus

libus diuidendis : consultoriæ, quæ est licita in articulo necessitatis cum debita erga Deum reuerentia; & diuinatoriæ, quæ est vana & mala. Et probatur primò ex dicta causa 26. *quæst.* 1. vbi Gratianus ex Isidoro *lib.* 8. *Etymologiarum cap.* 9. † diffinit sortilegos esse illos, 2
qui sub nomine fictæ religionis per quasdam, quas Sanctorum, seu Apostolorum vocant sortes, diuinationis scientiam profitentur, aut quarumcumque scripturarum inspectione futura promittunt: & q. 2. & 5. præsertim *cap. aliquanti*, & *cap. sortes*, per totam damnantur quæcumque diuinationum genera, inter quæ numeratur sortilegium, quod est diuinatio futurorum per sortes. Vnde meritò Caietanus in Summa, V. *Sortilegium*, ait sortilegium esse peccatum mortale superstitionis, eò quòd in illo explicitè, vel implicitè ad dæmonis auxilium seu consilium sorte recurritur. Ex quibus tale deducitur argumentum; Vsus sortis diuinatoriæ idem est atque sortilegium, id est diuinatio per sortes: Atqui sortilegium est peccatum mortale superstitionis & religioni contrarium, eò quòd innititur explicitæ, aut saltem tacitæ dæmonis inuocationi; & propterea damnatur in decretis *loco citato*, & *lib.* 5. *decretalium cap.* 1. & 2. *de sortilegiis*: ergo in eadem est damnatione vsus diuinatoriæ sortis.

Secundò probatur ratione desumpta ex ipsa diffinitione diuinationis, quæ teste D. Thoma 2. 2. *quæst.* 95. *art.* 1. † nihil est aliud, quàm vsurpare modo indebito prænunciationem futurorum euentuum, quod est proprium Dei iuxta illud *Esaiæ* 42. *Annunciate quæ ventura sunt*, & *sciemus quia Dij estis vos*: ac proinde est peccatum; quia teste Hieronymo super *Michæam cap.* 3. diuinatio semper in malam partem accipitur: & *art.* 2. subdit idem Angelicus Doctor, huiusmodi peccatum diuinationis esse speciem superstitionis, vtpote quoniam per illam assumit homo auxilium dæmonum ad aliquid cognoscendum, vel quia dæmones expresè inuocat ad futura manifestanda: vel saltem tacitè, quatenus dæmones ingerunt se vanis inquisitionibus futurorum, vt mentes hominum implicent vanitate: quidquid autem procedit ex pacto siue societate dæmonum, superstitiosum est, teste Augustino *libr.* 2. *de doctrina Christiana cap.* 20. Ex qua doctrina tale deducitur argumentum. Superstitio consistit in cultu indebito diuinitatis: cultus autem iste fit indebitus vno ex quatuor modis, teste D. Thoma *qu.* 92. *art.* 2. videlicet, aut quia tribuitur Deo cui debetur, sed modo indebito, & contra præscriptam regulam: aut quia exhibetur creaturæ, cui non debetur, reuerentia Latriæ, & hæc est idololatria: aut quia exhibetur dæmoni vt Magistro implorando eius auxilium, ad prænoscendum aliqua futura siue occulta; vel vt directorij humanarum actionum, eius auxilium imploratur per aliquas vanas obseruationes, vt humana dirigat negotia: & hæc est diuinatio, explicitæ aut tacitæ societati dæmonum innitens. Sed sortilegium siue sortitio diuinatoria, est huiusmodi: ergo est superstitionis peccatum. Maior cum consequentia est nota. Minor autem est expressa Angelici Doctoris in eadem *quæst.* 95. *art.* 3. dicentis, triplex esse genus diuinationis, quorum primum est per manifestam dæmonis inuocationem, vt necromantia: Secundum sine expressa dæmonum inuocatione, per inspectionem motus vel dispositionis aliarum rerum extra hominem, vt augurium: Tertium est, quod sine expressa dæmonum inuocatione, per aliquid ab ipso homine factum tentat prænoscere aliquid occultum, quod pertinet ad sortes. Quam doctrinam videtur sumpsisse ex Origine in Periarchon, *homilia* 16. *in Numeros*, dicente: *Est quædam operatio dæmonum in ministerio præscientiæ, quæ artibus quibusdam, ab his, qui se dæmonibus mancipauerunt, nunc per sortes, nunc per auguria, nunc per contemplationem vmbrarum comprehendi videtur. Hæc autem omnia operatione dæmonum fieri non dubito.*

Tertiò probatur ex axiomate illo, quod §. *præcedenti* expendimus, passim obuio in materia diuinationum, videlicet † superstitiosum 4
est, futurum velle prænoscere, vnde prænosci non potest: sed futurorum prænotio, non potest haberi à dæmonibus; ergo talis diuinatio per sortes est superstitiosa. Minor patet, non solùm ex eo, quod dæmones multa futura, vt sunt libera, & purè contingentia, certò præscire non valent, & in hiis quæ coniectant, adhuc sunt mendaces, & propensi ad homines decipiendos: sed quia iure diuino prohibemur illos consulere, ab eis edoceri, & cum illis societatem habere, vt Deuteron. 18. *Non sit qui Pythones consulat, neque Diuinos.* Esaiæ 8. *Et cum dixerint ad vos, quærite à Pythonibus, & à Diuinis, qui stridentin incantationibus suis*, subdit quasi respondens. *Nunquid non populus à suo Domino requiret visionem pro viuis ac mortuis?* & 1. ad Corinth. 10. *Nolo autem vos socios fieri dæmoniorum.*

Vltimò probatur conclusio, satisfaciendo † 5
tribus obiectionibus, quæ videntur ei obstare. Prima est, quoniam sortitio consultoria quandoque licitè fit, nimirum quando vallatur necessitate ac debita reuerentia; & tamen ordinatur ad cognoscendum quid in futurum agendum sit: ergo & sortitio diuinatoria, licita erit, quamuis ordinetur ad futura prænoscenda; vel non est cur ex hoc capite reddatur illicita.

Secunda, quia quod non est malum ab intrinseco & secundum se, aliquando & cum aliquibus circunstantiis potest reddi licitum; alioquin secundum se esset malum, quia semper & vbicumque inuenitur, malum est: Sed sortes diuinatoriæ non sunt malæ ab intrinseco & secundum se; ergo cum aliquibus circunstantiis poterunt licitè exerceri. Maior cum consequentia est nota; & Minor suadetur tripliciter. Tum quia in lege Veteri fuerunt licitæ, & ex lege cæremoniali Dei in populo permissæ & approbatæ, vt dictum est, & patet in sortibus Ionathæ, Achoris, & Ionæ, quas nedum diuisorias, sed simul consultorias & diuinatorias fuisse, post Lyranum & Ferum testatur Ribera super *Ionæ cap.* 1. Tum quia teste Augustino *in Psalm.* 30. sors non est de se aliquid mali, quod de omnium sortium genere est intelligendum. Tum denique quia sortitio diuinatoria potest aliquando fieri non diuinatiuè, id est non vsurpando quod diuinum est, sed suscipiendo quod diuinum est, id est cognitionem futurorum ex Dei reuelatione inquirendo, & recipiendo: in hoc autem non esse malitiam diuinationis, docet D. Thomas in dicta *quæst.* 95. *art.* 1. alioquin cuncti Prophetæ in vsu prophetiæ peccassent,

ſiquidem futurorum cognitionem ex Dei reuelatione ſuſceperunt, & ea prænuntiarunt; quod eſt abſurdum.

Tertia obiectio eſt, quod admiſſo diuinationé per ſortes eſſe malam, adhuc non ſequitur eſſe ſpeciem ſuperſtitionis, quin potius eſſe ſpeciem vitij curioſitatis, teſtatur D. Thomas 2.2.q.167. art. 1. dicens, committi vitium curioſitatis ex ipſa inordinatione appetitus ſciendi veritatem, vno modo, in quantum aliquis ſtudet addiſcere ab eo, à quo non licet, ſicut illi qui à dæmonibus aliqua futura perquirunt, quæ eſt ſuperſtitioſa curioſitas: quod probat ex Auguſtino *in lib. de vera & falſa religione c.*4. dicēte. *Neſcio an Philoſophi impedirentur à fide vitio curioſitatis in percunctandis dæmonibus*: & in ſæpius dicta *q.*95. *art.*2. *in ſolutione ad primum*, reſpondens eidem Auguſtini teſtimonio, ait quod diuinatio pertinet ad curioſitatem, quantum ad finem intentum, qui eſt præcognitio futurorum; ſed pertinet ad ſuperſticionem, quantum ad modum operationis. Atqui humani actus ſumunt ſpeciem à fine, teſte eodem Angelico Doctore 12. *quæſt.*1. *art.*3. ergo huiuſmodi diuinatio per ſortitionem, non ſuperſticionis, ſed curioſitatis ſpecies eſt. Rurſus ſubdit idem Sanctus Doctor in dicto *art.* 1. *quæſtionis* 167. quod alio modo etiam committitur vitium curioſitatis, dum quis ſtudet cognoſcere veritates ſupra proprij ingenij facultatem, quia per hoc homines de facili in errores labuntur. Vnde huiuſmodi curioſi reprehenduntur Eccleſiaſtici 30. *Altiora te ne quæſieris, quæ præcepit tibi Deus, illa cogita ſemper; & in pluribus operibus eius ne fueris curioſus, non eſt tibi neceſſarium ea, quæ abſcondita ſunt, videre oculis tuis, &c.* Et poſtea ſubditur; *Multos enim ſupplantauit ſuſpicio eorum, & in vanitate detinuit ſenſus illorum.* Quibus verbis apertè reprehenditur, quæcumque ars diuinatoria, per quam homines conantur futura merè contingentia prænoſcere, ſiue per auguria ſiue per ſortes, vtpote quos dæmon verè ſupplantat, ſe in huiuſmodi vanis obſeruantiis ingerendo.

6 Ad primam † ex oppoſitis obiectionibus reſpondetur negando minorem; aut illam diſtinguendo ad hunc ſenſum, quod ſortitio conſultoria per ſe primò non ordinatur ad cognoſcendum, quid in futurum continget; ſed ſolùm ad tollendas dubitationes plerumque occurrentes in progreſſu humanæ vitæ, quæ hominum induſtria & conſilio decerni non valent. Et tunc licitè homines implorant diuinum auxilium, per ſortes conſultorias, vt per eas Deus dignetur indicare, quid ſit, aut agendum, aut vitandum. Sors verò diuinatoria per ſe primò ordinatur ad prænoſcenda futura, ſiue occulta dependentia à libero arbitrio, quorum cognitio ſolius Dei eſt propria; & quia de hiis ſatis ſupérque Spiritus Sanctus Eccleſiam illuſtrauit in lege gratiæ, quantum neceſſarium eſt ad ſalutem ſpiritualem, non licet de cæteris non neceſſariis inquirere à Deo per ſortes cognitionem: talis enim inquiſitio vana eſt, & ſine vlla neceſſitate, ex quo ad tentationem Dei ſpectat. *Plurima enim ſupra ſenſum hominum oſtenſa ſunt tibi*, ait Sapiens *in loco Eccleſiaſtici* nuper *citato*, vt homines à vana & curioſa futurorum contingentium diuinatione auertat: Et Chriſtus Dominus *Actorum* 1. Diſcipulis ſuis dixit, ad eundem finem auertendi illos à vana ſciendi futura curioſitate. *Non eſt veſtrum noſſe tempora, vel momenta, quæ Pater poſuit in ſua poteſtate.* Si quæ enim futura neceſſarium eſſet prænoſcere, ſiue ad cautelam Eccleſiæ, ſiue ad alicuius ſingularis perſonæ inſtructionem, hæc per reuelationem Spiritus Sancti fidelibus innoteſcent, de quo ipſe Dominus dixerat in Euangelio. *Quæ ventura ſunt annunciabit vobis, & ille docebit vos omnem veritatem.* Ioannis 10. & 15.

Ad ſecundam admiſſa maiori, diſtinguo minorem; de † ſorte diuinatoria, ſi fiat diuinatiuè, hoc eſt cum indebita vſurpatione diuinæ cognitionis, ſiue inquirendo prænotionem futuri, vnde prænoſci non poteſt, certum eſt illam eſſe intrinſecè malam, & iure diuino prohibitam, vtpote ſortilegij & ſuperſtitionis peccatum; ſi autem non fiat diuinatiuè, ſed inquirendo à Deo, & ex eius reuelatione prænotionem futuri, verum eſt non eſſe intrinſecè malam, vt ſcitè aduertit Caietanus in dicta *quæſt.*95. *art.*3. *circa finem.* Vnde quatenus probationes militant aduerſus primum diſtinctionis membrum, reſpondetur ad primam, quod ſortes diuinatoriæ in lege Veteri non fiebant diuinatiuè, ſed inquirendo à Deo & ex eius reuelatione, quæ futura prænoſcere opus erat: quod iam in Noua lege non licet: cuius diſcrimen aſſignat Angelicus Doctor in dicto *art.*2. *quæſtionis* 95. *ad* 3. dicens, quod in Noua lege, mentes hominum arcentur à temporalium rerum ſolicitudine, & ideò non eſt in Noua lege inſtitutum aliquod medium, aut cæremonia ad præcognitionem futurorum euentuum de rebus temporalibus. In Veteri autem lege, quæ innitebatur promiſſionibus bonorum terrenorum, erant inſtituti quidem modi conſultandi Deum de futuris ad religionem pertinentibus, vt patet ex *loco Eſaiæ* nuper *citato.* Cum quo tamen ſtat, in Noua lege aliquos Prophetas ſpiritum Dei habentes quandoque reperiri, qui nonnulla de futuris euentibus prædicunt, non ad condenda noua dogmata, ſed ad aliquorum hominum moralem inſtructionem, ſubdit idem Sanctus Doctor eadem 22. *quæſt.*174. *art.*6. *ad* 3. Ad ſecundam dices, dictum illud Auguſtini etiam de ſorte diuinatoria poſſe intelligi, quia etiam illa vt abſtrahit à fieri diuinatiuè, & non diuinatiuè, eſt indifferens de ſe, & poteſt provt ad alterum ex hiis duobus modis contrahitur, eſſe bona, vel mala. Ad tertiam patet ex dictis. 7

Ad † tertiam obiectionem, dico non eſſe inconueniens eundem actum humanum ſeruata phyſica identitate, veſtiri duabus malitiis moralibus; ſicque ille actus ſortitionis diuinatoriæ ex fine erit curioſitatis, & ex modo, hoc eſt cultus indebiti, exhibiti dæmoni vt Magiſtro, vel inſtructori, explicitè, vel tacitè inuocato, erit ſuperſtitionis malitia veſtitus; ſicut & poteſt eſſe ſimul tentationis Dei, & ſuperſtitionis, & curioſitatis, quæ ſunt malitiæ formaliter diſtinctæ. Nam tentatio Dei opponitur religioni, ſicut dubitans de diuina excellentia; ſuperſtitio autem opponitur eidem religioni, proteſtando errorem circa diuinam excellentiam: magis autem peccat contra religionem errans circa diuinam reuerentiam, quàm dubitans; ſicut magis aduerſatur fidei, errans cum adhæſione animi, quàm dubitans circa dogma aliquod 8

quod fidei, vt docet D. Thomas in eadem 22. *quæst. 97. art. 3. & 4.* curiositas verò opponitur studiositati quæ est pars temperantiæ, teste Angelico Doctore *quæst. citata 167. artic. 1.* ex quo capite minoris est malitiæ sortitio diuinatoria.

9 Secunda conclusio sit. Sors † illa diuinatoria, quæ res occultas, vt furta, thesauros, Virginitatem, & similia inuestigat, planè superstitiosa est & prohibita omni iure. Hæc conclusio adstruitur à Caietano in summa. V. *Sortilegium*, & à Martino Delrio *lib. 4. citato cap. 7. quæst. 1. ad illius calcem.* Et suadetur primò, quia omnis talis inquisitio de huiusmodi rebus abstrahendo ab eo, quod est fieri per sortes, per auguria, vel per alios modos & species diuinationis iam superius annumeratos, est prohibita & damnata omni iure, & superstitiosa & perniciosa: ergo & contracta ad sortitionem censetur prohibita & damnata. Consequentia est nota; nam quando generica ratio est mala & vetita, non possunt non eius species esse malæ & vetitæ. Antecedens probatur: nam iure Diuino prohibetur *Leuitici 19.* ibi. *Non declinetis ad Magos, nec ab Ariolis aliquid scisciteminí, vt polluamini per eos*: & Deuter. 18. *Nec inueniatur in te, qui lustret filium suum aut filiam ducens per ignem; aut qui Ariolos sciscitetur & obseruet somnia atque auguria, nec sit Maleficus aut incantator, neque qui Pythones consulat, aut Diuinos, & quærat à mortuis veritatem: omnia enim abominatur Dominus, & propter huiusmodi scelera delebit eos in introitu tuo.* Iure autem Ecclesiastico prohibetur *cap. 1. & cap. Extuarum de sortilegiis & 26. quæst. 5. Canon. 1. & duobus sequentibus.* Ac tandem Iure Ciuili. *leg. Item apud Labeonem. §. Si quis Astrologus. ff. de iniu. lib. 2. & leg. Nemo aruspex. Cod. de Malefic. & Mathematic. lib. 1. Cod. de Thesaur. lib. 10.* etsi plerumque in rebus publicis hi tolerentur cum malo exemplo & publico damno.

10 Secundò probatur ratione adducta à Caietano in *loco* nuper *citato*: quia huiusmodi † rerum occultarum inquisitio per sortes est sortilegium, quod manifestam inuoluit superstitionem: *Vt cum quis* (ait Caietanus) *per sortes inquirit, quis fecerit furtum, aut aliquid huiusmodi ad diuinationem pertinens: & simile est, si sorte quæratur quid agendum. Sortilegij enim crimen, & diuinatoriam, & consultoriam sortem comprehendit, cum ad Dæmonem recurritur, non solùm explicitè, sed etiam implicitè, vt contingit inquirentibus per sortes occulta, & vniuersaliter ea, quæ à sola intellectuali natura sciri aut fieri possunt.* Hoc est *à Diuina & Angelica.* Cuius rationem subdit Caietanus. *Ex eo enim quod non quærunt à Deo nec à natura, nec à fortuna, hoc expetunt, coguntur, velint nolint fateri, quod ad Dæmonem recurrunt, implicitè quidem, dum ad sortes vt institutas ad hunc effectum recurrunt: explicitè autem sicut in aliis diuinationibus & incantationibus contingit.* Dices vtile plerumque est veritatem inquirere à sciente illam: Sed Dæmon scientia sua naturali, scit quis fecit furtum, & vbi est thesaurus absconditus: ergo ille cui necesse est rem furto sublatam, aut thesaurum inuenire, licitè poterit de hiis à Dæmone tacitè inquirere; maximè si per hoc nullum ei cultum exhi-
11 beat. Respondet † D. Thomas in dicta *q. 95. art. 4. ad 3.* distinguendo maiorem, hoc est, quando inquiritur veritas occulta à sciente sine periculo spiritualis salutis, vera est maior præmissa. Secus quando inquiritur cum tali periculo, vt contingit in inquisitione, quæ fit à Dæmone. Quoniam nulla vtilitas temporalis potest comparari detrimento spiritualis salutis, quod imminet ex inquisitione occultorum per Dæmonis inuocationem: cum quo est iniqua & vetita omnis societas, etiamsi absit cultus directè illi exhibitus; erit namque talis sortitio superstitiosa, sed non hæreticalis, ex quo imploratur in illa auxilium Dæmonis, ad scire vel operari dumtaxat in hiis, quæ eius scientiam, & potentiam non excedunt; vt ostendit Caietanus *in commentario eiusdem articuli 4. §. ad hoc dicitur.*

Hinc colligo aduersus † artis notoriæ Pro- 12
fessores, hoc est, illius quæ seruatis, & opere completis quibusdam documentis & obseruantiis, dicitur obtineri non modo humano, hoc est, adinueniendo, vel addiscendo, sed per infusionem, adinstar Salomonis, Prophetarum, & Apostolorum; per illámque dicunt eius Professores subitò ac repente haberi notitiam omnium, aut fere omnium rerum occultarum, & scitu dignarum; hinc quoque appellatur ars notoria, idest nota faciens omnia. Quam Angelicus Doctor *22. quæst. 96. art. 1. & sequentibus*, † damnat vt illicitam, vanam, super- 13
stitiosam, atque inefficacem: illicitam quidem, eò quòd cùm vtatur rebus, quæ nec sunt causæ eorum obiectorum, quorum notitia inquiritur, nec per signa naturalia, quia nec eorũ sunt effectus aut coëffectus eiusdem causæ, nec signa instituta à Deo; restat quod vtatur illis vt signis cum dæmone fœderatis, ac proinde ad illam speciem superstitionis spectat, quæ vanis obseruantiis studet, & dæmonem vt humanarum actionũ instituctorem, aut Magistrum & Præceptorem colit. Inefficacem verò, eò quòd, ex quo non inquirit homo huiusmodi artem humano modo, hoc est per inuentionem, aut disciplinam, aut quod illam à Deo, aut à dæmone inquirat, necesse est non à Deo, qui licet scientiæ donum multis gratiosè infuderit, sed non cũicumque, neque dependenter ab huiusmodi obseruationibus & documentis artis notoriæ; sed illam impertitur, sicut testatur Paulus 1. ad Corinth. 12. *Spiritus Sanctus diuidens singulis prout vult*: ergo à dæmone necesse est hanc artem siue scientiam expectari; qui nec intellectum hominis illuminare valet, ob sui excæcationem tenebrosam; nec veritatem indefectibiliter edocere, eò quòd mendax est & pater mendacij: sine illuminatione autem intellectus nequit acquiri noua scientia, ac proinde inefficax est scientia siue ars, quæ ab illo expectatur & inquiritur.

Igitur aduersus huiusmodi artis notoriæ pro- 14
fessores colligimus, † vanum & superstitiosum esse per illam dies dici quosdam felices siue fastos, & alios infastos, siue infortunios ad humanarum actionum derectionem, v.g. Sunt qui secundum numerum dierum Lunæ obseruant primum, tertium, quintum, &c. tanquam fastos, vt in illis cum spe boni successus sua negotia expediant: cæteros verò tanquam infastos notant, vt in illis nullum agant negotium, sed omninò vacent, ne quidpiam eis noxium siue aduersum contingat. Similes sunt

obseruationes

obſeruationes qui feriam tertiam, hoc eſt, diem Martis pro infauſta iudicant, ſibi infortunium ominantes, ſi in eo quidpiam ſeriò agant. Et poſteri de domo Mendociæ in noſtra Hiſpania, ſimili vana obſeruatione ſibi infortunium diuinant, ſi poſt ſalis in menſa diſperſionem, aliquod negotium aggrediantur. Has obſeruationes tanquam illicitas & ſuperſtitioſas damnat D. Thomas in dicta *quæſt. 96. art. 3.* dicens eſſe quaſdam reliquias idololatriæ, ſecundum quam obſeruantur auguria, & quidam dies fauſti, vel infauſti: quod quodammodo pertinet ad diuinationē, quæ fit per aſtra, ſecundum quæ diuerſificantur dies, hoc eſt, ſecundum Solis & Lunæ curſum. Harúmque obſeruationum ſuperſtitio & vanitas, patet: tum ex vtriuſque iuris, Diuini ſcilicet & humani prohibitione. Nam ad *Galatas* 4. Apoſtolus has obſeruationes dierum felicium & infelicium damnat, dicens. *Dies obſeruatis & menſes, & tẽpora & annos timeo vos ne forte ſine cauſa laborauerim in vobis.* Quæ verba non ad ſolā Iudaici ritus obſeruationem, ſed etiam ad vanam dierum felicium obſeruantiam, referunt Auguſtinus, & Sixtus V. in ſua Bulla contra Aſtrologos iudiciarios edita, quæ incipit *Cæli & Terræ creator Deus*: in decretis quoque 26. *quæſt.* 7. Canone *Non obſeruetis*, † damnantur vt ſuperſtitioſi, & fidei Chriſtianæ & Baptiſmi præuaricatores, quicunque per quoſdam numeros litterarum, & Lunæ, vel proſpera vel aduerſa futura inquirunt, ſiue qui attendunt ſomnialia ſcripta & falſo Danielis nomine intitulata: & ſortes quæ dicuntur Sanctorum Apoſtolorum, & auguria auium, aut aliqua pro domo facienda, aut propter coniugia copulanda: aut in collectionibus herbarum carmina dicunt: aut pyctauolas pro quauis infirmitate ſcriptas ſuper homines & animalia ponunt, præter ſymbolum & orationem Dominicam, &c. & *Canon. ſequenti* refert Gratianus ex Auguſtino in Enchiridion *cap. 79. Quam magnum peccatum ſit dies obſeruare, & menſes & annos & tempora; ſicut obſeruant certis diebus, ſiue menſibus, ſiue annis volunt & nolunt aliquid inchoare, eò quòd ſecundum vanas doctrinas hominum, fauſta, vel infauſta exiſtiment tempora, niſi huius mali magnitudinem ex timore Apoſtoli penſaremus, qui talibus ait. Timeo ne fortè ſine cauſa laborauerim in vobis.* Idem ſcilicet Auguſtinus (ſubdit Gratianus) ſuper *Epiſtolam ad Galatas* ait. *Intelligat Lector ad tantum periculum animæ pertinere periculoſas temporum obſeruationes, vt dicat Apoſtolus: Timeo ne fortè ſine cauſa laborauerim in vobis*, &c. Tum etiam ratione, qua ibidem vtitur Angelicus Doctor in hunc modum. Iſtius artis obſeruantiarum Profeſſores, attendunt huiuſmodi obſeruationes; non vt cauſas futurorum euentuum, quos operari aut cognoſcere inquirunt, ſed vt quædam ſigna duntaxat & non vt ſigna à Deo inſtituta, aut diuina authoritate inducta, ſicut fuere ſacramenta: neque vt ſigna naturalia, vtpote cum eis nullam habentia naturalem connexionem, quoniam neque ſunt coëffectus eiuſdem cauſæ, à qua tales euentus procedunt: ergo illas attendunt vt ſigna ex placito dæmonum inſtituta, & cum eis inita ac fœderata. Ex quibus proinde nihil certò licet coniectari: niſi in ſuperſtitioſam cum dæmonibus ſocietatem incidendo.

15 Canone

DISPVTATIO IV.

De Appellationibus; in qua nonnullæ reſoluuntur difficultates ſelectæ.

DIFFICVLTAS I.

Vtrum à ſententia vel lege Domini Papæ liceat appellare?

SVMMARIVM.

1 *Appellare, prout accipitur à Iuris Conſultis, eſt à iudice inferiori, ad alterum ſuperiorem iudicem prouocare.*

2 *In Appellatione propriè ſumpta requiritur Iudex* à quo, *diuerſus à iudice* ad quem.

3 *Referuntur quatuor aſſertiones ex hoc principio deductæ.*

4 *Ad probandam primam aſſertionem, ſcilicet à decreto Summi Pontificis in cauſis fidei, religionis, &c. nullatenus licere appellare, varia adducuntur argumenta.*

5 *Concilia non debent celebrari præter ſententiam Romani Pontificis.*

6 *Conſuetudo Eccleſiæ manifeſtè declarat, nunquam admiſſam eſſe appellationem in cauſis fidei à Sede Romana.*

7 *Quod intentum aliis duabus firmis rationibus probatur.*

8 *Obiicitur contingere quandoque, Summos Pontifices rite electos errare in rebus fidei ac morum totius populi Chriſtiani.*

9 *Reſpondetur obiectioni, admittendo Papam poſſe errare errore perſonali, non iudiciali.*

10 *A legibus & reſcriptis Summi Pontificis non poſſe appellari, triplici argumento probatur.*

11 *Priuatus ciuis ſiue Princeps temporalis poteſt cum Romano Pontifice, vt cum Domino temporali litem agere, ſuper pago aliquo obeinendo aut dimittendo, vel ſuper feudo ſoluendo aut renouando, &c.*

12 *In*

12 *In quibus casibus subditur Papa in foro externo Iudici, ratione legis, secundum quam debet iudicare.*

13 *Ius naturale non concedit parti læsæ à Pontifice beneficium appellationis, aut remedium prouocandi, ad iudices arbitros deligendos.*

14 *Princeps à Domino Papa vim & iniuriam passus, quo remedio debeat vti?*

15 *Referuntur duæ causæ, ob quas fit licita & iusta supplicatio ad Summum Ecclesiæ caput.*

16 *Remedium supplicationis à litteris & legibus Apostolicis, extante rationabili causa est Iuri consentaneum, & consuetudine immemoriali in Regnis Christianis firmatum.*

17 *Salubre Remedium supplicationis est Regalia propria ipsius Summi Pontificis, eius diademati & annulo inseparabiliter affixa.*

18 *Supplicatio ad Papam aut Principem alium supremum, est actus humilitatis, obedientiæ, & reuerentiæ ipsi debitæ & ex debito exhibendæ.*

19 *Antiquorum adorationis obsequia & signa erga suos Principes aut Deos, in quem finem tendebant.*

20 *Deus voluit Papam triplici gloria coronare, in cuius signum triplici corona aurea coronatur.*

21 *Delegationem temporalis potestatis per Papam ad supremos terræ Principes, probat Sanctus Antoninus tribus rationibus.*

22 *Ex quibus infertur omnem potestatem datam Principibus secularibus esse ministerialem ac subdelegatum respectu Papæ.*

23 *Remedium supplicationis interpositæ ex rationabili causa, coram Sanctissimo, quandoque & in aliquibus casibus habet effectum suspensiuum.*

24 *Referuntur casus, in quibus dictus modus supplicandi operatur effectum suspensiuum.*

25 *Ex quibus colligitur consonam esse ipsi iuri Canonico, & permissam à Summis Pontificibus, Bullarum Apostolicarum, Rescriptorum & legum Generalium pro bono communi conditarum suspensionem, &c.*

26 *Eadem suspensio in dictis casibus iure ciuili probatur.*

27 *Supplicatio hæc cum effectu suspensiuo litterarum Apostolicarum, & mandatorum Papæ in casibus certis, & ex rationabili causa probatur Cardinali Caietan. cuius verba ad literam referuntur.*

28 *Supplicatio ad Sedem Apostolicam interposita, neque semper, neque in omnibus casibus operatur effectum suspensiuum ab eius legibus & rescriptis.*

29 *Tres requiruntur conditiones, vt supplicatio interposita coram Sede Apostolica, ab eius literis operetur effectum suspensiuum.*

30 *Quarum Prima est, quod huiusmodi literæ & Bullæ Apostolicæ non contineant legem generalem pro regimine totius populi Christiani, aut alicuius integræ nationis, &c.*

31 *Lex, teste D. Thoma, est rationis ordinatio ad bonum commune, ab eo qui curam habet Communitatis, promulgata.*

32 *Aliud est leges per non vsum populi aut per contrarios actus inualidari, aliud est illas à populi approbatione valorem recipere.*

33 *Refertur secunda conditio supplicationis, vt infallibiliter operetur effectum suspensiuum absque piaculo inobedientiæ, quæ est causa rationabilis.*

34 *Causæ rationabiles à iure determinatæ in genere sunt tres; in specie autem septem.*

35 *Virum suspensio & detentio ad tertiam & quartam iussionem debeat protrahi, si Papa per secundam iussionem priores litteras ac partis læsæ grauamen & damnum confirmet.*

36 *Supplicationem interponens legitimè eam tenetur prosequi.*

37 *Litteræ Apostolicæ, parte non supplicante, aut supplicationem interpositam legitimè non prosequente, nec retineri possunt, nec suspendi.*

38 *Literæ Apostolicæ nullum aliud grauamen afferentes præter constitutionem pensionum moderatarum super Canonicis alicuius Ecclesiæ, &c. à successoribus possidentium soluendarum, non possunt nec debent a Senatu vltra modicam temporis moram suspendi aut detineri.*

39 *Oppressus à Summo Pontificis iudicio potest licitè aliquando illum recusare, & ad non suspectos iudices confugere.*

40 *Licitum ac debitum est Papæ dilanianti Ecclesiam aut Simoniacè beneficia conferenti non obedire, & in faciem resistere.*

41 *Schismaticus propriè est ille, qui cum rebellione Ecclesiæ præcepta contemnit, & iudicium eius subire recusat.*

42 *Recusare præceptum vel iudicium Papæ, contingit tripliciter.*

43 *Papa potest se dupliciter ab Ecclesiæ vnitate separare.*

44 *Papa vtrum peccet, renuendo Principi seculari gratiam, vel dispensationem ordinariam rationabili de causa.*

45 *Respondetur ad quæsitum, duas scilicet esse opiniones; quarum Prima asserit Papam nequaquam peccare negando talem gratiam aliàs solitam concedi; probaturque quadruplici argumento.*

46 *Refertur secunda opinio, quæ loquitur sub distinctione, & tanquam vera pro conclusione statuitur.*

47 *Negare gratiam indigno non solùm non est peccatum, sed videtur laudabile.*

48 *Abusus alicuius potestatis est peccaminosus.*

49 *Potestas data Papæ ad dispensandum eo fine censetur data, vt fideles ad ipsum recurrant in necessitatibus spiritualibus pro dispensationibus votorum & graduum prohibitorum, &c.*

50 *Respondetur secundo quæsito, quid scilicet faciendum sit Principi pro se aut suis, quibus talis dispensatio denegatur.*

51 *Respondetur argumentis pro prima opinione addictis.*

DIFFICILEM & à paucis tritam viam ingredimur : sed vt tam peruiam & planam relinquamus posteris, operæ pretium est ab ipsa nominis etymologia & diffinitione, appellationis exordium sumere. † *Appellare* igitur provt accipitur à Iuris Consultis, est à Iudice inferiori ad alterum superiorem Iudicem prouocare, teste Amb. Calepino. V. *appello*; & verbo, *appellatio*. Nam apud Iuris Consultos (ait ille) appellatio est prouocatio, cum ob sententiam iniquam, maioris Iudicis auxilium imploramus : & Vlpianus, *qui appellat, maiorem iudicem debet appellare*. Vnde dicimus, *appello Principem & ad Principem*. Quare *Appellatio* propriè & strictè sumpta provt à supplicatione distinguitur, est de minori ad maiorem Iudicem ratione grauaminis illati vel inferendi prouocatio : aut etiam est contra vim Iudicis prouocatio. Nam cùm Iudex etiam possit inferre iniuriam & vim, sicut quælibet alia priuata persona, propterea remedium agentibus inuentum contra huiusmodi iniuriam à Iudice irrogatam, est Appellatio, vt per eam iniquitas Iudicantium & imperitia corrigatur. Sicque diffiniri solet, & explicari essentia appellationis ab vtriusq; Iuris peritis cõmuniter, super *leg. prima ff. de appellationibus*, & *in decretis*, 2. *q.* 6. per totam, & à Theologis 2. 2. *q.* 69. *art.* 3. quam diffinitionem vt congruentem & exactam, nos etiam defendimus 12. *q.* 94. *diff.* 2. *sectione* 3. *difficultate* 2. *pag.* 612.

2 Ex qua licet colligere † in appellatione propriè sumpta requiri iudicem *à quo*, esse diuersum à Iudice *ad quem* : istumque ad illum tanquam Superiorem ad inferiorem comparari debere. Quod non requiritur in supplicatione, vtpote quæ fieri potest, ac solet ad eundem Iudicem melius informatum siue informandum. In quo sensu fertur miles quidam per Philippum Regem Macedonem morti addictus, dixisse *appello*. Cui ille; ad quem appellas. Ille nomine appellationis in laxiori significatione, pro supplicatione vtens, subiunxit : ad Philippum sobrium, & temperatum appello, id est ad teipsum, semoto iracundiæ & vindictæ liuore, ac melius instructum. Sicque solent litigantes in quibuscumque causis tam ciuilibus, quàm criminalibus, ad eosdem iudices à sententia semel data iniusta, aut minus iusta prouocare supplicando : vt quam vel passione animi, vel ignorantia iuris aut facti tulerant, eam sedato animo, aut melius instructi retractent vel moderentur. Ex hiis enim duobus principiis, plerumque solent Iudices iniuriam per sententiam litigantibus inferre, nimirum aut ex humana passione sensitiui appetitus ; aut ex ignorantia iuris siue facti ex parte intellectus : ad quam propterea vim & iniuriam propulsandam Ius ciuile & Canonicum naturali se conformans, remedium appellationis & supplicationis inuenit, vt illo ad Iudices superiores, & isto ad eosdem Iudices pars læsa recurrat, vt animo magis pacato & maiori cognitione causæ habita semel latam sententiam corrigant. Ex quo † principio sequentes placet deducere assertiones firmas. 3

Prima assertio siue conclusio sit, A decreto Summi Pontificis in causis fidei, religionis, aut morum populi Christiani, nullatenus licet appellare : imò neque à lege Generali, aut à sententia per illum lata.

Secunda assertio sit ; licitè tamen ac iustè potest fieri supplicatio : tum à lege generali, tam etiam à rescriptis & litteris particularibus, editis à Domino Papa & à Sede Apostolica emanantibus.

Tertia assertio sit, quod hæc supplicatio iustè & ex rationabili causa interposita, quandoque & in aliquibus casibus habet effectum suspensiuum, non verò semper, neque in omnibus. Quarta assertio sit, quod Papa potest in aliquo negotio recusari, petendo iudices non suspectos.

Quarum † assertionũ Prima, quoad primam 4
partem, hoc est quoad causas fidei, religionis, & morum, ostenditur Primò, quia in huiusmodi decretis quibus Summus Pontifex vt caput Ecclesiæ diffiniuit aliquod dogma fidei à tota Ecclesia credendum, aut aliquem Sanctum Canonizat, & iubet à cunctis fidelibus adorari & inuocari : aut aliquam legem condit pro reformatione populi Christiani, est supremus Iudex, suprema vtens potestate & indefectibili, secundùm quam errare non potest, hoc est neque fallere, neque falli, ex promissione Christi Domini ad Petrum & eius successores facta in Euangelio. *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*, & iterum : *ego rogaui pro te Petre, vt non deficiat fides tua : & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos*. Quam veritatem vt certam de fide, probant Caietanus *tomo primo tractatuum capite secundo, & sequentibus*, Canus *libro sexto, de locis, capite quarto & septimo*, & Nos *in Commentariis ad secundam secundæ, quæstione* 1. *articulo* 10. *quæstione* 1. *dubio* 1. *& quæstione* 3. *dubio* 3. Sed à suprema potestate, quæ nullam aliam recognoscit superiorem in terris, non potest fieri appellatio, cùm hæc intrinsecè & ex natura sua sit ab inferiori ad superiorem iudicem prouocatio; ergo.

Secundo id probat Canus *vbi supra, capite quarto*, ex Iulio Primo in Epistola ad Episcopos congregatos Antiochiæ, dicente, ✣ non 5
debere vllo modo præter sententiam Romani Pontificis Concilia celebrari, aut Episcopos condemnari : cui maiora Ecclesiarum negotia ab ipso Domino speciali priuilegio tradita sunt, decernente Nicæna Synodo *cap.* 18. in hæc verba. *Omnes Episcopi in grauioribus causis liberè Apostolicam appellent Sedem, atque ad eam quasi ad matrem confugiant, cuius dispositionis omnes maiores Ecclesiarum causas antiqua Apostolorum authoritas reseruauit.* Et *capite decimonono* subditur. *Quamquam accusati Pontificis causam comprouincialibus Episcopis scrutari liceat, non tamen inconsulto Romano Pontifice diffinire, cùm Beato Petro Apostolo non ab alio, quàm à Domino ipso dictum sit : quodcumq; ligaueris super terram, erit ligatum, &c.*

Quæ

Quæ duo capita testatur ipse Iulius cum iuramento, se vidisse in scrinio siue archiuio Romanæ Sedis, licet modò in actis excusis Niceni Concilij non inueniatur, propter hæreticorum industriam, qui illa dicto volumine exposerunt, & exposa combusserunt. Deinde *in cap.* 7. subdit idem Canus, quod hoc
6 ipsum † Ecclesiæ consuetudo manifestè declarat: *Nunquam enim admissa est appellatio in causis fidei à Sede Romana, sed Hæreticos ab ea iudicatos, Ecclesia semper hæreticos etiam iudicauit; & certè si Romanæ sedis Iudicium fallax esset, Concilij verò esset verax & certum, naturæ, rationi, veræque Theologiæ, is aduersaretur, qui appellationem à Pontifice ad Concilium denegaret. Quo vno argumento ostendit Gelasius Papa Sedem Apostolicam de tota Ecclesia Iudicare, ipsam verò ad nullius pertinere Iudicium, iam istiusmodi appellationes in fidei præsertim dogmate Ecclesia nescit; nam hiis Hæretici solùm vtuntur, &c.* Hæc Canus adhærens vestigiis Caietani *vbi supra, in cap.* 12. vbi sic concludit. *Authoritas Ecclesiæ determinatiua de hiis quæ sunt fidei, principaliter residet in summo Pontifice, & non solùm principaliter, sed finaliter, ita quod ad ipsum spectat finalis de fide determinatio, neque spectat ad Concilium, sed Concilij sententia à Papa confirmatur; & à Concilio ad Papam appellatur: vt Sanctus Thomas in allatis locis docet.* Loca autem huius doctrinæ, ex quibus Caietanus tanquam ex perenni fonte suam ebibisse sententiam testatur, sunt tria; nimirum *in quæst.* 2. *de potentia, artic.* 4. *in solutione ad* 13. vbi sic ait: *Ita etiam Romanus Pontifex hoc sua authoritate potest (nimirum diffinire dogmata fidei, quæ in Conciliis generalibus diffiniuntur) cuius authoritate sola Synodus congregari potest, & à quo sententia Synodi confirmatur, & ad ipsum à Synodo appellatur.*

Secundum habetur in 2. 2. *quæst.* 1. *art* 10. *in corpore*, vbi Sanctus Doctor sic habet. *Ad illius ergo authoritatem attinet editio symboli, ad cuius authoritatem pertinet finaliter determinare ea quæ sunt fidei, vt ab omnibus inconcussa fide teneantur: hoc autem pertinet ad authoritatem Summi Pontificis ad quem maiores & difficiliores quæstiones Ecclesiæ referuntur: vt dicitur in decretis dist.* 22. *cap. Omnes, & cap. Sacrosancta. Vnde Dominus* Lucæ 22. *Petro dixit, quem Summum Pontificem constituit: ego pro te rogaui Petre vt non deficiat fides tua, & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos, &c.* Tertium habetur *Opusculo* 1. scilicet contra errores Græcorum scripto & misso ad Vrbanum IV. Pontificem Maximum, *cap.* 64. *& quatuor sequentibus*, vbi probat errorem dicentium, Christi Vicarium Romanæ Ecclesiæ Pontificem non habere vniuersalis Ecclesiæ primatum; similem esse errorem dicentium Spiritum sanctum à filio non procedere: eò quòd sicut ipse Christus Dei Filius suam Ecclesiam conciliat & sibi consignat Spiritu Sancto, quasi suo sigillo & charactere; ita Christi Vicarius suo primatu & prouidentia vniuersam Ecclesiam tanquam fidelis minister Christo subiectam conseruat. In cuius documenti confirmationem inducit tres Canones Synodi Calcedonensis, in quorum primo dicunt Patres Conciliares. *Veneramur secundum Scripturas & Canonum diffinitiones, Sanctissimum antiquæ Romæ Episcopum, primum esse & maximum omnium Episcoporum:* In Secũdo proclamant sic. *Leo sanctissimus, & ecumeraicos id est vniuersalis Patriarcha per multos annos viuat.* In tertio sic decernunt. *Si quis Episcopus prædicatur infamis, liberam habeat sententiam appellandi ad beatissimum Episcopum Romæ, quia habemus Petrum patrem refugij, & ipsi soli libera potestate loco Dei sit ius discernendi Episcopi criminati infamiam, secundum claues à Domino sibi datas.* Qui canon ex quo consonat cum duobus allatis à Domino Iulio Papa, planè comprobat illos fuisse à Patribus Niceni Concilij diffinitos.

Tertiò probatur † idem intentum duabus 7
firmis rationibus, quæ ex hucusque iactis fundamentis deducuntur. Prima est, tota potestas à Christo Domino data Petro Apostolo, translata fuit in Romanum Pontificem; vt dicti Theologi probant, vt certum secundùm fidem in locis præallegatis: ab illa autem neutiquam potest appellari, vtpote suprema & indefectibili, maximè in causis fidei, religionis, ac morum, vt etiam adducti Canones Niceni & Calcedonensis Concilij testantur: & Patres tam Græci quàm Latini colligunt ex oraculis ore Christi Domini ad Petrum effusis *Matth.* 16. *Tu es Petrus & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, &c.* Et infra. *Quodcumque solueris super terram, erit solutum & in cœlis, & quodcumque ligaueris, &c.* Lucæ 22. *Ego rogaui pro te, vt non deficiat fides tua, & tu aliquando, &c.* & Ioan. 20. *Pasce oues meas.* Super quem locum Chrysostomus ad consulta Bulgarorum sic ait. *Ter te interrogo, an ames, an ames, an diligas, quia ter me trepidus & timidus negasti: nunc autem reductus, ne credant te fratres gratiam clauium & authoritatem amisisse: quia amas me, coram ipsis ideo tibi eam confirmo, quod meum est plenum, &c.* Secunda ratio sic habet: Si à Domini Papæ sententia ac decreto in huiusce generis causis, esset possibilis appellatio, maximè ad generale Concilium: Atqui hanc appellationem non esse habilem, sed econtra fore faciendam à Concilio Generali ad Dominum Papam, testantur præfata testimonia Conciliorum, decreta Canonum, Sanctorum Patrum ac Theologorum: & nos ostendimus in dicto *dub.* 3. *quæst.* 3. Dominum Papam esse omnino supra generale Concilium, & non econtra, aduersus erroneam opinionem Ioannis Gersonis Cardinalis Cameracensis, Ochami & Almaini, in quam cuncti Parienses Doctores conspirarunt, asserentes Concilia generalia habere supra Dominum Papam potestatem; quorum proinde sententiæ coactiuæ oportere illum esse subiectum, ab istóque ad illa valere appellationem. Sed oppositum proculdubio diffinitum fuit in Concilio Lateranensi sub Leone X. celebrato, simul reprobante sententiam, quam de superioritate Concilij supra Papam Constancience & Basilience Concilium firmauerunt, eò quòd vtrumque in hoc decreto errauit; neque enim inconuenit Concilium aliàs initio sui legitimè congregatum, in progressu in errores prolabi, antequam accedat summi Pontificis confirmatio ac approbatio, & in Bulla Cœnæ interdicunrur Collegia & Capitula appellantia à sententia Papæ ad Generale Concilium. Dices, † etiam contingit quandoque Summos 8
Pontifices rite electos errare in rebus fidei

ac morum totius populi Christiani : id namque supponitur *in cap. si Papa D.* 40. vbi statuitur deponendum fore Papam, si crimine hæresis inficiatur : id contigit Ioanni XXII. qui dixit ex animi sententia, animas Iustorum non videre Deum, neque visione frui beata vsque ad diem Iudicij; qui est manifestus error in fide. Similiter Innocentius IV. in suis ad libros decretalium commentariis, multas scribit sententias in materia Iuris Canonici, quas Iuristæ vt falsas quandoque, & quandoque vt minus probabiles refutant, huiusmodique depositio Papæ hæretici committitur Iudicio Concilij : ergo tanquam superiori ad Papam : nullum enim iudicari posse nisi à superiori, testatur D. Thomas 22. *q.* 67. *art.* 1.

Sed hoc nihil obstat nostræ doctrinæ. Nam
9 etsi † Papam admittamus posse errare errore personali, id est quatenus est quædam persona priuata, aut quidam Doctor particularis, vt multis probat Canus *in dicto lib.* 6. *cap.* 8. & nos eandem confirmamus sententiam in adducto *dub.* 3. *quæst.* 1. *conclusione* 2. contra minus probabilem opinionem negantem Alberti Pigij, Didaci de Couarruuias, & aliorum Iuristarum, qui mittentes falcem in messem alienam, meritò hanc deceptionis mulctam contraxerunt. Nam sicut quidam ex ipsis dicunt, principia iuris sæpe apud Theologos inueniri subuersa; ita & sæpius nos apud Iuris professores principia Theologiæ inuenimus labefactata. Sed non errore Iudiciali, hoc est ab ipso prolato aut firmato, quatenus Iudex supremus, & caput Ecclesiæ est, vt *ibidem conclusione prima* Lector ostensum à nobis videre poterit. Quare in casu illo pro quo Papa venit deponendus ex *cap. si Papa*, fatemur eum posse labi in hæresim sentiendo, aut scribendo vt persona priuata est, sed non diffiniendo, vt Iudex supremus ac Ecclesiæ pastor vniuersalis. Error quoque ille Ioannis XXII. fuit ab ipso admissus atque conceptus, vt à Doctore Parisiensi particulari, sed neutiquam ab illo in Pontificatu per diffinitionem Iudicialem confirmatus, aut approbatus, imo ne illum diffiniret, fuisse morte præuentum, testatur Benedictus XI. in sua extrauaganti. Commentaria quoque edita ab Innocentio IV. super decretalium libros, neque authoritatiuè ab ipso, neque diffinitiuè probata, sed tantùm vt à priuato Doctore fuere conscripta & euulgata : Vnde neque legis, neque Canonis aut decreti vim habent, nisi solius Doctrinæ cuiusdam classici & magnæ notæ Authoris; vnde neque mirum, quod opiniones falsas, aut minus probabiles doceat, quibus alij Doctores non subscribant. Quomodo autem Papa infidelis deponatur à Concilio Generali respectu cuius non est inferior? consulat Lector, quæ *dubio* 3. *nostræ quæstionis* 3. *iam citato*, scripsimus, & quiescet. Aut enim tunc Concilium tantùm vtetur ministeriali potestate ac functione, aut declaratoria sententia eius interni Iudicij, quo Christus Dominus vt causa principalis eum deponit à Pontificali dignitate, qui ob pacem Ecclesiæ & scandala ac schismata vitanda, prouidit Papam non nisi ministerio Concilij Generalis fore deponendum.

Deinde secunda pars nostræ assertionis, sci-
10 licet quod † à legibus & rescriptis Pontificis Summi non possit appellari : per leges autem vniuersalia decreta siue mandata intelligimus, pro bono communi aut totius Ecclesiæ, aut vnius nationis vel Regni, aut totius alicuius religionis lata in perpetuum obseruanda : & per Rescripta accipimus illa responsa & litteras particulares, quæ vel personas, vel Communitates priuatas siue oppida tangunt. Probatur primò, quia est apud Iuris consultos axioma receptum; vt notant Bartolus *in lege finali de appellationibus recipien. num.* 30. & Scaccia *titulo de appellationibus q.* 17. *limitatione* 2. dicentes, à lege Domini Papæ, aut alicuius Principis temporalis supremi non posse appellari, propter defectum superioris ad quem debeat fieri prouocatio : quod absolutè & sine addito intelligendum puto, & non cum illa limitatione, quam quidam Neotherici apponunt, nimirum nisi fuerit condita in præiudicium certarum personarum, hoc enim est verbis colludere, & appellationem cum supplicatione confundere. Hæc namque potest fieri ad eundem Principem, quando lex lata per illum infert manifestè præiudicium tertiæ personæ : illa quantumuis præiudicium afferat certis personis, non admittit appellationem propriè sumptam, quia respectu supremi Principis deest alius superior ad quem fiat prouocatio, supremi inquam absolutè & simpliciter, cuiusmodi sunt Dominus Papa in spiritualibus, & in temporalibus respectu suæ ditionis, Imperator & Regia fulgentes dignitate, in qua serie non sunt Italiæ & Germaniæ Potentatus, qui feudales sunt Imperij, & coram Imperatore litigare tenentur, à quibus proinde ad Imperiale tribunal potest fieri de iure communi prouocatio. Secundò probatur, quod appellatio ea parte qua est ad superiorem Iudicem prouocatio, non habeat locum in huiusmodi, quia potestas illa legum latiua, residens in Romano Pontifice est suprema, non minus, quàm illa, quæ in ipso residet ad diffiniendas res fidei, religionis ac morum, à qua propterea non potest fieri appellatio. Quod planè euincitur duobus discursibus : tum quoniam leges condere in Ecclesia Dei, & responsa ac rescripta authoritatiuè dare, pertinet ad illam pastoralem potestatem à Christo Domino immediatè Petro datam *Ioannis* 20. & in eius successores translatam, quando ei dixit ter, *Pasce oues meas*, *&c.* Oues namque Christi congruis legibus, & salutaribus præceptis ac mandatis pascuntur : illam autem constat esse suprema potestatem, vtpote supremi & vniuersalis Ecclesiæ pastoris : ergo. Tum etiam discursu Caietani in dicto opusculo *de authoritate Papæ cap.* 12. nimirum, quod potestas legum conditiua non residet in tota Ecclesia, vt in Republica siue communitate libera ac perfecta, nisi in solo Summo Pontifice, vt in vnico & supremo capite ipsius Ecclesiæ, cuius regimen cum sit Monarchicum, ab vno solo capite ac Principe, & eius suprema authoritate debet dependere : ergo, &c. Tertiò ostenditur, quod in huiusmodi locum non habeat appellatio, ea parte qua est prouocatio facta siue facienda ob iniquam sententiam corrigendam, vel ratione iniusti grauaminis illati repellendi. Nam cùm leges per Pontificem Summum latæ pro toto Christiano populo, plerumque morales sint, ac de rebus ad illius mores pertinentibus, nimirum aut quia dant

formam

formam ciuilibus contractibus, aut quia mores fidelium corrigunt, vsurarum voraginem, & Simoniæ vitium, verbi gratia, pœnis compescentes, quales constat esse leges contentas in decretalium toto volumine; propterea potestas in eis condendis est indefectibilis, sicut illa quæ est determinatiua de hiis quæ sunt fidei & Religionis, secundum quam proinde Papa saltem practicè errare non potest. Sententia igitur & lex, quæ erronea esse non potest practicè, provt à suo conditore dimanat, neque indiget correctione, neque vbi iniustum grauamen deest, potest fieri prouocatio ratione iniusti grauaminis propulsandi; quia deest terminus à quo talis prouocationis faciendæ: per leges autem circa corrigendos mores totius populi Christiani, sic generaliter latas à Romano Pontifice, neque iniustitiam committere, neque iniustum grauamen certis personis aut communitatibus inferre ipse potest, non solùm quia grauamen generalis legis, non est grauamen, vtpote quod omnes subditos pariter tangit, sed etiam quia errorem practicum intolerabilem tales leges continere non possunt, ob quem tollendum iura inuenerunt remedium appellationis: ergo.

11 Neque obstat quod potest quis siue † priuatus ciuis, siue Princeps temporalis cum Romano Pontifice, vt cum Domino temporali litem agere super pago aliquo obtinendo aut dimittendo, vel super fæudo soluendo, aut renouando, v. g. in quo casu tenetur Pontifex subiici iudicio alterius, & venit per alterum iudicandus, veluti per superiorem: nam tunc Papa subiicitur alteri non vt superiori, sed vt iudici arbitro vel à se delegato. Bono namque regimini expedit, quod Papa propria sponte in ciuilibus aut etiam in criminalibus causis, possit se subiicere aliorum iudicio, quamuis non sint ei superiores; sicut patet in his qui compromittunt in aliquos arbitros, & ideo oportet arbitrium pœna aliqua vallari, quia Iudices arbitri cùm non sint superiores, neque habent de se plenam coërcendi partes litigantes potestatem. Vnde sic Christus Dominus propria sponte humano iudicio se subdidit: & Leo IV Papa se iudicio Imperatoris sponte subiecit, vt habetur in decretis 2. *q.* 7. *cap. Nos si incompetenter.* Hanc doctrinam tradidit nobis D. Thomas 22. *q.* 67. *art.* 1. *ad* 2. iuxta quam Caietanus *ibidem dub.* 2. Bañesius *dub.* 3. & Nos eorum vestigia sequentes 22. *super articulum* 10. *q.* 3. *de authoritate Conciliorum, dub.* 3. asserimus Papam posse ac debere ex iustitia quandoque aliorum Iudicium, siue arbitrorum, siue à se destinatorum in vrbe, aut extra vrbem Romanam ad aliorũ subditorũ causas diiudicandas, in suis causis subiici, sed non in omnibus: cuius discriminis hanc regulam firmam assignat Cardinalis Caietanus quod in eis omnibus, in quibus Papa potest se ipsum diiudicare, potest etiam se alteri iudicandum subicere. V. g. in compensando iniuriam alteri illatam, in restituendo pagum siue fundum alteri sublatum: secus verò in aliis in quibus in se ipsum iudicium exequi non potest, v.g. non potest se subiicere iudicandum alteri vt suspendatur, vt mutiletur, vel vt excommunicetur: quia neque hos actus in seipsum exequi potest, quod si alteri scilicet Confessario se subiicit à peccatis absoluendum, cùm tamen se ipsum absoluere non possit, hoc est in foro interno, ad quod regula Caietani non extenditur, quæ solùm tenet in externo & iudiciali: eò quòd in illo ratione delicti Papa efficitur inferior Confessario vt ministro Dei; provt indicat Sanctus Thomas *in* 4. *D.* 19. *quæst.* 1. *art.* 3. *quæstiuncula vltima ad* 3. aut si malueris, quia in foro Confessionis Sacramentalis, principalis iudex est Deus, ministerialis autem est Sacerdos vtens clauibus à Deo acceptis: Papa verò absolutè est inferior Deo, & ex suppositione peccati manet inferior & subiectus clauibus, quas Sacerdos habet ex diuina institutione, & accipit in sui ordinatione. Cum quo stat, quod dum Papa eligit simplicem Sacerdotem, aliàs à nullo Ordinario approbatum, in sui Confessorem, dum ab illo absoluitur, vtitur etiam potestate delegata ab ipso Papa & ex illius commissione. In quo sententiam negantem Bañesij *vbi supra*, non probamus: mirum enim valde esset non posse Papam, quod potest quilibet Episcopus. Nam quicumque Episcopus in sua Diœcesi potest dare commissionem, & facultatem delegare simplici Sacerdoti, vt ipsum à peccatis absoluat, non solùm vtendo potestate Iurisdictionis à Deo illi communicata in sui ordinatione, sed etiam facultate ab ipso Episcopo pœnitente accepta: cur ergo supremus Episcopus Vrbis & Orbis non poterit absolui à simplici Sacerdote à se delecto, vtenti facultate ab ipso Summo Pontifice ei delegata? Dicendum igitur est quod vterque id potest, sed cum hoc discrimine, quod Summus Pontifex de iure diuino habet posse eligere quemcumque Sacerdotem in sui Confessorem, quia tota eius potestas iurisdictionis est immediatè à Deo: Episcopus autem inferior tantùm potest eligere in suum Confessarium quemlibet Sacerdotem suæ Diœcesis, de iure humano, hoc est potestate sibi à Papa communicata.

In prædictis † tamen casibus subditur Papa in foro externo Iudici ratione legis, secundùm quam debet iudicare. Vnde sicut legi à se conditæ solùm quoad vim directiuam, ita & iudici à se delecto quoad eandem dumtaxat subiicitur; itaque vtrique quoad vim directiuam, & neutri quoad vim coactiuam subditur. Hinc fit, Papam in eo euentu ex necessitate virtutis iustitiæ commutatiuæ teneri sententiam iustè & secundùm leges latam, cõtra ipsum accepta re & adimplere: respectu quidẽ partis læsæ absolutè & simpliciter: respectu verò iudicis arbitri vel delecti, ex suppositione quod pactum inierit cum illo de acceptando sententiam, & ea conditione Iudex commissionem acceptauerit. Si autem Papa sponte proprtia noluerit aut iudicio alterius se subiicere, aut sententiam latam à iudice acceptare, à nemine pœnis potest cogi, quia liber omnino est à potestate coactiua. Quemadmodum enim in negotio graui & periculo imminenti, Christianæ fidei, aut Christi fidelium Imperator, nomine sui, & aliorum Catholicorum Principum, potest Papæ contestari generale Concilium, & ipsum commonere, vt Patres Conciliares conuocet, ad idque determinatum locum ac congruum tempus consignet, sed ipsum nolentem cogere non potest: ita Princeps læsus à Papa in temporalibus bonis aut Iuribus, poterit eum supplex vocare ad 12

iudicium ſubeundum coram arbitris,aut aliis à ſe iudicibus deſtinatis, ſeu deſtinandis, ſed neutiquam cogere ſi ſponte noluerit, quia nullum in terris habet ſuperiorem:à quo compelli aut ad quem prouocatio fieri poſſit. Pro quo tandem facit illud Ioannis Angeli relatum in Gloſſa Proœmij Clementinarum. *Papa ſtupor mundi, nec Deus eſt nec homo, ſed neutèr inter vtrumque.* Faciunt quoque *cap. cuncta per mundum 9.q.3* & *cap propoſuit de conceſſione præbendarum.* Sed neque in dictis caſibus † Ius naturale parti læſæ à Domino Papa,concedit beneficium appellationis, aut remedium prouocandi ad Iudices arbitros deligendos: quia remedium hoc non eſt immediatè & quoad formam iuris naturalis, niſi ſolùm quoad radicem & mediante illo principio naturali, *vim vi repellere licet*; immediatè autem & quoad formam eſſe iuris Ciuilis ac Canonici, & ab vtroque iniunctum, oſtendimus in ſuperius allegato loco ex 12.ſcilicet *q.941.diſp.2.ſectione 3.difficultate 2. pagina 612.* ex probabiliori & magis recepta ſententia Alciati *in practica ciuili 3. p.tit. de appellationibus*,Scacciæ *de appellationibus lib. 3.q.16. limitatione 1.*& Zeballos *in proœmio ſui tractatus de cognitione per viam violentiæ cap.11.* aduerſus ſingularem & minus probabilem opinionem Bartoli *in leg. omnes populi ff.de iuſtitia & iure n. 24.* Ius autem Canonicum & ciuile nec poſſunt, nec debent contra Papam conſpirare, à quo vnum originem trahit, & alterum robur & conſeruationem accipit.

14 Quo igitur remedio † Princeps à Domino Papa vim & iniuriam paſſus, non ſuo,ſed aliorum Iudicio, in eo euentu vtetur? Remedio quidem ſupplicationis ad eundem Dominum Papam; vt melius inſtructus & informatus, aut ſemel conditam legem tollat, aut reſcriptionis executionem ſuſpendat.Quod remedium adhibet noſtra aſſertio ſiue concluſio, tenens poſſe interponi coram Domino Papa ſupplicationem.Tum à legibus per ipſum latis: tum à reſcriptis & litteris particularibus per eum expeditis: quod licitè & iuſtè fiet rationabili cauſa interueniente, quando lex diſſonat moribus alicuius prouinciæ;& quando reſcriptum expeditur in præiudicium tertij, aut alia ſimili cauſa: vt tradunt Caſtro *de leg.pœnali lib.1.c.1.* Rodericus *tom.1. Regularium q.6. art.7. &* 8. & Suarius *lib.4.de legibus cap.16.n.6.* Salas *tit.14. de legibus diſp.13.ſectione* 4. & Salon *de cenſuris tomo 2. art. 3. diſp.* 4. cum aliis; ſpeciatimque

15 diſtingimus illas † duas cauſas, ob quas fit licita & iuſta ſupplicatio ad Summum Eccleſiæ caput, ſcilicet diſſonantiam ad mores Prouinciæ, & præiudicium tertij, merito;quoniam eo ipſo quod lex vniuerſaliter fertur pro tota Monarchia, qualis eſt imperialis:aut pro tota Eccleſia cuiuſmodi ſunt leges Canonicæ & Pontificiæ,facilè accidere poteſt,ne congruat moribus gentium & Prouinciarum omnium,quæ in vna Monarchia, aut in tota Eccleſia continentur. Vnde reſpectu huiuſmodi legum habet locum ſupplicatio, non reſpectu Monarchiæ aut Eccleſiæ totius,ſed tantùm reſpectu illius prouinciæ, cuius moribus, atque conſuetudinibus tales leges valde diſſentiunt. Has autem conſuetudines & mores non ſolent Pontifices velle mutare, niſi id exprimant,ſed potius conſeruare, provt cauetur *in cap. certificari de ſepulturis* & *cap. 1. de conſtitutionibus in 6.* vbi Bonifacius VIII. huius reddens rationem ſic ait. *Quia tamen locorum ſpecialium & perſonarum ſingularium conſuetudines & ſtatuta (cum ſint facti & in facto conſiſtant) poteſt probabiliter ignorare, ipſis (dum tamen ſint rationabilia) per conſtitutionem à ſe nouiter conditam (niſi expreſsè caueatur in ipſa) non intelligitur in aliquo derogare.* Quare inſtante hac cauſa diſſonantiæ legis ad mores & conſuetudines alicuius Prouinciæ, licita erit ſupplicatio & iuri ipſi conſentanea:atque etiam ſi concurrat altera cauſa, ſcilicet præiudicij & grauaminis certæ perſonæ,aut communitatis; quoniam ſimiliter nunquam præſumitur eſſe de intentione Principis legiſlatoris,aut Summi Pontificis, velle præiudicare tertio *ex lege 2. §. ſi quis à Principe ff.ne quid in loco publico fiat:& cap. ſuper eo de officio delegat.* In quibus iuribus fundamentum habet regula Chancellariæ Romanæ de non tollendo iure quæſito, vt bene notant Nauarrus *lib.3. conſiliorum titulo 33.conſilio 1.* & Rodericus in prælegato *art.8.* ex doctrina Pallacij Rubios *in titulo de beneficiis vacantibus in Curia §.4.*Rebuffi *in praxi beneficiorum,in regula de non tollendo ius quæſitum*,Gloſſa *6.ſolo lib.3.de iuſtitia q.6.art.3.*&aliorum quamplurium.Vnde iſta cauſa concurrente,licita quoque & iuſta atque iuri conſentanea eſt ſupplicatio ad Summum Poniificem,vt melius inſtructus ac informatus reuocet legem à ſe latam, aut litteras à ſe expeditas; ne contra ſuam rectam intentionem inferat præiudicium ac damnum contra iuſtitiam tertio.

Non ſolùm autem hoc † remedium ſupplicationis à litteris & legibus Apoſtolicis extante rationabili cauſa eſt iuri conſentaneum, vt vidimus, ſed etiam eſt conſuetudine immemoriali in Regnis Chriſtianis, maxime Hiſpaniæ, firmatum,vbi de facto à multis legibus Pontificiis & litteris Apoſtolicis eſt humiliter ſupplicatum: v.g. ab illo motu proprio Pij V.circa cenſus conſtitutionem diſponente, qui incipit; *Cum onus Apoſtolicæ ſeruitutis*,& quem Nauarrus tranſcripſit *in ſuo Manuali Latino c.17.n.234.* ſupplicatum eſſe in Hiſpania ſtatim ab initio, propterea quòd illum non eſſe vſu receptum, teſtantur Emanuel Rodericus in explicatione eiuſdem motus proprij in principio, Gaſpar Roder. Iuris conſultus, *de annuis reditibus q.1. à n.28.* Gutierrez *lib.2. quæſtionum practicarum circa leges Regias q.177.*Lazarte *in titulo de decima venditionis c.10.* Salcedo *in additionibus ad practicã*,Bernar.Diaz *c.88.*Ledeſm.*in ſumma 2.p.tit.8. cap. 34.* & alij quam plures: quorum omnium teſtimonium conſtantem fidem accipit ex ipſa Philippi II. reſponſione,data ad Regni petitionem in comitiis Congregatis Matriti anno 1585. vt patet ex libello Principi oblato in dictis comitiis *cap.2.*quæ talis fuit. *Aeſto vos Reſpondemos,que el proprio motu que deçis no eſta recibido,antes ſea ſupplicado del por el Fiſcal de nueſtro conſejo:adonde ſea hecho en los caſos que ſean ofrecido.* Sed neque tunc eundem Motum proprium fuiſſe receptum in vtraque Sicilia teſtantur Molges *in ſumma tom. 2. tractatu 12. cap.6. n 82.* Gaitto. *de credito,cap.2.part.7.num.2210.* & Maſtrillo *deciſione 262.num.2.*Deinde ab alio Motu proprio eiuſdem Pij V. diſponentis, vt Epiſcopus ſucceſſor poſſet iterum denuo ad examen vocare religioſos ſemel à ſuo prædeceſſore

16

ceſſore examinatos & approbatos, ad audiendas fidelium confeſſiones, & interim eis licentias ſuſpendere, fertur Philippum Secundum Catholicũ Hiſpaniæ Regẽ ad eãdem Sedem Apoſtolicã ſupplicaſſe, ob grauia inconuenientia, tumultus, & ſcandali inde imminentia, & in effectu orta, quæ experti fuimus abhinc paucis annis, ex eo quod nonnulli Prælati Zelũ Dei quidem habentes, ſed non ſecundùm ſcientiam hunc Motum proprium ad litteram obſeruare volentes, & fortè huius ſupplicationis & reductionis factæ poſtea per Gregorium XIII. ignari, Religioſis omnibus nolentibus contra ſua priuilegia ad ſecundum examen venire, licentias audiendi confeſſiones ſuſpenderunt, cum magno ſcandalo & ingenti ſuorum ordinum detrimento. Dixi *reductionis factæ, &c.* quoniam poſtea Gregorius XIII. huic ſcandali & tumultus occaſioni obuiare volens, melius informatus præfatam Bullam ſui prædeceſſoris Pij V. reformauit, & ad terminos Concilij Tridentini reduxit, quæ reformatio extat in Bullario *tomo* 1. *à pagina* 1208. Similiter Motum proprium Clementis VIII. Pontificis Maximi, prohibentem Religioſis omnibus, quorumcumque munerum largitionem ſub certis pœnis, non fuiſſe vſu receptum, ob interpoſitam coram Sede Apoſtolica iuſtam ſupplicationem, teſtantur Stephanus Gratian. *diſcept. forenſ. cap.* 102. *tomo* 2. Megala *parte* 2. *lib.* 2. *cap.* 17. *quæſt.* 3. Ioannes Valerus V. *numera, num.* 106. Victorellus *in notis ad Manuale Nauarri cap.* 18. *num.* 105. & alij quamplures grauis notæ Authores, quos refert & ſequitur Neothericus Salgado *de retentione Bullarum* 1. *p. cap.* 2. *ſectione* 3. *num.* 138. & reuera praxis ipſa contraria eorum teſtimonium confirmat. Quæ etiam comprobat Motum proprium Pij IV. Pontificis Maximi obligantem Prælatos regulares, ad faciendam fidei profeſſionem, vſu non eſſe in pluribus religionibus receptum, ob expreſſam vel tacitam ſupplicationem interpoſitam; vt teſtantur Sanchez *in ſumma tomo* 1. *lib.* 2. *cap.* 5. Villalobos *tomo* 2. *titulo* 1. *difficultate* 6. Bonacina *in titulo de election. p.* 1. *cap.* 7. *dub.* 50. Diana *reſolut. moral. titulo* 2. *de dubiis regular. reſolut.* 78. ac tandem à Bulla Cœnæ Domini in *caſu* 14. quatenus tangit Regalias & iura ac priuilegia Regum, ſupplicatum eſſe cautè pro parte Regis Catholici Hiſpani, teſtantur Morla *in Emporio Iuris* 1. *p. tomo* 2. *quæſt.* 14. Cenedus *in quæſtion. Canonicis, q.* 46. *num.* 36. relati à dicto Neothericо *vbi ſupra, ſectione* 4. qui propterea ſubdunt huiuſmodi ſupplicationem operari effectum ſuſpenſiuum, ita vt ea interpoſita licitè poſſint Clerici violentiam paſſi à ſuis Ordinariis, aut aliis Iudicibus Eccleſiaſticis, vti recurſu ad tribunal Regium, per viam auferendæ violentiæ, abſque periculo incurrendi cenſuras in dicta Bulla contra huiuſmodi remedio vtentes, latas.

17 Sed neque hoc † ſalubre remedium ſupplicationis Iuribus ac conſuetudine, & praxi tantùm eſt comprobatum, verùm etiam eſt Regalia propria ipſius Summi Pontificis, eius diademati & annulo inſeparabiliter affixa: nam

18 † ſupplicatio ad Papam, aliumve ſupremum Principem eſt actus humilitatis, obedientiæ ac reuerentiæ ipſi debitæ, & ex debito exhibendæ, dicente Imperatore in Authentico, *vt qui prouincialem hominem extra territorium ſuum ius prodierit, &c. Multi ſanè, cum nos adeunt, docent potentiam noſtram.* Idem abundè probant Panormitan. *in cap. ex litteris de reſtitutione in integrum*, Marqueſanus *de commiſſion.* 1. *p. cap.* 1. & Pereira *de manu Regia* 2. *p. cap.* 65. Fauent Virgilius *lib.* 8. *Æneidos* ibi:

——— *Me me ipſe meumque*
Abieci caput, & ſupplex ad Numina veni.

Et Ouidius ibi:

Et genibus pronis ſupplex ſimiliſque roganti.

Adeò vt qui huiuſmodi ſignis Reges ſupplicant & rogant, ipſos quodammodo adulando Deos faciant, quaſi eis honorem diuinum exhibentes, iuxta illud eiuſdem Virgilij *lib.* 2. *Æneidos.*

Ad te confugio ſupplex tua numina poſco.

Et Martialis *lib.* 8. *Epigramate* 24. *ad Cæſarem Domitianum.*

Si quid fortè petam timido, gracilique libello.
Improba non fuerit ſi mea charta, dato.
Et ſi non dederis, Cæſar permitte rogari,
Offendunt nunquam thura, precéſque Iouem.
Qui fingit ſacros auro, vel marmore vultus,
Non facit ille Deos, qui rogat, ille facit.

Cuncta quippe † adorationis & rogationis ob- 19
ſequia ac ſigna, quibus antiqui vtebantur erga ſuos Principes aut etiam Deos, eò tendebant, vt adorantes & rogantes ſe humiles & ſubmiſſos erga adoratos oſtenderent, vt copiosè referunt Iuſtus Lipſius *lib. electi*, Pierius Valerianus *Hieroglyphicorum lib.* 35. & Acuretus *lib.* 10. *variarum cap.* 1. præſertimque tunc ſupplicandi ac rogandi modum ad Summum Pontificem totius Eccleſiæ caput, eſſe ſupremæ illius Maieſtatis ac poteſtatis manifeſtam proteſtationem, teſtantur Paulus Æmilius *lib.* 2. *Hiſtoriarum Francorum*, Vnynpel *in Epitome rerum Germanicarum cap.* 9. Ioſeph. Stephanus *in tractatu de adoratione pedum Roman. Pontificis, cap.* 1. *& ſequentibus*, Marta *de Iuriſdictione* 1. *parte cap.* 46. & Caſſaneus *in ſuo Cathalogo de gloria mundi* 4. *parte, conſideratione* 7. dicens: Papam ob ſuæ Maieſtatis excellentiam adorandum & ſupplicandum eſſe cum pedum oſculatione, quod genus obſequij ipſi ſoli debetur, ex Gloſſa & Ioanne de Platea *in leg.* 1. *Cod. de domeſtic. lib.* 12. de cuius eximia ac ſuprema poteſtate & excellentia, ob quam præ omnibus hominibus, & immediatè poſt Deum debet honorari, plena manu congeſſit D. Antoninus Archiepiſcopus Florentinus 3. *p. ſummæ Theologicæ titulo* 22. per ſex capita: in quorum primo explicat illud teſtimonium *Pſalmi* 8. *Minuiſti eum paulò minus ab Angelis, gloria & honore coronaſti eum, & conſtituiſti eum ſuper opera manuum tuarum:* primariò & principaliter de Chriſto Domino, & ſecundariò & minus principaliter de Vicario, quem per ſuam abſentiam reliquit in terris, ſcilicet † Papa, quem triplici gloria Deus 20
voluit coronare, ſcilicet gloria commendationis, honore veneratiõnis, & magnitudine authoritatis, in cuius ſignum triplici corona aurea

coronatur.

coronatur. Prima quidem significat gloriam cõmendationis, ob quam nõ solùm beatus, sed beatissimus meretur appellari: Secunda denotat honorem venerationis, ob quam meretur, vt cuncti fideles osculentur pedes eius, iuxta illud *Psalm. 99. Adorate scabellum pedum eius*; qua maior veneratio exhiberi non potest. Tertia denique gloriam magnitudinis & authoritatis, ob quam cunctos ipse iudicaturus, à nemine est iudicandus, nisi deprehendatur à fide deuius, ex *cap. si Papa, d. 40.* In *cap.* autem 3. §. 7. ostendit Antoninus potestatem plenæ iurisdictionis in spiritualibus & temporalibus, fuisse à Christo Domino, Petro, & successoribus eius immediatè communicatam: ad cæteros autem mundi Principes esse à Deo mediante Papa deriuatam. Et quidem de deriuatione spiritualis potestatis ad Ecclesiasticos Prælatos à Deo per Papam
21 ipsius Vicarium, nemini est dubium: † delegationem verò ac deriuationem temporalis potestatis per Papam ad supremos terræ Principes, videlicet ad Imperatorem & Reges, probat Sanctus Antoninus tribus rationibus: nimirum, quod horum potestas si bona sit, per illius potestatem debet institui, regulari, & ordinari & confirmari; & iudicari ac condemnari, si mala, *ex cap. Sancta d. 22. & cap. alius 15. q. 6. & cap. duo sunt d. 96.* Rursus quia Imperatores & Reges præstant iuramentum fidelitatis & obedientiæ Sedi Apostolicæ, recognoscentes se habere ab illa quidquid maiestatis habent, ex *cap. si Domino d. 63.* vbi dicitur Imperatorem iurare Domino Papæ, nunquam eius mandata præterire, & ipsi in omnibus fidelitatem seruare. Ac tandem quia Principum temporalium potestas venit amplianda, restringẽda, & executioni mandanda ad imperium Pontificiæ potestatis, ex Bernardo *in lib. de consideratione ad Eugenium Papam*, vbi versans illud dictum Apostolorum, *Luc. 22. Ecce duo gladij hîc*: sic ait, quasi alloquens Petrum Apostolorum Principem, & futurum Ecclesiæ caput. *Quid tu de vno gladio vsurpare tentas, quem semel reponere iussus es in vaginam: hoc est gladium temporalis potestatis; quem tamen gladium, qui tuum esse negat, non satis videtur attendere Verbum Domini, dicentis: conuerte gladium tuum in vaginam, &c. Tuus ergo gladius ipse euaginandus est ad tuum imperium: alioquin si nullo modo ad te pertineret dicentibus Apostolis, ecce duo gladij hîc: non respondisset Dominus: satis est.*

22 Ex † quibus liquidò infertur, omnem potestatem etiam secularem, datam Principibus secularibus esse in ministerium, essèque veluti ministerialem ac subdelegatam respectu Papæ: quod etiam constat ex *c. quicumque litem 11. q. 1.* Quæ omnia non dedignatur Sanctus Antoninus fateri, se transcripsisse ex Augustino de Anchona *in tractatu de potestate Ecclesiæ*, qui subdit ibi; quod sicut Summo Sacerdoti legis Veteris & Leuitici generis, omnes Iudæi cuiuscumque status essent, obedire tenebantur: alioquin ob huiusmodi inobedientiæ culpam, morte indispensabiliter mulctabantur: ita Summo Sacerdoti in Ecclesia vices Christi gerenti, cuncti fideles cuiuscumque sint status parere tenentur. Hanc autem obedientiam specialiter fore Summo Pontifici per Reges & Imperatores exhibendam, testantur Cassaneus *vbi supra*, & Petrus de Monte *in sua Monarchia*, allegatus à Felino *in cap. Si quando de rescriptis.* Hæc sunt attributa supremæ potestatis in Summo Pontifice residentis, ob quam nedum inferiores fideles, sed etiam & potissimè Reges, Imperatores, & quicumque suprema authoritate fulgentes, Christi charactere insigniti, ei obedientiam, humiliationem, & subiectionem exhibere tenentur, quàm maximè in modo supplicandi, & rogandi ipsum, vt melius informatus velit aut legem à se conditam abrogare, aut suum primum rescriptum reuocare, & nouum iubere, protestantur. Sed non possum non mirari valdè, quod dum quidam Pontificiæ dignitatis magnificatores, eam externis signis adorationis & supplicationis honorant, ei magis illudunt, haud dissimiles mihi visi Iudæis, qui coram Christo Domino genua flectebant, vt ei liberius & impudicitius illuderent, & arundine de manu illius accepta, caput eius immaniter percutiebant. Non aliter sunt qui Regaliam hãc Summi Pontificis genu flexionibus, & verborum satellicio magnificant, vt ei liberius illudant, & remedio supplicationis de manu ipsius accepto, caput eius impudenter percutiant, quibus ipse potest lepidè respondere. *Si ego Dominus vbi est honor meus, si ego Pater, vbi timor, vbi reuerentia mea, &c.* Sed quid si Summus Pontifex supplicatus semel & iterum, nolit legem dissonam moribus, contrariam priuilegiis prouinciæ abrogare, aut litteras Apostolicas à se expeditas cum damno tertij reuocare, neq; secũdum expedire mandatum? Respondeo tunc recurrendum esse ad remediũ suspensionis, quod quando & quibus in casibus liceat, præstabit tertia assertio siue conclusio.

Igitur tertia assertio est; huiusmodi † Remedium supplicationis interpositæ ex rationabili causa coram Sanctissimo, quandoque & in aliquibus casibus habere effectum suspensiuum: sed non in omnbus, neque semper, ob multam & copiosissimam Ecclesiæ pharmachopeam, quæ tot beneficiis abundat, ne miseri & oppressi sine remedio succumbant. Casus † autem in 24
quibus dictus modus supplicandi operatur effectum suspensiuum, sunt inprimis illi, qui in Iure expressim permissi inueniuntur. Primus est *in cap. Si quando de rescriptis*, vbi Alexander III. scribens Rauennati Archiepiscopo, tale condit decretum. *Si quando aliqua tuæ fraternitati dirigimus, quæ animum tuum exasperare videntur, turbari non debes:* & infrà. *Qualitatem negotij, pro quo tibi scribitur diligenter considerans, aut mandatum nostrum reuerenter adimpleas, aut per litteras tuas, quare adimplere non possis, rationabilem causam prætendas, quia patienter sustinebimus, si non feceris, quod praua nobis fuerit insinuatione suggestum.* Secundus est eiusdem Alexandri III. *in cap. Cum teneamur, de prebendis*, vbi sic habet. *Si mandatum nostrum pro alicuius prouisione receperis, qui aliud beneficium habeat, de quo valeat commodè sustentari: nisi fortè in litteris ipsis de hoc mentio habeatur: aut si non potest ei sine scandalo prouideri, æquanimiter sustinemus, si pro eo mandatum nostrum non duxeris exequendum.* Tertius statuitur ab Innocentio III. in *cap. Pastoralis*, de fide instrumentorum, dicente sic. *Authoritate præsentium duximus statuendum, vt cùm decretalis aliqua de qua iudex merito dubitet, allegatur: si eadem iuri communi sit consona, secundum eam*

non metuat iudicare, cùm non tam ipſius, quàm iuris communis authoritate procedere videatur; Verùm ſi iuri communi ſit diſſona, ſecundùm ipſam non iudicet, ſed ſuperiorem conſulat ſuper ea. Quartus habetur ex Bonifacio VIII. *in cap. licet, de conſtitutionibus in ſexto. Licet Romanus Pontifex* (inquit ille) *qui iura omnia in ſcrinio pectoris ſui cenſetur habere, conſtitutionem condendo poſteriorem, quamuis de ipſa non faciat mentionem, reuocare noſcatur. Quia tamen locorum ſpecialium & perſonarum ſingularium conſuetudines & ſtatuta, cùm ſint facti & in facto conſiſtant, poteſt probabiliter ignorare, ipſis (dum tamen ſint nobilia) per conſtitutionem à ſe nouiter editã (niſi expreſsè caueatur in ipſa) non intelligitur in aliquo derogare.* Quintus habetur in Bulla Cœnæ Domini *cap.* 14. vbi poſtquam Summus Pontifex gladio anathematis & excommunicationis percutit eos, qui quacumque via, & quouis prætextu cauſas ſpirituales, ſiue ſpiritualibus annexas vocant à Iudicibus Eccleſiaſticis, ad ſeculares Iudices, & illos impediunt à dictarum cauſarum cognitione, eundem vibrans gladium aduerſus impedientem litterarum Apoſtolicarum executionem, il cò ſubiungit. *Etiam prætextu violentiæ prohibendæ vel aliarum prætenſionum, ſed etiam donec ipſi ad nos informandos, vt dicunt, ſupplicauerint, aut ſupplicare fecerint: niſi ſupplicationes huiuſmodi coram nobis & Sede Apoſtolica legitimè proſequantur, &c.* vbi permittens ſuſpenſionem ſuarum litterarum Apoſtolicarum, quando cum effectu & ex rationabili cauſa interponitur ſupplicatio, & proſequitur in eius interpoſitione coram Sede Apoſtolica, cùm ſingularis exceptio firmet regulam in contrarium: dum hunc ſpecialem caſum excipit Pontifex à dicta generali lege, prohibente ſub anathemate impedimentum & ſuſpenſionem litterarum Apoſtolicarum, & reſcriptorum: conſequens fit in cæteris omnibus caſibus & euentibus, aut quoties non ſeruatur hæc conditio, videlicet quòd pars læſa, aut cuius intereſt, interponat coram Sede Apoſtolica legitimè ſupplicationem, & eam cum effectu proſequatur, quouſque ſua Sanctitas de veritate informetur: manere prohibitam dictorum reſcriptorum ſiue litterarum executionis ſuſpenſionem.

25 Hinc † planè colligitur, conſonam eſſe ipſi iuri Canonico & permiſſam à Summis Pontificibus, nedum Bullarum Apoſtolicarum, ſiue reſcriptorum tangentium negotia & perſonas particulares, ſed etiam legum Generalium pro bono communi conditarum ſuſpenſionem, ad effectum conſulendi Papam, vt ſic conſultus de remedio per ſecundam iuſſionem prouideat. Decretales enim duæ priores loquuntur de reſcriptis & litteris particularibus, in quibus apparet probabiliter vitium ſubreptionis. Similiter de eodem genere litterarum Apoſtolicarum, procedit clauſula adducta ex Bulla in Cœna Domini; quarum ſuſpenſionem ad eundem effectum conſulendi, permittit dicta Bulla, quæ iam vim iuris obtinet, ſeruata illa conditione adiecta, videlicet quod Pars cuius intereſt, & ad cuius petitionem litteræ Apoſtolicæ detinentur in Regio aut in Eccleſiaſtico tribunali, ſupplicationem interponat coram Sede Apoſtolica, & eam legitimè proſequatur, hoc eſt cum cauſæ cognitione, & citata parte quæ priores litteras impetrauit. Tertia verò & quarta Decretalis, manifeſtè loquuntur de legibus generalibus à Sede Apoſtolica emanantibus, quas permittit Pontifex ſuſpendi ad effectum concludendi, quia aut Iuri communi contrariantur, aut moribus & conſuetudinibus approbatis prouinciæ diſſonant. Pro quibus facit etiam textus *in cap. ſanè, de officio Iudicis delegati*, vbi Alexander III. hoc fundit oraculum. *Sanè ſi à nobis ſuper aliqua cauſa litteræ impetrantur, & aliæ poſtea (non facta mentione priorum litterarum) litteræ opponuntur, ſi Iudicibus innotuerit, donec Romanum Pontificem conſulent, & ſuam exinde cognoſcant denuo voluntatem, executioni ſuperſedeant vtrarumque, ne pro varietate litterarum, cauſarum fines valeant impediri:* Et poteſt eſſe iſte ſextus caſus, in quo conſona iuri, imo neceſſaria eſt ſuſpenſio litterarum Apoſtolicarum, quia hoc in caſu (quem nuper in hac noſtra Salmantina Academia contigiſſe videmus,) nimirum, quod ſuper vno eodémque beneficio ſimpliciter duæ Bullæ ferme eodem tempore expeditæ fuere; altera quidem generalis, & prior in fauorem Academiæ pro fundatione Collegij trilinguis; dans Academiæ facultatem applicandi beneficia primò vacantia ſimplicia in tribus Diœceſibus, ſcilicet Salmantina, Ciuitatenſi, & Zamorenſi: altera verò ſpecialis & poſterior in fauorem Comitis Monteregalis pro fundatione & dotatione Conuentus quarundam Monialium, per quam eidem Conuentui Sua Sanctitas illud beneficium applicabat, (quod iam ab Academia in virtute prioris Bullæ erat obtentum) neceſſe eſt alteram ſuſpendi, & ſuo effectu carere, provt caruit hæc ſecunda.

Neque ſoli Iuri Canonico talis ſuſpenſio in dictis caſibus & ſimilibus, propter identitatem rationis eſt conſentanea, ſed etiam † Iuri ciuili, *in authentico de mandatis Principum §. deinde competens: in authentico, vt nulli iudicium §. & hoc vero, in leg. finali Cod. ſi contrarius vel vtilit. public. leg. vniuerſa reſcripta, Cod. de precibus Imperatori offeren. leg. Nec damnoſa, Cod. eodem titulo, leg. Iubemus, Cod. de Sacroſanctis Eccleſiis*, & aliis pluribus; in quibus ſtatuitur, reſcripta & mandata Imperatorum ac Regum obediri quidem debere à Iudicibus inferioribus, ſed non adimpleri, quando aliquid Reipublicæ aut ciuitati, aut fiſco Regio contrarium inuoluant, ſed conſulendum eſſe Principem, vt ſecundam ſuper eo negotio expediat iuſſionem. Similiter in legibus Regni Hiſpaniæ hoc ipſum ſtatutum ſæpius inuenitur, vt *in leg. 29. tit. 18. partita 3.* ibi: *E ſi fueren contra los derechos del Rey, non deben ſer las primeras cumplidas, ca non han fuerça ninguna, &c.* & in lege 30. eodem titulo ibi; *E fueren dadas algunas cartas, non deben ſer cumplidas las primeras, ca non han fuerça, porque ſon en daño de muchos, mas deben lo monſtrar al Rey, &c.* Quibus conſonant quatuor priores leges *tit. 14. lib. 4. nouæ recopillationis.* Ex quibus ad primam noſtræ aſſertionis partem confirmandam, non leue ſumimus argumentum; à mandatis & prouiſionibus Principum ſupremorum temporalium, licita, iuſta, imo & commendata per ipſorum leges, & præcepta eſt ſupplicatio ad eoſdem Principes, quoad effectum 26 conſulendi

conſulendi illos, cum effectu ſuſpenſiuo, quando fit ex rationabili cauſa, hoc eſt quando afferunt præiudicium, vel ipſi Principi & eius fiſco, vel eius priuilegiis & Regaliis, vel Communitati, vel ciuitati ad quam diriguntur, donec ipſe Princeps ſic conſultus & certior factus de huiuſmodi præiudicio, ſecundam prouideat iuſſionem, & reuocet primam aut eam temperet; & hæc fiunt ſine læſione vlla Regiæ, ſiue Imperatoriæ Maieſtatis, & obedientiæ eis debitæ ab inferioribus: ergo pariter in dictis caſibus licitum ac iuſtum eſt, nedum permiſſum, abſque vlla læſione Pontificalis Maieſtatis & Apoſtolicæ Sedis, ab eius prioribus mandatis & reſcriptis ex rationabili cauſa ad eamdem ſupplicare, cum eorum temporali ſuſpenſione, hoc eſt donec conſultus Summus Pontifex, & certior factus de veritate ac iuſtitia cauſæ, differendi executionem temperet, ſiue reuocet primum mandatum, & ſecundum expediat. Neque in hoc ſupplicandi & differendi ad tempus litterarum Apoſtolicarum executionem modo, præiudicatur aliquantum Pontificis ſupremæ poteſtati, aut de illa dubitatur, ſed tantùm de eius voluntate & intentione, quam non præſumitur Summus Eccleſiæ Paſtor habere in damnum Reipublicæ, neque contra ius tertio adquiſitum, donec eam conſultus & inquiſitus humiliter pandat, aut primum mandatum confirmando, aut nouum condendo. Neque ſufficit in legiſlatore poſſe facere quod mandat, niſi ſimul intendat & velit id facere. Nam quando voluntas & poteſtas adinuicem repugnant, nihil agitur, ex *cap. Cum ſuper de officio Iudicis delegati.* Vnde prouenit, quod exceptio defectus intentionis & facti non cenſeatur reiecta, per ſtatutum reiiciens omnes exceptiones, ſecundum Decium *in cap. ex parte 2. de officio Iudicis delegati*; cuius ratio eſt, quia hæc exceptio defectus intentionis & facti, potius eſt defenſio, quàm exceptio, & ideò non cenſetur comprehendi in ſtatuto excludente exceptionem, ſecundum Baldum *in Peremptorias, Cod. ſentent. reſcindi non poſſe.* Paulum de Caſtro *in leg. 2. ff. de exemptionibus*; & alios quam plures Iuris profeſſores.

27 Tandem hæc † ſupplicatio cum effectu ſuſpenſiuo litterarum Apoſtolicarum, & mandatorum Papæ in caſibus certis, & ex rationabili cauſa, habet pro ſe Cardinalem Caietanum *in præallegato opuſculo de authoritate Papæ c. 27. §. ad ſecundam rationem.* Cuius verba quia grauiſſima ſunt, & ad intentum valde conſentanea, placuit ad litteram tranſcribere. *Ad ſecundam rationem* (ait ille) *dicitur, quod fallacia conſiſtit in hoc, quod aliud eſt auferre gladium, reſiſtere, impedire, & huiuſmodi; & aliud eſt facere ipſamet authoritatiuè. Auferre namque gladium de manu furioſi, reſiſtere Tyranno, impedire oppreſſionem, & huiuſmodi, cuilibet licet & debitum eſt vt actus virtutis; ſed facere iſta authoritatiuè, ſoli Superiori licitum eſt. Vnde licet cuilibet liceat vim in ſe & in proximum vi repellere, cum moderamine inculpatæ tutelæ: non tamen cuilibet licet punire eum qui vim infert. Et ſimiliter, quamuis quilibet licitè poſſit Papam inuaſorem, ſe defendendo occidere: nulli tamen licet Papam propter homicidium punire pœna mortis. Vnde huiuſmodi argumenta & ſimilia non concludunt authoritatem Iudicis ad puniendum, ſed cuiuslibet priuati debitum ad reſiſtendum, impediendum defendendumque: niſi quis adeò deſipiat, vt dicat quemlibet eſſe Iudicem cuiuslibet. Reſiſtendum eſt ergo etiam in faciem Papæ publicè dilanianti Eccleſiam, verbi gratia, quia non vult dare beneficia Eccleſiaſtica niſi pro pecunia, aut commutatione officij, & cum omni reuerentia & obedientia neganda eſt poſſeſſio talium beneficiorum hiis qui emerunt, & alleganda eſt cauſa Simoniæ, etiam cum Papa commiſſa, & ſine dubio Principes ſeculi gladium de manu furioſi ſic cum modeſtia tollerent. Multæ quoque ſunt viæ, quibus abſque rebellione Principes mundi & Prælati Eccleſiæ, ſi vellent vti, reſiſtentiam, impedimentúmque abuſus poteſtatis auferrent: Sed quoniam Principes & Prælati non curant niſi quaſi ſomniando, cur conqueruntur quod non poteſt deponi; cur opponunt quod poteſtas data eſt in ædificationem & non in deſtructionem. Abuſui namque poteſtatis qui deſtruit, obuicem eam congruis remediis, non obediendo, in malis non adulando, non tacendo, arguendo, aduocando illuſtres ad increpandum exemplo Pauli, & præcepto eiuſdem, Dicite Archippo, vide miniſterium quod accepiſti in Domino, vt illud impleas, ad Coloſ. vlt. &c. & parum aut nihil abuteretur poteſtate.* Quibus valde conſonant verba Gregorij XIII. *in Motu proprio*, quo reducit ad terminos Iuris communis priuilegia à Pio V. in fauorem mendicantium: dum ſic exorditur. *In tanta negotiorum mole, qua Romanus Pontifex aſſiduè premitur, vix vitari poteſt ne aliqua interdum exiliant, quibus poſtea recognitis, neceſſe eſt moderationis remedium adhibere.*

Deinde ſecunda pars aſſertionis, nimirum † 28
neque ſemper, neque in omnibus caſibus ſupplicationem ad Sedem Apoſtolicam interpoſitam, operari effectum ſuſpenſiuum ab eius legibus & reſcriptis, probatur contra Anguianum *de legibus, controuerſia 5.* Suarium, Salonem, Salas & alios ſuperius relatos, id vniuerſaliter & ſine vlla diſtinctione aut reſtrictione affirmantes: cum Emanuele Roderico *vbi ſupra*, cui in hac parte aſſentimur, & cuius ſententia ſi rectè perpendatur, à nemine reſpui poteſt. Igitur pro eius explicatione, notandæ ſunt † tres conditiones requiſitæ, ad hoc vt 29
infallibilis ſit hæc regula, nimirum, ſupplicatio interpoſita coram Sede Apoſtolica ab eius litteris operatur effectum ſuſpenſiuum, ita vt ſuſpendentes ſiue differentes earum executionem vſque ad ſecundam ſiue tertiam iuſſionem, non contrahant inobedientiæ crimen, neque incurrant cenſuras in ipſis contra tales inobedientes latas.

Prima † conditio eſt; quod huiuſmodi lit- 30
teræ & Bullæ Apoſtolicæ non contineant legem generalem pro regimine totius Chriſtiani populi, aut alicuius integræ nationis promulgatam: aut quòd non contineant doctrinam veluti ex Cathedra prolatam. Quia ſola ſupplicatio quantumuis rationabiliter interpoſita coram Sede Apoſtolica, non ſufficiet ſe ſola legitimè ſuſpendere talis legis executionem, niſi ex alio capite iuuetur. Neque ob eam diſcriminis rationem à Roderico aſſignatam *vbi ſupra, art. 7.* dicente quod reſcriptum Principis

non

non facit ius generale, nisi tantùm particulare & priuatum, tangens particularia negotia & priuatas personas siue communitates aut collegia, ex *leg. si operum Cod. de pœn.* Lex autem siue constitutio facit ius generale circa
31 personas, loca & negotia, pro quibus statuitur & promulgatur. Est enim † lex teste D. Thoma 1.2. *quæst. 9. art. vltimo*, rationis ordinatio ad bonum commune, ab eo qui curam habet communitatis, promulgata. Ex qua diffinitione infert Caietanus *in dicto opusculo de authoritate Papæ cap.* 12. quod lex Ecclesiæ nihil aliud est quàm rationis ordinatio, ad Ecclesiæ commune bonum è Papa qui curam habet communitatis Ecclesiasticæ, promulgata. Vnde licet supplicatio à rescripto siue Bulla particulari faciat suspensionem executionis illius, eò quòd contineat ius siue præceptum particulare circa priuatum negotium, ad instantiam impetrantis, aut etiam ex motu proprio Papæ concedentis, moti quidem & inclinati ex aliquo motiuo & iudicio particulari in quo, aut in quibus potest esse error : Et ideo velit Summus Pontifex, vt non ilicò executioni mandetur, quousque de veritate informatus expediat secundam iussionem. Secus verò in lege generali pro bono communi lata, & iuxta dictamen rationis iustitiæ constituta, contingit; in quo practicus error inueniri non potest, cum rectitudini legis satis est bono communi consulere, licet quibusdam locis & personis conueniens & grata sit, quibusdam verò disconueniens & inuisa; provt etiam notat noster Medina 12. *quæst. 96. art.* 3. Et propterea supplicatio interposita licet ex rationabili causa, non operatur effectum suspensiuum, neque velle præsumitur Pontifex illius executionem differri, post eius sufficientem ac debitam promulgationem. Non, inquam, ob hanc rationem satis consonam & probabilem, sed ob eam firmiorem, quam adduximus in nostro *tractatu de legibus quæst. 97. disp. 3. sect. 2. difficultate* 3. eandémque idem Rodericus insinuat in eadem *q. 6. art. 6.* contra minus probabilem opinionem Felini, Driedonis, Nauarri & aliorum quos ibi recensuimus, & quorum fundamenta confutauimus : nimirum quòd leges latæ & ritè promulgatæ à Principe supremo habente potestatem legum latiuam, non indigent ad sui valorem populi consensu aut acceptatione, neque sub ea conditione feruntur & promulgantur, videlicet si à populo approbentur & recipiantur : sed absolutè provt emanant à Principis supremi potestate, habent totam suam vim subditos obligandi, non obstante quod in *cap. in istis, d. 5.* dicat Gratianus : *Leges instituuntur cum promulgantur, firmantur cum moribus vtentium approbantur. Sicut enim moribus vtentium in contrarium nonnullæ leges hodie abrogatæ sunt : ita moribus vtentium ipsæ leges confirmantur.* Et *in leg. de quibus, ff. de legibus*, dicatur; *leges nulla alia causa nos tenent, quàm quod iudicio populi*
32 *receptæ sunt.* Longè † namque diuersum est, leges per non vsum populi, aut per contrarios actus inualidari, ab eo quod est illas à populi approbatione & receptione valorem accipere : & sub ea conditione tacita condi & promulgari. Primum fatemur, diffitemur tamen secundum. Fatemur equidem leges inualidari & valore suo euacuari, quando non sunt à populo vsu receptæ, quod contingit dupliciter : nimirum quando per actus contrarios binos aut trinos, sciente Principe est exclusa; nam quod bis aut ter fit, frequenter fit, & ideo binus aut trinus actus sufficit ad inducendam consuetudinem, vt testantur Bartolus *in leg. de quibus*, citata, Abbas in *in cap. 1. de treuga & pace*, Glossa in Rubrica *Cod. quæ sit longa consuetudo.* Et quando per decennium leges ignorante Principe omittuntur & negliguntur, secundùm probabiliorem sententiam Felini, Couarruuias, & aliorum, quos refert & sequitur Rodericus *in allegata quæst. 6. art.* 11. & 12. Diffitemur tamen leges à Principe sub ea conditione ferri & promulgari, videlicet si à populo approbentur & recipiantur, aut à populi consensu ad suum valorem dependere : quia si ita esset, neque in solo Principe esset potestas legum latiua, neque eius regimen esset Monarchicum, sed Aristocraticum, vel politicum, quali regimine gaudent Respublicæ Venetensis, Genuensis & similes; manerétque apud populum saltem indirectè potestas condendi leges, quæ soli Principi Monarchæ competit nunc, & à tempore quo in eum populus imperium & suam transtulit potestatem. Neque Princeps haberet authoritatem absolutam coërcendi subditos, & illos pœnis compellendi ad suarum legum obseruantiam; quæ omnia falsa sunt, iuri ac rationi contraria, eóque magis vrgent in legibus Pontificiis, quò certius est Papam esse Monarcham Ecclesiæ, in eóque solo potestatem legum latiuam Ecclesiasticarum residere, immediatè à Christo Domino & non à populo communicatam, vt ostendit Caietanus *in præallegato cap.* 12. idque adeò verum esse, vt oppositum absque ingenti temeritate & periculo errandi in fide, affirmari non possit. Quod si legum illarum quæ aut moribus prouinciæ dissonant, aut iuri communi contrariantur, executionis permittitur suspensio in præallegatis iuribus, *cap. Pastoralis, de fide instrumentorum*, & *cap. licet de constitutionibus*, hanc suspensionem non operatur per se loquendo supplicatio interposita, ab vno vel altero Iudice, vel Prælato, ad cuius aures tales leges perueniunt. Nam cùm supplicatio sit priuata, & à persona particulari, lex autem generalis pro tota Ecclesia aut natione condita, nequit illa istam suspendere, cùm teste Aristotele 8. *Physicorum* à proportione minoris non fiat actio : sed illam operatur ipse Summus Pontifex & Sedes Apostolica, quæ à principio legem condit & promulgat, ea conditione tacita, dummodo Iuri non contrarietur, aut consuetudini approbatæ, quæ vim iuris non scripti habet; imo cùm hæc conditio sit de intrinseca ratione legis, nunquam censetur ab illa exclusa per intentionem legislatoris. Supplicatio autem tantùm in eo casu est conditio, per quam veniat in notitiam Pontificis defectus ille intrinsecus legis, vt eam reuocet aut temperet, aut in illa exprimat se nouum ius condere antiquæ legis aut consuetudinis derogatorium : imo in dictis Capitulis non intimatur Prælatis & Iudicibus inferioribus mandatum de supplicando formaliter, nisi tantùm de consulendo Pontificem, quod fieri potest sine forma supplicationis.

33 Secunda † conditio ad hoc vt ſupplicatio infallibiliter operetur effectum ſuſpenſiuum abſque piaculo inobedientiæ, eſt rationabilis cauſa. Si enim ſupplicatio ſine rationabili cauſa & à iure non permiſſa fiat, interponetur quidem de facto, ſed quia non de iure neque legitimè, non operabitur effectum ſuſpenſiuum reſcripti aut Bullæ particularis, vt bene notat Rodericus *in dicta quæſt. 6. art.* 8. Sed in eo ſententiam illius non probamus, quod addit dicens, cauſas rationabiles detentionis litterarum Apoſtolicarum eſſe varias, quæ propterea arbitrio boni & docti viri relinquuntur; ſicut relinquuntur omnia, quæ in iure non habent expreſſam determinationem: nam arbiter eſt, qui habet aliquid determinare ex bono & æquo *in cap. niſi eſſent de præbendis.* Sed cùm iſtæ cauſæ ſint iam à Iure determinatæ, fruſtra eas arbitrio boni viri relinquimus: imo abſurdum eſſet, quod vnuſquiſque vir bonus ac prudens haberet in ſua libera poteſtate, poſſe ſuſpendere quaſcumque litteras & reſcripta Summi Pontificis, cuius poteſtas non ab hominibus, ſicut Imperatoria & Regia, ſed à Chriſto homine ſimul ac Deo immediatè data eſt independenter ab hominibus. Ex quo principio magnum diſcrimen inter Regia mandata ac reſcripta ex vna parte, & Pontificia ex alia ap-
34 paret. Huiuſmodi autem † cauſas à iure eſſe determinatas patet; quia tum ex iuribus præallegatis, tum ex legibus Regni Hiſpanici adducendis, colligitur illas eſſe tres in genere, ſcilicet ſi litteræ contineant aliquid in damnum & præiudicium Iuris Regis, vel Regni, vel tertij; quæ omnes ſub illa regula Cancellariæ comprehenduntur, de non tollendo iure quæſito, tertio. In ſpecie autem ſunt ſeptem, ſcilicet ſi litteræ Apoſtolicæ diſponant de beneficio, vel penſione conferenda extraneo ſiue naturali propter extraneum, quod eſt contra huius Regni priuilegia ab eadem Sede Apoſtolica conceſſa & confirmata, vel de beneficio pertinente ad Regium Patronatum, vel pertinente ad Patronum laicum, vel ſi diſponant ſuper Canonia electiua, hoc eſt pertinente ad electionem Eccleſiæ Cathedralis, quales ſunt Magiſtralis, & Doctoralis, ac nuper Pœnitentiaria, vel de beneficiis Patrimonialibus, vbi ea contingat inueniri: quos ſex caſus numerat *Lex 25. titulo 3. lib. 1. recopillationis* ibi: *Aſſi engne no ſe derogue la preeminencia de nueſtro patronazgo Real, ni el derecho de patronazgo de legos, ni lo concedido ni adquirido, para ningun extrangero de eſtos Reynos pueda hauer beneficios ni penſſiones en ellos, ni los naturales dellos, por derecho hauido de los tales eſtrangeros; ni en lo que a las canongias Doctorales, ni Magiſtrales de las Yglesias Cathedrales deſtos Reynos, y a los beneficios patrimoniales en los Obiſpados donde los ay: porque qualquiera coſa que ſe proueyeſſe por ſu Santidad, y ſus miniſtros, en derogacion de las coſas ſuſodichas, ò qualquiera de ellas, traeria muy grandes y notables inconuenientes, y de ellos podrian nacer eſcandalos, y coſas que fueſſen de deſeruicio de Dios nueſtro Señor, y nueſtro daño, y de eſtos Reynos y naturales dellos, &c.* Et hiis ſex caſibus ſuperaddit-tur ſeptimus, nimirum quando litteræ Apoſtolicæ diſponunt aliquid per contrauentionem ad Concilium Tridentinum, in Regnis in quibus generaliter eſt receptum: eò quòd in Bulla confirmationis ipſius, Regibus ac Principibus Chriſtianis, eius obſeruantia ſummoperè commendatur. In hiis itaque caſibus, & ex hiis cauſis, ſupplicatio à litteris Apoſtolicis & reſcriptis legitimè interponitur & operatur effectum ſuſpenſiuum, quæ vno ex duobus modis poteſt interponi; nimirum aut per immediatum recurſum partis grauatæ ad Sedem Apoſtolicam, aut per recurſum eiuſdem ad Senatum Regium, vt titulo protectionis & violentiæ auferendæ litteras Apoſtolicas retineat, qui examinans eas, & inueniens aliquam ex prædictis cauſis reperiri, ſuo decreto iubet eas detineri, ſimul præcipiendo parti grauatæ (aut pro cauſa publica concernente damna Regis, vel Regni, Fiſcali, qui gerit vicem partis grauatæ) vt coram Sede Apoſtolica ſupplicationem interponat; ſin minus, illas impetranti iubet iterum tradi, vt eas ad effectum perducat & mandet executioni: quæ detentio tam modica eſt, vt pro nihilo reputetur, vtrouis autem modo interponatur ſupplicatio, legitimè interponitur; & effectum ſuſpenſiuum operatur vſque ad ſecundam Papæ iuſſionem, ac proinde interim impunis & libera manet pars ſupplicans, à cenſuris & pœnis in eiſdem litteris contra inobedientes latis.

Sed quid ſi † Papa per ſecundam iuſſionem 35
priores litteras, ac per conſequens partis læſæ grauamen & damnum confirmet? protrahetur-ne tunc ſuſpenſio & detentio ad tertiam ſiue quartam iuſſionem? Sunt qui affirmatiuè reſpondent, de quorum numero videntur eſſe Dominus Didacus de Couarruuias *practicarum quæſtionum, cap. 36. num. 3.* Minchaca *in lib. 2. controuerſiarum illuſtrium cap. 41.* Zeballos *q. 897. practicarum lib. 3.* Henriquez *lib. 2. de Pontificis claue, c. 16. §. 2.* & alij relati à dicto Neotherico *de retentione Bullarum, parte 1. cap. 3.* aſſerentes quoſque poſſe partem grauatam protrahere detentionem litterarum Apoſtolicarum, ac executionis earum ſuſpenſionem, quouſque Summus Pontifex grauamen tollat, & voluntati ſupplicantis ſuam conformet ſententiam. Periculoſa planè ſententia, ex qua ſequitur Papam nihil poſſe facere de plenitudine ſuæ poteſtatis, quod nefas eſt dicere: qua enim poteſtate poteſt Imperatores ac Reges ratione delicti à ſolio deiicere, & dignitate legitimè aliàs obtenta priuare, eadem & poteſt iura ac priuilegia ſemel conceſſa à Sede Apoſtolica, vel abſoluta potentia vel ratione delicti abrogare, qua etiam poteſt legem à ſe conditam, & conſuetudinem longo tempore approbatam noua conſtitutione labefactare. Cuius ratio euidens eſt, quod huiuſmodi iura & priuilegia excludendi extraneos à beneficiis Eccleſiæ, eligendi Magiſtralem, Doctoralem, Canonicum & Pœnitentiarium, & præſentandi ad beneficia Eccleſiaſtica, conceſſa fuere & confirmata à Sede Apoſtolica; ac proinde per eiuſdem voluntatem poſſunt abrogari: nam per quas cauſas res vnaquæque fit, per eaſdem diſſolui poteſt. Alioquin reſpondeant in hoc caſu pro ſe Zacharias Papa, qui Regem Francorum depoſuit, quia inutilis erat Regno, vt refertur in *cap. alius. 15. q. 6.* & Innocentius Pontifex Maximus, qui Arcadium Imperatorem excommunicauit, eò quòd Sanctum Ioannem Chryſoſtomum fecerit deportari, vt habetur *cap. duo*

ſunt

sunt.D.96. & alius Innocentius depoſuit Fedricum Imperatorem,vt refert Sanctus Antoninus *vbi ſupra* relatus §. 7. quorum reſponſione os tam arduam ſententiam proferens,ne dicam iniquam, manebit prorſus obſtructum. Quare mea ſententia eſt ſub correctione melioris Iudicij; aut ſecunda iuſſio expedita fuit poſt ſupplicationem interpoſitam, & legitimè coram Sede Apoſtolica proſequutam, hoc eſt cum cauſæ cognitione & citata parte cuius intereſt: aut ſecunda iuſſio fuit expedita ſubreptitiè,hoc eſt abſque cauſæ cognitione & citatione partis litigantis.In primo caſu tam Senatus detinens, quàm pars ſupplicans ſecundæ iuſſioni parere tenentur, quia tunc ceſſat omnino cauſa ſuſpenſionis; ceſſante autem cauſa, effectus ceſſare debet. In ſecundo verò caſu parere non tenentur, ſed poſſunt ac debent tertiam & quartam expectare iuſſionem, quouſque Papa cognoſcatur inſtructus plenè de veritate tuliſſe ſententiam, eò quòd tunc manet cauſa adhuc ſupplicationem repetendi, & ſuſpendendi executionem litterarum; & manente eadem cauſa, manet idem effectus. Nec poteſt dici ſupplicatio legitimè proſequuta, vbi deficiunt ſubſtantialia Iuris,ſcilicet cauſæ cognitio & citatio partis; quæ tamen legitima proſequutio eſt conditio à Bulla in cœna Domini requiſita, *dicto cap.*14. ad reuocationem litterarum priorum, vel ad diſcernendam ſecundam iuſſionem à Pontifice Maximo. Ab hac itaque vniuerſali regula excipiunt præfati Iuriſconſulti & Patres vnam ſingularem, videlicet quòd Papa tertia & quarta vice confirmet primam iuſſionem in damnum publicum Regni, ſiue Regis, atque in pacis ac in tranquillitatis publicæ detrimentum: cui ſemper eſt reſiſtendum, quia ſemper vim vi repellere licet. Sed hæc exceptio non videtur mihi neceſſaria; derogat enim cuſtodiæ ac prouidentiæ, qua Deus Optimus Maximus Vicarium Chriſti Domini & Petri ſucceſſorem cuſtodit, auxiliis Diuinæ gratiæ munit & manu tenet, ne ſit Eccleſiaſticæ libertatis ac pacis datâ operâ diſſipator,aut ſcandalorum ſeminator;ſi tamen per impoſſibile id contingeret, liceret ac deberet adhiberi remedium, quod Eminentiſſimus Cardinalis Caietanus in ſuperius allegata ſolutione ad ſecundum reſoluit.

36 Tertia & vltima conditio eſt,quod † ſupplicationem interponens, legitimè eam proſequatur. Hanc habemus *in dicto cap.*14. *Bullæ Cœnæ* ibi. *Etiam prætextu violentiæ prohibendæ, vel aliarum prætenſionum, ſed etiam donec ipſi ad nos ſnformandos (vt dicunt) ſupplicauerint, aut ſupplicare fecerint, niſi ſupplicationes huiuſmodi coram nobis & Sede Apoſtolica legitimè proſequãtur, &c.* Quæ clauſula applicando ſingula ſingulis eſt intelligenda; nam verbum illud *ſupplicauerint*,ad partes grauatas,& quarum intereſt ſupplicationem interponere coram Sede Apoſtolica,dirigitur.Subſequens autem verbũ *aut ſupplicare fecerint*, ad Senatores Regios dirigitur, qui ſuo decreto iubent litteras Apoſtolicas detineri,& partem læſam ſupplicare,ſiue etiam Fiſcalem Senatus, nomine Regis, aut Regni;quando eis inferunt grauamen. Et illud vltimum, *niſi ſupplicationes huiuſmodi coram nobis & Sede Apoſtolica proſequantur*, applicatur ad ipſos grauatos, quorum intereſt ſupplicationem interponere, quæ conditio ſatis ex nuper dictis manet comprobata.

Hinc colligo primò; † litteras Apoſtolicas nullã ex prædictis cauſis grauaminis & violentiæ afferentes,parte nõ ſupplicãte,aut ſupplicationẽ interpoſitam legitimè proſequente, nec retineri nec ſuſpendi poſſe. Cuius ratio eſt manifeſta. Nam tunc nec militat ex parte Senatus cauſa violentiæ auferendæ, nec titulus protegendi oppreſſum,ex peremni fonte iuris naturalis dimanans: neque ex parte illius contra quem litteræ fuerunt impetratæ, apponitur conditio in Bulla Cœnæ deſiderata,ad ſuſpendendum executionem earum & vitandum cenſuras contra non parentes fulminatas:ergo in eo euentu neque retineri poſſunt,neque eſt quod earum effectum ſuſpenſiuum operetur. 37

Colligo ſecundò, † litteras Apoſtolicas nullum aliud grauamen afferentes præter conſtitutionem penſionum moderatarum, ſuper Canoniis alicuius Eccleſiæ Cathedralis vel collegiatæ, aut ſuper aliis beneficiis ſimplicibus ſiue Curatis pertinentibus ad præſentationem alicuius patroni;poſt obitũ poſſidentiũ à ſucceſſoribus ſoluendarum,nec poſſe nec debere à Senatu detineri, aut ſuſpendi vltra illam modicam temporis moram pro earum examine & reuiſione neceſſariam. Intelligitúrque hoc corollarium, ſiue pars quæ præſumitur grauata, petens litterarum retentionem & examen,interponat ſupplicationem, ſiue non. Ratio huius in ſecundo euentu eſt eadem atque corollorij præcedentis, ſcilicet defectus conditionis in Bulla Cœnæ Domini ad effectum ſuſpenſiuum poſtulatæ. In primo verò militat alia ratio, nimirum quia iſtud grauamen non eſt conſiderabile reſpectu Eccleſiæ:quia Canonici ipſi & beneficiarij voluntariè ſolent ſimiles penſiones admittere pro ſua temporali commoditate, ſine alio reſpectu ad bonum commune, dum Romæ Canonias ſiue beneficia impetrant, aut dum eas extra curiam per reſignationem obtinent ſine Eccleſiarum grauamine, quod petant Regiam protectionem cauſa violentiæ auferendæ: ergo ſine earundem Eccleſiarum grauamine conſiderabili, eis nolentibus, ſiue non conſentientibus, poteſt imponi à Domino Papa talis penſio in futurum ſoluenda. Patet conſequentia: quia penſio quæ beneficiariis volentibus non infert conſiderabile grauamen Eccleſiæ, neque illud infert quando inponitur ipſis nolentibus aut non requiſitis;quod enim conſentiant, aut non conſentiant,conditio eſt extrinſeca, quæ neque minuit neque auget grauamen. Neque reſpectu Patroni eſt conſiderabile huiuſmodi grauamen:quoniam ſupponimus ad eius inſtantiam factam fuiſſe iſtam penſionum impoſitionem pro maiori domus illius ſplendore, & communi Reipublicæ vtilitate, ſcilicet pro fundatione alicuius celebris Collegij,cœnobij, aut Xenodochij,cuius patronatum hac via ipſe prætendit.Neque ipſorum Canonias ſiue beneficia poſſidentium, ſiquidem non ab ipſis ſed à ſucceſſoribus penſiones ſunt ſoluendæ. Alioquin nihil poſſet Summus Pontifex ex plenitudine ſuæ poteſtatis diſponere: nullæ eſſent Bullæ ſuper annectendis beneficiis aut penſionibus huiuſmodi piis operibus, quæ ſecum non afferant iuſtam cauſam ſuæ detentionis ac ſuſpenſionis; quod nefas eſt dicere. 38

Tandem Quarta aſſertio ſiue concluſio re-
39 ſtat probanda, nimirum † poſſe licitè aliquando grauatum & oppreſſum à Summi Pontificis iudicio, illum recuſare, & ad non ſuſpectos iudices confugere. Hæc aſſertio eſt expreſſa eiuſdem Cardinalis Caietani *vbi ſupra*, videlicet *in dicto cap. 27. opuſculi de authoritate Papæ §. ad ſecundam & 22. q. 39. art. 2. circa ſolutionem ad 2. §. in Reſponſione ad ſecundum.* Cui ſubſcribit cum aliis Roa *tractatu de vi tollenda, circa medium.* Et ſuadetur Primò ex doctrina Caietani in priori loco iam ſuperius adducta, nimirum,
40 quod † licitum ac debitum eſt Papæ dilanianti Eccleſiam, aut ſimoniacè conferenti beneficia non obedire, & in faciem reſiſtere. Atqui in aliquo caſu non poterit quis hanc reſiſtentiam illi facere, niſi eum recuſando, & eius ſententiæ non parendo: vt ſi Papa aliquem Principem ſecularem, ſiue Eccleſiaſticum vi armorum iniuſtè opprimat, aut per iniuſtam ſententiam terris propriis ſpoliet: ergo hoc in caſu ſatis morali, poterit illum recuſare, iudices non ſuſpectos ab illo deligendos poſtulando, quos & ipſe Summus Pontifex tenetur eligere, aut aliter electos acceptare, & eorum iudicio euidenter, aut etiam ſaltem probabiliter iuſto ſtare.

Secundò probatur; nam ſi huiuſmodi recuſatio eſſet peccaminoſa, maximè quia malitiam ſchiſmatis contineret: quæ in eo conſiſtit teſte Angelico Doctore in dicto *artic.* 1. nuper allegato, vt quis renuat ſubeſſe Summo Pontifici Eccleſiæ Capiti, aut Eccleſiæ membris Summo Pontifici ſubiectis communicare recuſet: & magis ſe explicans Sanctus Doctor *in ſolutione*
41 *ad* 2. ſubdit; † Schiſmaticum propriè eſſe illum qui cum rebellione Eccleſiæ præcepta contemnit, & iudicium eius ſubire recuſat. Quæ omnia prima facie videntur in eo, qui recuſat Summi Pontificis ſententiam, & illi parere non vult: Verùm ab huiuſmodi culpæ labe eſſe immunem actum iſtum recuſationis Summi Pontificis, niſi directè & formaliter ad ipſius officium & iuriſdictionem terminetur; oſtendit ibi *dicto* §. Caietanus hoc elegantiſſimo diſcurſu, dicens:
42 *Quod † recuſare præceptum vel Iudicium Papæ contingit tripliciter. Primò ex parte rei iudicatæ ſeu præceptæ. Secundò ex parte perſonæ iudicantis. Tertiò ex parte officij ipſius Iudicis. Si quis enim etiam pertinaciter contemnat ſententiam Papæ, quia ſcilicet non vult exequi quæ mandauit, puta abſtinere à tali bello, reſtituere talem ſtatum, &c. licet grauiſſimè erret, non tamen eſt ex hoc Schiſmaticus. Contingit namque & ſæpe nolle exequi præcepta Superioris, retenta tamen recognitione ipſius in Superiorem. Si quis verò perſonam Papæ ſuſpectam rationabiliter habet, & propterea non ſolùm præſentiam eius, ſed etiam immediatum iudicium recuſat, paratus ad non ſuſpectos iudices ab eodem ſuſcipiendos recurrere; nec Schiſmatis nec alterius vitij crimen incurrit. Naturale namque eſt, euitare nociua & cauere à periculis: poteſtque perſona Papæ tyrannicè gubernare, & tantò facilius quantò potẽtior eſt, & neminem in terris timet vltorem. Cùm quis autem Papæ præceptum vel iudicium ex parte ſui officij recuſat, non recognoſcens eum vt ſuperiorem, quamuis hoc credat, tunc propriè Schiſmaticus eſt. Et iuxta hunc ſenſum intelligenda ſunt verba littera huius & ſimilium: inobedientia enim quantumcumque pertinax non conſtituit Schiſma, niſi ſit rebellio ad officium Papæ vel Eccleſiæ, ita vt renuat illi ſubeſſe, illum recognoſcere vt ſuperiorem, &c.* Hæc ille: ex quibus duo clarè perſpicere libet; nimirum, quod recuſare ſententiam vel mandatum Papæ in primo caſu, ſcilicet ex parte rei iudicatæ, ſolùm eſt peccatum inobedientiæ. In ſecundo verò nullum eſt peccatum, ſed potius eſt iuſta defenſio, quæ ſicut poteſt fieri per ſupplicationem, vt ſuperius dictum eſt; ita & creſcente violentia, ſupplicationem repudiante, fieri poteſt per recuſationem non officij, ſed perſonæ, recurrendo ad iudices non ſuſpectos, quos ipſe Dominus Papa aut eligere ad recuſantis petitionem, aut electos de vtriuſque conſenſu acceptare tenetur. In tertio autem caſu recuſatio verè peccaminoſa eſt, & Schiſmatis vitium inuoluit. Nec non actionem hanc recuſandi perſonam Domini Papæ, quando prudentum iudicio, aut facti notorietate eſt ſuſpecta, & ius exequendi illam abſque vlla peccati labe, ortum habere ex fontibus peremnibus ipſius iuris naturalis, quod vnicuique homini tribuit facultatem vitandi nociua vbicumque ſint, & cauendi à periculis, à quocumque immineant, certiſſimum eſt.

Hiis placet addere doctrinam, quam ibi idem Cardinalis Eminentiſſimus vtroque Eminentiæ titulo, ſcilicet & Cardinalitiæ dignitatis, & eximiæ ſapientiæ §. *proximè antecedente*, præmiſerat, dicens; perſonam Papæ etiam quando eſt verus certus & indubitatus Papa, poſſe eſſe Schiſmaticam, nedum quando in hæreſim labitur; omnis namque hæreticus eſt Schiſmaticus, ſed etiam citra hæreſim: quia † dupliciter poteſt ab vnitate Eccleſiæ ſe 43
ſponte ſeparare, in qua ſeparatione Schiſma conſiſtit. Primò quidem in animo & affectu interno, vt ſi nollet communicare cum Eccleſia, vt pars & caput illius in ſpiritualibus, ſed habere ſe præciſè vt Dominus temporalis. Secundò verò in opere externo, vt ſi facto hoc faceret, vel ſi totam Eccleſiam excommunicare præſumeret: per huiuſmodi enim latam excommunicationis ſententiam, ſe ab Eccleſia, & Eccleſiam à ſe ſepararet: ergo cùm in hoc euentu perſona Domini Papæ iniuſtè vexaret Eccleſiam, & inualidè eam excommunicationis gladio feriret, & aliàs nequeat per ſe loquendo dari bellum iuſtum ex vtraque parte, iuſtè Eccleſia per ſuos mandatarios poſſet eum recuſare, non ſolùm vt perſonam ſuſpectam, ſed etiam vt ſchiſmaticam & ab Eccleſiæ vnitate ſeparatam. Quinimo iam in hoc caſu, ſicut & in caſu hæreſis, poſſet Eccleſia eum ad Concilium vocare, & in ſua pertinacia perſiſtentem à Papali dignitate detrudere; quia tunc ipſe ſicut voluit ab vnitate Eccleſiæ ſeparari, ita renuit officio Capitis ſubeſſe, quod per accidens in eius perſona inuenitur.

Hinc colligo reſolutionem veram alterius caſus moraliter contingentis, v g. ſi Dominus † Papa Principi cuidam ſeculari renueret gra- 44
tiam vel diſpenſationem ordinariam rationabili de cauſa, licet nonnimis vrgenti petitam, vt ſi nollet Epiſcopum vnius Eccleſiæ ad aliam maiorem promouere, ad quam Rex Hiſpanus eum præſentauit; vel ſi nollet diſpenſationem concedere in gradibus conſanguinitatis aut affinitatis, in quibus eam ſolet concedere in quo videnda ſunt duo. Primum eſt Vtrum

Dominus

Dominus Papa peccet tunc? Secundum, quid possit Princeps ditionis facere pro se, aut pro suis, quibus talis dispensatio denegatur.

45 Ad primum † quæsitum Respondeo duas esse opiniones. Quarum prima est quorundam, asserentium Dominum Papam nequaquam peccare, in negando talem gratiam aut dispensationem aliàs solitam concedi. Quæ suadetur primò, quoniam huiusmodi dispensatiua potestas data fuit Pontifici ad actus liberos, cum indifferentia ad vtrumque extremum contradictionis, hoc est ad dispensandum & non dispensandum, ad concessionem, & non concessionem; data quoque fuit illi per modum habitus & qualitatis permanentis, vt illa posset vti & non vti, quãdo vellet & quomodo vellet: hæc enim est habituũ lex. Ergo sicut liberè potest vti illa ad concedendum absque labe peccati, ita & potest liberè vti illa ad non concedendum absque culpa, quia id possumus, quod iure possumus. Secundò, quia nemo peccat aut iniuriam facit, dum vtitur iure suo. Sed Summus Pontifex in negando huiusmodi gratias, pariter & in concedẽdo vtitur iure suo: ergo nec peccat nec alicui iniuriam facit. Tertiò, nam non est assignabilis virtus contra quam peccet. Neq; peccat contra pietatem, quia stat pientissimum patrem negare filio petenti, aliquam gratiam. Neque cõtra iustitiam; alioquin Episcopo non promoto ad pinguiorem Ecclesiam, fructus; & viro non nubenti cum consanguinea ditiori ob defectum dispensationis, dotem pinguem teneretur Papa restituere titulo iniustæ actionis, & damni illati; quod est absurdum. Neque contra charitatem; quia in nullo vitio ex recensitis à D. Thoma 22. *à quæstione* 37. contrariis charitati potest annumerari: ergo. Quartò, nam quod Papa potest facere per legem generalem, pariter & potest facere per praxim in singulari, cum isto aut illo indiuiduo: Sed Summus Pontifex, aut in Concilio generali, aut extra illud potest condere legem, de non promouendis Episcopis à suis Ecclesiis, quas semel in sponsas acceperunt, ad alias pinguiores; vt scilicet vinculum illud spiritualis matrimonij indissolubile sit adinstar carnalis; atque de non dispensandis gradibus consanguinitatis & affinitatis prohibitis in iure communi, aut pro tota Ecclesia, aut saltem pro aliqua prouincia, ob vitandam eius in hac parte coruptelam: ergo melius poterit has gratias in casibus singularibus denegare.

46 Secunda † opinio est aliorum, qui sub hac distinctione loquuntur. Aut Summus Pontifex habet iustam siue rationabilem causam denegandi talem gratiam, siue dispensationem aliàs solitam concedi: aut nullam aliam causam habet, nisi quod velit vti sua libertate. In priori quidem casu non peccat, sed in posteriori peccat: peccato ex genere veniali; quod tamen ex aliqua circunstantia, puta scandali aut periculi erit lethale.

Quæ sententia proculdubio est vera, & illam statuo pro conclusione, quæ habet tres partes, nimirum quod Summus Pontifex cum iusta causa deneganstalem gratiã, non peccat; quod si desit talis causa iusta, peccat venialiter ex genere, & lethaliter ex damno, periculo, vel scandalo annexo. Quarum singulæ eodem ordine à nobis probantur. Prima quidem patet sic. Negare † gratiam indigno, illius non solùm non est peccatum, sed videtur laudabile: Atqui contingit sæpius fideles, etiam Proceres & Principes, reddi indignos gratuitis beneficiis Sedis Apostolicæ, ab illa aliis concedi solitis: ergo tunc nullum erit piaculum, illis huiusmodi gratuita beneficia denegare. Maior cum consequentia est nota. Minor autem discursus ex eo ostenditur, quod quandoque accidit, & vtinam non tam frequenter accideret, aliquem Procerem siue Magistratum, siue Episcopum, siue Principem, iniuriosum esse aut erga ipsam Sedem Apostolicam, rumpendo eius litteras, siue eis non obtemperando, aut erga Ecclesiam siue generalem, v.g. violando immunitatem Ecclesiasticam; siue erga aliquam Ecclesiam particularem, percutiendo Clericum, siue cum illo Simoniacum contractum ineundo; in hiis quidem casibus isti fiũt indigni gratiis Sedis Apostolicæ; vtpote in quibus verificatur tritum Theologorum axioma, quod qui malè vtitur acceptis, fit indignus accipiendis: ergo Summus Pontifex ob hanc iustam & rationabilem causam, denegans alicui Episcopo promotionem, aut alicui Proceri dispensationem in gradu prohibito, non peccabit. 47

Deinde secunda pars assertionis probatur ex illo noto principio in naturalibus & politicis, quod † abusus alicuius potestatis, peccaminosus est, vt si quis facultate & potestate sibi data, non vtatur in ordine ad finem, ad quem data fuisse cognoscitur. Atqui Summum Pontificem denegare huiusmodi gratias sine iusta causa, est abuti potestate sibi à Christo Domino concessa: ergo non erit à culpa immunis. Minor discursus patet; nam cùm ea potestas dispensatiua sit & profusiua gratiarum, censetur data ad dispensandum, & gratias elargiendum, iuxta Christi promissionem, *Matth.* 16. & *Ioannis* 20. *Tibi dabo claues Regni cœlorum: & quodcunque solueris super terram, erit solutum & in cœlis.* Rursus cùm data sit capiti corporis mystici Ecclesiæ, censetur data ad influendum in membra: huic autem fini & muneri opponitur negatio dispensationum & gratiarum: ergo est abusus huiusmodi potestatis. Nec minus indecens & rationi politicæ difforme est, caput Ecclesiæ præcludere viam influxui suæ dispensatiuæ potestatis, quàm si caput naturalis corporis omnino, aut ex parte voluntariè viam suo influxui in cætera mẽbra præcluderet. Hæc pars amplius confirmatur. Nam Summus Pontifex huiusmodi gratias denegando sine rationabili causa, agit contra pietatem, minus pium se erga suos filios exhibendo absque eorum demerito: agit quoque contra debitam suo officio fidelitatẽ; vtpote cui hæc potestas data fuit, vt esset illius fidelis dispensator: quæ autem fidelis est dispensatio gratiam bene merito pro libito & sine rationabili causa denegare, quam alteri non maioris dignitatis aut meriti concedit? Inuenitur etiam in huiusmodi inæquali dispensatione sapor quidam vitij acceptationis personarum; dum gratiam quam vni voluntariè concedit, alteri negat, accipiendo in isto non causam pro causa. Dixi saporem acceptionis personarum hîc inueniri. Nam strictè & propriè hoc vitium contrariatur iustitiæ distributiuæ, versatúrque proinde circa materiam 48

debiti

debiti ſimpliciter, hoc eſt circa officia, beneficia, dignitates ac præmia in virtutis remunerationem inſtituta, & ad quæ homines ſuis meritis habent ius, vt docet D. Thomas 22. q. 63. art. 1. & 2. quod longè abeſt ab hiis gratiis, de quibus eſt ſermo; quæ nec præmia ſunt, nec officia aut beneficia, in remunerationem virtutis inſtituta.

Deinde probatur noſtræ aſſertionis ſecunda
49 pars, quia dicta † poteſtas cùm data ſit Domino Papæ ad diſpenſandum, eo fine cenſetur data, vt cuncti fideles ad ipſum recurrant in ſuis neceſſitatibus ſpiritualibus, puta pro diſpenſationibus votorum, & graduum prohibitorum, ne Eccleſia deficeret in neceſſariis, & eius regimen ſine huiuſmodi poteſtate maneret diminutum: quod ſi dum fideles ad eam confugiunt ſimplices, repulſam acciperent, quam conſolationem haberent, vbi eam requirerent, aut in quæ præcipitia non ruerent? Fortè ad priuatas reuelationes confugerent, & inde ſibi opinionem probabilem confingerent, exiſtimantes ſe probabilem diſpenſationem obtinuiſſe à Deo, quam in eius Vicario non inuenerunt: quibus inconuenientibus nulla alia via melius obuiatur, quàm per huiuſmodi diſpenſatiuam poteſtatem capiti Eccleſiæ facilem, beneficam & liberalem in ſuo vſu relictam.

Ac tandem tertia pars aſſerti probatur; nam cùm huiuſmodi gratiarum ac diſpenſationum denegatio non ſit ab intrinſeco & ex obiecto mala, ſiquidem conſtat eam quandoque poſſe honeſtari, non eſt cur ſit lethalis culpa, niſi ex grauitate materiæ, aut circunſtantiæ, ſcandali, damni, ſiue periculi aggrauetur; vt ſi Magno Principi denegetur diſpenſatio in gradu prohibito, defectu cuius impediretur matrimonium cum conſanguinea ad pacis fœdera regnorum, vel prouinciarum valde conducens: tunc enim ſcandalum oriretur & publicum bonum impediretur. Si enim Ioannes Fredericus Dux Saxoniæ contra Sedem Apoſtolicam Schiſmaticus conſpirauit, & factus eſt Lutheranæ hæreſeos fautor, ob ſibi difficulter, ægrè & pro ingenti pecunia conceſſam diſpenſationem ad nubendum cum conſobrina; ſi ei abſolutè denegata fuiſſet, quid non auderet, aut quid non faceret? certè in huius generis caſibus Summus Pontifex diſpenſationem denegando, à lethali culpa & grauiſſima culpa non excuſaretur.

50 Ad † ſecundum quæſitum reſpondeo; data ea hypotheſi, non dari cauſam recuſandi Dominum Papam, quippe qui in harum gratiarum diſpenſatione non vt Iudex, neque iuriſdictionaliter, ſed paterna via procedit. Vnde tunc ſi ſemel neget gratiam poſtulatam, ſupplicandus eſt & iterum deprecandus, vt melius inſtructus, etiam conſilio virorum Doctorum ſi opus fuerit, gratiam concedat, provt ſui muneris fidelitas expoſcit: piéque credendum eſt, tunc illum fore flectendum ab illo, in cuius manu ſunt Principum corda; quòd ſi non fecerit, parcatur illi & oretur pro eo. Vtrum verò fructus Epiſcopatus, cuius Bullas non vult expedire, poſſint detineri in tempore vacantis? dicam alibi.

51 Ad † primum autem ex adductis pro prima opinione, admiſſo antecedente nego conſequentiam; quia libertas non opponitur culpæ, ſed coactioni, & in vſu libero habituum poteſt inueniri peccatum. Ad ſecundum nego minorem, quia ſi non adſit iuſta cauſa ad negandam gratiam ſiue diſpenſationem, aut non vtitur iure ſuo negando illam; aut modo indebito vtitur. Ad tertium nego antecedens; ad cuius probationem patet ex dictis, & ratione ſcandali erit contra charitatem, & ratione læſionis iuris patroni præſentantis erit contra iuſtitiam. Ad quartum reſpondetur negando, aut diſtinguendo minorem ſic. Lex generalis de non promouendis Epiſcopis ad pinguiores & illuſtriores Eccleſias, & ſimiliter lex generalis de non diſpenſandis ad matrimonia gradibus à iure prohibitis, ex quibus oritur impedimentum dirimens, condita abſolutè & pro tota Eccleſia, eſſet imprudens & fortè inualida: neque ſemel edita obſtaret, quominus Summus Pontifex diſpenſaret, ſi vellet, quia eius eſt poteſtas diſpenſatiua, quam reſtringere aut minuere Concilium Generale aut etiam Eccleſia non poteſt. Condita autem reſtrictè pro vno particulari Regno, aut pro aliqua prouincia, ob aliquam iuſtam cauſam, puta vt obuietur ingenti damno quod tempore vacantis patiuntur Eccleſiæ; & ob vitandam corruptelam in frequentia matrimoniorum inter conſanguineos, eſſet prudens, iuſta, & valida, quam proinde Summus Pontifex in Concilio generali & extra illud condere valet: ſicut primam non valet condere, quoniam ſolùm id poſſumus, quod iure poſſumus.

DIFFICVLTAS II.

Ex quo capite Iuſtificari queat ab Eccleſiaſticis tribunalibus ad Regia recurſus, ob cauſam auferendi violentiam?

SVMMARIVM.

1 *Authoris intentio in hâc difficultate eſt, producere titulum ex quo poteſt iſte recurſus iuſtificari, & oppoſita opinio reddi probabilis.*

2 *Referuntur circa hanc difficultatem varia variorum Authorum opiniones; quorum Prima aſſerit competere Regibus ac eorum Miniſtris à Iure ipſo Canonico facultatem cognoſcendi cauſas Eccleſiaſticorum per viam violentiæ tollendæ.*

3 *Proprium Regum officium in quo conſiſtit.*

4 *Authorum pro prima ſententia argumenta impugnantur.*

5 *Referuntur Authores ſecundæ ſententiæ, qui ad difficilem recurſum ad Sedem Apoſtolicam ob longam itineris diſtantiam, imminente periculo & vrgente neceſſitate hunc titulum reducunt.*

6 *Quorum argumenta à veritate longè remota, variis itidem argumentis refutantur.*

7 *Longa diſtantia ac difficilis recurſus ad Sedem Apoſtolicam reddunt licitam appellationem Eccleſiaſticorum ad Senatus Regios, ob cauſam tollendæ violentiæ, quando non adeſt intra prouinciam Legatus*

Sedis

Sedis Apostolicæ, ad quem oppressi possunt appellare.

8 *Legato Apostolico absente, si notorium periculum immineat ex mora recursus ad Sedem Apostolicam, ad terminos iuris naturalis deuenitur.*

9 *Resoluuntur argumenta pro secunda sententia adducta.*

10 *Refertur Tertia sententia, eorum scilicet, qui ad priuilegium huiusmodi Principibus à Sede Apostolica concessum, hoc negotium reducunt.*

11 *Quorum sententia non minus facilè obstruitur, quàm duæ præcedentes.*

12 *Refertur quarta sententia, eorum scilicet, qui hanc Regaliam reducunt, ad tacitum consensum & tolerantiam Summorum Pontificum, per longissimum & immemoriale tempus continuatam.*

13 *Sola tolerantia Summi Pontificis cum scientia huiusmodi praxis non valet illam excusare, neque præscriptionem reducere, neque titulum legitimum præbere.*

14 *Multa crimina, scilicet meretricium, vsuræ, & deceptio citra dimidium iusti pretij, &c. per patientiam & permissionem tolerantur in Republica, ob maiora peccata vitanda.*

15 *Tolerantia & permissio continuata per sufficiens tempus, ad præscribendum in aliis rebus & consuetudinibus, non sufficit in hâc disceptatione.*

16 *Ex dictis manet refutatus alius modus defendendi hanc praxim & illam iustificandi, scilicet ex consuetudine immemoriali Regnorum Castellæ & Arragoniæ introducta.*

17 *Quæ omnia præter Authoris doctrinam labefactantur duabus Rotæ decisionibus; quarum Prima damnat consuetudinem Anglicanam, vbi Rex cognoscit Iurisdictionaliter de causis ciuilibus & criminalibus Clericorum.*

18 *Refertur altera Rotæ decisio de Archidiacono quodam Ecclesiæ Oscensis, qui propter recursum ad tribunal seculare pro obtinenda iuris inhibitione contra Capitulum, incidit in censuras per Bullam Cœnæ & Sacros Canones latas.*

19 *Respondetur allegationibus pro parte Archidiaconi.*

20 *Referuntur duo modi probabiliores, pro dicta praxi defendenda ac iustificanda, qui ad duos titulos possunt reduci; quarum Primus ex peremni fonte iuris naturalis dimanat, & cunctis hominibus conuenit.*

21 *Moyses iure naturali defensionis percutit Ægyptium, qui alium de fratribus suis Hebræis percutiebat.*

22 *Obligatio naturalis protectionis ac defensionis maior est in Regibus ac Principibus supremis, quàm hominibus priuatis.*

23 *In Principibus duæ potestates sunt considerandæ.*

24 *Vtrum Principibus secularibus an Ecclesiasticis magis incumbat lex & obligatio repellendi violentias, & iniurias, præbendique inferioribus iudicibus formam iuris naturalis seruandam?*

25 *Indubitata est sententia Iuristarum ac Theologorum, Papam scilicet gaudere potestate temporali suprema in ordine ad finem spiritualem.*

26 *Reges ex vi sui officij ac potestatis à populo accepta, sunt Reipublicæ temporalis protectores ac defensores.*

27 *Miseri pro repellenda violentia sibi illata ab ipsis Regiis Senatibus, ad quem possunt aut debent recurrere.*

28 *Interpretantur quædam leges nouæ Recopilationis.*

29 *Refertur alter titulus, qui est donatio exemptionis & immunitatis Clericis à supremis terræ Principibus facta.*

IN hac difficultate non est mea † intentio disputare, an liceat iste recursus Ecclesiasticis violentiam patientibus? De hoc enim iam propriam tulimus sententiam 12. *quæst.* 97. *disp.* 3. *sect.* 5. *difficultate* etiam 4. neque damnare intendimus praxim Senatuum Galliæ & Hispaniæ in huiusmodi recursibus admittendis, dummodo tamen à forma iurisdictionali abstineant: sed eò tantùm nostra tendit intentio, vt in medium producamus caput siue titulum, ex quo potest iste recursus iustificari, & reddi opposita opinio probabilis, cui innitentes Senatus ac Magistratus, à culpa & pœna coram Deo indemnes euadant. 1

Igitur in tanta opinionum varietate vt possimus dicere, illud *legis.* 2. *ff. de origine Iuris*; *dissentit hominum turba, & quot capita, tot sententiæ.* Prima est † eorum, qui sentiunt facultatem hanc cognoscendi causas Ecclesiasticorum per viam violentiæ tollendæ, competere Regibus ac eorum Ministris & Senatibus à Iure ipso Canonico, quod leges Ecclesiasticas continet: vt ex *cap. Principes, in decreto* 23. *quæst.* 5. desumpto ex D. Isidoro *in lib. de summo bono*, asserente Principibus terrenis incumbere sua potestate compescere eos, qui intra Ecclesiam positi, Ecclesiasticam pacem ac disciplinam labefactant: & *cap. Regum* ex D. Hieronimo *in commentario ad caput* 22. *Hieremiæ*, subditur; proprium † officium Regum esse facere iudicium atque iustitiam, & liberare de manu calumniantium vi oppressos, peregrinis, pupillis & viduis, qui facilius opprimuntur à potentibus, præbere auxilium, &c. Vbi sine nulla distinctione aut restrictione status aut personarum, hoc munus in Regibus commendatur: & *ibidem in cap. administratores*, subditur; quod Administratores secularium dignitatum querimonias Ecclesiarum attentius debent audire: & *in cap. filiis* 16. *quæst.* 7. decernitur; quòd si Sacerdos disperdere tentet bona Ecclesiæ, à fundatore, vel Patrono eidem relicta, eius hæredes id Epi- 2 3

ſcopo denuntient. *Quod ſi talia Epiſcopus agere tentet, Metropolitano eius hæc inſinuare procurent: Si autem Metropolitanus talia gerat, Regis hæc auribus intimare non differant.* Cui textui conſonat *lex* 18. *partita* 1. *tit.* 5. dicens in hæc verba: *Antigua Coſtumbre fue de Eſpaña, e dura oy dia, que quando fina el Obiſpo de algun lugar, que lo haze ſaber el Dean, e los Canonigos al Rey, &c. e le piden por merçed que le plaga que ellos puedan facer ſu eleccion deſembargadamente, e que le encomiendan los bienes de la Igleſia: e el Rey debe ſe lo otorgar, e imbiarlos a recaudar. E deſpues que la eleccion vbieren fecho, preſente el eligido, e el mande le entregar aquello que recibido, &c. E eſta mayoria e honrra, han los Reyes de Eſpaña por tres razones. La primera porque ganaron las tierras de los Moros, e ficieron las Mozquitas, y Igleſias, e hecharon de ay el nonbre de Mahoma, e metieron el nombre de nueſtro Señor Ieſu-Chriſto. La ſegunda porque las fundaron de nuovo en lugares dende nunca las huuo. La tercera porque las dotaron, e demas le ficieron mucho bien, e por eſſo han derecho los Reyes, &c.* Igitur propria excellentia & Regalia eſt Regum omnium, maximè Hiſpanorum, protectio Eccleſiarum, rerum & perſonarum Eccleſiaſticarum, ipſi de iure communi & ex debito ſui officij inſeparabili competens.

Sed † hæc via facili negotio præcluditur, provt præcluſa etiam fuiſſe dicitur per Auditores Rotæ in quadam deciſione, *infra* referenda, & relata ab Antonino Diana *in* 5. *parte reſolutionum Moral. propè finem* ; quoniam ſecundum Ioannem Andream, Abbatem, & alios claſſicos Authores relatos à Diana 1. *p. moral. reſolut. tractatu* 2. *de immunitate Eccleſiarum, reſolut.* 15. hæc iura antiquitate ipſa defecerunt, & per alia recentiora inferius adducenda, ſunt correcta, maximè per Innocentium III. *in cap. qualiter & quando de Iudiciis.* Neque ex eo quod à Gratiano fuere in corpore decreti compilata, habent vim legis, cùm non ſint alicuius Papæ, aut Concilij generalis decreta, ſed quædam Sanctorum Patrum teſtimonia. Sed neque à dicto Gratiano authoritatiuè fuerunt in volumen decreti congeſta, niſi tantùm priuata, qua vt Doctor priuatus in obſequium Dei & Eccleſiæ, volumen decreti ex variis Patrum teſtimoniis, Summorum Pontificum ac Conciliorum decretis compoſuit. Vnde nullus canon ibi contentus habet provt ibi maioris authoritatis pondus, quàm haberet in ſuo proprio loco originario, & apud proprium authorem ſiue conditorem. Verùm quia ſunt Sanctorum Patrum teſtimonia, propter eorum dignitatem benignè ſunt interpretanda, ad hunc ſenſum, qui proculdubio ab illis fuit intentus; nimirum quod negligente Iudice Eccleſiaſtico aut vim inferente, licet adire Regios Magiſtratus; ſimiliter quod negligente Metropolitano coërcere bonorum Eccleſiæ lapidatorem, aut ipſo dilapidante ea, licet & expedit adire Reges, non vt iudicialiter procedant, inhibendo, aut pœnas inferendo, ſed vt intercedant coram Iudice vel Prælato Eccleſiaſtico, vt admoneant illum, quæ interceſſio &, admonitio efficax eſt remedium: quia preces Principum ſunt armatæ. Vel ſi mauis, vt auxilium ſimplex præſtent Eccleſiæ, aut perſonæ Eccleſiaſticæ oppreſſæ: quale poterat quilibet alius vir priuatus armis aut viribus potens, ſiue nobilitati excellens, oppreſſo ipſum proclamanti præſtare. Quod tamen auxilij genus fatemur à Principe & eius Magiſtratibus, vrbanius, ſecurius, & efficacius præſtari ſolitum. Neque ampliorem poteſtatem tribuit lex citata partitæ Regibus Hiſpaniæ, quàm protegendi Eccleſias Cathedrales, earúmque bona cuſtodiendi, ſed non aliquem actum Iudicialem exercendi erga illas.

Secunda † ſententia eſt aliorum, qui ad difficilem recurſum ad Sedem Apoſtolicam ob longam itineris diſtantiam, quando imminet periculum in mora, & vrget neceſſitas, hunc titulum reducunt. De quorum numero ſunt Camillus, Borellus *in tractatu de præſtantia Regis Catholici cap.* 71. Flores de Mena *practicarum quæſtion. lib.* 1. *quæſt.* 12. Iacobus de Graffis *in deciſionibus aureis lib.* 4. *capit.* 18. & alij quos refert & ſequitur Neothericus ille *in tractatu de Regia protectione* 1. *part. cap.* 1. & *tractatu de Bullarum retentione* 1. *part. cap.* 1. §. *vnico.* Ad quod probandum inducunt Canonem illum *capitis* 6. *Concilij Toletani XII.* qui habetur & transfertur à Gratiano *in cap. cum longè D.* 63. in hæc verba. *Cùm longè latéque diffuſo tractu terrarum commeantium impeditur celeritas nunciorum, quo aut nequeat Regibus audientibus decedentis Præſulis tranſitus notificari, aut de ſuccеſſore morientis Epiſcopi libera Principis electio expectari: naſcitur ſæpe aut noſtro ordini de relatione talium difficultas; aut Regiæ poteſtati, dum conſultum veſtrum ſubrogandis Pontificibus ſuſtinet numeroſa neceſſitas. Vnde placuit omnibus Pontificibus Hiſpaniæ atque Galliæ, vt ſaluo priuilegio vniuſcuiuſque prouinciæ, licitum maneat deinceps Toletano Pontifici quoſcumque Regalis poteſtas elegerit, & iam dicti Toletani Epiſcopi iudicium dignos eſſe probauerit, in quibuſlibet prouinciis, & in præcedentium ſedibus præficere Præſules, & decedentibus Epiſcopis eligere ſucceſſores; ita tamen, vt quiſquis ille fuerit ordinatus, poſt ordinationis ſuæ tempus infra trium menſium ſpatium, Metropolitani proprij præſentiam viſurus accedat.* Et infra. *Sed quod populus aut Princeps iubetur electioni intereſſe, non præcipitur aduocari ad electionem faciendam, ſed ad conſenſum electioni adhibendum; Sacerdotum enim (vt in fine ſuperioris Capituli Stephani Papæ legitur) eſt electio; & fidelis populi eſt humiliter conſentire. Deſiderium ergo plebis requiritur, vt Clericorum electioni concordet. Tunc enim in Eccleſia Dei rite præficietur Antiſtes, cùm populus pariter in eum acclamauerit, quem Clerus communi voto elegerit.* Inducunt quoque illud tritum axioma Conſulti *in leg. ita vulneratus, ff. ad leg. Aquil.* ſcilicet, *multa in Iure ciuili contra rationem diſputandi pro vtilitate communi eſſe recepta, &c.* quod latè exornant Zeballos 4. *p. q.* 906. Valençuela Velazquez *in conſilio* 99. & Nicolaus Balui *in ſuo conſilio poſt deciſionem* 68.

inde

inde colligentes quod pro publicæ vtilitatis causa, licitum est contra legem etiam naturalem operari, quod maximè procedit in casu instantis periculi & vrgentis necessitatis dilationem non patientis, præsertim ob difficilem recursum ad superiorem propter longam locorum distantiam,& itineris difficultates.

6 Sed † hæc via longior remotiórque videtur à veritate, quàm sit ipsa distantia Regnorum Galliæ & Hispaniæ à Romana Curia, argumentúmque adductum à præfatis authoribus eo vitio laborat, quo laborare in scholis dicimus illa argumenta, quæ multum probant & ideo nihil probant. Nam si aliquid adductum probaret, vtique pariter probaret, in Gallia & Hispania, Sicilia & similibus Regnis,in quibus solitus est iste modus recurrendi à tribunalibus Ecclesiasticis ad secularia: & in hiis detinendi litteras Apostolicas ob iustam causam tollendi violentiam, posse licitè & validè contrahi matrimonia inter consanguineos, & affines in gradibus prohibitis, ante expressam dispensationem obtentam à Sede Apostolica, in casu vrgentis necessitatis & imminentis periculi,non patientis dilationem.Nec non homicidam voluntarium in simili casu posse sine expressa Papæ dispensatione in irregularitate ad ordines sacros promoueri,& beneficium Ecclesiasticum obtinere, atque etiam posse sine expresso consensu & gratia Summi Pontificis quempiam in Episcopum ordinari;& semel ordinatum ab vna diœcesi ad alteram transire: si vrgeret necessitas publicæ pacis, & periculum turbationis & scandali immineret; quia non est cur in hiis necessitas non careat lege, aut cur publica vtilitas non permittat Ecclesiastici Iuris aut etiam diuini derogationem seu transgressionem? quæ tamen hucusque in præfatis Regnis permissa aut vsu recepta non vidimus.Et quamuis dictum argumentum valeret pro Americæ prouinciis,quæ ob longissimã distantiã à Romana Curia non habent facilè ad illam recursum: qua ratione Episcopi & Religionum Prælati habent à Sede Apostolica delegatam facultatem dispensandi ad matrimonium in gradibus prohibitis, atque in irregularitatibus & pœnis ac votis, quorum dispensatio aliàs de iure communi Papæ est reseruata: hoc inquam fit tum ob longissimam distantiam locorum; tum etiam in fauorem fidei recenter ab Indis receptæ, cum quibus tanquam cum Neothericis in fide Mater Ecclesia voluit se benigniorem ostendere. Quæ duæ rationes in Regnis Galliæ & Hispaniæ non militant; vtpote quæ neque longissimè distant à Romana Curia,siquidem nuncij cursores pro huiusmodi dispensationibus obtinendis solent illuc intra mensem, imo & intra quindecim dies peruenire. Neque eorum incolæ Neotherici, sed vetustissimi Christiani sunt, quia principio nascentis Ecclesiæ fidem susceperunt, & semel susceptam integerrimè conseruarunt.

7 Tertiò accedit supradictis, quod tunc † longa distantia ac difficilis recursus ad Sedem Apostolicam, reddunt permissam & licitam appellationem Ecclesiasticorum ad Senatus Regios, ob causam tollendi violentiam, quando non adest intra prouinciam Legatus Sedis Apostolicæ, ad quem possint oppressi ab Ordinario, vel à Metropolitano recurrere & appellare; nam tunc vrget necessitas & imminet periculum ex mora recursus faciendi ad Sedem Apostolicam, à qua longe distat talis prouincia; secus autem quando in illa residet & habet apertum tribunal Legatus à latere Apostolicus, siue natus siue nominatus & missus; superior omnibus Ordinariis & Metropolitanis, ad quem proinde ab istis potest pars oppressa recurrere & appellare. Ergo cum in Gallia, Castella, Lusitania, &, in aliis Regnis Germaniæ & Italiæ resideant Apostolici Nuncij & Legati à latere, ad quos oppressi ab Ordinariis & Metropolitanis, siue aliis Iudicibus Ecclesiasticis facilem possunt habere recursum, non est quare ob difficilem recursum ad superiorem, ex longa distantia fiat licitus & iustus recursus ad seculares Senatus, qui aliàs iure Ecclesiastico est prohibitus & in se illicitus.

Quartò, adhuc admisso quod aut † Apostolicus Legatus ab hiis prouinciis abesset,aut ab illo præsenti auxilium promptum non expectaretur pro sedanda turbatione Reipublicæ, & tanta esset necessitas, quod notorium periculum immineret ex mora recursus ad Sedem Apostolicam; tunc venitur ad terminos Iuris naturalis,in quo prohibitio Iuris Ecclesiastici, quod humanum est, ac minoris vinculi, locum non habet, quod proinde maiori cedere debet. Vnde libenter fatemur, tunc posse Regem & eius supremum Senatum Clericos & Episcopos, ac Metropolitanos cohibere, faciendo permodum defensionis id, quod recta ratio & ius naturale in remedium tanti damni faciendum dictauerit, provt notarunt Bañez in loco superius allegato, scilicet 22. *quæst.* 67. *art.* 1. *dub.* 2. *conclusione* 5. Molina *de iustitia tomo* 1. *tractatu* 2. *disp.*31. *conclusione* 4. Salas de legibus *tractatu* 14. *disput.* 14. *section.*9.& Diana 1. *resolution. moral. tractatu de immunitate Ecclesiast. resolut.* 14. quibus libenter assentior. Neque hoc est incidere in priorem sententiam.Quæ absolutè & sine vlla restrictione, & in omni vrgenti necessitate, tam priuata quàm publica, atque in cuiusuis personæ violentia, affirmat in Gallia, Hispania, Germania, & Sicilia,&c.ob longam distantiam à Sede Apostolica esse difficilem recursum ad illam: ratione cuius imminet periculum in mora, & vrget necessitas repellendi violentiam oppressis illatam per iudices Ecclesiasticos; aut per executores litterarum Apostolicarum, medio recursu ad Senatum Regium: modò absit superior Ecclesiasticus in Prouincia, ad quem possit ac debeat seruato ordine Iuris fieri recursus & appellatio. Præfati autem Doctores cum quibus sentimus,suam sententiam restringunt ad vnicum & fortè methaphysicum casum, in quo ob difficilem recursum & periculum in mora, possit Princeps & Senatus immediatè implorari,omissis aliis mediis: nimirum quando alio medio aut alterius auxilio non potest turbatio & tumultus Reipublicæ ab Ecclesiasticis causatus sedari. Quæ ratio non militat, quandiu ab Ordinario potest fieri appellatio ad Metropolitanum, & ab isto ad Legatum in prouincia residentem, & quandiu ab aliquo istorum potest expectari remedium:& quando violentia seu damnatum est

8

vnius priuati hominis,& in Rempublicam non refunditur neque illam turbat; Satius enim est & iuri naturali conformius partem pati,ne caput offendatur,aut totum corpus intereat.

9 Hinc facilis adest † solutio ad argumentum eorum. Nam quantum attinet ad Capitulum *Cum longè*;quod iam per dissuetudinem & noua iura abrogatum est, adhuc ex eius contextu apparet, assensum Principis non postulari ad electionem Pontificis,vt essentialiter requisitum, quippe quæ ad solum Clerum pertinebat: sed dumtaxat honorificentiæ gratia, vt tantus honor Principibus secularibus delatus, ostenderet electionem Prælati vtrique populo debere esse conformem, & eos ad fidei defensionem & Christianæ religionis propagationem magis excitaret. Eundem honorem eis deferendum lex citata Partitarum in Hispania postulabat, in recognitionem obsequij erga Ecclesias à Principibus Hispaniæ tunc temporis exhibiti, scilicet quod eas, aut à Mahometica secta purgauerint, aut eas de nouo fundauerint, aut eas auri & argenti pondere fundatas ditauerint. Quoad verò axioma illud; *multa iure ciuili contra rationem disputandi pro vtilitate communi recepta esse, &c.* fatemur id verum tenere regulariter, loquendo in his quæ sunt de iure positiuo & humano. Verum enim est, quod pro vtilitate communi & vrgenti necessitate, licitum sit humanam legem transgredi;nam in eo sensu necessitas dicitur vulgo carere lege,scilicet humana, eò quòd tunc censetur per Epicheiam eius obligatio cessare; non enim vult Princeps secularis,aut Mater Ecclesia suos subditos cum detrimento boni publici, aut etiam proprij notabilis, in anima seu corpore sua lege obligare: Verumtamen nunquam licet iuri Diuino, aut naturali ob communem vtilitatem aut vrgentem necessitatem derogare, si præceptiuum sit;quia ob nullam causam possunt homines transgredi leges diuinas aut naturales. Imo neque in hac secunda potest cadere propriè loquendo Dei dispensatio, quia quæ lege naturali prohibentur,sunt per se & ab intrinseco mala, quæ nulla potentia honestari possunt, vt tenet communis sententia Theologorum (quibus in hac parte magis credendum est, quam Dominis Iuristis) cum D. Thoma 1.2. q. 100. *art.* 8. de quibus proinde verificatur illud axioma, quod non sunt facienda mala vt inde eueniant bona. Vnde neque pro aliqua causa etiam pro liberando innocente, licitum est mendacium proferre,aut peierare,vt docent communiter Theologi cum D.Thoma 22.q.100. *art.*3. ex parente Augustino *in lib. contra mendacium cap.*10.*tomo* 4.Recursus autem ab Ecclesiasticis Iudicibus ad seculares,etsi ex aliis titulis iustificari queat,sed non ex solo titulo longæ distantiæ à Sede Apostolica, & difficilis recursus ad illam,in Galliæ, Hispaniæ, & Germaniæ prouinciis,in quibus adsunt Legati Apostolici, qui causas Ecclesiasticorum per gradum appellationis cognoscant, & violentiam Ordinariorum compescant. Neque habet locum titulus iustæ defensionis, quando non est inculpatæ tutelæ; hæc autem inculpata tutela non est in illo,qui prætextu distantiæ, & morosi recursus ad Papam, contra Iuris Ecclesiastici prohibitionem, omisso medio, scilicet recursu ad Metropolitanum, & ab isto ad Legatum Apostolicum, cum eorum iniaria, vt sibi illatam repellat,immediatè ad seculares Iudices & Magistratus recurrit.

Tertia † sententia est aliorum, qui ad priui- 10
legium huiusmodi Principibus à Sede Apostolica concessum,hoc negotium reducunt. De quorum numero sunt Menochius, Bañesius, Zenedo, Pesantius *de immunitate Ecclesiastica disp.* 3. & alij quos in allegato loco *de legibus* retulimus,scilicet 1.2. *q.*97 *disp.*3.*sectione* 5.*difficultate* 4. *pagina* 685. non quod isti Authores Regaliam & ius quod habent Reges, v.g. Galliæ, Hispaniæ,& Sabaudiæ Duces,cognoscendi causas Ecclesiasticorum per viam violentiæ repellendæ, vocent priuilegium; Iste enim modus loquendi valde æquiuocus esset, posset namque supponere pro facultate huiusmodi ad Reges ac Principes deriuata, siue à naturali,siue à Diuino, siue ab Ecclesiastico, siue ab Imperiali iure concessa. Sed quod hanc Regaliam dicunt competere præfatis Principibus, ex quadam gratuita & speciali concessione eis à Summis Pontificibus facta: quod priuilegium quia datum ob commune bonum, & ob causam remunerationis,est irreuocabile, & ideo neque in Bulla Cœnæ censetur reuocatum. Vnde in virtute illius, dictorum Principum Senatus liberè & licitè causas Ecclesiasticorum ad se aduocant, per modum extraordinariæ defensionis, & per viam violentiæ auferendæ, atque vt dent Iudici à quo fit appellatio formam iuris naturalis seruandam, ne contra illud opprimant innocentem.Quod si Vrbanus II.Pontifex Maximus Rogerio I.Regi Siciliæ,ex priuilegio concessit facultatem, vt per se, ac per suos Magistratus olim, &c modò ex superuenienti noua concordia, per suum Iudicem Ecclesiasticum Sacris Ordinibus initiatum, à se nominatum ac delectum, causas omnes Ecclesiasticorum, nedum per viam violentiæ & extraordinariæ defensionis,sed etiam in forma Iurisdictionali, exercendo scilicet Iurisdictionem in gradu appellationis,tanquam Sedis Apostolicæ Legatus cognosceret: quem propterea Iudicem Monarchiæ merito vocamus, quia est Iudex electus & institutus à Rege, qui vtriusque populi & status,scilicet Laici & Ecclesiastici Monarchicum regimem habet,quo priuilegio hodie Hispaniæ Reges fruuntur, vtpote dicti Rogerij in eo regno & Monarchia successores. Cur non dicemus dimidiatum hoc priuilegium aliis Regibus à Sede Apostolica esse concessum,nimirum vt causas Ecclesiasticorum per viam dumtaxat violentiæ & extraordinariæ defensionis per se,& per suos Senatores cognoscant?

Sed † hæc via non minus facilè obstruitur, 11
quàm duæ præcedentes: quia licet non dubitemus hoc priuilegium potuisse concedi à Summis Pontificibus, & fortè aliquibus de facto esse concessum, útque omnibus concederetur non paruam adesse conuenientiam, illúdque valde officio ac muneri Regum congruere. Sed dubitamus illud fuisse Regibus Hispaniæ concessum, & illos in virtute talis priuilegij suam Regaliam exercere. Primò, quia dum Reges ipsi Hispani in legibus à se conditis hanc Regaliam sibi attribuunt, non ad priuilegium sed ad ius commune illam reducunt vt statim videbimus: ergo non est credendum, ipsos priuilegiarios suum priuilegium ignorasse,

ignorasse,aut illius non meminisse. Sed neque illi volunt priuilegio adscribere, quod putant sibi à Iure & consuetudine esse concessum:quod enim à Iure conceditur, frustra precibus impetratur, Secundò; nam huiusmodi priuilegium non potest negari tantisper derogare immunitati Ecclesiasticæ:licet enim sit in fauorem partis læsæ recurrentis ad Senatum Regium,tamen est contra Iudicem ipsum à quo fit appellatio, qui non minus sed magis debet immunitate Ecclesiastica gaudere, quàm personæ priuatæ litigantes. Quod si ista immunitas est de iure diuino,vt tenet communis opinio Iuristarum quos *ibidem* retulimus, & quibus nonnulli Theologi assentiunt; non potuit Papa tale condere priuilegium,sicut neque in iure diuino potuit dispensare. Si verò sit talis immunitas de iure humano Ecclesiastico formaliter,licet originaliter à iure diuino cum quo habet conformitatem,quæ fuit & est nostra sententia, quia est de iure Ecclesiastico antiquissimo & communissimo,ortum & originem trahente à iure Diuino; nec Papa in illo sine vrgenti necessitate dispensare potest, neque credendum est, illum in eo aliquando in præiudicium Ecclesiasticæ immunitatis dispensasse. Vnde meritò sapientissimi Senatores Rotæ in quadam decisione statim adducenda,huiusmodi priuilegia Principibus à Sede Apostolica concessa omnino negarunt; dicentes nulla extare; neque vnquam fuisse eis concessa talia priuilegia:imo si aliquando concessa fuissent, iam necesse est fateri illa esse abrogata à Summis Pontificibus, qui contra huiusmodi priuilegia & praxim eis innitentem, quotannis reclamant Bullam Cœnæ Romæ solemniter promulgando:quam promulgationem in sola Curia factam esse sufficientem ad huius legis valorem, *ibidem disput. 1. sect. 5.* satis ostendimus. De priuilegio autem illo concesso Regi Siciliæ & successoribus, alia longè ratio est, de qua modò non disputamus: imo ex illo sumi potest non leue argumentum ad destructionem priuilegij à præfatis Authoribus præsumpti. Nam si illam Regaliam voluit Pontifex, vt per Iudicem Ecclesiasticum & Sacris ordinibus initiatum, Rex Siculus exerceret, satis explicuit se nolle, quod similis Regalia ex parte ab aliis Principibus per Iudices laicos exerceatur.

12 Quarta † sententia est aliorum qui hanc Regaliam reducunt ad tacitum consensum & tolerantiam Summorum Pontificum, quæ per longissimum & immemoriale tempus continuata cum earum scientia ac notitia,nedum præscriptionem causat,sed etiam consensum arguit in Summis Pontificibus, ac dispensationem, & consequenter legitimum titulum Regibus præfatis,præsertim Hispano Regi præbet:vt eo vti possent cum moderamine inculpatæ tutelæ. De quorum numero sunt Couarruuias *in quæstionibus practicis cap.* 35. Henriquez *tractatu de Pontificis claue,lib.* 2. *cap.* 16. & 23. Molina *de iustitia & Iure tomo* 3. *tractatu* 2. *disput.* 270. Lessius *de iustitia lib.* 2. *cap.* 33. Castillo *in tractatu de tertiis cap.* 41. Pallacius Rubeus *in tractatu de benefic. vacant. in Curia* §. 7. Author Candelabri, & Marchina relati à nobis in dicto loco ex 1. 2. cum aliis quam plurimis relatis à citato Neotherico, *tractatu de protectione Regia* 1. *part. cap.* 1. & *tractatu de retentione Bullarum* 1. *part. cap.* 2. *sect.* 5. qui omnes tradunt ex Papæ tollerantia, tacito consensu,præscriptione, vsu immemorabili & euidenti Regiminis spiritualis vtilitate, in quibusdam Regnis maximè in Hispania, à culpa excusari recursum Ecclesiasticorum ad tribunalia Regia per viam violentiæ. Huic affinis est modus aliorum, iustificantium hanc Regaliam ex supplicatione interposita coram Sede Apostolica: pro quo adduximus *ibidem* Morlam & Zenedum. Sed re vera hunc modum defendendi ac iustificandi huiusmodi vsum, cognoscendi in Senatibus Regiis negotia Ecclesiasticorum, ob causam violentiæ illatæ à Iudicibus Ecclesiasticis, aut ab executione litterarum Apostolicarum,auferendæ,in loco citato meritò refutauimus, ex eo quod tacitus consensus neutiquam præsumi potest in Romano Pontifice,suum dissensum externis signis & factis declarante,dum Bullam Cœnæ quotannis promulgat: in cuius *cap.* 13. damnat appellantes à grauamine litterarum Apostolicarum ad laicam potestatem; in *cap.* sine *casu* 14. sub anathemate quoscumque auocantes causas Ecclesiasticas à Iudicibus Ecclesiasticis ad seculares,in hæc verba: *Item excommunicamus & anathematizamus omnes & singulos, qui per se vel per alios authoritate propria, aut de facto quarumcumque exemptionum,vel aliarum gratiarum & litterarum Apostolicarum prætextu, beneficiales & decimarum, ac alias causas spirituales ac spiritualibus annexas,ab Auditoribus & Commissariis nostris,aliisque Iudicibus Ecclesiasticis auocant illorum recursum & audientiam, ac personas,Capitula,Conuentus,Collegia,causas ipsas prosequi volentes impediunt:ac se de illarum cognitione tanquam Iudices interponunt: quive partes actrices,quæ illas commoti fecerunt & faciunt, ad reuocandum & reuocari faciendum citationes, vel inhibitiones emanarunt, à censuris & pœnis in illis contentis absolui per statutum,vel aliàs compellunt, vel executionem litterarum Apostolicarum siue executorialium,ac decretorum prædictorum quomodolibet impediunt,&c.* Et *in cap.* 15. pariter damnat Iudices laicos, qui ad sua tribunalia venire compellunt verbis ita expressis, vt tacitus consensus in oppositum præsumi non possit.

Sed neque † sola tollerantia cum scientia 13
huiusmodi praxis illam valet excusare, neque præscriptionem inducere,neque titulum legitimum Principibus præbere,quod conuincitur argumento quo vtuntur Suarius *lib.* 7. *de legibus cap.* 13. & Petrus Surdus *tom.* 3. *consilio* 301. quia nimirum vt tollerantia supposita scientia in Principe per legitimum tempus continuata operetur præscriptionem, & indicet consensum, &c. debet esse approbatiua talis praxis vel consuetudinis, & non contrariis verbis aut factis explicata:neque solùm ob vitandum scandalum. Sed tollerantia Romani Pontificis circa hanc praxim & consuetudinem neque est approbatiua,neque animo inducendi, vel confirmandi illam:sed tantùm est permissiua, vt scilicet Iudices Regis id faciant impunes in foro externo; ne scilicet si velit eos punire, aut censuris irretitos declarare, turbetur pax publica, & Apostolici Nuncij eiiciantur à Regia Curia, aut ab officio suæ Nũciaturæ impediantur, quæ sine ingenti scandalo exequi non possunt; imo est contrariis signis declarata:ergo ex hac tollerantia supposita scientia, non potest induci consuetudo præscripta in Senatibus Regiis, titulus legitimus in Principe, aut tacitus consen-

ſus in Pontifice. Minor cum conſequentia eſt nota, & Maior præmiſſa oſtenditur ex eo, quod
14 † multa crimina per patientiam & permiſſionem tolerantur in Republica ob maiora ſcandala vitanda, vt meretricium ob adulteria, & vſuræ, ob latrocinia vitanda, & deceptio citra dimidium iuſti pretij in contractibus emptionis & venditionis ob vitandas lites, permittuntur; ex qua diuturna quantumuis permiſſione & tolerantia non oritur titulus, neque præſcriptio vt hæc licitè perpetrentur. Nam ad hoc intentum bene conducit textus à Suario adductus *in cap. Cum iam dudum, de præbendis*, vbi Pontifex Innocentius III. permiſſionis ibi factæ hanc reddit rationem. *Cùm multa per patientiam tolerentur, quæ ſi deducta fuerint in Iudicium, exigente Iuſtitia, non debeant tolerari.* Minúſque id poteſt operari tolerantia, quæ eſt actibus & ſignis externis contrariis declarata, qualis eſt iſta de qua fit ſermo. Nam quoties aliquis ſigno externo proteſtatur contrarium eius, quod in animo habet, in aliquo contractu, etiam matrimonij: valet contractus, ita vt per Eccleſiam cogendus ſit ad cohabitandum cum vxore cui ſic nupſit. Ergo cum Summus Pontifex *in dicto cap. Bullæ cœnæ*, ſub grauiſſimis pœnis prohibeat huiuſmodi praxim, licet ficto animo id faceret, valeret prohibitio verbis adeò expreſſis declarata, præterquam quod hîc intentio, animus, diſſenſus, & reprobatio interna cum verbis omnino conformantur. Ex quibus proinde merito Azorius *1. p. lib. 5. cap. 12. §. quari ſolet.* Malderus *12. q. 96. art. 4.* Layman *lib. 4. moralis Theologiæ tractatu 9. c. 10.* Vgolinus *in reſponſo ad Iuris conſultum Gymnaſij Patauini cap. 7.* Barboſa *in collectan. lib. 12. decretalium titulo 2. in cap. Eccleſia Sanctæ Mariæ*, & plures alij haud infimæ notæ Authores inferunt, neutiquam dari in Summo Pontifice tolerantiam huius praxis, ſed potius non tolerantiam. Niſi adeò quis inſipiat, vt dicat Papam tolerare ea quæ reprobat, quæ prohibet, & quæ damnat. Ex non tolerantia autem, neque præſcriptio neque conſenſus, neque titulus legitimus induci poſſunt; ſed prorſus contrarij effectus.

15 Tertiò ad miſſo quod † hæc non tolerãtia ſit tolerantia, & permiſſio currens & continuata per ſufficiens tempus, ad præſcribendum in aliis vſibus & conſuetudinibus: adhuc in iſta de qua diſceptamus, nõ ſufficeret, vt rectè probãt Suarius *lib. 4. contra Regem Angliæ cap. 32.* & Malderus *22. tractatu 5. cap. 6. dub. 8. concluſione 4. propè finem*; aſſerentes ſola præſcriptione aut conſuetudine immunitatem Clericis adimi non poſſe, vt ex *cap. ad noſtram audientiam, de conſuetudine* & *Authentico Caſſa. Cod. de ſacroſanctis Eccleſijs, & cap. Clerici, de Iudiciis*, vbi dicitur. *Non debet in hac parte Canonibus ex aliqua conſuetudine derogari:* eò quòd talis immunitas aut eſt Iuris Diuini, vt Iuris Canonici, vt Iuriſperitorum turba proſequitur: aut eſt partim Iuris Diuini ac naturalis, & partim Iuris humani, & Eccleſiaſtici, vt vult Malderus, *vbi ſupra dub. 7. concluſione 3.* cum Bellarminio *in lib. de exemptione Clericorum*; & colligitur ex *cap. quanquam de cenſibus in ſexto*; dicente; *quod Eccleſia Eccleſiaſticæque perſonæ, ac res ipſarum non ſolùm Iure humano, quinimo & Diuino à ſecularium perſonarum exactionibus ſunt immunes*: & ex Conſilio Colonienſi *parte 9. cap. 20.* Lateranenſi magno ſub Innocentio III. *cap. 43.* Lateranenſi altero ſub Leone X. *ſeſſ. 9.* & Tridentino *ſeſſ. 25. c. 20. de reform.* diffinientibus Eccleſiæ, & Eccleſiaſticarum perſonarum immunitatem, Dei ordinatione & Canonicis Sanctionibus eſſe conſtitutam. Aut eſt quoad formam ſolius iuris humani, habentis tamen conformitatem cum Iure diuino poſitiuo, & naturali. Cum illo quidem, quia fuit à veteſtiſſimis Eccleſiæ Conciliis ad imaginem & imitationem diuinæ legis veteris inſtituta: cum iſto verò, quoniam eſt conformis legi naturali, Religionis obſeruantiæ, & gratitudinis, quæ Principes ſeculi inclinant & obligant, ad eximendum Eccleſiaſticos & eorum bona, vtpote Deo ſpecialiter mancipatos à ſecularibus Iudicibus & poteſtatibus. Quæ fuit noſtra ſententia in dicto *tractatu de legibus vbi ſupra*, communiter à Theologis recepta. Cui ſubſcribunt Victoria *in loco citato relectionis de poteſtate Eccleſiæ*, & Couarruuias, *practicarum quæſtionum c. 31.* ob dictam rationem, quam aiunt ſufficere, vt aliquid dicatur quodammodo eſſe Iuris Diuini ac naturalis: ergo contra illam nulla poteſt conſuetudo aut præſcriptio prævalere, vtpote tot ac tam antiquis iuribus, tot Pontificum decretis & Eccleſiarum ac perſonarum Eccleſiaſticarum clamoribus vallatam. Quòd ſi in aliquibus Regnis vigent particulares conſuetudines huiuſmodi immunitati contrariæ, quas nihilominus ſine ſcrupulo obſeruant laici Magiſtratus: ad illas vnico verbo poſſumus reſpondere (ait Suarius & bene *vbi ſupra*) illas non ad ius ſed ad facta hominum pertinere, propter quæ veritatem negare non debemus, nec de illis rationem reddere tenemur: ſed hoc ad illos ſpectat, qui tales conſuetudines obſeruant. Neque valet dicere, ad hoc huiuſmodi praxim nullatenus Eccleſiaſticæ immunitati derogare, ſed potius eſſe in fauorem illius. Nam hæc ſolutio puerilis eſt, & qua facilitate à ſuis Authoribus dicitur, eadem à nobis reiicitur, propter duo. Tum quia licet ſit in leuamen partis grauatæ, appellantis ad Regium Senatum per viam violentiæ, & in aliqualem fauorem Iudicis ad quem fit appellatio, ne ſcilicet contemnatur, &c. Verùm negari non poteſt, quàm ſit in odium & grauamen Iudicis Eccleſiaſtici, à quo fit appellatio, cui non minus priuilegium immunitatis aſſiſtere debet: eò quòd detinetur eius proceſſus, inhibetur, compellitur reponere & abſoluere, atque grauiſſimis pœnis & metu in virum conſtantem cadentibus, arcetur per Regios Senatores; & citra dubium eſt, quod per hunc recurſum læditur priuilegium fori, quod eſt pars Eccleſiaſticæ immunitatis, quo muniuntur Clerici, ne eorum perſonæ aut cauſæ ad externum forum & tribunal deferantur. Tum etiam, quoniam ſi praxis hæc & conſuetudo in nullo Eccleſiaſticæ immunitati derogaret, vt præfati Neotherici contendunt; nedum per viam violentiæ & per modum extraordinariæ defenſionis, ſed etiam ſecundùm formam iuriſdictionalem, nimirum in illos exercendo, ſiquidem in hiis in quibus neutiquam Eccleſiaſticæ immunitati derogatur, bene poteſt in Clericos per ſeculares Magiſtratus ac poteſtates iuriſdictio exerceri, ab hac enim poteſtate Iuriſdictionis dimanant leges illæ Ciuiles bono communi Reipublicæ proſpicientes,

tes, quas diximus in allegato loco *de legibus, conclusion.* 1. Clericos pariter atque laicos comprehendere & obligare: quod tamen ipsi penitus negant, quamquam inde nimis suæ opinioni lenocinando, in contrariam temerè se inuoluunt atque labuntur.

Quod autem attinet ad supplicationem interpositam, iam difficultate præcedenti diximus, quando & cum quibus conditionibus interposita supplicatio operetur officium legis Ecclesiasticæ prohibitiuæ suspensiuum. Et quamuis in dicto *casu* 14. *Bullæ Cœnæ*, explicatur conditio, cum qua supplicatio suspendat eius prohibitionem & censuras, quoad Bullarum Apostolicarum detentionem: sed quoad partem illam quæ sub eisdem censuris prohibet recursum ad seculares Iudices, aut causarum Ecclesiasticarum aduocationem ad illos, nulla explicatur, nulla apponitur conditio suspensionis, &c. Vnde talis supplicatio pro parte Principis interposita, quoad effectum suspendendi dictam prohibitionem, iam procul dubio est repulsa, & per non obstantiam illius causa est finita, dum solemni promulgatione in adductis casibus Bullæ Cœnæ, excommunicationis sententiam contra dictam praxim & eius Authores pronunciat.

16 Ex † hucusque dictis manet refutatus alius modus defendendi hanc praxim & illam iustificandi, videlicet quia non solùm est iure communi Ecclesiastico & ciuili approbata, sed etiam immemoriali consuetudine dictorum Regnorum, præsertim Castellæ & Aragoniæ introducta; vt illius Reges in legibus à se conditis & promulgatis testantur, quæ sunt quinque; scilicet Prima condita à Ioanne I. Castellæ Rege, & habetur *lib. 2. ordinamenti Regis titulo 1. leg. 5.* ibi. *Los Reyes de Castilla de antigua costumbre y aprobada, &c. pueden conoçer y prouer de las injurias y violencias y fuerças, que acaecen entre los Prelados y Clerigos, &c.* Secunda est *Lex 36. lib. 2. recopilationis titulo 5.* condita à Ioanna Regina & eius filio Carolo V. anno 1525. & incipit; *por quanto a si por derecho, como por costumbre immemorial nos pertenece alçar las fuerças, &c.* Tertia est, *Lex 37 lib. 2. nouæ recopilationis, eodem titulo 5.* lata ab eisdem anno 1542. quæ incipit: *porque somos informados, &c.* Quarta eorundem anno 1536. quæ incipit, *mandamos, &c.* & habetur *eodem titul. 5. lib. 2.* estque in ordine *lex* 38. Quinta est eorundem lata anno 1555. quæ est *lex 39. eodem libro & titulo recopilat. nouæ*, & incipit; *Otrosi, &c.* In quibus Reges Castellæ testantur sibi cõpetere de Iure, scilicet communi & consuetudine immemoriali, cognoscere causas Ecclesiasticorum per viam violentiæ illatæ à Iudicibus Ecclesiasticis auferendæ; & cum hiis coincidit, *Lex* 80. *titulo 5. lib. 2. recopilationis*, quæ extat *tomo* 3. nuper addito, sic disponens; *que perteneciendo a Nos como a Rey y Señor natural por derecho y costumbre immemorial, quitar y alçar las fuerças que hazen los Iueses Ecclesiasticos destos Reynos, en las causas de que conoçen; y hauiendose siempre vsado de este remedio por los que han padecido las dichas fuerças, &c.* In Regnoverò Aragoniæ, viguit quoque consuetudo antiquissima recurrendi Ecclesiasticos grauatos à suis Iudicibus in quouis casu, ad Iustitiam pro firma iuris scilicet inhibitione obtinenda: cuius meminerunt cum laude & approbatione Michaël Molinus *in repertorio fororum Aragoniæ*, versu *firma iuris*, Portoles *in 2. p. Solij ad repertorium Molini §. firma iuris*, & Petrus Zenedo *in collectaneis iuris Canon. p. 2. collectaneo* 17. dicens hunc recursum etiam post Concilium Tridentin. & Bullæ Cœnæ promulgationem in eo Regno licitum esse & in vsu.

Sed hæc omnia † labefactantur per nostram 17
doctrinam in dicta *difficultate* 4. *de legibus, à pagina* 683. & per duas Rotæ decisiones, quas refert Diana (cuius maior authoritas est in referendo) *5. p. resolut. moral. à pag.* 444. conformis eidem sententiæ negatiuæ, quam refert ac defendit *1. p. tractatu 2. de immunitate Ecclesiastica, resolut. 13. & 14.* cum Maldero 12. *quæst. 96. art. 4.* Sousa *in Bulla Cœnæ c. 15. disp.* 78. Portello *in additionibus ad dubia Regal. V. appellare num.* 3. Suario *lib. 4. contra Regem Angliæ cap.* 34. Azorio *lib. 5. 1. partis cap.* 12. & 14. Barbosa *in collectaneis lib. 1. decretal. tit. 7.* Layman, Bonacina, Filliucio & aliis Theologiæ Professoribus, nisi desit omnino recursus ad iudicem Ecclesiasticum. Prima autẽ decisio relata à Diana, est decima in antiquis, *tit. de consuetudine*, quâ Senatores Rotæ vno ore declararunt non valere consuetudinem Anglicanam, quod Rex cognoscat iurisdictionaliter de causis siue ciuilibus, siue criminalibus Clericorum: eò quòd esset contra Ecclesiasticam libertatem, & Sanctorum Patrum instituta; & insuper contra præceptum prohibitiuum, siue negatiuum *cap. 2. de foro competenti*: quod obligat semper & pro semper. Cui priuilegio Clerici renunciare non possunt, quoniam est concessum in fauorem totius status Clericalis. Rursus quoniam est contra legem diuinam, per quam Clerici exempti sunt à iurisdictione Principum secularium, ex Innocentio *in cap. si quis de Maioritate & obedientia*; & colligitur, quod hoc priuilegium exemptionis fuerit Clericis datum à Deo & Christo Domino, *ex cap. quanto de iudiciis, cap. Clerici, eodem titulo: & cap. nouerit, de sententia excommunicationis.* Quod quidem in quo sensu sit accipiendum, iam superius explicuimus. Neque obstat tolerantia Papæ supposita scientia dictæ consuetudinis, quia non est approbatiua, sed tantùm permissiua, & propter scandalum turbationis vitandum; quæ proinde non arguit in illo consensum, aut approbationem talis consuetudinis, neque est aliqua rationabilis coniectura, vnde talis consensus probabiliter colligi possit. Sed neque ea tolerantia potuit talem consuetudinem introducere, contra præceptum negatiuum ex diuina ordinatione procedens; & quia in dictis capitibus *Clerici*, & *nouerit*, declarãtur inualidæ huiusmodi consuetudines Ecclesiæ libertati contrariæ, atque earum Authores & obseruatores diris pœnis ab Ecclesia mulctantur. Neque obstat etiam, quod *in cap. causam, qui filij sint legitimi*: Papa protestatur se in nullo velle derogare iurisdictioni Regis Angliæ, quoniam in Clericos nullam habet iurisdictionem, neque habere potest. Sed rogabis, quid si Reges Angliæ à principio nullum exemptionis Clericis priuilegium hucusque concessere? Respondeo iam iure communi Pontificio saltem esse exemptos à seculari Iudicio, cui Reges Angliæ & quicumque alij Reges filij Ecclesiæ tenentur se conformare, sicut &

Clerici

Clerici tenentur ſe conformare, dum Sacris initiantur, legi Eccleſiæ de emittendo votum caſtitatis. Vnde mirificè Malderus in allegato *dub. 7. verſus finem*, ſequutus Henriquez *lib.* 10. *cap.* 15. notat, quod Principes, etiamſi quando conceſſerunt hanc immunitatem, id eſt à tributis, & à foro ſeculari, excepiſſent certos caſus, in quibus voluiſſent Clericos tali exemptione non gaudere, neutiquam talem exceptionem validare poſſent, neque illam fore valituram, contra illimitatam exemptionẽ eorundem per ſacros Canones ſtatutam. Si enim Pontifex iura quædam ſpiritualia, cuipiam Regi conceſſa à Sede Apoſtolica ex contractu rẽmuneratorio aut ex immemoriali conſuetudine reuocare non debet: multò minus Reges libertatem Eccleſiæ reuocare poterunt.

18 Altera † deciſio noua coram Domino Pegna facta Kalendis Decembris anni 1595. in qua Paulus Lezanus Archidiaconus Eccleſiæ Oſcenſis, propterea quod bis recurrerat ad tribunal ſeculare iuſtitiæ Aragoniæ, pro obtinenda firma iuris ſcilicet inhibitione contra Capitulum, ſuper quodam veſtuario ſuper quo litigabat, fuit declaratus ab omnibus Senatoribus Rotæ (vnico duntaxat excepto) in cenſuras per Bullam Cœnæ & ſacros Canones latas incidiſſe, provt iam contra eundem diffinitum fuerat iudicialiter in alia deciſione eiuſdem Rotæ, coram Domino Blancheto edita die decima Aprilis eiuſdem anni. A qua ſententia ipſius Pauli Procuratores ſupplicarunt, allegantes pro eo eiuſmodi recurſus fuiſſe licitos, & in caſu à iure permiſſo; quia ſcilicet adiuit Iudicem ſecularem non vt cognoſceret de cauſa, ſed vt prohiberet ne Iudex Eccleſiaſticus, coram quo ſuper dicto Veſtuario cum Capitulo litigabat, appellatione pendente aliquid in ipſius præiudicium innouaret. Item quia agebatur de poſſeſſorio, non beneficij Eccleſiaſtici, ſed cuiuſdam veſtuarij quod magis prophanitatem ſapiebat: de quo etiam laicus Iudex poteſt cognoſcere, nedum ſuper poſſeſſorio retinendæ aut reintegrandæ poſſeſſionis, ſed etiam aſſequendæ poſſeſſionis. Item allegarunt authoritatem plurimorum Doctorum, hos recurſus per viam violentiæ iuſtificantium, de quorum numero ſunt Couarruuias *in practicis quæſtionibus c.* 35. Nauarrus *in Manuali cap.* 27. *num.* 70. Sotus *in relectione de ratione detegendi ſecretum, membro* 2. *q.* 5. Baſieſius 22. *qu.* 67. *art.* 1. *dub.* 2. *concluſione* 6. Salon ibi *controuerſia* 1. Zenedus & alij, qui nuper de eodem argumento integros libros ediderunt: item allegarunt conſuetudines, priuilegia & iura citata. Quibus omnibus non obſtantibus, Senatores Illuſtriſſimi ac ſapientiſſimi Rotæ (vno excepto) contra præfatum Paulum Lezanum vnanimi voto ſubſcripſerunt decretum firmum prædicto modo; ſcilicet dictum Paulum in cenſuras latas contra ſic recurrentes incidiſſe, & propterea in iudicio non eſſe audiendum, ob contractam ex dictis cenſuris in ſacris Canonibus & Bullæ Cœnæ latis, inhabilitatem: congruámque dedere ad factas allegationes, & ad quaſdam alias deciſiones Rotæ, in quibus videbatur iſte recurſus approbari, reſponſionem in ſua hac nouiſſima deciſione; quæ licet vim legis non habeat, quandiu à Summo Pontifice non confirmetur, & nomine ipſius promulgetur, aut quandiu ad corpus Iuris per modum extrauagantis non reducatur; habet tamen vim doctrinæ ac ſententiæ Doctorum ſapientiſſimorum, quæ in probabilitate (provt alibi tradidimus, dum de opinionum probabilitate ageremus) cuiuſuis Doctoris particularis eſt anteponenda, & quia eſt iudicialis ſententia diffinitiua, & non appellata, tranſiuit in rem iudicatam, & res iudicata habetur pro veritate.

Reſponſio autem ad † præfatas allegatio- 19
nes pro parte Pauli, ſatis fuit; ſcilicet ad primam quidem & ſecundam, quod cognitio cauſarum Eccleſiaſticarum etiam de poſſeſſorio priuatiuè ad Eccleſiaſticum tribunal ſpectat, atque etiam ſuper Veſtuario, quia eſt rei ſpirituali hoc eſt beneficio Eccleſiaſtico annexum, maximè quia ſacri Canones indiſtinctè & vniuerſaliter prohibent, in quibuſcumque Eccleſiaſticis ac ſpiritualibus cauſis huiuſmodi ad laicos Iudices recurſus. Ad tertiam reſponderunt, eorum Authorum opinionem eſſe periculoſam, maximè poſt promulgationem Bullæ Cœnæ in allegato *cap.* 14. & ſacris canonibus non ſatis conſonam, ne dicam contrariam. Ad quartam, quod Iura illa aut correcta ſunt, aut benignè interpretanda, provt ſuperius; quod conſuetudines illæ non ſunt probandæ, vtpote per Ius Canonicum *vbi ſupra*, & Bullam Cœnæ excluſæ ac damnatæ; quod priuilegia illa non extant, neque vnquam in lucem prodierunt, neque aliquis ex defenſoribus huius praxis, exceptis Menochio, Baſieſio, & Zenedo ad priuilegium recurrit. Ac tandem, quod leges illæ recopilationis ſunt inualidæ ob defectum iuriſdictionis & poteſtatis, quia decernunt circa perſonas & res Eccleſiaſticas, etiamſi eſſent in fauorem earum: pro vt communi calculo ſubſcribunt Iuris Canonici Profeſſores *in cap. Eccleſia Sanctæ Mariæ de conſtitution. & cap. quod Clerici de foro competenti* Ex quo principio itidem intulerunt, leges contentas in Codice Iuſtinianeo, *titulo de Sacroſanctis Eccleſiis; de Epiſcopis & Clericis*, eſſe inualidas, licet nullum afferant Eccleſiis detrimentum, neque ſacris Canonibus contradicant, ob manifeſtum defectum poteſtatis in legiſlatore, etſi ex æquitate ac cõdeſcendẽtia expediat eas obſeruari, haud ſecus atque alia ſancta ac pia hominum ſapientum conſilia: Formam quoque illam Iuris in Regno Aragoniæ conſuetam eſſe damnabilem, nedum periculoſam dicito, maximè extra caſum negligentiæ vel violentiæ Iudicis Eccleſiaſtici. Verùm quantum ad eiuſdem Rotæ deciſiones huiuſmodi recurſum approbantes, dixerunt Domini Senatores eas habere locum, & fore intelligendas duntaxat, quando recurſus fit ad Magiſtratus ſeculares, vt ab eis poſtuletur ſimplex ac nudum auxilium, quo pars læſa protegatur, & manuteneatur in poſſeſſione obtenti officij vel beneficij, & ne euidenter ab illius eiiciatur poſſeſſione: quo pacto etiam poteſt Clericus auxilium tranſeuntis per viam implorare, vt eum defenderet à potentiore, qui illum è propria domo vult violenter pellere.

Quare hiis omnibus reiectis modis dicendi, † duo ſuperſunt probabiliores ad quos 20
confugere poſſumus, pro dicta praxi defendenda, ac iuſtificanda, ſecundùm quod illam ad duos titulos poſſumus reducere. Primus eſt qui

ex

ex peremni fonte Iuris naturalis dimanat, & cunctis hominibus conuenit, sicut natura ipsa rationalis, ad quam sequitur veluti quædam illius conditio siue passio: omnes namque & singuli homines Iure naturali ac diuino tenentur nedum se ipsos, sed etiam suos proximos defendere in quantum possunt, cum moderamine inculpatæ tutelæ. Quæ lex & obligatio Iuris naturalis explicatur & intimatur hominibus in sacris litteris, dum iubentur proximos de necessitate, iniuria, & violentia defendere; vt Proverbiorum 24. *Erue eos qui ducuntur ad mortem, & qui trahuntur ad interitum liberare nequesse.* 4. Regum 17. *Et ipse eruet vos de manu omnium inimicorum vestrorum* Psalm. 24. *de necessitatibus meis erue me*: & Psalm. 143. *Et erue me de manu filiorum alienorum.* Quod est officium Dei, de quo item *Psalm.* 71. in carne venienti dicitur: *quia liberabit pauperem à potente, & pauperem*
21 *cui non erat adiutor.* Quo † iure naturalis defensionis ac protectionis existimauit *Exod.* 2. Moyses sibi incumbere, percutere Ægyptium, qui alium de fratribus suis Hebræis percutiebat, quamuis in modo defensionis excessit occidendo scilicet eum pro simplici percussione; secundum veriorem Parentis Augustini sententiam & Ambrosij *lib. 1. de officiis cap.* 36. licet Liranus & alij eum à peccato velint excusare, quasi talem iussionem operantem ex Dei commissione, provt Stephanus *Actorum* 7. insinuat dicens: *Existimabat autem cognoscere fratres, quod per manum ipsius Deus daret salutem illis*: & eodem titulo provt in *eodem cap.* refertur, contra superuenientes Pastores & eicientes puellas filias Sacerdotis Madiani à fonte, *surrexit Moyses, defensisque puellis adaquauit oues earum.* Et infra. *Vir Ægyptius* (dicunt illæ) *liberauit nos de manu pastorum.* Hæc autem
22 † lex & obligatio naturalis protectionis ac defensionis maior est in Regibus ac Principibus supremis, strictiúsque eos, quàm priuatos quosque homines deuincit: eò quòd ratione officij eis magis incumbit, subditos ac populum sibi commissum à violentiis defendere; non secus atq; in corpore naturali, ad cuius instar est mysticum, capiti in quo vigent sensus magis incumbit totius corporis directio, & manibus in quibus vigent vires, aliorum memorum defensio. Contraxere namque Principes isti, ex vi pacti legis Regiæ cum populis celebrati, munus capitis, patris, viri ac mariti Reipublicæ, ad quod naturaliter consequitur lex & obligatio protec-
23 tionis ac defensionis. Sunt namque † in illis duæ potestates considerandæ. Altera Iurisdictionis & regiminis, quam à populis immediatè acceperunt: altera protectoris ac defensoris, quæ iurisdictionalis non est, quam à Deo authore naturæ acceperunt. Illam quidem exercent Reges in sibi subiectos non exemptos, per se & suos Senatus; istam verò in omnes tam non exemptos, quàm exemptos, possunt per se & suos Magistratus exercere; eò quòd à naturali Iure est, in quo nulla est exemptio. Vnde cum hoc discrimine, priuati homines, atque supremi Principes hoc auxilium miseris præstare possunt, quamuis vtrique iure naturali vtantur; quod illi priuatim vim vi repellendo, isti verò authoritatiuè, iussu, mandato, ac rescripto vim vi repellunt. Authoritatiuè inquam, vtentes non prima Iurisdictionis scilicet, sed secunda naturalis protectionis potestate.

Hinc duplex dubitatio se offert expendenda. Prima † quibusne magis incumbat hæc 24
lex & obligatio siue facultas repellendi violentias & iniurias, atque præbendi inferioribus Iudicibus formam Iuris naturalis seruandam, Principibúsne secularibus, vel Ecclesiasticis? Respondeo magis incumbere secularibus, non quidem ea ratione, quam assignat Zeballos, & ipsos in allegato loco *de legibus* satis impugnauimus: nimirum quia Clerici sunt subiecti Regibus in temporalibus; laici verò non subduntur Papæ & Prælatis Ecclesiæ in temporalibus, nam hæc ratio deficit; tum quia multos contingit Ecclesiasticos Prælatos, esse simul aliquarum ditionum & ciuitatum Dominos temporales, vtroque gladio, Iurisdictionis scilicet temporalis & spiritualis accinctos; & ex supremis Papa habet temporale Dominium terrarum suæ ditionis, nec non Archiepiscopi Germaniæ Electores, vt Colonienſis, Moguntinus & Treuerensis, quibus proinde quatenus Dominis temporalibus competit, per se & suos Magistratus & delegatos Iudices cognoscere per viam violentiæ, nedum Ecclesiasticorum, verùm etiam laicorum causas, & oppressos defendere. Tum etiam quia probabilis est opinio Augustini de Anchona, & Sancti Præsulis Antonini superius relata, dicentium Papam à Christo Domino vtpote eius Vicarium & Petri successorem, immediatè vtrumque gladium, scilicet spiritualem ac temporalem accepisse potestatem: illam quidem vt retinendam in se formaliter & per se exercendam: hanc verò vt transferendam in terrenos Reges & Imperatores, & per illos tanquam per sibi delegatos Vicarios exequendam. Indubitata † verò senten- 25
tia est omnium Iurisperitorum ac Theologorum calculo firmata, illum gaudere suprema potestate temporali indirectè, id est in ordine ad finem spiritualem: quam in quosuis fideles peccatores corrigendos, vt à peccato resipiscant, posse exercere, diffinit Innocentius III. Pontifex Maximus *in cap. nouit de Iudiciis*: etiamsi peccator regali fulgeat dignitate; cuius rationem reddit ille dicens. *Cùm non humanæ constitutioni, sed diuinæ potius innitamur, quia potestas nostra non est ex homine sed ex Deo, nullus qui sit sanæ mentis ignorat, quin ad officium nostrum spectet, de quocumque peccato mortali corripere quemlibet Christianum, & si correptionem contempserit, per districtionem Ecclesiasticam coërcere: Sed forsan dicetur quod aliter cum Regibus & aliter cum aliis est agendum. Cæterum scriptum nouimus in lege diuina Deuteronom.* 1. *ita magnum iudicabis, vt paruum; nec erit apud te acceptio personarum, &c.* maximè ratione periurij, vel pacis fractæ, per quam etiam potestatem ratione delicti præfati, aut crudelitatis erga populum, aut inobedientiæ erga Sedem Apostolicam, aut schismatis, aut hæresis potest contra Imperatores ac Reges procedere, vsque ad depositionem eorum à solio Maiestatis; provt de facto quosdam fuisse depositos per Summum Pontificem, referunt ex fide dignis historiis Gratianus, Augustinus de Anchona & D. Antoninus *vbi supra.* Tum denique, quia in gradu appellationis gradatim procedendo, etiam Prælati Superiores ac Legati Apostolici possunt & solent violentias Ordinariorum &

aliorum Iudicum Eccleſiaſticorum, ſiue Clericis, ſiue laicis cum eis litigantibus in ſuis tribunalibus illatas repellere; vt ſi laicus per Ordinarium oppreſſus ad Metropolitanum & à Metrapolitano ad Legatũ prouinciæ, & ab iſto ad Papam recurrat, quod ei integrum ac liberum eſt, etiam remedium ſalubre contra violentiam inueniet, ſed non eſt illi conceſſum à tribunali purè ſeculari, ad Eccleſiaſticum pro tollenda violentia recurrere, ne prophana ſacris miſceantur. Verùm ea firma ratione à nobis
26 nouiter meditata, videlicet quia † Reges ex vi ſui officij ac poteſtatis à populi accepta, ſunt protectores ac defenſores temporalis Reipublicæ, vt quoad temporalem pacem ac ſalutem, illam armis ab extraneis, & Iuſtitiæ adminiſtratione à domeſticis oppreſſoribus defendant. Huic accedit, quod potentiam magis armatam habent ſatellitio miniſtrorum munitam, gladium in vindictam portantium, teſte Paulo *ad Rom.* 13. quâ facilius queant vim vi repellere, quàm Iudices ac Prælati Eccleſiaſtici, quos vtpote Clericos ſacris initiatos Eccleſia inermes inſtituit, vt Chriſti Domini manſuetudinem repræſentarent. Vtrum autem prætèr auxilium illud quod Senatus Regij oppreſſis à Iudicibus Eccleſiaſticis præſtant vrbanum, mandato ac reſcripto ſeu Regia prouiſione, formam ſeruandi Iuris naturalis per illos læſi præbentes, poſſint inhibitiones, ac temporales pœnas, ſeu vulgò dictam, temporalitatum priuationem adiicere? quia hæc ſapiunt iuriſdictionis exercitium, periculoſa ſunt, ipſi viderint qui de ſuis actibus diſtrictam ſupremo Iudici rationem ſunt reddituri.

27 Secunda dubitatio eſt, ad † quem poſſunt aut debent recurrere miſeri pro repellenda violentia ſibi illata ab ipſis Regiis Senatibus? Reſpondeo dicendum, ſi à ſupremo Senatu à quo ad nullum alium eſt appellatio: ad Regem debere recurrere, qui non minus ex officio tenetur violentias repellere illatas à Iudicibus ſecularibus, quàm illatas à Iudicibus Eccleſiaſticis Quod ſi Rex ipſe violentiam inferat, aut illatæ à Senatu conſentiat? Neque hoc videatur impoſſibile hiis, qui ſciunt Romæ Nerones, & Hiſpaniæ Petros crudeles regnaſſe: Reſpondeo in eo caſu Vaſſallis miſeris ac violentiam paſſis recurrendum fore ad Summum Pontificem, qui ex *cap. nouit. citato*, eſt vindex omnium lethalium criminum, maximè pacis fractæ, tam in Dominis, quàm in ſubditis. Vnde de primo ad vltimum liquet, in Romano Pontifice vltimam ac ſupremam violentiarum vindicem poteſtatem reſidere; ordinariam tamen regularem, ac magis celerem pro miſeris ſubditis in ſecularibus Principibus & eorum Senatibus, dictam
28 praxim de more exercentibus reperiri. Hinc † veniunt interpretandæ quædam leges nouæ recopilationis: illæ namque ſuperius recenſitæ, in quibus Reges Caſtellæ fatentur ſibi de iure ac conſuetudine, competere facultatem tollendi violentias à Iudicibus Eccleſiaſticis illatas, ſic ſunt intelligendæ, id eſt de iure naturali, conſuetudine immemoriali approbato & confirmato talem facultatem ipſis competere. Alia verò lex quæ eſt 3. *tit.* 8. *lib.* 8. *recopilationis*, ſic loquens: *Ca tan grande es el poder del Rey, que todas las coſas y todos los derechos tiene ſobre ſi, y el ſupoder no lo ha de los hombres, mas de Dios, cuyo lugar tiene en las coſas temporales, &c.* Cuius prima clauſula modificatur & reſtringitur per tertiam, id eſt quod Rex ſuper ſe & in ſe habet omnem poteſtatem in temporalibus; alioquin faceret hunc ſenſum, quod Rex à Deo haberet, nedum temporalem & politicam, ſed etiam ſpiritualem & Eccleſiaſticam poteſtatem, ad agnoſcendum de cauſis merè Eccleſiaſticis, puta, de fide, Sacramentis, de ritibus ac cæremoniis diuini cultus, &c. quod tanquam erroneum Eccleſia contra Marſilium Paduanum damnauit. Secunda verò clauſula, ſanè eſt intelligenda & benignè explicanda, aut de poteſtate illa ſecunda quæ dicitur naturalis protectionis, ac defenſionis, quam à Deo naturæ ac naturalis iuris authore, Reges immediatè acceperunt; aut ſi de priori poteſtate, quam vocamus iuriſdictionis, & per quam Reges formaliter in eſſe ſupremorum Principum conſtituuntur, loquatur lex; debet ſic explicari; quod Rex eam accepit non à ſolis hominibus, niſi ſimul à Deo vt à principaliori & prima cauſa. In quo ſenſu *Prouerb.* 8. Diuina Sapientia in perſona Dei inquit. *Per me Reges regnant, & legum conditores iuſta decernunt*; id eſt tanquam per cauſam primam & exemplarem. Primam quidem, quæ mouet populos ad Regum electionem; exemplarem verò, quam Reges in ſolio Regio conſtituti debent imitari: alioquin Regiam poteſtatem eſſe ab hominibus, ſiue à populis datam, res adeò manifeſta eſt, vt deſiperet qui eam negaret. Vnde ab illa poſſunt deponi, vt probatum relinquimus, ob cauſam; per Summum Pontificem. qui homo eſt; cuius ſolius poteſtas iuriſdictionalis immediatè fuit à Deo conceſſa, à qua proinde per nullum hominem, niſi per ſolum Deum authoritatiuè deponi valet: nam per quas cauſas res fit, per eaſdem poteſt diſſolui.

Secundus † titulus eſſe poteſt donatio exem- 29
ptionis & immunitatis Clericis facta à ſupremis terræ Principibus, quia teſte D. Thoma *ad Roman.* 3. ſuper illud verbum: *ideò enim tributa præſtatis, lectione* 1. priuilegium immunitatis fuit ortum ex Principum ſecularium conſenſu ac donatione, licèt æquitatem habeat naturalem & iuri diuino ſit conſentaneum. Cui ſententiæ ſubſcribit Victoria *in relectione de poteſtate Eccleſiæ, quæſt.* 6. *propoſitione* 2. Et quia actus agentium non operantur vltra eorum intentionem, potuerunt in huiuſmodi priuilegij conceſſione excipere ac ſibi reſeruare caſum hunc, nimirum, quando in Clericis, vel à Clericis non læderetur Ius naturale; quippe qui pertinet ad ſecundam eorum poteſtatem immediatè à Deo acceptam, ſcilicet naturalis protectionis ac defenſionis Reipublicæ, ac miſerorum, qui contra naturale Ius violentiam patiuntur. Cujus exceptionis ac reſeruationis in Galliæ & Hiſpaniæ regnis praxis ipſa & conſuetudo, per tempus immemoriale continuata, fidem irrefragabilem facit. Nam manifeſtè denotat ita ab initio fuiſſe introductam, & in ipſo pacto legis Regiæ cum populis inito contractam. Neque hoc eſt reuocare Clericis conceſſam exemptionem, aut in aliquo ei derogare: fatemur namque illam inuito Clero abrogari non poſſe, non ſolùm ea ratione adducta à Zeballos *cap.* 6. *ſui prologi*, nimirum quia fuit conceſſa à Principibus terrenis per modum contractus

tractus & ex causa remuneratoria: donatio autem transiens in vim contractus, & facta ob causam maximè remuneratoriam, irreuocabilis est; sed alia vrgentiori insinuata à Victoria *vbi supra, propositione 5. & 7.* & expressa à Maldero in præallegato *dub. 7. conclus. 4.* dicente; Siue immunitas Ecclesiæ & personis Ecclesiasticis concessa sit à Principibus, siue à Pontificibus, non possunt Principes inuita Ecclesia eam abrogare. Nam in primo casu (de secundo enim nemini est dubium) ipsa immunitas instar cuiusdam prouentus Ecclesiastici est, adeóque in bona Ecclesiæ transiit, vt reuocari non possit donatario inuito. Quibus addo, quod postquam à Principibus seculi fuit concessa, iam à Sede Apostolica confirmationem, & stabilimentum sacris Canonibus accepit, quos nullus secularis Princeps reuocare potest: nec non quia semel Deo dicatum, amplius ad vsus prophanos transferri non potest. Vnde nec Summus Pontifex huic iuri in vniuersum renunciare potest, quoniam non est Dominus absolutus bonorum ac iurium Ecclesiæ aut suæ Sedis, etiam eorum quæ à Principibus secularibus sunt donata, eò quòd non personæ, sed Christo & Sedi Apostolicæ principaliter sunt donata: sed tantùm est fidelis dispensator, id est, casum à principio exceptum & sibi reseruatum in donatione conseruare ac continuare. Huic titulo si innitantur Senatus Regij, fortè possent mandatum pro violentia repellenda à Clericis, vel etiam à laicis per Iudices Ecclesiasticos illata pœnis quibusdam temporalibus vallare, quia fortè sic Iudicium hoc per viam violentiæ Principes exercendum sibi à principio reseruarunt. Qui meliores titulos defendendi hanc praxim inuenerit, prodat in medium, & cum gaudio illos suscipiemus.

DIFFICVLTAS III.

Vtrum hoc recursu ac beneficio pro violentia propulsanda possint vti Religiosi.

SVMMARIVM.

1 *Pars affirmatiua huius difficultatis suadetur triplici argumento; quorum Primum desumitur à Regalia Regis, quæ ad omnes oppressos sibi subiectos & violentiam passos, iure naturali extenditur.*

2 *Eam sententiam comprobat stilus Supremi Senatus Regij in Hispania, expediendi scilicet literas in fauorem Nouitij, quoties rationabiliter timetur, eum nimia persuasione cogi ad ingressum Religionis, &c.*

3 *Reges sunt protectores Ecclesiarum, eósque monet Synodus Tridentina seruare Clericis & Ecclesiis Ecclesiasticam immunitatem.*

4 *Quibus non obstantibus negatiua sententia est tenenda, vtpote communi calculo probata.*

5 *Appellatio ad Iudices extra ordinem etiam Ecclesiasticos iure communi interdicta est Religiosis Regularibus.*

6 *Cuius interdicti siue prohibitionis ratio est multiplex.*

7 *Iure communi & speciali vniuscuiusque religionis, interdictus est Religionibus vsus appellationis ad Iudices laicos & Regios Magistratus, nedum per viam iurisdictionis iudicialis, sed etiam per viam violentiæ.*

8 *Quæ doctrina præter rationes supra adductas, aliis argumentis & rationibus confirmatur.*

9 *Referuntur variæ speciales leges, quibus iste recursus ad Iudices laicos, &c. prohibetur.*

10 *Recursus appellationis gradatim faciendæ ad Prælatos eiusdem ordinis, neque iure communi neque iure speciali Religiosis est interdictus.*

11 *Qui tamen recursus quandoque & in aliquibus Religionibus ac casibus modificatus est ac temperatus.*

12 *Respondetur argumentis pro contraria sententia ab initio adductis.*

PARS † affirmatiua suadetur Primò. Hæc regalia extenditur ad omnes & quoscumque oppressos & violentiam passos, qui ditioni Regis subduntur; iure enim naturali ex vi huius Regaliæ potest Rex ac debet per se aut suos ministros, vasallos suos à violentiis contra ius naturæ illatis defendere: Atqui Religiosos etiam contingit opprimi & violentiam pati à suis Prælatis & Iudicibus regularibus contra Ius naturale: imo eò frequentius, quantò subditi magis humilitatem & patientiam in sustinendo iniurias ostendunt, & Prælati minus iuris apices callent: & aliàs sunt Vasalli Regis, in cuius ditione habent incolatum, quippe qui communibus Regni legibus ciuilibus & practicis tenentur, sicut cæteri Clerici. Ergo dicendum proculdubio est, hanc Regaliam ad eos extendi, qui proinde vtentes iure suo poterunt ad Senatum Regium recurrere, ob causam propulsandi sibi illatam violentiam. Hæc enim est iusta defensio cum moderamine inculpatæ tutelæ, quam eis ius naturæ concedit; cui nullus eorum renunciat, imò an renunciare possit, sub dubio versatur. Rursus implicat, dari in Rege nostro Hispano, v.g. moralem facultatem, præbendi Religiosis suæ ditionis auxilium contra violentiam ipsis illatam, & cognoscendi eorum causas per viam violentiæ; & eis esse recursum ad huiusmodi auxilium & beneficium implorandum moraliter impossibilem, quia nulla datur potentia ad actum impossibilem; & frustraneam esse potentiam, quæ non possit ad actum reduci, axioma est Philosophicum. 1

Secundò facit pro eadem sententia affirmante † stilus supremi Senatus Regij in nostra Hispania, in eadem Regalia ac potestate naturalis protectionis siue defensionis fundatus: nimirum expediendi literas, ad partis cuius interest petitionem, siue etiam ex officio, vt nouitius ante professionem in tuto ac libero loco constituatur, quoties rationabiliter timetur, eum per nimias persuasiones Religiosorum fuisse coactum ad ingressum religionis, & fore cogendum ad professionem; eò quòd importunæ preces, & nimiæ persuasiones vim inferunt, maximè mulieribus, ac pueris adolescentibus, eorúmque proinde actus reddunt inuoluntarios: vt rectè tradunt Petrus Surdus *consilio 373. à numero 14.* Mantica *de coniecturis vltimarum voluntat. libro 2. titul. 7. numero 4.* Mieres *de maioritat. 1. part. q. 25.* & Castillo *lib. 3. controuers.* 2

*à num.*110. *& lib.*4. *cap.*22. *à num.* 18. *ex leg.*1. §. *perſuadere, ff. de ſeruo corrupt.* ibi *Perſuadere eſt plus quàm compelli, &c.* & *leg.*4. §. *ſi quis volentem, ff. de libero hom. exhibendo, leg. vnica, Cod. de raptu Virginis,* & *leg.* 2. *tit.* 19. *partita* 7. ibi *Como manera es de fuerça el ſon ſacar.* Tunc igitur in eo euentu, ſi in adoleſcentis admiſſione ad Religionem eſt ſuſpicio de morali quadam violentia per importunas preces, vel de fraude ac dolo ſub ſpe pietatis, datur prouiſio in Senatu Regis, vt nouitius in domo alicuius tuta, aut ſaltem in ipſo templo, per triduum in libertate conſtituatur, & eius exploretur voluntas, an ſcienter & liberè velit in monaſterio perſeuerare; vt luculéter de hac praxi, Enriquez *in lib. de Pontificis claue cap.*19. §. 3. teſtatur: & nos haud ſemel eam experti ſumus. Ex quo tale formamus argumentum. Nouitij religionum ſunt æquè exempti, atque profeſſi; gaudent enim pariter cum illis priuilegio Canonis & fori, & nihilominus ad illos extenditur hæc Regalia: ergo non eſt cur ad profeſſos non extendatur. Imo ſi Tridentina Synodus *ſeſſ.* 25. *cap.*17. non diſponeret, vt ſimilis voluntatis exploratio in puellis profeſſuris fieret per loci Ordinarium, dū ſic habet. *Libertati profeſſionis virginum Deo dicandarum proſpiciens Sancta Synodus, ſtatuit atque decernit, vt ſi puella quæ habitum ſuſcipere voluerit, maior duodecim annis ſit: non ante eum ſuſcipiat, nec poſtea vel alias profeſſionem emittat, quàm explorauerit Epiſcopus vel eo abſente, vel impedito, eius Vicarius, aut aliquis eorum ſumptibus ab eis deputatus, Virginis voluntatem diligenter, an coacta, an ſeducta ſit, an ſciat quid agat; & ſi voluntas eius pia ac libera cognita fuerit, &c. nec non Monaſterium fuerit idoneum, liberè ei profiteri liceat, cuius profeſſionis tempus ne Epiſcopus ignoret, teneatur Præfecta monaſterij eum ante menſem certiorem facere. Quod ſi Præfecta certiorem Epiſcopum non fecerit, quandiu Epiſcopo videbitur, ab officio ſuſpenſa ſit. &c.* poſſet Senatus ſupremus Regius ſuper tali voluntatis exploratione diſponere ac iubere, ne ſcilicet puellæ per vim aut fraudem religionis votis ſe illaquearent.

3 Tertiò, quia † Reges ſunt protectores Eccleſiarum: ideoque eos monens Sancta Synodus Tridentina *ſeſſ.* 25. *cap.*20. ad ſeruandam Cleticis & Eccleſiis immunitatem Eccleſiaſticam, ait: *Confidentes eos vt Catholicos, quos Deus Sanctæ fidei, Eccleſiæque protectores eſſe voluit, ius ſuum Eccleſiæ reſtitui, non tantùm eſſe conceſſuros, ſed etiam ſubditos ſuos omnes ad debitam erga Clerum, parochos & ſuperiores ordines reuerentiam prouocaturos, &c.* Ratione cuius protectionis conuenit eis hæc Regalia, cognoſcendi cauſas Eccleſiarum ac Eccleſiaſticorum, per viam violentiæ, & eos ab illatis violentiis contra naturale ius vindicandi; atque qui nomine Eccleſiarum veniunt etiam Conuentus religioſorum intelligendi, atque ipſorum Eccleſiæ; quarum proinde Reges Chriſtiani ſunt ex vi ſuæ Regiæ poteſtatis ac muneris protectores ac defenſores: ergo Regalia quæ in hac protegendi poteſtate fundatur ad illos quoque extenditur; ac per conſequens Religioſi aut pro ſe, aut pro ſuis Eccleſiis & Conuentibus ad Regem, aut eius ſupremum Senatum recurrendo, ob cauſam, pellendi violentiam, vtuntur iure ſuo, neminique iniuriam faciunt, hoc eſt neque Deo, neque Religioni, neque Conuentui ſuo: nullus enim dum vtitur iure ſuo, alteri irrogat iniuriam. Item cùm ſit opus virtutis maximè charitatis, quæ eſt vinculū perfectionis, oppreſsū defēdere; nō debet excludi à Religioſis iſte recurſus ad Senatus Regios, vt violentiam ab oppreſſis repellant, quorum ſtatus eſt quædam diſciplina acquirendi perfectionem charitatis, teſte D. Thoma 22. *quæſt.* 186. *art.*2. *&* 3. Quod autem hæc defenſio oppreſſorum & innocentum ſit opus virtutis charitatis, eſt ſententia Ambroſij *lib.* 2. *de officiis cap.*36. laudantis factum illud Moyſis *Exod.*2. quo Ægyptium percutientem Hebræum interemit, & ſabulo abſcondit. *Non in viribus corporis & lacertis tantummodo fortitudinis gloria eſt, ſed magis in virtute animi, neque in inferenda, ſed in depellēda iniuria lex virtutis eſt: qui enim non repellit à ſocio iniuriam ſi poteſt, tam eſt in vitio quàm ille qui facit.* Quod probat exemplo Moyſis: quæ ſententia adducitur in Gloſſa, & approbatur à Burgenſi in ſua additione; nec non ab Angelico Doctore 22. *quæſt.*60. *art. vltimo ad* 2. vbi factum illud Moyſis probabiliter à peccato excuſat, aut quia fuerit ex inſpiratione diuina quaſi authoritatem adeptus, propter verba Stephani id inſinuantis *Actorum.*7. aut quia Moyſes (ſubdit ille) occidit Ægyptium defendendo Hebræum, qui iniuriam patiebatur cum moderamine inculpatæ tutelæ. Vnde Ambroſius dicit *in lib. de offic. quod qui non repellit iniuriam à ſocio cum poteſt, tam eſt in vitio, quàm ille qui facit, &c.* Quod autem ſubdit ex mente Auguſtini in quæſtionibus Exodi poſſe dici, factum illud Moyſis vitioſum fuiſſe quidem, ſed magnæ fertilitatis ſignum, in quantum ſcilicet erat ſignum virtutis eius, qua populum liberaturus erat, &c. non derogat probabilitati prioris opinionis.

Sed † hiis non obſtantibus, negatiua ſententia eſt tenenda vtpote communi calculo probata, à Soto *lib.*5. *de iuſtitia, quæſt.*6. *art.*3. Couarruuias *practicarum quæſtionum cap.* 23. *à num.*6. Emanuele Roderico *tractatu de ordine Iudiciali cap.* 13. & à Neotherico illo *prima p. de protectione Regia, cap.*2. §.5. *à num.*17. *vſque ad* 22. & Bañeſio 22. *q.*69. *art.* 3. *circa finem.* Ex quibus authoritatibus tres ſequentes inferre licet concluſiones. Prima eſt quod † appellatio ad Iudices extra ordinem etiam Eccleſiaſticos, iure cōmuni interdicta eſt Religioſis Regularibus. Hæc probatur ex manifeſtis iuris Canonici decretalibus *in tit. de appellationibus*, in quibus hæc prohibitio continetur; vt *in cap. ad noſtram*, Alexander III. decernit nullum Regularem à correctione legitima poſſe appellare, eò quòd appellationis remedium non debet alicui à religionis & ordinis obſeruantia exorbitanti patrocinium exhibere: & *cap. Reprehenſibilis*, Innocentius III. poſtquam prohibuerat, ne ſubditus quiſque contra Eccleſiaſticam diſciplinam appellare poſſet, ſubdit ſic. *Præcipuè verò hoc in Religioſis volumus obſeruari, ne Monachi, ſiue quicumque alij Religioſi, cùm pro aliquo exceſſu fuerint corrigendi, contra regularem Prælati ſui & Capituli diſciplinam appellare præſumant, ſed humiliter ac deuotè ſuſcipiant quod pro ſalute ſua fuerit eis iniunctum:* & *cap. quia nos*, eandem repetit prohibitionem, & *cap. cum ſpeciali*, concludit. *Cæterum has duas*

conſtitutiones

constitutiones præmissas nolumus ad regulares extendi, contra suas speciales observantias; denotans se non velle extendere constitutiones præmissas ad legitimam appellationem interponendam, ad Regulares, quibus per suas constitutiones & ius commune, est prohibita appellatio
6 ad quoscumque Iudices extra ordinem. Ratio† autem huius prohibitionis est multiplex. Prima sumitur ex bono communi Religionis, quod in quadam simplicitate obedientiæ, & tranquillitate consistit, ac pace, quæ maximè turbatur per huiusmodi recursus & appellationes ad extraneos Iudices. Secunda est, quia Religiosi in sua professione renuntiant iuri appellandi, sicut renuntiant possessionibus: provt ostendimus 12.q.94.*sect.*3.*difficultate* 2. cùm non veniant ad Religionem litigare, sed patienter obedire. Tertia assignatur à Soto & Couarruuias *vbi supra*, ex conseruatione, quiete ac decore Religionum; neruus enim & decus Religionis in hoc maximè consistit (aiunt illi) vt altissimo inter se silentio omnia veluti inter fratres, quæ sua est professio, planiter tractent & transigant; neque se seculo prodant; etenim vbi primùm
7 Religionis causæ claustrorum metas exierint, actum de illis est. Quocirca institutiones ipsas sic Pontifices confirmant, vt appellationes prohiberent, non quod per hoc Summis ipsis Pontificibus obedientiæ quicquam sit ademptum: quicumque enim quantumuis inclusus Monachus ad Summum Pontificem appellauerit, iure id faciet; Verùm quod sic consultum est religionum incolumitati. Vnde sanctè ac religiosè in huiusmodi Regularium religionibus, tum Iure communi, tum speciali cuiusque, vsus appellandi ad extraneos Iudices, etiam Ecclesiasticos sublatus est. Nam etiamsi aliquando vel rarò contingat, Monachum aliquem iniuria læsum à Prælato affligi; verumtamen talia damna ex alia parte, pacis & quietis bono compensantur: & econtra ex appellationibus ingentia sequerentur damna, quæ Religionis neruum tollerent, atque eius decus potissimum ac pulchritudinem macularent. De quo genere appellationis habet Dominicana constitutio *dist.* 2.*c.*8.§.3. *Appellationem enim intra nostrum Ordinem sub interminatione anathematis fieri prohibemus; cùm non venerimus contendere, sed potius delicta corrigere.*

7 Secunda conclusio; eisdem Iuribus † communi scilicet & speciali vniuscuiusque religionis, strictius interdictus & sublatus est Religionibus vsus appellandi ad Iudices laicos & Regios Magistratus, nedum per viam iurisdictionis iudicialis, sed etiam per viam violentiæ, quod vulgo in Hispania dicitur *por via de fuerça y agrauio*. Hæc conclusio quoad primam partem, probatur eisdem decretis Iuris Canonici, & specialibus cõstitutionibus quarumcumq; Religionum, quæ nedum Iuri communi Canonico se conformant, sed aliquid rigoris ei in hac parte superaddunt, obrationes ex præfatis Authoribus nuper recensitas, quæ rationes & iura eò strictius hunc vsum appellandi ad laicos Magistratus Religiosis interdicunt, quò magis extranei sunt ab statu Ecclesiastico, ac magis à Religioso; & quò magis incapaces sunt exercẽdi aliquam circa Religiosos iudicialem iurisdictionem. Quoad secundam verò partem, etsi paucis aliquibus moralis Theologiæ professoribus placet, cum Iuristis non paucis, adeò Regaliam hanc extendere, cognoscendi scilicet causas Ecclesiasticorum in Senatibus Regiis, per viam violentiæ, vt etiam illam Religiosis concedant: de quorum numero sunt Sousa *in Bulla cœnæ cap.*15.*disp.*78 & Portel *in additionibus ad dubia Regula. V. appellare n.* 3. asserentes, quod si Religiosus per appellationem vel alia via intra ordinem potest vitare vim sibi iniustè illatam, incurreret censuras si ad Iudices seculares recurrat. Si verò neque sit locus appellationi, vel illa non recipiatur, & superior ad quem posset recurrere longè distat, ita vt non possit illum adire instante grauamine, vel etiam cæpto & iniustè illato, arbitrio boni viri; tunc credo (ait Portel) posse Religiosum vel Clericum recurrere ad Principem secularem, qualis est Rex, non tanquam appellantem ad Iudicem competentem, sed solùm vt sibi succurrat in illo grauamine iniusto, tollendo vim sibi factam, modo quo licitè potest; imperando scilicet, suadendo Prælato, vt abstineat à vi iniusta, vel det locum appellationi, vel Iudices nouos assignet; & per hoc Religiosus recurrens ad Principem secularem cum prædictis circunstantiis, nullam censuram Bullæ Cœnæ vel alterius Bullæ incurrit. Quorum sententiam sensu & verbis recensitis refert approbando Diana 2.*p. resolutionum moral. tractatu* 2.*de immunitate Ecclesiarum, resolutione* 14. etsi ilico ex Azorio & Bonacina subiungat, hunc casum in quo permittuntur Clerici (nedum Regulares) indemnes à censuris ad ministros Regios per viam violentiæ recurrere, moraliter loquendo esse impossibilem: quia vix accidet vnquam, quod concurrant omnes dictæ circunstantiæ, cum quibus talis recursus iustificatur. Verùm hanc sententiam aliis in locis, nimirum in allegata *difficultate* 2.*quæstionis* 94. *de legibus*, & *in tractatu de opinione probabili*, *disput.* 9. omnino improbabilem & religionibus noxiam ostendemus, nisi fiat simplici suggillatione, quæ nullam figuram habeat appellationis, aut iudicialis recursus, qui appellationi æquipollet; & de æquipollentibus eadem est ratio.

Quam † doctrinam amplius confirmare pla- 8
cet, tum ex rationibus nuper adductis, ob quas conueniẽtissimum fuit, Religiosis iure communi interdicere vsum appellationis ad extraneos Iudices, etiam Ecclesiasticos: quæ vrgentius militant in hoc recursu ad Magistratus Regios, etiam per viam violentiæ, vtpote ex quo eadem euidentius damna Religionibus orirentur, scilicet pacis, tranquillitatis, quietis & fraternæ vnitatis turbatio, secretorum propalatio, nexus obedientiæ relaxatio, ac decoris religiosi status maculatio. Tum etiam, quia dum Religiosi in sua professione teste Bañesio *vbi supra*, beneficio appellationis ad extraneos Iudices renuntiant: pariter & à fortiori beneficio huic recurrendi ad Ministros & Senatus Regios, per viam vel ob causam auferendæ violentiæ renuntiant; eò quòd non minus, sed magis iste recursus opponitur iuri communi tollendi appellationes Religiosis, & bono communi religionum, quàm ordinaria appellatio ad extraneos Iudices. Quod autem huiusmodi Ius appellãdi seu recurrendi ad Iudices extra ordinem quoscumq; & quauis ex causa, quæ aliàs secularì foret iusta & rationabilis, possit à Religiosis

renuntiari, ob maiorem charitatis, patientiæ, humilitatis, & obedientiæ professionem, ostendimus in *dicto loco tractatus de legibus*; eò quòd, aut tale Ius non est naturale quoad formam, sed solùm à Iure Ciuili & Canonico inuentum: aut etiam si naturale sit, nihilominus pro maiori virtutis professione, poterit renuntiari, vt patet in illis Religiosis, qui iuri comedendi carnes etiam in casu necessitatis, & iuri tuendi famam medio ordine correctionis fraternæ renuntiant. Tum denique id patet ex praxi ipsa Senatuum, qui nullatenus admittunt, neque hucusque palam admiserunt huiusmodi recursum Religiosorum, qui ob causam pellendi violentiam siue grauamen à Prælatis sibi illatum, ad ipsos recurrerunt, ratione scandali vitandi, & ne correctionem monasticam fugiant: quam correctionem concernunt omnes causæ Religiosorum siue directè, siue indirectè, quæ fiunt & feruntur inter ipsos & eorum Prælatos. Vnde neque in his neq; in excessibus super electionibus eorum, vnquam permissum esse trahi Religiosorũ negotia ad Senatus Regios, etiam per viam violentiæ; & hoc ratione scandali vitandi, tradit Neotheticus ille *supra citatus* 1. *p. de protectione Regia cap.* 2. §. 5. *à n.* 17. *vsque ad* 22. qui aliàs præ cæteris Authoribus huius temporis Regaliam hanc, & recursum istum ad Regia tribunalia per viam violentiæ maximè ampliauit. Fauet quoque *Lex* 40. *tit.* 5. *lib.* 2. *nouæ recopilationis*, quæ dum Religiosis hunc recursum restringit, sic habet. *Porque somos informados, que los negocios Eccleſiaſticos tocantes a viſitacion y correccion de Religioſos y Religioſas, que ſe hazen por ſus Superiores, traen inconueniente traerſe por via de fuerça, a las Audiencias, aſſi por raſon del ſecreto que conuiene tenerſe de lo que en ellas ſe trata, y por el breue deſpacho y otras cauſas: porende mandamos a los Preſidentes, y Oydores de las Audiencias, que no ſe entremetan a conoçer de ſemejantes negocios, ni mandar traer ante ellos tales proceſſos, por via de fuerça en manera alguna, porque quando en eſſo vbiere que proueer, los de el nueſtro Conſejo proueeran.* Quibus in verbis ista lex prohibet Magistratibus Senatuum, qui sunt infra supremum, vt nullatenus admittant recursum Religiosorum aut Religiosarum in causa visitationis, aut correctionis, recurrentium ad ipsos per viam violentiæ: solique Senatui supremo reseruat posse aliquid in huiusmodi prouidere, si contingat expedire: quæ propositio cùm conditionalis sit, nihil ponit in esse. Ergo in hac prohibitiua & restrictiua lege, ipsi Reges Hispaniæ agnoscunt, admissionem huiusmodi Religiosorum recursus statui religioso incongruam & nociuam esse, & consequenter alienam à sua Regalia, quæ in Principibus Catholicis ad religiosi status incrementum, & debitam conseruationem debet ordinari.

Deinde quoad tertiam partem, nimirum
9 quod † specialibus legibus religionum iste recursus sit Religiosis prohibitus, probatur; quia in hoc omnes Religiones conformantur iuri communi Ecclesiastico, quod conditum fuit pro bono communi, ac maiori decore & pace earundem religionum. De legibus verò, quibus præsertim in Dominicano ordine (similésque vel æquiualẽtes prohibitiones existimo in aliis vigere) iste recursus quomodolibet fiat, per modum appellationis interdicitur, mentionem fecimus in duobus locis prælegatis, quæ sunt 5. vel 6. Prima est Bonifacij IX. Pontificis Maximi edita anno Domini 1403. 5. Kalendas Maij, relata *dist.* 2. *cap.* 17. disponens, quod nullus Frater vel soror ex quacumque causa, coram quocumque Iudice, qui non sit de ordine, conuenire, seu facere conueniri aliquem ex fratribus aut sororibus possit aut debeat. Secunda est Leonis X. quę inter eius priuilegia est Octauum, quo amplissimè approbat & confirmat dictam Bonifacij IX. constitutionem, addens contra non parentes, pœnam excommunicationis latæ sententiæ ipso facto incurrendam, & inhibitionem Iudicum qui non sunt de ordine, ne fratrum aut sororum ordinis tales querelas aut recursus admittant, sed eas statim ad eorum Iudices ordinarios remittant. Tertia est Iulij II. eiusdem tenoris, & sub eisdem pœnis. Quarta est quædam constitutio eiusdem ordinis, quæ habetur *d.* 2. *cap.* 8. §. 5. talis tenoris. *Ad nullum Iudicem extra ordinem nisi ad Sedem Apoſtolicam, (cui immediatè Ordo ſubditus eſt) aliquod membrum Ordinis illique ſubditum pro iuſtitia recurrat, ſub pœna abſolutionis ipſo facto ab officio ſi eſt Prælatus, & priuationis vocis activæ & paſſiuæ etiam ipſo facto quoad alios*: ad quas pœnas incurrendas sufficit & requiritur sola iudicialis declaratio perpetrati delicti. Quinta edita fuit in Capitulo generali Valentino anno 1595. quæ quia per tria sequentia Capitula generalia, scilicet Romanum, Valisoletanũ, aliud Romanũ, est approbata iã habet vim cõstitutionis, tenoris sequẽtis. *Præcipimus in virtute Spiritus Sancti & ſanctæ obediẽtiæ ſub formali præcepto, necnon & ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ & omnibus pœnis grauioris culpæ, ne quis religionis noſtræ negotia ſiue Fratrum ſiue Monialium, quouis modo deferre audeat directè, vel indirectè, per ſe vel per alios, ad tribunalia extra ordinem, &c.* Constringens insuper scientes sub eisdem præcepto & pœnis, ad Prælato denuntiandum delinquentes infra terminum duodecim dierum.

Sexta & vltima est omnium præcedentium innouatio ac confirmatio, in vltimo Capitulo generali Romæ celebrato, anno 1629. authoritate Apostolica sancita sub his verbis. *Confirmamus id quod ſapiſſime etiam authoritate Apoſtolica ſtatutum eſt, & ſub formali præcepto, ac pœna priuationis vtriuſque vocis, quorumque graduum & officiorum, necnon excommunicationis latæ ſententiæ mandatum, ne ſcilicet Fratres quacumque ex cauſa audeant contra ſeriem noſtrarum conſtitutionum, & Bonifacij IX. & congregationis Regularium decreta, ad quæcumque tribunalia extra ordinem conſtituta, quoquo pacto appellare, quam legem ſub eiſdem pœnis obſeruandam innouamus.* Quas proculdubio pœnas incurrent, quicumque Fratres dicti Ordinis, qui scienter pro obtinenda iustitia, aut repellenda violentia (nedum pro impedienda gratia alteri eiusdem ordinis facta) ad tribunal Senatus Regij, quod est vnum ex constitutis extra ordinem, & valde seculare strepitu Iudiciali, hoc est per mandatarium, & præsentata petitione, obtinendóque mandatum in scriptis & prouisionem recurrant: eò quòd iste recursus coincidit cum appellatione, & reuera est appellatio, siquidem ei conuenit appellationis diffinitio, est enim ab vno ad alterum iudicem pro obtinenda iustitia, vel

pro

pro repellendo grauamine prouocatio. Vnde à Prælato Superiori, scilicet Prouinciali, & eo negligente à Reuerendissimo Generali debent probato delicto per sententiam, declarari tanquam incursi in prædictas pœnas priuatiuas, etiam excommunicationis; quoniam ad hanc contrahendam non requiritur alia contumacia & inobedientia, præter illam, quæ committitur in operando scienter contra legem, prohibentem aliquid sub excommunicationis pœna ipso facto incurrenda: alioquin nullus esset delinquens contra legem prohibentem sub excommunicatione latæ sententiæ ipso facto incurrenda, qui talem excommunicationem non vellet apparenter subterfugere, dicens se malè & contra legem fecisse, sed non cum contumacia requisita, quod ridiculum effugium omnino esset. Dixi *strepitu iudiciali*, nam si isti aut alij Religiosi, quibus taliş recursus seu appellationis modus prohibitus est, ad Regem vel eius Senatum pro repellenda aliqua manifesta violentia, vel obuianda iniuria per simplicem quandam suggillationem, aut simplex quoddam memoriale tradendo, vt sic Princeps instructus de veritate, monitione, aut mandato simplici, aut alia via talem violentiam remoueret, aut impediret per se, aut per Nuntium Apostolicum à se commonefactum, recurrat; forte iste recursus, vtpote omnino ab appellatione diuersus, licitus, & nequaquam præfatis aut similibus legibus prohibitus iudicaretur.

10 Tertia conclusio; neque † iure communi, neque iure speciali, Religiosis est interdictus recursus siue vsus appellationis faciendæ gradatim ad Prælatos eiusdem ordinis, licet in aliquibus ordinibus sit modificatus ac temperatus. Hæc conclusio sola indiget explanatione. Vocamus namque in illa appellationem gradatim factam, vel faciendam, illam quæ ab inferiori Prælato ad superiorem gradatim nullo omisso intermedio ascendit, vt in Monachalibus, quæ fit ab Abbate ad Generalem, & à Generali ad Diffinitorium Capituli generalis. In mendicantibus verò, quæ fit à Priore ad Prouincialem, à Prouinciali ad Generalem, à Generali ad Diffinitorium Capituli generalis, & ab isto ad Cardinalem Eminentissimum Ordinis Protectorem, qui est Iudex causarum ordinis sibi commendati in gradu appellationis.

Quod autem iste vsus recursus siue appellationis non sit Religiosis iure communi prohibitus, patet; quoniam decretales citatæ solùm prohibent eis appellationem ad Iudices extraneos, ob ingentia inconuenientia, quæ ex tali appellandi vsu nascuntur, correctioni fratrum, paci, tranquillitati & decori ordinis contraria; quæ ex vsu appellandi ad Iudices Prælatos eiusdem ordinis Superiores nequaquam oriuntur: Vnde neque iste modus appellandi debuit eis per ius commune interdici. Sed neque iure speciali cuiusuis ordinis; quia sicut leges speciales in vnaquaque Religione non adimunt authoritatem & supernam potestatem Iurisdictionis à Prælatis Superioribus respectu inferiorum; ita neque à subditis adimere debent facultatem recurrendi ad illos pro redimenda vexatione aut iniuria illata sibi per Prælatum inferiorem, atque eius sententiam: idem namque esset adimere à subditis hanc facultatem, atque à Prælatis Superioribus potestatem iurisdictionis supra inferiores Prælatos; quâ enim supra illos haberent extra visitationem, si eorum iudicia & sententias corrigere non possent?

Quod verò † quandoque & in aliquibus 11
Religionibus atque casibus moderetur atque temperetur iste recursus, etiam ad Superiores eiusdem ordinis, patet; quia quandoque id postulat maior religionis perfectio, & maioris obedientiæ atque humilitatis exercitium, & totius Ordinis tranquillitas, ne litibus succendantur & turbentur. Quare ob hos fines in Dominicano prohibetur & irritatur omnino appellatio facta aut facienda ab absolutione ab officio Prælaturæ in allegato *cap.* 8. *distinct.* 2. §. 5. sub his verbis. *Appellans autem ab absolutione facta vel facienda ab officiis Prioratus, Prouincialis, vel Conuentualis, vel Vicariatus (etiam prætextu grauaminis) ipso facto sit absolutus ab illo officio: volentes quod in istis ratio grauaminis tam propria quàm communis, non habeat locum quoad appellandum.* Alioquin & in aliis casibus, permissam relinquit appellationem gradatim faciendam Fratribus dicti ordinis, sicuti & iustam ac licitam esse ex confidentia iustæ causæ, provt docet D. Thomas 22. *quæst.* 69. *art.* 3. Constat & eadem constitutione Bonifacij IX. ibi. *Nec à correctione quacumque seu aliàs ab aliquo Prælato, seu fratre dicti ordinis quauis occasione appellare, aut contra eos, querelam proponere (nisi prius coram Conuentuali seu Prouinciali, Priore seu Magistro, & successiuè in Generali Capitulo dicti ordinis causam vel querelam suam proposuerit verbo vel in scriptis) possit aut debeat.* Cuius clausulæ exacta declaratio habetur *d.* 4. *cap.* 8. §. 5. iam citato; & in Capitulo generali Romæ celebrato anno 1589. promulgata fuit noua declaratio & ampliatio eiusdem clausulæ per decretum Sacræ Congregationis Regularium, sequentis tenoris. *Quoniam nonnulli vagandi studio, siue dum imminentem commissorum criminum pœnam ex suis constitutionibus, aut aliàs debitam sibi metuunt, falsa & commenticia grauamina causati: non immediatè ad sui Ordinis Superiores, scilicet à grauamine Prioris ad Prouincialem, à Prouinciali ad Generalem, & à Generali ad Protectorem, provt cuiusuis religionis constitutionibus disponitur; sed ad hanc Romanam Curiam absque licentia fugiunt potius quàm recurrunt, ex quo Ordinum disciplina relaxatur, Prælati contemnuntur, &c. placuit Sacræ Congregationi ex ordine Sanctissimi statuere, vt si quis Regularium in posterum temerè, leuiue ex causa hanc almam Vrbem seu Curiam absque sui Superioris licentia & supradicta forma prætermissa adire præsumpserit, ad suos Superiores seuerius puniendus remittatur.*

Ex quibus † ad primum pro contraria sen- 12
tentia respondetur, dictam Regaliam extendi quidem ad omnes violentiam passos, non exemptos, aut non cedentes iuri suo, cuiusmodi sunt Regulares, quibus quia exempti sunt, & quia iuri appellandi ad extraneos etiam per viam violentiæ sponte in sua professione cesserunt, (intellige in causis non ciuilibus, in istis namque licitum & cõsuetum est eis appellationibus vti ad Iudices competentes) quod facere potuerunt ac debuerũt ob maius virtutis bonum: Tum quia licet ius appellandi sit à natura concessum, ei

renuntiare

renuntiare poſſimus; tum quia neque illud eſt naturale quoad formam, ſed à Iure Ciuili & Canonico conceſſum; tum denique quia non omni vſui appellationis renuntiarunt, niſi illi dumtaxat qui fit ad extraneos Iudices, qui neutiquam à natura conceditur Religioſis: à iure communi & ſpeciali talis appellationis vſus interdicitur. Ad confirmationem, admiſſo antecedente nego conſequentiam, quæ ex illo poteſt inferri. Nam ſuppoſita dicta prohibitione Eccleſiaſtica & ceſſione iuris appellandi ad extraneos Iudices, ſicut in Religioſis dictus recurſus eſt moraliter impoſſibilis, quia id poſſumus quod iure poſſumus, & econtra: ita & in Principe & Senatu deeſt facultas moralis & expedita illorum recurſum admittendi.

17 Ad † Secũdum aut nego maiorem, quia Nouitij nondum iuri recurrendi ad Senatus ſeculares ceſſerunt, ſiquidem nondum profeſſionem emiſerunt; vel admiſſa maiori nego minorem præmiſſam. Nam ille recurſus non fit ad inſtantiam Nouitij ſed laici cuius intereſt. v.g. Parentis vel Curatoris, &c. & tamen ſatius & tutius in conſcientia foret Senatoribus, monere Superiorem Prælatum aut Legatum Apoſtolicum, vt iuberet Nouitij explorari in loco tuto voluntatem, quem ſacer habitus iam extra eorum ditionem conſtituit. Vnde diſpoſitio illa Tridentinæ Synodi de exploranda puellarum Deo dicatarum libera voluntate, nequaquam ad laicos Magiſtratus pertinuit, aut pertinere potuit, niſi ad ſolos Eccleſiæ Prælatos & Ordinarios.

Ad Tertium fateor, Reges eſſe Eccleſiarum Protectores, non tamen inde debent eas offendere, more caſtrorum illas defendendo, neque enim Eccleſia Dei eſt cuſtõdienda more caſtrorum: ſed illas potius atque monaſteria Religioſorum debent reuerentia & priuilegiis honorare: neque omnis defenſio licita ſecularibus, eſt licita Regularibus, quos ſtrictiori perfectionis vinculo præcinctos Eccleſia eſſe voluit.

DIFFICVLTAS IV.

Vtrum appellatio legitimè interpoſita ſuſpendat effectum ſiue executionem cenſuræ?

SVMMARIVM.

1 *Appellatio, quæ eſt à minori ad maiorem Iudicem prouocatio, habet duos effectus in communi reſpectu Iudicis; deuolutiuum ſcilicet & ſuſpenſiuum.*

2 *Appellatio in cenſuris latis per Iudicis ſententiam quæ dicuntur ab homine, operatur ſimiliter hos duos effectus, ad quos duæ conditiones requiſitæ referuntur.*

3 *Appellatio interpoſita à ſententia cenſuræ purè & abſolutè lata, non operatur effectum ſuſpenſiuum.*

4 *A cenſura lata ſub conditione, poſt impletam conditionem non poteſt quis appellare.*

5 *A cenſura lata ſub conditione poteſt fieri appellatio ante impletam conditionem.*

6 *Executio cenſuræ abſolutè latæ vt ſuſpendatur, debet appellatio interponi, antequam Iudex proferat talem cenſuræ abſolutam ſententiam.*

7 *Appellatio interpoſita à cenſura lata non impedit neque ſuſpendit denuntiationem hominis incurſi à Iudice faciendam.*

8 *Referuntur aliquot caſus ab iſta regula excipiendi.*

9 *Cenſura aliqua poteſt ſuſpendi à ſuo effectu, vno ex tribus modis; qui ſigillatim examinantur.*

10 *Debitore ad conſenſum partis creditoris abſoluto, non tollitur effectus cenſuræ in ſenſu compoſito, ſed tantùm ſub conditione, &c.*

11 *Appellatio poteſt fieri cum effectu ſuſpenſiuo à ſententia cenſuræ, non lata abſolutè ſed tantùm declaratoria.*

12 *Appellatio cum fraude & dolo facta eſt repellenda vt friuola & iniuſta.*

13 *Plures ſunt modi quibus ſententia cenſuræ redditur nulla & innalida; qui tamen ad tres congruentes poſſunt reduci.*

PRo huius declaratione ſciendum eſt, quod † appellatio quæ eſt à minori ad 1
maiorem Iudicem prouocatio, pro repellendo grauamine illato, vt conſtat ex ſuperius tradita diffinitione, habet duos effectus in communi, reſpectu ſententiæ Iudicis in quacumque cauſa & Iudicio, ſiue ciuili ſiue criminali; ſcilicet deuolutiuum alterum, & alterum ſuſpenſiuum. Quia nimirum per appellationem transfertur cauſa de Iudice à quo ad Iudicem ad quem; & ſuſpenditur effectus ipſius ſententiæ latæ, è quibus præcipuus effectus eſt ſuſpendere ſententiam, vt tenet communis opinio Iuriſtarum *in Rubrica de appellationibus, & leg. 2. ff. eodem titulo,* & notat Nauarrus *lib. 3. conſiliorum tit. de præbendis, conſilio 40. & lib. 2. tit. de ſententia & re iudicata, conſilio vnico num. 6.* dicens, effectum appellationis eſſe reciſionem ſententiæ, ſiue annullationem actus à quo appellatur, & repoſitionem appellantis in ſtatum priſtinum, iuxta communẽ Bartoli, Panormitani, Felini, & Decij *in eadem Rubrica.* Cum hoc tamen diſcrimine, quod à ſententia diffinitiua regulariter in omni cauſa licet appellare, niſi in ea cauſa in qua à Iure vel ab homine remouetur appellatio, iuxta Gloſſam ſolemnem *in leg. qui reſtituere, ff. de rei vendicatione*: ab interlocutoria autem non licet appellare regulariter Iure ciuili: Iure autem Canonico ſic, in ſcriptis & expreſſa iuſta cauſa appellandi, ex *cap. vt debitus honor, de appellationibus*, adiuncto *cap. 1. eodem tit. in ſexto*, vſque ad tempus Concilij Tridentini, quod prohibet *ſeſſ. 13. cap. 1. de reformatione, & ſeſſ. 24. cap. 20.* ne liceat appellare in cauſis criminalibus ab vlla ſententia interlocutoria, quæ non habeat vim diffinitiuæ, vel cuius grauamen per diffinitiuam reparari non poteſt. Interlocutoria autem dicitur illa quæ profertur, aut non ſeruato ordine Iuris, aut ſuper vnum articulum cauſæ, & non circa totam cauſam, vt notat idem Nauarrus *d. lib. 2. tit. de appellationibus conſilio 2. & 3.* & Suarius *tomo 5. de cenſuris diſputat. 3. ſectione 6.* dicens, quod in appellatione à ſententia interlocutoria debet exprimi & probari cauſa coram Iudice; ſecus in appellatione à

diffinitiuæ

diffinitiua *ex d.cap.vt debitus de appellat.& cap. Romana eodem titul. in ſexto*, & *leg. 2 ff. de appellat.*

2 Hos duos † effectus ſimiliter operatur appellatio in cenſuris latis per Iudicis ſententiam, quæ dicuntur ab homine, (nam à cenſuris quæ ſunt à Iure, nulla admittitur appellatio) ad quos effectus operandos duæ requiruntur conditiones aſſignatæ à Suario *vbi ſupra*. Prima eſt quod fiat ex cauſa probabili & rationabili, & quantum ad externum forum iuxta regulas à Iuriſtis aſſignatas, ſeruandas in foro externo: quæ cauſa in appellatione à ſententia interlocutoria debet exprimi & probari coram Iudice: ſecus in appellatione à diffinitiua, vt conſtat in præallegatis teſtimoniis. in foro verò interno, ſi bona fide quis appellet, putans ſe habere cauſam rationabilem, immunis erit à culpa: ſi verò mala fide & ſolùm ad finem differendi litem, peccabit lethaliter, vtpote iniuriam faciens Iudici & parti litiganti in materia graui: & per talem appellationem non ſuſpenditur ſententia lata, quoad vim præcepti, neque quoad vim cenſuræ, quoniam fraus & dolus nemini patrocinatur. Secunda conditio eſt, vt appellatio fiat debito tempore ſcilicet à Iure præſcripto, id eſt intra decendium, *ex cap. quod ad conſultationem de re iudicata*, computandum à die latæ ſententiæ, iuxta *leg. primam ff. quando appellatio fit*, & *cap. biduum 2. quæſt. 6.* qui terminus ſeruandus eſt, etiamſi conditio non ſit impleta, & eius terminus ſit diuturnior, ſecundum Abbatem *in cap. præterea 2. de appellationibus*. Verùm oppoſita ſententia probabilior eſt & ſecura in vtroque foro, nimirũ quod quando ſententia eſt conditionata, & eius terminus longior eſt quàm decendium, quocumque tempore ante impletam conditionem licet interponere appellationem à tali ſententia conditionata cenſuræ. Quæ ſic interpoſita operatur effectum ſuſpenſiuum iuxta Gloſſam *in d. cap. præterea*, Nauarrum & Couarruuias citatos à Suario, quibus & ipſe ſubſcribit: eò quòd dictum *cap. quod ad conſultationem*, licet videatur præſcribere decendium vniuerſaliter loquendo, & pro omni ſententia tam abſoluta, quàm conditionata: tamen debet intelligi de illa ſententia quæ ſimpliciter eſt talis, quia analogum per ſe ſumptum ſtat pro famoſiori ſignificato, & non de illa quæ eſt talis ſecundum quid, qualis eſt conditionata ante impletam conditionem; quia conditionalis nihil ponit in eſſe.

Igitur pro explicatione veritatis, dico Primò:
3 Appellatio † interpoſita à ſententia cenſuræ purè & abſolutè lata, non operatur effectum ſuſpenſiuum. Hæc concluſio probatur per rationem ſpecialitatis, quæ militat in cenſuris, nimirũ excõmunicatione, ſuſpẽſione & interdicto: quod licet in aliis cauſis ciuilibus & criminalibus appellatio interpoſita cum dictis duabus conditionibus operetur non ſolùm effectum deuolutiuum, ſcilicet deuolutionem cauſæ ad Superiorem Iudicem ad quem fit appellatio, ſed etiã ſuſpenſiuum, hoc eſt ſuſpenſionem executionis: hunc autẽ ſecundum effectum non poteſt operari appellatio interpoſita à ſententia cenſuræ abſolutè lata, quantumuis cognitio cauſæ principalis transfertur ad Iudicem appellationis, *ex cap. Paſtoralis §. verum de appellat. & cap. is qui, vltimo, de ſententia excomm. in ſexto*. Cuius optima ratio adducitur in priori textu, videlicet quia ſententia huiuſmodi cenſuræ affert ſecum paratam executionem: à ſententia autem iam executioni mandata nemo poteſt appellare, quoad effectum ſuſpenſiuum.

Hinc colligitur, quod neque † à cenſura 4
lata ſub conditione poſt impletam conditionem poteſt quis appellare: eò quòd talis ſententia iam tranſiuit in abſolutam, & ſecum attulit executionem, vt notat Nauarrus *in cap. cum contingat, de reſcriptis*, contra quorundam opinionem minus probabilem; dicentium poſſe appellari à tali ſententia, dummodo appellatio fiat intra decendium.

Colligitur Secundò, quod † à cenſura lata 5
ſub conditione, poteſt fieri appellatio ante impletam conditionem cum effectu ſuſpenſiuo, *ex cap. Præterea 2. de appellation. & cap. Cum contingat de officio delegati*, & *cap. per tuas, de ſententia excommunicationis*, & *cap. ſolet, eodem titul. in ſexto*. Cuius ratio eſt, quia tunc ſententia lata non affert ſecum paratam executionem ante impletam conditionem, & cùm aliàs per appellationem legitimè interpoſitam transferatur cauſa ad alium Iudicem, Iuriſdictio Iudicis à quo manet ſuſpenſa, cuius proinde ſententia ſuam vim amiſit. Per huiuſmodi autem appellationem ſuſpenditur non ſolùm cenſura ipſa, ſed etiam præceptum & obligatio exequendi, quod ſub cenſura fieri mandatur: ita vt expleta conditione, & adueniente termino præſcripto poſt interpoſitam appellationem, neque reus appellans cenſuras incurrat, neque peccatum committat in non parendo: quia ſuper vtrumque fertur appellatio; imo principaliter ſupra præceptum, deinde ſupra pœnam acceſſoriam; aliàs parum aut nihil operaretur appellatio, ſi excuſaret à pœna & non à culpa. Quæ eſt communis ſententia Canoniſtarum *in d. cap. Præterea*, qui hanc ſolam apponunt limitationem, niſi appellans, expreſsè declarauerit ſe à ſola cenſura appellari, & neutiquam à Iudicis præcepto, quod in praxi nunquam contingit, etſi ſpeculatiuè loquendo hæc duo poſſint in appellatione ſeparari.

Colligo Tertiò, quod vt quis appellando † 6
ſuſpendat executionem cenſuræ latæ abſolutè, debet appellationẽ interponere, antequam Iudex proferat, talem cenſuræ abſolutam ſententiam: eò quod tunc cùm ſententia nondum exiſtat à parte rei, nec ſit prolata, neque operatur ſuum effectum, neque habet paratam executionẽ: quia quod non eſt, operari non poteſt: Ergo cum aliàs appellatio interpoſita transferat cauſam ad alium Iudicem, ſuſpendit Iuriſdictionem Iudicis à quo, & impedit effectum ſententiæ ab illo proferendæ. Rurſus ſententia cenſuræ lata abſolutè, antequam proferatur non habet maiorem vim, quàm ſententia lata ſub conditione, ante impletam conditionem; imo habet minorem: Sed appellatio legitimè interpoſita impedit executionem iſtius, vt dictum eſt; igitur à fortiori ſuſpendet executionem illius.

8 Dico secundò; neque † appellatio interposita à censura lata, impedit vel suspendit denuntiationem hominis incursi à Iudice faciendam. Hæc conclusio est communiter recepta à Doctoribus, & colligitur ex dictis capitibus, *Pastoralis §. verum de appellationibus cum contingat, de officio delegati*, & *is qui, de sententia excommunicationis in sexto*: Cum † hoc tamen discrimine, notat Suarius *disp. 3. citata, section. 15. num. 18.* quod si fuerit Iudex ordinarius, poterit etiam post interpositam appellationem, & admissam, denuntiare excommunicatum, suspensum siue interdictum; quia iam lata sententia operata est suum effectum, & denuntiatio non excommunicat, nec suspendit, v. g. sed declarat hominem fuisse in talem censuram incursum. Subdelegatus autem Iudex debet procedere ad denuntiationem ante admissam appellationem; nam post illam admissam, iam desiit esse Iudex in illa causa, ex *cap. Pastoralis, §. Præterea, & §. cum autem, de officio delegati*, & Abbate *ibidem*. Et hic est primus casus, qui excipitur ab illa vniuersali regula in præallegatis capitibus assignata.

Secundus casus ab illa regula excipiendus est; quando censura est nulla, siue inualida. Pro
9 cuius declaratione sciendum est, † censuram aliquam posse suspendi à suo effectu, vno ex tribus modis recensitis à Suario *vbi supra disp. 6. section. 4.* Primus modus suspendendi effectum censuræ est per appellationem. Secundus est per dispensationem, & Tertius ad consensum partis. Quorum primus non habet locum, vt dictum est, quando censura est lata per sententiam executiuam, quæ affert secum paratam executionem ex præallegatis canonibus, nisi appellatio interponatur ante sententiam latam: & tunc impedit potius ipsam censuram. Secundus verò qui est, per dispensationem, intellige solius Papæ, per quam fieri potest (licet oppositum sentiat Couarruuias *in cap. Alma mater part. 1. §. 1.*) quod excommunicatus manente excommunicatione, communicet licitè cum aliis in ciuilibus ac diuinis, & faciat alios actus sibi per excommunicationem prohibitos, sine absolutione: & quod collatio beneficij facta excommunicato valeat, &c. eò quòd isti effectus sunt solùm de Iure Ecclesiastico, sed communi totius Ecclesiæ, in ipsa institutione censurarum. Propterea enim excommunicatus siue suspensus ab vno Episcopo, vbique est vitandus, & vbique est suspensus, secluſa dispensatione, quam proinde solus Papa potest in huiusmodi effectibus facere: quia solus ille potest in Iure positiuo communi totius Ecclesiæ dispensare. Nec tamen diffiteor, quod Episcopus possit dispensare cum illo, qui à principio excommunicatus obtinuit aliquod beneficium, ac proinde collatione inualida, postea illud validè retineat præmissa absolutione, hoc est potest facere vt collatio, quæ à principio fuit nulla, postea valere incipiat post absolutionem ab excommunicatione: quod quidem non est propriè impedire effectum excommunicationis, siquidem illa iam suum effectum operata fuerat, sed est adhibere illi remedium. Neque enim de ratione censuræ est, carere omni humano remedio: & quod hoc secũdum possit Episcopus, colligitur *ex cap. Postulastis, de Clerico excommunic. minis.* Secus autem primum; etsi Glossa ibi. *V. dispensatum* minus probabiliter colligat, etiam primum posse fieri ab Episcopo.

De tertio denique modo, scilicet ad consensum partis, dicendum est, quod quando † debi- 10
tor. V. g. ad consensum partis creditoris absoluitur, provt est in praxi, tunc non tollitur effectus censuræ in sensu composito & illa manente, sed potius tollitur ipsamet censura pro tali tempore, vel sub tali conditione infra tale tempus explenda, per absolutionem ad reincidentiam vt vocant. Nam si infra consignatum tempus non impletur conditio, vt si debitor non soluat, iterum relabitur in excommunicationem latam contra ipsum. Igitur hoc supposito dicimus, quod quando censura est nulla siue inualida, potest impediri per appellationem eius denunciatio, nedum in foro conscientiæ, in quo certũ est tunc reum denunciari non posse à Iudice Ordinario secluſa ignorantia inuincibili; Sed etiam in externo foro, ad hunc sensum, quod licet appellando & allegando censurã esse nullã adhuc denuntiari possit, admittendus tamen est ad probationem, probandóque censuram esse nullam & inualidam, tunc Iudex tenetur declarare tam censuram ipsam, quàm eius declarationem fuisse nullam, *ex cap. cum contingat, de officio delegati.*

Tertius casus est quem excipit Vgolinus citatus à Suario *vbi supra, ex cap. dilectis de appellat.* nimirum quando censura lata est contra ignorantem, cuius ignorantia talis sit vt excuset à culpa, & consequenter à censura in vtroque foro, si in externo de illa constiterit: & tunc appellatio interposita impedit denuntiationem; intelligere ad hunc sensum, quod tunc impeditur denunciatio, quia impeditur effectus censuræ: sed non tam in vi appellationis interpositæ, quàm in vi iustæ ignorantiæ.

Dico Tertiò; bene etiam potest † appella- 11
ri cum effectu suspensiuo à sententia censuræ, V. g. excommunicationis, non lata absolutè, sed tantùm declaratoria, per quam scilicet declaratur quis incurrisse excommunicationem, & denunciari ac vitari præcipitur. Quam assertionem quoad sententiam latam sub conditione, relinquimus iam probatam ex præcedenti conclusione: Quoad alteram verò partem de sententia declaratoria, tenet Nauarrus *in cap. Cum contingat, de rescriptis causa, 10.* & Couarruuias *in cap. Alma mater 1. part. §. 10.* & Suarius *vbi supra*, & idem Nauarrus *lib. 5. consiliorum, titul. de sententia excommunicationis consilio 20.* Cuius hanc rationem assignat: quod licet appellatio interposita à sententia lata excommunicationis, non suspendat eius executionem, bene tamen à sententia declaratoria, ita vt appellatione pendente nihil obsit appellanti, quia licet à facto notorio non possit quis appellare, bene tamen à sententia Iudicis declarante factum esse notorium: quia potest iudex iniustè declarare iuxta Glossam communiter receptam *in c. cupientes de electione in sexto.* Pro cuius maiori luce sciendũ est, quod in omni cẽsura lata à Iure & quæ contrahitur ipso facto ante Iuridicam eius denuntiationẽ, debet præcedere sententia declaratoria criminis, qua declaretur à Iudice hũc hominẽ esse reũ talis criminis, & ex cõsequenti in censurã Canonis incidisse. ex eo tẽpore quo

commisit

commisit crimen. Vnde post huiusmodi sententiam declaratoriam, bene potest appellatio interponi & impedire denunciationem & eius effectum; eò quòd talis sententia neque excommunicat, nec directè declarat excommunicatum v.g. sed reum criminis, donec circa ipsam criminis declarationem proferatur à Iudice sententia diffinitiua & executiua, tollens omnem suspensionem, quam operata fuerat appellatio: haud nisi sit notorietas facti, ita vt nulla tergiuersatione celari posset: nam tunc non est admittenda appellatio, quia esset naturaliter appellari à pœna Canonis, & velle eam eludere; quod non est admittendum: vt cõtigit in manifesto & notorio Clerici percussore, post Extrauagantem *ad euitanda* Concilij Constancien sis: cuius friuola esset appellatio ad effectum effugiendi canonis pœnam. Quæ doctrina colligitur ex Glossa *in d.cap. cupientes*, Innocentio *in c. Pastoralis §. verum de appellat.* Felino, Panormitano, Nauarro, & Couarruuias *vbi supr.* communiter receptis.

Sed pro huius disputationis complemento duo sunt adnotanda. Primum quidem circa id
12 quod diximus de † appellante cum fraude & dolo; nimirum quod talis appellatio ideo est repellenda vt friuola & iniusta, quia non est vera defensio, sed Iudicij & Iudicis offensio: & nihilominus in foro externo operatur aliquo modo effectum suspensiuum, donec probetur talis defectus. Nisi sit in causa, in qua secundum Iura non datur locus appellationi, vt in causa fidei, vel Religiosi, quando secundum regulam corrigitur, vt habetur *in cap. ad nostram*, & *cap. reprehensibilis de appellat.* & notat Paludanus *in 4. d. 18. q. 1. art. 4. conclusione 2.* cum aliis quos citat & sequitur Suarius *vbi supra*, & in casu nuper citato, de sententia lata censuræ executiua, aut facti notorietate, &c.

13 Secundum est, † plures esse modos quibus sententia censuræ redditur nulla & inualida, quos videre licet in Syluestro, & Angelo V. *excommunicatio 2. & 3.* Antonino *3. part. tit. 24. cap. 73. §. 1.* Paludano *vbi supra*, & Suario *disputat. 4. section. 7. à num. 38.* qui tamen ad hos tres congruentes reduci possunt, nimirum ad defectum Iurisdictionis: vel ad interpositam appellationem ante sententiam latã, siue suspẽdentem eius executionem, vel ad intolerabilem errorem contentum in sententia lata: vt si iubeat fieri aliquid manifestè iniustum, aut contra bonos mores & legem Dei. Vel ad hos tres cum prioribus coincidunt, scilicet ad defectum Iurisdictionis: ad defectum ordinis Iuridici substantialis, & ad defectum causæ legitimæ.

Hiis addere licet, quod scitè adnotauit Nauarrus *titul. de sententia excommunicationis, consilio 30. & 56.* nimirum quod licet excommunicatio & aliæ censuræ latæ sine monitione & præuia citatione valeant ipso iure, & appellatio interposita non suspendat eas neque earum effectum, licet deuoluat iurisdictionem ad Superiorem *ex cap. Pastoralis de appellation.* & *Sacro, de sententia excommunicationis.* Verùm declaratio, quod quis incurrit illas, facta sine citatione non valet, & appellatio interposita suspendit eam & eius effectum, iuxta Glossam *in Clementina 1. de censibus*, & Glossam *in cap. cupientes, de electione in sexto*, & Felimum super *cap. Rodulfus de rescriptis n. 41.*

DIFFICVLTAS V.

Vtrum appellatio interposita aliquando operetur effectum in possessione siue manutentione semel obtenta?

SVMMARIVM.

1 *Apellatio quantumuis legitimè interposita & intra tempus iure præscriptum, nullatenus operatur effectum suspensiuum in possessione siue manutentione alicui per sententiam adiudicata.*

2 *Referuntur quædam causæ, super quarum sententiis non admittitur appellatio, maximè quantum ad effectum suspensiuum.*

3 *Appellatio habet effectum suspersiuum respectu possessionis & manutentionis, quando simul in iudicio lata est sententia de vtroque articulo, scilicet proprietatis aut possessionis; aut quando possessio est turbida, dubia & obscura, &c.*

4 *Resoluitur casus Monacharum quarundam Cistercien sium, quæ prætendebant se à sui Generalis obedientia eximere, propter defectum eiusdem seruandi quasdam conditiones fundationis à principio obseruatas.*

5 *Referuntur tres sententiæ super hoc casu ab Illustrissimo Nuncio latæ.*

6 *In dicto Patre Generali Ordinis Cistercien sis non vigere possessionem & manutentionem, circa dictum Monasterium Monialium, triplici argumento probatur.*

7 *Censuræ latæ à Commissario dicti Patris Generalis sunt inualidæ in vtroque foro, & iis proinde Abbatissa & Moniales non tenentur obedire.*

8 *Nihilominus, quia sententia Pastoris, siue iusta siue iniusta, timenda est; tenentur dictæ Moniales ad obuiandum scandalum, aliquo iuris remedio vti.*

1 IN hoc dubio dico Primò; † Appellatio interposita quantumuis legitimè & intra tempus iure præscriptum, nullatenus operatur effectum suspensiuum in possessione siue manutentione alicui ex litigantibus per sententiam adiudicata. Quæ conclusio est communiter à Iurisperitis recepta & vsu ipso ac praxi inuiolabili confirmata. Nam experientia compertum est, quod dum in quouis tribunali & Senatu Regio manutentio siue possessio Maioratus, super quo agitatur lis, vni ex litigantibus per sententiam adiudicatur, ei non adimitur vsque ad vltimam sententiam: per quam aut possesso confirmatur in proprietate, & tunc simul confirmatur in possessione, aut si ei adimitur proprietas & confertur alteri, tunc & non antea expoliatur à possessione. Imo iuxta praxim nostræ Hispaniæ, manutentio Maioratuum confertur per supremi Senatus Regij sententiam. Articulus autem proprietatis litigatur postea in Cancellariis. Idem suo modo in tribunalibus

Eccleſiaſticis obſeruatur: nam poſtquam quis obtinet manutentionem ſiue poſſeſſionem beneficij, officij, iuris, vel dignitatis Eccleſiaſticæ, vſque ad vltimam ſententiam totius litis terminatiuũ, ea non expoliatur. Cuius etiam optima ratio eſt, quod appellatio non ſuſpendit ſententiam quæ ſecum affert paratam executionem: nam propterea diximus *difficultate præcedenti*, non ſuſpendi per appellationem ſententiam latam excommunicationis, aut alterius cenſuræ, quia hæc affert ſecum paratam executionem, ita vt quando aduenit appellatio, iam ſententia lata ſortita eſt ſuum effectum, qui proinde per ſuperuenientem appellationem tolli, aut ſuſpendi non poteſt. Sed etiam ſententia lata ſuper articulo poſſeſſorio, ſecundum iura affert ſecum paratam ſuam executionem: ergo ab illa non eſt admittenda appellatio, neque admiſſa habet effectum ſuſpenſiuum. Pro cuius maiori
2 declaratione ſciendum eſt, † aliquas eſſe cauſas ſuper quarum ſententiis non admittitur appellatio, maximè quantum ad effectum ſuſpenſiuum; cuiuſmodi ſunt cenſuræ de quibus ſemel lata eſt ſententia: & aliæ recenſitæ *difficultate præcedenti*. Quibus adiungitur à Concilio Tridentino *ſeſſ. 24. cap. 10. de reformatione*, cauſa correctionis & viſitationis per Epiſcopos facienda: quorum ſententias ſuper huiuſmodi articulis decernit Concilium eſſe executiuas, miniméque per appellationem ſuſpendi earum executionem, ſub hiis verbis. *Epiſcopi vt aptius quem regunt populum poſſint in officio atque obedientia continere, in omnibus hiis quæ ad viſitationem, ac morum correctionem ſubditorum ſuorum ſpectant, ius & poteſtatem habeant, etiam tanquam Apoſtolicæ Sedis delegati ea ordinandi, puniendi, & exequendi, iuxta Canonum Sanctiones, quæ illis exprudentia ſua pro ſubditorum emendatione, ac Diœceſis ſuæ vtilitate neceſſaria videbuntur. Nec in hiis, vbi de viſitatione aut morum correctione agitur, exemptio, aut vlla inhibitio, appellatio, ſeu querela, etiam ad Sedem Apoſtolicam interpoſita, executionem eorum, quæ ab hiis mandata, decreta, aut iudicata fuerint, quoque modo impediat, aut ſuſpendat.* Cùm igitur de horum numero ſit articulus poſſeſſorius ſecundum Iura, propterea neque reſpectu illius appellatio habet effectum ſuſpenſiuum.

Dico ſecundò; bene tamen † appellatio habet effectum ſuſpenſiuum, reſpectu poſſeſſionis & manutentionis, quando ſimul in Iudicio actum eſt de vtroque articulo, ſcilicet proprietatis & poſſeſſionis, & ſuper vtroque lata eſt ſententia. Aut quando ex alio capite poſſeſſio eſt dubia, turbida, & obſcura aut extincta, quæ proinde per alios actus ſubſequutos non conualeſcit. Prima pars aſſertionis eſt diffinita ab Innocentio III. *in cap. cum dilectus, de cauſa poſſeſſionis & proprietatis*; vbi ſic habet. *Cum dilectus, &c.* & infra. *Ad quartum breuiter reſpondemus, quod cum ſuper poſſeſſorio & petitorio ſimul eſt actum: vtrumque vna ſententia debet terminari. Sed licet in pronunciatione ſit poſſeſſio præmittenda, in executione tamen debet proprietas præualere*: id eſt, licet ſecundum ordinem Iudicialem pronuntietur prius ſententia circa poſſeſſionem, verumtamen in executione proprietatis præualere debet, quam proinde ſubſequitur poſſeſſio: hoc eſt, confertur ei, cui adiudicatur proprietas. Idem etiam habetur *in leg. etiam ff. de minoribus*, ſecundum Bartholum: in eodémque ſenſu dictum textum interpretantur, & eius ſententiam ſequuntur Menochius *de retinendæ poſſeſſionis remedio, 3. à num. 845.* Scaccia *tractatu de appellationibus quæſt. 17. limitatione 6. memb. 9.* Molina *de Hiſpaniæ primogeniis lib. 3. cap. 13.* & Salgado *de protectione Regia 2. part. cap. 7. à num. 88.* Cuius ratio à priori eſt, quia ſententia tunc ſpecificatur & denominatur à potentiori parte, cui magis incaleſcit, & non à parte acceſſoria & ſecundaria: dum autem ſimul agitur in Iudicio de proprietate & poſſeſſione, & ſuper vtrumque fertur ſententia diffinitiua, principalior & potentior eſt proprietas, ad quam ſe habet poſſeſſio vt ſecundaria & acceſſoria: ergo hæc debet conſequi ad illam, & non econtra: ac proinde appellatio impediens proprietatem, ſimul & impediet poſſeſſionem. Deinde ſecunda pars probatur, quia quando poſſeſſio ſemel collata per priorem ſententiam eſt turbida & obſcura ſiue dubia, aut ſemel per aliquem actum extincta, idem eſt ac ſi eſſet nulla, eò quòd de hiis quæ non ſunt & quæ non apparent, neque in foro externo probari poſſunt, eadem eſt ratio per legem *duo ſunt Titij ff.*

Hinc colligitur † reſolutio illius caſus, qui 4
hiiſce temporibus contigit in quodam Monaſterio Monacharum Ciſtercienſium, inter quas & eiuſdem ordinis Reuerendiſſimum Generalem, fuit lis excitata coram Illuſtriſſimo Nuncio Hiſpaniæ: illis quidem prætendentibus ſe à ſui Generalis obedientia eximere, eò quòd quaſdam conditiones fundationis à principio acceptatas & obſeruatas non ſeruauerit: iſto verò prætendente dictum Monaſterium ſub ſua obedientia retinere iure poſſeſſorio: eò quòd ad dictas conditiones ſeruandas non teneretur, vtpote ſui ordinis regimini circa Moniales motibus propriis Pontificiis & conſuetudine firmato contrarias. Super † quo tres ſententiæ ab Illuſtriſſimo 5
Nuntio fuerunt latæ. Prima quidem anno præterito 1638. per quam fuit data poſſeſſio & manutentio dicto Patri Generali abſolutè & ſine vlla reſtrictione, ſicut illam habebat antea. Quæ tamen deuoluta ad ſupremum Senatum Regium, per viam violentiæ fuit annullata & reſciſa. Vnde poſt tranſactos aliquot menſes, protulit idem Illuſtriſſimus Nuntius ſecundam ſententiam ſuper eodem articulo manutentionis & poſſeſſionis, cum limitatione, conferendo illam dicto Patri Generali, reſeruando tres articulos; ſcilicet ne in illis fieret innouatio, nimirum circa electionem Abbatiſſæ eiuſdem Monaſterij, nominationem Oeconomi, & Confeſſarij: hoc eſt, ne dictus Pater Generalis faceret electionem Abbatiſſæ coarctatam, obligando ſcilicet Moniales vt ex tribus à ſe propoſitis eligerent vnam; & ne nominaret Oeconomum ſecularem, qui bona Monaſterij adminiſtraret; & ne poneret eis Confeſſarium regularem ſui ordinis: quia in hiis tribus articulis aduerſabantur fundationi, & propter quos mota fuerat lis, & dictæ Moniales ſe ab obedientia ſui Generalis eximere prætendebant, illámque dare (provt de facto dederunt) Abbati Collegij S. Vincentij Benedictino, Iure deuolutiuo: vtpote quem ipſa Fundatrix Monaſterij in inſtrumento fundationis ad regimen

eius

eius vocabat in defectu adimpletionis conditionum stabilitarum. A qua sententia vtraque pars appellauit in sibi præiudicialibus: & interim Commissarius dicti Patris Generalis prosequens suam qualemcumque manutentionem, procedens ad faciendam instantem electionem Abbatissæ, eam tentauit facere coarctatam, quam tamen opere non compleuit, ob maioris partis Conuentus resistentiam. Ob quam violetiam Illustrissimus Nuncius sua commissione delegata Cancellario Vniuersitatis Salmantinæ, iussit fieri dictam electionem liberam, iuxta huiusmodi articuli reseruationem in sua secunda sententia factam, qui & dicta commissione vtens, mandatum Illustrissimi Nuncij compleuit, liberam electionem Abbatissæ dirigens: ipsáque Abbatissa sic liberè electa, & ab Illustrissimo Nuncio confirmata Conuentui præsidet, & clauum regiminis tenet.

Post hanc secundam sententiam protulit Illustrissimus Nuncius tertiam, in qua dicit non esse locum manutentioni peritæ per dictum Patrem Generalem, & quod amplectens negotium principale (fuerat enim in hoc tempore intermedio per vtramque partem prosequuta causa tota, simul cum negotio principali scilicet proprietatis) diffinit, quod dictæ Moniales permaneant sub obedientia Patris Generalis Cistercienſis Ordinis, dummodo seruet conditiones fundationis, cum quibus à principio dictum monasterium sub sua obedientia acceptauit, & quas Patroni laici consanguinei fundatricis (est enim dictum monasterium laici patronatus) constanter petierunt & petunt obseruari. A qua similiter sententia diffinitiua, vtraquè parte in sibi præiudicialibus appellante, interim per speciale rescriptum Summi Pontificis inhibitus fuit Illustrissimus Nuncius, & commissa fuit causa in integrum Episcopo Ciuitatensi, qui dictam commissionem acceptans, Commissarium dicti Generalis inhibuit, ne in aliquo articulo innouaret: & ad causæ cognitionem processit. Dum autem procederet, dictus Commissarius innouauit, vtens præsumpta manutentione, Abbatissam dicti Monasterij per censuras, vsque ad cessationem à diuinis compellendo, vt sibi & suo Generali obedientiam præstaret secundum morem, quo Moniales Cistercienſis ordinis illam præstare solent. Qua renitente & negante ei præsumptam manutentionem, allegantéque se obedientiam Illustrissimo Nuncio iam præstitisse, cuius commissione & iussu fuerat electa iuxta conditiones suæ fundationis, scilicet electione libera & per ipsum Illustrissimum Nuncium confirmata: per aliud rescriptum superueniens à Procuratore Cisterciẽsis Ordinis Romæ obtentum, auocata est causa ad Rotam, cum citatione partium & inhibitione quorumcumque aliorum Iudicum, quin fiat in illo mentio vlla de manutentione aut possessione. Stante igitur negotio in hoc statu quæsitum fuit, Vtrum huiusmodi manutentio in dicto Generali & eius Commissario permaneat, itavt censuræ ab illo latæ sint validæ, eisque Abbatissa & consortes obedire teneantur?

Pro cuius declaratione dico primò: probabilius esse censeo, quod † in prædicto Patre Generali Ordinis Cistercienſis, non viget manutentio & possessio circa dictum monasterium
6 Monialium, quam prætendit & præsumit se habere. Et probatur primò, quia per dictas sententias & appellationes, maximè per vltimam Illustrissimi Nuncij, qua diffinitiuè totam causam amplexus est, nedum dubia, & turbida, vt vocant Iuristæ, talis possessio mansit, sed etiam extincta fuisse videtur ex prælegato *cap. Cum dilectus, &c.* Secundò, quia constat ex publico instrumento in actis processus allegato, quod dictus Generalis anno 1581. interueniente mandato Episcopi Diœcæsani, ob vitanda quædam inconuenientia in dicto Monasterio experta, ad eiusdem & Patronorum instantiam, possessionem & iurisdictionem, quam vsque tunc exercuerat, omnino reliquit & suo Iure renunciauit: interueniente quoque in eodem instrumento acceptatione huius renunciationis ex parte dicti monasterij. Ex quo tempore extincta omnino mansit in dicto Patre Generali talis possessio & iurisdictio, quæ postea per nullum contractum fuit ei concessa aut repetita, quia nullus interuenit de nouo inter partes; sed postea tractu temporis ipse Pater Generalis se introduxit in dicti monasterij regimen, eius Monialibus tantùm permissiuè se habentibus, cum eo animo semper, vt dictus Generalis neutiquam contra conditiones fundationis innouaret: provt de facto tamen innouauit in illis tribus conditionibus ab Illustrissimo Nuncio in sua secunda sententia reseruatis: quod autem à principio est nullum, postea solo temporis tractu non conualescit, iuxta regulam iuris *in 6. Non firmatur tractu temporis, quod de iure ab initio non subsistit.*

Tertiò probatur ex eodem facto: nam postquã dicta possessio & manutẽtio fuit amissa per dissolutionẽ primi contractus, postquã mansit vitiata & extincta in sua prima radice & origine, ex nullo capite potuit conualescere aut resurgere: non quidẽ ex parte dicti Patris Generalis, quî non potuit obtinere id quod iudicialiter reliquit; neque ex parte Monacharum, quæ nullum cum illo admissionis celebrarunt contractum, sed tantùm permissiuè se habuerunt vt dictum est: ergo. Vltimò probatur quia dum Commissarius dicti Patris Generalis interfuit authoritatiuè electioni Abbatissæ dicti monasterij, illam tentauit facere coarctatam, hoc est cogendo Moniales vocales ad eligendum vnam ex tribus à se propositis, contraueniendo sententiæ secundæ Illustrissimi Nuncij, & transgrediendo terminos manutentionis sibi concessæ in eadem sententia, cum reseruatione trium articulorum, quorum vnus erat electio coarctata. Vnde voluisse intromittere in manutentionem in integrum, hoc est etiam in articulis reseruatis: ex quo videtur totam manutentionem amisisse, hoc est etiam in reliquis articulis sibi concessis, iuxta illam regulam Iuris Ciuilis: *qui non facit quod debet, non recipit quod oportet*, & ex leg. *Si non fuerit, de iure iurando.*

Dico secundò: cum eadem probabilitate tenendum est, † censuras latas à Commissario 7
dicti Patris Generalis esse inualidas in vtroque foro, & eis proinde non teneri Abbatissam & Moniales obedire. Hæc assertio probatur Primò, quia vnus ex tribus modis recensitis *difficultate præcedenti*, quibus censura lata redditur nulla & inualida, est per defectum iurisdictio-

nis, vt ex communi sententia probat Suarius *vbi supra, disput. 4. sectione 7. num. 38.* Quapropter cum in dicto Commissario & eius Generali defecerit talis iurisdictio erga dictum monasterium, ex eo quod manutentio & possessio per vltimam & diffinitiuam sententiam Illustrissimi Nuncij, fuerit iste articulus possessionis absorptus in articulo principali proprietatis, & appellatio interposita operata fuerit in illo effectum vtrumque, scilicet deuolutiuum & suspensiuum : Consequens est defeciſſe in illis certam & fixam iurisdictionem, ob cuius defectum necesse est censuras latas fuisse nullas & inualidas in vtroque foro : quod enim non existit, neque aliquid validum operari potest.

Secundò excusantur dictæ Moniales propter metum iustum à culpa & à censuris, in non parendo, etiam gratis admisso quòd essent validæ. Nam iustè & rationabiliter timent dictæ Moniales, quod semel admissa prætensa possessione, & præstita obedientia dicto Patri Generali & eius Commissario ab Abbatissa, iuxta morem Ordinis Cistercienſis, quam ab ab illa per latas censuras contendit Pater Commissarius extorquere, impediet monasterio prosequutionem litis in articulo principali, scilicet proprietatis ; quia hoc est eorum nedum tacitum, sed propalatum intentum : nec non quod contrauenient dicti Patres conditionibus fundationis, & introducent se in possessionẽ ex integro ipsis semel & iterũ duabus sententiis denegatam: siquidem hoc ipsum iam semel aperto Marte Commissarius intentauit, dum interfuit electioni Abbatissæ, cogendo Moniales ad electionem coarctatam vt dictum est. Nec non quod alias molestias eis ingerent, quorum metus in fœminis etiam constantibus est grauis, ac proinde sufficiens eas à culpa inobedientiæ excusare coram Deo & hominibus, & consequenter à pœnis censurarum : quæ cum pœnæ simpliciter sint, supponunt culpam in transgressoribus, vt ex communiter recepta doctrina tradit Suarius *disputat. citata sectione 3. n. 12.* Vnde in foro conscientiæ dictæ Moniales quæ dicuntur inobedientes, sunt securæ, multóque magis & aliæ oppositæ partialitatis acceptantes obedientiam, in communicando cum illis tam in ciuilibus quam in sacris Officiis, eò quòd prohibitio talis communicationis cum excommunicatis & interdictis non tenet, quando adest metus grauis amittendi alimenta Monasterij, aut patiendi molestias, quas eis Abbatissa ingeret & incutiet, si à tali communicatione abstinerent.

Dico tertiò & vltimò : † nihilominus quia 8
in foro exteriori habet verum illa sententia Gregorij *homil. 26. in Euangelia*, relata à Gratiano *in decretis 11. quæst. 3. cap. 1. Sententia pastoris, siue iusta siue iniusta, timenda est* ; propterea ad obuiandum scandala, tenentur vti aliquo remedio Iuris. Cuius ratio est, quia dictum Gregorij, etiam habet verum, quando sententia pastoris siue Iudicis non solùm est iniusta, sed etiam quando est nulla : de cuius nullitate aliis subditis non constat. Nam adhuc tunc est timenda, vt benè notat Suarius *vbi supra sectione 3. num. 41.* ita vt neque tunc sit contemnenda cum scandalo aliorum, qui sententiæ nullitatem ignorant. Ergo necesse est, vt dictæ Moniales non obedientes censuris latis, auferant aliarum subditarum scandalum, quod vno ex duobus modis vel vtroque præstabunt : nimirum aut faciendo eis notam per prudentum & sapientum Iudicia, latæ sententiæ nullitatem : aut etiam vtendo medio recursus per viam violentiæ, hoc est recurrendo ad Regium tribunal siue Cancellarium, formando querelam de huiusmodi violentiis, vt eas auferat & reponi faciat, dum recurrunt ad sacram Rotam, cui est aduocata tota causa, ab eáque petunt inhibitionem, &c.

DISPVTATIO V.

In quo peccent Actores, & Auditores Comædiarum, aut à peccato excusentur ? in tres Sectiones diuisa.

SECTIO I.

Comædias agere, & audire, non esse opus de se malum.

SVMMARIVM.

1 *Comædias agere aut audire, non est opus de se & ab intrinseco malum & inhonestum.*
2 *Referuntur tria testimonia, quæ contrariæ sententiæ videntur fauere.*
3 *Respondetur testimoniis adductis, probatúrque nullum ex iis assertionem supra memoratam eneruare.*
4 *Vtrum peccent lethaliter Auditores Comædiarum, qui suis stipendiis alunt histriones permanentes in peccato scandali, tam pernicioſum munus exercentes.*
5 *Audire scenicos ludos aut jocos, aut eis assistere, non est de se opus peccaminosum.*

IN hac Sectione statuimus pro conclusione communiter recepta, quod 1
† Comædias agere aut audire, non est opus de se & ab intrinseco malum & inhonestum. Quam suadeo primò ex illo notissimo principio in materia de peccatis : quod opus de se & ab intrinseco malum, moraliter nunquam potest honestari ; quia oppositum eius

quod

quod alicui conuenit secundum se, nunquam neque per se neque per accidens potest illi conuenire: qua ratione actus odij Dei, furtum & mendacium, nullatenus possunt honestari, quia sunt actus per se & intrinsecè mali ac deformes, de numero illorum qui dicuntur prohibiti, quia in se sunt mali. Sed comedias agere & audire, potest aliquando honestari & fieri sine peccato: ergo non est opus per se & ab intrinseco malum moraliter. Minor patet, quia isti sunt motus exteriores ludrici & locosi, hoc est ad ludum pertinentes, qui proinde possunt fieri secundum rationem ac virtutem, à qua sunt ordinabiles. Vnde & Philosophus *lib.4. Ethicorum cap.8.* ponit virtutem Eutrapeliæ circa ludos: quam D. Thomas *22. q.168. art.* appellat iucunditatem, & numerat inter partes modestiæ: Motus autem qui possunt fieri secundum virtutem & ordinari per rationem, non sunt intrinsecè mali; ergo. Secundò probatur ab inconuenienti: nam aliàs officium histrionum, scilicet huiusmodi comædias agentium & repræsentantium, esset de se illicitum & damnabile, & ipsi histriones essent in statu peccati, quandiu tale officium exercent, ac sunt in animo exercendi, siquidem perseuerant in animo & proposito exercendi opus intrinsecè malum: Consequens autem esse falsum patet; quia oppositum docet D. Thomas *22. q. proximè citata art.3. ad 3.* sub hiis verbis. *Ad tertium dicendum, quod sicut dictum est art. præcedenti; ludus est necessarius ad conuersationem humanæ vitæ: ad omnia autem quæ sunt vtilia conuersationi humanæ, deputari possunt aliqua officia licita, & ideo etiam officium histrionum quod ordinatur ad solatium hominibus exhibendum, non est secundum se illicitum: nec sunt in statu peccati, dummodo moderatè ludo vtantur, idest non vtendo aliquibus verbis illicitis, vel factis ad ludum: & non adhibendo ludum negotiis & temporibus indebitis.* Tertiò probatur, satisfaciendo † duobus 2
vel tribus testimoniis quæ contrariæ videntur fauere sententiæ. Primum est Philonis Iudæi *in lib. de relegatione ad Caiũ*, vbi duos iocatores, ideſt Truanes Caij Imperatoris, damnat ac vituperat ab officio, scilicet Heliconem, & Appellem, sub hiis verbis. *Scenici autem quorum est negotium & studium, vt theatris placeant profligato pudore, probris & turpitudini sunt deditissimi, quibus artibus Appelles peruenit in consiliatorum ordinem, &c.* Secundum est Augustini *tractatu 100. in Ioannem*, vbi sic ait: *Donare quippe res suas histrionibus vitium est immane, non virtus; & scitis de talibus, quàm sit frequens fama cum laude: quia sicut scriptum est, laudatur peccator in desideriis animæ suæ, &c.* Sentit igitur Augustinus histriones esse in statu peccati ratione sui officij, siquidem donantes eis bona damnat, quasi fouentes eos in peccato. Qui etiam subdit *lib.3. de ciuitat. cap.7.* scenicos ludos nouam pestem non corporibus, sed moribus à Romanis inuentam. Tertium est Angelici Doctoris *22. q.167. art.1. in corpore*, vbi ex Hieronymo *Epistola ad Damasum* sic ait: *Sacerdotes dimissis Euangeliis & Prophetis, videmus comædias legere, & amatoria Bucolicorum versuum verba cantare*: quod (inquit D. Thomas) est vitium vanæ curiositatis: ergo si comædias legere vitiosum est, à fortiori & eas audire, quippe quæ sic repræsentatæ, fortius phantasiam excitant. Hiis accedit communis Patrum expositio *Geneseos. 2.* asserentium primam comædiam fuisse humanæ fragilitatis initium, ac Diaboli inuentum, in paradisóque repræsentatam, vbi serpens diabolum, Eua carnem, & Adamus rationem quæ carni consensit, repræsentauit.

Sed † nullum testimonium ex adductis enerſ 3
uat nostram assertionem. Non quidem primum, quia illos duos iocatores damnat Philo, non ob officium loquendi iocalia ad placendum & delectandum, quod de se non est malum, & moderatè exercitum potest honestari, vt ostensum est ex doctrina Aristotelis ac D. Thomæ; sed ex prauis circunstantiis quibus illud opus vitiabatur, nimirum quia illicitis factis aut impudicis verbis ad placendum Imperatori, vtebantur: aut etiam ex praua intentione decipiendi Imperatorem, & illum ad crudelitatem & luxuriam inducendi. Neque secundum, quia vt subdit Sanctus Doctor post nuper recensita verba, *in dicta solutione ad 3.* ad idem Augustini testimonium respondens; Illi qui moderatè histrionibus subueniunt, non peccant, sed iustè faciunt, mercedem eorum ministerio debitam, retribuendo. Qui autem superfluè sua bona in tales consumunt, aut etiam sustentant eos histriones, qui illicitis ludis vtuntur, peccant, quasi eos in peccato fouẽtes. Et hos dũtaxat dãnat Augustinus quando dixit, quod donare res suas histrionibus vitium est immane, nisi fortè aliquis histrio (subdit D. Thomas) esset in extrema necessitate: huic enim quantumlibet prauo, esset ex charitate subueniendum, teste Ambrosio *lib. de officiis*; & refertur *in decretis, d.86. cap. Pasce fame morientem*; *quisquis enim pascendo hominem seruare poteris, si non paueris, occidisti.* In loco autem citato *de ciuitate*, loquitur Augustinus de antiquis scenicis ludis, in quibus turpia & crudelia repræsentata simul agebantur. Neque Tertium, quia de solis Sacerdotibus loquitur, quibus multa prohibentur quæ laicis sunt licita, vt venari & negotiari: quibus etiam sic illicitum est phantasiam prophanis lecturis vitiare: Illa verò Patrum expositio allegorica seu methaphorica est. Sed neque illa repræsentatio, quatenus repræsentatio fuit vitiosa, sed ob dæmonis suadentis malitiam, & prauam Euæ & Adami suasioni dæmonis in serpente loquentis consensionem. Hanc nostram sententiam defendunt Diana *p.2. tract. 17. resolutione 35*, Azorius *p.3. lib.5. cap.27. q.7.* Bonacina *de matrimonio q.4. punct.9.* & idem repetit *in compendio suorum operum V. Comædia*; asserentes contra Comitolum *lib. 5. quæst. 21.* comædias audire, & agere recreationis causa, nullatenus esse peccatum; audire autem illas ob vanam curiositatem tantùm esse veniale; etiam id verum esse in Clericis cessante scandalo, quod ratione consuetudinis iam cessauit, reuocatúmque censetur *cap. Clerici 2. de vita & honestat. Clericorum*: vbi Innocentius III. prohibet Clericis adesse Mimorum & histrionum spectaculis; quod quidem caput nec obligabat, secluso contemptu, & scandalo.

Vtrum † autem peccent lethaliter Audito- 4
res comædiarum ex alio fine, videlicet, quia suis stipendiis alunt histriones permanentes in peccato scandali, tam pernicioſum munus exercentes? affirmat Mendoza Iesuita *disp. 173. sectione. 28. §. 367. voluminis 2.* quod limitant Valdellus

Vadellus *lib.5. disput.* 18. & Diana *part. 4. tract. 13. resolut.* 81. ad eos qui primò concurrunt ante sufficiens auditorium, quia isti solùm sunt causa motiua agendæ repræsentationis. Sed ridicula mihi videtur hæc limitatio, quia omnes & singuli Auditores concurrunt & mouent vt causæ partiales, ad repræsentationem agendam. Licet enim histriones sint parati agere comædiam cum sufficienti Auditorio; tamen de facto illam agunt pro omnibus præsentibus, siue ante, siue post aduenientibus: hoc est siue aduenìant aliqui post sufficiens Auditorium præexistens, siue ante illud aduenerint.

Hinc probata manet alia pars assertionis,
5 scilicet quod † neque audire huiusmodi scenicos ludos ac iocos, aut eis assistere, sit de se opus peccaminosum: nam quod licitum est facere ac dicere, etiam est licitum, videre & audire. Sed huiusmodi ludi scenici, & Comædiæ licitè quandoque aguntur ab histrionibus, nimirum quando moderatè fiunt & sine verbis ac factis impudicis: ergo tunc etiam licitè possunt videri & audiri. Consequentia patet: quia nullum opus potest esse magis illicitum ac malum in vidente, aut in audiente, quàm in operante illud: ac proinde si huiusmodi opus in operantibus illud purgatur à vitio, à fortiori in videntibus & audientibus purgabitur à vitio quantum est de se; nisi aliunde per accidens hoc est ex fine aut alia circunstantia vitiosum reddatur in ipsis.

SECTIO II.

Vtrum inspectio spectaculorum ac comædiarum, in quibus turpia repræsentantur, sit mala ac peccaminosa?

SVMMARIVM.

1 *Inspectio spectaculorum vitiosa redditur, in quantum homo per ea quæ repræsentantur, fit pronius ad vitia, vel lasciuiæ vel crudelitatis.*

2 *In spectaculorum inspectione duo concurrunt, scilicet repræsentatio & res repræsentatæ.*

3 *Videntes luxuriosa aut crudelia peccare, tripliciter à Caietano probatur.*

4 *Idem probatur duplici ratione Theologica ex D. Thoma desumpta.*

5 *Referuntur duæ obiectiones huic assertioni contrariæ.*

6 *Expenduntur tres regulæ, quibus dignoscitur, quando licet aut non licet vendere res, quibus aliàs homines ad malum vtuntur.*

7 *Respondetur obiectionibus, singulos casus sigillatim expendendo.*

8 *Respondetur obiectioni, teneri scilicet vnumquemque lege charitatis proximum volentem peccare, à peccato quantum potest auertere.*

IN hac sectione respondeo conclusione affirmatiua: quam expresè tenet D. Tho-
1 mas 22. *q.* 167. *art. ad* 2. dicens, quod † inspectio spectaculorum vitiosa redditur, in quantum per hoc homo fit pronus ad vitia, vel lasciuiæ, vel crudelitatis per ea quæ ibi repræsentantur. Quod confirmat authoritate Chrysostomi *homil. 6. in Matth.* dicentis, adulteros & inuerecundos constitui per tales inspectiones. Eandem confirmat in argumento, *sed contra*, ex authoritate Bedæ super illud 1. *Ioann.* 2. *Omne quod est in mundo, aut est concupiscentia carnis, aut concupiscentia oculorum, &c.* dicentis, concupiscentiam oculorum versari in discendis magicis artibus, & in contemplandis spectaculis. Eandem sententiam prosequitur Caietanus *ibi ad* 2. dum ait, quod in † spectaculorum inspectione 2
concurrunt duo, scilicet repræsentatio & res repræsentatæ. Et quidem quoad repræsentationem non est peccatum secundum se; quia repræsentatio est indifferẽs de se, & potest habere bonum finem; quia cùm delectet naturaliter animum secundum Aristotelem *supra* citatum, potest appeti vt quietatiua animi defatigati. Quoad res verò repræsentatas iudicandum est secundum earum qualitatem: nam si repræsentantur luxuriosa aut crudelia, quæ bonis moribus aduersantur, peccant videntes; sicut econtra si repræsentantur pia aut diuina, quæ congruunt virtutibus pietatis ac religionis, non peccant. Quod autem † peccent videntes luxuriosa aut crudelia, probat Caietanus tripliciter; tum quia huiusmodi obiecta suapte natura sunt inductiua ad similia vitia, vt videtur conuincere authoritas inducta Chrysostomi. Tum etiam quia isti actu exteriori dant operam rei illicitæ, scilicet delectabili præsentiæ de indecentibus, siquidem præsentia illa exterior suapte natura communiter fit, & ordinatur ad delectandum animum non de sola repræsentatione, sed etiam de rebus repræsentatis. Tum denique quia præter hoc grauius peccant viri graues, ratione scandali & mali exempli; grauissimè autem Clerici Sacerdotes, Pontifices & Religiosi: non autem scandalum præberent, nisi rei illicitæ operam darent: ergo. Quam sententiam amplius confirmat exemplum Alippij socij & amici Sancti Augustini, de quo idem Sanctus Doctor refert *lib. 6. Confessionum cap. 8.* quod dum inuitus adesset Romæ gladiatorum ludo, clausit oculos, ne crudele illud spectaculum videret: sed vtinam (ait Augustinus) & aures obturauisset; nam quodam pugnæ casu cùm clamor ingens populi eum pulsasset, curiositate victus oculos aperuit, & cecidit miserabilius, quàm ille, quo cadente factus est clamor. Vt enim videt eum sanguinem, immanitatem ebibit, & deinceps iam delectabatur scelere certaminis, & cruenta voluptate inebriabatur. Sicque captus est insania ludorum gladiatorum, à quibus antea abhorruerat, à quo statu (subdit Augustinus) tanquam ab statu miseriæ & culpæ immanis, manu validissima & misericordissima eruit eum Dominus.

Vltimò † probatur duplici ratione Theologica, desumpta ex D. Thoma *ibi*, & ex Beda relato; 4
quarum Prima procedit sub hac forma. Curiositas circa cognitionem sensitiuam est illa, quæ huiusmodi sensibilium cognitionem ordinat ad aliquid inutile, aut noxium: Sed hæc est peccaminosa pertinens ad vitium curiositatis, quod opponitur virtuti studiositatis, teste D. Thoma in dicto *art. 2. quæstionis* 167. Ergo cùm

inspectio

inspectio huiusmodi spectaculorum, in quibus res turpes aut crudeles repræsentantur, sit species quædam curiositatis ex genere suo, quam Beda *vbi supra* appellat concupiscentiam oculoram in contemplandis spectaculis: Consequens est quod sit peccatum contra virtutem studiositatis ex obiecto, licet ex fine operantis possit alias malitias subinduere, luxuriæ scilicet aut crudelitatis, aut homicidij, si ad fines suorum vitiorum ordinetur. Secunda est; nam qui exponit se proximo periculo peccandi, peccat; iuxta illud *Ecclesiast. 3. qui amat periculum peribit in illo.* Sed huiusmodi spectaculorum inspector ponit se in proximo periculo peccãdi, exequendo scilicet similia facta illis quæ repræsentantur, aut similia vitia exercendo; ergo peccat. Minor patet, quia ad id inducitur & mouetur efficaciter, moraliter nedum verbis, sed etiam exemplis & factis, quæ validiora sunt quàm verba. Si enim solum auditum præbere cantilenis aut verbis lasciuis & impudicis, peccatum est, quia per eas allicitur homo ad actum turpem; quantò magis allicitur per impudica nedum verba, sed etiam repræsentationes, quæ non solis verbis, sed etiam rebus & factis constant impudicis?

5 Sed † contra hanc assertionem obiicitur Primò; quod licet agere, licet & videre & audire: Sed histrionibus licitum est has repræsentationes facere ob bonum finem, scilicet vt delectent inspicientes, & vitam sustentent, qui non habent aliunde vnde suæ necessitati succurrant; ergo & licitum est eas inspicere & audire? Respondetur negando minorem. Nam huiusmodi repræsentationes, de quibus fit sermo, licet ordinentur ad bonum finem operantis, tamen ex obiecto sunt malæ simpliciter, vt docet Diuus Thomas *in dicta solutione ad 3. art. 3. quæstionis* 168. & ideo ex solo fine non possunt honestari: quia bonum ex integra causa, & malum ex quocumque defectu consurgit; quia redditur ludus ille illicitus ex eo quod res illicitas repræsentat ad delectandum inspectores, vtpote eis præbens occasionem peccandi.

Secundò obiicitur; quod licet ornatus mulierum prouocet ad peccandum, tamen artifices qui huiusmodi ornamenta vendunt non peccant. Similiter neque peccat qui vendit agnum Iudæo, licet ei præbeat occasionem & materiã Iudaizandi: similiter neque peccat qui vendit gladium, aut venenum alteri, qui illo vult alterum proximũ interimere, licet ei præbeat occasionem homicidium perpetrandi: eò quòd istæ artes licitæ sunt, & eorum opera venalia. Sed etiam ars histrionum est licita & vtilis Reipublicæ: ergo licet aliis præbeat occasionem peccandi, hoc est per accidens; ac proinde non ex eo debet iudicari illicita repræsentatio ludorum atque comædiarum, ex quibus homines prouocantur ad malum.

Vt huic argumento satisfaciamus, operæ pretium est † expendere tres regulas quibus 6 dignoscitur quando licet aut non licet vendere res, quibus aliàs homines ad malum vtuntur. Prima igitur regula sit. Non licet vendere rem cuius vsus per se est malus, aut quæ per se ad malum vsum refertur. Secunda est, neq; licet alicui vendere rem aliàs indifferentem, in eum finem vt emptor ea malè vtatur. Tertia regula: Licitum est vendere res de se indifferentes, quamuis sciat venditor quod emptor est eis malè vsurus. Prima regula est communiter recepta, & traditur à D. Thoma & Caietano 22. *q.* 164. *art.* 2. *ad* 4. & Maiore *in* 4. *d.* 15. §. 3. & Azorio *lib.* 8. *summæ moralis cap.* 22. *q.* 6. Cuius ratio est quam assignat D. Thomas, quia tunc vendens huiusmodi res, quarum vsus per se malus est, directè præbet aliis occasionem peccandi, vt si venderet idola, aut aliqua ad cultum idololatriæ per se pertinentia. Ex quo principio infert ibi D. Thomas eam artem fore illicitam, quæ ordinatur ad faciendum illa opera, quibus homines vti non possunt absque peccato: ac per consequens artifices talia faciendo peccarent, quia præberent aliis directè occasionem peccandi: puta si quis fabricaret idola, vel aliquid ad idolorum cultum spectans. Eadem autem ratio est de vendentibus huiusmodi res atque de fabricantibus; ergo pariter vtrique peccant.

Deinde secunda regula pariter est communiter recepta à Doctoribus, & eius ratio perspicua est. Quia is qui consentit in peccatum alterius, aut cum eo cooperatur in peccato, re vera peccat: propterea enim facientes & consentientes dicuntur eadem pœna dignos esse, quia vtrique delinquunt. Sed qui vendit rem aliàs indifferentem ad malum finem, reuera consentit in peccatum alterius: ergo eo ipso peccat. Qua ratione peccat qui vendit Iudæo lapides & ligna, ad hunc finem vt Synagogam de nouo ædificet, aut semel dirutam reædificet, in qua Iudaici ritus obseruentur. Nam licet res istæ sint de se indifferentes ad bonum & malum vsum ac finem: possunt enim deseruire ad alias domos ædificandas, qui est bonus vsus, & ad extruendas Synagogas qui est malus vsus: nihilominus vendere eas determinatè ad hunc secundum finem qui est malus, est affectus prauus, & intentio deprauata, vtpote intendens malum finem: ex qua proinde opus ipsum vendendi redditur malum.

Tertia denique regula licet non ab omnibus communiter recipiatur: Verùm à peritioribus admittitur vt vero similior, ac D. Thomæ in loco præallegato conformior; qui propterea subdit, artem illam esse licitam, cuius operibus homines possunt bene & malè vti; cuiusmodi sunt gladij, sagittæ & similia, quorum vsus potest esse sine peccato: imo subdit, quod secundum Chrysostomum *homil.* 50. *in Mathæum*, istæ solæ artes vocandæ sunt, quæ necessariorum & eorum quæ continent vitam nostram sunt constructiuæ. Vnde colligit, non peccare artifices præparantes ac vendentes mulierum ornamenta, quia mulieres licitè se possunt ornare, vel vt conseruent decentiam sui status; vel etiam aliquid superaddere, vt placeant viris, nisi fortè inueniendo aliqua superflua & vitiosa. Nam teste Chrysostomo *vbi supra*, etiam ab arte calceorum & textorum multa abscindere oportet: etenim ad luxuriam deduxerunt necessitatem eius corrumpentes, artem arti malè commiscentes. Ergo cum eadem sit ratio de venditoribus atque de fabricantibus, vt dictum est; Consequens est, quod sicut isti huiusmodi fabricando non peccant; ita neque illi eadem res vendendo peccant.

Hinc † respondetur ad argumentum factum, 7

singulos casus sigillatim expendendos. Et quidem de primo dicendum est, quod ornatus mulierum de se bonus est, aut saltem indifferens ad bonum & malum vsum, ac proinde venditor excusatur à peccato, nisi ob conditionem à D. Thoma notatam, superfluitatis aut curiositatis nimiæ, ad luxum aut lasciuiam potius quàm ad placendum viris, aut ad status decentis conseruationem deseruientis. De Secundo verò dicendum est, neque peccare Christianum vendentem Iudæo agnum, quem scit emere ad ritus Iudaicos, dummodo ad eum finem non vendat, neque eadem praua intentione maculetur, eò quod tunc neque consentit neque cooperatur peccato alterius. Rursus neq ue verbo aut facto Iudæum inducit ad peccandum, neque ei occasionē præbet: sed ipse Iudæus suapte sponte & praua affectu est pronus ad Iudaizandum, & ad hunc malum vsum paratus. Rursus quia vnicuique liberum est, res suas quas habet venales aliis vendere, quando sunt bonæ aut de se indifferentes: neque tenetur exquirere ad quos fines aut vsus emptores eas emant: hæc enim obligatio esset nimis onerosa officiis Reipublicæ ac eorum professoribus, maximè quia si res suas quibuscumque petentibus non vendant, detrimentum & iacturam in bonis suis paterentur, quam nemo pati tenetur ad vitandum malum alterius, nisi ad id ex officio teneatur.

8 Dices: † tenetur vnusquisque lege charitatis quantum sibi possibile fuerit, proximum volentem peccare, à peccato auertere: ergo & Christianus lege charitatis tenetur Iudæum à ritu Iudaico auertere, ei agnum denegando seu non vendendo? Respondetur, neque lege charitatis nos compelli auertere à peccato eum, qui suo praua affectu ad peccandum est paratus siue determinatus; nisi eos dumtax at qui publico funguntur officio, & quibus proinde ex officio incumbit, subditos à delictis & criminibus arcere. Erit nihilominus supererogationis & charitatis opus, si Christianus Iudæo ad Iudaizandum prono, materiam & occasionem subtrahat, agnum non vendendo, etiam cum sui detrimento temporali. De tertio denique casu dicendum est sub distinctione: nam aut petens gladium & venenum est amens, aut est compos & libertate gaudens. Et quidem amenti dare aut vendere gladium siue venenum non licet: quia tunc vendens siue dans ponit eum in occasione sibi aut alteri nocumentū inferendi; neq; etiam licet dare seu vendere ei gladium seu venenum, quia etiam lege charitatis id facere prohibetur: eò quòd lege charitatis tenetur vnusquisque vitare in quantum potest corporale damnum proximi, & eius occasionem remouere. Hæc autem non remouetur in casu posito, nisi denegando ei gladium aut venenum, quæ de se sunt instrumenta illatiua damni corporalis, videlicet homicidij, mutilationis, aut percussionis. Igitur qua lege tenemur ex charitate domus vicini incendium extinguere, si possimus commodè, eadem & ei gladium & venenum denegare, qui pronus vel paratus est sibi vel alteri inferre nocumentum; vt bene notat Azorius *quæst. citata prope finem.* Dices, cur damnum spirituale Iudæo volenti Iudaizare, non tenemur auertere lege charitatis, & tenemur eiusdem corporale damnum vitare? hoc est, cur possumus ei agnum vendere, & non gladium aut venenum, quo velit sibi aut alteri nocumentum corporale inferre? Respondeo primum nos posse licitè, sed non secundum; seu quod primum non lege charitatis prohibetur, bene tamen secundum, eò quòd damni spiritualis ipse solus sua voluntate est causa, cui proinde soli peccatum Iudaismi imputatur: neque agnus venditus à Christiano ad illud peccatum concurrit effectiuè, sed tantùm materialiter, vt materia circa quam, qua pro sua voluntate libera malè vtitur, cum & bene possit illa vti: nocumenti verò corporalis non ipse solus est causa efficiens, sed etiam gladius siue venenum, quæ de se sunt illatiua corporalis nocumenti, quorum proinde traditor siue venditor etiam quodammodo est causa efficiens moralis; quando scit pronum esse emptorem ad tale nocumentum sibi vel alteri inferendum: quia cooperatur effectiuè moraliter nocumento, tradendo instrumenta de se effectiua illius.

SECTIO III.

Quid sentiendum de comædiis provt sunt in vsu, ac de more in nostra Hispania aguntur?

SVMMARIVM.

1 *Vsus Comædiarum in Hispania, provt de facto in illis personatus aguntur, an sit licitus necne?*

2 *Ratio dubitandi pro parte negatiua, tripliciter confirmatur.*

3 *Referuntur Authores qui sentiunt, nec histriones, nec eos qui illorum Comædiis seriò assistunt, fore à peccato lethali excusandos.*

4 *Refertur sententia aliorum Authorum, dicentium vsum Comædiarum esse actum de se indifferentem, fierique malum ex accidenti & circunstantiis.*

5 *Mendoza cum aliis affirmat Magistratus Regios Comædias provt nunc in Hispania aguntur permittentes, lethaliter peccare.*

6 *Quibus non obstantibus, contraria sententia, nisi Comædiæ huiusmodi fiant ex accidenti aut aliqua circunstantia illicita, vera est & pro conclusione tenenda.*

7 *Respondetur argumentis pro parte negatiua adductis.*

1 REstat vt iudicium feramus de † comædiis provt de facto personatus in illis aguntur in nostra Hispania: an sit earum vsus licitus necne? Quod in hac sectione præstabimus. Ratióq; dubitandi à parte negatiua est: quia comædiæ ac repræsentationes provt de more aguntur in nostro Regno, multa admiscent superflua, curiosa nimis in vestibus tam fœminarum, quam virorum, quæ à vitio prodigalitatis & curiositatis vix excusari possunt: admiscent quoque plures cantilenas ac saltationes turpes ad lasciuiam prouocantes, necnon verba amatoria & historias ac fictiones, quibus homines peccare edocētur, atq;

ad

ad fœminas solicitandum valde instruuntur: ergo pariter earum vsus est peccaminosus, atque illarum quæ continent res repræsentatas turpes,aut crudeles; eò quòd non minus quàm istæ ad similia vitia homines excitant, prouocant,& inducunt.

2 Confirmatur † tripliciter;tum quia etiam in illis solent iuuenes fœminarum vestibus indui, & econtra puellæ iuuenum vestimentis amictæ personatus agunt,quod est lege diuina prohibitum, *Deuteron. 22. Non induatur mulier veste virili, nec vir veste muliebri.* Tum etiam quia in illis sæpius histriones verbis ac vestimentis alieni ritus vtuntur, quandoque Iudæorum, quandoque Gentilium & Turcarum ac Maurorum personatus agentes, eorum vestes etiam ritus Iudaici, ac Gentilicij distinctiuas assumunt: quod planè absque peccato fieri non potest, ex quo talem vsum quoque illicitum esse indicatur: ergo.Hiis accedit experientia, quæ vtinam non tam comperta esset, ac cum tanto Christianæ iuuentutis naufragio, quam Confessarij habent plurium & propè infinitorum iuuenum & adolescentium, qui ex vsitatarum comædiarum aspectu & auditu in carnis concupiscentiam exardescunt, ac mulierecularum personatus in eis agentium amore libidinoso capiuntur: imo & zelo crudeli præcipites alij in alios armis irruunt, ex quo conflictu, haud semel mortes contingere;ob quæ & similia damna euitanda Regio decreto à Salmantina hac ciuitate & Academia comediæ abhinc septem annis fuerunt relegatæ.

3 Propter hæc argumenta, sunt qui sentiant † nec histriones,nec eos,qui illorum comædiis seriò assistunt, fore à peccato lethali excusandos.De quorum numero videntur esse Abulensis super 4. *Reg. 5. p.* 44. dum sentit malè de histrionibus,eò quòd acquirãt pecunias per actus illicitos sicut meretrices. Ribera super *Micheæ cap.* 10. *num.* 62. Mariana *tractatu* 3. *de spectaculis*, Ribadeneira *tractatu de tribulatione lib.* 1. *cap.* 11. & Suarius *tom.* 3. *in tertiam partem disp.* 67. *sect.* 2. dum ait histriones esse publicos peccatores, quibus neganda est sacra communio;hij videntur sentire comedias agere & audire, provt nunc aguntur,esse ex obiecto & intrinsecè malum, ac proinde nulla ratione posse à peccato excusari. Eidem sententiæ fauet Petrus Gregorius *in syntagmata iuris parte* 3. *lib.* 39. *c.* 5. colligens ex Authentico *de Episcopis & Clericis*; *quod interesse spectaculis crimen & vitium est*; & ex Vlpiano *leg.* 1. §. *finali de sero corrupt. lib.* 11. *quod in spectaculis nimia est morum corruptio.* Nouissimè subscribit Petrus Hurtado *tom.* 1. *in* 22. *disp.* 76. *section.* 5. §. *vltimo*, dicens officium histrionum provt de more fit in nostra Hispania, lethale peccatum esse, proptereáque ipsos esse in statu peccati lethalis,quia præbent spectatori proximam peccandi occasionẽ.Tum etiam,quia exercere artem qua nullus potest nisi malè vti, vt efficere idola ex officio, est crimen lethale: nisi(subdit limitando hic Neothericus)histriones coacti potestate superioris, aut necessitate compulsi id faciant. Verùm hæc limitatio non placet; nam si exercitium histrionicæ artis per sẽ & ab intrinseco est malum, nulla coactione aut necessitate potest honestari, sicut nec mendacium, periurium & homicidium vlla ratione honestari valent.

Alij sunt † relati *sectione* 1. qui mitiori censura comædiarum actores & spectatores, provt de more aguntur in Hispania, notant. Dicunt enim esse de se actum indifferentem, fierique malum ex accidenti & circunstantiis, à quibus potest purgari, non secus atque libris Catholicorum authorum periculosam doctrinam admiscentibus beneficium expurgationis adhibetur,quo adhibito vtiles fiunt. De horum numero sunt Thomas Sanchez *lib.* 9. *de matrimonio disp.* 40. *num.* 40. dicens,quod est lethale crimen adesse comædiis, vel cum probabili periculo ruinæ,vel cum ex turpi repræsentatione in modo aut in substantia, consurgit de ipsis rebus turpibus delectatio,secus aliàs; Marquez *lib.* 1. *Gubernatoris Christiani,c.* 30. Amaia *lib.* 3. *cap.* 5. Mendoza *q.* 9. *quodlibetica*, *num.* 9. etsi isti duo postremo loco citati non omnino cum prioribus consentiant, quatenus ille dicit tolerandos esse histriones, cum certis conditionibus fere obseruatu impossibilibus; iste verò postquam dixerat comædias de se non esse malas, nisi ex adiunctis circunstantiis, subdit §. 5. concludendo,nihilominus histriones fore relegandos per Regni ac Reipublicæ Magistratus, eò quòd sit gens otiosa & nociua, occasionem præbens peccatis quamplurimis. Econtra verò lex *Athleta*, *ff. de his qui notantur infamia*, & lex *quas actiones*,*ff. ad legem Aquiliam*, fauent histrionibus: eò quòd festa Principis solemnizant & Rempublicam lætificant: Quibus libenter subscribo. 4

Sed an † lethaliter delinquant Magistratus Regij comædias provt in nostra Hispania aguntur permittentes? affirmat Mendoza Iesuita *vbi supra sect.* 29. §. 373. Idem dicere tenentur, qui existimant eas agere & audire esse opus intrinsecè malum, superius iam relati: quia hoc est(aiunt illi) commune malum fouens omnia vitia: Verumtamen melius alij, qui existimant hoc esse opus de se indifferens, id negant. Fauent Diana *parte* 4. *tract.* 13. *resolut.* 82. & Valdellus *vbi supra n.* 13. dicentes peccare quidem Magistratus lethaliter si iubeant, sed non si pro aliquo tempore permittant ad vitandam maiorem peccandi licentiam; eò quòd huiusmodi permissio rei illicitæ non est approbatio, sed solùm tolerantia; qualis est tolerantia meretricum ex *cap. Meretrices,causa* 32. *q.* 5. Quam doctrinam sic limito, nimirum quod si comædias agere sit intrinsecè malum, potest adhuc licitè permitti,sicut permittuntur meretrices,& vsuræ in Republica,ad vitanda grauiora crimina. Si autem sit opus de se indifferens, nedum permitti, sed etiam aliquando à Magistratibus iuberi cum debitis circunstantiis, cum quibus redditur honestum, & ad Principum festa solemnizanda conducens, iuxta leges recensitas. 5

Quare † hiis non obstantibus, sententia affirmans comædias vsitatas in nostra Hispania licitas esse, licitúmque esse earum vsum per se loquendo, nisi ex accidenti aut aliqua circunstantia fiant pro loco & tempore determinato illicitæ, vera est tenenda, ac proinde à nobis statuitur pro conclusione. Et pro prima parte probatur ratione ostensiua iam facta, atque ex D.Thoma deprompta; nimirum quia illa ars siue officium licita est de se, cuius opera sunt indifferentia, quorúmque vsus est indifferens, 6

& quibus homines poſſunt bene ac malè vti pro libera ipſorum voluntate. Sed vſus comædiarum provt in more ſunt in noſtra Hiſpania, eſt planè indifferens, vtpotè qui quandoque eſt bonus & quandoque malus: videmus namque plures ciues ob ſolam delectationem animi capiendam, atque ob ſolatium percipiendum, & vt à labore quotidiano vacent, comædias audire, nec non alios eis aſſiſtere, vt vitia quædam, ſcilicet ludendi, furandi, &c. fugiant, qui fines ſunt honeſti: ergo cum aliàs opus iſtud ex obiecto non ſit malum, conſequens eſt quod ex circũſtatia finis non vitiatur, ſed vndequaque fit bonum. Confirmatur amplius ex permiſſione Catholici Regis & Senatus ſupremi, qui nec vitioſas artes, neque illicita officia ita vſitata & communia permittere ſolet: ac per conſequens neque eſt credendum hoc genus gentis & officij permiſſurum, ſi ex aliquo capite illud illicitum ſuſpicaretur. Confirmatur ſecundò, quia aliàs ipſi hiſtriones eſſent in ſtatu peccati perſeuerantes, quandiu huiuſmodi comædiis operam dant, ac ſunt ad illas agendum parati: vnde & eis eſſent ſacramenta deneganda. Cuius oppoſitum experientia conſtat, qua compertum eſt illos pœnitentiæ & Euchariſtiæ Sacramentum percipere à viris aliàs piis ac doctis, quos ſine temeritate non poſſumus damnare: ergo.

7 Reſtat vt † argumento pro parte negatiua ſatisfaciamus. Ad quod dicendum eſt, omnia illa ſuperflua atque curioſa, cauſa delectationis, ac ſolatij exhibendi auditoribus & eis placendi, poſſe honeſtari. Pro cuius maiori luce tria oportet diſtinguere in comædiis, nimirum, & res repræſentatas, & verba, atque veſtes pretioſas quibus vtuntur. Igitur quoad res repræſentatas, non poſſunt peccato huiuſmodi comædiæ maculari: quia non ſicut antiqua gladiatorum, ac ſcenicorum ſpectacula & ludi, veram crudelitatem, aut libidinem continent ſiue exercent, niſi tantùm fictam. Neque enim Athleta verum conſerit cum aduerſario certamen, ſed fictus fictè aduerſarium inuadit & occidit: neque verus amator adamatæ mulieris introducitur, ſed fictus fictè cum ea congreditur. Rurſus ex parte verborum & cantilenarum, non poſſunt magis peccato maculari, quàm libri typis mandati permiſſu ſupremi Senatus & cum Regis priuilegio, qui hiis comædiis & cantionibus ſunt referti: quare ſi eas audire aut recitare eſſet illicitum, pariter illicitum foret eas in libris dictis legere. Verumtamen quemadmodum in libris amatoria verba poſſunt habere exceſſum aliquem, ratione cuius ſint peccatum veniale, aut etiam mortale iuxta qualitatem exceſſus: ita imo à fortiori ſimilem exceſſum habere poſſunt in ſpectaculis, in quibus maiorem vim habent prouocandi & inducendi ad laſciuiam, à quibus proinde non minus quàm libri & Codices deberent expurgari, iuſſu Regij aut ſanctæ Inquiſitionis ſupremi Senatus: necnon à ſaltationibus quæ huiuſmodi impudicas cantilenas comitantur, quando in motibus & modulationibus ipſis admiſcetur aliquid laſciuum, aut minus pudicum pudori & honeſtati contrarium. De veſtibus tandem præteritis, profanis, & ſuperfluis dicendum puto, rarò in eis exceſſum iſtum peccaminoſum interuenire; quia cùm ad placendum inſpectoribus ordinetur, & ad maiorem proprietatem repræſentationis, nimirum vt qui perſonam agit Regis, veſte Regia, & quæ perſonatum agit Reginæ, veſte quoque Reginæ decente dignitatem Regiam repræſentet; & aliàs, quò veſtibus pretioſioribus vtuntur hiſtriones, eò plures habent inſpectores, & plus etiam lucri. Vnde pretioſitas veſtium, & multitudo ac varietas, eſt pars ac materia officij ipſorum: (es parte de ſu caudal) ſicut argentarius in multitudine, varietate, & pretioſitate vaſorum habet talentum ſui officij ac lucri. Ex quo fit, non vitioſam in eis ſuperfluitatem, aut curioſitatem inueniri, niſi aliunde proueniat exceſſus aut malitia; vt ſi quæ muliercula malè partis veſtibus pretioſis vtatur ad placendum amato, aut alios decipiat, & in ſui amorem libidinoſum conciliet, qui ſunt fines omnino extrinſeci officio hiſtrionatus. Quare uxta dicta aut nego antecedens, aut diſtinguo illud ſub aſſignata diſtinctione: & nego conſequentiam.

Ad primam confirmationem reſpondetur cum Diuo Thoma in præallegato *articulo 2. quæſtionis 164. ad 3.* quod licet de ſe vitioſum ſit mulierem veſte virili & virum veſte muliebri vti; quia ornatus exterior debet competere conditioni perſonæ ſecundum communem conſuetudinem, & hoc erat prohibitum in lege Veteri ſpecialiter, quia Gentiles tali mutatione habitus vtebantur ad Idololatriæ ſuperſtitionem: tamen benè poteſt fieri in lege Gratiæ, quæ legis Veteris præcepta aboleuit; propter aliquam neceſſitatem, vt cauſa occultandi ſe ab hoſtibus, aut propter defectum alterius veſtimenti, aut propter aliquid huiuſmodi, id eſt propter aliquem finem honeſtum, qualis eſt quem perſonatus comædiarum moderatus intendit, exhibendi ſcilicet honeſtum ſolatium inſpectoribus. Ad ſecundam reſpondetur cum Azorio *lib. 8. ſuæ moralis cap. 27. quæſt. 6.* quod in comædiis ac tragædiis quæ populo exhibentur, licitum ſit vti habitu infidelium, quantumuis ſit peregrinæ & falſæ religionis ſymbolum: quia tunc res agitur non ſeriò, ſed ficta perſonarum repræſentatione: idque in eo ſenſu prudentes Spectatores & Auditores interpretantur. Ad tertiam reſpondetur, illi experientiæ poſſe nos opponere aliam non minus compertam plurium iuuenum, qui ex comædiis occaſionem contemnendi mundum & ingrediendi religionem acceperunt, quod ſignum manifeſtum eſt, opus eſſe de ſe indifferens: ſed quòd plures ſint qui in malum prolabantur ex comædiarum inſpectione, hoc eſt quia proni ſunt homines magis ad ſenſibilia & ad carnis opera quàm ſpiritus proſequenda: prouenit etiam hæc pernicies ex verbis atque cantilenis & ſaltationibus laſciuis admixtis, à quibus dixi comædias fore expurgandas. Prouenit etiam ex fragilitate quorundam nimis carnali vitio deditorum, quibus conſulerem vt ab hiis abſtineant. Motiuum autem Ciuitatis Salmantinæ & Academiæ in prohibendo Comædias alias vſitatas, non fuit ob vitandum periculum laſciuiæ in iuuenibus, ſed ob vitanda bella ciuilia inter ſcholares & ciues: ex quo enim in theatro plures Scholares conuenticulum faciebant, facilè in vnum contra ciues conſpirabant.

DISPV

DISPVTATIO VI.

Quando liceat è duobus malis imminentibus eligere minus?

SVMMARIVM.

1 *Ratio dubitandi sumitur à duobus exemplis Sacræ Scripturæ: quorum Primum est de Loth, qui vt seruaret Hospites suos, obtulit in stuprum filias suas Virgines Sodomitis luxuriosis, libidinique contra naturalem ordinem deditis.*

2 *Refertur alterum exemplum de viro quodam Leuite hospitio recepto apud Senem in Gabaat ciuitate Beniamin, &c.*

3 *Quibus non obstantibus vera est sententia, affirmans in præfatis duobus exemplis nequaquam licitum fuisse eligere minus malum ad vitandum maius.*

4 *Prostitutio filiarum Virginum Loth, ex animi perturbatione de comminato incendio concepta, processit.*

5 *Impugnatur Menochius volens excusare Loth ex toto à culpa prostituendi filias.*

6 *Quomodo sunt intelligenda verba Pauli optantis esse Anathema à Christo pro fratrum suorum salute.*

7 *Refertur communis sententia de Leuite tradendo vxorem, & Sene offerendo filiam furori Beniamitarum.*

8 *Respondetur argumentis nostræ circa primum exemplum assertioni in contrarium adductis.*

9 *Referuntur duæ opiniones de libello repudij, quem Moyses permisit.*

10 *Quarum altera, dicens repudij libellum nedum permissum sed etiam licitum fuisse Iudæis, Neothericis magis arridet, & firmioribus innititur fundamentis.*

11 *Aliud est repudium in veteri lege, aliud in lege gratiæ diuortium.*

1 RATIONEM † dubitandi nobis præbent duo exempla è fonte Sacræ Scripturæ petita. Primum ex *Geneseos 19. cap.* vbi refertur Sodomitas effrenes, ac libidini contra naturalem ordinem deditos, domum Loth irruisse, vt duobus Angelis in specie duorum pulcherrimorum iuuenum hospitio ab ipso receptis abuterentur. Quibus & ipse gemebundus ait: *Nolite (quæso) Fratres mei, nolite malum hoc facere, habeo duas filias, quæ necdum cognouerunt virum, educam eos ad vos, & abutimini eis, sicut vobis placuerit, dummodo viris istis nihil faciatis mali, quia ingressi sunt sub vmbra culminis mei.* Quo facto Loth vt euitaret maius malum, scilicet vitium contra naturam, & violentiam hospitum suorum, quos ius naturæ dictat esse tuendos, elegit stuprum filiarum suarum virginum, offerendo eas hominibus luxuriosis, & ad luxuriandum paratis, in quo videtur non peccasse multipliciter: tum quia iustus erat, & propter suam iustitiam visitatus fuit tunc à duobus Angelis, ab illisque de incendio Sodomæ liberatus: nec in hoc facto in contextu capitis vituperatur, sed potius à violentia irruentium defenditur ab Angelis. Tum etiam quia de duobus malis minus licitè, & laudabiliter eligi potest: maius autem malum est peccatum luxuriæ contra naturam, quàm defloratio Virginum per stuprum: ergo hanc potuit licitè, & laudabiliter eligere Loth in conspectu illius. Minor est nota, & probatur à D. Thoma 2.2. *quæst.* 105. 4. *art.* 12. & ex Augustino *lib. de adulterorum coniugiis*, ex eo quod sicut in speculatiuis error circa principia naturaliter indita est grauissimus, & turpissimus: ita in agendis agere contra principia à natura determinata est grauissimum & turpissimum, quale est vitium Sodomiticum, in quo non seruatur debitus sexus à natura ad concubitum determinatus. Maior autem ostenditur, quia continet axioma communiter à Doctoribus receptum, scilicet de duobus malis minus est eligendum, ex quo plurimarum actionum aliàs malarum electiones iustificantur: vt illa qua Moyses permisit dare libellum repudij, quod aliàs erat illicitum: propterea quæ dixit Christus *Mathæi 19. Quoniam Moyses ad duritiam cordis vestri permisit vobis dimittere vxores vestras: ab initio autem non fuit sic.* Et hoc ad euitandum maius malum, scilicet vxoricidium. Vnde & *ibidem*, ait Glossa: *Permissum est eis vt vxores dimitterent, ne eas occiderent*: Neque in hac actione peccauit Moyses, quia Sanctus fuit, & diuino instinctu hanc legem scripsit. Necnon illa, qua Magistratus, & Principes in ciuitatibus permittunt laudabiliter meritrices ad euitanda adulteria, & ne omnia libidinibus turbentur. Rursus ex eodem principio licitum est vnicuique consulere alteri parato occidere proximum, vt ei inferat minus malum, scilicet vulnus, vel alapam.

2 Secundum exemplum est quod refertur *Iudicum 19.* † de vero quodam Leuite hospitio recepto apud Senem in Gabaat ciuitate Benjamin, qui vt hospitem ab irruentibus luxuriosis defenderet, qui illo abuti conabantur contra naturam: ait. *Nolite fratres, nolite facere malum hoc, quia ingressus est homo hospitium meum, & cessate ab hac stultitia: habeo filiam Virginem, & hic homo habet concubinam; educam eas ad vos vt humilietis eas, & vestram libidinem compleatis: tantum obsecro ne scelus hoc contra naturam operemini in virum. Nolebant acquiescere sermonibus illius: quod cernens homo adduxit ad eos concubinam suam, & eis tradidit eludendam.* In quo facto neq; Senex offerens filiam, neq; Leuites tradens eis vxorem suã peccasse videtur: ergo.

3 Sed † his non obſtantibus, vera & à nobis tenenda ſententia eſt, affirmans in præfatis duobus exemplis ex Sacra Scriptura adductis, nequaquam licitum fuiſſe eligere minus malum ad euitandum maius; ac proinde tam Loth, filias ſuas proſtituendo, quàm Leuitem, & Senem, apud quem hoſpes erat, vxorem & filiam offerendo irruentium libidini, peccaſſe ex obiecto, etſi per accidens, & ex parte excuſantur. Quod ſic declaro. Quod attinet ad Loth, eſt ſententia Parentis Auguſtini *tomo 1. quæſt. 19. in Geneſim*, hanc † filiarum Virginum proſtitutionem ex animi perturbatione proceſſiſſe, quam paſſus eſt ex comminato incendio ab Angelis, quibus non firmiter credidit fore ab incendio liberandum. *Hac perturbatione timoris* (ait Auguſtinus) *non credebat ipſi Domino, quem in Angelis cognoſcebat, qua etiam illud de filiabus ſuis proſtituendis dixerat, vt intelligamus non pro authoritate habendum, quod dixit de turpitudine filiarum: non enim & hoc pro authoritate habendum eſt, Deo non eſſe credendum.* Eidem ſubſcribit Lyranus in eiuſdem loci *Geneſeos* 19. commentario, dicens: *Contrarium videtur prædictum Auguſtinum, quod Loth turbatus dixit hoc, quia tales commutationes non ſunt faciendæ, dicendum, quod illicitum fuit ſibi concedere abuſum filiarum ſuarum: charitas enim eſt ordinata, & ideo nullus debet committere aliquod inordinatum quoad ſe, vt præcaueat maiori peccato alterius.* Vnde ſecundum Auguſtinum *lib. contra mendacium*; *etiam ad præcauendum homicidium non eſt mentiendum: Loth autem non potuit offerre filias ſuas modo prædicto, quin conſentiret in re quæ erat peccatum de genere, non ſolùm veniale, ſicut eſt mendacium officioſum, ſed etiam mortale: tamen exoneratus fuit à tanto, etſi non à toto. Tum ratione perturbationis mentis, in qua erat; tum quia vitio peſſimo in ſuis conciuibus, & violentiæ in ſuis hoſpitibus occurrere intendebat.* Hæc Lyranus.

4

5 Ex quibus venit † improbanda opinio cuiuſdam iunioris, ſcilicet Stephani Menochij, *lib. 1. de Oeconomicis inſtitutionibus cap. 13.* volentis excuſare Loth ex toto, à culpa proſtituendi filias. Non quidem, quia minus malum elegerit debito modo, in concurſu maioris: ſed quia non ſeriò, nec ex animi firmati propoſito, aut abſoluto decreto, niſi tantùm conditionato filias luxuriioſis obtulit; quaſi dicret: Tanta eſt feritas huius ſceleris, quod contra naturam cum iuuenibus apud me hoſpitio receptis patrare vultis, quod libentius luxuriæ veſtræ filias meas offerrem. Conſentire autem in facinus aliquod huiuſmodi conditionato propoſito, piaculum non eſt, maximè ſi non facinori ipſi ſtupri Virginum, ſed dedecori inde ſecuto dicamus eum conditionatè conſenſiſſe. Sic enim Paulus abſque vllo piaculo *ad Rom. 9.* optabat eſſe anathema, id eſt ſeparatus à Chriſto pro ſalute ſuorum fratrum Iſraëlitarum: & Sanctus Ludouicus Francorum Rex, cum quendam blaſphemum labiis cauterio inuſtis puniuiſſet; *Libenter*, inquit, *hoc oris dedecus ipſe perferrem, dummodo tam immane vitium è meo regno penitus profligaretur.* Sed reuera contrariatur Parenti Auguſtino hæc opinio, qui in *quæſt. citata*, dicit duo; nimirum factum Loth in proſtituendo filias ex animi perturbatione proceſſiſſe; vnde & malum eſſe neque pro authoritate, id eſt pro exemplo adducendum. Necnon fuiſſe lapſum in illud ex diffidentia, qua Deo per Angelos ſalutem ac liberationem ab incendio promittenti diſcredidit, quaſi hoc ſecundum peccatum proſtituendi filias, permiſerit in pœnam prioris diffidentiæ. Neque oblatio illa iocoſa, aut conditionata hîc habet locum. Non iocoſa, aut ficta; tum quia in animum tam perturbatum non cadebat; tum etiam quia non conſonat contextui, in quo referuntur verba eius quaſi ſeriò, & ex animo dicta. Neque tanto pondere verborum vteretur fictè, ſed ex animo, vt ſic Sodomitas à peſſimo crimine contra naturam auerteret in hoſpites committendo; credendúmque eſt promiſſa completurum Loth, niſi manus Angelica ipſum in domum reciperet, & hoſtes cæcitate præueniret. Conſenſus quoq; ille conditionatus in proſtitutionem filiarum ſuſtineri non poteſt: aut enim fuit in culpam, & ſic non expers piaculi; neque enim abſque piaculo conſentire poſſumus his, quæ intrinſecè mala ſunt, v. gr. furto, homicidio, mendacio, aut virginum ſtupro: benè tamen hiis, quæ intrinſecè mala non ſunt, niſi tantùm quia prohibita, vtpote quibus malitia non eſt intrinſecè annexa, ac proinde poſſunt ſecluſa malitia ab intellectu conſiderari, & ſic conſiderata voluntati proponi, vt illis conditionatè ſine culpa conſentiat: aut fuit in pœnam inde ſecutam, ſeu dedecus; Sed neque hunc verba contextus denotant à Loth prolata, quibus potius exprimit conſenſum abſolutum & efficacẽ, filias ſuas hoſtiũ voluntati, aut luxuriæ offerendi, quàm aliquod inde dedecus perpetiendi; neque per hunc affectum ſecundum expreſſum eorum violentiam effugeret, niſi primum explicaret verbis. Quod ſi explicuit, & non habuit, verba menti non conſonarent. Quo ergo pacto à mendacij culpa excuſaretur? Longè aliter dicendum eſt de † Pauli, & Regis Ludouici deſiderio: ille enim explicuit affectum patiendi ſeparationem à Chriſto non per culpam, & charitatis amiſſionem, hic enim illicitus eſt, & cum ſanctitate Pauli incompatibilis: ſed patiendi ſeparationem à Chriſto per carentiam fruitionis gloriæ ad tempus, aut etiam perpetuò, in quo nulla culpa fuit, ſed potius ardens charitas innituit, vt D. Thom. *ibidem lect. 1.* ſecutus Chryſoſtomum *lib. 1. de compunctione cordis*, interpretatur. Iſte verò non actum blaſphemiæ cui intrinſecè annexa eſt culpa, ſed ſolùm pœnale dedecus in cauterio labiorum pio affectu deſiderabat. At Loth non dedecus ſolum ex filiarum proſtitutione deſiderauit, ſed ipſam filiarum proſtitutionem, ac ſtuprum voluit, & obtulit Sodomitis, vt mitiori libidine, eos à grauiori, & turpiori compeſceret. Igitur peccauit Loth proſtituendo filias furori Sodomitarum, etſi ob animi perturbationem excuſetur à tanto non à toto.

6

Sed quid dicendũ de viro Leuite in ſecundo exemplo? Communis † ſententia eſt illum peccaſſe, id eſt peccatum de ſe mortale perpetraſſe tradendo vxorem, & ſenem offerendo filiam furori Beniamitarum: ſed excuſari à culpa ob inuincibilem ignorantiam. Quam ſententiam tenet ibidem Gloſſa Lyrani, neque ab illa recedit Menochius *vbi ſupra*, & merito; quia habuerunt affectum abſolutum in actum intrinſecè, & ex obiecto malum, quale eſt ſtuprum, & adulterium: ipſe quoque Leuites affectui, & conſenſui

7

consensui addidit externam traditionem vxoris, qua adulterantium libidini cooperatus est, ponendo eos in proxima occasione adulterandi. Quia tamen viri simplices, & ex plebe populi erant, potuerunt ignorantiam inuincibilem pati, existimantes licitum esse pro euitando maiori facinore in proximis, eis suadere minus. In Loth verò, talis ignorantia inuincibilis admitti non potest, si semel daremus eum ex animi proposito filias prostituisse; propterea vult Menochius ipsum non ex absoluta animi intentione obtulisse filias. Sed sentiendum cum Augustino, Loth peccasse, & cum Lyrano excusari ob animi perturbationem, & finem honestum liberandi hospites à violentia à tanto, licet non à toto.

8 Ex quibus † ad primum in contrarium dicendum est, Loth iustum quidem fuisse, & piè ac sanctè inter Sodomitas vixisse, qui tamen tunc animi perturbationem patiens, potuit peccare lethaliter, aut sciens, & aduertens, aut ex inaduertentia & ignorantia vincibili: de quo peccato credendū est in se reuersū postea pœnituisse. Ad secundum respondetur, axioma illud: *De duobus malis minus est eligendum*; aut solum habere verum in malis corporalibus, siue pœnæ, vt notat Glossa super *dicto cap. 19. Iudicum*: v. g. is, cui datur optio inter mortem, & ægritudinem, seu inter triremes & exilium, potius eligere debet ægritudinem, quàm mortem, & exilium, quàm triremes: alioquin inordinata erit eius electio. Quod si mauis dictum axioma habere locum etiam in malis culpæ, siue moralibus, tunc vt verum habeat, debet intelligi respectu alterius ab eligente, atque respectu eiusdem personæ, quæ est altera ab eligente, seu consulente. Dixi respectu alterius ab eligente, nam mihi v. g. nullatenus licet coram Deo mendacium proferre, vt vitem homicidium, vel adulterium proprium, aut alienum: quia secundum Apostolum Paulum non sunt facienda mala, vt inde eueniant bona: nedum vt vitentur maiora mala. Et secundum Parentem Augustinum *lib. contra mendacium*, pro nullo bono consequēndo, aut malo vitando est proferendum mendacium: sed neque mihi licet eligere malum aliquod culpæ in me, aut per me perpetrandum, quantumuis leue sit, vt aliud grauius vitem in altero. Petro autem parato ad occidendum proximum, licitè consulam minus malum, v.g. vt eundem leuius manu, aut fuste percutiat, & parato ad furandum centum, licitè consulam, vt ab eodem furetur viginti. Dixi rursus: *Atque respectu eiusdem personæ*: nam Petro parato ad occidendum Paulum non licitè consulam, vt leuius feriat Ioannem: Neque vt vitem graue peccatum Pauli, consulere licet Petro minus graue peccatum. In quo manifestum apparet peccatum Loth, & Leuites, quorum alter ob vitandum Benjamitarum fœdum congressum secum, vxorem adulterio obtulit.

Dices, hoc potius est è duobus malis minus consulere, quàm minus eligere, siquidem eidem eligenti nunquam licet minus eligere respectu sui; nisi tantùm alterius, cui consulit: ergo in malis moralibus, nunquam de duobus minus est eligendum ordinatè, etsi ordinatè minus consuli possit. Fateor ita sentiendum cum paucis; sed quia cum multis loquendum, ideò vtroque modo dictum axioma admitti posse; scilicet, & quod de duobus malis, minus sit consulendum, & quod minus sit eligendum. Nam consulens alteri minus malum de duobus, non tantùm consulit, sed etiam eligit, saltem directiuè, quatenus dictat alteri parato ad maius malum minus eligere.

Ad Tertium dicendum est expendendo singulos casus: & quidem de primo Moysis respondetur iuxta † duas opiniones, quas refert 9
D. Thomas *in 4. d. 33. q. 2. art. 2. quæstiuncula 2.* alteram quidem asserentium libellum repudij fuisse in lege Veteri permissum, non quidem per priuationem prohibitionis, sed per priuationem punitionis: itavt dimittentes vxores non excusabantur à culpa nisi tantùm à pœna; & hoc non propter maius bonum consequendum, sicut fuit dispensatio de pluribus vxoribus habendis, sed propter maius malum cohibendum, scilicet vxoricidium. Quam opinionem præfert D. Thomas alteri, asserentium libellum repudij nedum permissum, vt impunem, sed etiam licitum ex diuina dispensatione fuisse; & iuxta eam, quam etiam sequitur Lyranus *in dicto cap. 19 Geneseos, & Deuteronomij 24.* dicendum Moysem ex Dei authoritate, cuius minister in legibus ferendis erat, non consuluisse, neque eligisse, sed permisisse repudium Iudæis propter vitandum maius malum, scilicet vxoricidium, ad quod proni erant propter corruptionem quandam in irascibili: quemadmodum propter corruptionem in concupiscibili permisit eis *Deuteronom. 23.* fœnerari extraneis, ne scilicet fratribus suis fœnerarentur, cùm tamen vsuras à quocumque recipere intrinsecè malum sit. Gubernatoribus autem, & legislatoribus, vt grauiora crimina vitent, laudabile est minora aliqua mala permittere in Republica, vel illa impunita relinquere. Quod etiam probat exemplum secundum de meretricibus in ciuitate permissis.

Sed quia † altera opinio, quam etiam vt 10
probabilem proponit D. Thomas *vbi supra*, dicens repudij libellum, nedum permissum, sed etiam licitum fuisse Iudæis, Neothericis magis arridet, vt videre est in Menochio *lib. 2. Oeconomicarum institutionum cap. 11.* & firmioribus videtur innixa fundamentis; eò quòd si peccaminosum esset repudium, per legem, aut Prophetas indicari debuisset: quia lex illa etsi gratiam non conferret, peccatum tamen ostendebat, &c. iuxta illud *Esaiæ 58. Annuncia populo meo scelera eorum*: Lex tamen *Deuteronom. 24.* oppositum indicat, dum sic ait: *Si acceperit homo vxorem, & habuerit eam, & non inuenerit gratiam ante oculos eius propter aliquam fœditatem, scribet libellum repudij, & dabit in manu illius, & dimittet eam de domo sua. Cùmque egressa alterum maritum duxerit, & ille quoque oderit eam, dederitque ei libellum repudij, & dimiserit de domo sua, vel certè mortuus fuerit, non poterit prior maritus recipere eam in vxorem, quia polluta est, &c.* Prophetæ quoque quoties de hoc libello repudij mentionem faciunt, nedum permissum, verùm etiam licitum fuisse in lege indicant: vt *Hieremiæ 3.* dicitur, quod vxor semel demissa non potest redire ad priorem virum, si illa nubat alteri: & *Malachiæ 2.* dicitur: *Si odio habueris eam, dimitte eam*; ac proinde diminuti fuissent, si hoc peccatum non indicassent.

Chry

Chryſoſtomus etiam *homilia* 38. inquit; Quod ſicut Apoſtoli permiſerunt ſecundas nuptias, ita Moyſes permiſit libellum repudij: manifeſtum autem eſt ſecundas nuptias eſſe licitas: ergo. Rurſus idem Chryſoſtomus *homilia* 19. *ſuper Mathæum*, ait; quod legiſlator à peccato abſtulit culpam quando permiſit repudium, videlicet diſpenſando in vinculo matrimonij, quæ omnia amplius confirmantur, ex eo quod mulier ſemel dimiſſa à priori viro, iuxta dictam legem poterat nubere alteri: & ſimiliter vir priori vxore dimiſſa poterat ducere aliam. Si autem primum matrimonium non fuiſſet ſolutum quoad vinculum, neque maritus poſſet aliam ducere, neque vxor dimiſſa poſſet legitimo matrimonio alteri copulari; imo poſſet ad priorem maritum redire. Nam teſte Paulo 1. *ad Corinthios* 7. mulier quanto tempore viuit, alligata eſt lege viri, quod tamen in dicta lege
11 prohibebatur. Igitur dicendum eſt, quod † in lege Veteri repudium vxoris licitum erat, & verè ſoluens vinculum matrimonii, in lege autem gratiæ manente matrimonio quoad vinculum in ſoluto, ſolum eſt licitũ diuortium quoad torum, & cohabitationem. Per cuius proinde contraposítionem ad legem Veterem, quam noua excedit per ſuperabundantiam Iuſtitiæ, & conſiliorum, dixit *Math.* 5. *Qui dimiſſam duxerit, mœchatur.* Neque obſtat verbum Chriſti *Math.* 19. Repudium conceſſum fuiſſe Iudæis propter duritiam cordis: nam denotat duritiam cordis fuiſſe cauſam motiuam ob quam Moyſes legem illam tulit, qua libellum repudij conceſſit, quæ non ratione duritiæ, ſed ratione conceſſionis diſpenſatiuæ factæ eos à peccato excuſabat. Et iuxta hanc ſententiam, Moyſes diuina authoritate ob maius malum vitandum, ſcilicet vxoricidium, aliud minus, ſcilicet repudium elegit concedendum Iudæis, vt nimirum abſque culpa ex Dei diſpenſatione ſoluente vinculum matrimonij prioris, poſſent vxores ob fœditatem aliquam exoſas dimittere, & alias ducere. In quo nullus priuatus Princeps, aut legiſlator imitari poteſt Moyſem, qui fuit Miniſter Dei, qui ſolus indiſſolubilitatem matrimonij potuit tollere, & actum de ſe, & ex obiecto malum reddere bonum, mutando eius materiam, hoc eſt faciendo quod vxor dimittentis non eſſet ſua, ſed libera maneret à iugo coniugij. In Secundo verò caſu de permiſſione meretricum, Magiſtratus non excuſant eas à culpa, ſed earum culpam vt minorem permittunt impunem relinquendo, vt vitent mala grauiora ſcilicet adulteria. Denique in Tertio explicatur, quando, & quomodo licitum eſt alteri conſulere minus malum, nimirum quando eſt paratus ipſe aliud maius perpetrare.

DISPVTATIO VII.

Vtrum lucrum turpe datum, & acceptum ſit obnoxium reſtitutioni?

PARS PRIMA.

Vtrùm lucrum turpe datum & acceptum, ſit obnoxium reſtitutioni?

SVMMARIVM.

1 *In vtroque iure leges extant, turpes ſtipulationes & pacta prohibentes, imo & annullantes quandoque.*
2 *Referuntur Authores qui de hoc argumento tractant.*
3 *Circa primam partem quæſtionis explicatur 1. Titulus 2. Doctorum placita cum fundamentis proponuntur 3. Aperitur ſententia Authoris 4. Reſpondetur argumentis aduerſariorum.*
4 *Tripliciter contingit aliquid eſſe turpe lucrum, ſiue illicitè acquiſitum.*
5 *Dationum illicitarum triplex eſt differentia.*
6 *Referuntur duæ ſententiæ ſtatius tituli, vtrum ſcilicet turpe lucrum receptum ſit obnoxium reſtitutioni: Quarum Prima affirmat recipientem teneri in vtroque foro ad reſtitutionem.*
7 *Altera negat recipientem teneri ad reſtitutionem ſi faciat id pro quo pretium accepit, niſi poſt iudicis ſententiam latam.*
8 *Quæ ſententia diuerſimodè à ſuis Authoribus defenditur.*
9 *Datio quando eſt illicita ex parte ſolius recipientis, non tenetur recipiens ad reſtitutionem in foro conſcientiæ, licet in foro Iudiciali concedatur actio danti, vt poſſit recipere.*
10 *Quæ concluſio procedit de illo, qui promiſſum adimplet, pro quo pretium accepit.*
11 *Actio repetendi rem datam etiam conceditur ei qui dat alteri vt faciat id ad quod tenetur, &c.*
12 *Fundamentum Soti huic aſſertioni contrarium duplici ratione ruit.*
13 *Accipienti pretium, vt ceſſet à peccato iniurioſo ipſi danti nedum datur actio repetendi in foro externo, verùm & in foro interno ante Iudicis ſententiam tenetur reſtituere acceptum.*
14 *Quæ concluſio contra Authores eam oppugnantes duabus rationibus probatur.*
15 *Ex quibus duæ regulæ communiter receptæ colliguntur.*

Elebris apud vtriuſque iuris peritos, & Theologos controuerſia, vt patet, cùm † in vtroque

vtroque iure leges extent huiuscemodi, turpes stipulationes, & pacta prohibentes, imò, & annullantes quādoque, vt in iure Canonico 14. *quæst. 5. Canone non sanè*, desumpto ex Augustino *Epistola 54. ad Macedonium*; *& Canone, scriptum est*, ex Gregorio, *ibidem*: malè acquisita iubentur restitui; damnatúrque oblatio facta Deo ex illis, iuxta illud Prouerbiorum 11. *Victima impiorum abominabiles sunt Deo: vota iustorum placabilia*: & illud Deuteronomij 23. *Non offeres mercedem prostibuli; nec pretium canis in domo Domini Dei tui*: hoc est turpe lucrum meretricis, aut etiam canis, cuius coitum erat tunc in more vēdere ad caprarum imprægnationem. Huc attinet quotquot Canones, & Pontificum Decreta Simoniacas pactiones dānantes & annullantes, itavt neq; beneficium, aut officium spirituale transeat in dominium mentis, neq; pretium in dominium venditoris.

In iure quoque Ciuili extant plures leges huiusmodi turpe lucrum prohibentes, vt *lex illam Cod. de Collat. & lex 2. 3. 4. & vltima ff. de condictionib. ob turpem causam, & l. iurigentium. ff. de pactis, & Authentico, Multo magis Cod. de Sacrosanctis Ecclesiis*, & in *lege regni 53. titul. 14. partita 5.* in quibus expressè decernitur, pretium datum propter delictum repeti non posse in foro externo, neque promissum posse peti. Insuper quod accipiens aliquod pretium vt faciat bonum ad quod tenetur, non possit acceptum retinere. Necnon in *d. lege iurigentium §. Si ob maleficium*, & *lege generaliter, ff. de verborum oblig.* decernitur huiusmodi turpes pactiones, vel de re turpi, aut impossibili, de facto siue de iure esse nullius momenti, nullámque inducere obligationem: *& lege mulctarum, Cod. de modis mulct.* decernitur tale lucrum vtrimque turpe, fisco deberi. In quo ius ciuile consonat cum iure Canonico in præallegatis Canonibus. Atque etiam in *cap. finali de pactis*, vbi dictæ turpes pactiones annullātur: & in *cap. Sapè, de restitutione spoliatorum*, dicente quod stipulatus ante omnia restituendus, etiamsi non probat dominium rei sibi ablatæ: & cum regula in pari delicto, vel causa, *melior est conditio possidentis; de regulis iur. in 6.* Et altera scilicet: *Non dimittitur peccatum, nisi restituatur ablatum*, quæ habetur in *cap. Si res 14. quæst. 6.*

2 De † hoc argumento tractant D. Thomas 2. 2. *quæst. 32. art. 7. & q. 62. art. 5. in solutione ad 2.* Caietanus in vtroque loco, & *in summa* verbo *restitutio, cap. 4.* Syluester eodem verbo 2. §. 1. & verbo *Eleemosyna 4.* §. 1. Angelus verbo *turpe*, Monaldus verbo *Restitutio*, Friburgo *lib. 2. tit. 5. quæst. 19.* D. Antoninus 2. *parte titulo 2. cap. 5.* Gabriel *in 4. d. 15. q. 6. art. 1.* Paludanus *ibid. q. 3. art. 5.* Adrian. ibid. *q. 20. de restitutione*, Soto *lib. 4. de iustitia, q. 7. art. 1. ad 2.* Nauar. *in manuali c. 17. à n. 30.* Couar. *in relectione regulæ, Peccatum, de regul. iuris parte 2. §. 3.* Medina Complutensis *in Cod. de restitutione tractatu de rebus restituendis quæst. 20. & quæst. 25.* Mercado *in summa lib. 6. cap. 16.* Corduba *lib. 1. quæstionarij quæst. 32.* Bañesius 2. 2. *q. 62. art. 1. dub. 3.* & duobus sequentibus, cum aliis recentioribus, & Vasquius *in opuscul. tractat. de restit. c. 7. dub. 1.* cum aliis recentioribus.

His itaq; præmissis, bipartita erit nostra quæstio: in cuius prima parte erit sermo, de stipulationibus turpibus ex altera parte duntaxat, scil. ex parte recipiētis. In secūdo verò fiet sermo de stipulationibus, quæ sunt turpes ex vtraq; parte.

Et quidem † circa primam partem quæstionis primò explicandus est eius titulus: Deinde Doctorum placita cum fundamentis proponemus. Tertiò nostram sententiam aperiemus: & tandem aduersariorum argumentis respondebimus. Pro tituli ergo explicatione operæ pretium est prænotare cum D. Thoma in præallegato *articulo 7. quæst. 32.* quod † tripliciter potest aliquid esse turpe lucrum, siue illicitè acquisitum. Vno modo, quando est debitum ei à quo fuit ablatum per iniustam actionem, neque potest retineri ab illo, qui acquisiuit, vt contingit in rapina, furto, & vsuris, & de talibus eleemosyna fieri non potest, sed sunt vero domino restituenda: Alio modo quādo illicitè acquisitum, neque ab acquirente retineri potest, neque debetur ei à quo acquisiuit, in pœnam peccati, quia vtraque contra legem egit, alter scilicet dando, & alter recipiendo, vt contingit in pretio dato, & accepto Simoniacè pro re spirituali, quod in eleemosynas est erogandum, scilicet aut pauperibus, aut Ecclesiæ, quæ iniuriam passa est. Vnde immeritò corrigitur hæc doctrina à Nauarro in *dicto cap. 17. n. 32. circa finem*: quasi D. Thomas per inaduertentiam sit locutus; dicens Simoniacum pretium in eleemosynas esse erogandum, cum *cap. de hoc de Simonia*, decernat illud Ecclesiæ iniuriam passæ fore restituendum. Quia nomine eleemosynæ comprehendit D. Thomas restitutionem illam, quæ fit Ecclesiæ. Aut loquitur de quocumque Simoniaco pretio, siue pro officio aut beneficio Ecclesiastico, siue pro ordine, siue pro alia re spirituali dato; è quibus illud tantùm, quod datur pro officio, aut beneficio Ecclesiastico, Ecclesiæ iniuriam passæ de necessitate restituendum, aliud verò pauperibus, siue in vsus pios est erogandum. Tertio modo (subdit D. Thomas) aliquid est illicitè acquisitum, non quidem, quia ipsa acquisitio sit illicita, sed id ex quo acquiritur est illicitum, & tale est lucrum meretricis pro actu carnali, quod propriè vocatur turpe lucrum; nam quod mulier meretriciū exerceat, turpiter agit, & contra legem Dei: sed in eo quod accipit, nec iniustè nec contra legem agit: Vnde & illud potest retinere, & de eo eleemosynam facere. Hactenus D. Thomas, quibus adiunge cum Soto *vbi supra, §. retrocedendum*, harum † dationum illicitarum esse triplicem differentiam: aliquando enim datio est turpis, & iniqua ex parte 5 solius recipientis, vt si quis det pecuniam alteri ne peccatum committat. Secundus modus dationis iniustè sumitur ex parte vtriusque, scilicet tam dantis, quàm recipientis, non quidem quia actio pro qua munus offertur non sit natura sua pretio æstimalis, sed quia habet annexam iniuriam contra iustitiam; vt si litigator, aut iudici, aut scribæ, aut testi corrumpendo munera offerret, aut asassino, vt hominem interficeret. Tertio modo dationem contingit esse illicitam, etiam ex parte vtriusq; tam dātis quàm recipientis, tamen ratio non est ei similis, quæ in proximo mēbro assignabatur, videlicet, quod actio, quæ emitur est iniuriosa, sed quia non est pretio æstimabilis, qualis est datio Simoniaca. Quod enim mihi detur pretio Sacerdotium si sum dignus, non est alterius iniuria: verumtamen quia res illa, quæ emitur, non est pretio æstimabilis, propterea quod Antistites gratis

acceperunt, vt gratis diſpenſent; fit, vt qui pretium pro re ſpirituali recipit, nullum adipiſcatur dominium, ob idque ſtatim tenetur ante ſententiam id relinquere. Miſſum facio alium quartum modum illicitæ dationis, nimirum ex parte ſolius dantis, quæ tamen licita, & honeſta eſt ex parte recipientis: puta cum quis pretio comparat venenum à pharmacopola ad illud ſuo inimico propinandum, aut quando emit gladium exacutum, vel enſem limatum à fabro, vt illo alterum occidat, aut quando Iudæus emit à Paſtore agnum, vt illum in Paſchate ritu Iudaico manducet. In quibus caſibus, ſi venditores huiuſmodi rerum inſcij ſunt ſceleris ab emptore intentati, licitè faciunt vendendo merces ſuas, ac proinde ex parte ſolius emptoris redditur mala pretij datio. Sed quoniam in huiuſmodi actionibus venditor iuſto titulo ſcilicet iuſtæ emptionis, ac venditionis recipit pretium, ac etiam detinet, neque de illis leges præfatæ Canonicæ, aut ciuiles aliquid prohibent, aut damnant, propterea compertum eſt recipientem ad nullam teneri reſtitutionem, propterea eas ab hac dubitatione relegamus. In quam tres dumtaxat priores modos dationis illicitæ diſcutiendos vocamus, ita vt ſenſus tituli ſit; Vtrum turpe lucrum receptum pro datione primi generis, ſcilicet quando eſt illicita ex parte ſolius recipientis, vel ſecundi, vel tertij generis, quando eſt ex parte vtriuſque illicita dati, ſit obnoxium reſtitutioni? & cui ſit facienda talis reſtitutio? cui dubio per ſingulas partes quæſiti eſt reſpondendum.

6 Et quidem quantum ad primam partem † duæ verſantur ſententiæ capitales. Prima affirmat recipientem teneri in vtroque foro ad reſtitutionem pretij accepti, ſiue pro actione bona, ad quam aliàs tenebatur ex iuſtitia, vel charitate, ſiue vt abſtineat ab actione mala à qua tenebatur abſtinere, cuiuſmodi ſunt Iudex, lictor, Notarius, teſtes, milites, & eorum duces, quando aliquid vltra taxata ſibi ſtipendia accipiunt, vt rectè ſua munera exequantur, vel ne eis abutantur in præiudicium alterius. Quam tenent Adrianus, Syluester, Couarruuias, & Ioannes de Medina *vbi ſupra*, in quam etiam inclinant Caietanus *in ſumma* verbo *reſtitutio cap.* 4. & Corduba; qui licet diuerſimodè illam temperent ac limitent, id tamen in quo conueniunt, ſuadent tripliciter. Primò quia in prælegatis legibus *de condictionibus ob turpem cauſam*, decernitur teneri ad reſtitutionem eum, qui accipit aliquid, vt faciat id, ad quod tenetur, vel vt abſtineat à malo à quo prohibetur, v. g. ſi Iudex accipit aliquid, vt rectè iudicet, vel fur ne furetur amplius, aut depoſitarius vt reddat depoſitum. Secundò, quia tunc accipiens tale pretium habet plus, quàm debet habere de ſuis bonis, ſiquidem accipit illud vltra mercedem ſibi taxatam ad officio ſuo fungendum: ergo non poteſt illud iuſto titulo accipere, aut retinere; ac per conſequens tenetur illud reſtituere. Tertiò, quia quando acceptio eſt iniqua ex vtraque parte, tenetur recipiens ad reſtitutionem pretij: ergo ſimiliter, quando eſt iniqua ex parte ſolius recipientis. Conſequentia eſt nota, quia quod vterque peccet, vnus in dando, & alter in recipiendo, non auget obligationẽ reſtituendi in recipiente: ergo neq; quod alter ſcilicet dans non peccet, non excuſat recipientem ab obligatione reſtituendi, cum contrariorum eadem ſit ratio: Et antecedens probatur, quia titulus, quo aliquid ob maleficium datur, eſt ipſo iure nullus, ac proinde impediens tranſlationem dominij ex dicta *lege iure gentium § ſi ob maleficium ff. de pactis*, & *lege generaliter, ff. de verb. obligat. & cap. finali de pactis*. Ergo qui accipit pretium aliquod propter maleficium, ſine vllo iure accipit, ac per conſequens tenetur ad reſtitutionem illius: quia tanquam fur vel raptor detinet alienum inuito Domino. Argumento ſumpto ex *cap. citato ſæpe, de reſtitutione ſpoliatorum*, & *cap. ſi res* 14. *q.* 6.

Secunda † ſententia negans eſt, ſcilicet recipientem non teneri ad reſtitutionem turpis lucri, ſi faciat id pro quo pretium accepit, niſi poſt iudicis ſententiam latam ad petitionem dantis, cui conceditur actio repetendi contra recipientem. Quam tenet Gloſſa *in l.* 1. *ff. de condictionibus ob turpem cauſam*. Cui fere Summiſtæ omnes conſentiunt; & Soto *in dicto art.* 1. §. *retrocedendum*: Nauarrus *vbi ſupra n.* 34. Bañeſius *in d. art.* 5. *q.* 62. *dub.* 4. Mercado, & Vazquius *vbi ſupra*. Quæ † diuerſimodè defenditur à ſuis Auctoribus. Nauarrus enim vult illã vniuerſaliter fore intelligendam de quocunque recipiente, ſiue recipiat ad rectè fungendum officio ſuo; ſiue vt abſtineat à malo contra iuſtitiam ſiue contra alias virtutes. Sotus verò, & Mercado temperant, & limitant dictam ſententiam ad illum, qui recipit pretium vt abſtineat à malo, quod eſt contra iuſtitiam: verbi gratia, ne homicidium, aut furtum faciat. In his enim dumtaxat caſibus datur actio repetendi. Bañeſius verò, & Vazquius cum aliis Neothericis ſic limitant dictam ſententiam. Aut is, qui recipit pretium, recipit illud vt abſtineat à peccato iniurioſo eidem danti: aut iniurioſo alteri tertiæ perſonæ, aut homini iniurioſo. Et quidem in primo caſu tenetur recipiens ad reſtitutionem ante iudicis ſententiã; in aliis verò caſibus datur in foro iudiciali actio repetendi contra recipientem, qui propterea non tenetur reſtituere in foro conſcientiæ ante iudicis ſententiam. Et quia hæc eſt verior ſententia, pro eius declaratione:

7

8

Dico Primò; quando † datio eſt illicita ex parte ſolius recipientis, non tenetur recipiens etiam poſt adimpletionem promiſſi ad reſtitutionem in foro conſcientiæ, licet in foro iudiciali concedatur actio danti, vt poſſit repetere. Hæc concluſio ſtatuitur aduerſus Authores primæ ſententiæ, vel potius pro conciliando illos cum Authoribus ſecundæ: quia fortè communis illa ſententia de obligatione reſtituendi intelligenda eſt iuxta ſenſum ſecundæ. Dixi autem *etiam poſt adimpletionem promiſſi*: nam ſi recipiens non adimplet promiſſum, pro quo faciendo vel omittendo pretium accepit, nullo titulo, nulloque iure illud poſſidet; eò quòd contractu conditionato, & oneroſo illud accepit, ſcilicet do tibi centum, vt rectè diſtribuas, vel ne furtum, aut Sacrilegium committas. Contractus autem conditionatus, & oneroſus, conditione non impleta, vel promiſſo non impleto, non ſubſiſtit, ſed eſt nullus: ergo neque dominium transfert in recipientem, qui proinde pretium receptum, vtpote alienum, tenetur illicò reſtituere. Deinde quia eo in caſu idem iudicium eſt de recipiente pretium, atque de

9

recipiente

recipiente eleemosinam ad titulum paupertatis quam tamen re ipsa fingit ; sed iste tenetur acceptam eleemosinam illico restituere danti, quia sine vero titulo illam accepit:ergo pariter & ille, &c.

10 Quare † nostra conclusio procedit de illo qui promissum adimplet,pro quo pretium accepit.Et probatur hac vnica fundamentali ratione, nimirum, quia in casu nostræ conclusionis dans stando in iure naturali & humano,Ciuili siue Canonico,verè transfert dominium pretij in recipientem:ergo efficitur ipsius recipientis, Quod proinde ad illius restitutionem non tenetur in foro conscientiæ,quæ tantùm de alieno potest ac debet esse. Consequentia est nota. Antecedens autem ostenditur;quoniam stando in iure solo naturali,vnusquisque transfert dominium rei suæ in alterum per voluntariam donationem,imo nulla est conuenientior,& efficacior dominij translatio : Atqui in dictis casibus dans pretium voluntarium,exercet donationem rei suæ in alterum:ergo transfert dominium illius in alterum;nullus autem tenetur in foro conscientiæ ad restitutionem rei suæ:ergo. Deinde quod neque iure ciuili , aut humano : Probatur,quia nulla lex extat,ciuilis aut Ecclesiastica præcipiens donarium in huiusmodi actionibus acceptum fore ipso facto restituendum;aut annullans ipsam donationem,aut impediens dominij translationem. Nam leges, & Canones huius materiæ citati, non prohibent translationem dominij rei datæ, ne maleficium faciat recipiens, siue vt faciat quod tenetur facere,sed tantùm concedunt condictionem,hoc est actionem repetendi rem datam,vt bene notant Sotus *vbi supra*,& Nauarrus *in dicto cap.*17. *num.*34.ergo.

11 Dico Secundò ; huiusmodi † actio repetendi rem datam , etiam conceditur ei , qui dat alteri vt faciat id ad quod tenetur,ex lege aliarum virtutum,quæ à iustitia strictè dicta distinguitur, inducentium debitum legale:vel vt abstineat à malo contra alias virtutes à iustitia. Hæc conclusio est Nauarri in loco nuper allegato aduersus Soti temperamentum. Et suadetur Primò à paritate rationis ; quia vtrobique scilicet siue actio pro qua facienda, vel non facienda quis dat pretium alteri,sit debita, vel indebita lege iustitiæ; siue sit debita,aut indebita lege aliarum virtutum Theologicarum,vel moralium, militat eadem ratio turpitudinis in recipiente , & in dante eadem ratio repetendi illam in iudicio,& foro externo : nimirum, quia accipiens tenebatur gratis , & sine vllo pretio strictè,& sub culpæ reatu id facere,aut non facere, & propterea iniustè , ac turpiter pro tali actione pretium accipit,vnde meretur illo spoliari interueniente conditione, siue repetitione ex parte dantis.Secũdò,quia præfatæ leges concedentes danti pro huiusmodi conditione,absolutè & sine vlla restrictione illam concedunt; lex autẽ absoluta & vniuersalis,absolutè,& vniuersaliter est intelligẽda:nã regula iuris est,quod vbi lex non distinguit, neq; restringit,neq; nos distinguere aut restringere debemus.Tertiò,quia leges ad casus expressos in ipsis , rite & rectè possunt ac debent extendi;præfatæ autem leges exprimunt casus criminum contra alias virtutes à iustitia v.g. *Lex 2. ff.de condict.ob turpem causam*,ait repeti posse datum alteri,ne committat sacrilegium , quod est contra religionem distinctam à iustitia,teste D.Thoma 22.*q.*81.*art.* 4. *& q.*99.*art.*1.& Glossa *in lege 4.eiusdem tituli* ait repeti similiter posse id quod datur fœminæ ne fiat meretrix; *&* §. *finali eiusdem legis* , cauetur repeti posse id quod datur furi , vt reueler socium furti participem:& tamen certum est meretricium non esse contra legem iustitiæ , sed contra legem castitatis,atque reuelationem socij in crimine, esse debitam ex lege charitatis. Deinde *in lege quod euitandi,Cod. de condict. ob turp. causam*, cauetur repeti posse id,quod ineptus militiæ dedit deligenti milites,vt eum excusaret à tirocinio, qui tamen ad bene deligendum tenetur legibus militaribus,potius ad fortitudinem,quàm ad iustitiam pertinentibus.Ex quibus † ruit fundamentum Soti ; nimirum, 12 quia *lex illa vt* , puta *eiusdem tituli* , concedit actionem repetendi minus collatum alicui , ne homicidium aut furtum faciat,& cum pœnalis sit, restringenda est ad suum ipsius exemplum; quod non profert,nisi in vitiis habentibus iniuriam annexam. Ruit (inquam) propter duo. Tum quia licet Lex illa tantùm proferat exemplum criminis iniurioſi , atq; iustitiæ contrarij; aliorum criminum, vt vidimus, in aliis legibus exempla proferuntur.Tum etiam,quoniam etsi solius vitij iniurioſi erga proximum in illa lege proferatur exemplum , quippe quod suam turpitudinem in recipiente munus , & in dante, ius condictionis seu repetẽdi magis manifestet: Verùm dispositio illius vniuersalis est, scilicet ne quis mercedem accipiat pro eo quod sine mercede tenetur facere : quæ ratio æquè militat in omnibus qui debito legali tenentur. Dixi in conclusione *inducentium debitum legale*:Nam si quis accipiat munus ab altero, vt faciat opus ad quod tenetur debito tantùm honestatis, vel debito antidorali scilicet gratitudinis,v.g.vt sit amicus alterius , vt sit vrbanus , vel vt gratias pro beneficio accepto rependat:tunc neque accipiens ad vllam vnquam restitutionem tenebitur , neque danti conceditur ius condicendi, siue repetendi : quia non apparet in recipiente illa turpitudo, quæ in eo consistit , vt quis recipiat mercedem pro eo , quod sine mercede facere tenetur: nullus enim tenetur fieri alteri amicus, aut vrbanus , aut gratus sine mercede. Et licet hæc opera secundùm se inuendibilia sint , & potius gratis exhibenda quàm pretio, tamen quatenus alter illa in mei gratiam , & obsequium præstat , aliàs non præstiturus , potest pro illis iure naturæ à me pretium aliquod recipere : quod nulla lege humana restringitur , aut prohibetur. Et in hoc casu existimo veram esse Soti *vbi supra* moderationem.

Dices;igitur pariter licebit pro actione mutuandi pretium accipere, ita vt neque mutuans teneatur in foro conscientiæ ad restitutionem pretij accepti vltra sortem principalem , neque danti illud concedatur in foro externo actio repetendi : quia pariter actio ista amicabilis est , ad quam homines solo debito honestatis tenentur. Consequens autem esse falsum patet , quia eo admisso ingens iniquæ arti fœnerandi ostium aperiretur. Respondeo sub distinctione consequentis;aut enim in illo fit comparatio ad mutuatarium , respectu cuius quidem nunquam licet mutuanti accipere pretium

vltra ſortem ob alias conditiones iniuſtitiæ intrinſecè inhibitas in tali receptione, nimirum quia vendit ei actionem gratuito ei exhibendam, & tempus ipſum expectatum, quod eſt inuendibile, & quia facit rem ſub dominio alterius iam exiſtentem, & vſu conſumptibilem, ſibi proficuam, & lucra producentem; aut fit ſermo de mutuante facta comparatione ad alterum tertium, cui non mutuat, ſed in cuius gratiam & obſequium mutuat: & ſic fateor conſequentiam, poteſt enim Petrus accipere aliquod munus à Paulo roganti ipſum, vt mutuet Franciſco, quin detur Paulo actio repetendi. Neque per hoc aperitur oſtium arti iniquæ fœnerandi; cuius iniquitas ſolùm in eo conſiſtit, vt à mutuatariis aliquid vltra ſortem recipiatur.

13 Dico Tertiò; nihilominus † quando quis accipit pretium vt ceſſet à peccato iniurioſo ipſi danti: nedum datur huic actio repetendi in foro externo, verùm & ille in foro interno ante omnem iudicis ſententiam tenetur reſtituere acceptum, v. g. ſi ego dem pretium invaſori ne occidat me, aut ne occidat fratrem meum, ſiue parentem, ſiue itineris ſocium mihi familiaritate valde coniunctum, quorum occiſiones in meum vergunt detrimentum: tunc inuaſor tenetur in foro conſcientiæ pretium receptum mihi reſtituere. In quo ſenſu vera eſt prima ſententia, quam Bañeſius *vbi ſupra* appellat communem, & communiter ab omnibus Doctoribus receptam, vnico excepto Magiſtro Soto, quam tamen non adeò communem inuenio, quia neque Nauarrus, neque Syluester, neque Antoninus, & alij illam ſequuntur; niſi ad ſenſum ſecundæ redactam, hoc eſt intellectam de obligatione reſtituendi cum addito, ſcilicet poſt ſententiam Iudicis, ſiue imperfecta, & à repetitione dantis dependenti; militat autem noſtra concluſio, quæ eſt Bañeſij contra Sotum, & Nauarrum in locis citatis, quatenus vniuerſaliter negãt recipientẽ vt ceſſet à quacunque ratione turpi, ſiue iniurioſa, teneri ad reſtitutionem pretij accepti, ante omnem iudicis ſententiam, & independenter à repetitione dantis, niſi mitius velis eos interpretari iuxta ſubiectam materiam fuiſſe loquutos: Quam tamen mitiorem interpretationem eorum contextus, & modus loquendi non pati-

14 tur. Quare † contra ipſos oſtenditur noſtra concluſio duabus rationibus oſtenſiuis, quibus vtitur Bañeſius. Prima eſt, quia dans in caſu noſtræ concluſionis non transfert dominium in recipientem: ergo neque iſte acquirit dominium rei acceptæ, ac proinde non facit illam ſuam, & conſequenter tenetur in foro animæ illam reſtituere. Conſequentia eſt nota, & antecedens probatur: nam in dando eſt inuoluntarius, quia ſolùm dat munus illud, vt cauſa redimendi vexationem, ne ſcilicet lædatur in ſe, aut in perſona ſibi coniuncta. Hæc autem datio etſi voluntaria ſit ex parte, non tamen omnino, ſed admiſcet inuoluntarium; quod ſufficit vt per illam à dante non transferatur dominium: nam certum eſt per huiuſmodi dationes inuoluntarias mixtè, vel propter metum, aut per vim, ſiue per fraudem, aut dolum, non transferri dominium: & recipientem teneri in foro animæ ad reſtitutionem accepti, vt colligit Nauarrus *vbi ſupra numer.* 30. ex ſententia communiter recepta Innocentij, & Panormitani, *in cap. Quia plerique, de immunitate Eccleſiarum.* Qua ratione, qui fingens ſe pauperem, accipit à me eleemoſynam, tenetur eam reſtituere; quia inuoluntarius dedi. Et inuaſor per vim & metum mihi incuſſum recipiens meam pecuniam, tenetur eam reſtituere, etſi metus leuis fuerit, & non cadens in virum conſtantem, de quo in *lege metum, ff. quod metus cauſa*, dummodo tamen fuerit cauſa dandi, ſiue accipiendi. Quid ſi iuramento confirmẽ me daturũ graſſatori pecuniã, vel pallium, vt ab inuaſione deſiſtat? Reſpondeo teneri quidem me daturum ob ſanctitatem iuramenti, dum eius relaxationem non petiero; Sed actus ipſe donationis eſt inualidus, & nullũ transfert dominium, ac per conſequens graſſator manet obnoxius obligationi reſtituendi. Neque obſtat, quod in lege nuper citata, ad huiuſmodi contractus reſcindẽdos petitur metus grauis & iuſtus, quem vocant cadentem in virum conſtantem: nam hic metus grauis requiritur non ad reddendum contractum inualidum, quia cum minori eſt inualidus coram Deo; ſed vt reſcindatur in foro externo. Noluit enim ius ciuile concedere actionem repetendi reſciſionem contractus initi cum metu quocumque citra grauem, ne Reſpublica litibus confunderetur.

Secunda ratio eſt; quia mutuatarius rependens aliquid pretij vltra ſortem vſurario mutuanti, non transfert dominium illius in eum, quia inuoluntarius rependit per mixtum inuoluntarium, ſcilicet pro redimenda vexatione, & ſupplenda neceſſitate, quam patitur, vellet tamen non rependere: qui proinde tenetur illud in foro conſcientiæ reſtituere mutuatario. Atqui pariter ſe habet, qui offert munus inuaſori ne damnum ipſi inferat: ergo pariter iſte tenetur ad pretij accepti reſtitutionem.

Hinc colliguntur † duæ regulæ cõmuniter re- 15
ceptæ. Prima eſt; Pretium acceptum pro opere, quod quis gratis omnino tenetur facere, ſemper turpiter eſt acceptum: nam licet poſſit aliquod pretium recipi ac retineri pro opere laborioſo, ratione laboris, induſtriæ, vel iacturæ annexæ, ſed non pro eo quod gratis, & ſine pretio quis facere tenetur. Secunda eſt, quod ſtipendiatus, & aliàs inhabilis ad munera recipienda pro opere debito, ex officio non poteſt recipere, aut retinere pretium aliquod: vt iudex, lictor, & alij Regis Officiales, & Cathedraticus habens taxatum ſtipendium, & miles: quod dicitur vitium concuſſionis: de quo propterea dixit Ioannes Baptiſta *Lucæ* 3. militibus prædicans: *Neminem concutiatis, & contenti eſtote ſtipendiis veſtris.*

Ad primum autem pro priori ſententia reſpondetur negando antecedens: aut explicando illud de obligatione reſtituendi poſt iudicis condemnationem, ac dependenter à repetitione dantis. Ad ſecundum nego antecedens. Nam licet turpiter accipiat in eo caſu, quia accipit pro eo opere, quod gratis, & ſine mercede tenebatur facere: non tamen iniuſtè, id eſt contra iuſtitiam commutatiuam accipit; neque enim contra illam peccat; & aliàs ex voluntate dantis acquirit dominium rei datæ. Vnde neque titulo rei acceptæ, neque titulo iniuſtæ actionis tenetur reſtituere ante Iudicis

condem

condemnationem : ac proinde nullo titulo ; quia nullus alius est titulus obligationis restituendi præter duos recensitos.

Ad Tertium, aut admisso antecedente neganda est consequentia : aut verius negandum est antecedens. Ad cuius probationem patebit ex dicendis circa secundam partem huius quæstionis.

PARS SECVNDA

De stipulationibus quæ sunt turpes ex vtraque parte : Vtrum inducant in recipiente ipso facto obligationem restituendi pretium turpiter receptum?

SVMMARIVM.

1 *Authores in explicando, Vtrum secundum ius humanum Ciuile siue Canonicum sit obligatio restituendi pretium turpiter acquisitum, in tres sententias diuiduntur.*

2 *Quarum Prima vniuersaliter affirmans, quadrupliciter suadetur.*

3 *Refertur secunda sententia asserens pretium acceptum in conuentionibus turpibus, non vniuersaliter esse restituendum ; sed cum quadam limitatione, quam triplici modo explicant Authores.*

4 *Tertia sententia negat recipientem mercedem ob maleficium, siue iure naturali, siue iure aliquo humano teneri ante Iudicis sententiam ad restitutionem, si promissum maleficium adimpleuit.*

5 *Quæ sententia pro conclusione tenenda variis argumentis suadetur.*

6 *Omnis restitutio orta ex legitimo titulo facienda est ei à quo acceptum est.*

7 *Respondetur argumentis pro contraria sententia adductis.*

8 *Ratio specialis irritandi Simoniaca pacta Simonia reali, est duplex.*

9 *Tripliciter potest contingere Iudicem aut Tabellionem accipere aliquid vltra stipendium sibi taxatum.*

10 *Ministri Iustitiæ tenentur in foro conscientiæ ad restitutionem munerum, quæ vltra sibi taxata stipendia à litigantibus acceperunt, exceptis esculentis & poculentis, &c.*

11 *Ministri Iustitiæ peccant recipiendo pretium vel donarium loco pretij pro eo opere, ad quod de iustitia, vel ex vi sui officij tenentur.*

12 *Examinatur Tertius casus de iudice aliquid vltra stipendium recipiente.*

13 *Referuntur quatuor modi dicendi inter Doctores, contendentes assignare speciale discrimen in accepto ob meretricium & accepto ob aliud delictum.*

14 *Ex quibus modis Primus, scilicet* meretrix quamuis turpiter faciat, non tamen turpiter accipit, *cæteris omnibus est præferendus.*

15 *Secundus modus Adriani in quo deficit.*

16 *Tertius modus Caietani, & aliorum Thomistarum, asserentium vsum meretricis esse materiam vendibilem, & propterea constituere venditionem iustam, deficit propter quatuor.*

17 *Respondetur obiectioni in fauorem Caietani adductæ.*

18 *Quartus modus Medinæ falsus est in eo, quod dicit meretrices teneri in foro conscientiæ ad pretij accepti restitutionem, nisi via liberalis donationis illud accipiant.*

19 *Fœminæ quæ non sunt more scortantium prostitutæ, recipiendo aliquid pro turpi vsu sui corporis, peccant quidem, sed non tenentur ad restitutionem.*

20 *Viri siue laici siue Monachi, pretium à fœminis pro venereo concubitu turpiter acceptum possunt retinere absque obligatione restituendi.*

21 *Munera data meretricibus aut aliis fœminis ob turpem corporis vsum, ab his qui alienare non possunt, non transeunt in earum dominium, adeóque in foro conscientiæ tenentur ad restitutionem.*

22 *Religiosi voto paupertatis solemni constricti nihil possunt alienare sine licentia Prælati.*

23 *In omnibus promissionibus ob turpem causam, neque promittens tenetur coram Deo implere promissum, neque promissarius habet ius petendi promissum pro turpi illa causa, tanquam debitum ex iustitia, seu legale.*

IN qua omnes Doctores conueniunt in vnum, & discriminantur in alio. Conueniunt quidem in eo, quod stando in solo iure naturali non inducitur huiusmodi obligatio restituendi, quia voluntate dantis transfertur dominium in recipientem. Discriminantur autem † in explicando, Vtrum secundum ius humanum, Ciuile, siue Canonicum, sit obligatio restituendi huiusmodi pretium turpiter acquisitum, in tres sententias. Quarum duæ sunt extremæ, & vna est media. Prima illarum vniuersaliter affirmans est, quæ vt communiter recepta tribuitur Iuris peritis. Pro qua referuntur Couarruuias, *vbi supra*, Ioannes de Medina, *C. de restitutione tractatu de rebus restituendis, q.* 20. Paludanus *in* 4. *d.* 15. *q.* 3. *art.* 5. Adrianus in eodem 4. *tractatu de restitutione q. speciali*, quæ incipit ; *restat inquirere*, & alij relati à Nauarro *in d. cap.* 17. *Manualis num.* 30. & 31. cum Corduba *in suo quæstionario q.* 66. & *seq.* Quæ † sententia à Iuris Authoribus suadetur quadrupliciter. Primò ex legibus, & Canonibus recensitis *argumento* 3. *dubij præcedentis*, in quibus titulus quo datur, & recipitur aliquid ob maleficium, declaratur nullus, irritantúrque pacta, contractus, & stipulationes huiusmodi turpes ex vtraque parte : per contractum verò, siue pactum ipso iure nullum, non transfertur dominium, quia quod nihil est, nullum verum & realem effectum habere potest : ergo, &c. Secundò ab exemplo simoniacæ conuentionis, in qua pretium acceptum pro re spirituali, ante Iudicis condemnationem est restituendum, vel ipsi danti stando in iure naturali ; vel Ecclesiæ, vel pauperibus secundum Iuris Canonici dispositionem : ergo pariter restituendum est pretium, siue donatiuum acceptum per turpem ex vtra-

que parte conuentionem: Antecedens ſupponitur certum. Conſequentia probatur ex paritate rationis: quia obligatio reſtituendi ſimoniacum pretium, aut oritur ex eo quod res ſpiritualis eſt inuendibilis ſecundum ſe, cuius propterea venditio ſecundum omne ius eſt nulla: aut ex eo quod licet res ſpiritualis ſecundum ſe, & ſtando in ſolo iure naturali poſſit vendi, quatenus ad vſus humanos conducit, & in obſequium mentis exhiberi poteſt; verumtamen ius humanum, Ciuile, & Canonicum, in tanti ſceleris deteſtationem, omnes conuentiones ſuper rebus ſpiritualibus irritas fecit. Sed vtraque ratio militat in noſtro caſu: nam quæcumque actio peccaminoſa eſt inuendibilis, & nullo pretio æſtimabilis ob ſui vilitatem: ob quam *Ioannis* 1. peccatum appellatur *nihil: & ſine ipſo factum eſt nihil*, id eſt peccatum, ſecundum Parentis Auguſtini, & Angelici Doctoris interpretationem. Deinde omnis conuentio turpis vtrinque per leges prædictas redditur irrita, & nulla; ac proinde dans pretium merito ſpoliatur illo, & fit indignus recuperationis ipſius. Tertiò arguitur inductione: nam pretium quod accipit Iudex ob ferendum ſententiam iniquam, & quod accipit teſtis ob ferendum falſum teſtimonium, & quod accipit tabellio ob falſam ſcripturam, illico tenentur reſtituere in foro conſcientiæ, & non alia ratione, niſi quia eſt turpe lucrum comparatum per conuentionem ex vtraque parte iniquam: ergo eadem ratione reſtituendum eſt in foro conſcientiæ quodcumque lucrum acquiſitum, per quamcumq; conuentionem vtrinque illicitam. Quartò arguit Medina ex lucro meretricio, id eſt pro venereo actu accepto à meretricibus, quod tenentur reſtituere in foro conſcientiæ, eò quòd turpe eſt, & ob turpem ex vtraque parte cauſam acceptum: ergo idem de aliis ſimilibus dicendum eſt. Antecedens probatur. Nam ſi ob aliquam rationem id non eſſet reſtituendum, maximè ob aſſignatam à D. Thoma 2. 2. *quæſt.* 32. *artic.* 2. *& quæſt.* 62. *art.* 5. *ad* 2. ſcilicet quia licet meretrix turpiter faciat meretricando, non tamen turpiter accipit: quam deſumpſit ex Iuriſconſulto *lege* 4. §. *Sed & quod meretrici. ff. de condition. ob turpem cauſam.* Sed hæc ratio ſecum pugnat, quia ſupponit turpe eſſe meretricari, & non eſſe turpe mercedem ex meretricio capere: quod eſt implicatio in adiecto; nam propterea eſt turpe accipere mercedem ob homicidium, quia turpe eſt hominem occidere, vt probatur *in leg.* 1. *eiuſdem tituli*, & propterea eſt turpe iudici accipere mercedem, vt iniquè iudicet, quia turpe eſt iniquè iudicare: vt habetur *in lege* 3. *eiuſdem tituli.* ergo illa ratio D. Thomæ diſtinguentis cauſam turpem, à turpi acceptione, & ſeparantis vnam ab alia, latentem inuoluit contradictionem.

3 Secunda ſententia † & media aſſerit munus ſiue pretium datum, & acceptum in huiuſmodi conuentionibus vtrinque turpibus, non vniuerſaliter eſſe reſtituendum, ſed cum quadam limitatione. Hanc autem limitationem vno ex tribus modis explicant Authores huius ſententiæ. Couarruuius namque limitat priorem ſententiam ad illa crimina, in quibus nullus labor, aut induſtria pretio æſtimabilis inuenitur annexa, quorum proinde pretium datum ex præcepto eſt reſtituendum ante iudicis condemnationem: Secus verò in aliis, quæ ratione laboris, & induſtriæ annexæ ſunt pretio æſtimabilia. Alij verò cum Soto, & Corduua reſtringunt dictam ſententiam vniuerſalem, ad datum & acceptum propter crimina, quæ non ſunt contra iuſtitiam propriè dicta: eò quòd peccata contra iuſtitiam inuendibilia ſunt: cætera vero ſunt vendibilia, maximè quando vtilia, aut delectabilia ſunt. Vnde pretium pro his receptum non manet obnoxium reſtitutioni: Alij denique ſequuti Gabrielem *in* 4. *d.* 15. *q.* 6. *art.* 1. *&* 2. & Adrianum *vbi ſupra*, extendunt obligationem reſtituendi ad datum & acceptum propter quæcumque crimina, ſiue contra iuſtitiam, ſiue contra aliam virtutem, dummodo non ſint contra debitum officij, ita vt ſolùm datum & acceptum contra iuſtitiam, & contra officij obligationem ſit obnoxium reſtitutioni: v. g. quod accipiunt Iudex pro ferenda iniuſta ſententia, vel pro non ferenda iuſta ſententia, quam ferre ex officio tenebatur: Et miniſter Iudicis pro exequendo iniquum miniſterium, & Tabellio pro ſcribendo falſam probationem, &c. Quod probant tum argumento tertio adducto pro prima ſententia: Tum etiam ex *cap. Non ſane* 14. *quæſt.* 5. deſumpto ex Auguſtino *Epiſtola* 104. *ad Macedonium*; vbi dicitur Aduocatum teneri ad reſtitutionem eorum, quæ accepit propter iniquum patrocinium. Eadémque ratio videtur eſſe de aliis miniſtris iuſtitiæ, qui vltra ſtipendium ſibi taxatum, aliquid accipiunt propter peccatum patrandum contra obligationem ſuorum officiorum, aut proceſſando ab illo opere, quod eſt debitum ratione ſui officij; hæc enim omnia iuſtitiæ munia gratis, & ſine mercede exequi, & oppoſita vitare tenentur.

Tertia ſententia † negans eſt, quam ſequuntur D. Antoninus, Monaldus, Angelus, & Syluеſter in locis præallegatis, quibus ſubſcribit Nauar. *d. cap.* 17. *Manualis*, recedens à communi, quam vſque tunc ſecutus fuerat, & Banneſius *in dicto artic.* 5. *quæſt.* 62. *dub.* 3. & Vaſquius *tractatu de reſtitutione cap.* 7. *dub.* 4. Quæ etiam à nobis ſtatuitur pro concluſione tenenda. In qua aſſerimus cum his Authoribus, recipientem mercedem ob maleficium, neque iure naturali, neque iure aliquo humano teneri ante Iudicis ſententiam ad reſtitutionem, ſi promiſſum maleficium adimpleuit. Quod ideò dico, quoniam quando malum ob quod data fuit merces, non conſequitur, certum eſt, reſtituendum eſſe datori, v. gr. ſi datum fuiſſet pretium Iudici vt iniuſtè ferret ſententiam, aut Epiſcopo vt beneficium conferret; & Iudex iuſtā tulit ſententiam, neque Epiſcopus beneficium contulit: tam Iudex, quàm Epiſcopus tunc tenentur pretium acceptum datori reſtituere. Igitur † noſtra concluſio ſuadetur. Primò quia nulla eſt lex naturalis, diuina, aut humana, ciuilis, vel Canonica, qua iubeatur pretium, ſiue donarium acceptum in caſu noſtræ concluſionis reſtitui, aut quæ impediat dominij tranſlationem: ſolúmque leges, & Canones citati huius materiæ ſtatuunt, ne id quod datur ob delictum perpetrandum repeti poſſit, & ne id quod promittitur peti poſſit, neutiquam tamen præcipiunt quod ſemel acceptum ob delictum alicui reſtituatur: ergo cum huiuſmodi leges pœnales ſint

4 5

non

non sunt vltra id, quod expressè disponunt ampliandæ, vel extendendæ.

Secundò probatur ratione ostensiua à priori. Nam cum dictæ leges Ciuiles, & Canonicæ non impediant in huiusmodi turpibus stipulationibus dominij trãslationem, res data ob maleficium vèrè transit in dominium accipientis, qui proinde factus Dominus illius, nullo iure tenetur eam in foro conscientiæ restituere, quia nullus tenetur restituere id quod suum est: vtpote quia neuter titulus interuenit hoc in casu, in quo fundatur obligatio restituendi. Neque enim iste qui accipit rem pretio rationabilem ob maleficium, teneatur eam restituere titulo rei acceptæ, quia iam effecta est sua; neque titulo iniustæ actionis, aut acceptionis, quia actio ipsa recipiendi pretium ob aliquod delictum perpetrandum, licet mala sit ex fine, & prohibita per dictas leges, non tamen est iniusta, hoc est contra iustitiam commutatiuam, per cuius læsionem duntaxat oritur obligatio restituendi. Etenim in eo quod Petrus, & Ioannes ex pacto conueniant, quod Ioannes in obsequium Petri occidat, vel percutiat Paulum, & Petrus pro hac actione, & obsequio ei rependat centum aureos, nulla interuenit iniustitia commutatiua; nam actio ipsa, licet peccaminosa, & iniusta, tamen provt vtilis Petro, & exhibita in obsequium eius, est vendibilis & pretio æstimabilis. Cuius iustum pretium est illud, quod aut ex conuentione partium, aut ex prudentum arbitrio taxatur, quod suppono in nostro casu fuisse centum aureorum: ergo iusta fuit venditio, iustúsque contractus, vtpote æqualis pro æquali inter partes voluntariè conuenientes. Dixi ex conuentione partium, aut ex prudentum arbitrio, intellige rationabili; nam si pretium exorbitans esset, & rationabilem partium conuentionem, aut iuxta prudentum arbitrium excederet notabiliter valorem obsequij, iniusta esset ex hoc capite stipulatio, & consequenter recipiens teneretur restituere ipso facto excessum pretij accepti.

6 Tertiò probatur: nam † omnis restitutio orta ex legitimo titulo alicui facienda est, scilicet ei à quo acceptum est, iuxta sententiam D. Thomæ 2.2. *quæst.* 62. *art.* 5. communiter receptam: nam si agitur de restitutione rei alienæ, vero Domino facienda est, nisi propter crimen illa per legem, aut sententiam priuetur. Si autem de recompensatione damni illati, facienda est patienti damnum, vt tradit D. Thomas citatus, & benè notat Nauarrus *in dicto cap.* 17. *num.* 30. Atqui non apparet cui facienda sit huiusmodi pretij accepti ob maleficium restitutio: ergo signum est nulli faciendam esse, ac proinde non esse faciendam. Minor probatur: nam apud Authores contrariæ sententiæ tanta est varietas in assignando personam, cui fieri debet huiusmodi restitutio, vt ex ipsa opinantium varietate efficax argumentum sumatur nullam esse faciendam restitutionem. Alij namque volunt restitutionem fieri debere pauperibus, alij ei in cuius detrimentum facta est iniqua conuentio, & alij ei, qui dedit pretium ob perpetrandum maleficium: Sed nulli ex his faciendam esse patet, discurrendo per singulos. Et quidem quod non pauperibus, constat, quia pauperes substituũtur loco veri Domini, neque aliter pauperes habent ius ad alienas res obtinendas, nisi quando verus Dominus non comparet, aut quando iure spoliatur rebus suis, vt in conuentione Simoniaca. Atqui in casu nostro verus Dominus extat, neque per legem aliquam spoliatur donario, quod ob maleficium alteri contulit. Deinde quod neque patienti damnum, patet; quia huic fit satis si restituatur, aut recompensetur integrum damnum, quod passus est. Ad cuius restitutionem, siue recompensationem proculdubio tenentur ambo incuntes iniquam conuentionem titulo iniustæ actionis. Denique quod non ei qui dedit, probatur; quia iste dans pretium pro actione sibi vtili, & pretio æstimabili, voluntariè abdicauit à se dominium ex pacto, & conuentione vtriusque partis, ac proinde transtulit dominium talis pretij in accipientem: ergo non manet verus Dominus pretij dati, ac per consequens neque ei facienda est restitutio.

Quartò probatur ab inconuenienti, quod sequitur ex opposita sententia; nimirum, quod vendens venenum alteri, quem scit illo malè vsurum, & vendens gladium, siue ensem exacutum alteri, qui vult cum illo hominem occidere, teneantur ad pretij accepti pro veneno, & pro gladio restitutionem. Similiter miles qui conductus est stipendio ad bellum iniustum, tenetur ad restitutionem stipendij, & Christianus vendens Iudæo agnum, quo Paschale festum celebret ritu Mosaicæ legis, & vendens eidem ramos myrti ad celebrandum festum Scenophegiæ, tenerentur pariter ad pretij restitutionem, quæ omnia sunt inconuenientia nullatenus admittenda: ergo. Sequela patet à paritate rationis: & Minor ostenditur ex eo, quod licet in his actionibus interueniat malitia moralis ex circunstantia finis, vt si quis eo fine venderet venenum & gladium vt alter occideret; vel eo fine venderet agnum, vel myrti ramusculos, vt Iudæus ritum Iudaicum exerceret: verùm ex parte obiecti nulla est malitia, neque vlla admiscetur iniustitia in huiusmodi venditionibus, maximè si illi, qui huiusmodi res vendit, ex officio incumbat, aut eo fine vendat, vt sibi ac suæ familiæ victum, & vestitum comparet necessarium. Quemadmodum, neque peccant illi, qui locant domos suas meretricibus, & ædificant lupanaria ad bonum finem, ad exercendum artem aliquam licitam, vel in obsequium Reipublicæ: vel vt inde suæ vtilitati, aut necessitati prospiciant, licet sciant fœminas quibus locant, esse ibi peccaturas, vt bene notat Nauarrus in dicto *cap.* 17. *Manualis num.* 195. *& lib.* 1. *consiliorum titulo de Iudæis consil.* 2.

Ex † quibus respondetur ad primum pro contraria sententia, negando maiorem. Nam licet in dictis legibus, & canonibus prohibeantur, & damnentur tanquam turpes, & iniquæ huiusmodi stipulationes & pacta, quibus aliquid datur ob maleficium; non tamen irritantur ipso facto, ita vt ante iudicis sententiam sint irritæ & inualidæ, licet ob sui turpitudinem veniant annullandæ & rescindendæ, ob quam rationem fortè dictæ leges eas nullas, aut nullius roboris appellant: ac per consequens hæc turpitudo, & prohibitio nihil obstat, quominus valeant ad transferendum dominium pretij dati: Subdit quoque Nauarrus sequutus Antoninum *vbi supra*, huiusmodi turpes conuentiones ex vi prædictarum legum ciuilium, & 7

Canoni

Canonicarum reddi nullas & inualidas, non ſimpliciter & abſolutè,ſed ſolùm in illa forma, quam contrahentes prætendunt facere,hoc eſt in vi contractus, pacti oneroſi, & ſtipulationis; quia iuxta regulam iuris, *facta contra legem habentur pro infectis*; valent tamen in ratione cuiuſdam virtualis donationis, aut actus habendi pro derelicto. Nam ex vi illius malè dans habet rem datam pro derelicta, aut pro donata, itavt ex parte recipientis nulla ſit obligatio iuſtitiæ illam ei reddendi, quam virtualem donationem ſiue derelictionē leges recenſitæ ex *titulo*, *ob turpem cauſam*, interpretantur in pœnam delicti ipſius dantis, dum ei denegant actionem repetendi.

Ad Secundum admiſſo antecedenti, nego conſequentiam; quia in contractu Simoniaco militat ſpecialis ratio, ob quam Eccleſia, & ius Canonicum illum irritum fecere,ne ſcilicet per illum ex altera parte, dominium rei ſpiritualis aut pretij in alteram transferretur:quare vterque per Canonicas leges, vt videre eſt in *cap.finali de pactis*,*cap.de hoc de Simonia*, & *extrauaganti 2.eodem titulo*,manet priuatus ipſo facto eo quod accepit; emptor quidem re ſpirituali, quam tenetur in foro conſcientiæ reſignare,atque à ſe abdicare:venditor verò pretio accepto, quod Eccleſiæ,vel pauperibus tenetur reddere,provt ſuo loco explicuimus.

8 Ratio † autem ſpecialis irritandi huiuſce Simoniaca pacta, Simonia reali, duplex eſt: quam inſinuant D. Thomas 22.*q.*32. *art.*7.Sotus *in dicto lib.*4.*de iuſtitia q.*7.*art.*1.*ad* 2.Medina,Plutenſis *Cod.de reſtitut.q.*20.& Nauarrus in dicto *cap.*17 *n.*31.§.*non obſtat.*3.Prima eſt quam aſſignat Medina,quia ſcilicet materia Simoniaci pacti eſt res ſpiritualis omnino inuendibilis, eo quod eſt ſupernaturalis, ac proinde nullo pretio æſtimari poteſt. Aliæ vero actiones humanæ quia iniquæ, etiam inuendibiles ſunt ac nullo pretio æſtimabiles.Sed eam tripliciter impugnat Soto. Tum quia etiam res ſpiritualis quatenus conducit ad humanum vſum, & eſt vtilis, ac proficua emptori, pretio æſtimari poteſt de ſe,& ſtando in ſolo iure naturali antecedenter ad omnem Eccleſiæ prohibitionem.Tum etiam quia aliquæ res ſpirituales vt beneficia, habent fructus temporales annexos:ergo ratione illorum non eſt cur venalia non ſint. Tum deniq;quia licet vita ſit iſtius ordinis vt ſuperet pecunias & diuitias,tamē illis quandoque ſolet ſecundum prudentum arbitrium æſtimari.Vnde & homicida cogitur pecuniis quandoque vitam hominis à ſe occiſi recompenſare. Quare ſecunda ratio quam aſſignat Soto eſt,quod res ſpirituales, ac ſupernaturales gratis fuerint datæ diſpenſatoribus Eccleſiæ,in commodū non priuatum, iuxta Domini præceptum, *gratis debent dare*. Sed facili negotio vtraque ratio ad concordiam reducetur,ſi dicamus priorem eſſe radicalem,& poſteriorem,proximam & formalem.Ideo enim res ſpirituales gratis dari debent quia ſupernaturales ſunt,aut aliquid ſupernaturalitatis habentes,ex quo pertinent ad ordinem gratuitum. Sed maius negotiū faceſſit D. Thomas,qui in dicto *art.*7.parificat Simoniacis pactis alias turpes conuentiones ex vtraque parte, dum ſic ait. *Sicut contingit in Simonia, in qua dans & accipiens, contra iuſtitiam legis diuinæ agit. Vnde non debet fieri reſtitutio ei, qui dedit, ſed debet in eleemoſinas erogari:& eadem ratio eſt in ſimilibus,in quibus ſcilicet & datio,& acceptio eſt contra legem.*Sed D.Thomas benignè eſt interpretandus; aut enim loquitur iuxta morem antiquorum, qui in ea communi opinione fuerunt, vt exiſtimarent omnes turpes ſtipulationes eſſe nullas & inualidas ſecundum ius humanum,Ciuile, & Canonicum. Aut quod non de omnimoda ſimilitudine, & identitate rationis loquutus eſt, ſed de aliquali, hoc eſt quantum ad prohibitionem & turpitudinem,quæ pariter eſt in Simoniacis, atque in aliis pactis iniquis ob turpem cauſam initis,non verò quoad defectum valotis,aut quoad obligationem reſtituendi ante Iudicis ſententiam.

Ad Tertiū reſpondetur prænotando, † tripliciter poſſe Iudicem, aut Tabellionem accipere 9
aliquid vltra ſtipendium ſibi taxatum.Vno modo ſi ipſe Iudex, aut Tabellio, ſiue Aduocatus petat ſibi dari aliquod munus à litigante: alio modo ſi litigans offerat munera Iudici, ſiue Tabellioni ad ſui redimendam vexationem, id eſt ne in proferendo ſententiam, aut conſcribendo proceſſum à iuſtitia deflectat, aut iniuriam ei faciat. Ac tandem ſi litigans offerat munera iudici,vel alteri miniſtro iuſtitiæ,vt alteri iniuriam aliquam faciat, ſiue vt iniquam ferat ſententiam, vel teſtes ad falſum proferendum inducat. Et quidem in primo caſu exiſtimo Iudices,Tabelliones, & alios † iuſtitiæ miniſtros 10
teneri in foro conſcientiæ ad reſtitutionem munerum, quæ vltra ſibi taxata ſtipendia à litigantibus acceperunt, exceptis moderatis eſculentis & poculentis,in quorum receptione, aut ob materiæ paruitatem, aut ob patriæ,ſeu prouinciæ morem à peccato iniuſtitiæ, & ab obligatione reſtituendi excuſantur. Cuius ratio eſt, quia hoc in caſu militat vterque titulus reſtitutionis,ſcilicet iniuſta acceptio, eò quòd contra legem iuſtitiæ munera accipiunt, quibus Iudicum animus plerumque corrumpitur, quem tamen integerrimum,& illæſum, ac proinde muneribus alienum,leges Diuinæ ac humanæ ſanxerunt:Et res accepta, eò quòd litigantes dum rogati munera exhibent miniſtro iuſtitiæ, ad ſuam redimendam vexationem;id faciunt, non ſimpliciter voluntarij, ſed cum mixto inuoluntario, ſicut mutuatarius ſolūit vſuras mutuanti à quo aliter non poteſt mutuum accipere, qui proinde tenetur in foro conſcientiæ reſtituere mutuatario fœnus vltra ſortem principalem acceptum: eò quòd illius per inuoluntariam dationem mixtam, dominium non cenſetur in mutuantem tranſtuliſſe. Pariter neque qui ſic miniſtro iuſtitiæ munera confert,in eum dominium transfert: qui proinde tanquam rei alienæ detentor, ad accepti donarij reſtitutionem tenetur. Vnde & Scholaſtici Auditores Salmantini, qui Iudicum locum obtinent, in Cathedrarum prouiſione munera vel donaria ab oppoſitoribus vicem litigantium habentibus, iſto modo accipientes, ſcilicet petendo illa per ſe, vel per alium directè vel indirectè, explicitè, vel implicitè, durante lite oppoſitionis, præterquam quod ſunt rei criminis contra legem iniuſtitiæ, & fracti iuramenti, in foro conſcientiæ ad eorum reſtitutionem tenentur.

In ſecundo verò caſu dicendum eſt iuxta doctrinam dubij præcedentis,quod huiuſmodi miniſtri

11 † ministri Iustitiæ peccant recipiendo pretium, vel donarium loco pretij pro eo opere, ad quod de iustitia, vel ex vi sui officij tenentur: Non tamen illud ante Iudicis condemnationem restituere tenentur, quia attento iure naturali & ciuili communis dans voluntarius censetur, & per voluntariam donationem dominium transfert in recipientem, etsi per dictas leges de conditionibus ob turpem causam danti conceditur actio repetendi. Sed nunquid à peccato excusatur? Vix à peccato excusari respondet Soto *vbi supra*, quoniam leges huiusmodi largitiones verantes, pariter hac via prohibuerunt redimere vexationem. Nam illo prætextu multæ fierent corruptiones, eò quòd vnusquisque in propria causa est iniquus Iudex, & cuique apparet ius habere certum, atque adeò suam vexationem redimere, quæ in litibus maxima pernicies est: nempe dum vterque litigantium, vt vexationem redimat, vexando præuenit alterum, dátque illi ansam vt & ipse suam redimat. Idque vtinam non vsque ad Principum pulsandas discordias procederet. Hæc Soto in dicta *solutione ad 2.§. sed nunquid.* Satisque scitè sine vaticinio discordias præsentes, quibus tota conquassatur Europa inter Principes Christianos ortas, ex titulo redimendæ vexationis malè intellecto prænuntiat. Si autem reutra vexationem patiatur litigans, aut quia alter præuenit muneribus Iudicem, aut quia Iudex aliter ad iustitiam exequendam non est pronus, nisi muneribus inclinetur, excusabitur à peccato munera ei largiendo ad hunc finem: quia vnicuique fas est ius suum protegere. Verum tamen est, per leges Regni Castellæ, quæ in dicta præsumptione fundantur, & Iudicem fieri inhabilem ad sic aliquid à litigantibus recipiendum, ad cuius proinde restitutionem tenetur: & ipsum litigantem sic munera largientem Iudici puniri litis amissione; vt explicant Auendaño *de exequendis mandatis cap.2.* & Mercado, *in summa cap.16.* & Vasquius *cap.7. de restitutione dub. 6.* Si quid autem accipiant Iudices & alij Iustitiæ Ministri pro iniusto actu, vel processando à iusta sententia, vel pro iniqua iusti ministerij omissione, poterunt retinere: eò quòd per dictas leges recopillationis, tantùm eis taxantur stipendia pro debita sui muneris executione.

12 Denique in † Tertio casu iudicandum est sicut de aliis stipulationibus turpibus ex vtraque causa; nimirum valere quidem huiusmodi muneris largitionem saltem in vi donationis, per eámque dominium transferri; ac proinde neque Iudicem, neque Scribam, isto modo recipientem munera à litigantibus, teneri ad eorum restitutionem in foro conscientiæ, & ante Iudicis condemnationem: stando in iure naturali, & ciuili atque Canonico communi. Dices: ergo Iudex, & similiter Scriba tenentur ex iustitia commutatiua ad non faciendam aliquam actionem, & ad faciendam eandem: quod videtur implicare. Consequentia patet; nam ex iustitia commutatiua Iudex tenetur ad non proferendam iniquam sententiam, & Scriba ad non scribendam nociuam falsitatem: tenentur quoque ex iustitia commutatiua in vi contractus quo pretium accipiunt; ille quidem ad proferendam iniquam sententiam, iste verò ad scribendam falsitatem, siquidem talis contractus validus est. Respondeo negando consequentiam. Nam licet consequens sit verum pro prima parte, non tamen pro secunda; quia huiusmodi contractus, aut non est absolutus, sed tantùm conditionatus: scilicet accipere decem vt feras sententiam iniquam, vel vt facias talem falsitatem, aut iniuriam alicui, quam si feceris transfero in te dominium horum decem. Vnde sequitur, quod licet vterque peccet contra iustitiam, recipiens verò non tenetur restituere postquam adimpleuit promissum, sed antea. Aut talis contractus duntaxat est validus in vi donationis, v. g. si talem iniquã actionem feceris, ex nunc pro tunc dono tibi ista decem, & transfero in te eorum dominium; vnde non ex vi contractus, neque de iustitia commutatiua, neque ex vi fidelitatis in adimplendis promissis, obligatur ad talem iniquam actionem faciendam; quia cum istæ virtutes sint, non possunt ad malum inclinare, aut obligare: sed ex sua praua voluntate cupiditate pretij allectus seipsum obligat, iniquam promissionem putans vinculum fidelitatis, ac iustitiæ, cum tamen etiamsi iurata esset, non esset executioni mandanda, quia neque iuramentum contra bonos mores quempiam obligat.

Ad Quartum † varij sunt modi dicendi inter Doctores, qui rationem discriminis specialem conantur assignare in accepto ob meretricium, & accepto ob aliud delictum, propter quam volunt illud non esse restituendum, bene tamen istud. Primum fuit ipsius Iurisconsulti, scilicet, quia licet meretrix turpiter faciat, non tamen turpiter accipit: quam sequitur D. Thomas in duobus locis præallegatis: quod verbum interpretatur Couarruuias, & alij ad hunc sensum, quod per leges humanas meretrix permittitur meretricari, & ideo faciunt iustam operam meretricis, non tamen operas aliorum delinquentium, quorum delicta leges humanæ non permittunt; cui etiam subscribit Nauarrus in dicto *c.17.n.38. & sequentibus.* Secundus est Adriani *vbi supra* asserentis, quod meretrix nihil accipit inuito Domino, sed sponte donatum accipit pretium sui corporis, & propterea ad eius restitutionem non tenetur. Tertius est Caietani in dicto *art. 7. quæstionis 32. §. aliter ergo*; asserentis, quod vsus meretricis, licet secundum se sit malus, tamen est materia vendibilis, & propterea constituit venditionem iustam, quia cadit supra debitam materiam: res autem sacra, & similiter iniustitia proximo illata, vel inferenda, non sunt materiæ vendibiles, vnde venditio illarum redditur iniusta, quia cadit supra debitam materiam, cuius differentiæ signum est, quod dare mulieri pro actu venereo antequam fiat, malum est, pro quanto imperatur à luxuria; post factum verò, non est malum, sed actus iustitiæ à nullo vitio imperatus: dare autem pretium pro re sacra, aut pro crimine iniustitiæ tam ante, quàm post factum, semper est malum &c. Caietano subscribunt Soto *vbi supra*, & Bañesius in *loco citato dub.5.* quatenus asserũt vsũ venereũ, etsi peccaminosũ, esse de se vendibilem, & pretio æstimabilem; 13

non ratione malitiæ moralis, ſed ratione delectationis, & vtilitatis, quam habet ad humanos vſus conducentis: nam multis modis vtilis eſt, nimirum quia per illum & eius delectationem mitigatur hominis concupiſcentia, ſiue paſſio, & generatur proles, & quandoque per illam ſeminis emiſſionem præſeruatur homo ab infirmitate, aut valetudinem amiſſam recuperat. Quartus eſt Ioannis de Medina in dicta *q.* 20. aſſerentis nullum eſſe diſcrimen inter acceptum ob meretricium, & acceptum ob aliam turpem operam; quia vtrobique interuenit peccatum ex vtraque parte, & vtrobique recipiens turpiter facit, tum in principali delicto ſuper quo fit factum: tum in dando, & accipiendo pretium pro illo, & vtrobique recipiens tenetur in foro conſcientiæ, ad reſtitutionem. Quare etiam meretrices (concludit ille) tenentur reſtituere pretium pro vſu ſui corporis acceptum, ſi tamen illud per modum pretij acceperunt. Secus autem ſi via liberalis donationis, nam tunc illud poterunt tuta conſcientia retinere. Quem ſequuntur alij Iuriſperiti ſuper dicta *leg. 4. ff. ob turpẽ causã §. ſed & quod meretrici.*

14 Ex quibus † modis dicendi, planè ſentio Primum eſſe aliis omnibus præferendum, quod ex confutatione fiet manifeſtum: Secundus
15 enim † Adriani deficit in eo, quod pretium propter vſum corporis meretricis ait eſſe ſponte donatum, acceptum verò propter alia maleficia non eſſe ſponte donatum, quod quidem eſſe falſum hoc diſcurſu probatur. Nam aut per ſponte donatum intelligit donatum liberali ac ſimplici donatione, non conuentionali: aut donatum voluntaria traditione, etiamſi admiſceat conuentionem oneroſam, qualis in quouis contractu, ſcilicet emptionis, locationis, & ſimilium inuenitur, qui licet ſit oneroſus (do enim vt des, vel do, vt facias) tamen non tollit voluntariam pretij dationem, neque illius dominij impedit tranſlationem. Si primum, falſa eſt ſuppoſitio Adriani; nam donatio pretij facta meretrici pro vſu turpi corporis ipſius, licet opponatur inuoluntariæ dationi, non tamen opponitur conuentioni oneroſæ, imo ſemper illam includit explicitè vel implicitè: Amaſius enim hoc contractu ſaltem implicitè eam aggreditur; do tibi hoc, vt coeas mecum, vel dabo ſi coieris, etiam iuxta phraſim Sacræ ſcripturæ. Nam *Geneſ.* 38. refertur, Iudam volentem concumbere cum Thamar, quam exiſtimauit meretricem, hoc iniſſe pactum dicente illa; *quid dabis mihi, vt fruaris concubitu meo*; dixit Iudas, *mittam tibi hædum de gregibus*: & Prouerbiorum 6. dicitur *pretium meretricis, vix vnus panis.* Quo nomine etiam appellatur in pluribus legibus à Couarruuia citatis, in quibus meretricibus conceditur actio petendi pretium illis promiſſum & à Republica taxatum, pro turpi vſu corporum ſuorum, & nomen ipſum meretricis à merendo deriuatum, id ipſum indicat: pretium autem non habet locum extra oneroſam conuentionem. Si ſecundum, eadem ratio militat in aliis conuentionibus initis ob turpem cauſam, quia ſunt conuentiones voluntariæ, & validæ vtroque iure, ſcilicet naturali, & humano, ſiquidem nulla lege naturali, aut humana irritantur, vt dictum eſt: per quamcumque autem conuentionem iure naturali & humano validam, transfertur dominium rei tranſactæ ab vna parte in alteram: ergo eadem ratione dicendum eſt, quod pretium ceptum ob quodcumque aliud maleficium, v.g. ob homicidium, Sacrilegium, aut quidpiam ſimile perpetrandum, eſt ſponte donatum, ideſt voluntaria traditione dantis, ac per conſequens quod recipiens ad eius reſtitutionem non tenetur.

Deinde Tertius † Caietani, & aliorum 16
Thomiſtarum, quatenus nedum in foro externo, ſed etiam in foro conſcientiæ, conſtituit diſcrimen inter dationem & receptionem pretij ob meretricium, atque dationem & acceptionem pretij ob alia maleficia, quaſi illa in vtroque foro ſit licita, & iuſta; iſta verò in neutro: etſi probabiliter ſuſtineri poſſit, verumtamen deficit propter quatuor. Tum quia in omni alia turpi conuentione licita eſſet datio & acceptio pretij, licet ſit turpis cauſa ob quam datur: ac proinde hoc non eſſet ſpeciale in eo quod datur meretrici ob vſum venereum: conſequens autem eſt falſum, & à Caietano ipſo negatur: ergo & antecedens. Sequela patet; nam non eſt minus vendibile ac pretio æſtimabile quodcumque aliud maleficium factum in obſequium alterius: Si enim actus venereus meretricis eſt materia vendibilis, quia delectabilis, quia extinguit paſſionem concupiſcibilis, & quia ex illo proles generatur; pariter & homicidium, ſiue ſententia iniuſta, eſt materia vendibilis, quatenus ad vſum humanum conducens, eò quòd iracundo eſt delectabis vindicta, & extinguit paſſionem iræ, & iniuſta ſententia cupido eſt vtilis non minus, quàm ſenſuali actus venereus. Vnde in foro conſcientiæ atque ſtando in iure naturali ac Diuino, eadem eſt ratio in omnibus huiuſmodi ſtipulationibus turpibus, quia in omnibus datur, & accipitur pretium contemplatione maleficij damnati, & punibilis in illo foro, & in omnibus æquè admittitur turpitudo ab vtraque parte quoad idem forum: neque enim eſt iniqua datio pretij, & acceptio propter homicidium, vel Sacrilegium, niſi, quia fit propter peccatum iure naturali ac Diuino prohibitum: ſed etiam datur pretium meretrici propter actum venereum, qui eſt diuino & naturali iure prohibitus: ergo etiam eius datio, & acceptio in foro Dei eſt iniqua. Tum etiam quia ſi aliqua prouincia, aut Reſpublica non permitteret meretrices, neque eis actionem petendi pretium ſuorum corporum in foro iudiciali concederet, neutiquam eſſet licitum eis petere, aut accipere pretium ſui corporis; & tamen actus venereus illarum eſſet eiuſdem rationis, vtilitatis, ac delectionis, atque in aliis prouinciis, in quibus per leges ciuiles permittitur: ergo ſignum euidens eſt, quod independenter à permiſſione humanarum legum non eſt materia iuſtè vendibilis. Tum etiam argumento ad hominem contra Caietanum: qui fatetur malum eſſe dare pretium meretrici pro vſu venereo antequam fiat, pro quanto imperatur à luxuria; poſt factum verò eſſe actum iuſtitiæ. Atqui ſi talis vſus venereus eſſet materia

de

de se vendibilis, ante & postquam fiat, esset iusta eius venditio, atque datio pretij pro illo; quod enim iustè fit, iustè quoque promitti potest: ergo sicut iustè pro illo iam expleto datur pretium; cur pro eodem explendo non poterit iure promitti? Tum denique, quia teste eodem Caietano 22.q.100.*art.*2.*ad* 2.*dubium*; licet aliquid de se sit vendibile, tamen si inseparabiliter habeat annexum quid inuendibile, absolutè redditur inuendibile; sicut actus conficiendi, & ministrandi Sacramenta, licet de se temporalis sit, tamen ob spiritualitatem annexam redditur inuendibilis absolutè & simpliciter, quia in illo magis consideratur spirituale quàm temporale. Sed actus Venereus meretricis licet in ratione entis boni, vtilis, ac delectabilis sit vendibilis: tamen habet annexam inseparabiliter malitiam moralem, quæ in illo magis consideratur, & quæ est inuendibilis: ergo ratione illius absolutè, & simpliciter redditur inuendibilis; eadémque ratio militat in aliis delictis, puta homicidio, Sacrilegio, & furto.

17 Dices † pro sententia Caietani: Si quis fruatur concubitu alicuius fœminæ, ea conditione, quod illam ducet in vxorem, tenebitur adimplere promissum, dabitúrque fœminæ actio in iudicio, in quo, aut vir illam ducere in vxorem, aut dotare compelletur. Rursus si quis à cauponario emat iusto pretio cibos in die ieiunij Ecclesiastici, ad cenandum, & frangendum ieiunium, iusta est pretij exhibitio, peccarétque contra iustitiam emptor non soluendo illud, etiamsi vsus ciborum esset malus, ac prohibitus: ergo pariter iusta erit datio pretij fœminæ ad peccandum expositæ pro actu venereo, quãtumuis malo & prohibito per diuinam legem. Huic obiectioni respondetur, quod in Primo casu Caietanus deberet negare antecedens, quoad primam partem; quia scilicet illa promissio matrimonij aut dotis, ante actum venereum est mala, vtpote à luxuria imperata, & ideo non obligat promittentem. Sed quia hoc proculdubio est inconueniens, quod ex sententia Caietani sequitur, verius dicito illam promissionem esse secundum se, & ex obiecto de re licita; scilicet de remedio exhibendo fœminæ per dotem vel matrimonium: & cum aliàs fuerit à fœmina acceptata, iam habet vim contractus, & stipulationis obligantis iure naturali promittentem, nedum ex fidelitate, sed etiam ex iustitia, ex qua contrahentes tenentur promissionem acceptatam implere, & verba contractus verificare, ne scilicet maneat accepta mulier & innupta, quæ fisa verbis promittẽtis, sui copiam corporis fecit. Non ergo adquisiuit ibi ius ad promissum ratione vsus venerei, (sicut in nostro casu ratione illius adquirit ius ad pretium) sed ratione promissionis acceptatæ ab ipsa; vel si mauis ratione damni sibi illati, si recepta maneat, aut infamiæ si innupta maneret. In Secundo verò casu admisso antecedenti, neganda est consequentia, quoniam vsus Venereus cum aliena est intrinsecè malus antecedenter ad omnem prohibitionem, ac proinde non est materia vendibilis. Vsus autem: ciborum non est malus ab intrinseco, nisi tantùm ab extrinseca lege eum in die ieiunij Ecclesiastici prohibente: quæ prohibitio etsi faciat illorum emptionem, ac venditionem malam ex fine, non tamen ex obiecto: ac proinde nihil obstat quominus cibi illi sint iustè, ac licitè vendibiles, pariter in die ieiunij, atque in aliis diebus.

Tandem † Quartus modus Medinæ etsi ve- 18
rus sit in eo, quod ait turpem esse pretij dationem, & acceptionem propter meretricium, sicut & propter alia maleficia: falsum tamen est in eo quod subdit, propterea meretrices teneri in foro conscientiæ ad pretij accepti restitutionem, nisi via liberalis donationis illud accipiant. Tum quia vt iam conclusum est, iuxta quod ab alio est acceptum voluntariè, & per conuentionem nullo iure inualidam, licet ab vtraque parte committatur turpitudo, nulli decepto est restituendum. Pretium autem à meretrice pro vsu sui corporis acceptum, voluntariè ei datur, & cum vera dominij translatione, per conuentionem scilicet nullo iure inualidam: ergo nulli est de præcepto restituendum. Tum etiam quia prædictus Author ait restituendum esse, si via pretij fuerit acceptum, secus si via donationis: hoc autem fine rationabili fundamento dicitur. Nam aut hoc reducendum est ad intentionem viri dantis, aut ad intẽtionem fœminæ recipientis. Si primum, semper erit obligatio restituendi: quia semper vir, vt experientia compertum est, intendit huiusmodi fœminis non donare sed soluere. Si secundum; nunquam erit locus restitutioni, quia regulariter fœminæ donationem liberalem munerum à se receptorum prætendunt, sicque nulla certa regula Confessariis constituitur, quod est inconueniens: ergo dicendum est cum Nauarro *vbi supra*, iustam esse pretij meretrici dationem, etsi ipsum meretricium iniustum sit; iusta inquam iure humano id permittente, quod in aliis paribus turpibus ex vtraque parte non permisit: in omnibus tamen dominium rei datæ transferri in recipientem, qui operas suas locat ad maleficium, ac proinde ante Iudicis condemnationem non tenetur ad restitutionem. Ex quo patet ad formam quarti argumenti negando antecedens. Ad cuius probationem respondetur, etiam turpem esse receptionem mercedis in meretrice, & damnatam, sicut in aliis locantibus operam suam ad maleficium perpetrandum, secundum ius naturale ac diuinum; permittitur autem iure humano ciuili, secundum quod dicitur iusta, vel non turpis, quod est specialissimum in opera meretricis. Nusquam enim (ait Nauarrus) inuenies textum, scilicet Iuris Ciuilis, qui significet licere accipere pretium pro opere peccandi, excepta vna meretrice, quoad forum exterius, in quo impunis relinquitur ac si non peccaret. Vnde si quis locaret operas suas ad officium peccaminosum, sed in foro externo per humanas leges permissum, v.g. ad pugnandum cum feris, siue ad turpes repræsentationes, vt mos olim fuit Romanis, proculdubio æquarentur meretricum operis quantum ad mercedem recipiendam, & retinendam, iuxta dispositionem dicti §.*Sed & quod meretrici.*

Obitérque hîc placet inserere explicationem Canonis *non sanè*, allegati pro aliquibus ex authoribus Secũdæ sententiæ. In quo Augustinus, aut loquitur non secundum ius naturale solùm, sed secundum leges positiuas humanas,

quæ fortè ſuo tempore tales turpes conuentiones irritas faciebant, & conſequenter dominij tranſlationem impediebant. Sicut modò in noſtro regno prohibentur Aduocati recipere munera à clientulis vltra ſtipendium taxatum à lege, *lib. 2. recopil. tit. 16. lege* 19. Aut loquitur de obligatione reſtituendi in foro iudiciali, & poſt Iudicis condemnationem: Alioquin ipſum non poſſe intelligi de ſola obligatione honeſtatis ſeu conſilij, vt Vazquius inſinuat, ſed diſtricta præcepti obligatione ex contextu ligat. Aut ſi mauis, loquitur de muneribus quæ ipſe Aduocatus poſtulabat à clientulo, ad quæ reſtituenda non minus tenetur quàm Iudex, & Tabellio. De quibus diximus teneri ex præcepto ad reſtitutionem ſic acceptorum, eò quòd tunc clientulus inuitus dare cenſetur. Ex quo proinde nullum fieri valet contra noſtram ſententiam argumentum.

19 Hinc colligo Primò; cæteras † fœminas, quæ non ſunt more ſcortantium proſtitutæ, ſiue virgines ſint, ſiue ſolutæ, ſiue nuptæ, ſiue monachæ; recipiendo aliquid pro turpi vſu corporis ſui, peccare quidem, ſed non teneri ad illius reſtitutionem. Ratio primæ partis eſt, quia locant operas ſuas ad maleficium, quod omni iure, & in vtroque foro damnabile eſt; nam harum fœminarum concubitus nulla humana lege permittitur, & aliàs eſt intrinſecè malus contra ius diuinum, ac naturale. Ratio verò ſecundæ eſt, quia pretium ſiue donatiuum, quod pro tali concubitu huiuſmodi fœminæ accipiunt, tranſit in earum dominium per voluntariam donationem, ſiue per conuentionem nullo iure inualidam: ad cuius proinde reſtitutionem non tenentur, niſi per violentiam moralem, aut per fraudem, ſiue dolum aliquid extorſerint ab amatoribus, hoc enim reſtituere eis tenentur, eò quòd violentia, fraus, & dolus cauſant inuoluntarium ſufficiens dominij tranſlationem impedire; violentia quidem erit, ſi poſtulet nimiis precibus, induſtria, & arte, aut coram aliis in quorum conſpectu amatori opprobrium eſſet donarium negare fœminæ poſtulanti, fraus verò & dolus ſi fingat paupertatem, quam non habet, vel ſi fingat ſe virginem eſſe, aut ab aliis viris incognitam, aut nunquam deinceps fore ab alio cognoſcendam. Quid ſi virgo eſt inuoluntaria? teneturne vir eam dotare pro qualitate perſonæ ratione damni illati, aut eam ducere vxorem? Quid ſi fuerit voluntaria, inuito tamen parente ſub cuius cura exiſtit? Reſpondet Soto *vbi ſupra* §. *an vero*, virum ſtruprantem ad nihil amplius teneri vltra id quod pollicitus eſt, quia ſcienti & volenti non fit iniuria: niſi inuitam rapuiſſet è domo parentis, tunc enim tenebitur parenti dotem filiæ recompenſare. Idipſum videtur dicere Bañeſius 22. *quæſt.* 62. *art.* 2. *dub.* 7. excepto quod ſtuprator tenetur (ait ille) parenti puellæ honorem ablatum in eodem genere ad arbitrium prudentis viri reſtituere; exiſtimo autem erga parentem non teneri de rigore iuſtitiæ virginis conſentientis ſtupratorem, niſi ratione dotis ac alimentorum; ac per conſequens ſi ad dotem, & alimenta non tenetur ſtuprator, neque ad aliud amplius tenebitur, niſi ob violentiam ipſius domui illatam. Cùm enim puella non ſit domina domus, ſed eius parens, ſi inuito parente eam de domo amator abduxit, fuit raptus; nam teſte D. Thoma 22. *q.* 154. *art.* 7. *in corpore*; raptus committitur per violentiam illatam quandoque fœminæ, & patri, & quandoque ſoli patri. Quod cùm ſit peccatum contra iuſtitiam, obligat ad reſtitutionem damni illati. Et ſimiliter conſurget obligatio, ſi Amaſius virginem conſentientem intra domum parentis deflorauerit ipſo neſciente, quia eius domui violentiam infert ſatis humanis legibus damnatam: rationéque damni illati ex illa, ad compenſationem parenti, qui eſt Dominus domus faciendam, tenetur ad prudentis viri arbitrium ante vllam Iudicis condemnationem. Solutio ergo Soti eſt intelligenda, quando Amaſius puellam conſentientem extra parentis domum defloratur, ſine raptu præcedente. Solutio autem Bañeſij quoad reſtitutionem honoris faciendam Parenti intelligenda eſt, quando adeſt raptus, vel aliqua violentia domui parentis illata. Sed quid de lucro iſto turpiter adquiſito facient fœminæ? Reſpondeo ſi liberæ ſunt, eo tanquam ſuo vti poſſunt; ſi nupta, debet illud reponere in communi theſauro, in quo ſunt alia bona, quæ conquiruntur durante matrimonio, ſicut id, quod adquireret labore manuum ſuarum; aut ſi maluerit, expendat illud in communes familiæ vſus. Si filia eſt ſub cura parentis, reddere illud debet parenti ſaluo pudore ſuo, aut aliàs in ſuos conuertere vſus: quidquid enim mulier nupta adquirit, domui ſuæ & marito adquirit, & quid filiafamilias adquirit parenti adquirit, & quid monacha adquirit monaſterio adquirit. Vnde & hæc lucrum de ſuo corpore, ſicut & quodcumque aliud de operis manuum ſuarum in communi depoſito reponere debet, aut de licentia Prælatæ in ſuos impendere vſus.

Colligo Secũdò, † viros quoque pro venereo 20
concubitu à fœminis pretium turpiter acceptum poſſe retinere, abſque obligatione reſtituendi, ſiue ſint laici, ſiue Monachi: non ea ratione, qua nituntur Soto, Couarruuias, & Bañeſius, ſcilicet quod opera viri in huiuſmodi actu non ſit minus pretio æſtimabilis, ſed potius magis, quippe quæ magis exhibet, quàm fœmina ad prolis generationem; hinc enim fieret illam eſſe iuſtè vendibilem, & nullum peccatum in eius locatione committi, quod abnegamus. Sed quia huiuſmodi pretium, etſi nec Diuinis, nec humanis legibus permiſſum, ſicut permittitur in ſolis meretricibus, quibus ſolis proinde conceditur in Iudicio per eaſdem humanas leges actio petendi, voluntariè datur à fœminis, & per conuentionem nullo Iure inualidam, vt ſcilicet viri earum libidini inſeruiant.

Colligo Tertiò: † donaria ſeu munera data 21
meretricibus, ſeu quibuſcumque aliis fœminis ob turpem corporis vſum ab his, qui alienare non poſſunt, non tranſire in earum dominium, ac per conſequens illas teneri ad eorum reſtitutionem in foro conſcientiæ. Ratio huius corollarij eſt, quia reſpectu horum qui non ſunt ſui iuris, nec alienare poſſunt tales conuentiones ſeu donationes, nullo iure ſunt validæ, ac per conſequens per illas non transfertur dominium in fœminas: quæ proinde donaria accepta ab huiuſmodi viris, vtpote aliena bona reſtituere tenentur. De horum autem numero ſunt milites, qui ob fauorem militiæ

facti

facti sunt inhabiles ad donandum meretricibus per *leg. sincera, Cod. de donation. inter virum & vxorem*, vbi milites prohibentur donare quidpiam meretrici, intellige quidpiam in magna quantitate, non iustum pretium, vt Soto *vbi supra* interpretatur. Sed nunquid per hanc legem annullatur militis larga donatio ante Iudicis sententiam? Medina affirmat: sed negat Adrianus, cui subscribit Vasquius *dub.* 3. & merito; quia in dicta lege tantùm conceditur militi actio repetendi, & reuocandi donationem. Deinde sunt furiosi, pupilli, & filij familias, qui (excepto Peculio Castrensi) nihil de bonis paternis expendere possunt, ac proinde neque illa in dominium meretricis transferre, nisi de licentia expressa, vel interpretatiua parentis: quam vtrum interpretari possimus, quando paruam quantitatem dat per viam pretij, aut per viam donationis fœminæ, à qua veneream capit delectationem? Problema est. Nam si in ludo paruam quantitatem de licentia interpretatiua parentis perdere potest, vt bene notat Sotus *in d. lib. 4. q. 5. art. 2. §. restat hic*, v. g. Scholari licitum est quinque ducatos ad ludum perdere, ex centum sibi ad victum deputatis, quia alioquin irrationabiliter esset parens inuitus: cur in venerea delectatione cum fœmina aliqua non habebit interpretatiuam licentiam expendendi aliquam paruam quantitatem, maximè cum ad hoc genus delectationis sit pronior iuuentus, quàm ad ludum? Ex alia parte quis prudenter interpretabitur in patre Christiano voluntatem, vt filius pro opera peccaminosa fœminis de bonis suis pretia rependat? His adiunge quod D. Thomas in dicto *articul. 7. quæst. 37. in solutione ad 2.* ait, lucrantem in ludo per leges prohibito ab eis qui rem suam alienare non possunt, puta à minoribus & furiosis, ad restitutionem teneri: ergo restituant fœminæ parentibus, quod eis insciis à filiisfamilas pro venereo concubitu extorserunt, & sibi imputent, si scientes, & volentes eis copiam suorum corporum fecerunt, qui nihil eis pretio æstimabile dare potuerint, nam scienti, & volenti non fit iniuria: nisi mauis dicere cum Bañesio *vbi supra*, quod pupillus tantùm potest dare meretrici, quantum ludere; neque hoc inficiamur.

22 Denique in hanc classem veniunt † Religiosi quicumque voto paupertatis solemni constricti, ratione cuius nihil alienare possunt sine Prælati licencia, quæ cum à dispensatiua potestate procedat, rationabilis debet esse, & ex rationabili causa concessa, qualis non censetur ad expendendum bona Monasterij, aut applicata vsui Religiosi in operibus illicitis, cuiusmodi sunt fornicatio, & ludus communibus aut municipialibus Religionis legibus prohibitus. Sed nunquid in virtute licentiæ, quam habet expendendi in suis vsibus & necessitatibus centum, v.g. aureos, poterit fœminæ eius libidinem explenti erogare quatuor vel quinque via donationis, aut loco iusti pretij? Affirmat Bañesius in dicto *dub. 1. circa finem 2. conclusionis* dicens: *De religiosis autem, qui omnino sunt pauperes, aliter arbitrandum est, quãtum ad huiusmodi expensas secundum facultatem, quam vnusquisque habere præsumitur à suis Prælatis, ad expendendas pecunias in sibi placitis. Neque in hoc peccabit peccatum iniustitiæ, nec tenebitur ad restitutionem ipse, neque meretrix, quæ accepit tale pretium iustum proportionatum cum facultate interpretatiua Prælati, ad expendendum in rebus sibi placitis in animi suigratia.* Hæc ille, quibus non assentio; sed magis assentiendum puto Vazquio *in opusculo tractatu de restitutione cap. 7. dub. 3.* asserenti Religiosum nec de bonis monasterij, neque de bonis sibi ad vsum applicatis, neque de conquisitis ex eleemosinis (nam quidquid Monachus adquirit, monasterio adquirit, & illico in monasterij dominium transeunt) potest quidpiam meretrici, vel concubinæ ob turpem causam erogare, etiam de licentia Prælati vel Monasterij; quia bona, & reditus Ecclesiæ atque religionis, non possunt in vsus non pios expendi, neque facultas Prælatorum ad id extenditur, quippe quæ tantùm dispensatiua, nisi in casu, quo secularis daret alicui Religioso pecuniam, aut rem pecunia æstimabilem pro concubina ipsius Religiosi, quam ipsum habere sciebat, nam tunc donatio fieret concubinæ, & non Religioso, & ita non adquiriretur monasterio. Subdit etiam Vazquius, quod Religiosus in virtute facultatis, quam haberet à Prælato expendendi bona mobilia sibi applicata, aut ex eleemosinis comparata in licitis & honestis, siue ad vsus pios, posset ex his puellæ virginitatẽ satisfacere, quam ei abstulit, & filios ex illa susceptos alere, quia hoc iam esset opus pium. Aliter autem factam donationem meretrici, seu concubinæ à Religioso, inualidam esse docent Paludanus *in 4. d. 15. q. 3. art. 5.* & Palacios Rubios *in Rubric. de donationib. inter vir. & vxor. §. 41.* quibus libens subscribo.

Colligo Quartò cum eodem Nauarro in 23
dicto *cap. 17. n. 41. circa finem*, † in omnibus his promissionibus ob turpem causam, siue quis promittat alteri donarium, vel mercedem propter Sacrilegium, vel homicidium patrandum, vel fœminæ ob fornicationem; neque promittentem teneri coram Deo (etiamsi promissio sit iurata) implere promissum, neque promissarium habere ius petendi promissum pro turpi illa causa tanquam debitum ex iustitia, seu legale. Sed quia omnis promissio de re illicita etiam iurata non obligat, sicut neque iuramentum contra bonos mores: & ex dictis constat, quamcumque huiusmodi promissionem esse de re illicita, quia per illam promittitur pretium pro actu peccaminoso, qui est inuendibilis, & nullo pretio æstimabilis, etsi pro actu turpi meretricis leges ciuiles permittant, promitti ac dari pretium, cui etiam concedunt actionem petendi in iudicio promissum, in quo minus bene Caietanus *22. q. 62. art. 5. §. in responsione ad 2.* licet satis ad suam opinionem consequenter, dixit; *quando verò dare non prohibetur; sed actus, seu causa propter quam datur, vt cum prohibetur fornicatio, adulterium, & huiusmodi, non prohibetur dare propter illa, sed ipsa prohibentur. Vnde homo propter accepta huiusmodi seruitia, quamuis nefanda, tenetur dare quod promittit, vel solitum est.* Hæc ille consequenter ad suam opinionem; nos autem consequenter ad nostram dicimus, quod hucusque probauimus, ad nihil teneri promittẽtem pro huiusmodi nefandis seruitiis, neque promissarium posse in foro conscientiæ, aut in iudicio externo promissum petere, excepta vnica meretrice, cui per leges allegatas datur actio petendi in eodem iudicio pre-

tium ſui corporis ab eiſdem legibus promiſſum. Quomodo ergo ſe habebunt promiſſarij in petendo pro talibus ſeruitiis criminoſis promiſſum donarium; aut quid à Confeſſariis eſt eis conſulendum? Petant quidem non pro obſequio peccaminoſo exhibito, ne iterum ei conſentiant, aut de illo complaceant, neque tanquam debitum legale, ſed tanquam debitum antidorale & gratitudinis, pro ſua ſubleuanda neceſſitate, & pro affectu quem erga promittentem exhibuerunt, licet in obſequio peccaminoſo, pro quo fateantur ſe non aliud quàm ſolam gehennam mereri. Sicque petentes accipiendo promiſſum donarium, non peccabunt. Sin minus, ſi aliter petant, & petendo, & recipiendo peccabunt, ad accepti tamen muneris reſtitutionem non tenebuntur, iuxta ſuperius à nobis dicta. Sed minus benè Vaſquius *cap. 7. citato de reſtitutione, dub.* 11. ſequutus Cordubam, Medinam, & Couarruuiam ait, huiuſmodi promiſſionem factam ob turpem cauſam, & propter crimen perpetrandum in futurum eſſe illicitam, & eius impletionem ante opus perpetratum eſſe peccaminoſam: nihilominus poſt opus malum perpetratum, obligare promittentem ad ſui impletionem, & eius tunc impletionem non eſſe peccatum, quia cauſa illa turpis iam tranſacta ſe habet non vt motiua & finalis, ſed tantùm vt impulſiua, velut conditio; cum cuius proptera diſplicentia poteſt promittens moueri ad promiſſionem implendam ex motiuo fidelitatis, vt ſua verba ſolida efficiat. Sed hæc doctrina manifeſtam implicationem inuoluit: ſi enim promiſſio à principio iniqua fuit ex fine & obiecto, quomodo poteſt parere aliquam obligationem in foro conſcientiæ, aut quomodo fidelitatis virtus poteſt influere in actum non ex ipſa, ſed ex vitio iniuſtæ vindictæ, aut luxuriæ promanantem? Rurſus aut cauſa turpis tranſacta habet ſe vt motiua, ad impletionem promiſſionis, aut vt impulſiua, aut vt pura conditio ſine qua non. Si Primum aut Secundum, non poteſt non placere promittenti, & ſic de nouo peccabit, vt ipſe Vaſquius fatetur contra Cordubam, & Medinam. Si Tertium, ergo iam ex alio fine & motiuo, mouetur promittens ad licitam promiſſi impletionem, & cùm non moueatur ex promiſſione iniqua, diſplicet enim Deo infidelis & ſtulta promiſſio, vt dicitur *Eccleſiaſtic. 5.* mouebitur ex gratitudine, aut ex charitate, & affectu ſuccurrendi indigentiæ, & egeſtati promiſſarij. Standum igitur eſt ſententiæ Nauarri, licet ſingularis viſa fuerit Vaſquio; neque enim ob ſingulariratem, ſed ob ſolam falſitatem ſunt ſententiæ refutandæ.

DISPVTATIO VIII.

De officiis publicis ad Iuſtitiam adminiſtrandam inſtitutis.

SECTIO VNICA.

Vtrum licitè à Principe vendi poſſint; aut etiam à Reipublica, quæ ſe ipſam gubernat?

SVMMARIVM.

1 *Nomine Principis primariò intelligitur ille, qui nullum recognoſcit Superiorem: Secundariò Duces, Marchiones, Comites, Epiſcopi, &c.*

2 *Nomine Officiorum publicorum quanam veniunt intelligenda.*

3 *Referuntur Authores Theologi & Iuriſtæ, qui de hoc argumento tractant.*

4 *Qui Authores in tres ſententias diuiduntur: quarum Prima negat huiuſmodi officia vendi poſſe etiam idoneis hominibus, &c. Suadeturque quadruplici argumento.*

5 *Refertur ſecunda ſententia Primæ è diametro oppoſita, quæ aſſerit nedum Rempublicam, ſed etiam Principes non recognoſcentes Superiorem in temporalibus, poſſe vendere officia idoneis miniſtris abſque piaculo contra iuſtitiam.*

6 *Tertia ſententia à Theologis & Iuris Canonici peritis communiter recepta, aſſerit huiuſmodi officia poſſe ſecundum ſe conſiderata licitè vendi, ſed non expedire.*

7 *Officia ſecularia ex natura ſua atque ſtando in iure naturali ſunt vendibilia, licet eorum venditio iure ſcripto Ciuili & Canonico in Regnis Hiſpaniæ eſt prohibita.*

8 *Etſi abrogatis vel diſpenſatis dictis legibus poſſit fieri licitè talis venditio ſeruatis certis conditionibus, non tamen expedit.*

9 *Referuntur duæ conditiones ſeruandæ, vt venditio fiat licitè, & ab omni piaculo iniuſtitiæ vindicetur.*

10 *Id dicitur non expediens in praxi, quod non poteſt ad praxim reduci, quin ex illo ſequatur aliquod inconueniens, contra charitatem aut contra iuſtitiam.*

11 *Officiorum venditio aliquando licet rarò, poteſt in praxi honeſtari.*

12 *Examinatur conſuetudo aliquorum Regnorum conferendi hæc officia cum onere & obligatione ſoluendi annuam, vel menſtruam penſionem.*

13 *Domini inferiores ſiue Laici, ſiue Eccleſiaſtici, non poſſunt licitè in terris ſuæ ditioni ſubiectis huiuſmodi officia vendere, locare, &c. niſi de licentia ipſius ſupremi Principis.*

14 *Neque ipſi Miniſtri poſſeſſores huiuſmodi Officiorum poſſunt illa vendere, locare aut alienare*

nare, sine licentia supremi Principis expressa vel interpretatiua.

15 *Quæ conclusio communis inter Doctores triplici argumento probatur.*

16 *Declaratur quid sit licentia expressa, & quid interpretatiua Principis in formula nostri casus.*

17 *Vtrum Minister cui Princeps contulit officium Tabellionis cum facultate illud transferendi in alterum, possit in hac facultate interpretari facultatem vendendi illud?*

18 *Princeps siue Respublica libera non potest ritè & rectè pro aliquo ex huiusmodi officiis, mutuatam à subdito recipere pecuniam.*

19 *Tam Princeps supremus quàm Regulus recognoscens Superiorem possunt licitè à possessoribus Officiorum ex rationabili causa aliquam pensionem extorquere fructibus officij proportionatam.*

20 *Rex Hispaniæ potest vendere alia Officia non habentia annexam administrationem iustitiæ: v. g. Prætorum Ciuitatis.*

21 *Ministri quorum officia habent stipendia assignata, non possunt aliquid amplius à litigantibus recipere, nisi sponte & voluntariè oblatum.*

22 *Respondetur argumentis pro prima sententia adductis.*

IAMENTABILI Regnorum, ac Prouinciarum damno, vtinámque nunquam ad praxim reducto obuiare cupientes, de more hanc in medium vocamus exagitandam quæstionem; à cuius terminorum tituli explicatione exordiendo, dico † nomine Principis primariò intelligi illum, qui non recognoscit superiorem, cuiusmodi sunt Reges, Potentatus Germaniæ & Italiæ, necnon Respublica, quæ se ipsam gubernat, vt Genuensis, & Venetensis. Secundariò autem etiam veniunt intelligendi Duces. Marchiones, & Comites, recognoscentes superiorem in temporalibus: atque Episcopi, siue Archiepiscopi habentes temporalem iurisdictionem, quibus commissa sunt, vel donata castra, siue oppida aliqua ad custodiam, siue ad maiorem dignitatis splendorem seruandum, quoad temporalem iurisdictionem. Nomine autem † officiorum publicorum veniunt intelligenda in iure, Officia Iudicum, Magistratuum, Senatorum, siue Ciuitatis Rectorum, Scribarum, Tabellionum, Lictorum, Fiscalium, & aliorum similium ministrorum. De quibus omnibus, & singulis vertimus in dubium: Vtrum licitè à Principe non recognoscente superiorem, siue Laico, siue Ecclesiastico vendi possint. De quo † argumento tractant ex Theologis D. Thomas *opusculo* 21. *ad Ducissam Brabantiæ*, Caietanus *in summa* verbo *Officiorum venalitas*: Sylvester verbo *Dominus q.* 4. Tabienſis *eodem* verbo *quæst.* 11. Armilla verbo *Officium.* & Sà *eodem verbo*, Corduba *in summa casuum q.* 117. Sotus *lib.* 3. *de iustitia quæst.* 6. *art.* 4. *circa solutionem* 2. Adrianus *in* 4. *de restitutione in q.* quæ incipit: *Ex his suboritur alia dubitatio*: Salon 22. *qu.* 63. *art.* 2. *controuersia* 7. & 8. Bañesius *ibidem dub.* 6. Azorius 3. *part. lib.* 8. *cap.* 7. & *lib.* 12. *cap.* 14. *circa finem*, & alij recentiores. Ex iuris autem Canonici interpretibus Innocentius, Hostiensis, Ioannes Andreas, Panormitanus, Anania Cardinalis, & Glossa *in cap.* 1. & 2. *Ne Prælati vices suas.* Baldus quoque relatus à Fabiano *tractatu de emptione, quæst.* 4. *principali*, & Nauarrus *in manuali cap.* 21. *num.* 7. Qui Authores diuiduntur in tres sententias, quarum duæ sunt extremæ, & alia est media.

Prima illarum † negat huiusmodi officia vendi posse etiam idoneis hominibus ad eorum ministerium, quantumuis credatur eos benè dictis officiis esse vsuros. Quam tuentur Adrianus, & Salon *vbi supra*, Fabianus quoque cum Baldo à se citato; etiam fauet Glossa in dicto *cap.* 1. *Ne Prælati vices suas*; dum absolutè dicit iurisdictionem vendi non posse. Nomine autem iurisdictionis comprehendit munera, & officia publica, in quibus inest nedum spiritualis, verùm etiam temporalis iurisdictionis potestas. Quare perperam iuris Canonici plures Doctores dictam Glossam de iurisdictione spirituali interpretantur. Quæ sententia suadetur. Primò ex statuto Pij V. edito anni 1571. mense Decembri, contra ambientes huiusmodi officia iurisdictionis administrationem habentia, & relato à Nauarro *vbi supra*, in hæc verba. *Nemini de cætero liceat, mediante pecunia vel solutione, & traditione, ac promimissione aliarum rerum, & per interpositas personas, aut alias quouis modo faciendas, aliquas dignitates, & officia, exercitium, & administrationem iurisdictionis habentia procurare, assequi, vel obtinere, &c. ipsum vero contrauenientem eo ipso confiscationis omnium bonorum, degradationis, & amissionis, tam priuilegij Doctoratus, quàm quorumcumque per eum obtentorum officiorum, tam secularium, quam Ecclesiasticorum, ac demum vltimi supplicij pœnam irremissibiliter incurrere volumus.* Et infrà. *Et quod vbicumque, & & quandocumque compertum fuerit per interpositam personam, aliquas pecunias, seu alias res traditas, seu promissas fuisse alicui Curiali, familiari, vel cuicumque alteri personæ pro officiis, & dignitatibus iurisdictionis administrationem habentibus; is qui officium huiusmodi obtinuerit, se à præmissis attenta interpositione personæ huiusmodi nullatenus excusare queat, quinimo nulla admissa ignorantiæ excusatione, ipso iure præsumatur solutionem, & promissionem huiusmodi de eorum, qui dignitates, offitia, & similia obtinuerunt, consensu, & mandato penitus esse facta, eisdémque propterea pœnis subiacere omnino intelligatur.* Sed neutiquam Summus Pontifex tam seuera disciplina in ambientes, & ementes huiusmodi officia animaduerteret, nisi eorum emptio, & venditio ab intrinseco, & ex natura rei esset illicita: ergo.

Secundò quia Princeps quantumuis supremus, non est dominus talium officiorum & stipendiorum, quæ ministris debentur, sed solùm est Aministrator ac dispensator: ergo non licet ei vendere illa. Si dicas saltem Respublica, quæ se ipsam gubernat, cùm sit huiusmodi officiorum, ac stipendiorum domina, poterit illa vendere cui voluerit ex idoneis. Sed contra hoc est, quod licet talis Respublica dominium habeat eorum, non tamen vt vendat, aut pretio transigat, sed voluntariè, & gratis donet idoneis ministris: quam potestatem in Regem transtulit, & non maiorem, neque aliam, quam ipsa ante habebat. Ob id namque tum Respublica, quando seipsam gubernat, tum Rex, aut Princeps qui ei præficitur, accipità subditis tributa, & stipendia publica, vt Magistratus, ac Iudices eis præficiat,

eiat, qui ius dicant, & vnicuique reddant. Tertiò quia in huiuſmodi officiorum diſpenſatione, atque in miniſtrorum electione ad illa obeunda, committitur vitium acceptionis perſonarum & iniuſtitiæ, ſaltem erga ipſam Rempublicam, niſi dignioribus conferantur; vt tenet communis opinio Thomiſtarum, pro qua videndi ſunt Caietanus *in ſumma* verbo *electio*, Sotus *art. citato*, & Bañeſius in dicta *q. 63. art. 2. dub. vltimo*. Quam pluribus rationibus probant; quarum ſumma eſt, quia iſta officia publica ex ſui inſtitutione ſunt bona communia, in bonum proinde commune, Reipublicæ conſeruationem, ac gubernationem, iuſtitiam adminiſtrando, & ius ſuum vnicuique reddendo. Sunt quoque ad dignitatem, honorem, & vtilitatem perſonarũ inſtituta, vtpote fructuoſa, & honorifica: ergo ſunt materia iuſtitiæ diſtributiuæ, ac per conſequens ſecundum illius regulas diſpenſanda. Ex quo tale deducitur argumentum. Huiuſmodi officiorum venditio eſt intrinſecè mala, quia intrinſecè malum, & iniquum eſt vendere bona communia, inſtituta in bonum commune Reipublicæ, & quæ aliàs ſunt præmium virtutis, ac meritorum, eò quòd huius generis bona ſunt diſtribuenda partibus communitatis iuxta leges iuſtitiæ diſtributiuæ, teſte Ariſtotele *lib. 1. Ethicorum cap. 3.* Atqui talia eſſe huiuſmodi officia publica, patet; quia ſunt Communitatis, ſcilicet Reipublicæ, & in bonum commune ordinata, & aliàs ſunt fructuoſa & honorifica, ac proinde in præmium particularium ciuium inſtituta.. Honores enim eſſe præmia virtutis teſtatur Philoſophus *lib. 1. Ethicorum cap. 5.* ergo iniquum eſt illa venalia facere. Patet conſequentia: nam iniquum eſt per ſe loquendo, & contra iuſtitiam, communia bona & præmia virtutis vendere. Nam aut venduntur dignioribus, & ſic fit eis iniuria, quia eis debentur ſecundùm iuſtitiam diſtributiuam: aut venduntur indignis, & ſceleratis, & ſic fit iniuria Reipublicæ, quæ non ad deſtructionem, ſed ad ſui tranquillam conſeruationem hæc inſtituit officia: aut venduntur dignis, & idoneis, & ſic fit iniuria dignioribus, qui ad illa habent ius, & ideo ſunt minus dignis præferendi. Imo hac ratione vendere cathedras in Academiis eſt iniquum, quia ſunt officia honorifica in bonum publicum, & præmium Doctorum inſtituta, & vendere beneficia Eccleſiaſtica, etiam ſecluſa ſpiritualitate eſſet iniquum: ergo.

Quartò arguitur: nam licet demus horum officiorum venditionem non eſſe ab intrinſeco illicitam, verumtamen illam eſſe illicitam ab extrinſeco, ſcilicet quia prohibitam, conſtat ex pluribus legibus ciuilibus, & Eccleſiaſticis, quæ illam prohibent, vt *leg. vnica Cod. ad legem Iuliam de ambitu*, & in Authentico *de mandatis Principum*, § *illud tamen & leg. 2. Cod. de murilegulis*; & Authentico, *Vt Iudices ſine quoquo ſuffragio fiant*; & in legibus Regni *lib. 1. ordinationum Regalium titulo 5. leg. 1.* In quibus venditio huiuſmodi officiorum habentium annexam adminiſtrationem iuſtitiæ, prohibetur & irritatur, vel ſaltem iubetur, vt delata ad iudicem irritetur, vel irrita declaretur. Quæ prohibitio habetur etiam in *cap. ſancimus 1. q. 7.* & in præallegato ſtatuto Pij V. atque in aliis priuatis Summorum Pontificum decretis: ergo. Quæ omnia amplius confirmantur, ex eo quod aliàs nedum Principes ſupremi, ſed etiam Reguli habentes ſuperiorem, vt Duces, Marchiones, & Comites Hiſpaniæ poſſent in ſuis terris huiuſmodi officia vendere: ſiquidem habent eorundem dominium à Rege conceſſum: ac proinde liberam facultatem illa alienandi, & transferendi in alios, ſiue gratis, ſiue pretio accepto, quomodo eis placuerit, nec peccabunt vendendo illa idoneis miniſtris: Conſequens tamen eſt contra omnium ſententiam: ergo.

Secunda† ſententia huic è diametro oppoſita, eſt aliorum aſſerentium nedum Rempublicam, quæ ſeipſam gubernat, ſed etiam Reges, atque alios Principes non recognoſcentes ſuperiorem in temporalibus, poſſe illa vendere, ſaltem idoneis miniſtris abſque piaculo contra iuſtitiam. In quam inclinant Baldus in *lege Barbarius ff. de officio Prætoris.* Guillelmus Benedictus ſuper *cap. Raynuntius, de teſtamentis, numero 53.* Fauent D. Thomas *opuſculo citato*, Geminianus *in cap. Pro humani in 6.* Sotus, Nauarrus, & Bañeſius in *locis citatis*, quibus aſſerunt dominium horum officiorum eſſe apud Regem, & Principem ſupremum, quod in eum tranſtulit Reſpublica à principio, qui proinde tanquam verus, & abſolutus Dominus poterit illa conferre gratis, aut etiam vendere pretio iuſto: dummodo diſpenſet illa non in deſtructionem, ſed in vtilitatem ipſius Reipublicæ, ad quam talia officia ſunt inſtituta. Hæc autem debita diſpenſatio ſaluatur in eo, quod conferantur idoneis miniſtris, ſiue gratis, ſiue pretio eis conferantur. Probatúrque in hoc ſenſu ſententia, Primò *ex lege 1. de conſtitutionibus, Principum*, vbi decernitur Rempublicam omnem ſuam poteſtatem in Principem tranſtuliſſe, ac proinde dominium, quod ſuper hæc officia habebat. Secundò quia huiuſmodi officia ſunt venalia de ſe, & ſtando in ſolo iure naturali, eò quòd ſunt ſecularia, & aliàs fructuoſa, & honorifica: ergo ſunt pretio æſtimabilia: ergo venalia; Venale namque eſt quodcumque eſt pretio æſtimabile. Et aliàs prohibitio iuris poſitiui humani non obſtat, quoniam illa non obſtante experientia quotidiana conſtat, fieri à Principibus Chriſtianis venditionem horum officiorum in eorum Curiis: Et conſequenter (ait Nauarrus,) non ſunt damnandi Reges, & Principes, qui ea dant pro pecunia in dotem, vel mercedem obſequiorum: neque etiam ipſi Officiarij illa vendentes tam honeſto pretio talibus perſonis, vt probabiliter credatur eas illis non male vſuras, quo pretium malè datum peius extorqueant. Tertiò probatur argumento à maiori ad minus: nimirum, quia licitè, & laudabiliter Reges, & Principes poteſtate ſibi à Republica tradita, vendũt oppida, & iuriſdictiones, quibus emptores dominentur Vaſſallis, & ius in illos dicant, quod eſt maius quàm officia Prætoratus, Magiſtratus, Tabellionis, & ſimilia: Quæ non minus in bonis coronæ, & patrimonio Regis, ſiue Principis ſupremi computantur: ergo à fortiori poterit iſta vendere.

Tertia† ſententia & media, aſſerit huiuſmodi officia poſſe ſecũdũ ſe conſiderata licitè vendi, ſed nõ expedire. Quæ proculdubio eſt D. Thom. Caietani, Sylueſtri, Soto, Bañeſij, Emmanuelis Sà, Azorij in locis præallegatis; & communiter à Theologis, & Canonici Iuris peritis recepta,

5

6

Pro

7 Pro cuius declaratione, Dico Primò; † Officia secularia, quæ administrationem iustitiæ habent annexam, de se & ex natura sua, atque stando in iure naturali vendibilia sunt à suis Principibus, licèt eorum venditio iure scripto Ciuili, & Canonico tam communi, quàm speciali huius Regni sit prohibita. Prima pars huius assertionis statuitur aduersus Authores Primæ sententiæ, & relinquitur sufficienter probata argumentis adductis pro secunda: Quæ proculdubio conuincunt huiusmodi officia de se vendibilia esse, eò quòd sunt purè secularia, & pretio æstimabilia, & eorum dominium apud dictos Principes extat.

Deinde secunda pars probatur aduersus Authores secundæ sententiæ, argumento quarto loco adducto pro prima; vbi plures leges Ciuiles recensentur Authentici, & Cod. necnon Canonici iuris *cap. Sancimus* 1. *quæst.* 7. & *cap.* 1. *ad* 2. *ne Prælati vices suas*: in quibus planè prohibetur horum officiorum venditio. Extant quoque leges huius Regni, atque aliorum Principum, & Summotum Pontificum decreta, quæ horum officiorum venditionem prohibuerunt, & aliàs cum iustæ sint ob grauissima incommoda, ex talium officiorum venditione Reipublicæ incongruentia, & in materia graui, non est cur non obligent ad lethale peccatum, tam vendentes quàm emptores. Dices leges has aut non esse vsu receptas, sed per non vsum abrogatas: aut non habere vim obligandi, quando aliàs officia hæc idoneis ministris, & proficuis venundantur: tunc enim cessat finis harum legum, & cessante fine legis, lex quoque ipsa cessare censetur. Finis enim harum legum est vitare damna recensita à D. Thoma *in dicto opusc.* 21. *quæsito* 5. nimirum, quod ditiores, ac peiores, & ambitiosi talia officia obtinerent, qui subditos etiam opprimerent, & cum ingenti grauamine eorum pretium extorquerent, atque commoda Principis, & Reipublicæ fideliter non procurarent; igitur cessante isto fine, leges prædictæ non obligarent. Cessaret autem si Principes hæc officia dignioribus, atque magis ad talia ministeria exercenda idoneis venderent. Vnde Thomas ibi in 1. *parte quæsiti* 5. respondens sic ait: *Non video quare huiusmodi officia non liceat vobis vendere, dummodo talibus vendatis, de quibus possit præsumi quod sint vtiles ad talia officia exercenda, & non tanto pretio vendantur, quod recuperari non possit sine grauamine subditorum.* Et tamen si dictas leges iuris communis nosset obligare, (quas ignorare non potuit,) non ita absolutè earum violationem honestaret: ergo. Respondeo has leges vsu fuisse olim receptas, & vim habuisse obligandi. Sed quia iuris humani sunt, ac dispensabilis, facilè Principes in eis dispensare soliti sunt, nouis vrgentibus necessitatibus, atque propriorum redituum alienatione coacti, itavt iam leges præfatas abolitas, ac veluti mortuas dixerimus. Quam ob causam fortè D. Thomas aliàs iuris communis non ignarus, illarum non meminit. Hinc prouenit, vt in tot Principum secularium Curiis, (& quod magis est in Romana Curia) videamus, & audiamus hæc officia in mercedem alicuius obsequij, atque etiam in dotem fœminarum Aulicarum dari: dari autem in mercedem, vel in dotem, & venundari aliquid, æquipollentia sunt, & de æquipollentibus eadem est ratio. Id ergo faciunt Catholici Principes, aut in dictis legibus dispensando, aut eas vt antiquatas, & exanimes contemnendo. Quod nostræ assertioni non officit, quæ procedit attento iure humano scripto in viridi obseruantia, & vsu recepto, & non antiquato, aut à Principibus dispensato, vel etiam abrogato: quamuis profectò Glossa in præallegato *cap.* 1. & 2. *ne Prælati vices suas*; & Panormitanus *ibidem*, dixerunt turpe ac sordidum lucrum esse, quod Domini pro iurisdictione, idest pro officio seculari suæ iurisdictionis accipiunt, & accipiendo mortaliter peccare. Quod perperam Nauarrus ad Dominos recognoscentes superiorem restringit: quia vbi lex non restringit, neque nos restringere debemus, maximè cum per prædictas vtriusque iuris leges nedum Dominis habentibus superiorem, sed etiam supremis talium officiorum vēditio prohibeatur.

8 Dico secundò; † etsi abrogatis, vel dispensatis dictis legibus possit licitè fieri talis venditio seruatis certis conditionibus, non tamen expedit: quod æquiualentibus verbis explicuit Caietanus, & Soto, dicens, speculatiuè quidē loquendo licitam posse esse horum officiorum secularium venalitatem, in praxi verò turpem, & Reipublicæ pernicioſam esse. Pro huius conclusionis intelligentia supponendum est, aliquam opinionem posse esse probabilem speculatiuè, & non in praxi, & similiter rem, vel opus de quo est talis opinio speculatiuè loquendo licere: Quod tamen ad praxim reducere nō licet. Sententia est Pauli in duobus locis, nimirum 1. *ad Corinth.* 6. & c. 10. dicentis: *Omnia mihi licet, sed non omnia expediunt.* Et iterum: *Omnia mihi licent, sed non omnia ædificant.* Quasi dicat non omnia, quæ licita sunt absolutè, & speculatiuè loquendo, expedit ad praxim reducere: quia etsi licita secundùm se sint, possunt in praxi non ædificate, aliquod scandalum generādo, aut aliquas circunstantias prauas inuoluendo. Sic diximus in materia de Trinitate *q.* 27. *art.* 2. formam illam Baptismi probatam à Caietano, sub hiis nominibus, *genitoris*, *geniti*, & *procedentis ab vtroque* traditam, esse probabilem speculatiuè loquendo, sed minimè practicè: ac proinde nequaquam ad praxim esse reducendam, tum ob scandalum, tum etiam ob periculum faciendi Sacramentum nullum.

Hoc supposito probatur prima pars nostræ assertionis. Nam ostensum est hæc officia temporalia esse, ac pretio æstimabilia, dominiúmq; illorum apud Rempublicam liberam, & apud Principes supremos extare, qui proinde illa vēdere possunt licitè, secundū naturam ipsorū officiorū, & stando in iure naturali, cessantéq; quacumq; humani iuris prohibitione. Sed frustranea est potentia, quæ non est reducibilis ad actum: ergo potest talis Principū, & Reipublicæ potestas ad actum reduci. Tunc vltra: Vt autē ad actū licitum & iustum reducatur, id est vt † 9 talis venditio fiat licitè, & ab omni piaculo iniustitiæ vindicetur, debent seruari duæ cōditiones ad minus: scil. quod vendantur ministris idoneis ac dignis, necnon quod vendantur pretio moderato iuxta quātitatem fructuum, & prouētuum, qui ex officio vendito comparari possunt regulariter loquendo. Dixi *ad minus*, nā aliā tertiā conditionē assignatā à nōnullis, quod pretiū in cōmunes vsus Reipublicæ expēdatur, puto nō simpliciter,

ſimpliciter, ſed tantùm ad melius eſſe requiri. Rurſus quartam notatam à Nauarro, ſcilicet quod pretium moderatum lege aliqua Regni, ſiue prouinciæ, à Principe lata pro quolibet officio taxetur, conuenientem puto ad melius: Sed non ſimpliciter ad hoc, quod venditio huiuſmodi officiorum ab omni culpa vindicetur, poſſet namque iuſtum, ac moderatum pretium ex conuentione partium taxari, ſicut fit in omni alio contractu venditionis, & emptionis. Iámque conſuetudo optima legum interpres obtinuit, vt pretia, quæ pro huiuſmodi officiis Principes recipiunt, nedum in communes vſus Reipublicæ, ſed etiam in propriam ipſorum vtilitatem conuertant, quæ priuata dici non poteſt: maximè ſi hiis emolumentis ſubditos ab aliis tributis exonerent impoſitis, aut de nouo imponendis excuſent. Verùm duæ priores conditiones adeò neceſſariæ ſunt, vt alterutra deficiente, venditio horum officiorum reddatur iniqua: ſi enim non idoneis miniſtris vendatur officium publicum, vergit in perniciem Reipublicæ. Quare illud vendendo talibus, Princeps lethale peccatum committit iniuſtitiæ contra ipſam Rempublicam.

Deinde Secundam conditionem eſſe neceſſariam patet; quia cum moderato pretio vitatur damnum illud grauandi ſubditos, extorquendo ab illis impenſas factas in emptione officij, quæ ſi nimiæ ſint, non poſſunt ſine magno ſubditorum grauamine reſarciri. Ex quibus tale deducitur argumentum. Cum hiis conditionibus venditio officij publici purgatur ab omni labe peccati contra iuſtitiam, & contra charitatem: ergo cum illis erit licita. Sed quoniam valde difficile eſt, & moraliter loquendo fere impoſſibile, has conditiones ſeruari in huiuſmodi officiorum venditione; propterea dicimus in ſecunda parte concluſionis illam non expedire. Quæ ſuadetur Primò: Nam expediens non eſt opus quod in praxi, & moraliter loquendo non fit ſine culpa, & ſine iniuria alterius: Atqui venditionem horum officiorum in praxi regulariter non ſeruare prædictas conditiones, quibus à culpa, & iniuria vindicetur, patet; quia regulariter loquendo hæc officia emunt immeriti, ambitioſi, cupidi, & ignobiles, vt propriæ non communi ſeruiant vtilitati, & quandoque, vt ſub vmbra iuſtitiæ eò liberius peccent, quò Iudicum crimina vindicem non habent.

10 Secundò probatur; nam † id dicitur non expediens in praxi, quod licet licitum ſit ſecundum ſe, & ſpeculatiuè loquendo, verumtamen non poteſt ad praxim reduci, quin, regulariter loquendo, ex illo ſequatur aliquod inconueniens contra charitatem, aut contra iuſtitiam. Atqui ex huiuſmodi officiorum venditione regulariter ſequuntur plura inconuenientia; tum contra charitatem, tum etiam contra iuſtitiam: ergo non eſt expediens. Maior cum conſequentia eſt nota, & Minor probatur recenſendo incõuenientia inde ſequuta verbis Angelici Doctoris *vbi ſupra*, quæ poſt nuper adducta, ſic habent. *Sed tamen talis venditio expediens non videtur. Primò quidem quia contingit frequenter, quod illi qui eſſent magis idonei ad huiuſmodi officia exercenda ſunt pauperes, vt emere nõ poſſint, & ſi etiam ſunt diuites illi, qui meliores ſunt, talia officia non ambiunt, nec inhiant ad lucra ex officio adquirenda. Sequitur igitur quod vt plurimum illi officia in terra veſtra ſuſcipiant, qui ſunt peiores, ambitioſi, & pecuniæ amatores, quos etiam probabile eſt ſubditos veſtros opprimere, & veſtra etiam commoda non ſic fideliter procurare: vnde magis videtur expediens, vt bonos homines, & idoneos ad ſuſcipiendum veſtra officia eligatis, quos etiam inuitos, ſi neceſſe fuerit, compellatis, quia per eorum bonitatem, & induſtriam maiora accreſcent vobis, & ſubditis veſtris, quàm de prædicta officiorum venditione acquirere valeatis, & hoc conſilium dedit Moyſi eius cognatus, Exod. 18. Proinde (inquit) de omni plebe viros ſapientes, & timentes Deum, in quibus ſit charitas, & qui oderint auaritiam; & conſtitue ex eis Tribunos, & Centuriones, & quinquagenarios, & Decanos qui iudicent populũ omni tempore.* Quibus adiungere placet verba grauiſſima Caietani, quæ ſic habent. *Officiorum ſecularium venalitas licet ſpeculatiuè loquendo ſit licita, (quia venditio, & emptio habet materiam vendibilem) vt tamen ad communem humani generis morem contrahitur, turpis, ac perniciosa Reipublicæ non parum eſt, quoniam viri digni reputant indignum, vt quod ſuæ virtuti debetur, pecunia emant, & indigni communiter habent officia, vbi ſunt venalia. Tollitur & ratio ſtudiorum bonorum, & virtutum, ex eo quod non niſi pecunia habentur officia. Et oportet vt non virtuoſi, ſed pecuniosi ibi inueniantur, vbi vt pernicioſi honorantur, imo honorant ſe ipſos emendo officia honorabilia. Præterea qui prius emit officium, cum non emerit, niſi vt lucretur, oportet vt vendat actus officij, & plerumque iuſtitiæ, & inhumanus ſit in gratiis, tanquam ius habeat vendendi, & quæ ſunt iuſtitiæ, & quæ ſunt gratiæ, quia prius emit. Teſtatur magiſtra rerum experientia ruinam publicam, vbi officia ſunt venalia. Et quia actiones humanæ iudicandæ ſunt ſecundum quod in pluribus inuenitur, ideo huiuſmodi venalitates vt abominabiles exterminandæ ſunt.* E quibus inconuenientibus maximè penſitandum eſt illud, quod ex quo officia publica ſunt venalia, perit ſtudium literarum, ac virtutum: nam virtus calcar habet, iuxta illud Iuuenalis. *Virtutem quis amplectitur ipſam, præmia ſi tollas.* Et illud Ciceronis. *Præmia ad virtutem ſtimulant, & honos alit artes:* tolluntur autem præmia, vbi honorifica officia venalia ſunt, ibi enim non ſtudioſos ſed pecunioſos quærunt, quo totam Rempublicam labefactari citò neceſſe eſt, iuxta illud Saluſtij in Iugurth. *O Vrbem venalem, & citò perituram, ſi emptorem inuenerit.*

Tertiò probatur numerando alia tria damna, quæ ex talium officiorum venditione vt in plurimum ſequuntur, notata à Panormitano ſuper *c. præterea ne Prælati vices ſuas, n. 4.* nimirum, quia ex tali venditione ſubditi plerumque damno afficiuntur; nam is, qui emit officium, vt aliquid vltra pecuniam datam lucretur, per fas & nefas pecuniam extorquet: & modicam culpam delinquentis facit grauiorem. Atque ſæpe punit mulcta pecuniaria illum, qui perſonali pœna erat puniendus, ideſt grauia delicta pecunia componeret, & pro leuibus ingentem pecuniam extorqueret.

Dico Tertiò, nihilominus † aliquando, licet 11
rarò poteſt honeſtari in praxi talium officiorum venditio. Hæc concluſio eſt Angelici Doctoris *vbi ſupra in 1. parte quæſiti*: dum ait licitum eſſe Principi vendere talia officia ſeruatis prædictis duabus conditionibus; Scilicet dummodo idoneis vendantur, de quibus poteſt

præſumi

præsumi, quòd sint vtiles ad talia officia exercenda: & tam moderato pretio, quod possit recuperari sine grauamine subditorum; frustranea quoque esset potentia ista Principum, si nunquam posset reduci ad actum sine peccato: nam id possumus quod iure possumus. Deinde probatur ex responso Nauarri *lib. 5. consiliorum titulo ne Prælati vices suas; consilio* 1. in quo determinat quod emens officium iudicaturæ temporalis, v.g. Prætoratus, vel Magistratus, & similiter vendens illud, mortaliter peccat contra legem prohibentem talium officiorum venditionem, in Authentico, *vt iudices sine quoque suffragio fiant*, & in Authentico *de mandatis principum §. illud & lege 2. Cod. de murilegulis lib.* 11. Quia tamen dicta officia de se sunt vendibilia, eò quòd non sunt spiritualia, quandoque licet rarò honestatur eorum venditio, & solet fieri in Gallia, & in Hispania aliquando dantur loco dotis fœminis Aulicis: honestatur, inquam, eorum venditio, si fiat cum certis conditionibus, scilicet pretio moderato, & personis idoneis, & à Principe supremo, vel de illius licentia expressa, aut interpretatiua: facta tamen aliter eorum venditio, erit quidem turpiter facta, valebit tamen: ita vt emptor officij illud iustè exercendo non peccet, nec teneatur illud dimittere, neque prouentus ex eius vsu prouenientes restituere, donec per superiorem aut per Iudicis sententiam priuetur. Quemadmodum incurrens irregularitatem propter homicidium, non priuatur ipso facto beneficio prius obtento, & eius fructibus, licet veniat priuandus: Similiter committens crimen læsæ Majestatis humanæ, siue Diuinæ, non priuatur ipso facto bonis suis, sed tantùm venit per sententiam priuandus. Hactenus quoad sensum Nauarri, denotans præfatas leges prohibentes turpem huiusmodi officiorum venditionem, siue iuris communis, siue peculiaris huius Regni, eò quòd pœnales sunt, non illam irritare ipso facto, neque dominij translationem impedire, nisi post Iudicis sententiam duntaxat. Cui responso libenter assentior.

12 Sed quid † dicendum de consuetudine aliquorum Regnorum, conferendi hæc officia cum onere, & obligatione soluendi annuam, vel menstruam pensionem; aut soluendi semel tantum, & pro vna vice dimidiam partem emolumentorum, siue stipendij pro tali officio à Republica, siue Rege consignati? Quid etiam sentiendum de alia consuetudine introducta, & à Nauarro notata, conferendi hæc officia in dotem filiæ ministri pro obsequio parentis, aut etiam pro obsequio ab ipsa in Aula Principis exhibito? In fauorem vtriusque consuetudinis, facit consuetudo ipsa introducta, continuata, & à nemine reprobata, necnon, quod per hunc modum officia non venduntur, sed conferuntur viris doctis, & idoneis, & cum onere moderato. Sed contra vtramque est quod de æquiualentibus eadem est ratio: vendere autem officia, & illa conferre cum onere soluendi certam pensionem, aut dimidiam partem prouentus, aut etiam loco dotis, æquiualentia sunt; ac proinde non minus hoc modo, quàm priori efficiuntur ista officia venalia. Estque quæstio de solo nomine, appellare id, quod pro illis offertur pretium, vel dotem, vel pensionem, vel dimidiam annatam. Vnde rarò honestari potest huiusmodi forma conferendi officia iustitiæ administrationem habentia, & nunquam, nisi prædictis duabus conditionibus seruatis, quandoquidem eadem mala ex hac forma conferendi talia officia, atque ex eorum venditione sequuntur. Præterquam quod cùm hoc genus impositionis perpetuæ super talibus officiis habeat vim noui tributi, & noui patrimonij vltra illud quod à principio Respublica Regibus, & Principibus constituit, non posset honestari, nisi illud communis necessitas postularet, & in communes eius vsus expenderetur, quibus aliter, hoc est per antiqua, & consuera tributa, ac per constitutum patrimonium Principis non posset subueniri. Hîc enim puto locum habere tertiam illam conditionem à Soto, & Bañesio notatam, nimirum quod pretium officij venditi in communes vsus Reipublicæ extendatur, vt eius venditio honestetur; locum habent verba Angelici Doctoris in dicto *opusculo 21. quæsito 6.* scilicet Vtrum liceat Principi nouas collectas Christianis imponere? quæ sic habent. *Si tamen aliquis casus emergat de nouo, in quo oportet plura expendere pro vtilitate communi, vel pro honesto statu Principis conseruando; ad quæ non sufficiunt reditus proprij vel exactiones consuetæ, puta si hostes terram inuadant, &c. Tunc præter solitas exactiones possent Principes licitè à suis subditis aliqua exigere pro vtilitate communi: Si verò velint exigere vltra id quod est institutum pro sola libidine habendi, aut propter inordinatas & immoderatas expensas, hoc eis omnino non licet. Vnde Ioannes Baptista militibus ad se venientibus dixit. Neminem concutiatis, &c. Et contenti estote stipendiis vestris, sunt enim quasi stipendia Principum eorum reditus, quibus debent esse contenti, vt vltra non exigant, nisi secundum rationem prædictam, etsi vtilitas est communis.* Quare venit improbanda distinctio Soti in dicto *art. 4. ad calcem conclusionis* 2. inter Regem, & Regulos ei subiectos, quod quidquid emolumenti, siue lucri Rex ab istis officiis acciperet, reputatur cedere in bonum publicum, siquidem illi incumbit regnum protegere, sicut si ipse esset Respublica. Secus verò Reguli, ac Domini inferiores; non enim quidquid ab istis officiis à se venditis, aut collatis reciperent, reputaretur cedere in bonum publicum, nisi ipsi ad tale bonum applicarent: puta ad pontium, vel murorum reparationem.

Dico quartò. Neque isti † Domini inferiores, siue Laici, siue Ecclesiastici sint, possunt licitè in terris suæ ditioni subiectis huiusmodi officia vendere, locare, aut impignorare, nisi de licentia ipsius Supremi Principis. In hac conclusione conueniunt præfati Authores. Et probatur. Primò, quia in dictis legibus tum iuris communis, tum regni pragmaticis prohibetur, ne electiones horum officiorum pretio fiant. Quæ prohibitio ad quoscumque Principes, ac Dominos, atque etiam ad quosuis talium officiorum possessores extenditur: Et cum aliàs leges sint iustæ, & disponentes de re graui ad bonum commune magnopere conducente, non est cur non obligent ad lethalem culpam. Secundò, quia vendere, aut impignorare alienum sine licentia veri Domini, est intrinsecè malum, vtpote septimo decalogi præcepto prohibitum: Atqui isti Reguli inferiores, vt sunt Duces, 13

Marchiones, Comites recognoſcentes Superiorem, necnon Epiſcopi,& Archiepiſcopi, aut etiam Monaſteria, ſiue Capitula Eccleſiarum in terris,oppidis, aut Caſtris in quibus temporali iuriſdictione potiuntur, non habent dominium horum officiorum:vtpote quorum dominium diximus, aut in ſola Republica libera, aut in ſoloPrincipe ſupremo,in quem Reſpublica totam ſuam authoritatem, ac abſolutum omnium iurium,ac officiorum publicorum dominium tranſtulit, ſeruari : Ergo quicumque alius inferior talium officiorum dominium non habet ; ac proinde illa vendendo, vendit alienum. Conſequentia patet, quia in nullum horum dominorum inferiorum Reſpublica ſuam tranſtulit authoritatem, ac iurium, ſiue officiorum dominium : vtpote quia nullus præficitur toti Reipublicæ, neque æquiualet Reipublicæ ipſe, aut tota eius ditio,quæ ad Rempublicam, ſicut pars ad totum, comparatur. Tertiò quia poteſtas vendendi hæc officia eſt Regalia, quæ eſt propria ſolius Principis non recognoſcentis Superiorem : ergo nefas eſſet,ſi Domini inferiores illam vſurparent. Vltra hæc autem inconuenientia, in Eccleſiaſticis Principibus habentibus poteſtatem temporalem in ſuis terris, ſiue oppidis, interuenit alia circunſtantia,ſcilicet ſcandali,quo Chriſtianos oculos offendunt, ſi pretio vẽdant quod à Chriſto vel eius Vicario,aut etiam à Principe laico gratis acceperunt, vt bene notat Soto *vbi ſupra concluſione 6.* ac proinde cum gratis acceperint non ſolùm ſpiritualia iura,ſed etiam ſecularia,quæ ad cuſtodiam ſpiritualium eis conceſſa ſunt, vtraque expedit eis gratis donare.

Dixi *ſine licentia Regis* : Nam de licentia illius bene poſſunt talia officia vendere, & de facto quandoque vendunt, quia quod Rex poteſt facere per ſe ipſum,etiam poteſt facere per ſuos miniſtros, & Vicarios. Tunc autem iſti domini vendentes huiuſmodi officia de Regis licentia & priuilegio, ſe habent tanquam eius miniſtri, ac Vicarij, ſicut & Proreges in eis prouinciis, in quibus Regis vice funguntur,facere ſolent. Ciuitates autem ſubiectæ Principi, ſiue Regi,quæ habent priuilegium præſentandi, ſeu nominandi, aut etiam eligendi per ſuffragia ſuorum Rectorum miniſtros idoneos ad officia Tabellionum & Scribarũ,non ideo poſſunt hæc officia vendere, aut locare, quia non habent dominium eorum,niſi tantùm ius præſentandi, nominandi,aut eligendi ex Principis gratia : eorum namque dominium apud ſolum Principem manet, qui etiam dictam nominationem,ſiue electionem ciuitatis,aut Cõſiſtorij ſolus confirmat. Sicut ad Prætores Regios,atq; etiã adDominos temporales ex Regis commiſſione aut priuilegio, pertinet confirmare electionem Iudicum ordinariorum annualium, (quod alcaldes ordinarios vocant) factam ab incolis minorum oppidorum, ſiue villarum.

14 Dico Quintò:† Neque ipſi Miniſtri poſſeſſores huiuſmodi officiorum, qui illa gratis, aut pretio acceperint, poſſunt illa vendere, aut locare,aut alienare, ſine licencia ſupremi Principis expreſſa,vel ſaltem interpretatiua : ſed cum illa poſſunt ſeruatis prædictis duabus conditionibus,ſcilicet dum idoneis, & pretio moderato

15 vẽdant aut locẽt.Hæc† cõcluſio cõmunis quoq; eſt apud eoſdem Doctores. Et pro Prima parte probatur,quia dicti Officiales poſſeſſores huiuſmodi officiorum,non habent abſolutum dominium eorum,niſi tantùm vſumfructum,quem à Principe,gratis aut pretio recipiunt,apud quem manet ſemper directum dominium proprietatis ipſius officij collati, aut venditi : ergo ſine Principis licentia non habent facultatem alienandi, & à fortiori neque vendendi tale officium. Conſequentia patet à negatione diffiniti ad negationem diffinitionis : & Antecedens conſtat ex dictis,quoniam Reſpublica in ſolum Principem tale dominium tranſtulit, & non in Dominos ſubiectos Principi,& multò minus in emptores,& poſſeſſores priuatos.Secundò quia facultas hæc vendendi officia publica, eſt Regalia propria poteſtatis excellentiæ reſidentis in ſolo Principe : quæ proinde nulli alteri inferiori poteſt competere per ſe, niſi ex Principis conceſſione facta inferiori tanquam ipſius miniſtro, ac Vicario. Tertiò, quia prædictæ leges iuris Cæſarei quibuſcumque dominis,ac poſſeſſoribus huiuſmodi officiorum prohibent eorum venditionem,ac locationem.Noſtri quoque Regni citatæ pragmaticæ determinatè cauent, ne officia habentia annexam adminiſtrationem iuſtitiæ, vt Scribarum, Prætoratus, & vicem eius tenentis,& multominus, qui à conſiliis,Regi deputantur,à ſuis poſſeſſoribus vendantur,aut alienentur, quas non eſſe lucuſque in hoc abolitas,aut abrogatas, inde manifeſtè conſtat, quod dum poſſeſſor officij à ſe empti,v.g. Balliui, aut Tabellionis vult illud in alterum transferre,tenetur ex iuſſu dictarum legum Regni dimittere illud coram Rege, aut eius ſupremo Senatu, in fauorem illius tertij, cui à Principe fit collatio, & confirmatio eiuſdem officij. Quod propterea per obitum poſſeſſoris vacat, & reuertitur ad Principem iure deuolutorio, vt illud cui voluerit, conferat,niſi poſſeſſor à die renuntiationis ſuperuixerit certos dies v.g. 20. aut 30. legibus Regni taxari ſolitos:tunc enim illo ſic ſuperuiuente cẽſetur non vacaſſe officium, quod propterea tranſit in eũ, in cuius fauorem illud poſſeſſor vita functus, adhuc viuens renuntiauerat, ne ſcilicet cauſa mortis tanquam in propriis bonis iure hæreditario filij in hiis officiis ſuccedant, quæ aliena ſunt quoad proprietatem, ſcilicet Principis, cuius lege taxantur conditiones, cum quibus & non aliter poſſint eorum poſſeſſores, illa vendere, aut alienare, aut in alterum, ſcilicet amicum, vel hæredem tranſferre.

Deinde pro Secunda parte probatur concluſio, declarando quid ſit † licentia expreſſa & 16 quid interpretatiua Principis in formula noſtri caſus.Licentiam expreſſam voco illam,qua Rex diceret in titulo vel collatione talis officij:confero tibi hoc officium Tabellionis ciuitatis v.g. Salmantinæ ; vel vendo illud tibi ea conditione, vt poſſis illud alteri vendere, vel locare.Interpretatiuam verò voco illam,quaRex conferendo officium inferioris notæ, v.g. Balliui,Tabellionis,alicui viro Proceri in remunerationem alicuius obſequij,vel in dotem fœminæ ducendæ ab ipſo in vxorem : interpretamur ipſum dediſſe ei licentiam vendendi,aut locandi tale officium, vtpote de quo conſtabat Regi quod indecens erat ipſum tale officiũ exercere. Alioquin nullam ei faceret remunerationem,

nullamve

nullámve proficuam dotem ei conferret, eſſétque fruſtranea gratia Regis, ſi de officio collato donatarius nullum emolumentum poſſet percipere. Quo ſuppoſito probatur hæc pars ſecundæ concluſionis, eiſdem rationibus factis pro quarta concluſione; nam ſuppoſita huiuſmodi licentia Regis, iam dominium ſaltem vtile officij tranſit in poſſeſſorem, & iure hæreditario tranſit in hæredes illius, fitque miniſter, & Vicarius Regis quoad facultatem transferendi, vel alienandi illud; computatúrque in bonis donataris propriis, de quibus poteſt diſponere in omnes vſus lege permiſſos: ergo poteſt illud vendere, ſeruatis duabus conditionibus præfatis; nam ſine quacunque illarum, venditio & locatio turpes erunt, & lucrum ex eis comparatum turpe erit, vtpote ex iniqua, & peccaminoſa actione lethaliter proueniens; valebit tamen officij tranſactio, venditio ſeu locatio, quandiu à iudice per ſententiam non irritetur, quia venditum eſt officium ab habente legitimam poteſtatem illud vendendi & alienandi, ſiue pretio, ſiue ſine illo.

17 Rogabis ſi † Rex conferat in perpetuum aut vendat alicui miniſtro huiuſmodi officium Tabellionis, v. g. cum facultate illud transferendi in alterum, poterimúſne in hac facultate interpretari facultatem vendendi illud, ita vt in virtute huiuſcemodi facultatis poſſet poſſeſſor officium illud licitè & validè vendere? Reſpondeo negatiuè, quia diuerſæ ſunt iſtæ facultates. Alia namque eſt facultas transferendi à facultate vendendi: vnde iſtam in illa non poſſumus interpretari, neque enim à ſeparatis fit illatio. Vnde poſſeſſor vendens tale officium in virtute dictæ licentiæ duntaxat, mortaliter peccaret contra iuſtitiam, diſtrahendo rem alienam ſine licentia veri Domini, & vſurpando alienam authoritatem, teneretúrque pretium acceptum emptori reſtituere, & emptor officium illico dimittere, quia ipſa venditio (& idem dico de locatione) eſſet irrita ipſo iure, vtpote facta à non habente legitimè vendendi officium poteſtatem; vt ſcitè Sotus, Bañeſius & Azorius annotant.

18 Hinc colligo Primò, quod † neque ſupremus Princeps, aut etiam libera Reſpublica, poteſt ritè & rectè pro aliquo ex huiuſmodi officiis mutuatam recipere pecuniam ab aliquo ſubdito; ea firma ratione, quam adducit Diuus Thomas dicto *opuſculo 21. part. 2. quæſiti 5.* quia ad vſuram mutuatarij cooperatur; eò quòd ſi ſubditi particulares hoc pacto mutuum dant, vt officium accipiant, abſque dubio pactum eſt vſurarium, quia pro mutuo & vltra capitale accipiunt officium quod eſt pretio æſtimabile. *Vnde in hoc* (ait ille) *datis eis occaſionem peccandi, & ipſi tamen tenerentur reſignare officium taliter adquiſitum: ſi tamen gratis officia dederitis, & poſtea ab eis mutuum acceperitis, quod de ſuo officio poſſint recipere, hoc abſque omni peccato fieri poteſt*; id eſt, poterit tamen Princeps poſt gratis collatum officium, recipere mutuum ab Officiali, ea conditione vt quantitatem pecuniæ mutuatæ recuperet de fructibus officij: hoc enim nihil eſt aliud, quàm locare officium, aut ſuper illud penſionem imponere: quod licitum diximus eſſe ei, qui poſſeſſionem habet illud vendendi.

19 Colligo ſecundò, nedum † ſupremos Dominos, ſed etiam Regulos recognoſcentes ſuperiorem, habentes facultatem alienandi & vendendi illa, poſſe licitè à poſſeſſoribus officiorum ex rationabili cauſa aliquam penſionem extorquere, fructibus officij proportionatam. Hoc corollarium procedit de ſolis officiis inferioris claſſis, puta Baliui, & Tabellionis & ſimilium; nam officia primæ claſſis, vt Magiſtratus, Conſiliarij, & Prætoratus nunquam licet Principi locare, aut penſione afficere, niſi quando & cum eiſdem conditionibus, cum quibus illud vendere liceret. Et probatur Primò: nam certum eſt, Prætorem & Magiſtratum precij cum miniſtris inferioribus in huiuſmodi officiis à ſe ſubrogatis aliquam quantitatem ſibi ſoluendam in pactum deducere, & illam licitè recipere, eò quòd iſti ad illum vt inferiores Miniſtri executores comparantur. Sed etiam Domini ſubiecti habentes facultatem alienandi & vendendi hæc officia, vt Miniſtri & Vicarij Regis, eius commiſſionis & poteſtati ſubrogantur, & ipſius priuilegio vtuntur: ergo eadem ratione poterunt ſuper illis aliquam penſionem imponere, ſiue vna tantum vice, ſiue menſtruam, ſiue annuam ſoluendam. Reſpondet Bañeſius *vbi ſupra*, negando conſequentiam: eò quòd Prætor habet ſe vt executor principalis, cuius miniſtri inferiores ſunt executores ex illius commiſſione: pro qua proinde poterit ſibi aliquam quotam ex emolumentis officij ſeu negotij reſeruare: Secus Regali, qui executores non ſunt, neque miniſtri officij, ſolam executionem committunt; ſed titulum officij abſolutè conferunt alteri, qui poſt independenter ab eorum commiſſione in officij miniſterio operatur. Fateor in hoc diſcrimen nonnullum eſſe, ſed nihil ad rem conducere. Nam licet miniſtri poſſeſſores ſua officia non exerceant vt Principum Commiſſarij & purè executores, bene tamen vt ſubditi illorum ab eis dependentes in fieri & tituli collatione: ac proinde non eſt cur pro illa aut pro conſeruatione in officio, quæ eſt pretio æſtimabilis, aliquid emolumenti non poſſint extorquere. Secundò probatur: nam qui poteſt maius, poteſt & minus in eodem genere: Sed iſti Reguli ex Principis conceſſione poſſunt hæc officia vendere, ac locare, quod eſt maius: ergo poterunt ſuper eis aliquod onus vel donarium imponere, quod eſt minus: imo hoc non excedit genus locationis. Tertiò id probat immemorialis conſuetudo, quæ tribuit legitimum titulum, & habet vim priuilegij: ſolent namque iſti Reguli quoties alicui conferunt vnum ex dictis officiis, v.g. Tabellionis, ab eo extorquere certam ſummam regalium, v.g. mille, aut duo millia iuxta quantitatem & qualitatem officij, pro vna vice ſoluendam alicui loco pio, puta monaſterio pauperi vel hoſpitali; vt mihi conſtat facere Excellentiſſimum Dominum Albanum: quam conſuetudinem non auderem condemnare. Ergo eandem ſummam poſſent ſucceſſiuè, hoc eſt per duos aut tres annos ad modum penſionis ab eodem Officiali extorquere. Et fortaſſe qui tenent negatiuam partem, loquuntur de illis Dominis, qui non habent poteſtatem à Rege vendendi hæc officia, de quibus ingenuè fatemur neque poſſe illa locare, aut penſione aliqua afficere.

Colligo Tertiò, à fortiori posse provt moris est † Regem vendere alia officia, non habentia annexam administrationem iustam, v. g. Prætorum ciuitatis, quæ per se loquendo ad politicum dumtaxat ciuitatis regimen ordinantur, etsi aliquando in cósilium iustitiæ aduocentur; eò quòd neque hæc venditio est legibus positiuis prohibita, neque in praxi solet damna inferre, quæ ex Officiorum iustitiæ administrationem habentium venditione, regulariter inferuntur. Et aliàs eorum venditio, alienatio, siue locatio ad Regaliam supremi Principis pertinet, vnde per obitum possidentis vacant, nisi certis diebus superuiuat à die renuntiationis: & seruatis conditionibus lege Regni statutis transeunt ad hæredes possessoris, tanquam bona illius; & istis deficientibus ad Regem reuertuntur. Verùm quia ad bonum publicum sunt instituta, si solius pretij ratio habeatur, & ineptis ad regimen conferantur, lethalis culpa erit; vt innuit Soto *vbi supra, conclusione* 3. vtpote actio Reipublicæ iniurioſa.

21 Colligo Quartò; eos † ministros, quorum officia habent stipendia assignata, non posse aliquod amplius à litigantibus recipere, nisi sponte & voluntariè oblatum, itavt ad illius restitutionem in foro conscientiæ teneantur. Ratio huius corollarij est, quoniam tunc ministri hæc officia acceptantes, qui pro vsu illorum habent salarium, & pro chirographo aut scriptura habent taxatum stipendium, ineunt pactum implicitè cum Principe, aut cum Republica, vt vltra tale stipendium nihil amplius exigant, & vt sint suis stipendiis contenti: quemadmodum eadem ratione cathedras in Academiis sallariatas, Regentes ea lege & conditione eas obtinent, vt sint tali sallario contenti, & nihil amplius ab Auditoribus extorqueant; & quidquid non sponte oblatum extorserint, restituere eis tenentur.

22 Ex his † Respondetur ad fundamenta facta pro prima sententia. Ad primum quidem admissa maiori, nego minorem: quia causa motiua illius constitutionis Pij V. & aliarum similium, non fuit, quod huiusmodi officiorum venditio sit intrinsecè, & ex natura rei mala; alioquin nullo fine posset honestari: sed quod non sit expediens, & aliàs ex illa plurima Reipublicæ damna regulariter emergant. Hæc enim ratio sufficit ad iustè legibus humanis aliquas actiones siue contractus prohibendum. Igitur Sanctissimus Pius in illa sua constitutione ob hanc rationem dictam, officiorum publicorum emptionem & obtentionem, media pecunia, aut alia re pretio æstimabili prohibuit; cuius tamen prohibitio, aut cum supremis Principibus maximè in casu necessitatis vrgẽtis est dispensata, aut extra curiam Romanam non fuit vsu recepta; pro vt de aliis humanis legibus diximus *conclusione* 1. Ad secundum nego antecedens: nam Rex pariter atque Respublica dominium habet horum officiorum, sicut & Iurisdictionis populorum sibi subiectorum: cum hoc tamen discrimine, quod Respublica habet tale dominium à seipsa, antequam illud in Regem aut Principem supremum transferat: iste verò habet illud acceptum à Republica. Vnde tam ista, quàm ille ex defectu dominij non impeditur, quominus possit tum Iurisdictiones, tum officia Iurisdictionem habentia annexam alienare; seruatis tamen seruandis, scilicet conditionibus prænotatis: ex quo patet ad Rempublicam *ibi* subinductam. Ad Tertium nego antecedens, ad cuius probationem dico, quod huiusmodi officia ex primaria Reipublicæ institutione sint præmium virtutis, & ideo dignioribus conferenda secundum formam iustitiæ distributiuæ: verumtamen dum necessitas vrget, & illa coactus Princeps, aut ex alia rationabili causa, & in dictis legibus dispensans, aut dispensatus, ea locat aut vendit; iam extrahuntur ab illa primæua institutione, & transeunt in aliam formam, scilicet officij, sub qua proinde vendi & locari possunt sine iniuria Reipublicæ, dummodo debitæ seruentur conditiones. Vel dicas, si malueris, quod dicta officia de se & stando in iure naturali sunt vendibilia; sed ex dispositione harum legum facta sunt præmium virtutis; quapropter, abrogatis vel dispensatis præfatis legibus, vertuntur in naturam suæ pristinæ formæ, in qua venalia sunt. Vnde nunquam admittendum est, eorum venditionem esse ab intrinseco malam. Ad quartum patet ex dictis in prima assertione.

Ad fundamenta autem secundæ sententiæ respondetur, solùm conuincere contra Adrianum & alios authores primæ, esse in supremis Principibus dominium huiusmodi officiorum, ac per consequens potestatem illa alienandi gratis, & pretio: honestarique posse eorum venditionem quandoque, si damna quæ ex illa regulariter sequuntur prudenter præcaueant, provt in tertia assertione docemus.

DISPV

DISPVTATIO IX.

De opinione eligenda in concursu alterius.

SVMMARIVM.

1 *Opinio quæcumque, aut cuiuscumque Authoris non est ita probabilis, vt tuta conscientia in praxi sequi possit, nisi rationi probabili, aut testimonio cuiusdam classici Doctoris innitatur.*

2 *Opinio est actus intellectus, declinantis in vnam partem contradictionis eum formididine alterius: Differt à scientia, fide & dubio*, ibid.

3 *Dubium est motus indifferens in vtramque partem contradictionis.*

4 *Scrupulus est credulitas ex leuibus coniecturis.*

5 *Illa opinio est probabilis, quæ habet pro se verosimilem probationem, vel Scholasticum aliquem Doctorem grauem, nullo alio contradicente.*

6 *Opinio & humana fides in quo differunt.*

7 *Opiniones huiusmodi contingit esse probabiles, vno ex duobus modis, speculatiuè scilicet & practicè.*

8 *In iis quæ pertinent ad fidem aut bonos mores, non potest sequi tuta conscientia opinionem ante probabilem, & postea alicui testimonio Sacræ Scripturæ, aut Decreto Pontificio &c. directè vel indirectè aduersantem.*

9 *Cuius asserti singulæ partes exemplis probantur.*

10 *Resoluitur textus* cap. Pastoralis, *vbi Innocentius III. decernit Ordinarium ad mandatum Delegati debere exequi sententiam, etiamsi sciat eam esse iniustam.*

11 *In concursu duarum opinionum inæqualiter probabilium, in materiis moralibus maximè ius tertij concernentibus, tenemur sequi illam quæ probabilior est.*

12 *Conflictus duarum opinionum probabilium potest contingere dupliciter.*

13 *Referuntur sex notæ opinionis probabilioris, quarum Prima est quod habeat pro se aliquam legem, aut consuetudinem prouinciæ moribus vtentium approbatam.*

14 *Opinio probabilis debet plurium Doctorum authoritate, & maximè Glossæ, aut etiam pluribus & efficacioribus rationibus fulciri.*

15 *Referuntur reliquæ quatuor notæ opinionis probabilioris.*

16 *Quibus sic prænotatis, statuitur teneri vnumquemque in conflictu duarum opinionum inæqualiter probabilium, per se loquendo sub præcepto obligante iuxta materiæ qualitatem & grauitatem, sequi in praxi illam, in quam omnes notæ recensitæ, aut plures aut fortiores conueniunt.*

17 *Quæ assertio sic declaratæ, non adhuc recipitur vniformiter ab omnibus Doctoribus, qui in duas sententias diuiduntur: quarum Prima asserit nos posse adhærere opinioni minus probabili, & iuxta illam in moralibus operari.*

18 *Horum Authorum fundamenta ad quinque reducuntur.*

19 *Referuntur Authores secundæ sententiæ in asserto contentæ, quæ etiam pro conclusione statuitur, & triplici argumento suadetur.*

20 *Ad fundamenta contrariæ sententiæ respondetur; & quidem singula sigillatim examinando.*

21 *Expenduntur singula exempla pro prima sententia superius allegata.*

22 *In materiis Sacramentorum tenentur cuncti fideles sequi opinionem probabiliorem, & ei in praxi conformari.*

23 *Respondetur obiectioni, scilicet quod sequens opinionem probabiliorem exponit se periculo faciendi vel accipiendi inualidum Sacramentum vel saltem informe, quia potest contingere talem opinionem in re esse falsam.*

24 *Impugnatur resolutio Dianæ, asserentis quod in materia Sacramentorum non tenetur Minister ratione reuerentiæ debitæ Sacramento sequi opinionem probabiliorem.*

25 *Authorum Academicorum opinio cæteris paribus semper præferenda est opinioni Curialium siue Aulicorum.*

26 *Academicis inter se dissentientibus, opinioo maioris partis est anteponenda.*

27 *In tribunali conscientiæ Regis siue Principis supremus Iudex est eius Confessarius.*

28 *Confessarius Principis qualis debeat esse.*

AD venenatam radicem Regnorũ & Prouinciarum in hoc capite eradicandam, & ad vermem Ecclesiam corrodentem hodie extinguendum peruenimus. Mars Gallicus pugnat contra Hispanicum, & vterque in sua parte iustitiam præsumit. Principatus Cathaloniæ contra suum Dominum ac Principem arma sumit, & econtra: vterque iustum bellum se agere conatur. Contra Lusitaniam Castella insurgit, & illa in rebellione perseuerans arma ad defensionem præparat: & vtraque iustitiam dicit se defendere. Quid dicemus ad hæc? Isti profectò sunt dentes Chadmos è quibus satis equi armati erumpunt secum pugnantes. Hij sunt mortui qui in Æsopi fabula resurgentes super meum & tuum, mundum litibus implent. Isti sunt capilli Medusæ, quos Pallas conuertit in colubros venenatos, totum mundum veneno inficientes, donec Perseus eius caput amputauit, vt tanto

malo

malo ſubueniret. Pallas ſcilicet Theologia, & Iuris Canonici prudentia capillos Meduſæ in colubros variarum opinionum ſecum pugnantium conuertit. De hiis opinatoribus conqueritur Deus per Eſaiam Vatem *cap. 5. Væ qui dicitis malum bonum, & bonum malum, ponentes tenebras lucem & lucem tenebras, ponentes amarum in dulce, & dulce in amarum.* Res eſt maioris momenti, quàm huius tractatus breuitas poſtulabat: verumtamen nonnullis aſſertis, meam proferam ſententiam.

1 PRIMVM eſt, quod † non quæcumque, aut cuiuſcumque authoris opinio eſt probabilis, ita vt eam tuta conſcientia in praxi ſequi poſſit, ſed dumtaxat illa, quæ aut rationi probabili, ideſt habenti vim & efficaciam de ſe inclinare intellectum ad vnam partem, licet cum formidine alterius: aut quæ innititur teſtimonio alicuius Doctoris claſſici & inſignis, tantæ authoritatis, vt ratione illius poſſit etiam inclinare intellectum Auditoris, ac determinare ad vnam partem contradictionis, licet cum
2 formidine alterius. Cuius ratio eſt, quia cùm † opinio ſecundum D. Thomam 1. *p. q. 79. art. 9. ad 4. & 22. quæſt. 1. art. 4. & q. 2. art. 1. & lib. 1. poſteriorum lect. 1.* ſit actus intellectus declinantis in vnam partem contradictionis, cum formidine alterius: in quo differt à ſcientia, fide, & dubio, quod ſcientia & fides important aſſenſum vnius partis ſine formidine alterius: illa quidem propter euidentiam: iſta verò propter certitudinem; dubium verò ſiue dubitatio neutri parti determinatè aſſenſum præbet, ſed æqua-
3 liter ſe habet ad vtramque. Eſt † enim teſte Iſidoro *in lib. Etymol.* motus indifferens in vtramque partem contradictionis, quia dubitans, neque euidentiam, neque certitudinem, neque rationem probabilem ad alteram partem determinatam habet, ſed ad vtramque æqualiter, vel ad neutram ſe habet. Supra dubitationem autem ſcrupulus plus aliquid credulitatis
4 addit, quia eſt † credulitas ex leuibus coniecturis, & non ponit in numero cum ſuſpicione, neutraque peruenit ad opinionem. Igitur cùm opinio præbeat aſſenſum vni parti determinatè cum formidine alterius: illa tantum erit probabilis, quæ innititur aut rationi, aut authoritati, ſufficienti intellectum rationabiliter inclinare ac determinare ad vnam partem contradictionis, cum formidine alterius; vt ex communi ſententia tradunt Syluester *in ſumma V. opinio 1. & 2.* Azorius *lib. 2. inſtitutionum moralium cap. 14. in principio,* Zenedo *q. 8. Canonica n. 3.* Vaſquius 12. *diſp. 62. cap. 4.* & Torres 22. *diſp. 55. dub. 3.* aſſerentes probabilem facere opinionem dictum alicuius Doctoris magnæ authoritatis. Quare Ariſtoteles 1 *topicorum cap. 9.* conſtituit dialecticum problema ex opinione etiam vnius ſapientis eximij, niſi abſurda ſit: & Angelicus Doctor eandem doctrinam confirmans *quodlibet. 3. q. 4. art. 10.* inquit, vnumquemque diſcipulum poſſe ſequi opinionem ſui Magiſtri abſque periculo, in hiis quæ ad fidem vel bonos mores non pertinent. Nam tunc habet locum documentum Apoſtoli *ad Rom. 14. Vnuſquiſque in ſuo ſenſu abundat.* In hiis verò quæ pertinent ad fidem vel bonos mores, nullus excuſatur à culpa, ſequens opinionem ſui Magiſtri, contra manifeſtum Sacræ Scripturæ teſtimonium, vel contra communem Eccleſiæ vſum ſiue acceptionem; In talibus enim ignorantia non excuſat, alioquin immunes à peccato fuiſſent, qui opinionem Arrij, ſiue Neſtorij, ſiue Lutheri, vel aliorum hæreſiarcharum ſunt ſequuti. Similiter habet locum in rebus primi generis illud dictum Chriſti Domini *Mathei 23. Super cathedram Moyſi ſederunt Scribæ & Phariſei: omnia quæ dicunt vobis ſeruate & facite*: quod inquit D. Thomas intelligi de illis quæ ad cathedram vel Theoricam pertinent, ad quam non pertinent ea quæ ſunt contra fidem vel bonos mores. Aduertendum tamen eſt, opinionem ſingularem vnius inſignis Doctoris, aut eſſe ſingularem negatiuè, quia cæteri non contradicunt, neque aſſentiuntur, quia de ea re non tractarunt: aut contrariè, quia ſcilicet communi cæterorum calculo reiicitur. Quando igitur aſſerimus opinionem probabilem poſſe effici ab authoritate vnius eximij Doctoris, loquimur de ſingulari primo modo, non de ſingulari ſecundo modo: hæc enim parum aut nihil probabilitatis inducit ex vi ſolius authoritatis, niſi efficaci ratione fulciatur. Neque enim probabile argumentum ſumitur ex eo quod vni placeat, ſi à cæterorum ſententia abhorreat: nam huc pertinet commune proverbium: *dictum vnius, dictum nullius.* Ex quibus licet colligere † illam opinionem eſſe pro- 5
babilem, quæ pro ſe habet vel veroſimilem probationem ſiue rationem, vel aliquem Scholaſticum Doctorem grauem, nullo alio contradicente: vel quæ pro ſe habet aliquem Doctorem grauem ex antiquis vel modernis, paucis aliis contradicentibus. Etenim ſi ſola authoritas vnius vel plurium ſufficit ad faciendam fidem humanam, cur non ſufficiet ad cauſandum opinionem? Dices † in quo ergo differunt opinio & humana fides, ſiquidem illa poteſt inniti ſoli authoritati dicentis & in ea fundari, atque ab ea cauſari, ſicut iſta? Reſpondeo in hoc nihil differre, pariter enim excuſabitur à culpa homo imperitus, ſequens opinionem probabilem ex ratione quam videt, vel ex fide humana ſola authoritate Doctoris motus, non ex ratione quam non videt. At ſi ſtrictè opinionem vt à fide humana conditam velis accipere; dicas ad fidem ſufficere teſtimonium cuiuſlibet hominis fide digni etiam illiterati: ad opinionem verò probabilem deſiderari teſtimonium hominis docti ac literati, quem audiens etſi ruſticus, præſumit non ſine ratione moueri, etſi eam non percipiat. Aut dicas huius Doctoris eximij aſſertum non eſſe opinionem probabilem, niſi eis qui illius rationem percipiunt: cum hoc diſcrimine inſuper, quod opinio innixa teſtimonio huiuſmodi Doctoris dicitur probabilis ab extrinſeco, quæ autem innititur rationibus, dicitur probabilis ab intrinſeco. 6

Contingit autem † huiuſmodi opiniones 7
probabiles, ſiue propter rationem ſuadentem, ſiue propter authoritatem Doctoris fidem facientis, eſſe probabiles vno ex duobus modis: nimirum vel tantùm ſpeculatiuè, vel etiam practicè. Illa eſt probabilis opinio ſpeculatiuè duntaxat, quæ poteſt defendi & ſuaderi in Cathedra & in publicis diſputationibus, propterea quod ratione vel authoritate provt dictum eſt fulciatur: illa verò eſt probabilis opinio practicè,

practicè, quæ est de his quæ ad mores spectant, & nedum in cathedra edoceri, sed etiam in suggesto & concionibus ad populum prædicari, & in humanis negotiis ad praxim reduci potest. Multoties namque inuenitur prima sine secunda probabilitate in opinionibus: nam probabilis est speculatiuè loquendo opinio asserens hanc esse legitimam formam Baptismi; ego te baptizo in nomine Genitoris & Geniti & procedentis ab vtroque, propter authoritatem Caietani 3. *part. quæst. 66. art. 5.* & propter rationem qua vtitur ex æquipollentia horum nominum cum aliis ab Ecclesia vsitatis, scilicet Patris, & Filij, & Spiritus Sancti: & tamen non est probabilis practicè loquendo, quia ad praxim reduci non potest. Nam qui ea forma vteretur, proculdubio peccaret recedendo à forma vsitata Ecclesiæ, & exponeret se periculo conficiendi Baptismum inualidum. Similiter probabilis est opinio speculatiuè loquendo, asserens posse duos ministros simul & eodem tempore eundem hominem baptizare, & tamen non est probabilis practicè, quia nec potest nec debet ad praxim reduci: nam teste D. Thoma 3. *part. quæst. 67. art. 6.* si duo Ministri eundem hominem simul immergerent proferendo verba, essent puniendi de inordinato modo baptizandi, sed non de iteratione baptismi: quia Deus qui est vnus interius baptizans, vnum Sacramentum per vtrumque conferret. Per quæ exempla de aliis similibus poterit ferri iudicium. Vnde concludendo dico, opinionem speculatiuè & practicè probabilem esse illam, quam tuta conscientia in praxi sequi potest.

8 SECVNDVM Assertum est, quod † illam opinionem quæ ante probabilis erat, & postea apparet falsa, aut aduersans directè, vel indirectè per bonam consequentiam alicui testimonio Sacræ Scripturæ, aut alicui decreto Concilij generalis, aut alicui decreto Pontificio Iuris communis, vel extrauaganti, aut contra sententiam rei iudicatæ non appellatam intra decendium, non potest sequi tuta conscientia in his quæ pertinent ad fidem aut bonos mores. Hoc Assertum probatur vt in communi iacet. Primò, quia tunc talis opinio desinit esse probabilis speculatiuè & practicè, hoc est tam in speculatiuis & pertinentibus ad cathedram, quàm in pertinẽtibus ad mores & praxim: ergo iam non potest eam cõscientia tutè & prudẽter sequi. Patet cõsequentia, quia non est conforme rectæ rationi, vt quis sequatur opinionem, quæ iam apparuit falsa. Antecedens autem ostenditur, quia opinio aliqua non dicitur probabilis, ex eo quod per se habet multos Authores & rationes apparentes: alioquin omnes hæreses & errores Sectariorum essent opiniones probabiles, quod est absurdum: sed ex eo dicitur & est probabilis, quod defenditur à Iuris sapientibus & prudentibus, ac boni nominis in Ecclesia, vt iuxta subiectam materiam loquamur, & rationibus probabilibus fulcitur teste Aristotele *lib. 1. Topicorum cap. 1.* & *lib. 1. Ethicorum cap. 40.* Secundò probatur ratione ostensiua Caietani *in summa* V. *opinio* §. 10. dicentis, quod omnis opinio fit illicita ex eo quod non referatur ad suam regulam, neque conformetur cum illa. Sed regula fidei & morum continetur in Sacra Scriptura, prout exponitur ab Ecclesia Catholica, & cæteris in asserto recensitis; ergo non excusatur aliquis à quantumcumque rationabili opinione in huiusmodi, si suspecta est communi Ecclesiæ iudicio, aut alicui ex dictis locis contraria: hinc enim damnantur Sectariorum doctrinis adhærentes, &c. Vnde fit quod licet in purè speculabilibus extra materiam fidei, ac morum, puta in Metaphysicæ, Philosophiæ, aut Mathematicæ quæstionibus sequens aut defendens opinionem, postquam apparuit falsa, solius temeritatis atque imprudentiæ labe maculetur. Verũtamen in pertinentibus ad fidem ac mores, maiori piaculo inficitur iuxta materiæ qualitatem & speciem ac grauitatem peccati, cuius periculo se exponit.

Nunc autem † exemplis singulæ asserti partes probantur. Exemplum primæ partis habemus in opinione illa, quæ inuenitur scripta in D. Thoma 12 *q. 102. art. 4. ad 6.* asserente super arcam Tabernaculi, fuisse tabulam lapideam, quæ dicebatur propitiatorium, &c. quam constat esse contrariam duobus locis Sacræ Scripturæ, scilicet *Exod. 25.* vbi Deus imperat Moysi facere propitiatorium *ex auro purissimo.* & *cap. 37.* dicitur Moysem fecisse propitiatorium, sicut ei Dominus præceperat. Dixi *quæ inuenitur scripta in D. Thoma*: nam aut aliquis captiosè, aut incuria Typographi eam in textum Sancti Doctoris ingessit. Constat enim non fuisse eius opinionem, qui ad *Heb. 9. lect. 1.* fatetur inter duas alas Cherubin fuisse tabulam auream, quæ dicebatur propitiatorium. Similiter opinio illius, qui diceret Moysem nullo modo reliquisse post se successorem in ministerio prophetico, etsi aliquando visa fuerit probabilis, iam constat contraria duplici testimonio Sacræ Scripturæ, scilicet *Deuter. vlt.* vbi dicitur: *quia Moyses posuit super eum manus suas*, scilicet supra Iosue: & *Ecclesiastici 46. Fortis in bello Iesus Naue successor Moysi in Prophetis*, id est in numero prophetico, *vel in prophetiis*, vt habet alia translatio. Alia exempla videantur in Ioanne Azorio *vbi supra cap. 9.* Exemplum secundæ partis habemus in opinione Abbatis Ioachimi, quam ante Concilium Lateranense sub Innocentio III. probabiliter defendit contra Petrum Lombardum Magistrum sententiarum; dicens tres Diuinas personas esse vnum dumtaxat vnitate effectus & collectionis, sed postea à dicto Concilio in *cap. Damnamus, de summa Trinitate & Fide Catholica* fuit damnata, approbante sententiam Pẽtri Lombardi tanquam Catholicam, scilicet adstruentem tres Diuinas personas esse realiter idem cum vna essentia siue natura, quæ neque sit generans neque genita. Et in opinione Alexandri de Ales & Sancti Bonauenturæ asserentium Sacramentum Confirmationis non à Christo, sed ab Ecclesia fuisse institutum; quam tamen postea Tridentina Synodus vt hæreticam damnauit *sess. 7. Canone 1.* & in opinione eiusdem Bonauenturæ, Magistri *in 4. distinct. 23.* & Hugonis de Sancto Victore *2. parte de Sacramentis* asserentium Sacramentum Extremæ Vnctionis non à Christo sed ab Apostolis fuisse institutum, & tunc temporis erat probabilis, quam tamen eadem Sancta Synodus *sess. 14. Canone 1.* 9

vt hæreticam damnat. Deinde in opinione multorum Canoniſtarum qui cum Gloſſa 1.q.1. & Hoſtienſi *in ſumma tit. de Sacramentis*, & Durando *in 4. diſtinct. 26.* probabiliter aſſerebant per Matrimonij Sacramentum nullam gratiam conferri: quam tamen eadem ſancta Synodus *ſeſſ. 24. Canone 1.* inuenit eſſe hæreticam & vt talem condemnat; ſicut & damnat *ſeſſ. 14. cap. 5. & Canone 1.* aliam opinionem Iuris Canonici peritorum, qui cum Gloſſa *titulo de pœnitentiis & remiſſion.* adſtruebat Sacramentum Pœnitentiæ non à Chriſto Domino, ſed ab Apoſtolis fuiſſe inſtitutum.

Exempla tertiæ partis habemus in opinione, quæ modò adſtrueret in materia tributorum, poſſe Clericos à Principibus Laicis collectari ſine indulto à Summo Pontifice prius obtento, quæ quia eſt contra normam traditam in iure Canonico *cap. Non minus. & cap. Aduerſus de immunitate Eccleſiarum*, quæ in hac materia pro regula veritatis habetur, propterea apparet falſa. Et quia in Religione Dominicana habentur leges à Sede Apoſtolica dimanantes ſiue confirmatæ, prohibentes eiuſdem religionis profeſſoribus, quemlibet ad tribunalia extra ordinem recurſum pro grauamine effugiendo. Nam ſtat vna conſtitutio Bonifacij IX. tenoris ſequentis. *Authoritate Apoſtolica tenore præſentium perpetua & irrefragabili conſtitutione ſancimus, ſtatuimus, & ordinamus, &c. quod nullus ex Fratribus aut ſororibus huiuſmodi coram quocumque Iudice, qui non eſt de dicto ordine, ex quacumque cauſa conuenire ſeu facere conuenire aliquem vel aliquam ex fratribus & ſororibus poſſit aut debeat, &c.* Extat in corpore conſtitutionum eiuſdem Ordinis alia ſequentis tenoris. *Ad nullum Iudicem extra ordinem niſi ad Sedem Apoſtolicam, cui ordo noſter immediatè ſubditus eſt, aliquod membrum ordinis, illíque ſubditum pro iuſtitia recurrat, ſub pœna abſolutionis ab officio, ſi eſt Prælatus ipſo facto incurrenda, vel ſub pœna priuationis vocis actiuæ & paſſiuæ etiam ipſo facto quoad alios pariter incurrenda.* Rurſus inter eiuſdem ordinis priuilegia, *num. 8.* hæc habetur Leonis X. *Nos qui ad ordinem prædictum & eius perſonas ſingulares, gerimus deuotionis affectum, eiuſque ſtatum tranquillum deſideramus, litterarum prædictarum tenorem, (ſcilicet Bonifacij IX. de quibus ſupra) præſentibus pro ſufficienter expreſſo & inſerto habentes ſtatum & ordinationem huiuſmodi, &c. Authoritate Apoſtolica, motu proprio, & ex certa ſcientia tenore præſentium approbamus & confirmamus, &c. Ac pro potiori cautela omnia & ſingula etiam ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœna ipſo facto incurrenda, authoritate præfata, tenore præſentium ſtatuimus & ordinamus: inhibentes ſub eadem pœna quibuſuis Iudicibus tum Eccleſiaſticis, tum ſecularibus etiam conſeruatoribus, ne fratrum & ſororum querelas huiuſmodi contra alios fratres & ſorores dicti ordinis ſuſcipiant, vel de eis cognoſcant, &c.* Extat alia conſtitutio tenoris ſequentis. *Præcipimus in virtute Spiritus & ſanctæ obedientiæ ſub præcepto formali, necnon ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ & omnibus pœnis grauioris culpæ, ne quis Religionis noſtræ negotia ſiue fratrum, ſiue monialum quouis modo deferre audeat directè vel indirectè, per ſe vel per alios ad tribunalia extra ordinem: quod ſi qui ſciuerint aliquem vel aliquos id feciſſe, ſub eodem præcepto & pœna excommunicationis infra terminum duodecim dierum Prælato denunciare teneantur. Superior verò admonitus, ſub eodem formali præcepto & excommunicationis latæ ſententiæ pœna intra terminum vt ſupra; præmiſſis præmittendis, pœnam tranſgreſſoribus ſupra taxatam infligere omnino teneatur.*

Et in vltimo Capitulo generali facta fuit alia lex tenoris ſequentis. *Confirmamus id quod ſapiſſimè etiam authoritate Apoſtolica ſtatutum eſt, & ſub formali præcepto ac pœna priuationis vtriuſque vocis quorumcumque graduum & officiorum, nec non excommunicationis latæ ſententiæ mandatum, ne ſcilicet Fratres quacumque ex cauſa contra ſeriem noſtrarum coſtitutionum, & Bonifacij IX. & congregationis regularium decreta, ad quæcumque tribunalia extra ordinem conſtituta, quoquo pacto appellare audeant. Quam legem ſub eiſdem pœnis obſeruandam innouamus.* Ex quibus tanquam ex regula veritatis in hac materia recurſus ſiue appellationis ad tribunalia extra ordinem, colligitur opinionem talem eis recurſum aut appellationem iuſtificantem eſſe omninò falſam, & omni carere probabilitate in praxi. Poſſent quidem dicti Fratres recurrere ad Regem ſuggillando, & priuatum memoriale tradendo pro repellenda aliqua manifeſta violentia ipſis illata, ſed non iuridicè petitiones præſentando in tribunali iuſtitiæ, & proniſiones ac Regias ſanctiones extrahendo: quia iſte recurſus coincidit cum appellatione, quouis modo & quouis prætextu facta ſiue facienda, in præfatis legibus interdicta. Quare contrarium facientes prætextu aliquorum Doctorum, qui ſiniſtra relatione inſtructi, aut contextum dictarum conſtitutionum non legendo, eis oppoſitum conſuluerunt; nullatenus à culpa lethali, & pœnarum inibi inflictarum incurſu ſunt excuſandi. Alioquin nulla lex Diuina aut Eccleſiaſtica eſt firma, nulla eſt certa, nulla vim habet obligandi: quia nulla erit, quæ per friuolas opinantium interpretationes non poſſit labefactari, maximè quando Doctorum conſilium eſt venale, aut alicuius ſuperioris diligentia, aut aliquo humano fauore captatum. Talium enim conſilium nullam in opinando probabilitatem facit, etiam ſecluſa lege contraria, nedum quando legi Diuinæ aut Eccleſiaſticæ manifeſtè contrariatur, vt in noſtro caſu contingeret, ſi aliqui Doctores aliquo ex prædictis motiuis ducti oppoſitum conſulerent.

Facili enim negotio huiuſmodi Doctores, qui lucro aut fauore ducti conſilium præbent, in vtramque partem contradictionis vertuntur: & vtrique ſubſcribunt æqua lance, atque in vtramque tanquam arundines vento agitatæ flectuntur; ideo eorum conſilium nullam fundat probabilitatem, ſicuti inferius de purè Aulicis dicemus.

Exempla quartæ partis habemus *in titulo de ſententia & re Iudicata*, vbi decernitur, quod ſententia nonappellata intra decendium tranſit in rem iudicatam, & res iudicata habetur pro veritate; quare contra illam opinio apparet falſa niſi in caſibus ibi exceptis, hoc eſt

niſi

nisi contineat intolerabilem errorem, *ex cap. sententia*, & *cap. de catero eodem titulo*, & nisi in causa matrimoniali *ex cap. lator, eodem titul.* & nisi in casibus à nobis exceptis *disp.4. præcedente*: quos omnes hîc volumus pro expressis haberi.

Hinc venit intelligendus difficilis valde textus *in cap. Pastoralis §. quia vero de officio iudicis delegati*: vbi Innocentius III. decernit, quod Ordinarius ad mandatum delegati debet exequi sententiam etiam si sciat eam esse iniustam: *Attendentes itaque quod non cognitio, sed executio tantum demandatur eidem: Respondemus quod cum Ordinarius teneatur obsequi delegato etiam si sciat sententiam illam iniustam, exequi nihilominus tenetur eandem: nisi apud eum efficere possit vt ab hoc onere ipsum absolnat, &c.* Quod decretum Innocentij manifestam videtur continere falsitatem, ac per consequens opinio aduersans decreto Pontificio in corpore Iuris contento, non illico apparet falsa. Quod autem in hoc decreto falsitas contineatur, apparet ex multiplici capite. Primò quia huiusmodi Iudex executor sententiæ delegati, sciens eam esse iniustam, exequendo illam, sciens & prudens cooperatur iniustitiæ; & operatur contra propriam certam conscientiam de peccato: ergo inexcusabiliter peccat. Secundò à simili: nam vsurariorum ministri fautores cooperantes eius vsurariis contractibus, etsi mandatarij sint dumtaxat, labe vsuræ inficiuntur, & contra iustitiam peccant, atque ad restitutionem lucri per vsuras extorti pariter tenentur, atque mandans, qui est vsurarius principalis teste Soto *lib.6. de iustitia quæst.1. art.4. circa finem.* Tertiò: nam teste Bañesio *22. quæst.40. art.2. dub.6. conclusione* 3. milites qui adinstar lictorum sunt executores belli à Principe indicti; quando sunt certi de iniustitia belli, cuius executio eis demandatur, proculdubio contra iustitiam peccant, cooperando bello iniusto; secus si sint dubij, nam tunc in dubiis obedientia eos excusat à culpa. Similiter lictor quando est certus de iniusta sententia, peccat illam exequendo, v. g. mandat Iudex lictori, vt latam sententiam capitalem contra innocentem exequatur; si ille est certus de iniustitia talis sententiæ, eam exequendo peccat contra iustitiam, & est verè homicida occidens hominem sine legitima authoritate contra quintum Decalogi præceptum, qua ratione etiam peccabant Carnifices, qui ad Imperium Tyrannorum Martyres trucidabant; vt docet D. Thomas *22. quæst. 64. articul. 6. ad 3.* dicens. *Minister autem Iudicis condemnantis innocentem, si sententia intolerabilem errorem contineat, non debet obedire, alias excusarentur Carnifices, qui Martyres occiderunt; si verò non contineat manifestam iniustitiam, non peccat præceptum exequendo; quia ipse non habet discutere superioris sententiam, nec ipse occidit innocentem, sed Iudex cuius ministerium exhibet.*

10 Ex qua † doctrina patet aditus ad dicti capitis *Pastoralis* in allegato §. *qui vero* intelligentiam. Nam aut Innocentius in illo locutus fuit vt Doctor particularis, cuius proinde dictum potuit subesse falsitati; vnde neque vt verum & constans ab omnibus recipitur, licet in corpore Iuris contineatur: aut loquitur non in sensu composito de illo ordinario executore, qui retinens scientiam de iniusta sententia, illam exequitur: sed in sensu diuiso de illo qui propriam scientiam deponit, & se conformat sententiæ ac scientiæ mandantis. Aut textus intelligendus est de illo qui non per certam scientiam, sed tantùm per opinionem (quæ vulgato more loquendi appellatur scientia, nam etiam illa quæ opinamur dicimur scire) cum dubitatione siue formidine alterius partis: & tunc excusatur Ordinarius à peccato, exequendo sententiam superioris, sicut etiam excusantur milites aggrediendo bellum à Principe indictum, de cuius iustitia sunt dubij: vt bene notat Bañesius *vbi supra dub. 5.* Licet etiam Princeps ipse quando est dubius de iustitia belli indicendi contra alium Principem, à culpa non excusetur; neque excusaretur Iudex delegatus cum simili dubio ferens sententiam, & illam exequi mandans, quia in pari delicto vel causa melior est conditio possidentis. Aut tandem dictus textus intelligendus est iuxta Angelici Doctoris doctrinam allegatam, quando sententia superioris non continet intolerabilem errorem, aut manifestam iniustitiam ex defectu ordinis iuris, licet aliàs sit iniusta materialiter & ex parte facti, quia scilicet est lata contra innocentem; sed secundum allegata & probata, atq; ordine Iuris in substantialibus seruato. Cui intelligentiæ suffragantur Glossa *ibidem*, & Nauarrus *in cap. cum contingat, de officio Iudicis delegati, numer.9.* asserentes tunc posse ac debere Ordinarium exequi sententiam latam à Superiori ex eius mandato, quando Superior processit cum legitima causæ cognitione, ideſt secundum ordinem iuris, & mandatum iudicialiter Ordinario Iudici imposuerit. Neque rationes obiectæ contra hanc intelligentiam aliquid conuincunt. Nam neque tunc executor cooperatur iniustitiæ, neque operatur contra propriam scientiam certam aut dubiam, quia certum est quod exequendo sententiam iustam formaliter & attento ordine iuris non peccat, licet aliàs sit iniusta materialiter & ex parte facti: certus quoque est se non peccare exequendo sententiam Superioris, non continentem intolerabilem errorem aut manifestam iniustitiam: in obscuris enim ac dubiis standum est pro superiore mandante, quia factum superioris semper censendum est legitimum, nisi de contrario sit notorietas. Neque est simile, de ministris fautoribus vsuriarorum: quia sicut isti non habent authoritatem legitimam fœnerandi ad vsuras, neque eorum mandatum est iuridicum: ita neque eorum fautores mandatum iniquum exequendo à peccato iniustitiæ excusantur, nisi inuincibili ignorantia laborent: hæc enim semel admissa quemcumque à peccato excusat, & consequenter ab obligatione restituendi; quæ ex iniusta actione oritur. Idem dicimus de militibus ac lictoribus, quod non excusantur à peccato iniustitiæ, exequendo aut bellum, aut sententiam, in quibus error intolerabilis aut manifesta iniustitia, de qua ipsi sunt certi, continetur: Secus verò si essent dubij aut opinantes, aut si iniustitia esset materialis ex parte facti; non ex defectu cognitionis causæ, & ordinis Iuris.

11 CErtium assertum est, quod † in conflictu siue concursu duarum opinionum inæqualiter probabilium, in materiis moralibus, hoc est ad mores vel ad forum conscientiæ pertinentibus, maximè ius tertij concernentibus, tenemur sequi illam quæ probabilior est. Pro huius asserti declaratione prænotare oportet;

12 Primò † concursum siue conflictum duarum opinionum probabilium posse contingere dupliciter: nimirum, aut quando ambæ sunt apud sapientes, & in scholis æquè probabiles plus minusvè: aut quando vna apud eosdem notoriè & constanter est magis probabilis quàm altera. Et quidem in primo euentu, non tenemur sequi magis vnam, quàm aliam, cuius ratio euidens est apud omnes Doctores, quia tunc vtraque opinio æqua lance propendet: vtraque pariter mouet & inclinat intellectum, & vtramque proponit intellectus sub æquali probabilitate voluntati cum iudicio indifferenti. Cum autem Iudicium est indifferens, liberum ac licitum est voluntati quam libuerit sequi partem: ergo tunc quamlibet harum opinionem in praxi liberè ac licitè potest amplecti voluntas. Neque enim maior est ratio, quare voluntas cogatur sequi vnam, quàm alteram partem. Vnde in huiusmodi conflictu & concursu, Iudex in legalibus potest quandoq; secundum vnam, & quandoque secundum aliam opinionem ferre sententiam: etiam relinquendo suam propriam opinionem. Et Confessarius siue ordinarius & ex officio, siue extraordinarius & voluntariè electus à pœnitente, potest ac debet pœnitentem absoluere secundum eius opinionem, etiamsi contrariam sequatur talis Confessarius: Et Medicus potest similiter infirmum secundum vnam quandoque & quandoque secundum alteram opinionem curare. Aut quando ex illis duabus opinionibus, vna notoriè & constanter excedit alteram in probabilitate, & tunc, licet in speculabilibus & pertinentibus ad Cathedram, & publicas siue priuatas disputationes, possit extra materiam fidei & morum Doctor sequi ac defendere minus probabilem relicta probabiliori: similitérque discipulus possit sui Magistri sententiam licet minus probabilem amplecti: vt docet D. Thomas *vbi supra*, quia in hiis nullum est periculum in defendendo aut docendo minus probabilem, nulláque est obligatio sequendi aut docendi probabiliorem: alioquin iniusta essent statuta Academiarum, in quibus fundatæ sunt Cathedræ Sancti Thomæ, Durand. & Scoti, cum obligatione legendi explicandi atque etiam edocendi sententias horum Authorum, è quibus necesse est vnam multories esse altera probabiliorem; quod tamen dici absque temeritate non potest, quin potius omnium ore sunt laudabilia huiusmodi statuta, & stipendia pro talibus Cathedris regendis laudabiliter sunt à Fundatoribus consignata: quia & harum diuersarum doctrinarum ac opinionum lecturæ, vtiles sunt ad ingenia audientium acuenda, & vt plurium opinionum habentes notitiam, tum selectiorem eligant: tum variis armis muniti, plures quoque modos ac media habeant, quibus fidem Catholicam defendant, & Sectariorum argumenta retundant. Sic enim oportet turrim Dauidicam, id est Ecclesiam ornatam & instructam esse omni armorum genere: imo qui has Cathedras regunt, nedum licitè poterunt, sed etiam tenebuntur eorum Authorum sententias docere ac defendere, etiamsi minus probabilitatis habeant, dummodo ad id tenore statuti Academici, quod iurarunt, compellantur.

Verùm in moralibus materiis ad mores & ad forum conscientiæ pertinentibus, & Ius tertij concernentibus, & quando exigitur opinionem exequendam nedum speculatiuè, sed practicè probabilem fore, v. g. in contractibus, si vna opinio teneat probabiliter hunc contractum non esse vsurarium aut Simoniacum, & alia teneat cum probabilitate illum esse vsurarium aut Simoniacum: aut si dicat vna opinio minus probabilis, hoc tributum impositum aut imponendum à Principe, esse iustum: alia verò probabilior & securior dicat illud esse iniustum; aut si in legalibus dicat vna opinio minus probabilis Actoris esse hæreditatem super qua litigatur, & alia probabilior dicat non Actoris sed Rei esse hæreditatem. Aut si in medicinalibus sit vna opinio, quod febris puncticularis salubre remedium sit minutio sanguinis: & oppositum dicit opinio probabilior: longe diuersa est ratio. Atque ideo in huiusmodi conflictu & concursu duarum opinionum probabilium, dicimus in nostro asserto, præferendam esse in praxi probabiliorem: ad idque teneri Consiliarium, Confessarium, Iudicem, & Medicum, sub peccato aut lethali, aut veniali, secundum materiæ qualitatem & grauitatem.

13 Quod vt probemus, prænotare oportet Secundò † sex esse notas opinionis probabilioris. Prima est quod habeat pro se aliquam legem, aut consuetudinem prouinciæ moribus vtentium approbatam: eò quòd minimè mutanda sunt, quæ certam sententiam semper habuerunt *ex leg. minimè ff. de legibus.* Et quia consuetudo & optima legum interpres ex dicta *leg. minimè*, & *leg. si de interpretatione, eodem tit. & cap. cum dilectus, de consuetudine.* Tum etiam quia consuetudo habet vim legis, & ideo mutanda non sunt quæ consuetudine sunt recepta, ait Baldus *leg. de quibus ff. de legibus*: *Tempus quod dat sibi vitam, dat sibi legem; tempus verò quod semper accedit ad nos, dat nobis mores, illud dat nobis legem, illo viuimus, nutrimur & sumus.* Et alibi scilicet super *leg. 1. Cod. de emancip. liberti* sic ait: *Tempus vicem personæ alienandæ gerit, cum Iura negligentis labefacit, atque corrodit, & in diligentem transfert: nam omnia licita facit vetustas, sicut natura: nec causa quærenda est, & consuetudo rei est quasi alterum ius naturale: vnde consueta transmutari non possunt.* Cuius ratio redditur *in leg. 2. ff. de constitut. Principis*: *nimirum quia in rebus nouis constituendis euidens vtilitas, aut vrgens necessitas esse debet, vt ab eo iure discedatur, quod iam diu æquum visum est*: & *cap. denique distinctione 4. Ne forte peiores existant si à tali consuetudine prohiberentur.* Et *cap. quæ contra mores, distinct. 8.* subditur; *quæ contra mores hominum sunt flagitia, pro morum diuersitate sunt vitanda: vt pactum inter se gentis, aut ciuitatis consuetudine vel lege firmatum, nulla ciuis aut peregrini libidine violetur: turpis enim est omnis pars vniuerso suo non congruens.* Et *in cap. Cum consuetudinis, de consuetudine*, subditur alia ratio, nimirum;

mirum; *quia nouitates plerumque discordiam pariunt*; Vbi Ioannes Andreas adducit illud Hippocratis; *Mutatio vitæ periculosa*: & Glossa colligit, ideo tales nouitates regulariter esse vitandas.

14 Secunda nota est, quod † talis opinio fulciatur plurium Doctorum authoritate & maximè Glossæ, aut etiam pluribus & efficacioribus rationibus. Hæc explicatur per singulas partes: Quoad primam quidem, quia iuxta Philosophi documentum, in vnaquaque arte credendũ est peritis in illa. Tum etiam quia opinio plurium Doctorum authoritate fulcita, aut est communis, aut magis ad communem accedens: & ideò præsumitur verior, teste Menochio *de præsumptionibus lib.2.præsumpt.71.n.2.* Ceruantes *in leg. 1. Tauri titulo 2. quæst. 5.* Burgus de Paz *in proœmio legum Tauri. num. 251.* Zeballos *in proœmio practicarum quæstionum à num.30.* atque Decio *consilio 131.* à qua proinde secundùm eosdem Authores, neque in iudicando, neque in consulendo recedere debemus.

Deinde quoad secundam partem patet; quia authoritas Glossæ cæteris omnibus Doctorum particularium authoritatibus antecedit: vt notant Morla *1.parte titulo 2. quæst. 12.* Martha *de Tribunalibus vrbis cap. 5.* Decianus *consilio 45. num. 15.* Mascardus *conclusione 842.* & Ludouicus Lopez *1. parte instructorij conscientiæ, cap.28.* à cuius proinde opinione cæteris paribus non est recedendum: & quod pondus authoritatis habet apud Iuristas Glossa iuris, habet apud Theologos Glossa Patrum circa Sacræ scripturæ intelligentiam. Quod autem diximus eò probabiliorem fieri opinionem plurium Doctorum authoritate firmatam, quò est communis aut magis ad communem accedens, debet intelligi cum grano salis, hoc est regulariter loquendo, & quando contraria opinio non est probabilior & efficacioribus rationibus comprobata. Quandóque enim contingit in practicis & moralibus, sicut in speculabilibus multoties, opinionem minus communem & paucorum Neothericorum esse probabiliorem, propterea quod efficacioribus fulciatur rationibus, quàm opinionem communem, & à pluribus Doctoribus, etiam antiquis communiter receptam & probatam: eò quòd isti non ita accuratè inconuenientia, aut argumenta in contrarium perpenderunt, sicut Iuniores, tum experientia ducti, tum etiam frequentia disputationum exercitati. Tunc enim potest quis licitè sequi opinionem minus communem & iuxta illam operari: quia in eo casu neque in crimen imprudentiæ & temeritatis incidit, neque periculo peccandi se exponit, si posthabita opinione communi, eligat contrariam minus communem quæ tutior & probabilior est. Secus autem, quando nec tutior nec probabilior est minus communis opinio; nam tunc neque à crimine imprudentiæ & temeritatis, neque à vitio exponendi se periculo peccati excusatur, qui illam deligit relicta communi; eo solùm ductus, quod ex principiis communibus vel extrinsecus assumptis, iudicat fas esse hoc sibi agendum: vt minus verè dixit Azorius *1. part.summæ moralis lib.2.cap.16. q.4.* in quo potius Maiori *infrà* citando subscribendum putamus, quem ipse Azorius leuiter impugnat.

Denique quoad tertiam partem, explicatur hæc regula siue notà: ex eo quòd vnum ex motiuis facientibus opinionem probabilem, est ratio apparens vel suadens, & inclinans intellectum ad vnam partem contradictionis, licet cum formidine alterius: ergo si opinio aliqua efficacioribus rationibus fulciatur, etiamsi pauciorum Doctorum authoritate confirmetur, erit probabilior; quoniam cæteris paribus ratio maius pondus habet, quàm sola vnius, vel duorum, vel plurium Doctorum authoritas.

Tertia est, † quod habeat pro se Iudicium & 15
approbationem Consiliariorum Rotæ, propter eximiam eorum Dominorum Auditorum authoritatem & Iurisprudentiam, qua pollent: vt notat Antonius Gomez *in proœmio regul. Cancellariæ qu.1.* Vnde Tribunalis Rotæ decisiones faciunt communem opinionem, teste Thoma Zerola *in praxi Episcoporum*, verbo *Rota tribunalis*. Quarta est, quod habeat pro se alicuius insignis Collegij vel Academiæ subscriptionem: vt tenent Abbas *in cap.prudentiam, de officio Iudicis delegat. num.4.* Decius *consilio 400. num.1.* Porcius *consilio 91. num.7.* & Menochius *lib.2.præsumption.71.num.9.* & meritò: quia quod plurium concurrente voto constituitur, maximè rectum censeri debet; neque timendum est in tantorum sapientium cætu defecturum esse spiritum Veritatis, quem Christus Dominus duobus aut tribus in eius nomine congregatis promisit. Quinta est, quod habeat pro se eos Doctores, qui ex professo in scriptis talem materiam tractarunt: hæc enim præferenda est ei, quam alij Authores aut non tractarunt, aut solùm perfunctoriè & quasi per transennam, vt constat ex Rolando *consilio 39. volum.4.num.14.* Menochio *de recuperat.possession.remed.1. nu.191.* & *lib.2.præsumption.71.nu.39.* Petro Surdo *consilio 311.* & Alciato *regula 1. præsumpt.51.* Sexta est, quod inter duas opiniones ex professo & accuratè à Doctoribus tractatas, illa est probabilior, quæ communis dicitur & communiter recepta: quia in causa dubij pro multitudine præsumendum est, ex *c.finali de pœnitentia d.1.* & *cap. vnico de postulatione Prælati in 6.* & *in leg.2.ff.de iure, & fac.ignor.* vt notant Bartolus *in leg. de eo. Cod. de pœn. Iudic. qui malè iudicant.* Sylueſter V.*opinio §. 2.* Bernardus Diaz *in regula 107.* Iason *in Authentico, nouissima, num. 22. Cod.de inoffen.testa.* Abbas *in cap.prudentiam, n.4. de officio Iudic.delegat.* & Decius *consilio 422.* & *consilio 441.* cum aliis quos refert & sequitur Zenedo *quæst.8.num.10.* Si autem neutra est magis communiter recepta, quàm altera, sed vtraque habet pro se plures Authores boni nominis: Vna quidem antiquos, altera verò Iuniores, præferenda est illa quæ habet pro se antiquos, vt notat Sylueſter *vbi supra*: intellige regulariter loquendo, (vt nuper notauimus) eò quòd temporis diuturnitas videtur non paruam authoritatem attulisse; nisi ex nouis rationibus & causis aliud sentiatur: quoniam aliquando intellectus Iunioris est perspicacior, ex *leg. Gallus ff.de liberis & posthum.* Subditque Sylueſter, quod facta comparatione Theologorum ad Iuristas, & inter quatuor Ecclesiæ Doctores sic iudicandum est. Si dissidium sit inter Theologos & Iuristas, Theologi præferuntur in materia Iuris Diuini; Canonistæ in materia Canonica, & Legistæ in legali. In materia quæstionum

analogicarum præfertur Auguſtinus, in textualibus ad litteram pertinentibus Hieronymus: in allegoriis Ambroſius, & Gregorius in moralibus: quia quilibet horum Doctorum Eccleſiæ in aliquo ex quatuor ſenſibus Scripturæ præeminet aliis. Inter Concilium verò & Papam, in quacumque materia maximè ad fidem & mores pertinenti Papa præfertur Concilio, quandiu eſt caput, & non depoſitus per manifeſtam hæreſim, dummodo loquatur authoritatiuè & non tanquam Doctor particularis, quia doctrina Eccleſiæ Romanæ, quæ principaliter reſidet in Papa eſt regula, ad ipſumque ſpectat huiuſmodi dubia, ſcilicet fidei & morum determinare.

Quare concludendo dico, illam opinionem in quam omnes aut plures notæ recenſitæ conueniunt, eſſe maioris probabilitatis, quàm illam in quam nullæ aut pauciores conueniunt. Quod intelligendum eſt cæteris paribus; nam ſi cætera non ſint paria, aliter poſſet contingere. Nam certum eſt, ſolam conſuetudinem aut legem extantem pro vna opinione, prævalere multorum Doctorum authoritati, aut aliqua vrgenti ratione extante pro alia; & tanta poteſt eſſe ratio, fulciēs vnam opinionem à paucis ſequutam, vt prævaleat multitudini Doctorum ſequentium contrariam.

Quibus ſic prænotatis & præſuppoſitis: quod
16 dicimus † in aſſerto eſt, quod in concurſu & conflictu duarum opinionum inæqualiter probabilium, tam ſpeculatiuè quàm practicè in rebus ad mores & forum conſcientiæ pertinentibus, & maximè ius tertij concernentibus, tenemur per ſe loquendo ſub præcepto obligante, iuxta materiæ qualitatem & grauitatem, ſequi in praxi illam, quæ probabilior iudicatur, ideſt in quam omnes notæ recenſitæ, aut plures aut fortiores conueniunt. Dixi *per ſe loquendo*; nam per accidens & ratione ignorantiæ inuincibilis & iuſtæ, quæ in hac materia non minus quàm in aliis admitti poteſt, poſſet excuſari à peccato, ſequens opinionem minus probabilem, relicta probabiliori, vt bene aduertit Syluester *vbi ſupra* §. 1. concilians ſententias Sancti Thomæ *in quodlibeto præallegato*, dicentis non excuſari à peccato illum qui ſequitur opinionem ſui Magiſtri in hiis, quæ ſunt clarè in aliquo loco Sacræ Scripturæ aut Cōcilij determinata, aut quæ ſunt contra legem: & Panormitani *in cap. Capellanus de feriis*, dicentis excuſari à peccato, eum qui ſequitur aliquam opinionem ſui Magiſtri, licet non ſubtiliter inueſtigatam, quandiu non apparuerit falſa. Ait non eſſe contrarias, quia Sanctus Thomas loquitur in hiis quæ pertinent ad fidem, & mores: Panormitanus verò loquitur in eiſdem quando ſunt obſcura ac dubia, quia non ſunt alicubi manifeſtè determinata: Tunc enim ignorantia excuſat, & nullum fit præiudicium veritati, per hoc quod quis opinionem amplectatur, quæ ſibi magis conſona rationi videtur. Et hoc intellige (ſubdit Syluester) non ſolùm quando quis ſufficientem adhibet diligentiam, vt intelligat veritatem, nam iſte etiam in manifeſtè determinatis excuſaretur, cùm laboret protunc inuincibili ignorantia; ſed etiam quando ex affectu ad ſuum Doctorem iudicat probabiliter eſſe verum ſuo videri, quod in re eſt falſum. Neque obſtant illæ duæ regulæ iuris, ſcilicet quod in dubiis tutior opinio eſt eligenda, *ex cap. Inuenis, de ſponſalibus*; & *quod incertum eſt dimittendum, & certum tenendum, ex cap. ſi quis de pœnitentia d. 7.* Non prima quia iſte talis non eſt in dubio, qui probabilibus rationibus flectitur ad vnam partem potius quàm ad alteram. Neque ſecunda quia iſte eſt ſibi certus moraliter, cùm in moralibus ſufficiat certitudo ex probabilibus orta, ſecundum Philoſophum *lib. 1. Ethicorum*, quod tandem probat Syluester exemplo Abbatis Ioachimi, qui tenens cōtra articulum fidei, tres Diuinas perſonas eſſe vnum Deum, non naturæ ſed ſola affectus & collectionis vnitate, non fuit hæreticus, quia talis propoſitio nondum erat ab Eccleſia damnata, vſque ad Concilium Lateranenſe *in cap. damnamus*: vbi fuit damnata, & Petri Lombardi doctrina approbata. Ac per conſequens multò magis excuſabitur à peccato ſequens opinionem Doctoris non reprobatam, cum animi præparatione non adhærendi illi, ſi appareat falſa. Igitur quod adſtruimus in noſtro aſſerto, eſt; nos teneri ſequi in moralibus in conflictu duarum opinionum inæqualiter probabilium, ſecluſa inuincibili ac iuſta ignorantia eam quæ probabilior eſt, ac talis iudicatur.

Quod ſic † declaratum, adhuc non recipitur 17
vniformiter ab omnibus Doctoribus: nam in duas diuiduntur ſententias. Quarum prima negans eſt; quam tuentur Medina 1. 2. *q.* 19. *art.* 6. §. *Sed ex hoc naſcitur magna quæſtio*: & Zenedo *vbi ſupra diſp.* 8. *citatan.* 23. Azorius 1. *p. ſummæ moralis, lib.* 2. *cap.* 12. *circa finem* & *cap.* 16. *q.* 2. & 3. Diana *p.* 1. *tractatu* 13. *reſolut.* 1. & Sanchez *in ſumma tit.* 1. *lib.* 2. *cap.* 9. Layman *lib.* 1. *tractatu* 1. *cap.* 5. §. 2. Solorzanus *lib.* 3. *de iure Indiarum cap.* 2. *n.* 38. cum Nicolao Garcia *de beneficiis* 7. *p. cap.* 2. & *p.* 11. *cap.* 5. & alij quos iſti referunt pro eadem ſententia, aſſerentes nos poſſe adhærere opinioni minus probabili, & iuxta illam operari in moralibus relicta probabiliori, etiamſi hæc magis tuta ſit & illa minus: atque in concurſu duarum opinionum æquè probabilium, non poſſe eligere etiam minus tutam, & illam tutiori præferre in agendo. Quorum † 18
fundamenta ad hæc quinque reducūtur. Primò quia idem eſt æquiualenter poſſe nos ſequi in ſpeculatiuis aliquam opinionem, ſine periculo erroris ſeu deceptionis, atque in moralibus ſiue practicis poſſe nos ſequi aliquam opinionem ſine periculo peccandi: Sed quæcumque opinio probabilis in ſpeculatiuis poteſt ſequi teſte D. Th. *vbi ſupra* ſine periculo errandi: ergo etiā in practicis quæcumq; opinio probabilis etiam in concurſu probabilioris, poterit ſequi ſine periculo peccandi. Secundò: nam ex eo dicitur & redditur aliqua opinio probabilis, non quod illa habeat pro ſe multos aſſertores ac defēſores, aut etiam aliquas apparentes rationes: alioquin omnes ſectariorū errores eſſent opiniones probabiles, quod eſt nefas dictu: ſed quod habeat pro ſe viros ſapientes, & grauis notæ Doctores, atque argumenta bene fundata, vt dictum eſt. Vnde eo ipſo quod ſit probabilis, poſſumus eam ſequi, nedum in Scholis, ſed etiam in praxi, ſine reprehenſione & vituperatione; éſtque conforme rectæ rationi illam ſequi, ſiquidem conformis eſt iudicio & exiſtimationi virorum ſapientium: implicat autem aliquem peccare, quando non eſt dignus reprehenſione, aut quando operatur id quod eſt conforme rectæ rationi: ergo

pariter

pariter implicat quempiam peccare, sequendo opinionem probabilem, etiam relicta probabiliori.

Tertiò quia si esset obligatio sequendi in praxi opinionem probabilem ac tutiorem, maximè quia sequens minus probabilem ac tutam, exponit se periculo errandi in praxi, & contraveniendi legi Dei aut Ecclesiæ, faciendo id quod vna vel altera lege prohibitum est. Hanc autem rationem nullius esse roboris patet, quia eidem periculo se exponit ille qui sequitur opinionem probabiliorem: quippe quæ etiam in re potest esse falsa, & dictare faciendum id quod lege prohibitum est. Nam sicut probabilitas, ita & maior probabilitas potest stare cum falsitate, quia ab extrinsecis prouenit testimoniis, sicut & credibilitas: propterea que vulgo dicitur multa falsa esse probabiliora veris, sicut & credibiliora: & nihilominus, sequens in praxi opinionem probabiliorē non peccat, licet in re sit falsa: ergo neque peccabit sequens minus probabilem, eo quod se exponat periculo sequendi falsum & operandi contra legem. Nam prudenter & sine temeritatis crimine ac proinde sine peccato fit, quidquid fit ex probabili ratione & iuxta prudentum iudicium & æstimationem: quod verificatur in eo quod operamur iuxta quamcumque probabilem opinionem.

Quartò ab inconuenientibus quæ sequuntur ex opposita sententia. Sequitur namque Primò quod obligentur homines sequi & amplecti semper id quod est melius; ac per consequens consilium Apostoli æmulandi charismata meliora verteretur in præceptum. Rursus, quod Doctores tenentur semper docere in scholis opiniones probabiliores, circa res ad mores pertinentes, & illas consulere extra scholas: quia Doctor tenetur docere & consulere id, quod Auditor tenetur sequi & amplecti ne peccet, vel vt viter peccandi periculum. Deinde quod Confessarius neque possit neque debeat se conformare cum opinione pœnitentis minus probabiliori, quin potius teneatur eum cogere ad sequendum probabiliorem: quæ omnia sunt inconuenientia nullatenus admittenda; eò quòd grauiter illis homines cruciarentur, si eos ad inquirendum semper de opinione probabiliori obligemus: ergo.

Vltimò arguitur ab exemplis: nam in multis casibus constat nos posse sequi in praxi opinionem minus probabilem aut minus tutam: v. g. possumus non sequi in praxi opinionem Hugonis Victorini, D. Bonauenturæ, & aliorum affirmantium nos teneri statim post lapsum, ad Sacramentalem confessionem de peccatis faciendam, habita copia Confessoris, contra minus probabilem & minus tutam negantem S. Thomæ in 4. & Richardi. Possumus quoque amplecti opinionem minus tutam, dicentium nos non teneri ex præcepto ad habendam detestationem de peccatis, singulis diebus festis: quod alij tutius affirmarunt. Possumus quoque licitè sequi opinionem minus tutam, negantium peccatum commissum in die festo aggrauari circunstantia necessariò in Sacramentali confessione pandenda: quod alij tutius affirmant. Rursus possumus licitè sequi opinionem Nauarri, & aliorum dicentium posse accipi aliquid ex mutuo ratione solius lucri cessantis; quod Sotus & alij tutius negant. Deinde potest Iudex licitè sequi opinionem Sancti Thomæ 22. q. 67. *art.* 2. dicentis posse Iudicem iuxta allegata & probata nocentem pœna capitali plectere, quem priuatim scit esse innocentem: relicta opinione probabiliori & tutiori negante Scoti, Adriani, Panormitani, & Couarruuias *lib.* 1. *variarum cap.* 1. Rursus possumus sequi sententiam minus tutam & probabilem, asserentium fractionem promissionis iuramento confirmatæ de re leui, solùm esse culpam venialem, relicta tutiori dicentium esse culpam lethalem. Rursus possumus sequi opinionem minus tutam & probabilem Soti, Maioris, Angeli, & Salonis, dicentium posse licitè damnatum iustè ad perpetuum carcerem, vel etiam vt ibi fame pereat, à fuga abstinere & cibum oblatum refutare: contra magis tutam sententiam negantem Caietani, Victoriæ, Cordubæ, Castri, & Couarruuias. Item possumus licitè sequi opinionem minus tutam, dicentium posse ludentem retinere lucrum acquisitum ex ludo legibus interdicto; quando leges solùm sunt prohibitiuæ, & non reddunt personam inhabilem ad retinendum, contra magis tutam negantem. Ac tandem possumus sequi, docere, & suadere opinionem Cani *de pœnitentia p.* 5. & aliorum asserentium ad debitam Baptismi & pœnitentiæ Sacramenti susceptionem, sufficere attritionem cognitam vt talem: eique fauet Concilium Tridentinum *sess.* 14. *cap.* 4. contra magis tutam Nauarri *in Manuali cap.* 1. & aliorum dicentium requiri contritionem, vel attritionem existimatam contritionem: ergo, hiis exemplis concluditur nullam esse obligationem sequendi in praxi semper opinionem tutiorem & probabiliorem.

Secunda verò sententia affirmans est, quam 19
tuentur † Conradus *in lib. de contractibus q. vltima*, Caietanus V. *opinio* §. 2. Sylvester *ibidem*, Sotus *lib.* 3. *de iustitia quæst.* 6. *art.* 5. *ad* 4. Salon 22. *quæst.* 63. *art.* 4. *controuersia* 2. Comitolius *lib.* 2. *resolutionum moralium quæst.* 15. & Perez *in Laurea Salmantina, certamine* 10. *n.* 55. sequuti Gabrielem *in* 4. *d.* 15. *q.* 8. *art.* 3. *dubio* 2. & Diuum Antoninum 1. *p. summæ tit.* 3. *cap.* 10. §. 10. *regula* 4. quæ à nobis statuitur pro conclusione in nostro asserto contenta. Et suadetur primò ratione desumpta ex Antonino *vbi supra*: nimirum in conflictu variarum opinionum circa materias morales, ad idem tenentur pariter non scrupulosus, atque qui scrupulis pungitur: Sed iste tenetur pro securitate conscientiæ probabiliorem opinionem eligere, saltem iuxta ipsius æstimationem, post adhibitam sufficientem inquisitionem: ergo & ille pariter tenetur probabiliorem opinionem eligere, & iuxta eam operari. Maior patet, quia illæ duæ regulæ Iuris Canonici, nimirum in dubiis tutior pars est eligenda, *ex cap. iuuenis de sponsalibus*; & quod certum teneatur & incertum dimittatur, ex Parente Augustino relato *in cap. si quis de pœnitentia, dist.* 7. pariter omnes tangunt. Minor verò probatur; quia dum scrupulosus in conflictu duarum opinionum inæqualiter probabilium, cuius inæqualis probabilitatis ipse est conscius, eligit minus probabilem operando iuxta illam, non remouet scrupulos quibus pungitur, neque deponit satis scrupulosam conscientiam, sed semper manet in

illa,

illa,cogitans ſe egiſſe contra veritatem probabilioris opinionis : & ſic non ſolùm agit contra conſcientiam ſcrupuloſam,quod vt ſic non eſſet illicitum,ſed etiam contra veritatem à ſe exiſtimatam & cognitam ſuo videri:ergo non tutam opinionis electionem facit ; contra quartam regulam ab Antonino *vbi ſupra* ſcrupuloſis præſcriptam. Secundò probatur : nam ſicut ex duobus concurrentibus ad vnum beneficium Eccleſiaſticum inæqualiter dignis ; ille qui eſt minus dignus non cenſetur dignus in conſpectu dignioris,licet aliàs abſolutè dignus ſit, ac proinde contra iuſtitiam diſtributiuam ei conferretur beneficium:ita licet opinio minus probabilis abſolutè,& vt iacet,probabilitatem habeat,tamen in conſpectu & concurſu probabilioris , non cenſetur probabilis : ergo non eſt elegibilis in concurſu alterius. Conſequentia eſt nota à paritate rationis;& Antecedens probatur , quoniam ſicut dignitas minus digni in conſpectu dignioris, non poteſt rectè iudicem ad electionem mouere , & inclinare : ita neque probabilitas opinionis minus probabilis , in conſpectu probabilioris habet vim mouendi, ſuadendi,& determinandi intellectum audientis ſiue conſulentis , qui vtriuſque inæqualem probabilitatem cognoſcit,ad aſſenſum & praxim : ergo. Tertiò probatur ratione qua vtitur Caietanus ad hanc formam reducta; eo ipſo quod operatio regulanda committitur opinioni, committitur regulæ ambiguæ ; quia omnis opinio ambigua eſt, vtpote cum formidine alterius partis : ergo qui operatur iuxta opinionem minus probabilem in moralibus, exponit ſe periculo peccandi mortaliter vel venialiter, iuxta materiæ ac negotij qualitatem,ac proinde peccat : quia qui amat periculum peribit in illo. Antecedens eſt notum , & Conſequentia probatur : nam qui operatur ſequens opinionem minus probabilem , committit operationem ſuam regulæ ambiguæ & dubiæ,ac magis pendulæ ad caſum peccati : ergo exponit ſe periculo peccandi. Dices idem inconueniens ſequi , in illo qui operatur conformando ſe opinioni magis probabili;quia quandiu non excedit limites opinionis probabilis , regula ambigua eſt.Sed contra hoc eſt,quod dum quis operatur conformiter ad probabiliorem & tutiorem opinionem , ſequitur regulam moraliter certam; quia operari ſecundum illam eſt rectæ rationi ac prudentum æſtimationi conforme, cui proinde practicè non poteſt ſubeſſe falſum, licet poſſit ſubeſſe ei falſum ſpeculatiuè loquendo. Qui verò in operando conformat ſe opinioni minus probabili ſecundum praxim, operatur contra rectam rationem & prudentum æſtimationem , facit enim operationem ſcienter dubiam , an ſit peccatum mortale.V.g. & iſte mauult implere voluntatem ſuam in tali cooperatione,etiamſi ſit culpa mortalis, quàm abſtinere ab illa ; ac per hoc præfert diuinæ amicitiæ operationem illam , non curando ſi contingat ex illa diuinam perdere amicitiam. Hoc autem intelligitur per ſe loquendo , nam per accidens poteſt contingere, quod quis peccet ſequendo in operatione ſua , opinionem magis probabilem , aut etiam moralem certitudinem , exiſtimans eſſe minus probabilem, eò quòd à pluribus doctis viris impugnatur. Neque enim omnis ſententia redditur opinio per hoc , quod habeat ſui impugnatores, alioquin multi articuli fidei caderent ſub opinione, quippe qui ab acutiſſimis Sectariis impugnatur; poteſt quoque contingere econtra , vt ſequens opinionem minus tutam & minus probabilem, non peccet ob ignorantiã,quia videlicet conſulens viros doctos,dicunt ei illam eſſe tutiorem & probabiliorem.

Ad fundamenta autem † contrariæ ſen- 20
tentiæ reſpondetur. Ad primum quidem,negando maiorem : nam qui ſequitur in ſpeculatiuis opinionem minus probabilem , licet poſſit quoad effectum errare ; ſicut & ſequens probabiliorem, quæ in re poteſt eſſe falſa , ſed non quoad affectum : quia quæuis opinio probabilis poteſt eſſe regula ſpeculationis , non tamen quæuis poteſt eſſe regula operationis, vt dictum eſt. Inſuper exponere ſe quempiam periculo errandi, non eſt error : eſt tamen peccatum exponere ſe periculo peccandi:& ideo peccat qui in praxi ſequitur opinionem minus probabilem, operando iuxta illam, quia ſe exponit periculo peccandi. Ad ſecundum nego minorem : quia neque eſt conforme rectæ rationi , neque caret reprehenſione , quod quis in hiis quæ pertinent ad mores atque obſeruantiam mandatorum , operetur iuxta opinionem minus probabilem,relicta probabiliori.Ad tertium nego minorem : quia licet poſſit contingere probabiliorem opinionem in re eſſe falſam : verumtamen operari iuxta illam eſt conforme rectæ rationi , & tutum in conſcientia: quia huic iudicio , (v.g. ſequenda eſt in praxi opinio probabilior,) practicè nõ poteſt ſubeſſe falſum,licet ſpeculatiuè loquendo,poſſit ei ſubeſſe falſum,in quantum talis opinio in re poteſt eſſe falſa. Neque hinc ſequitur illam ſcilicet minus probabilem non eſſe praxi probabilem, ſiquidem ſequi in praxi non poteſt : nam ſatis eſt illam ſequi poſſe abſolutè , & quando deeſt concurſus alterius probabilioris : aut quia operans , illam ignorat , aut quia putat non eſſe aliam probabilem , aut quia ex aliqua circunſtantia redditur ei exequutio probabilioris impoſſibilis. Ad quartum reſpondetur, nullum ſequi ex illis inconuenientibus ; non quidem primum , quia aliud eſt obligari homines ad operandum id quod eſt melius , & aliud teneri ſequi in praxi opinionem probabiliorem , vt vitent periculum peccandi : Primum eſt falſum, ſecundum autem dicimus eſſe verum.De ſecundo verò fatemur illud ſequi : ſed negamus eſſe inconueniens. Neque enim pro inconuenienti iudicandum eſt , quod Doctores intra & extra ſcholas teneantur docere & conſulere Auditoribus & conſulentibus, in rebus ad mores pertinentibus , opiniones illas quæ probabiliores ſunt , & quibus relictis exponunt ſe periculo peccandi. Cum hoc tamen ſtat quandoque Iudicio Doctoris opinionem minus probabilem, probabiliorem, & econtra probabiliorem minus probabilem apparere ; & tunc nec conſulere nec docere tenentur probabiliorem, quam prudenter iudicant minus probabilem ; agerent namque tunc contra proprium iudicium, & conſequenter contra propriam conſcientiam, quod nemini eſt licitum. Neque ſequitur tertium : nam de pœnitentibus poſſumus loqui dupliciter;ſcilicet aut in ordine ad præteritum tempus,in quo ſequuti fuere opinionem minus probabilem,

fuere opinionem minus probabilem, operando iuxta eam bona fide, aut quia reputabant eam magis probabilem, vel quia id licitum esse existimabant; aut in ordine ad agenda in tempore futuro. Et quidem in priori consideratione Confessarius potest ac debet se conformare cum opinione pœnitentis, & eum à peccatis commissis absoluere: in posteriori verò minimè, vt infrà ostendemus, sed debet eum instruere de opinione probabiliori, & monere vt deinceps iuxta eam suos dirigat actus, aut suos ineat contractus. Quod si pœnitens ei fidem non adhibeat, velitque in sua permanere opinione, ob rationabilia fundamenta, vel quia eam à viro magis, aut æquè docto accepit; aut nullum, aut solius incredulitatis ei peccatum imputabitur, nequaquam tamen vsuræ, aut Simoniæ, aut alterius vitij commissi, iuxta talem opinionem in foro Dei pœnas luet. Dices ergo dabitur bellum iustum ex vtraque parte: Nam Confessarius tenetur eum de tali opinione instruere, & pœnitens eam non tenetur acceptare? Respondeo teneri quidem & tunc eam acceptare per se loquendo, nisi per accidens aliquo impedimento ignorantiæ iustæ, aut rationis bene fundatæ, aut authoritatis Doctoris æquali fama pollentis impediatur: per accidens autem non inconuenit bellum vtrinque dari iustum.

Ad vltimum respondetur; argumentum illud ab exemplis deductum minoris esse efficaciæ, & ex nostræ doctrinæ sinistra intelligentia procedere. Quod vt perspicuum fiat, † singula exemplа expendemus. Igitur de duobus prioribus, nimirum illius qui immediatè post lapsum non detestari vult peccatum, conformando se opinioni D. Thomæ: atque illius qui sequens opinionem, dicentium nos teneri ex præcepto ad detestanda peccata singulis diebus festis, non detestatur illa: Fatemur quidem quod neuter peccat, neque exponit se periculo peccandi, quia sequitur in praxi opinionem magis probabilem imo moraliter certam, licet minus tutam. Latius enim patere opinionem tutiorem, quàm probabiliorem, & minus tutam quàm minus probabilem, certum est. Tutior namque opinio dicitur illa, quæ inducit ad id quod est melius & vtilius ad salutem operantis, v. g. opinio quæ dicit nos teneri ex præcepto ad aliquod opus bonum faciendum, aut quæ dictat abstinendum esse ab aliquo opere tanquam malo; aut quæ dictat contractam fuisse censuram aliquam, aut irregularitatis pœnam à Titio, v. g. in tali, aut tali conflictu, & ideo abstinendum esse ei ante obtentam absolutionem aut dispensationem, licet minus probabilitatis habeat talis opinio, hoc est licet leuioribus innitatur fundamentis: & econtra minus tuta dicitur illa opinio, quæ in materia morum de qua nunc agimus, suadet id quod est minus bonum, aut minus vtile ad salutem, licet magis probabilitatis habeat quia grauioribus fulcitur fundamentis. Deinde hoc ipsum constat ex eo, quod maior ac minor securitas conscientiæ pertinent ad effectum: maior autem aut minor probabilitas ad intellectum. Vnde licet tutius sit conteri de peccato commisso immediatè post lapsum, aut etiam in singulis diebus festis, quia id salubrius & securius est pro salute animæ: opinio autem docens nos ad hoc teneri ex præcepto non est probabilior, imo parum aut nihil probabilitatis habet, ita vt vix nomen opinionis mereatur. Idem dicito de tertio exemplo: nam securius quidem est confiteri circumstantiam illam diei festi, quia vtilius & melius; sed sententia affirmans nos ad id teneri, non ideo est probabilior. De quarto autem exemplo dicendum similiter est, nos posse aliquid ratione lucri cessantis ex mutuo accipere vltra sortem; quia licet id Sotus neget tutius, sed non probabilius, maximè quando lucrum illud, verè & realiter cessat, & non fictè, aut in incertum taxatur in quo casu procedit opinio Nauarri. De quarto verò exemplo dicendum puto, minimè licere Iudici interficere innocentem iuxta opinionem Angelici Doctoris, si iudicet illam esse in se, aut sibi minus probabilem; sed teneri sequi oppositam absoluendo innocentem, aut dando ei locum fugæ, non quia tutior sit vtcumque, sed quia probabilior & rationi conformior suo iudicio. Si tamen assentiatur sententiæ D. Thomæ 2.2.q.64.art.6.ad 3. & q.67. art.2. Caietani *ibidem*: Alexandri 3.part.qu.40. membro 6. art.2. Syluester V. *Iudex* 2. quæst.5. Richardi *quodlibeto* 3.quæst.25. Maioris *in* 4.dist.33.quæst.4. de iustitia. D. Antonini 3.part.tit.9.cap.2.§.6. Azorii *vbi supra cap.*17.quæst.8. & aliorum, asserentium Iudici fas esse agere in iudicio contra certam scientiam, nedum opinionem quam habet priuatim extra iudicium, licet nunquam possit vt persona priuata agere cõtra suam conscientiam & ideo posse plectere etiam pœna capitali innocentẽ, probatum nocentẽ per allegata & probata in Iudicio, si aliter sine scandalo eum non possit liberare; quia commune bonum priuato præferri debet: & iudicet hanc opinionem esse probabiliorem & rationabiliorem, quàm oppositam negans: tunc tenetur Iudex agere iuxta dictam opinionem, quia probabilior & tutior est. Probabilior quidem quia plurium & grauiorum Authorum testimoniis & efficacioribus rationibus fundatur: tutior verò quia præfert bonum commune Reipublicæ priuato particularis personæ, & vitat populi scandalum quod pateretur, si Iudex innocentem Titium, verbi gratia, criminis in Iudicio conuictum absolueret, contra publica acta processus. Idem pariter dicito de sexto exemplo. De septimo autem dicendum puto, quod illa opinio Caietani, Cordubæ, & Victoriæ, asserens sic damnatum iustè ad perpetuum carcerem, vel vt inedia ibi consumatur, non posse licitè fugam, aut alimoniam oblatam recusare, sed teneri vel saltem posse, aut fugam arripere, aut cibum sumere, ne quis suæ propriæ neci cooperetur: sicut tutior, ita & probabilior est. Idem dicito de octauo exemplo, nimirum opinionem illam adstruentem pecuniam ludo acquisitam, tantùm legibus prohibito, sed non irritantibus dominij translationem posse licitè à lucrante retineri: quandiu alter non vtitur actione reperendi, & per sententiam non condemnatur lucrans ad restitutionem, tutiorem & probabiliorem esse; quod si contrariam velis tutiorem appellare, eò quòd minus periculi habet in ordine ad animæ salutem & conscientiæ securitatem, dicas alteram esse iuxta Theologiæ & Iuris principia probabiliorem & melius fundatam, & ideo in foro conscientiæ satis tutam. De vltimo tandem exemplo, dicendum est

21

opinionem illam (cuiuſcumque ſit) adſtruentem ad debitam & fructuoſam Sacramenti Baptiſmi & pœnitentiæ ſuſceptionem, non ſufficere attritionem exiſtimatam talem, ſed requiri veram, aut ſaltem exiſtimatam contritionem, parum aut nihil probabilitatis habere; cum expreſsè videatur ei aduerſari Concilium Tridentinum in allegato *cap.* 4. dicens: *Illam vero contritionem imperfectam quæ attritio dicitur, quoniam ex turpitudinis peccati conſideratione, vel ex genere gehẽnæ & pœnarum metu communiter concipitur, ſi voluntatem peccandi excludat, cum ſpe veniæ, declarat non ſolùm non facere hominem hypocritam, verùm etiam donum Dei eſſe, &c.* Et paulo infra ſubdit. *Et quamuis ſine Sacramento pœnitentiæ per ſe ad iuſtificationem perducere peccatorem nequeat: tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento pœnitentiæ impetrandam diſponit, &c.* Neque propterea tutior appellanda eſt, quia meliorem petit cum Sacramento diſpoſitionem, ſcilicet veram ac perfectam contritionem: imo ex hoc minus tuta videtur dicenda, quod difficiliorem exigat diſpoſitionem, & efficaciam Sacramentorum nouæ legis eneruet, quibus vniuerſa Theologorum ſchola virtutem attribuit faciendi de attrito contritum, & ſcrupulos conſcientiis fidelium ingerat, eos nunquam, aut rarò de debita dictorum Sacramentorum ſuſceptione tutos reddens.

22 VArtum aſſertum eſt; † in materiis Sacramentorum, atque in concernentibus ad eorum legitimam adminiſtrationem, ſiue debitam in ſuſcipientibus diſpoſitionem, teneri cunctos fideles ſequi opinionem probabiliorem, & ei in praxi conformari. Hoc aſſertum planè colligitur ex præcedenti, eiſdémque rationibus pro eo factis conuincitur. Nam nulla materia magis quàm iſta Sacramentorum pertinet ad mores, & forum conſcientiæ concernit; ergo ſi in huiuſmodi tenemur ſequi opinionem probabiliorem ob rationes adductas, à fortiori ob eaſdem tenebimur in hiis quæ pertinent ad legitimam Sacramentorum adminiſtrationem, & ad debitam eorum ſuſceptionem ſequi opinionem tutiorem, non quia minus periculi habeat, ſed quia maiori gaudeat probabilitate vt dictum eſt. Quæ rationes amplius confirmantur, ex eo quod in huiuſmodi Sacramentorum materia vrget noua ratio, nimirum quod dum quis relicta probabiliori ſententia, ſequitur minus probabilem, exponit ſe periculo non ſolùm peccandi vtcumque, ſed peccandi contra Religionem, hoc eſt faciendi Sacramentum nullum, aut etiam recipiendi Sacramentum inualidum & nullum, vel ſaltem informe: quod piaculum eſt ſacrilegij, impediens omnino fructum Sacramenti in ſuſcipiente: ergo ob hanc noxam ſpecialem tenetur tam Miniſter Sacramenti, quàm ſuſcipiens illud, ſe probabiliori
23 ſententiæ conformare. Dices † quod etiam ſequens opinionem probabiliorem, exponit ſe periculo faciendi, aut accipiendi inualidum Sacramentum & nullum, vel ſaltem informe, quia poteſt contingere talem opinionem in re eſſe falſam, v. g. Si quis adultus cum cognita attritione, ſuſcipiat Baptiſmum; & ſit falſa in re ſententia negans debitam diſpoſitionem eſſe in ſola contritione vera, aut exiſtimata ſitam. Aut ſi Religioſus per Bullam Cruciatæ ſine licentia ſui Prælati eligat Confeſſarium ex approbatis ab Ordinario, & fortè ſit falſa hæc opinio: inualidum erit prorſus tale Sacramentum. Aut ſi Diœceſanus Salmanticæ eligat per eandem Bullam, Confeſſarium Diœceſis Zamorenſis, cui confiteatur peccata ſua, exponit ſe periculo faciendi nullam & inualidam Sacramentalem confeſſionem: ſi fortè ſit falſa illa opinio quæ tenet, poſſe à pœnitente eligi Confeſſarium extraneæ Diœceſis ab eius Ordinario approbatum? Reſpondeo huic obiectioni negando ſequelam, ſiue aſſumptum: quia minimè ſequitur quod in hac materia Sacramentorum conformans ſe opinioni probabiliori, exponat ſe periculo faciendi inualidum, aut informe Sacramentum. Quod ſic oſtendo. Supponamus recenſitas opiniones eſſe inter Theologos probabiliores: tunc qui iuxta illas operatur accedens ad Sacramentum, bona fide procedit, hoc eſt iuxta prudentum & ſapientum meliorem æſtimationem, ac proinde ignorantiam inuincibilem & iuſtam patitur, per quam ab omni culpa excuſatur in Sacramenti receptione & vſu, ac proinde nullius ſacrilegij eſt reus; vnde neque ex hoc capite ponit obicem fructui Sacramenti, neque illud informe poteſt eſſe. Quod autem neque inualidum poſſit eſſe, etiamſi contingat in re tales opiniones eſſe falſas, patet; quia tunc dum quis hac bona fide procedit, recipiendo aut miniſtrando Sacramentum iuxta opinionem probabiliorem, & melius ſapientum iudicium, Eccleſia ſupplet in miniſtro Sacramenti, omnem iuriſdictionis, & in ſuſcipiente omnem habilitatis defectum, per regulam illam receptiſſimam, quam *ex leg. Barbarius ff. de officio Prætoris*, omnes Iuriſconſulti & Theologi colligunt; nimirum quod communis error facti habendus eſt pro veritate, & dat iuriſdictionem: intellige ſub tribus conditionibus, quæ in caſu dictæ leges *Barbarius* concurrerunt, ſcilicet authoritas in eligentibus, communis error bona fide conceptus, & publica vtilitas poſcens vt communis error habeatur pro veritate. Et quia iſtæ conditiones concurrerunt in electione Barbarij in Prætorem, dicunt Bartolus ibi, Baldus, & Bellinus in ſuo tractatu ſuper dictæ legis intelligentia, qui habetur *tomo 16. tractatuum pagina* 340. ideo aut in Barbario aliàs mancipio, fuit vera dignitas Prætoratus, aut per Rempublicam fuit factum ſupplementum Iuriſdictionis: ibi enim interuenit authoritas in eligentibus, nimirum populi Magiſtratibus, qui Barbarium in Prætorum elegerunt; bona fides ſiue confidentia eorundem, credentium electo dicenti ſe eſſe ingenuum & habilem, cùm tamen eſſet mancipium; & publica vtilitas, quia ſtatuit aliqua quorum reuocatio non expediebat Reipublicæ. Ex quo dicti Authores inferunt præfatam regulam non eſſe extendendam, niſi ad eos caſus, in quibus aſſignatæ conditiones inueniuntur: è quibus dicunt etiam ſufficere duas poſteriores, ſcilicet communem errorem facti cum bona fide, & publicam vtilitatem. Nam prima ſcilicet authoritas in eligente, fuit ſpecialis in caſu illius legis, in quo Barbarius fuerat per populi electionem ad Prætoratum euectus. Cùm ergo in noſtro caſu ſuſcipiẽtis ſiue miniſtrantis Sacramentum, iuxta probabiliorem opinionem concurrant bona fides & publica

blica vtilitas populi fidelium, consequens est Ecclesiam tunc in ministro Iurisdictionis, & in suscipiente, cuiuscumque inhabilitatis defectum supplere, quod non currit in altero casu, nimirum quando quis ministrat, vel suscipit Sacramentum, conformando se opinioni minus probabili, relicta probabiliori; tunc enim non adsunt conditiones quæ postulent vt communis error habeatur pro veritate. Quod si in eo casu opinio minus probabilis in re sit vera, quod quidem possibile esse non inficior, sequens illam in ministrando vel suscipiendo Sacramentum, validum quidem ministrabit vel recipiet, sed non erit immunis à sacrilegio quod incurrit, exponendo se periculo morali faciendi inualidum Sacramentum, recedendo à prudentum & sapientum probabiliori æstimatione.

24 Ex quo infero minus veram esse † resolutionem in hoc casu Dianæ *vbi supra*, nimirum *tractatu 13. resolutione 2. & tractatu 11. de contritione resolutione 29.* dum asserit, quod in materia Sacramentorum non tenetur minister ratione reuerentiæ debitæ Sacramento, sequi opinionem probabiliorem, quia sine vllo irreuerentiæ periculo potest se opinioni minus probabili cõformare: neq; ex debito charitatis erga suscipientem in Sacramentis non necessariis ad salutem, quia sequendo opinionem minus probabilem circa essentialia huiusmodi Sacramentorum, v.g. Ordinis, Matrimonij & Extremæ Vnctionis, nullo periculo exponit suscipientem, eò quòd necessaria non sunt ad salutem. Verumtamen erga suscipientem Sacramenta ad salutem necessaria, tenetur sequi opinionem probabiliorem ex debito charitatis, ne scilicet eum exponat periculo damnationis, priuando videlicet illum fructu talium Sacramentorum ad salutem necessario, nisi in casibus in quibus fortè non sit in libera potestate ministri, conformare se opinioni probabiliori in administratione talis Sacramenti, vt si desit ei materia ministranda secundum probabiliorem opinionem: vel si metu graui cadente in virum constantem cogatur Sacramentum ministrare secundum minus probabilem opinionem, dummodo non incutiatur ei huiusmodi metus in contemptum Sacramenti: nam tunc potius deberet Minister mortem subire, quàm minitantis irreuerentiæ cooperari. Subditque nescio qua consonantia cum proximè dictis, quod in concursu duarum opinionum probabilium circa iurisdictionem in ministrando Sacramentum Pœnitentiæ poterit licitè Confessarius, hoc est sine periculo irreuerentiæ siue sacrilegij erga Sacramentum, & sine violatione debiti charitatis erga pœnitentem, eum absoluere à peccatis, conformando se opinioni minus probabili, & relicta probabiliori. Pro qua sententia citat Malderum *1.2. qu. 19. art. 5.* Henriquez, Villalobos & Sanchez *in summa tom. 1. lib. 1. cap. 8.* cuius rationem assignat ex eo, quod error ortus ex illa opinione minus probabili, sufficienter supplet in tali ministro defectum iurisdictionis, etiamsi in re talis opinio sit falsa, quia operando secundum illam cum ratione probabili, & consequenter prudenter agit Minister ille; cui proinde Ecclesia ob communem errorem facti tribuit in eo euentu iurisdictionem. Sed hoc secundum dictum falsitatis arguitur, & minoris consonantiæ cum primo. Tum quia in materia Sacramentorum, maximè quæ ad salutem sunt necessaria, Minister nedum ratione debiti charitatis erga recipientem, sed etiam ratione reuerentiæ debitæ Sacramento (quæ ratio militat etiam in non necessariis) tenetur se opinioni probabiliori conformare; vt diximus in nostro asserto. Tum etiam quia quando versantur circa iurisdictionem Confessarij in ordine ad ministrandum Sacramentum Pœnitentiæ rite & validè, duæ opiniones inæqualiter probabiles, tenetur vtroque debito scilicet Religionis & charitatis ministrare illud, vel negare iuxta probabiliorem opinionem. Isto quidem erga pœnitentem, ne eum exponat periculo recipiendi Sacramentum inualidum illo autem erga Sacramentum, ne ei irroget irreuerentiam, exponendo se periculo ministrandi Sacramentum inualidum, & vtendi circa illud iurisdictione, quam non habet. Tum denique quia in eo euentu relicta opinione probabiliori, non concurrunt conditiones requisitæ, ad hoc quod communis error facti habeatur pro veritate, & quod suppleatur in ministro defectus iurisdictionis, vt post alios à nobis superius citatos tenent Suarius *tom. 4. in 3. part. disp. 2. sect. 6.* & Sanchez in selectis *disp. 44.* vbi priorem sententiam quam docuerat in Summa retractans, sentit cum Suario & nobiscum, quod in conflictu huiusmodi opinionum circa iurisdictionem, tenetur Confessarius se probabiliori conformare. Neque propterea inficiamur, simplicem Sacerdotem etiam præsente Parocho in mortis articulo posse Sacramentalem Confessionem excipere pœnitentis moribundi, & eum absoluere: (Secus in mortis periculo probabili, v. g. prælij, vel nauigationis subeundæ, nam in solo mortis articulo dat extrema necessitas quæ lege caret, simplici Sacerdoti etiam in præsentia Parochi dictam iurisdictionem) aut Parochũ in alienaDiœcesi, maximè per Bullam Cruciatæ, etiam sine licentia proprietarij posse Sacramentales confessiones eorum incolarum excipere: aut etiam approbatum ab Ordinario posse pœnitentem eiusdem Diœcesis absoluere à reseruatis, stante necessitate aut difficultate recursus ad reseruantem; eò quòd huiusmodi opiniones aut sunt probabiliores, aut æquè probabiles cum oppositis id negantibus. Ac proinde Confessarius potest iuxta eas operari citra omne periculum, à quo maximè liberabitur, si in dictis casibus faciat pœnitentem sibi confiteri aliquod veniale peccatum, ad cuius absolutionem non requiritur aliqua specialis iurisdictio vltra ordinis potestatem. Vnde dum Sacerdos pœnitentem à veniali directè absoluit, ex consequenti & indirectè eundem à mortalibus etiam reseruatis absolutum relinquit.

25 VINTVM Assertum est: † Authorum Academicorum opinio cæteris paribus semper præferenda est opinioni Curialium siue Aulicorum, inter quos tamen in negotiis pertinentibus ad conscientiam Principis, præferenda est & probabilior habenda opinio Confessarij ipsius, quando aliàs est doctus & non aliis dignitatibus oneratus. Prima pars huius asserti probatur, quoniam Academici, hoc est in Academiis publicè legentes, & cathedras sallariatas regentes, sunt Magistri ac Doctores generales

totius regni, ex professo tractatus ac materias ruminant ac legunt, studiis vacant, ad alia negotia secularia non diuertunt. Vnde Ioannes III. Lusitaniæ Rex Academiam in Conimbriam reduxit è ciuitate & curia Vlysiponensi, quò eam Ferdinandus Rex detulerat, prudenter iudicans litterarum studium cum Curiæ negotiis esse incompatibile, sicut Martem cum Minerua, loricam cum toga. Rursus istiusmodi publici litterarum Professores regulariter loquendo, in docendo aut consiliando, sicut neq; in proferēdo propriam sententiam, muneribus non corrumpuntur, neque promissis alliciuntur, neque aliis prætentionibus distrahuntur, aut emolliuntur. Ergo nulla est ratio aut occasio, minus bene suspicanda de eorum in rebus controuersis ad mores pertinentibus, opinionibus: de his namque præsertim nostra assertio procedit, nam de purè speculabilibus citra dubium est, præferendam esse Academicorum opinionem alteri, quam soli Curiales ex aduerso defendunt; & aliàs iurant se bene lecturos & iuxta Sacri Concilij Tridentini do-
26 ctrinam. Sed quid si † inter se Academici dissentiant? Respondeo, tunc si cætera sint paria, opinionem maioris partis fore anteponendam, quia sicut hæc facit electionem Prælati contra maiorem: ita & debet facere electionem opinionis; secus si saniori parti opponatur: nam tunc cassanda venit electio Prælati à Superiore ad quem pertinet eius confirmatio: ergo etiam postponenda venit opinio maioris partis quando saniori aduersatur. Sanior autem existimanda est Magistrorum antiquorum, qui per plures annos, & in cathedris maioribus perlegerunt, aut qui sua scripta typis mandarunt, & ea cum laude euulgarunt.

Deinde secunda pars asserti probatur; Primò quia Confessarius Principis eo ipso quod est ad id munus destinatus, in negotiis conscientiam Principis concernentibus maiorem curam impendit, ac studiosiorem adhibet diligentiam. Secundò, quia in vnoquoque tribunali esse debet aliquis supremus Iudex, per cuius sententiam lites ac controuersiæ dirimantur: in
27 † tribunali autem conscientiæ Regis siue Principis, supremus Iudex est eius Confessarius: ergo eius sententiæ standum est, vt per eam quæuis controuersia super negotio conscientiæ Regis seu Principis exorta dirimatur. Dixi quando aliàs est vir doctus & vt talis communiter existimatus: nam talem petit *lex 3. tit. 9. partita 2.* sic disponens. *Debe ser home muy letrado, e de buen seso, eleal, de buena vida, e sauidor del vso de la Iglesia, e letrade ha menester que sea, para que entienda bien las Escrituras, e las saga entender al Rey, e le sepadar consejo de su anima quando sele confessare. Otro si debe ser de buen seso eleal porque entienda bien como le debe tener puridad de loque le dixere en su confession, &c. E por esta raçones su feligres, &c.* & infra. *Etiene officio de guardarlo mas que a otro de su casa en aquellas puridades en que el Rey mas debe serguardado. Onde el capellan que en esto errasse face traicion contra el Rey, porque debe auer tal pena como Mereze Capellan traidor.* Hactenus dicta lex: In quibus verbis haud obscurè innuitur talem Confessarium de nullo alio negotio aut officio curam habere debere: ergo vt tanta fide sit dignus, in culmine huiusmodi dignitatis collocatus, † debet esse vir boni nominis ac litte- 28
ratus, qui Theologiæ sactæ mysteria callet, & vsus Ecclesiæ non ignarus. Neque aliis negotiis incumbere debet, aut aliis officiis siue dignitatibus & præsidentiis occupari, aut ad alios honores euehi, dum Confessarij ministerium exercet; propter duo. Tum quia tunc iam habet inter se vermem, qui eius conscientiam corrodat, munera namque excæcant homines, & faciunt vt eis malum sub specie boni, & falsum sub specie veri repræsentetur. Tum etiam quia refertur *lib. 8. reuelationum B. Brigittæ c. 48.* tres Reges apparuisse in conspectu Domini, illúcque ad iudicium vocatos, & vnum ex illis scilicet ad inferni pœnas damnatum, excusationem de suis peccatis allegare, dicentem se viros doctos & litteratos, Consiliarios, atque Confessarium consuluisse, & iuxta eorum consilium operatum fuisse; cui responsum est, nullatenus esse validam, aut proficuam excusationem, quia omnes illi Consiliarij & Confessarius erant passione affecti, vtpote à Rege muneribus & dignitatibus subornati. *Credebant enim* (ait ille miser Rex) *mihi docti & indocti: potentes & vulgus.* Oportet igitur maximè Confessarium, nullis aliis negotiis vltra suum ministerium, ērga conscientiam Regis incumbere, nullis officiis occupari, nullísve aliis dignitatibus onerari, dum à sacris confessionibus adest. Vltimò probatur eadem pars: quia huiusmodi Confessarius & Regis Capellanus, quando ad hoc officium admittitur, iurat se fideliter illud esse executurum, & Regi veritatem semper dicturum: quod iuramentum alij Doctores & Magistri Curiales non præstant. Testimonium autem iuramento confirmatum, præferendum est alteri simpliciter dicto, & per iuramentum non extorto: eò quòd iuramentum est quædam spiritualis tortura, ac proinde confessioni factæ per iuramentum extortæ, magis in iudicio credendum est, quàm confessioni sine iuramento factæ, vt tenent Decius *in cap. per tuas de probationibus*: & Nauartus *lib. 2. consiliorum tit. de confessis consilio vnico*, aduersus Bartholum negantem *in leg. eas, ff. ad leg. Carmeliam de falsis*; ergo opinionem & consilium Confessarij in conflictu variarum sententiarum, debet Rex præferre & amplecti vtpote iuramento munitam & sacratam. Hinc colligo veram ad varios casus morales resolutionem.

CASVS I.

De illo qui nititur agere contra conscientiam errantem, dubiam, opinantem, aut scrupulosam?

SVMMARIVM.

1 *Contra conscientiam errantem nunquam licet operari, sicut neque contra legem.*

2 *Conscientia errans est actus rationis dictans constanter aliquid esse bonum, quod in se est malum.*

3 *Diuus Thomas insinuat, quomodo conscientia erronea obligat virtute præcepti Diuinis aut humani.*

4 *Referuntur*

4 *Referuntur remedia contra conscientiam erroneam adhibenda.*

1 ET quidem † contra conscientiam errantem nunquam licet operari, sicut neque contra legem. Nam sicut actus humanus redditur malus (etsi ex obiecto sit indifferens) ex eo quod est aliqua lege prohibitus, ita & ex eo quod à conscientia operantis prohibetur, etsi errans sit. Quæ sententia est communiter recepta à Theologis & iuris Canonici Doctoribus, in eo gradu certitudinis, vt opposita, quam suppresso nomine Authoris, refert & refutat Gloss. *in cap. omnes* 28. *q.* 1. temeritatis nota sit inurenda: quam docent D. Thomas *quodlibeto* 8. *art.* 13. *& in* 2. *d.* 39. *quæst.* 3. *art.* 3. *&* 12. *quæst.* 19. *art.* 5. Caietanus, Conradus & Medina in *dub.* 3. *&* 4. D. Antoninus 1. *part. summæ moralis tit.* 3. *cap.* 10. §. 10. Corduba *quæst.* 4. *dub.* 1. Et suadetur
2 Primò: nam † conscientia errans est actus rationis dictans constanter, aliquid esse bonum quod in se est malum, aut aliquid esse debitum ex præcepto, quod nullo præcepto imperatum est: sicut conscientia recta est dictamen illud rationis practicæ, quo proponitur tanquam prohibitum id, quod est reuera prohibitum aliqua lege, vel tanquam bonum id quod reuera est bonum, vel tanquam debitum ex præcepto id, quod reuera est aliquo præcepto imperatum. Atque adeo sicut recta conscientia habet vim obligandi ratione legis mandantis aut prohibentis cui conformatur: ita conscientia errans habet vim obligandi mediante lege prohibente aut mandante, cui per errorem conformatur, quia proponit vt prohibitum quod non est prohibitum, & malum quod non est malum, & vt imperatum quod reuera non est imperatum: ergo siquis operetur contra talem conscientiam erroneam in sensu composito, id est quandiu illam non deponit, peccat aut mortaliter aut venialiter, iuxta grauitatem aut leuitatem materiæ in qua errat. Patet consequentia, quia operatur contra legem obligantem.

3 Secundò ratione insinuata à † D. Thoma *in loco adducto ex* 2. *sententiarum*; quia nimirum conscientia erronea obligat virtute præcepti diuini, aut humani, quod existimat ibi interuenire, v.g. quando dictat conscientia Petro esse mentiendum pro seruanda vita innocentis, hoc dictat quia existimat esse præceptum diuinum de mentiendo in tali casu. Et quando dictat eidem Petro esse sibi ieiunandum in dominicis quadragesimæ, est quia putat esse de tali ieiunio præceptum Ecclesiasticum. In primo casu obligat ratione Diuini, & in secundo ratione humani præcepti. Atqui huiusmodi præcepta verè habent vim obligandi sub mortali: ergo licet falsò & per errorem hîc & nunc applicentur & proponantur, habebunt vim obligandi sub mortali culpa. Consequentia patet à simili: nam si leges Principis, aut Summi Pontificis, non proponerentur populo, nisi per quendam ministrum ad id muneris destinatum: & iste falsò proponeret populo aliquam legem tanquam verè à Principe vel à Pontifice latam, populus teneretur ei obedire & eam seruare, eámque violando reus criminis esset; ergo pariter in nostro casu dicendum est, in quo conscientia siue dictamen rationis habet se adinstar ministri, proponentis voluntati leges diuinas ac humanas. Tertiò ratione qua vtitur idem D. Thomas *in dicto art.* 5. 12. nimirum, quia omnis conscientia erronea de quolibet opere faciendo aut vitando, obligat & constringit hominem, vt illam sequatur, & ei conformetur: ergo voluntas discordans à conscientia errante, erit mala. Antecedens patet, quia cùm conscientia sit dictamen rationis applicatum ad opus, siue quædam applicatio scientiæ ad actum, habet vim obligandi ratione legis prohibentis, vel præcipientis, quam falsò proponit voluntati. Consequentia verò probatur, quia bonitas moralis voluntatis dependet ex obiecto: voluntas autem non potest ferri in obiectum aliquod, nisi provt proponitur à ratione: ergo si proponitur à ratione vt malum & vt prohibitum, & nihilominus voluntas amplectitur illud, iam peccat: non quia amplectitur malum in re & materialiter, sed quia amplectitur malum formaliter, iudicatum vt tale, consentiendo scilicet in peccatum formaliter mortale aut veniale, pro materiæ propositæ varietate. Quartò, quia in iure Canonico hæc conclusio supponitur tanquam certum dogma; vt videre est *in dict. cap. omnes* 28. *quæst.* 2. *& cap. per tuas* 2. *de simonia, cap. per litteras de restitut. spoliatorum, & cap. quoniam omne, de præscriptionibus.* Quintò probatur ex illo Pauli ad *Roman.* 14. *omne quod non est ex fide, peccatum est*: id est quod non est iuxta conscientiam mandantem, vel prohibentem, vt omnes Græci Patres, scilicet Chrysostomus, Origenes, Theodoretus, Theophylactus, Oecumenius, & ex Latinis Ambrosius & Anselmus interpretantur; licet pauciores Latini cum Parente Augustino hunc locum de eo quod non fit ex fide diuina, interpretentur. Sed planè prima explicatio est conformior contextui, in quo Apostolus sermonem facit, de illis qui in discernendis cibis propriam conscientiam non sequebantur.

Quod igitur erit † remedium contra conscientiam erroneam? Respondeo multiplex esse. Primùm repelle ignorantiam ex qua procedit, consulendo Doctos, ad quam repellendam si sit culpabilis & vincibilis, tenetur errans: quod si non repellat, perplexus manet: siue enim concordet, siue discordet ab illa, non excusatur à peccato. Secus verò si sit iusta & inuincibilis, quia tunc excusat operantem iuxta illam. Secundum est non acceptare conscientiam errantem, sed illam respuere ab initio, quia illa non obligat per se, nisi quatenus acceptata. Tertium est, postquam semel acceptata fuerit, illam deponere; nam licet fallaci persuasione, ac apparenti ratione suadeat, potest homo eam propria authoritate deponere; quâ depositâ, iam operando contra illam non peccat, quia non operatur contra conscientiam à se acceptatam & approbatam. 4

CASVS II.

De illo qui operatur contra conscientiam dubiam.

SVMMARIVM.

Communis Doctorum sententia est, peccare eum qui

agit contra conſcientiam dubiam quandiu dubium non deponit.

2 *Quæ concluſio variis rationibus oſtenditur.*

3 *Reſpondetur obiectioni, actum ſcilicet humanum ab animo opinante elicitum, eſſe vitioſum.*

4 *Referuntur Authores, aſſerentes in negotiis dubiis poſſe quempiam in praxi ſequi opinionem minus probabilem, illámque ſequendo à culpa & à pœna in vtroque foro excuſari.*

1 RESolutio † communis omnium Doctorum calculo firmata eſt, peccare ſimiliter eum qui agit contra conſcientiam dubiam, quandiu dubium non deponit: vt videre eſt apud Diuum Antoninum *vbi ſupra regula 6.* Medinam in dicta *quæſtione 19. art. 5. & 6. dubitatione 4.* & Azorium *vbi ſupra cap. 18. quæſt. 3. & 4.* † rationibúsque oſtenditur. Prima, quia 2 id colligitur ex dicto teſtimonio Pauli ad *Rom. 14. omne quod non ex fide, peccatum eſt*, ſcilicet quod non eſt ex recta conſcientia. Atqui dubius vt ſic nihil operatur ex recta conſcientia, neque ex recto rationis dictamine, quia nullum habet determinatum iudicium, ſicut neque aſſenſum aut diſſenſum: ergo. Secunda eſt, quia exponit ſe periculo peccati, ac proinde peccat iuxta illud Sapientis monitum *Eccleſiaſtici 3, qui amat periculum peribit in illo*: eò quòd animus dubius cum neutri parti aſſentiatur, quidpiam operando, temeritatis crimen incurrit. Tertia eſt, quia qui operatur animo dubio agit contra legem charitatis diuinæ, nam facit id de quo dubitat an placeat Deo; ſicut faceret inter homines contra legem amicitiæ ille, qui operaretur id de quo dubitaret, an placeat, vel diſpliceat amico. Quarta quia oportet humanum actum non committi regulæ incertæ, ſed certæ per quam exeat regulatus, vt meminit Caietanus *in ſumma V. opinio*: actus autem egrediens ab animo dubio, caret certa regula, hoc eſt recta 3 cognitione rei agendæ: ergo. Dices, † ergo & actus humanus ab animo opinante elicitus erit vitioſus, quia etiam caret certa cognitione rei agendæ, cùm opinio non certum & firmum, ſed formidoloſum aſſenſum generet? Reſpondeo negando conſequentiam, quia aſſenſus opinatiuus etſi cum formidine, pro certa regula rationis habetur, quod aut moralem certitudinem & practicam, aut determinatum iudicium in vnam partem habeat, probabili ratione ſuadens & inclinans, quod ſufficit ad rectam & prudentem cognitionem rei agendæ. Vltima ratio colligitur ex illa regula communiter recepta & probata in iure Canonico, ſcilicet in dubiis tutiorem partem fore eligendam, quæ habetur *in cap. iuuenis de ſponſalibus, in cap. ſignificaſti 2. & cap. ad audientiam, de homicidio*, & aliis in locis. Ergo dum quis in dubio permanens (ſecus ſi depoſita dubitatione) partem minus tutam eligit, imprudentiæ ac temeritatis crimen incurrit, atque periculo peccati ſe exponit à quibus liberatur ſi eligat tutiorem. Neque obſtat nobis Antoninus *in d. regula 6.* dicens, quod tutiorem partem eligere non neceſſitatis ſed voluntatis, non præcepti ſed conſilij eſt: alioquin omnes ad conſiliorum opera tenerentur, quod eſt abſurdum. Non inquam obſtat, nam loquitur in contrariarum ſententiarum ſiue opinionum concurſu, è quibus vna id quod eſt magis tutum, & altera id quod eſt minus tutum proponit: in quo euentu veriſſimum eſt, conſilij & non præcepti eſſe amplecti quod eſt magis tutum. Noſter autem caſus eſt non de opinante aut iudicante, ſed de dubitante, qui nec aſſenſum, nec diſſenſum format, & huic neceſſitas incumbit aut dubium deponere, aut eo permanente nihil operari, aut in operando vel omittendo operationem tutiorem partem eligere, vt temeritatis crimen & peccati periculum vitet.

Quare quidam † iuniores Iuriſtæ minus ſuæ 4 profeſſionis principiis ac regulis conformes dicunt, in negotiis dubiis poſſe quempiam in praxi ſequi opinionem minus probabilem, relicta probabiliori; & illam ſequendo, à culpa, & à pœna in vtroque foro excuſari. De quorum numero ſunt Solorzanus *lib. 3. de iure Indiarum cap. 2. num. 38.* & Salgado *in tractatu de Bullarum Apoſtolicarum retentione 1. p. cap. 2. num. 53.* qui pro ſe allegant Nicolaum Garciam in locis ſuperius in tertio aſſerto citatis: Dianam *4. p. reſolutionum moral. tractatu 3. de conſcientia dubia.* Caietanum. Sylueſtrum, Victoriam, Bañeſium & alios Thomiſtas, quaſi hæc ſit communis eorum ſenſus, cùm tamen oppoſitum ſentiant, vt vidimus in noſtro tertio aſſerto; vbi ex Thomiſtis ſolum commemorauimus Medinam Salmanticenſem, pro ea ſententia adſtruente in conflictu variarum opinionum probabilium, poſſe quempiam licitè in vtroque foro ſequi minus probabilem, relicta probabiliori: Cæteróſque omnes Thomiſtas recenſitos inuenimus eſſe pro contraria ſententia, aſſerente teneri nos in conflictu variarum opinionum, ſequi probabiliorem per ſe loquendo, niſi per accidens ob iuſtam ignorantiam, vel ob aliquod iuſtum impedimentum excuſetur. Multóque minus ea ſententia poteſt eſſe vera in dubiis negotiis, hoc eſt quando conſcientia operantis eſt dubia, neutri parti aſſenſum præbens: nam tunc tutiorem partem fore eligendam dicit conſtans regula iuris: Cuius præfati Authores nec poterant, nec debebant obliuiſci; ſed hac pœna plectuntur, qui mittere audent falcem in meſſem alienam. Alioquin rationibus hucuſque factis ſatis oſtenſum eſt, operantem animo dubio temeritatis crimen & peccati periculum non vitare, niſi aut tutiorem partem eligat, aut dubium deponens, opinioni probabiliori adhæreat.

CASVS III.

De illo qui contra conſcientiam opinantem agit.

SVMMARIVM.

1 *Nemo peccat agendo contra propriam opinionem, ſi ſequatur aliorum opinionem magis aut ſaltem æquè probabilem.*

2 *Vtrum quis peccet, habendo plures probandas?*

3 *Referuntur tres conditiones requiſitæ, vt aliquis poſſit licitè agere ſecundum vnam opinionem,*

nionem, contra alteram etiam propriam.

4 *Probatur hæc assertio ab exemplis Confessarij, Medici, Iudicis & Aduocati.*

5 *Probatur Iudicem posse licitè ferre sententiam quandoque iuxta propriam, & quandoque iuxta aliorum opinionem æquè probabilem; exemplo ducto ab Actore in lite pendenti, de quo sunt duæ opiniones inter Iuris interpretes.*

6 *Quæ sententia proculdubio est irrationabilis, nisi ad sensum reducatur.*

7 *In paritate opinionum locum habet gratificatio.*

8 *Peccatum acceptionis personarum locum non habet, vbi non læditur Iustitia distributiua.*

9 *Respondetur obiectioni, melius scilicet facere Iudicem diuidendo hæreditatem inter litigantes, quando considerantur æquales in Iure.*

10 *Aduocatus potest licitè suscipere causam sui Clientuli, quando ius illius est dubium, aut etiam quando sunt variæ opiniones probabiles.*

11 *Aduocatus de iniustitia Clientuli & falsitate facti concessus, iniustam causam defendendo &c. graviter contra iustitiam peccat.*

1 RESolutio huius casus est † neminem peccare agendo contra propriam opinionem si sequatur aliorum opinionem, magis aut saltem æquè probabilem. Ita tenent Sotus *lib. de iustitia quæst. 6. art. 5. ad 4.* Medina *vbi supra §. est alia quæstio*, & Azorius *in dicto lib. 2. cap. 17. quæst. 8.* eò quòd tunc pro neutra vrget ratio, vt magis vnam quàm alteram amplectamur: ac proinde alterutram licet pro libito sequi, & iuxta eam operari etiam cõtra propriam. Fauent D. Thomas in adducto *quodlibeto 3. art. 10.* & Antoninus *vbi supra regula 4.* dum ait liberè posse quempiam sui Magistri sententiam sequi in pertinentibus ad fidem & mores, dummodo non aduersetur alicui expresso Sacræ Scripturæ testimonio, aut manifestæ Ecclesiæ determinationi, seu probatæ cõsuetudini. Et Leo Papa relatus ab Antonino *ibidem, in cap. sicut quædam d. 14.* dicens. *In his quæ dubia fuerint aut obscura id nouerimus sequendum, quod nec præceptis Euangelicis contrarium, nec decretis Sanctorum Patrum inueniatur aduersum, aut non sit contra legem aliquam diuinam vel humanam.* Subdit idem D. Thomas *quodlibeto 8. art. 11.* vbi inquiren 2 † vtrum peccet quis habendo plures præbendas? sic respondet. *Duobus modis aliquis ad peccatum obligatur. Vno modo faciendo contra legem, vt cum aliquis fornicatur: alio modo faciendo contra conscientiam, etsi non sit contra legem; vt si conscientia dictet alicui, quod leuare festucam de terra sit peccatum mortale. Ex conscientia autem obligatur aliquis ad peccatum, siue habeat certam fidem de contrario eius quod agit, siue etiam habeat opinionem cum aliqua dubitatione. Illud autem quod agitur contra legem semper est malum, nec excusatur per hoc quod est secundum conscientiam. Et similiter quod est contra conscientiam est malum, quamuis non sit contra legem: quod autem nec contra conscientiam, nec contra legem est, non potest esse peccatum. Dicendum est ergo quod quando duæ sunt opiniones contrariæ de eodem, oportet esse alteram veram & alteram falsam. Aut ergo ille qui facit contra opinionem Magistrorum, vtpote habendo plures præbendas, facit contra veram opinionem, & sic cùm faciat contra legem Dei non excusatur à peccato, quamuis non faciat contra conscientiam: sic enim contra legem Dei facit. Aut illa opinio non est vera sed magis contraria quam iste sequitur, ita quod licet habere plures præbendas: & tunc distinguendum est, quia aut talis habet verè conscientiam de contrario, & sic iterum peccat contra conscientiam faciens, quamuis non contra legem; aut non habet conscientiam de contrario seu certitudinem (sic enim est legendum cum* ly seu, *& non cum* ly sed) *sed tamen in quandam dubitationem inducitur ex contrarietate opinionum, & sic si manente tali dubitatione plures præbendas habet, periculo se committit, & sic proculdubio peccat, vtpote magis amans beneficium temporale quàm propriam salutem. Aut ex contrariis opinionibus in nullam dubitationem adducitur, & sic non committit se discrimini, nec peccat.* Hæc ille: ex quibus planè colligitur de ipsius mente, quod † licitè 3 potest quis agere secundum vnam opinionem, contra alteram etiam propriam, dummodo istæ tres conditiones concurrant; nimirum quod non sit contra legem diuinam, aut humanam obligantem ad culpam: & quod non sit contra propriam conscientiam, quæ etiam habet vim obligandi: & quod determinatum assensum præbeat illi parti quam opinatur veram, nec ex contrarietate opinionum maneat pendulus neutri parti determinatæ assentiens.

Tertiò probatur † eadem doctrina ab exem- 4
plis Confessarij, Medici, Iudicis & Aduocati, qui in æquè probabilibus possunt licitè contra propriam, alteri opinioni se conformare. Confessarius namque nedum potest, sed etiam tenetur absoluere pœnitentem contra propriam suam opinionem, quando iuxta æquè probabilem opinionem egit. In quo sensu accipienda est sententia Soti *in 4. d. 18. quæst. 2. art. 5. ad 5.* Nauarri *in Manuali cap. 26. num. 4. & in cap. si quis autem, de pœnitentiis, distinct. 7.* & Angeli *in Summa V. confessio 4. n. 2.* Idque verum censeo cum præfatis Authoribus in quocumque Confessario etiam non ordinario: eò quòd pœnitens operatus est secundùm probabilem opinionem ac proinde non peccauit, quod proinde scire debet ipse Confessarius, qui proinde ei propter hoc non potest absolutionem denegare, quam pœnitens iustè petit. Vnde ex suppositione quod Confessarius eius excepit confessionem, non potest eum à se repellere, ne detur bellum iustum ex vtraque parte. Similiter Medicus in curando ægrotum potest sequi opinionem aliorum contra propriam, maximè quando illam scit esse æquè tutam ac probabilem, vt inferius ostendemus, *in resolutione 7. casus.* Idem dicimus de † Iudice, nimirum quod potest licitè ferre 5
sententiam, quandoque iuxta propriam, & quandoque iuxta aliorum opinionem, quam scit esse æquè tutam, ac probabilem, plus minusvè: v.g. de iustitia Actoris in lite pendenti est dubitatio inter iuris Interpretes, inter quos versantur duæ opiniones, æquè aut fere æquè probabiles, quarum vnam sequitur ipse Iudex: poterit nihilominus ille quandoque in vna lite secundum vnam, & quandoque secundum alteram in alia occasione, proferre sententiam, etiam propriam opinionem relinquendo, dummodo

modò abſit ſcandalum, quod poteſt generari apud puſillos & litigantes ignaros, dum eundem Iudicem vident contraria iudicantem, & neſciunt eum agere ſecundum diuerſas probabiles opiniones. In eóque euentu poteſt pro amico ferre ſententiam, ſecundum quam maluerit opinionem, ſicut pro non amico & conſanguineo, eò quòd amicus non eſt peioris conditionis, quàm extraneus: ergo ſicut pro iſto, ita & pro illo ſiue conſanguineo, poteſt ſecundum quamlibet opinionem in praxi probabilem ferre ſententiam. Tum etiam quia in eo conflictu variarum opinionum ferme æquè probabilium, circa ius Actoris vel Rei litigantis conformare ſe iſti potius quàm illi opinioni, eſt gratia, ſiquidem Iudex abſque læſione iuſtitiæ ſine imprudentia ac temeritate poteſt alterutra vti. In gratiis autem, amici & conſanguinei cæteris paribus ſecundum ordinem charitatis ſunt præferendi: ergo licitè, prudenter, iuſtè, & ex affectu charitatis ſiue amicitiæ poteſt illos Iudex præferre. Caueat autem ne affectus iſte cum ſit carnis & ſanguinis, ſe in affectum charitatis transfigurans, faciat opinionem falſam aut minus probabilem, ei veram aut probabiliorem pro amico vel conſanguineo apparere. In quo ſenſu temperanda eſt ſententia Zenedi *vbi ſupra num.* 20. & Baſieſij 22.*q.*63.*art.*4.*dub.*1. *ad* 2. dicentium non poſſe in conflictu variarum opinionum probabilium, Iudicem amplecti opinionem amico fauorabilem, & ferre ſententiam pro illo: eo quod Iura iubeant in re dubia pro reo, pro dote, pro matrimonio, pro teſtamento, Religione ac Eccleſia, & pro aliis ſimilibus piis cauſis iudicandum fore, nunquam tamen iubent fore iudicandum pro amico. Item qui affectu amicitiæ ducitur, diſcrimini ſe committit non attingendi veritatem, ac proinde à temeritatis crimine non excuſatur. Rurſus quia ſtante æqualitate opinionum eſt æquale ius vtrinque: ergo dum Iudex inclinans in alteram partem, quia amicus eſt, accipit non cauſam pro cauſa, & conſequenter peccatum acceptionis perſonarum committit.

6 Sed proculdubio hæc † ſententia irrationabilis eſt, niſi ad noſtrum ſenſum reducatur. Nam præterquam quod eſt contra communem Antonij Gomez *in cap.* 1. *de Iudiciis in* 6. *n.*55. Morla 1.*p.tit.*2.*q.*5. Zeballos *in præfatione practicarum quæſtionum n.*101. Menochij *q.*63. *& de arbitr.caſ.*177. Coratij *lib.*2.*communium opinion.tit.*9.*n.*172. Soti *vbi ſupra ad* 4. & Medinæ *loco citato* §. *eſt alia quæſtio*, & aliorum quamplurium, quos iſti referunt, patentes pro ſe habet rationes; nimirum, quia vt tradit Innocentius *in cap.ne innitaris, de conſtitutionibus*, Iudex ad libitum poteſt quam velit opinionem ſequi, quando pro vtraque parte eſt magnus Doctorum concurſus; & quando ſuper aliquo articulo ambæ opiniones ſunt probabiles, poteſt Iudex ſuam conſcientiam cum qualibet earum conformare. Rurſus quia omnium eſt concors ſententia, bonum & vtile eſſe habere Iudicem propitium, nedum vt facilius audeat & credat quod non parum prodeſt ad victoriam, ſed etiam vt in pari diſcrimine pro amico iudicet, & pro amico fauorabilē opinionem ſequatur. Nam

7 † in paritate opinionum locum habet gratificatio, & cuilibet parti fauere poteſt Iudex, ex Gloſſa *in cap.venerabilem de election.V.fauere &* *l.ſi quis ſeruum* §. *ſi inter duos ff.de leg.*2. alioquin nunquam gratia locū haberet in iudiciis forenſibus: quod eſt contra eā quā omnes homines in cordibus habent inſitam veritatem. Neque oppoſitum conuincunt rationes, quibus Zenedo conuincitur. Nam Prima potius fauet noſtræ ſententiæ, quia dum iura iubent fauere in iudicio illis cauſis piis, amicum non excludunt: quod autem non expreſſerint eum, ea fuit cauſa, quod aliàs naturale ius dictet amicos & conſanguineos in negotio gratiæ fore aliis præferendos, ſicut & benefactorem quoque dictat dignum eſſe gratificatione, & antidorali donatione. Vnde non opus fuit, iura humana amicum, benefactorem, & ſanguine iunctum præferre, quem Diuinum & naturale ius prius prætulerat. Sicut ergo pro reo, pro dote, pro teſtamento, pro Eccleſia & ſimilibus cæteris paribus iudicandum eſt; ita & pro amico, pro benefactore, & pro ſanguine iuncto. Secunda verò Soti innititur præſumptioni, cui ſæpius deeſt veritas. Licet enim præſumi poſſit, quod qui ſolo ducitur amicitiæ, aut conſanguinitatis affectu, falſam ſentētiam pro vera amplectatur, & improbabilē iudicet probabilem: etſi ſolo tali affectu fauendi amico, vel cōſanguineo ductus, munus Iudicis ſuſciperet, aut tribunal conſcenderet, diſcrimini iniuſtam proferendi ſententiā ſe committeret: Verumtamen ille qui affectu inueniendi veritatem & iudicandi, iuſtè munus Iudicis ſuſcipit, aut tribunal conſcendit ex primaria intentione, licet ex ſecundaria velit gratiam facere amicis & conſanguineis, cæteris paribus & ſine læſione iuſtitiæ, nulli diſcrimini ſe committit; neque de illo præſumendum eſt, quod falſum eligat pro vero, aut incertum teneat, & certum dimittat, aut quod minus tutam & probabilem opinionem iudicet tutiorem ac probabiliorem: ac proinde neque affectus iſte in eo eſt condemnandus, qui nec ex obiecto eſt malus, neque circa ſubiectam materiam iniuriam irrogat parti cui non fauet.

Tertia denique, qua conuincitur Baſieſius, diluitur negando conſequentiam; quia † pec- 8
catum acceptionis perſonarum locum non habet, vbi non læditur iuſtitia diſtributiua. Tunc autem nulla fit iniuria Petro, v.g. per hoc quod hæreditas datur Paulo amico Iudicis: neque conditio amicitiæ eſt cauſa motiua, ſed tantum impulſiua: motiua autem eſt ius ipſum quod cum æquali probabilitate conſideratur in Paulo. Dices, † melius faceret tunc diuiden- 9
do hæreditatem per æquales partes inter litigantes, quia conſiderantur æquales in iure. Fateor melius facere Iudicem, ſi vtrique parti litiganti diuidat hæreditatem ſuper qua eſt lis: æqualiter quoad proprietatem ſi diuiſibilis ſit, vel quoad fructus ſi ſit indiuiſibilis: non tamen ad id faciendum tenetur, neque id conſueuerunt Iudices facere. Vnde nec peccant, ſi adhærendo vni opinioni integram hæreditatem alteri ex litigantibus conſignent: ergo ſententia hæc ne irrationabilis fiat, ſic eſt temperanda, vt procedat ſolùm in illo Iudice, qui affectu amicitiæ & conſanguinitatis ductus, eo ſolùm animo tribunal conſcendit, vt amico faueat etiam contra certum ius alterius: vel ex affectu ita excecatur, vt certa ſententia relicta eligat incertam & falſam, quia amico ſiue conſanguineo fauorabilem.

bilem. Secus autem de illo qui vt amico faueat, nec certam sententiam, nec probabiliorem, sed solùm æquè probabilem aut minus probabilem relinquit, neque à conditione amicitiæ ducitur vt à causa motiua, nisi tãtùm vt impulsiua.

10 De † Aduocato similiter idem dicimus, nimirum posse Aduocatum suscipere defendendam causam sui clientuli, quando ius illius est dubium, aut etiam quando sunt variæ opiniones probabiles, quarum minus probabilis fauet clientulo, licet Aduocatus ipse sit contrariæ opinionis, atque etiam quando pars aduersa est in possessione rei super qua litigatur; siue dubietas sit circa ius tantum, siue etiam contra factum. Quorum omnium ratio euidens est, quod in omnibus hiis casibus, clientulus potest litem mouere & prosequi, quandiu non certificatur de iure partis aduersæ, aut de facti veritate (perductus namque ad hanc certitudinem, tenetur desistere à lite, quia iam mala fide eam prosequeretur, essétque causa damni illati parti contrariæ, ad cuius proinde compensationem in foro conscientiæ teneretur iuxta regulam iuris, *qui causam damni dat, damnum quoque fecisse videtur*,) quia vtitur iure suo: quod habet vnusquisque ad repetendum in iudicio & extra illud, quod existimat probabiliter esse suum, aut etiam ad defendendum illud, quod putat non debere. Sed Aduocatus & Procurator possunt, quidquid potest Clientulus: quippe qui tantum sunt Vicarij illius, & solùm agunt ex nomine & mandato illius: ergo. Rursus quia hoc est discrimen inter Iudicem ex vna parte, & Aduocatum atque Procuratorem ex alia, quod isti tantùm allegant iura & rationes pro clientulo: ille verò procedit definiendo causas sententiam ferendo, & per sententiam aut pœnas infligit in criminalibus negotiis, aut in ciuilibus bona super quibus litigatur adiudicat vni parti, quod ab altera tollit, aut possessorem à possessione deiicit, & spoliatum in possessionem introducit. Vnde aliquid licet Aduocato & Procuratori quod non licet Iudici: licet namque illis patrocinium ferre pro clientulo in causa dubia, circa ius & circa factum, & sequendo opinionem minus probabilem fauentem Clientulo etiam contra possessorem: isti verò non licet ferre sententiam cum dubio, aut opinione minus probabili contra possessorem: neque stante dubio aut opinione minus probabili circa factum vt dictum est. Ad vnicam tamen diligentiam tenetur Aduocatus in hiis euentibus faciendam cum clientulo, quam pauciſſimi obseruant cupiditate lucrandi ducti, nimirum tenetur eum errore liberare, ac retegere ei dubietatem, siue debilitatem Iustitiæ & euentus futuri contingentiam, vt sic monitus aut à lite prosequenda desistat, aut sibi ipsi imputet impensas faciendas: alioquin reus efficitur damni impensarum quod Clientulus incurrit: ad quarum proinde restitutionem in foro conscientiæ tenetur titulo iniustæ actionis; quia est mutus & non obstans quando loqui & obstare debebat.

11 Dices ad quid amplius teneretur † Aduocatus iste, si certus ac conscius de iniustitia Clientuli, aut de falsitate facti iniustam causam susciperet defendendam, si ob defectum manifestandi dubietatem, talem pœnam exoluit. Respondeo cum D. Thoma 22. *q.* 71. *art.* 3. dicente, quod tunc grauiter peccat contra iustitiam Aduocatus, quando scienter iustam causam defendit, quia præstat auxilium & consilium clientulo, cuius causæ patrocinatur: qui autem cooperatur ad malum faciendum siue adiuuando siue consulendo, siue consentiendo, quodammodo est faciens iuxta illud Pauli ad *Romanos* 1. digni sunt morte non solùm qui faciunt peccatum, sed etiam qui consentiunt facientibus. Vnde & tales ad restitutionem tenentur; continentur enim in illo versu, *Iussio, consilium, consensus, &c.* Igitur Aduocatus, qui scienter iniustam causam defendit, ad restitutionem tenetur eius damni, quod altera pars incurrit: Si autem ignoranter iniustam causam defendit, putans esse iustam, excusatur secundum modum quo ignorantia excusare potest. In primo ergo euentu Aduocatus non pandens Clientulo veritatem, ob cuius monitionis defectum ipse Clientulus impensas facit aliàs non facturus, peccat contra iustitiam per omissionem, sicut mutus aut non obstans, vel non manifestans, soliúsque damni à Clientulo incursi reus efficitur. In secundo autem peccat contra iustitiam per commissionem tanquam auxilians, consilians, & consentiens, efficitúrque reus damni incursi à contrario, contra quem causam iniustam defendit: damni autem à Clientulo incursi tunc non efficitur reus, si ille à principio sciat se causam iniustam suscipere, quia scienti & volenti non fit iniuria. Si autem deceptus ab Aduocato, putans se litem iustam habere, illam mouet, tunc vtriusque damni efficitur reus, & vttique tenetur illud restituere, Clientulo quidem quia deceptor; parti verò contrariæ, quia iniustus fuit auxiliator. In quo ait D. Thomas *vbi supra*, Aduocatus valdè à Medico discriminatur, nam iste accipere potest infirmitatem desperatam curandam, quia nemini facit iniuriam: ille verò suscipere non potest causam iniustam defendendam, quia in hoc iniustè lædit eum, contra quem iniustè patrocinium præstat.

CASVS IV.

De illo qui scrupulis pungitur, nunquid licet ei agere contra conscientiam scrupulosam?

SVMMARIVM.

1 *Ad dubium respondetur affirmatiuè cum communi sententia Theologorum.*

2 *Scrupulus propriè loquendo est formido ex leuibus causis exorta, nulla ratione probabili aut rationabili fundamento fundata.*

3 *Refertur triplex formidinis gradus.*

4 *Duo potissima remedia à Theologis pro sanandis scrupulis assignantur.*

Respondeo † affirmatiuè cum communi 1
sententia Theologorum, quam probant D. Antoninus *vbi supra*, Caietanus *in summa V. scrupulorum medicina*, Syluester *ibidem*, Azorius *vbi supr. c.* 20. *q.* 6. & Medin. *in dict. q.* 19. *art.* 5. & 6. *dub. vlt.* eò quòd † scrupulus propriè loquendo, 2
est formido ex leuibus causis exorta, nulla ratione probabili aut rationabili fundamẽto fundata: atqui agere contra huiusmodi formidinem non est peccatum: ergo neque agere contra

ſcrupulum. Minor cum conſequentia eſt nota, & Maior probatur diſtinguendo triplicem formidinem, aut † triplicem formidinis gradum. 3
Primus eſt qui oritur ex cauſis iuſtis, & maximè vrgentibus conſcientiam, quæ faciunt alteram opinionem omnino improbabilem; vt ſi quis habens duas præbendas ſine diſpenſatione Pontificis, ſcrupulo pungitur, vtrum ſit licitum? Secundus eſt illius formidinis quæ oritur ex leuibus cauſis & ita parum vrgentibus, vt alteram opinionem non efficiant improbabilem. Tertius eſt ortus ex leuiſſimis cauſis & potiſſimè ex naturali, vel infirma complexione, videlicet ex melancholia, aut ſimili infirmitate vel paſſione: è quibus contra primum non licet agere, ſicut neque contra rectam conſcientiam neque contra certam ſcientiam: quam habet ille ſcrupuloſus in eo euentu, aut debet habere; in moralibus namque ſcire ac debere ſcire pro eodem computantur. Rurſus neque contra dubium licet agere. Ille autem eſt plus quam dubius; imo in dubio illo habet locum regula trita: *Tene certum & dimitte incertum*: bene tamen licitum eſt agere contra ſecundum & tertium, quia ſecundus propriè eſt ſcrupulus, quo inquietatur conſcientia & nulla ratione fulcitur. Tertius verò eſt minus quàm ſcrupulus, quia potius eſt quædam timiditas & puſillanimitas conſcientiæ. Rurſus iſte ſcrupulus ſecundi & tertij generis eſt formido temeraria, & ſine ratione admiſſa: Atqui nedum licitum, ſed debitum eſt agere contra huiuſmodi timiditatem, ſiquidem operans iuxta illam temeritatis crimine maculatur: ergo. Confirmatur amplius: nam † duo potiſſima remedia à 4
prædictis Theologis pro ſanandis ſcrupulis aſſignantur. Alterum eſt conſulere peritos homines & eorum conſilio acquieſcere: etiam contra pungentem ſcrupulum. Alterum eſt quod tradit D. Antoninus *vbi ſupra, regula 6.* frequenter agere contra ſcrupulos, & ſæpius contra illos factitare, vt ſic radicitus ab animo euellantur. Atqui remedia iſta crudelia eſſent, niſi licitum & proficuum eſſet agere contra ſcrupuloſam conſcientiam: ergo.

Reſtat nunc iterum inquirere circa ea quæ diximus in reſolutione tertij caſus; Vtrum Confeſſario, Iudici, & Medico liceat agere, nedum cõtra æquè probabilem, ſed etiam contra probabiliorem opinionem? De quibus dicemus ſigillatim: & Primo quidẽ de Confeſſario.

CASVS V.

De illo Confeſſario, qui excipiens confeſſionem pœnitentis, qui ſecundum opinionem minus probabilem operatus fuerat actum vel contractum ſcrupuloſum, imo & peccaminoſum ſecundum contrariam opinionem probabiliorem: tenebitúrne iſte Confeſſarius abſoluere talem pœnitentem, ſi conſcius & ſequax ſit talis opinionis quam dicimus probabiliorem.

SVMMARIVM.

5 *Referuntur tres ſententiæ Doctorum in huius caſus reſolutione: quarum Prima affirmat abſolutè poſſe ac debere Confeſſarium abſoluere talem pœnitentem, conformando ſe eius opinioni etiam minus probabili, relicta probabiliori etiam ſui ipſius.*

6 *Ratio huius ſententiæ in quo conſiſtit.*

7 *Refertur Secunda ſententia priori è diametro oppoſita.*

8 *Tertia ſententia diſtinguit inter Confeſſarium Ordinarium, & non ordinarium.*

9 *Ex quibus ſententiis ſecunda eſt cæteris anteponenda, iuxta quam propoſiti caſus reſolutio formatur.*

10 *An Petrus propter homicidium quod contigit ex quadam nocturna armorum contentione, manſerit irregularis?*

11 *In cõflictu variarum opinionũ notoriè inæqualiter probabilium, eligenda eſt in praxi probabilior.*

12 *Pœnitens in omnibus quæ Sacerdos claue non errante ei iuſſerit, tenetur ei parere.*

13 *Sotus dicens Confeſſarium non poſſe pœnitentem contra ſuam opinionem conſulere, triplici ratione impugnatur.*

14 *Ad idem prorſus tenetur Confeſſarius delegatus, ad quod Ordinarius, niſi quod ille poſſit pœnitentem à ſe repellere, quem Ordinarius tenetur audire.*

RES verſantur † ſententiæ Doctorum in huius caſus reſolutione: duæ extremæ, & alia eſt media. Prima illarum affirmat abſolutè Confeſſarium poſſe ac debere abſoluere talem pœnitentem, conformando ſe eius opinioni nedũ æquè probabili, quod hucuſq; admiſimus, ſed etiã minus probabili: relicta probabiliori etiam ſi ſit opinio ipſius Confeſſarij. Hanc tenent illi Authores quos retulimus in *Aſſerto* 3. pro ſententia aſſerente licitũ & quandoq; debitũ eſſe, in quauis materia etiam morali & Sacramentorũ ſequi opinionem minus probabilem, relicta probabiliori: quam in caſu poſito Confeſſarij ſpeciatim probant Medina *vbi ſupra* §. *Eſt alia quæſtio concluſione* 3. & Azor. *lib. citato c.* 17. *q.* 10. Hic pro ſe citat Sotum *in* 4. *d.* 18. *q.* 2. *art.* 5. *ad* 5. Nauar. *in manuali c.* 26. *n.* 4. & *in c. Si quis autem de pœnitent. d.* 7. & Angelum *in ſumma* V. *Confeſſio* 4. *n.* 2. quorum mentem in *reſol.* 3. *caſus* aperuimus. Ratio † autem huius ſententiæ eſt, quia 6
Confeſſarius ſcire debet pœnitentem in tali opere vel contractu ſequendo opinionem probabilẽ, licet minus quàm altera, non peccauiſſe; quia opinio probabilis eſt quã tuta conſcientia ſequi poteſt, & quod ratione probabili agitur, prudenter & ſine temeritate aut ſine reprehenſione agitur. Rurſus iuſtè petit abſolutionem, ſi aliàs eſt rectè diſpoſitus & attritus de peccatis certis à ſe confeſſis, atque paratus corrigi de illis: ergo cum non poſſit dari bellum iuſtum ex vtraque parte, Confeſſarius tenebitur pœnitentem abſoluere, & iniuſtè ei abſolutionis beneficium denegaret.

Secunda † ſententia huic è diametro oppoſita, eſt aliorum quos retulimus pro ſententia negante, eſſe licitum circa materias morales & maximè Sacramentorum, in conflictu duarum opinionum inæqualiter probabilium, ſequi ſcienter minus probabilem, relicta probabiliori. De quorum numero ſunt

idem

idem Soto *loco citato ex lib. 3. de iustitia*, Caietan. Richardus, & Hostiensis *in cap. si virum de cognitione spiritual.* & D. Antoninus *vbi*
8 *supra, regula* 4. Tertia † & media via incedens est Conradi *lib. de contractibus q. vltima*, distinguentis inter Confessarium ordinarium, siue parochum ex vna parte, & non ordinarium siue ex commissione audientem confessionem; & asserentis Primum teneri pœnitentem absoluere, & conformare se eius opinioni contra propriam etiam probabiliorem: non verò secundum: eo quod Ordinarius siue etiam proprius Confessarius pœnitentis tenetur sequi iudicium Ecclesiæ in eo euentu, in quo gerit vicem illius & agit vt eius minister. Rursus exponit se periculo faciendi iniustitiam pœnitenti, denegando ei absolutionem: quæ rationes non militant in altero Confessario non ordinario, vel ex commissione. Pro eadem sententia sunt Sylu. verbo *Confessor* 3. §. 7. Adrian. *q. 5. de confessione dub.* 7. Gofredus, Paludanus *in* 4. *d.* 17. & alij relati à D. Antonino & Syluestro.

9 Verùm † ex hiis sententiis Secunda est anteponenda cæteris, iuxta quam talem proposito casui damus resolutionem, videlicet quod quando Confessarius & pœnitens sunt diuersæ opinionis, tenetur pœnitentem absoluere aliàs bene dispositum & confessum: conformando se eius opinioni æquè aut fere æquè probabili in praxi cum ea quam Confessarius profitetur. Secus autem si notoriè opinio Confessarij est probabilior & magis vsu recepta, & aliàs in suam opinionem fuerit pœnitens semel & iterum relapsus mala fide; quod tam de Confessario ordinario ac proprio, quàm de extraordinario & delegato pariter debet intelligi. Hæc resolutio constat tribus propositionibus, quæ sigillatim sunt explicandæ & comprobandæ. Prima igitur relinquitur probata eisdem rationibus quibus ostendimus, in conflictu variarum opinionum æquè aut fere æquè probabilium, liberum esse vnicuique in praxi sequi eam quam maluerit, quia neutra trahit magis ad se intellectum, & voluntatem, quàm altera: & ideo pœnitens qui in tali opere aut contractu vnam sequutus est, non peccauit sed rationabiliter & prudenter egit: ergo ob hanc causam non est ei deneganda absolutio, neque sine iniuria ei denegaretur, quam iustè petit. Atqui in huiusmodi opinionum conflictu videtur loqui Soto *in adducto loco ex* 4. *sententiarum*: quia ponit exemplum dumtaxat in Iudice, qui sequutus opinionem Scoti, non vult condemnare nocentem secundum allegata & probata, quem scit priuatim esse innocentem: & hunc (ait ille) tenetur Confessarius Thomista contra suam & Diui Thomæ opinionem absoluere: neque enim hucusque constat quæ ex hiis sit probabilior opinio. Vtraque est probabilis fere in eodem gradu, vtraque in praxi sequibilis: & Iudices quandoque secundum vnam, quandoque secundum alteram operantur. Imo opinio Scoti in praxi videtur eò probabilior, (econtra altera in scholis & speculatiuè loquendo) quò est mitior, tutior, ac securior, si sine scandalo plebis & sine læsione authoritatis Iudicis executioni mandetur. Fauet enim ei illa regula Hostiensis *vbi supra*, videlicet; *Quod vbi sunt diuersæ opiniones & diuersa iudicia, semper humanior est præferenda & æquior*, id est benignior & mitior: quæ maximè habet locum in iudicijs fori externi, in quibus mitior pars est eligenda, sicut in foro interno tutior venit eligenda, v. g. Dubitatur cum rationabili fundamento an † Pe- 10
trus propter homicidium, quod contigit ex quadam nocturna armorum contentione, manserit irregularis? Sunt pro vtraque parte opiniones in foro externo; Iudex tunc debet eum habere pro non irregulari, quia hæc est mitior sententia, sed in foro interno debet ei consuli vt habeat se pro irregulari, & dispensationem ad cautelam obtineat, quia hæc est sententia tutior.

Deinde secunda pars probatur, tum ex dictis, ex quibus constat † in conflictu variarum 11
opinionum notoriè inæqualiter probabilium, eligendam fore in praxi probabiliorem, vt prudenter & sine temeritate operemur, & periculum peccandi vitemus. Quam doctrinam scire debet Confessarius, ne claue scientiæ errante procedat: & pœnitens quando aliàs scit diuersas in ea re opiniones versari, & secundum vnam illarum se operari: tenetur namque diligentiam adhibere, vt sciat quæ illarum est probabilior, & rationi conformior, melioribúsque argumentis fundata. Ergo si id non faciat, imprudenter agit, & discrimini se committit: ergo nisi sit paratus corrigi de hoc peccato, non debet absolutionis beneficium obtinere. Dixi *nisi sit paratus corrigi*: nam si pœnitens bona fide processit, sequens opinionem minus probabilem in tali opere aut contractu relicta probabiliori, putans sibi licere, & exponens suam conscientiam Confessariis, prima, secunda, & tertia vice, neque fuit monitus de veriori seu probabiliori opinione, neque inductus aut constrictus ad illam sequendam in praxi, tum quando quarta vice, v. g. quæ est prima respectu huius Confessarij, venit ad eius pedes, debet eum instruere de probabiliori sententia, & monere vt iuxta illam deinceps operetur. Quod si paratum se ostendat correctioni, debet eum Confessarius absoluere, siue bona fide siue mala fide antecedenter ad hanc vltimam confessionem processerit, conformando se opinioni minus probabili. In primo quidem euentu bonæ fidei, quia sequendo in praxi illam opinionem non peccauit: ergo ex hoc capite non demeretur absolutionem, neque ponit illi aliquem obicem. In secundo autem euentu malæ fidei, eò quòd licet peccauerit, periculo iniusti contractus v. g. celebrandi se exponens, iam est paratus corrigi de hoc peccato, sicut de aliis quæ pandidit in confessione: ergo nec ex hoc capite demeretur absolutionem, neque impedimentum aliquod apponit. Tum etiam quoniam † pœnitens in omnibus, quæ Sacerdos claue nõ 12
errante ei iusserit, tenetur ei parere: eò quòd Sacerdotes sunt à Christo Domino Iudices instituti ordinarij ad diffiniendas peccatorum culpas in foro pœnitentiali, per claues scientiæ & potestatis, vt pro constanti supponit Sotus *loco* nuper *citato*, & colligitur ex *c. quem pœnitet de pœnitentia, distinct.* 1. Sed Sacerdos in eo casu potest, ac debet pœnitentem instruere de probabiliori ac securiori opinione, & eum monere ac monẽdo imperare, vt eam deinceps certior de veritate factus in praxi sequatur: ergo pœniten-

tenetur deinceps eius consilio acquiescere & mandato parere. Neque enim in hoc scientiæ clauis Sacerdotis errat, quæ pœnitenti viam tutiorem ostendit, & eum à periculo peccandi eripuit, suadendo ei, quod ipse certior factus agere tenetur. Quod si mala fide præsumitur processisse pœnitens, & hanc Confessarij instructionem non acceperit, quia non est paratus corrigi, ei absolutionis beneficium denegetur, iuxta Soti documentum *vbi supra*. Cuius tamen documentum vel sententiam non probamus in eo quod subdit §. *at verò*, Confessarium non posse contra suam opinionem pœnitentem consulere: v.g. Si in exemplo adducto Confessarius & Prætor sint opinionis Thomistarum, tenentis Iudicem posse ac debere condemnare reum conuictum nocentem, quæ priuatim scit & innocentem: non potest Confessarius suadere Prætori, vt talem innocentem conuictum nocentem absoluat aut liberet &c. eò quòd (ait ille) tunc esset Doctor dogmatis quod credit esse falsum: quod quidem in Sacramento confessionis est sacrilegium. Hanc inquam sententiam non probamus † propter tria. Tum quoniam minus consona est menti & sententiæ eiusdem Authoris in loco prælegato *lib. 3. de iustit.* vbi absolutè asseuerat vnumquemque posse tuta conscientia in praxi sequi aliorum opinionem contra propriam mentem, aut æquè probabilem. Tum etiam quia quod Sacerdoti est licitum extra confessionem, pariter & in confessione pœnitentis quam excipit: Atqui extra confessionem licitum est illi consulere alienam opinionem magis aut æquè probabilem contra propriam, quam profitetur: vt constat ex dictis: ergo. Tum denique, quoniam ratio cui innititur Sotus, falsum supponit; nimirum, quod talis Confessarius suadens Iudici contra propriam opinionem, vt reum conuictum nocentem aliàs innocentem liberet aut absoluat, iuxta Sotistorum opinionem, esset Doctor dogmatis quod credit esse falsum, & ideo Sacrilegus quia in confessione: quod quidem est manifestè falsum. Nam iste Confessarius non credit opinionem Soti esse dogma falsum, sed existimat probabiliter illam esse falsam, cum formidine tamen alterius partis, quam probabiliter iudicat esse veram. Cum quo iudicio formidoloso stat, vt simul putet opinionem illam posse esse veram, & suam falsam: ergo nullam irreuerentiam irrogat Sacramento, si id suadeat ex affectu liberandi innocentem, maximè amicum, cõsanguineum, aut virum aliàs Reipublicæ vtilem aut necessarium.

13

14 Denique tertia pars probatur, quia † ad idem prorsus tenetur Confessarius delegatus ad quod ordinarius, ex suppositione quod voluerit confessionem pœnitentis excipere: idémque potest vnus atque alter, licet in eo valde discriminentur, quod Delegatus & non ordinarius potest confessionem non audire, & pœnitentem à se repellere, quem tamen audire tenetur Ordinarius siue parochus proprius. Verùm ex suppositione iam dicta, ille huic omnino parificatur: quod amplius patefiet soluendo argumentum Conradi. Ad quod dicimus vtramque rationem militare pariter in delegato seu non ordinario. Nam supposito quod vult excipere confessionem pœnitentis, & eam audit, iam perdit vicem ministri Ecclesiæ, cuius proinde iudicio debet conformari. Rursus etiam irrogat iniustitiam pœnitenti cuius confessionem audiuit, denegando ei absolutionem sine rationabili causa, si aliàs operando iuxta opinionem minus probabilem non peccauit, vt supponit dictus Author. Nam cum pœnitens tunc ab eo iustè petat absolutionem, non potest ille eam denegare eidem pœnitenti: cui & aliam iniuriam non paruam faceret, scilicet eum obligando, vt iterum alteri Confessario sua panderet peccata: in quo non paruam sentiret pœnitens difficultatem, cum magnóque rubore eadem peccata, alteri detegeret: ergo neque ordininarius, neque delegatus Cofessarius tenetur se conformare opinioni minus probabili pœnitentis, relicta propria & probabiliori, sicut vterque potest ac debet cum opinione æquè probabili pœnitenti se conformare, provt ex dictis constat.

CASVS VI.

De Iudice, qui in ferendo sententiam contra suam propriam & probabiliorem opinionem, sequitur aliorum minus probabilem: numquid peccat iste?

SVMMARIVM.

1 *Referuntur Authores pro negatiua sententia qui eam quadruplici argumento conantur tueri.*

2 *Quibus non obstantibus opposita sententia est tuenda, qua itidem quatuor argumentis suadetur.*

3 *Resoluitur dubium de iudice Arbitrario, non Ordinario.*

4 *Soluuntur fundamenta pro contraria sententia adducta.*

5 *Dupliciter contingit, vt motus ex principiis intrinsecis ad iudicandum secundum vnam opinionem, moueatur ad iudicium formandum secundum alteram.*

RESpondent † negatiuè Azorius *cap. 16. q. 2. & 3. & c. 17. q. 8.* Medina *vbi supra*, & Diana *in loco citato resolutione 3.* cum aliis Authoribus, qui in ea sunt sententia, adstruente posse quempiam in moralibus materiis ad conscientiam, imo & ad ius tertij pertinentibus, sine vllo periculo peccati conformare se opinioni minus probabili, relicta probabiliori: mouentúrque ad idem adstruendum in casu proposito Iudicis. Primò quia quando sunt duæ opiniones æquè probabiles circa ius tertij litigantis, v.g. integrum est Iudici secundùm alterutram ferre sententiam, vt dictum est. Eadémque est ratio, quãdo opiniones gaudent inæquali probabilitate, dummodo ambæ probabiles sint: ergo etiam tunc integrum erit Iudici secundum alterutram iudicare. Minor patet, quia prudenter & sine temeritate fit, quod probabili ratione & prudentum consilio fit. Secundò, quia quandoque licitum est Iudici ferre sententiam contra suam certam scientiam: vt quando ille quem certò scit esse innocentem, conuictus est de crimine per allegata & approbata, tũc potest, imo & debet eum pœna legum taxata plectere in sententia D. Th. si alia via eum sine scandalo liberare

non

non potest: ergo à fortiori idem poterit facere Iudex contra propriã opinionẽ, etiãsi sit probabilior: quia sẽper manet intra limites opinionis non peruenientis ad certitudinem. Tertiò, quia quando opinio minus probabilis est tutior aut communior, licitè potest Iudex in iudicando illam amplecti relicta probabiliori: eò quòd cum in dubiis tutior pars sit eligenda iuxta regulam iuris communiter receptam, qui in eo conflictu opinionum minus tutam eligit, periculo peccati se committit: ergo iam aliquando licitum est in iudicando sequi minus probabilem opinionem. Quartò potest contingere, quòd aliquis ex propriis ac particularibus & intrinsecis principiis rei motus, existimet se teneri ad aliquod faciendum, v.g. ad ieiunandum in tali die vigiliæ aut quadragesimæ, qui tamen motus ex principiis extrinsecis, v.g. ex Medici corporalis siue spiritualis consilio, vel ex Superioris mandato, simul iudicet se neque debere neque posse licitè id ipsum facere, v.g. tali die ieiunare: ergo pariter poterit contingere in Iudice, quod licet ex principiis intrinsecis rei motus, existimet sibi non licere ferre sententiam in fauorem tertij, tamen ex aliorum Iuris peritorum consilio, iudicio & opinione licet minus probabili, poterit prudenter existimare sibi id licere: ergo tunc immunis erit à peccato.

2 Verùm iuxta † nostra principia & fundamenta superius iacta, opposita sententia sustinenda est cum Bañesio 2.2.*q.*63.*art.*4. *dub.*1. *ad* 2.*&* *q.*69.*art.*3. Maldero 1.2.*q.*19.*art.*5. Filliucio, Becano, Taner, Villalobos & Thoma Sanchez *in summa tom.*1. *lib.*1. *cap.*10. licet postea in selectis *disp.*44.*num.*50. à priori sententia recesserit. Et probatur primò; quia eadem est proportionabiliter obligatio Iudicis ad iudicandum & suo officio vtendum, atque cuiuslibet hominis priuati, ad agendum in moralibus & pertinentibus ad conscientiam: neque enim hæc hominis generalis obligatio minuitur in Iudice in ordine ad suum ministerium, quin potius augeri videtur; eò quòd huiusmodi ministerium altius est, & periculosius conscientiæ. Atqui probatum est quemcumque hominem in moralibus materiis obligari, ad conformandum se opinioni probabiliori relicta minus probabili, neque oppositum ei licere per se loquendo: ergo eadem est obligatio Iudicis ad iudicandum causas ciuiles, siue criminales. Secundò argumentor ad hominem: Diana namque *vbi supra*, fatetur cum suis authoribus, quod Iudex tenetur amplecti opinionem probabiliorem circa factum, quando circa illud variæ & inæqualis probabilitatis versantur opiniones, eò quòd alias Iudex exponit se periculo deuiandi à veritate facti: Sed etiam quando circa ius versantur variæ opiniones, nisi sequatur probabiliorem, exponit se periculo deuiandi à veritate iuris, ac proinde inferendi iniuriam alteri parti litiganti, quod non est minus, sed multò maius inconueniens: ergo pariter tenetur sequi opinionem probabiliorem circa ius, atque circa factum. Tertiò si Actor incipiens litem agit contra eum, qui bona fide possidet fundum super quo litigatur, & concluſa lite maneat ius in dubio vel sub opinione: tunc in conflictu variarum opinionum tenetur Iudex in fauorem Actoris sequi opinionẽ probabiliorem, neq; cum minus probabili licitè poterit spoliare fundo possessorem, & illum adiudicare Actori, quia in dubiis meliorem esse conditionem possidentis commendant iura: ergo iam non in omni euentu integrum est Iudici sequi in ferendo sententiam, opinionem minus probabilem. Quartò probatur argumento ex Bañesio desumpto, quia scilicet à Iudice inferiori ferente sententiam contra Tertium, v.g. secundum opinionem minus probabilem, potest licitè Tertius appellare ad superiorem tenentem contrariam opinionem probabiliorem; eò quòd vtitur Iure suo, in propulsando iniuriam sibi illatam à Iudice inferiori, quippe qui tenebatur iudicare iuxta probabiliorem opinionem contra suam propriam: alioquin iniqua & iniuriosa esset talis appellatio: ergo.

Quid si †Iudex sit Arbitrarius, & non Ordinarius? Respondet Diana *vbi supra*, hunc non 3
secundum aliorum opinionem quantumuis probabiliorem, quod licitum est Ordinario, sed secundum propriam etsi minus probabilem, debere ferre sententiã; quia partes cõpromiserunt in eius proprium iudicium. Sed tẽperanda est hæc responsio. Nam vel est electus in arbitrum iuris: vel in arbitrũ facti & amicabilem sequestrum & mediatorẽ. Si primo modo, tenetur sicut & ordinarius Iudex ferre sententiam iuxta opinionem magis iuri ac legibus conformiorem: Si secundo modo, potest iuxta proprium iudicium & opinionem ferre sententiam; sed neque ad id tenetur adeò strictè, quin possit aliorum Iurisprudentum consilio & iudicio conformari, aut proprium iudicium deponendo, aut illud postponendo. Sed non inficior, quod si suo iudicio etiam minus probabili conformetur in ferendo sententiam, non peccabit, neque partes litigantes poterunt ab eius sententia sic lata appellare ex *cap. à Iudicibus* 2. *q.*6. vbi decernitur, quod à Iudicibus quos communis consensus elegerit non liceat prouocare, vt docet D. Thomas 2.2.*q.*69. *art.*3. *ad* 2. eo quod voluntariè litigantes sic in talem arbitrum compromiserunt: scienti autem & volenti non fuit iniuria. Vnde merito ait D. Thomas ibi, quod ideo rationabiliter denegatur subsidium appellationis à Iudicibus arbitrariis, qui non habent potestatem, nisi ex consensu litigantium: & *q.*67. *art.*1. *ad* 2. dixerat, quod necesse est arbitrium pœna vallari: quia Iudices Arbitri non sunt superiores, neque habent de se plenam potestatem; ne scilicet vtraque pars, aut altera etiam sine appellatione retroducat, & iudicium eludat.

Vltimò probatur † soluendo fundamenta 4
contrariæ sententiæ. Ad primum namque neganda est minor, ad cuius probationem patet ex dictis. Ad secundum admisso antecedente in eo casu particulari, neganda est consequentia. Cuius rationem discriminis assignat idem D. Thomas *q. nuper citata art.*2. *ad* 4. scilicet quòd homo in his quæ pertinent ad propriam personam, debet informare conscientiam suam ex propria scientia, & ideo ei nunquam licitum est agere in huiusmodi contra suam conscientiam. Sed in his quæ ad publicam potestatem pertinent, debet informare conscientiam suam secundum ea quæ in publico iudicio scire possunt; id est per scientiam publi-

cam ex legibus & inſtrumentis iuridicis habitam: dum autem contra ius litigantium ſunt variæ opiniones, illa quæ eſt communior & probabilior cenſetur publica ſcientia, per quam proinde debet Iudex informari. Ad tertium vt reſpondeamus, ſupponendum eſt opinionem probabiliorem, quandoque eſſe tutiorem, quandoque æquè tutam cum altera minus probabili, & quandoque minus tutam, quia ex praxi illius ſequitur aliquod periculum conſcientiæ, quod non ſequitur ex praxi alterius contrariæ. V. gr. dubitatur in vtroque foro; an Petrus ex tali vel tali delicto contraxerit irregularitatem? aut vtrum validè contraxerit matrimonium cum Maria? aut vtrum matrimonium quod inualidè contraxerit cum illa ob occultum impedimentum, ſit iterandum coram parocho & teſtibus, vel ſecretò inter ſe mutuos conſenſus renouando? Quia pro vtraque parte ſunt probabiles opiniones. Supponamus quoque diſputationis gratia, probabiliorem & magis fundatam opinionem eſſe eorum qui tenent partem minus tutam, v. gr. quod Petrus in dicto euentu non incurrerit irregularitatem, aut quod validè contraxerit cum Maria, aut quod matrimonium cum illa inualidè contractum ſufficienter reualidatur, renouando ſecretò ſuos conſenſus ſine alia ſolemnitate ſuperaddita ad primam, cum qua initio in facie Eccleſiæ contraxerunt. Quas opiniones eſſe minus tutas, quàm oppoſitas, patet, quia ex earum praxi ſequitur haud paruum periculum; nimirum in primo caſu, quod Petrus exequatur officia ordinum à quibus fortè eſt impeditus, & quod percipiat fructus beneficij non ſuos. In ſecundo quod ille accedat ad non ſuam, & ſit cum illa in perpetuo concubinatu: & ſimiliter in tertio. Quæ pericula vitantur per contrarias opiniones, neque aliud nouum inſurgit, videlicet quia tutius eſt Petrum in eo euentu declarari irregularem, & de dubia irregularitate ſiue probabili obtinere diſpenſationem. Similiter tutius eſt in vtroque foro matrimonium illud haberi pro inualido, illúdque cum noua Concilij Tridentini ſolemnitate iterari.

Suppono tandem quod quando opinio probabilior ſimul eſt tutior, aut æquè tuta, quod regulariter contingere ſolet, quemadmodum & communem eſſe probabiliorem, vt in notis opinionis probabilioris oſtendimus: tunc proculdubio eſt eligenda à Iudice, qui & ſecundum illam tenetur ferre ſententiam. Quando autem minus probabilis eſt tutior, non quia ſit communius recepta, hoc enim nunquam aut rarò contingit, quia vna ex notis probabilioris eſt, quod ſit communis inter Doctores; ſed quia ex illius praxi minus aut nihil periculi immineat, vt patet in exemplis adductis; Tunc ad formam argumenti reſpondeo dupliciter: aut admittendo antecedens, quia cum ſequi id quod tutius eſt in dubiis ſiue in probabilibus, ſit conſilij, & non præcepti, vt notat Antoninus *vbi ſuprà* relatus, intellige quando ex electione partis minus tutæ non imminet proximum periculum peccati: alioquin non ſolius conſilij, ſed etiam præcepti erit eligere partem tutiorem, ſicut & periculum proximum peccati vitare; poterit Iudex ferre ſententiam cum opinione tutiori, licet minus probabili inter Doctores: quia quod habet minus probabilitatis, compenſatur per id quod habet maioris ſecuritatis, ex quo tunc minus probalis præponderat probabiliori opinioni; ſed non tenebitur illam eligere, & iſtam relinquere. Aut negando antecedens: nam vt ſæpius diximus, etſi in dubiis tutior pars ſit eligenda, verùm in opinionibus, probabilior, communior, & magis fundata eſt præferenda. Quod ſi hoc verum tenet in materia Sacramentorum grauiſſima inter morales, cur in materia iudicij forenſis minus graui non tenebit? ergo in priori exemplo ſcilicet criminis Petri delati ad forum externum, in quo opinio aut minus probabilis, aut etiam probabilior ſentiat illum irregularitatem incurriſſe, Iudex non debet declarare irregularem, ſed potius ab illa immunem; quia in dubiis negotiis criminalibus mitior pars eſt eligenda. Mitior autem eſt in eo euentu Petrum ab inſtantia irregularitatis abſoluere, & ei pro delicto aut minori cautela aliquam arbitrariam pœnam imponere, licet in foro interno tutior pars eligenda ſit, & ei conſulenda, videlicet vt ſe habeat pro irregulari quouſque in dubio diſpenſationem obtineat. In dubio inquam; nam in conflictu opinionum, ſi probabilior & magis fundata teneat in eo euentu nullam incurri irregularitatem, hoc ipſum ſentiat Iudex in iudicando, & Confeſſarius ac vir doctus in conſulendo. Neque tunc Petrus manet commiſſus alicui periculo, ſcilicet exercendi ordinis ſacrilegè, aut non faciendi fructus beneficij ſuos. Ab vtroque enim, etiam admiſſo quod talis opinio in re ſit falſa, coram Deo & hominibus liberatur per bonam fidem, & Eccleſiæ ſupplementum ob communem errorem facti, qui ſeruatis duabus conditionibus prænotatis, habetur pro veritate. Idem dicito in aliis duobus exemplis ſcilicet de matrimonio dubio, & inualido.

Ad quartum admiſſo antecedente nego conſequentiam: † dupliciter namque poteſt ille qui motus ex principis extrinſecis iudicat ſecundum vnam opinionem, moueri ad iudicium formandum ſecundum alteram. V. g. iudicabat Titius ex principiis intrinſecis rei hunc eſſe indignum beneficio, vel incurriſſe irregularitatem, & ex principiis extrinſecis, hoc eſt ex Doctoris aut amici teſtimonio vel conſilio format iudicium oppoſitum, videlicet quod iſte eſt dignus, ſiue quod non manſit irregularis ex tali aut tali armorum contentione; hoc inquam iudicium ſecundum dupliciter poteſt formare, ſcilicet vel retinendo primum tanquam probabilius & rationi ſiue legibus conformius: vel deponendo omnino primum, aut exiſtimando illud eſſe minus probabile, ſeu vt minus rationi, principiis Theologiæ aut iuris minus conformius. Et quidem priori modo Titius neque poteſt nec debet moueri ad agendum per ſecundum iudicium, ſtante primo in ſuo robore: bene autem poſteriori modo, quia tunc iam illud ſecundum iudicium motum ex principiis extrinſecis, non manet in ſenſu compoſito minus probabili, ſed magis comparatum ad primum, ac proinde nunquam verificatur intentum Aduerſariorum, ſcilicet quod minus probabilis opinio poſſit eligi à priuata perſona in agendo, vel à Iudice in ferendo ſententiam in conſpectu probabilioris. Vnde illa diſtinctio ad forum cui

5

ille

ille minus innititur nullius est momenti, nullius efficaciæ ad propositum.

CASVS VII.

De Medico, vtrum scilicet liceat ei in curando ægrotum vti opinione nedum æquè probabili & tuta, sed etiam minus tuta & minus probabili: dummodo probabilis sit?

SVMMARIVM.

1 *Referuntur Authores affirmatiuam sententiam defendentes.*
2 *Verior est sententia negans, pro cuius declaratione sciendum multipliciter euenire casum ægroti, & Medici illum curantis.*
3 *Nunquam licitum est Medico applicare infirmo medicamenta dubia, de quorum proficuitate nihil habet probabilitatis.*
4 *Neque in casu morbi lethalis applicanda sunt media incerta.*
5 *Respondetur obiectioni, præcludi scilicet hâc ratione Medicis officium experiendi medicamenta dubia & incerta.*
6 *Quando inter Medicos sunt contrariæ opiniones probabiles circa medicinam, ad libitum potest Medicus alterutra vti.*
7 *In nullo euentu licet vti medicamentis, de quorum conuenientia & salubritate versantur opiniones probabiles, si adsit certum & per experientiam probabile.*

1 AFfirmatiuè † respondet Sylvester V. *medicus. 5. quæst. 4.* Angelus *eodem verbo num. 20.* & Azorius *in d. cap. 17. quæst. 11.* cum aliis eiusdem sententiæ sectatoribus: eâ sæpius repetitâ ratione, quia quod ex probabili ratione & causa fit, imprudentia & temeritate vacat. Ergo Medicus adhibendo ægroto medicinam, quam probabiliter iudicat salutarem, ex propria aut etiam aliorum opinione, etiam si nec tutior nec probabilior sit, dummodo sit probabilis, non
2 peccat. Sed † verior est sententia negans & nostris præiactis fundamentis conformior. Pro cuius declaratione sciendum est, quod iste casus hominis morbo laborantis & Medici curantis illum, potest multipliciter euenire. Nam vel aliquod est medicamentum certum, scilicet de quo certo constat apud omnes artis medicæ peritos, illud esse pro tali morbo curando salubre: vel est etiam aliquod medicamentum dubium & incertum, de quo scilicet nihil habetur probabilitatis aut experientiæ, quod sit nociuum, aut proficuum. Vel etiam est aliquod medicamentum de quo inter Medicos opiniones probabiles versantur, aliis existimantibus illud esse nociuum, ac proinde huic ægroto nociturum: & aliis probabiliter quoque existimantibus illud esse salubre, ac proinde hîc & nunc tali infirmo applicatum fore profecturum. Rursus aut infirmus laborat lethali morbo, ex vi cuius secundum naturales causas prudenter iudicatur moriturus: aut mitiori morbo laborat.

3 Igitur † dico primò; nunquam licitum est Medico in primo & secundo euentu applicare infirmo medicamenta dubia aut incerta, de quorum proficuitate nihil habet probabilitatis. Cuius euidens ratio desumitur ex illis duabus regulis iuris sæpius repetitis, videlicet quod in dubiis tutior pars est eligenda, & quod certum est tenendum, & incertum dimittendum: quæ vbi periculum imminet saluti animæ, vt in moralibus materiis & Sacramentorum; aut saluti corporis, vt in hac materia de qua agimus, non sunt consilij tantùm, sed etiam præcepti, eò quòd Medicus applicando dubium ac omnino incertum medicamentum infirmo, committit se periculo manifesto nocendi illi. Quid si infirmus lethali morbo laboret? Dico Secundò, † adhuc in eo euentu, 4
non potest Medicus licitè ei applicare medicamentum omnino dubium aut incertum ob eandem rationem. Sed obiicit Azorius: tunc cessat periculum nocendi infirmo. Nam si moriatur, non contingit eius mors tunc ex medicamento, sed ex vi ægritudinis, quæ cum lethalis sit, infallibiliter est causa mortis illatiua. Sed contra hoc est, quod etsi medicamentum illud aliàs nociuum non sit simpliciter causa mortis, verumtamen est causa celerioris & anticipatæ mortis: nec minus se exponit periculo nocendi infirmo Medicus, qui præbet medicamentum vi cuius moriatur, quàm si præbeat medicamentum vi cuius citius moriatur. Vnde non minus esset homicida casualis qui secundum, quàm qui primum medicamentum infirmo morituro præberet, sequuta morte. Sicut esset homicida voluntarius, qui sciens & prudens præberet infirmo in eo euentu medicamentum, de quo certò sciret, quod ei simpliciter aut citius mortem esset illaturum: & in vtroque casu Medicus incurreret irregularitatem, cum hoc discrimine, quod irregularitas contracta in primo casu de applicatione medicamenti incerti ac dubij, esset ab Episcopo dispensabilis ex *c. 6. Concilij Tridentini sess. 24.* Secus verò contracta in posteriori. Dices: ergo † præcluditur ostium 5
Medicis experiendi medicamenta dubia & incerta, quod est inconueniens; eo quod experientia est mater bonæ medicinæ. Durum quoque videtur damnare plures Medicos timoratæ conscientiæ, qui pauperibus Hospitalium moribundis, talia medicamenta adhibent, vt inde experientiam sumant, qualiter & quando eis circa alios infirmos vti debeant? Respondeo negando consequentiam; facultatem enim experiendi talia medicamenta eis damus, postquam per studium aliquid probabilitatis inuenerint de talium medicamentorum proficua virtute: alioquin ea cum omnimoda incertitudine ac dubietate applicare infirmo quantumuis morituro, nociua est experientia, quæ infirmum exponit manifesto periculo citius moriendi, & Medicum à culpa & pœna homicidij casualis in foro conscientiæ non excusat.

Dico Tertiò, in tertio euentu quando scilicèt † inter Medicos sunt contrariæ opiniones pro- 6
babiles, alia affirmans hoc medicamentum esse salubre pro curanda pleuritide v. g. & alia dicens illud esse crudele & nociuum: si ambæ sint æquè probabiles plus minúsve, & in praxi æquè receptæ, alterutra ad libitum poterit Medicus vti, quia tunc non cogitur magis ad vnam, quàm ad alteram partem: secus verò si notoriè & iu-

dicio

dicio Medici, vna est tutior & probabilior, quàm alia, (in hac enim materia medicinæ corporalis vix aut nunquam separatur opinio tutior à probabiliori) nam tunc tenetur in curando talem morbum se conformare probabiliori & tutiori, relicta altera minus tuta, ac minus probabili, etiamsi sit propria ipsius: eo quod aliter agens, discrimini se & infirmum committit; neque ab imprudentiæ & temeritatis vitio excusatur. Dico vltimò: † in nullo euentu, si adsit 7 medicamentum certum, de quo scilicet certò constet in praxi ac per experientiam, esse salubre pro tali morbo curando, licitum est Medico illud relinquere, & vti medicamentis, de quorum conuenientia & salubritate versantur opiniones probabiles. Huius ratio est regula assignata præscribens teneri certum, & dimitti incertum: probabilia autem medicamenta incerta sunt: ergo sunt à Medico dimittenda, & eligendum est certum, quod neque in dubio, neque in opinione versatur.

CASVS VIII.

De illo qui rationabiliter dubitat an votum vel iuramentum emiserit, aut promissionem alteri fecerit, vel contractum cum altero inierit; debeatne tanquam tutiorem partem existimare se votum siue iuramentum emisisse, promissionem fecisse, aut contractum iniisse?

SVMMARIVM.

1 *Authores affirmatiuam sententiam tuentes, inter se discriminantur.*
2 *Sanctius mediam viam sequutus sub distinctione respondet.*
3 *Referuntur Authores pro absolutè negatiua sententia, quæ tanquam verior est tenenda, & pro conclusione statuitur.*
4 *Pro cuius probatione prænotatur, dubitantem in casu adducto posse vno ex tribus modis, qui referuntur, se habere.*
5 *Sententia negatiua, simpliciter dicens dubitantem ad nihil teneri, quadruplici argumento persuadetur.*

1 RESpondent † affirmatiuè Azorius *vbi supra cap.* 19. *quæst.* 10. Fillucius *tom.* 2. *quæstionum moral. tractatu* 22. *cap.* 4. Rebellius *de obligatione iustitiæ part.* 2. *lib.* 1. *quæst.* 2. *sectione* 2. Sed cum hoc discrimine, quod Azorius ait, hunc hominem etiam cum æquali dubio in vtramque partem teneri seruare votum, Iuramentum, promissionem, siue contractum; cæteri verò solùm quando animus magis in affirmantem partem propendeat. Quorum ratio est, quia in huiusmodi dubiis locum habet regula illa Iuris, dicens tutiorem partem esse eligendam; & non illa, melior est conditio possidentis, quæ tantùm habet locum in materia iustitiæ pari & ambigua. Atqui in nostro casu tutius est, vt quis in dubio putet se vouisse, iurasse, promisisse, & in contractu consensisse: ergo hanc partem debet eligere in foro conscientiæ. Mediam † viam sequutus Sanctius 2
tom. 1. *de matrimonio lib.* 2. *disp.* 41. *num.* 34. respondet sub hac distinctione. Si iste manet cum æquali dubio, ad nihil tenetur: si autem magis in partem affirmantem propendeat, teneri implere secundum partem diuidendo rem promissam, &c. quod probat exemplo illius, qui possidens rem, quam dubitat esse alienam, magis in hanc partem propendens, tenetur pro qualitate dubij rem diuidere: eò quòd maior Iudicis determinatio etiam cum formidine, sufficienter compensat excessum possessionis quam habet.

Sed absolutè † negatiuè respondent Sotus 3
lib. 7. *de iustitia, quæst.* 3. *art.* 2. Medina *in summa lib.* 1. *cap.* 17. §. 7. Salas 12. *quæst.* 21. *tractatu* 4. *disp. vnica, sectione* 25. Bonacina *tractatu de legibus disput.* 2. *part.* 4. *puncto* 2. & Sanctius *in decalogo tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 10. corrigens priorem sententiam, dicentes sic dubitantem quantumcumque in partem affirmantem propendeat, ad nihil teneri. Quæ proculdubio sententia est tenenda & à nobis statuitur pro conclusione, aduersus præfatos Authores, & eorum resolutiones. Neque minus displicet resolutio Dianæ *1 part. tractatu* 15. *resolutione* 9. qui videns se tot sententiis implicatum, inquit omnes esse probabiles, & tuta conscientia posse sequi; quo magis relinquit in circulo opinionum animum addiscentis inuolutum quàm edoctum, hiisque & similibus de eius more resolutionibus libertatem conscientiæ fidelibus tribuit. Nostra igitur sententia & resolutio est simpliciter negatiua. Probatur, prænotando † dubitantem in casu 4
adducto posse vno ex tribus modis se habere. Aut enim manet cum æquali dubio in vtramque partem: aut dubitando magis in vnam scilicet affirmantem, quàm in alteram propendet: aut opinatur partem affirmantem. Igitur si primo modo se habeat, certum & indubitatum est quod ad nihil tenetur, sicut etiam certum apud omnes præfatos Authores est, quod si vltimo modo se habeat, in integrum tenetur ad voti, Iuramenti, promissionis, siue contractus impletionem, neque in aliquo istorum est vllum dissidium nisi tantùm in secundo euentu, hoc est si dubitans habeat se secundo modo, quando scilicet neutri parti determinatè assensum præbet vt in tertio euentu, neque æqualiter in vtramque pendulus manet, sed magis in vnam propendet. In quo diuiduntur Doctores citati in varias sententias: è quibus ego sequor negatiuam, † simpliciter dicentium huiusmodi 5
dubitantem ad nihil teneri, & eam mihi persuadeo. Primò ex dicta regula iuris, *In dubiis melior est conditio possidentis:* quæ licet ex primaria institutione locum habeat in materia iustitiæ, alioquin tamen ex consequenti, & per quandam accomodationem ad alias materias extendi solet, & maximè ad hanc in qua dubitans de voto, iuramento, promissione, aut contractu à se emisso, vel inito, est possessor suæ libertatis: ergo non est tali obligationi subiiciendus. Secundò quia istiusmodi actus vouendi, iurandi, & promittendi, siue in contractu consentiendi, sunt quædam leges particulares, quas homo sibi propria voluntate constituit, & quibus vult obligari: quæ proinde suapte natura petunt, vt qui eas constituunt earum sint conscij iudicio certo aut saltem assensu probabili, qui sit moraliter

liter certus: ergo neque inscium neque dubitantem possunt aut debent obligare. Tertiò arguitur ad hominem contra Azorium. Nam si hîc solùm haberet locum illa regula, quod in dubiis tutior pars est eligenda, & tutius sit hunc dubitantem, votum, iuramentum, siue promissionem adimplere; quemadmodum si Petrus dubitaret, homicidiúmne aut aliud crimen commiserit affectum excommunicatione, suspensione, vel irregularitate à iure constituta, debet tutiorem partem sequutus se à diuinis officiis abstinere, quousque absolutionem vel dispensationem obtineat à Superiori? Nedum quando dubitans in partem affirmantem magis propendet, verùm etiam quando in vtramque æquali lance propendet, teneretur vt partem tutiorem voti, iuramenti seu promissionis obligationem amplecti: sicut in exemplo adducto ab ipso Azorio de Petro dubitante, an tale crimen pœna iuris affectum commiserit: etiam cum æquali dubio, partem affirmatiuam vt tutiorem debet amplecti, quandiu dubium non deponit. Consequens autem in nostro casu negat Azorius ipse: ergo & illud ex quo sequitur tenetur negare.

Quartò probatur: nam licet probabilis sit sententia asserens dubitantem possessorem rei, quando in partem affirmantem scilicet quod res illa sit aliena, magis propendet, teneri pro æqualitate dubij rem diuidere; quam tenent Bañesius 22. *quæst.* 62. *in præambulo dub. vltimo.* Salon ibi. *quæst.* 62. *art.* 6. *controuersia* 4. Ledesma *de matrimonio quæst.* 45 1. *art.* 1. *ad* 3. *primæ sententiæ*, Sanctius *tom.* 1. *de matrimonio lib.* 2. *disp.* 41. & Sairus *in Claui Regia lib.* 10. *tractatu* 2. *cap.* 3. Verumtamen probabilior mihi est opposita, dicens etiam in hoc euentu ad nihil teneri. Quam defendunt Vazquius *tom.* 1. *in* 1. 2. *disp.* 66. *c.* 7. Salas *ibidem qu.* 21. *tractatu* 8. *disput. vnica, sectione* 23. & idem Sanctius *in summa tom.* 1. *lib.* 1. *cap.* 10. retractans priorem: quibus subscribit Diana *vbi supra, resolutione* 10. cui magis assentior propter duo. Tum quia quandiu iste possessor dubitans, assensum non præbet alteri parti, dubius manet: ergo ad nihil tenetur: alioquin in dubiis non esset melior conditio possidentis. Tum etiam quia in huiusmodi dubitante non est maior iudicij determinatio, quæ compenset excessum possessionis quam habet, quia supponimus illum nec iudicium, neque assensum determinatè circa vnam partem habere: ergo qua ratione iste non tenetur rem possessam diuidere: eadem nec ille tenetur votum, aut promissionem secundum partem adimplere. Imo & maiori: quia multoties res voto aut iuramento promissa est omnino indiuisibilis, vt si quis voueat Ecclesiam aliquam visitare, aut castitatem seruare, aut religionem intrare, &c. Sed adhuc ea priori sententia admissa, in nostro casu locum non haberet: quoniam alia longè ratio militat, quando dubitatio non cadit supra rem certò possessam, de qua dubito an sit aliena: sed supra meam voluntatem liberam, de qua dubito an vouerit, an iurauerit, vel an contractui consenserit? quandiu enim hæc certò non constent, non ligant, quia standum est pro integritate libertatis, quam non debet ligare actus incertus siue dubius, cum certam oporteat esse legem ab ipsa procedentem.

CASVS IX.

De Executore sententiæ iniustæ, cui constat de ipsius sententiæ iniustitia.

SVMMARIVM.

1 *Pro declaratione huius casus supponuntur & referuntur quinque modi, quibus contingit sententiam aliquam esse iniustam.*

2 *Sententia iniusta si contingat primo modo, executor nec debet nec valet censuram latam denunciare: secus si secundo modo & Superior id ei præcipiat.*

3 *Executor quando scit sententiam esse iniustam per defectum substantialem, non potest illam exequi iuxta communiorem opinionem Doctorum.*

4 *Sententia iniusta si contingit per defectum accidentalem, & alias executor scit eam esse validam iustitia commutatiua, &c. tunc potest ac debet illam regulariter loquendo exequi ad mandatum Superioris.*

5 *Respondetur duabus obiectionibus circa hoc intentum adductis.*

DVBIVM casus est desumptus ex responso Innocentij III. *in cap. Pastoralis. §. quia vero, de officio Iudicis delegati*, de quo agit Suarius *tom.* 5. *de censuris disput.* 3. *sectione* 15. resoluens amplissimam quæstionem, quam de executore cuiuscumque sententiæ iniustæ, cui constat de ipsius sententiæ iniustitia, mouent Theologi 2. 2. *quæst.* 67. *articulo* 2. & Iuris Canonici professores cum Panormitano in dicto §. *Quia verò*, & *cap. Ad aures de tempor. ordinand.* & *in cap. Plerique de immunitat. Ecclesiast.* determinatè & restrictè in executore iniustæ sententiæ censuræ. Pro † cuius declaratione suppono, quinque modis posse talem sententiam esse iniustam. Aut enim simul est iniusta & nulla, de cuius nullitate constat executori: aut est valida sed iniusta in re, quia contra innocentem lata, probatum verò nocentem ex actis processus; vel est iniusta secundum acta processus ob defectum substantialem, cuius iniustitia facilè constare potest executori Ministri; vel tantùm est iniusta ob defectum accidentalem, nimirum quia non fuit in illa seruatus debitus modus siue ordo iuris, &c. Rursus aut huiusmodi iniusta sententia transiuit iam in rem iudicatam, quia non fuit appellata intra decendium: aut nondum transiuit, quia appellata fuit, siue quia decendium quod est tempus ad appellandum à Iure concessum, nondum est lapsum. Quo supposito & prænotato per singulos modos eodem ordine sic discurrendum est. 1

Si † sententia iniusta contingat primo modo, merus executor nec debet, nec valet censuram latam denuntiare: tum ratione sumpta ex *cap.* 2. *de crimine falsi*, vbi laudatur executor quod noluerit exequi sententiam latam virtute falsarum litterarum, eò quòd erat nulla, & ex Abbate & Glossa *cap. Ex litteris de officio delegato.* Tum etiam quia talis 2

denuntiatio eſſet falſa; nam per illam affirmatur quis excommunicatus, vel ſuſpenſus vel interdictus, qui re vera neque eſt excommunicatus, nec ſuſpenſus, nec interdictus : quod eſt mendacium graue, pernicioſum ac iniurioſum. Si autem contingat ſecundo modo, poteſt & tenetur executor cenſuram latam exequi ac denuntiare, ſi ſuperior id ei præcipiat (idémque dicito de quacumque ſimili ſententia in aliis Iudiciis lata.) Quæ aſſertio probatur : tum ex dicto §. *quia vero*, quod ſaltem hanc partem probat : tum etiam quia illud præceptum ſuperioris eſt iuſtum : igitur miniſter inferior tenetur obedire, ne detur bellum iuſtum ex vtraque parte, ſecluſa ignorantia, quæ hîc deficit, eò quòd vterque, ſcilicet Iudex ſuperior & eius miniſter informatur ſcientia proportionata, nimirum publica ſecundum allegata & probata, ac proinde nihil obſtat ſcientia priuata, &c. Tum denique quia quod poteſt Iudex in iudicando, poteſt eius miniſter in exequendo : ſed Iudex poteſt & tenetur iudicare ſecundum allegata & probata, etiam damnando eum quem cognoſcit ſcientia priuata eſſe innocentem, vt tenet communis Theologorum opinio cum D. Thoma 22. *in dicto art. 2. quæſt. 67.* & Iuriſtarum cum Gloſſa in dicto *cap. Paſtoralis*, etiam in ſententiis criminalibus, quæ ſæpe ingerunt damnum irreparabile, quantò magis in ſententia cenſuræ cuius damnum de facili reparari valet : ergo & Miniſter poteſt ac debet talem ſententiam exequi denuntiando excommunicatum vel ſuſpenſum, &c. Et idem dicendum puta, quando in ſimili caſu Miniſter ignorat vel dubitat probabiliter, an talis ſententia quæ in re eſt iniuſta, ſit iuſta ſecundum allegata & probata; eò quòd licet tunc debeat recurrere ad ſuperiorem ſi poſſit, vt excuſetur à tali executione, *ex cap. ſi quando de præſumptionibus* ibi : *quia patienter ſuſtinebimus ſi non feceris, quod praua nobis fuerit inſinuatione ſuggeſtum.* Secus autem ſi ei non ſit facilis recurſus ad Superiorem, vel non admittatur eius excuſatio, & inſtet ſuperioris mandatum, ex dicto §. *quia vero*, ibi : *Etſi ſciat ſententiam illam iniuſtam, exequi nihilominus tenetur eandem, niſi apud eum efficere poſſit vt ab hoc onere eum abſoluat.* Si ergo tenetur illam exequi quando ſcit eſſe iniuſtam ſcientia priuata, in omni euentu, tenebitur etiam ſi ignoret vel dubitet de eius iuſtitia ſecundum allegata & probata : eo vel maximè, quod mandatum ſuperioris in dubiis ſemper præſumitur iuſtum, ac proinde eſt illi obediendum : neque eius cognitio aut examinatio pertinet ad executorem, ex dicto §. *quia vero*, & ex *lege ab executione, Cod. quorum appellat. non recip.*

3 Deinde ſi ſententia iniuſta contingat tertio modo, nimirum quando † executor ſcit ſententiam eſſe iniuſtam per defectum ſubſtantialem, vt quia condemnatur qui per acta proceſſus non eſt conuictus, vel quia appellatio legitimè interpoſita non fuit illi admiſſa, tunc non poteſt illam exequi iuxta communiorem opinionem Doctorum, in dicto §. *quia vero* : eò quòd tunc deeſt tota ratio parendi Iudici præcipienti executionem ſententiæ, vtpote quia nec cognoſcitur, nec præſumitur eſſe iuſta ſecundum allegata & probata : & quia executio talis ſententiæ eſt intrinſecè mala, ſiquidem eſt cooperari ad iniuſtitiam, imo ipſam iniuriam facere. Rurſus quia Miniſter in exequendo gerit ſe vt perſona publica, quæ maximè inſtrui debet ſcientia publica ex actis proceſſus ſumenda : ex quibus tunc nullum veſtigium datur præſumptionis, nedum certæ notitiæ. Nec obſtat quod in excommunicationis ſententia denunciatio non eſt executio, ſed ſupponit illam : quia eſt conditio & applicatio neceſſaria cauſæ inferentis iniuſtum nocumentum : hoc autem in moralibus eſt idem atque inferre ipſum nocumentum. Et licet non plus liget denunciatum quantum ad ipſum, ligat tamen amplius quantum ad alios, qui tenentur illum vitare poſt denunciationem, & non antea per extrauagantem *ad euitanda* : & inſuper addit nouam infamiam publicam, &c. Confirmatur ex caſu ſimili *in cap. inquiſitionis de ſententia excommun.* vbi coniux certò ſciens matrimonium fuiſſe nullum, dicitur quod non debet conſentire conſorti in acceſſu carnali, etiam ex mandato ſuperioris ſub excommunicatione, quia talis acceſſus eſt intrinſecè malus vtpote fornicarius : & exemplo militum, qui vocati ad bellum quod ſciunt eſſe iniuſtum, non poſſunt licitè obedire Principi eos cogenti, iuxta communem ſententiam Theologorum 22. *q.* 40. deſumptam ex Parente Auguſtino *lib. 22. contra Fauſtum cap.* 74. *&* 75. relato in decretis *cap. quod culpatur* 23. *quæſt. 1.* decernente licere ſub Rege ſacrilego militare ſi quid iubetur, aut non eſſe contra Dei præceptum certum eſt, aut vtrum ſit, certum non eſt : eodem autem modo comparatur Princeps indicens bellum ad milites vocatos, atque Iudex particularis ferens ſententiam, ad executorem. Similiſque ratio procedit in criminali Iudicio, in quo lictor cui conſtat ſententiam mortis in alium eſſe iniuſtam in foro externo, non poteſt licitè eam exequi. Nec oportet quod ſententia ipſa expreſsè contineat vel manifeſtet iniuſtitiam, aut quod contineat intolerabilem errorem; eò quòd dum ipſa ſententia ſecundum ius eſt iniuſta, de cuius iniuſtitia conſtat executori, nequit ei conferre publicam ſcientiam, ſufficientem ad formandum rectum dictamen ſcientiæ, nimirum hoc; mihi licet hanc ſententiam exequi, vel ſecundum eam operari. Tum etiam quando ſententia in re eſt nulla, ſufficit quæuis notitia in executore, vt illam exequi non poſſit : ergo etiam quando eſt iniuſta ſecundum ius, quia huiuſmodi iniuſtitia æquipollet nullitati, &c. Tum denique quia aliàs excuſarentur à culpa Carnifices Martyrum & Crucifixores Chriſti, quoniam poſſent dicere ſe operari vt perſonas publicas, ex publica ſcientia per ſententiam ſuperioris comparata.

Denique ſi † ſententia iniuſta contingat vltimo modo, nimirum per defectum accidentalem, vel tantùm contra iuſtitiam legalem, & aliàs executor ſcit illam eſſe validam & iuſtam iuſtitia commutatiua, & ſecundum acta proceſſus : tunc poteſt ac debet regulariter loquendo illam exequi ad mandatum Superioris. Cuius ratio eſt, quia tunc denuntians talem ſententiam verum dicit : & aliàs nec iniuriam infert, nec iniuſtitiæ cooperatur, quoniam tantùm denuntiat id quod factum eſt, & non modum quo factum eſt. Vnde huiuſmodi 4

executionem

executionem in censuris minus quid operari, constat ex dicto *cap. Pastoralis §. verum de appellationibus.* Sed obiicies Primò, quod Iudex principalis iniustè facit ferendo talem sententiam & denuntiando, vtpote quam potius reuocare tenetur, ad idque compelletur si ad superiorem recurratur: ergo pariter executor iniuriam facit illam exequendo. Obiicies secundò quod licet denuntiatio excommunicationis non inferat nouum vinculum, infert tamen nouum detrimentum, scilicet grauioris infamiæ: habétque plures effectus excommunicatio denuntiata quoad alios post dictam extrauagantem *ad euitanda.*

5 Verùm neutra obiectio obstat. Ad † primam enim respondetur, vel negando antecedens saltem in censuris, quæ secum afferunt sui executionem: vel admisso antecedenti negando consequentiam, in executore ad quem non spectat alium iuris ordinem seruare, nec causam discutere, nec appellationem vel exceptionem admittere, nisi simpliciter exequi superioris mandatum. Et hæc est mens dicti §. *quia vero, & legis, ab executione,* præallegatæ: Cuius dispositio maximè habet verum, quando ob defectum appellationis legitimè interpositæ, vel non prosequutæ, sententia transiuit in rem iudicatam; nam tunc merito disponunt iura, vt licet iniusta fuerit, executioni mandetur, ne lites in infinitum protendantur. Sicque intelligit Panormitanus responsum Pontificis in dicto *cap. Pastoralis. §. verum de appellat.* nimirum vt non obstante appellatione à sententia, censura denuntiari possit. Dixi regulariter loquendo: nam aliquando licet raro potest oppositum contingere, quod scilicet executor non debeat exequi sententiam iniustam ob defectum accidentalem: nimirum quando in exequendo illam, aut denuntiando, admiscetur noua iniustitia & notoria ipsi executori, sine alia causæ inquisitione, aut quæ ex actis processus de facili constare possit: Colligitúrque ex Glossa *in Clementina vnica, de foro competenti,* ibi: *nec iustam haberet causam parendi, vt quia notoriè sunt iniusti, &c.*

CASVS X.

De illis Doctoribus qui de facili audent in fauorem Principis arbitria consulere in detrimentum Ecclesiasticæ libertatis, quæ proculdubio est materia iustitiæ ac religionis: an sint audiendi nec ne?

SVMMARIVM.

6 *Referuntur duo, propter quæ dicti Doctores minimè sunt audiendi.*

7 *Iuxta regulam Iuris, in dubiis melior est conditio possidentis.*

6 Respondeo † minimè audiendos esse propter duo. Primò quia vt ex dictis, & amplius ex inferius dicendis constabit, opinio eorum Doctorum qui aut spe præmij temporalis degunt in Curia, aut ad voluntatem Principis iam manifestatam mouentur, aut officio inueniendi arbitria, quibus Thesaurus Regius augeatur, sine timore grauandi subditos, incumbunt; pro eo quod mercedem ac remunerationem expectant, imo super illa impetranda paciscuntur; nullam inducit probabilitatem in huiusmodi materia iustitiæ & religionis; vtpote quorum arbitrium & iudicium est venale, ex affectu temporalis mercedis procedens, quinimò in nulla materia concernente conscientiam Principis istos esse consulendos, maximè quando ille iam suum indicauit desiderium, aduertunt plures Doctores non infimæ notæ, vt Bobadilla *in sua politica lib. 2. cap. 18.* Marquez *in suo Gubernatore Christiano lib. 1. cap. 26.* & Villalobos *in summa tom. 1. tractatu 1. difficultate 2.* quibus fauent verba Vlpiani *lege 6. ff. de pœnis* ibi. *Magisque esse puniendos qui tandiu tacuerunt, quod pro salute Principis habere se dicere iactant: nec enim debent tam magnam rem tandiu retinere.* Est enim non leue crimen, quæ ad rem Principis spectant diu tacere. Fauent quoque verba Augustini relata Canone *quisquis 11. q. 3. quisquis metu cuiuslibet potestatis veritatem occultat, iram Dei super se prouocat.*

Secundò, † quia in dubiis melior est con- 7
ditio possidentis, vt tenet regula Iuris sæpius repetita: igitur cum Clerus & Ecclesia de facto pacificè possideat suam libertatem, exemptionem & immunitatem, nulla opinio potest esse sufficienter probabilis ad effectum illum collectandi, & onerosis exactionibus subiiciendi, sine præuia licentia Summi Pontificis: aut saltem si non sit facilis recursus ad illum, & vrgeat necessitas, & immineat periculum ex mora, sine assensu Cleri & Episcopi, dum tempus consulendi Summum Pontificem expectatur: quæ sunt conditiones à Iure canonico requisitæ, eò quòd nemo nixus soli opinioni probabili, potest alterum libertate seu bonis quæ possidet expoliare propria authoritate, nisi per Iudicem & superiorem ad cuius officium talis executio expectat; vt tenet communis sententia Doctorum *in leg. 1. §. inde quæritur de noui operis nunciatione.* De qua videndi sunt Vasquius *opusc. de restitutione cap. 5. dub. 8. & c. 6. §. 3.* Thomas Sanchez *de statu religioso lib. 6. cap. 3.* Bonacina *tom. 2. de restitutione disp. 1. q. 1.* & Villalobos *in dicto tractat. 1. difficultate 17.*

CASVS XI.

De Rege siue Principe, qui cum dubitatione, aut probabili dumtaxat opinione sui iuris aduersus alterum bellum indicit?

SVMMARIVM.

1 *Referuntur quædam prænotata in Principe bellum aduersus alterum indicturo considerauda.*

2 *Princeps quando est certus de iure suo ad Regnum vel castrum quod alter possidet, potest ei iuste bellum indicere.*

3 *Bellum fit licitum & iustum cum tribus conditionibus.*

4 *Princeps indicens bellum, gerit munus Iudicis in supremo actu iustitiæ vindicatiuæ.*

5 *Re post sufficientem causæ examinationem manente sub dubio contra possidentem, neutiquam potest alter Princeps bellum mouere.*

6 *Impugnantur Authores statuentes personam priuatam & consequenter Principem, possidentem rem aliquam cum dubio inæquali &c. teneri rem diuidere pro qualitate dubij.*

7 *Contra Principem possidentem, non potest alter etiam opinione probabiliori ductus bellum mouere, aut illum possessione expoliare; poterit tamen petere, vt ius & causa vniuscuiusque examinetur.*

8 *Repetens regnum vel castrum quod est in sequestro vel deposito, cum opinione probabiliori, potest bello indicto aduersus impedientem illud armis sibi vendicare, si alia via non subsit.*

9 *Examinantur dicta quadam Neothericorum circa materiam de conscientia opinante; & Primum quidem de subdito habente opinionẽ probabilẽ se non teneri obedire superiori.*

10 *Examinatur casus de Principe habente opinionem probabilem de iure ad Regnum possessum ab altero, vtrum sequendo suam opinionem possit alterum armis à Regno deturbare?*

11 *Innitens opinioni probabili, quomodo debeat contra possidentem procedere?*

12 *Falsa est opinio Authorum asserentium Regnum vacans in eo casu esse diuidendum inter prætensores.*

13 *Deficit opinio Suarij asserentis licere vnicuique prætensori primo Regnum vel castrum occupare.*

14 *Impugnatur Castro Palao, asserens illum non posse statim regnum occupare pro quo prolata est sententia, sed teneri expectare sententiam diffinitiuam, si alter interponat appellationem.*

15 *Examinatur distinctio inter militem subditum & non subditum, circa probabilitatem sufficientem ad bellandum in bello siue aggressiuo, siue defensiuo.*

16 *Notatur doctrina Nauarri dicentis opinionem illam esse aliis præferendam, quæ, vel consuetudine est recepta, vel cessante illa, nititur textui, cui contraria opinio non potest exactè respondere.*

17 *Iudex in re dubia iudicaturus, vt immunis sit à peccato, tenetur antecedenter à se talem dubietatem remouere.*

18 *Reuelationibus priuatis non est credendum contra communes leges Diuinas aut Ecclesiasticas.*

19 *Referuntur tres tituli, quibus contingit pœnitentem in casibus reseruatis verè absolutum manere, & validum recipere Sacramentum.*

QVoniam primum intentione solet esse vltimum in executione, sic contigit nobis in præsentiarum, resolutionem huius casus quæ primò nostram ad hunc tractatum differendum mouit intentionem, esse quasi vltimam in exe-
1 cutione. Ad cuius exactam enodationem † prænotare oportet, quod Princeps bellum aduersus alterum indicturus, aut est dubius, aut omnino certus de iure ad prouinciam vel ciuitatem quam prætendit, aut habet assensum siue iudicium opinatiuum, quod sibi competat tale ius. Quæ opinio potest esse magis aut minus, aut æquè probabilis cum contraria. Rursus, aut alter Princeps contra quem bellum indicit, est in possessione talis prouinciæ siue ciuitatis, quam propterea recuperare intendit: aut sub nullius est potestate sed in sequestro, siue in deposito vel custodia alicuius tertij, quam propterea prætendit sibi fore adiudicandum. Quo supposito & prænotato vt separemus certa ab incertis;

Dico primò, quando † Princeps est certus 2
de iure suo ad Regnum vel castrum quod alter possidet, potest ei iustè bellum indicere. In hac conclusione omnes Doctores conueniunt, qui de hoc tractant argumento: de quorum numero sunt D. Thomas 22. *quæst.* 40. *art.* 1. Victoria *in relectione secunda per totam*, Bañesius *in commentario dicti articuli* 1. *dub.* 1. & 5. Sanctius *in suis practicis disputationibus*, *disp.* 44. *à n.* 58. Molina *tomo* 1. *de iustitia, tractatu* 2. *disp.* 103. Vasquius 12. *disp.* 64. *sectione* 3. Montesinos *disp.* 29. *quæst.* 5. Villalobos *in summa tom.* 2. *tractatu* 1. &c. Malderus 1.2. *quæst.* 19. *art.* 5. *dub.* 87. Lorca 22 *sectione* 3. *disp.* 53. & Diana 1. *part. tractatu* 13. *resolutione* 8. Et suadetur primò, † quia 3
bellum fit licitum & iustum cum tribus conditionibus, quæ sunt authoritas in Principe, cuius mandato bellum est gerendum; causa iusta, vt scilicet illi qui impugnantur, propter aliquam culpam impugnationem mereantur: nam teste D. Thoma *in allegato art.* 1. ex Parente Augustino *quæst.* 10. *super Iosue*, causa iusta bellandi est, aut vindicare quod ab alio improbè factum est, aut recuperare quod per iniuriam ablatum est; & recta intentio, qua scilicet bellum gerens intendat vel bonum promouere, vel malum vitare. Atqui omnes istæ conditiones concurrunt in bello, quod Princeps mouet contra alterum pro recuperanda prouincia, quam certò scit esse suam, aut pro vlciscendo iniuriam, quam certò scit se pati ab altero: ergo. Secundò; nam † Prin- 4
ceps indicens bellum, gerit munus Iudicis in supremo actu iustitiæ vindicatiuæ, cuiusmodi est bellum, quod æquipollet sententiæ in materia grauissima criminali, per quam homines mulctantur morte, seruitute & spoliatione bonorum; Sed Iudex quando est certus de iure vnius partis litigantis, potest ac debet rem etiam ab altera parte iniustè possessam seu detentam, ei per sententiam adiudicare, iniustúmque possessorem ea spoliare: ergo pariter Princeps certus de iure suo potest per bellum rem suam recuperare, & iniustum detentorem spoliare. Ad hanc autem certitudinem non sufficit quæuis credulitas: alioquin omne bellum esset iustum, quoniam facilè vnusquisque Princeps quando indicit bellum, sibi persuasum habet, & credit se habere iustam causam ad bellandum contra alterum: sed oportet quod post exhibitam sufficientem diligentiam, in inquirendo rationes pro vtraque parte, nimirum ad mouendum bellum ex vna, & ad se defendendum ex altera, ad quam præuiam diligentem inquisitionem faciendam tenetur Princeps bellum indicturus, vt scitè Victoria, & Bañesius *vb supra*, *dub.* 5. *conclusione* 1. adnotarunt;

notarunt; apud viros Doctos & Iurisconsultos pro certo & constanti iudicetur, talem Principem habere Ius ad Regnum, siue Castrum, pro quo recuperando vult disceptare: vel passum esse manifestam iniuriam quam vlcisci contendit.

5 Dico Secundò: Si † post præmissam sufficientem causæ examinationem adhuc res maneat sub dubio contra possidentem, neutiquam potest alter Princeps bellum mouere: siue dubium in vtramque partem sit æquale, siue in alteram magis propendens. Hæc conclusio pro prima parte vniformiter à præfatis Authoribus defenditur, & probatur à Victoria *in dicta relatione* 2. & à Bañesio *dub.* 5. *citato conclusione* 2. Primò ex duplici regula iuris *in* 6. scilicet 1.1. *cum iura partium sunt obscura, Reo potius est fauendum, quàm Actori.* In nostro autem casu possessor est reus: & 65. scilicet, *in pari delicto vel causa, & similiter in dubiis melior est conditio possidentis:* ergo quandiu pro vtraque parte iustitia belli manet sub æquali dubietate, existimandum est iustitiam stare ex parte possidentis. Secundò ratione ostensiua à priori, quoniam Princeps iudicens bellum exercet munus Iudicis, & bellum est actus iustitiæ vindicatiuæ, habens vicè sententiæ in materia criminali grauissima, quippe quo homines aggressi grauissimis pœnis, scilicet morte, seruitute, & amissione bonorum plectuntur. Atqui Iudex stante causa æqualiter dubia inter Actorem & Reum, non potest sine grandi iniustitiæ piaculo ferre sententiam contra reum, aut illum pœna graui damnare, vt dictum est *in resolutione secundi & sexti casus*: ergo in simili dubietatis euentu, neque Princeps potest bellum indicere. Tertiò ab inconuenienti, quod sequitur ex opposita sententia; nimirum quod daretur bellum iustum ex vtraque parte, per se loquendo, & secluſa ignorantia. Consequens autem esse falsum, & nullatenus admittendum, patet; quia cùm bellum sit actus iustitiæ vindicatiuæ, non potest non supponere culpam ex vna parte, cui infligitur pœna per bellum: sicut correctio fraterna culpam in proximo corrigendo, & applicatio medicinæ infirmitatem, & redemptio captiuitatem, supponit necessariò: ergo neque illud ex quo sequitur. Sequela verò probatur, quia si cum dubietate æquali vnius Princeps bellum aggressiuum iustè posset mouere aduersus possessorem, multò certius est, tunc istum qui possidet, iustè se posse defendere, vtpote cuius conditio in dubiis est melior: ergo.

6 Deinde pro secunda parte statuitur † aduersus Bañesium *in dicto dub.* 5. *conclusione* 4. Ledesmam, Sairum & alios citatos *in resolutione octaui casus*; qui cùm in ea sint sententia, quod persona priuata possidens rem aliquam cum dubio inæquali magis in eam partem propendente, quæ suadet illam esse alienam, tenetur rem diuidere pro qualitate dubij, consequenter dicere tenentur Principem possidentem Regnum vel Castrum cum dubio inæquali magis in fauorem alterius non possidentis, teneri ex iustitia illi refundere aliquam partem pro qualitate dubij; quod si refundere renuat, iam iniuriam irrogat alteri Principi, qui proinde ratione delicti potest iustè illi bellum indicere. Ex quo principio sumit Bañesius fundamentum hoc pro sua sententia, quod in eo euentu inæqualitatis dubij, iam non est par causa possidentis & non possidentis, quia maior illa propensio in fauorem non possidentis compensat excessum possessionis alterius: ergo tunc iam non est seruanda illa regula iuris, quod in dubiis melior est conditio possidentis: quod amplius confirmat ex eo, quod ita se habet magis ad magis, sicut simpliciter ad simpliciter. Atqui si illa dubietas pro parte possidentis attenuaretur vsque ad extinctionem omnis verosimilitudinis, teneretur rem possessam ex integro alteri restituere: ergo quando minuitur dubietas, ita vt minor similitudo maneat pro parte possidentis, & maior pro parte non possidentis, ille tenebitur isti aliquam partem pro rata refundere. Sed nostræ assertionis secunda pars probatur primò ex opposito principio, nimirum quod illa maior propensio non extrahit negotium à latitudine dubij, neque est pro parte possidentis aliquid quod compenset excessum possessionis alterius, quia nullius est assensus aut Iudicij certa aut opinatiua determinatio, ac proinde relinquitur res intra limites dubia: in dubiis autem ait regula iuris siue vlla distinctione, aut restrictione, meliorem esse conditionem possidentis: & vbi regula non distinguit, nec restringit, nec nos distinguere aut restringere debemus. Secundò, quoniam in tali casu possidens Regnum siue Castrum est reus, qui est puniendus ab altero Principe, per actum iustitiæ vindicatiuæ: Sed Iudex non potest reum condemnare cum dubio etiam inæquali, propter duo: tum propter assignatam regulam; *Cum iura partium sunt obscura, fauendum est reo potius quàm actori*: tum etiam propter aliam à Iuris peritis communiter traditam, scilicet quod probationes in criminalibus debent esse luce meridiana clariores: bellum autem sententia criminalis est, & in materia grauissima, vtpote grauissimas pœnas infligens, vt dictum est: ergo. Ex quo solutum manet sufficienter oppositæ sententiæ fundamentum cum eius confirmatione. Sed quid si Princeps non possidens petat ab altero possidente, vt causa dubij examinetur, & viri Docti consulantur, vt manifesta veritate Regnum vel Castrum adiudicetur ei, cuius fuerit, & ille renuat? Respondeo tunc iam delinquere illum & contra ius gentium peccare, contra quem proinde ratione delicti huiuscemodi, potest armis alter disceptare.

Dico Tertiò: contra † Principem possidentem, non potest alter etiam cum opinione probabili, imo & probabiliori ductus bellum mouere, aut illum immediatè possessione per bellum expoliare: poterit tamen petere vt causa & Ius vniuscuiusque examinetur; quod si renuat, iam contra illum vtpote contra Iuris gentium violatorem, poterit arma mouere. Hæc conclusio medium tenet inter duas Theologorum sententias extremè oppositas. Quarum vna affirmat posse licitè ac iustè Principem non possidentem Castrum vel prouinciam, indicere bellum aduersus alterum possidentem: quando Ius illius fulcitur opinione probabili, nedum probabiliori: quam defendunt Bañesius *vbi suprà*, Sanchez *in disputationibus practicis disput.* 44. *num.* 58. Diana *in dicta resolutione* 8. Molina & Malderus *vbi supra*. Altera verò negans omnino est, quam tenent Vazquius, Montesinos, Villalobos, in locis præallegatis,

7

& alij quam plures, dicentes quod ſtante probabilitate opinionum, non poteſt vnus Princeps bellum indicere aduerſus alterum poſſidentem, etiamſi eius opinio de ſuo iure ſit probabilior, niſi ſit omnino certa. Quæ verior mihi videtur cum hoc moderamine, quod ſcilicet cum ſola opinione probabili, quantumcumque non poſſit carens poſſeſſione per bellum immediatè procedere aduerſus poſſeſſorem, vt eum à poſſeſſione deiiciat, niſi prius eum vocet ad iuris examen, & cauſæ cognitionem coram arbitris ac delectis Iudicibus, ſi alium ſuperiorem non habeant coram quo litigare teneantur. In quo ſenſu procedit noſtra concluſio, & pro prima parte probatur ex duabus regulis iuris nuper adductis, quæ etiam hoc in caſu habent locum: quia in conflictu opinionum duntaxat probabilium, iura partium adhuc manent obſcura: ergo reo qui eſt poſſeſſor fauendum eſt. Rurſus licet vnus Princeps ſcilicet priuatus poſſeſſione, vel deiectus ab illa habeat determinatè aſſenſum opinatiuum circa vnam partem, ſcilicet affirmantem pro ipſo ſtare ius: Veruntamen res ipſa in ſe eſt dubia ſicut & obſcura. Súntque ambo in pari diſcrimine & cauſa, ſi opiniones ſunt æqualis probabilitatis; imo etiamſi probabilior ſcit opinio pro parte non poſſidentis, quia illam maiorem probabilitatem, compenſat exceſſus poſſeſſionis alterius: ergo etiam tunc ſeruanda eſt ſecunda regula, quæ dictat in pari cauſa, & in dubio meliorem eſſe conditionem poſſidentis. Secundò, quia vt ſæpius dictum eſt, Princeps bellum indicens exercet munus Iudicis ferẽtis ſententiam in cauſa criminali grauiſſima; bellúmque habet vicem ſententiæ pœnalis: quæ proinde ſupponere debet culpam in reo aggreſſo ac damnato, eò quòd nemo ſine culpa eſt puniendus. Sed Iudex ſtante probabilitate opinionum, non poteſt reum pœna graui per ſententiam damnare, neque poſſidentem bona fide deiicere à poſſeſſione, neque inſontem punire: ergo neque Princeps cum ſola opinione probabili circa Ius ad Regnum vel Caſtrum poſſeſſum ab altero, poteſt iuſtè ei bellum indicere. Minor conſtat ex dictis in reſolutione *Caſus ſexti*: Conſequentia verò probatur, quia dum ille poſſidet bona fide, & cum opinione probabili, non peccat, neque eſt reus alicuius culpæ: & conſequenter neque pœnam belli meretur. Sed neque ſubeſt iuſta cauſa illum tali ac tanta pœna puniendi, eò quòd iuſtitia cauſæ belli, aut in culpa rei, aut in alieni detentione à culpa per ignorantiam excuſata fundatur: Atqui reus in hoc caſu, neque culpam commiſit, quia eſt poſſeſſor bonæ fidei, neque eſt detentor Caſtri ſiue Regni alieni, quod nondum certo conſtat eſſe alterius: ergo contra regulam illam Iuris *in 6.* ſcilicet ſine culpa, niſi ſubſit iuſta cauſa non eſt aliquis puniendus, Princeps tale bellum indicens peccaret.

Deinde pro ſecunda parte oſtenditur concluſio, eò quòd aliàs nunquam bellis iuſtis daretur occaſio aut initium: damnabiléſque eſſent Principes Chriſtiani quotquot bellum mouent aduerſus alteros, renuentes venire ad examen cauſæ & iuris circa regna ſiue Caſtra quæ poſſident; quæ tamen magna inconuenientia ſunt, & argumentum ab inconuenienti in moralibus, non parui momenti eſt. Tum etiam quia vnuſquiſque poteſt repetere rem, quam probabili opinione exiſtimat ſuam exiſtentem in alterius poſſeſſione, vocando eum ad iudicium & examen cauſæ: alioquin omnes lites ciuiles contra fundorum ſiue maioratuum poſſeſſores motæ eſſent iniuſtæ, ſiquidem fere omnes initio mouentur ex opinione probabili, qua iura Actorum fulciuntur; quod nullatenus eſt admittendum: ergo pariter Princeps cum opinione probabili rationabiliter fundata, poteſt repetere Regnum vel Caſtrum in poſſeſſione alterius exiſtens, non quidem armis illum expoliando, ne diſcrimini rapinæ ſe exponat; ſed vocando eum ad iudicium & examen cauſæ coram ſuperiore, ſi quem habeant, vt habent Italiæ potentatus Imperatorem; aut coram arbitro aliquo, aut negotium virorum Doctorum iudicio committendo: aut poſtulando vt res poſſeſſa inter ipſos, pro qualitate opinionum per partes diuidatur; quod ſi renuerit iam venit pœna belli mulctandus, vtpote Iuris gentium violator. Quid ſi opinione probabiliori repetentis ius fulciatur? Reſpondeo idem dicendum eſſe quod diximus de illo, cuius Ius opinione vtcumque probabili bene fundata fulcitur.

Dico vltimò; quando † Regnum vel Caſtrum repetendum in nullius eſt poteſtate, ſed ſolùm in ſequeſtro vel depoſito, tunc repetens cum opinione probabiliori poteſt bello indicto aduerſus impedientem, illud armis ſibi vendicare, ſi alia via non ſubſit; & alter tenetur deſiſtere ab illo. Secus ſi cum opinione æquè aut minus probabili procedat repetens. Ratio primæ partis eſt, quia tunc vtitur iure ſuo talis Princeps, & nulli periculo peccati ſe committit, & alter cui fauet opinio minus probabilis non poteſt agere ſecundum illam, ſed tenetur probabiliori ſe conformare per ſe loquendo, niſi per accidens & ob ignorantiam inuincibilem excuſetur: ſicut diximus de qualibet perſona priuata, quod tenetur in moralibus agere ſecundum opinionem probabiliorem, alioquin temerariè agit, & diſcrimini ſe exponit. Ratio verò ſecundæ partis eſt, quia tunc alter non tenetur à bello defenſiuo ceſſare, quia vtitur iure ſuo: ergo aggreſſor non poteſt iuſtè bellum aggreſſiuum indicere; alioquin dabitur ſecluſa ignorantia bellum iuſtum ex vtraque parte, ſed ſine armis negotium, nimirum arbitrorum iudicio eſt dirimendum. Quid ſi vterque Princeps ſimul & eodem tempore, bellum aggreſſiuum moueat ad vendicandum ſibi Caſtrum, vel Regnum in ſequeſtro vel in depoſito exiſtens? Reſpondeo quod vel vterque exiſtimat ſuam opinionem eſſe probabiliorem, & tunc vterque à culpa per accidens ratione ignorantiæ excuſatur: Vel vterque ſcit aut ſcire debet opinionem vnius eſſe probabiliorem, & tunc alter tenetur deſiſtere ob rationes adductas: vel ambo putant opinionem vtramque eſſe æqualis probabilitatis, & tunc æquale eſt ius vtriuſque ad repetendum, ſed non ad bellandum, ne ex vtraque parte demus bellum iuſtum, aggreſſiuum per ſe loquendo. Vnde ambo tenentur à bello deſiſtere, & negotium aut iuris peritorum conſilio, aut Iudicibus arbitris committere: aut illud pro qualitate opinionum diuidere. 8

Ex hucuſque dictis liquet colligere: quod iudicium

9 dicium faciendum sit de dictis † quibusdam quorundam authorum Neothericorum circa hanc materiam de conscientia opinante. Primum dictum est quod habet Castro Palao *tom. 1. summæ moralis disp. 2. de conscientia opinante, puncto 6.* nimirum quod subditus habens opinionem probabilem se non teneri obedire superiori, aut quia opinatur probabiliter rem sibi præceptam à superiori esse illicitam, aut esse extra eius iurisdictionem, aut eum non fuisse legitimè electum; non tenetur ei obedire, sed potest licitè non obedire. Quemadmodum Ecclesiæ præcipienti vt confiteamur semel in anno de omnibus peccatis lethalibus, non tenetur quis obedire quantum ad illud peccatum, quod probabiliter putat aut non esse lethale, aut iam esse confessum: nam illud potest non pandere in confessione. Sed hoc dictum minimè est sustinendum: tum quia nostris principiis non est conforme: tum quia superior in eo casu possidet & habet ius imperandi: igitur & subditus tenetur ei parere; aliàs daretur bellum iustum ex vtraque parte, secluſa ignorantia, quod est inconueniens, magnáque turbatio & confusio inter Prælatum ac subditos oriretur. Obstat quoque doctrina Parentis Augustini *in Canone, quid culpatur, causa 23. q. 1.* dicentis militem excusari à peccato pugnando in bello, quãdo ei certum est non esse cõtra Dei præceptum id quod iubetur; vel vtrum sit, certum non est. Eadémque est ratio subditi erga superiorem præcipientem. Neque est alicuius momenti simile adductum, de Ecclesia præcipiente confessionem omnium mortalium. Nam Ecclesia non præcipit confiteri hoc aut illud in particulari, sed in communi cuncta peccata mortalia, certò talia & aliàs non confessa: Prælatus autem præcipit subdito hoc in particulari faciendum aut omittendum. Rursus neque placet illa distinctio præfati Authoris, de opinante probabiliter quod non tenetur obedire: & de opinante probabiliter quod res sibi præcepta est illicita, aut extra iurisdictionem Prælati, aut à Prælato non legitimo, vtpote cùm primum membrum oriatur ex secundo: nequit enim subditus præsumere se non teneri obedire, nisi quoniam præsumit aut rem præceptam esse illicitam, aut extra iurisdictionem Prælati, aut à Prælato non legitimo.

Secundum dictum habet idem Author *puncto 7.* cum Ioanne Sanchez *disp. 44.* & communi sententia Victoriæ *de iure belli, relectione de Indis.* Vasquio *1. 2. disp. 64. cap. 3.* Salas *tractatu 8. disputat. vnica sectione 13.* Molina *tom. 1. summæ tractat. 2. disput. 10.* & Villalobos *tom. 1. summæ*
10 *tractat. 1. difficultat. 17.* nimirum † quod si Princeps habeat opinionem probabilem ex parte iuris, hoc est de iure ad Regnum possessum ab altero, potest sequi suam opinionem, & armis eum à Regno deturbare: secus autem si probabilitas solùm sit ex parte facti. Hoc dictum licet quoad secundam partem sit verum & communiter receptum, à nobisque probatum *conclusione 1. & 2. proximè præcedenti*; tamen quoad priorem partem, in eo quod asserit Principem cum probabilitate iuris posse deiicere à Regno possidentem, falsum est. Nam vt ostendimus *in dicta conclusione 2.* Princeps carens regno cum sola opinione probabili, aut etiam probabiliori, nequit armis possidentem spoliare ob rationes adductas à præfato authore, à nobisque ibidem expensas; nimirum quia in dubiis melior est conditio possidentis, & Iudex pro illo cæteris paribus ferret sententiam. Tum quia possessor tunc posset iustè armis se defendere, & sic daretur bellum iustum ex vtraque parte secluſa ignorantia, quod neutiquam est admittendum. Rursus neque distinctio facta à dicto Authore de probabilitate iuris, ac de probabilitate facti, satis intelligibilis est. Quomodo namque fieri potest, quempiam habere probabilem opinionem quod Castrum siue Regnum est suum ex parte facti, quin habeat illum etiam ex parte iuris? Nam quod alicuius est, in iure fundatur. Vnde hæc distinctio verbis dumtaxat ludit, rationésque adductæ pariter vnam, atque alteram probabilitatem excludunt, ad effectum mouendi bellum aduersus possidentem.

Quid ergo poterit agere † innitens opinio- 11
ni tantùm probabili contra possidentem? Poterit quidem mouere litem, & illum ad iudicium vocare, vt ius vniuscuiusque examinetur apud Iudices competentes: eò quòd Princeps non est peioris conditionis, quàm Vasallus, qui cum opinione probabili potest licitè mouere litem contra possidentem maioratum. Sed coram quibus iudicibus debet litem mouere? Respondet Palao *vbi supra à numero 7.* sic, & est tertium eius assertum. Aut isti litigantes super Regno, Castro, vel ciuitate, sunt partes ipsius regni: vel ambo sunt Domini supremi, vel vnus est supremus, non recognoscens superiorem, & alter Vasallus. Et quidem in primo casu tenentur litigare coram iudicibus ipsius Regni, quia causa iudicanda est legibus Regni, quarum interpres est eiusdem Regni Senatus. In secundo autem casu etiam tenentur litigare coram iudicibus Regni, qui sunt interpretes legum ipsius, cum Vasquio *vbi supra*, & Perez *in Laurea Salmantina, certamine* 10. qui verius in hac parte sentiunt, quàm Molina *vbi supra §. Aduerte.* & Suarius *disputat. 13. de bello, sectione 6.* dum aiunt eo in casu non teneri Dominos supremos se subiicere iudicio regni aut eius Senatui, sed litem esse agendam coram tertio. Cui sententiæ Rex Catholicus Philippus adhærens, regnum Lusitanum vacans per mortem vltimi possessoris, Cardinalis Henrici, protestatus est se nolle iudicibus regni ab Henrico designatis subiicere, neque eorum iudicium voluit expectare, etsi postea pro illo tulerunt sententiam. Verùm priori sententiæ adhærens Henricus, morti appropinquans Iudices regni designauit, qui post eius obitum causam inter Philippum & Catherinam decideren, provt de facto executioni mandarunt. Quod tamen dissidium possumus ad concordiam reducere, iuxta doctrinam à nobis traditam *conclusione 3. huius tractatus*: nimirum in eo euentu prius recurrendum esse ad Iudices eiusdem Regni, vel arbitros delectos. Si tamen sint suspecti, possunt recusari ab vtroque, aut ab altero litigante cui fuerint suspecti, vtpote cum huiusmodi recusationis beneficio quilibet vasallus gaudere potest, quantò magis Dominus supremus non cognoscens in temporalibus superiorem, qui non debet esse peioris conditionis, sed multò melioris; quibus sic legitimè recusatis possunt ac debent ad arbitros alterius

rius ditionis recurrere, & coram eis cauſam diſcutere. Quod ſi vnus illorum litigantium renuat, iam tunc alteri licebit iniuriam armis vlciſci, & Regnum inuadere. Hæc dicito de Dominis abſolutè ſupremis, nullum recognoſcentibus in temporalibus ſuperiorem: nam de potentatibus Italiæ & Germaniæ,ac de ciuitatibus liberis quæ Reſpublicæ vocantur, aliter dicendum eſt,provt *in tractatu de legibus* adnotauimus; nimirum eos priuſquam arma ſumant,teneri coram Imperatore litem agere,vtpote cuius ſunt fœudatarij, & à quo inueſtituram accipiunt, & cuius benignitate fruuntur libertate,qua Cæſarea Maieſtas poteſt eos priuare ratione delicti, ſicut fecit Carolus V.Imperator cum ciuitate Florentina, quam ob delictum in ipſius Cæſaream Maieſtatem commiſſum,& libertate priſtina priuauit,& Alexandro de Medicis ſub titulo magni Ducis,ac eius ſucceſſoribus ſubiecit.

In tertio denique caſu,aut Regnum ſiue Caſtrum eſt vacans, & veluti in ſequeſtro à nemine poſſeſſum: & tunc verius ſentiunt Molina, Salas, Vaſquius, Ioannes Sanchez *vbi ſupra*, quibus ſubſcribit Caſtro Palao *loco citato n.* 6. & 9. aſſerentes neque regnum tunc eſſe diuidendum, tum quia de ſui inſtitutione indiuiſibile eſt, ſicut quilibet maioratus: tum ob graue damnum imminens regno ex ipſius diuiſione, quippe quod manet minus munitum, magis hoſtium inuaſionibus expoſitum, cùm virtus vnita ſit fortior quàm ipſa diſperſa:& aliàs omne regnum in ſe diuiſum, deſolandum teſtatur in Euangelio Prima veritas. Sed neque tunc poteſt alter ex prætenſoribus armis ſibi tale regnum aut caſtrum obtinere, quia huiuſmodi obtentio vnius non excludit ius alterius ad ſimilem obtentionem. Neque enim ratio naturalis poteſt tribuere vtrique ius rem ſibi integrè vendicandi: imo cauſa agenda eſt coram Iudicibus Regni vacantis,vel illis recuſatis coram aliis arbitris,qui illud vni poſſunt applicare,aut ratione maioris iuris cogniti, aut etiam pro bono pacis communis, quod eſt præferendum bono priuato vnius vel alterius particularis. Quod ſi durante lite alter eorum ſumat arma, vt illud inuadat & occupet, iam ob iniuriam & violentiam datur iuſta cauſa bellandi ex parte alterius, provt *tomo ſequenti* dicemus: prolatáque à Iudicibus ſententia pro vno, poteſt ille ſtatim regnum vel caſtrum occupare iudicio poſſeſſorio,& per modum ſententiæ. Cum quo ſtat bene alterum poſſe appellare à dicta ſententia, eiúſque appellatio ſuſpendet executionem quoad proprietatem, ſed non quoad poſſeſſionem; ita enim expedit, ne Regnum, vel etiam maioratus ſuper quo litigatur maneat diu ſine poſſeſſore, cum ſui detrimento; vt bene notant Suarius, & Perez *in locis prælegatis*.

Hinc veniunt refutandæ, ſiue temperandæ
12 aliorum opiniones. Primò quidem † apparet falſa opinio Bañeſij 22. *q.*40. *art.*1. *dub.*4. & 5. Roderici *in ſumma cap.* 124. & Villalobos *vbi ſupra*, in eo quod dicunt eo in caſu Regnum vacans aut poſitum in ſequeſtro fore diuidendum inter prætenſores, & vnum alteri debere facere recompenſationem pro qualitate dubij. Sed oſtenſum eſt hanc diuiſionem non eſſe de facili,aut ſine vrgentiſſima cauſa, vt ſi aliter ſaluti & paci communi prouideri non poſſit, admittendam,ob graue damnum boni communis, quod eſt præferendum bono particulari.

Deficit quoque † opinio Suarij *diſputat. ci-* 13
tata, ſectione 5. aſſerentis in eo caſu licere vnicuique prætenſori primo occupare Regnum vel Caſtrum: quoniam tunc Iudex poteſt per ſententiam illud applicare cuilibet eorum, cognita æqualitate iuris ex parte vtriuſque: igitur & quilibet poterit ſimiliter illud ſibi vendicare. Neque inconueniet dari tunc bellum iuſtum ex vtraque parte ſuppoſita ignorantia. Atqui negamus hanc conſequentiam, quia Iudex illam applicationem pro bono pacis facere poteſt, eò quòd procedit iudicialiter cum cognitione cauſæ: quod tamen litigantibus leges non concedunt.

Deficit quoque † opinio Caſtro Palao 14
num. 11. dicentis, quod prolata ſententia pro vno, adhuc nequit ſtatim regnum occupare, quia tenetur expectare ſententiam diffinitiuam, ſi alter interponat appellationem à priori ſententia. Verum eſt non poſſe per ſententiam appellatam regnum occupare quoad proprietatem, bene tamen quoad poſſeſſionem & per modum tenutæ;iuxta vſitatum morem in tribunalibus tam Regiis quàm Eccleſiaſticis, diſtinguentibus duplex Iudicium, ſcilicet poſſeſſorium,atque proprietatis,in quo non ſola poſſeſſio ſed proprietas confertur vni litiganti, cognito eius iure ad hoc,vt ipſi proprietas fundi ſiue Caſtri, ſiue maioratus adiudicetur: aut regnum ſiue Caſtrum eſt iam ab vno poſſeſſum: quem caſum omiſit Caſtro Palao, Bañeſius autem, Rodericus & Villalobos minimè illum omiſere, imo videntur etiam in eo caſu diuidendum fore,intellige ſtante æqualitate dubij pro vno,& altero prætenſore. Quibus nequaquam aſſentior; nam tunc præter damnum Regni, vrget alia ratio, ſcilicet quod melior eſt conditio poſſidentis, ob quam nunquam cogitur poſſeſſor diuidere rem poſſeſſam cum alio, neque facere recompenſationem: ac proinde in tali caſu debet recurrere ad Iudices Regni, vel illis recuſatis ad Arbitros. Quod ſi regnum ſit poſſeſſum ab altero, & ſit certum ius alterius non poſſidentis, tunc debet iſte illum vocare ad iudicium cauſæ,aut eum monere de ſuo iure certo;& ſi monitus reſiſtat,iam datur cauſa bellandi,iuxta communem Doctorum ſententiam.

Circa † probabilitatem verò ſufficientem in 15
militibus ad bellandum in bello ſiue aggreſſiuo, ſiue defenſiuo,ſubdit Caſtro Palao *vbi ſupra punctо* 8.& ſit quartum eius aſſertum; ſub diſtinctione hac: nimirum, aut milites ſunt ſubditi & Vaſalli Principis bellum indicentis, vel eius ſtipendiis permanenter conducti: aut neque ſubditi,neque eius ſtipendiis conducti permanenter ſunt. In primo caſu poſſunt licitè, imo & tenentur obedire Principi: tum quia ſuperioris factum cenſendum eſt legitimum, & præſumendum iuſtum, niſi manifeſtè conſtet de eius iniuſtitia *ex cap. quid culpatur* 23. *q.*1. Tum etiam quia milites tenentur non minus quàm famuli ſuis Dominis obedire. Tum denique quia ſunt executores ſententiæ & mandati ſuperioris; cuius proinde iuſtitiam nec examinare, nec inueſtigare tenentur:eſſet enim id onus grauiſſimum ſubditis. Quod verum eſſe

ait

ait dictus Author, quando milites laborant dubio tantum negatiuo ; secus quando dubium patiuntur positiuum, rationes pro vna & altera parte habentes: tunc enim tenentur prius iustitiam inuestigare, aut rationes pro parte contraria soluere. In secundo autem casu nec tenentur nec possunt milites arma sumere, nisi habeant moralem certitudinem de iustitia belli, & hanc esse (ait ille) communem sententiam Doctorum *ex regula 19. iuris in 6. non est sine culpa qui rei, quæ ad eum non pertinet se immiscet*, maximè rei periculosæ, qualis est bellum. Verùm in hoc asserto nonnulla inuoluuntur secum pugnantia. Nam quod militibus subditis licet, etiam ac pari ratione licet non subditis, eo quod isti possunt locare operas suas, & alterum iuuare armis, debéntque præsumere factum Principis Christiani ac bonæ famæ esse legitimum ; cum hoc tamen discrimine, quod subditi possunt & tenentur bellare in casu dubij, siue sit negatiui, siue positiui : non subditi verò possunt, sed non tenentur, quia possunt non locare operas suas. Dixi etiam in casu dubij positiui, quia dum non adest certitudo moralis iniustitiæ belli, licet appareant rationes pro vna & altera parte, non tenentur eas examinare, sed debent dubium deponere, & ad partem sui Principis iudicium inclinare : Obedientia namque in huiusmodi dubiis subditos excusat à peccato ; ac proinde distinctio facta de dubio negatiuo, & positiuo, in specie nostri casus superuacanea est. Rursus regula iuris *in 6.* adducta, nihil conuincit aduersus milites non subditos, supposito quod operas suas locauerint, nam locando operas suas iam ad ipsos pertinet illud opus bellandi, eorúmque interest : neque periculo se exponunt, dum cum probabili opinione de iustitia Principis eos conducentis, arma sumunt.

Itaque concludendo dico, quod tam subditi quàm non subditi milites æquiparantur in hoc, quod vtrique possunt arma sumere cum dubio siue negatiuo, siue positiuo ; aut cum opinione probabili quandiu non adest eis moralis certitudo, aut saltem maior probabilitas de iniustitia belli : cum hoc solo discrimine, quod subditi possunt & tenentur pro suo Principe pugnare, non subditi verò antequam locét operas suas possunt, sed non tenentur, quia liberum est eis locare, aut non locare operas suas ad bellum.

Hinc licet colligere, quo iure Lusitani aduersus possidentem Regem potuerint, vel non potuerint consurgere. Rursus quo iure possint, vel non possint Ducem Vergantinum in noui Regni possessione armis defendere : & tandem quo iure Hispanus Rex possit bellum Lusitanis aggressiuum indicere, vt sibi Lusitanum regnum recuperet; è quibus necesse est per se loquendo alterum esse iniustum, licet per accidens & ratione ignorantiæ iustæ vtrumque possit ab iniustitiæ piaculo excusari. Sed quid iuxta prudentiæ regulas sit faciendum ; vt mortes insontum, & sanguinis innocentis effusio vitentur, sequens Tomus indicabit.

Tandem pro coronide & vt finem cum principio huius disputationis coniungamus, † notã-
16 da est doctrina Nauarri *in manuali cap. 27. §. nona medicina*, vbi sequutus Matthæum Matth. *lib. de elect. verioris opinionis volumine* 1. ait, opinionem deligendam & aliis præferendam esse illam, quæ vel consuetudine est recepta, *ex leg. minime*, cum Glos. *ff. de legib.* & *c. cum dilectus de consuetudine*; intellige nisi sit contraria legi diuinæ aut naturali, contra quam non valet introduci consuetudo: vel cessante consuetudine nititur textui vel argumento, cui contraria opinio non potest exactè respõdere. Cessantibus autem hiis, subdit Nauarrus, eligendam fore conclusionem, si scitur esse talem, argumento *ex c. Prudentiã de officio delegati*, & *c. de quibus dist.* 20. quod si hoc desit, præferenda est ea (ait ille), quam tenent Doctores; qui tractant propriam materiam de qua agitur: v.g. in materia Theologica, Theologorũ opinio, si Pontificia quã affirmãt Canonistæ, si ciuilis quã affirmãt Legistæ, est eligẽda.

Verùm opinio communis maximè ad effectum præiudicandi alteri, non est illa quam plures sequuntur Authores, si more ouium, vel auium sequentium alias : nec enim attendendum est ad solam multitudinem Authorum, quia non ex illa quod melius & æquius est, iudicari debet ex *leg. 1. §. Sed neque, Cod. de veteri iure enucleando* : nec communis opinio censenda est, quæ plures habet authores perfunctoriè & sine præuia disputatione eam tractantes, vt scitè notant Alciatus *de præsumption. regula 1. præsumpt. 15. n. 5.* & Menochius *de præsumpt. lib. 2. præsumpt. 71. n. 39.* Quapropter Nauarrus in dicto *cap. 27. n. 289.* meritò affirmat communiorem esse illam opinionem, approbatam à quinque vel sex Doctoribus ex professo rem tractantibus, quàm approbatam à quinquaginta sola argumentorum authoritate ductis. Subditque Ioannes Lupus *cap. per vestras, de donationibus inter virum & vxorem, notabili 3. §. 20.* nec credendum esse pluribus Doctoribus id ipsum asserentibus, quantumcumque doctrina polleant, dum carent fundamento : quibus consentiunt Lyranus *Exod. 23.* ibi. *Non sequeris turbam ad faciendum malum, nec in iudicio plurimorum acquiesces sententiæ, vt à vero deuies*, id est non esse declinandum à veritate in iudicando, propter maiorem numerum iudicantium ; & Thomas Sanchez *lib. 3. de matrimon. disp. 44. num. 3.* dum ait firmiter tenendum esse, matrimonium clandestinum validum subsequens legitimare filios naturales, ante tale matrimonium conceptos siue natos, quamuis turba Iuristarum contrarium senserit, eo quod leuibus innituntur fundamentis.

Subdit quoque Nauarrus *vbi supra*, quod † Iu- 17
dex, Consultor, siue quicumque in re dubia iudicaturus, consulturus aut operaturus est aliquid (quandoquidem eadem militat ratio in operando atque in iudicando siue consulendo,) vt immunis sit à peccato, tenetur antecedenter remouere à se talem dubietatem, & existimare opinionem à se electam esse veram, & secundum eam iudicare, consulere, siue agere ; alioquin si dubius id faciat, proculdubio peccabit contraueniendo coscientiæ dubiæ, & periculo errandi se exponendo: provt ipse iam docuerat. Rursus quod in foro conscientiæ ad effectum non peccandi sufficit sequi opinionẽ vnius Doctoris, qui sit homo scientiæ, & cõscientiæ, rationabilique fundamento ductus; vt probauerat *in c. si quis autem de pœnitentia dist. 7. n. 7.* & ex Glos. *2. c. Capellanus de feriis* & *lib. 5. consil. tit. de pœnitentiis & remissionib. consil. 8.* vbi ait nõ peccare eum qui eligit opinionem rationi conformẽ, &

iuxta eam operatur, licet non ſit communior: *Satisfaciet quis* (inquit ille) *eligendo vnam ex dictis opinionibus, eam tamen eligendo, non quia guſtui ſuo placet, ſed quia conformior rationi videtur.* Igitur ſentit Nauarrus, quod ſi quis conſulat duos viros doctos contrariæ opinionis in ea materia de qua petit conſilium (de hoc enim caſu ibi agebat) non ſatisfaciet conſcientiæ ſuæ coram Deo, eligendo & ſequendo opinionem minus rationi conformem in conſpectu alterius, quæ ſuo iudicio videtur rationi conformior.

Notanda quoque venit hîc aurea doctrina Caietani 2.2. *q.*174. *art.*6. *circa ſolutionem ad* 3.
18 dicentis † non eſſe credendum reuelationibus priuatis contra communes leges diuinas, aut Eccleſiaſticas, minúſque in praxi operandum iuxta eas: eò quòd nunquam eſt relinquendum certum in moralibus pro dubio & incerto: certum autem eſt quod dictat lex communis diuina ſiue Eccleſiaſtica; dubium verò & incertum eſt quod dictat contraria reuelatio priuata; certum quoque eſt quod eſt bonum operari conformiter ad talem legem. Cui doctrinæ conſentiunt Turrianus *tom.* 2. *de religione q.*95. *art.*3. *diſp.*2. *concluſione* 5. & 6. & Grauina *p.*2. *de diſcernendis veris à falſis reuelationibus lib.*2. *c.*2. *dub.*1. *ad* 3. adverſus Salas *tom.* 1. *in* 1. 2. *tractatu* 8. *diſp. vnica ſect.*5. *num.*51. impreſſionis Barchinonæ anno 1607. aſſerentem poſſe licitè Monachum vti probabili ac dubia diſpenſatione ſibi reuelata de nubendo, contra votum caſtitatis & legem cælibatus, propter vitanda grauia inconuenientia, ſcilicet carnis tentationes & incontinentiæ pericula. Quæ opinio iam damnata & exploſa eſt à dicto libro per iudices fidei. Subditque Grauina, tunc poſſe quempiam vti opinione probabili relicta probabiliori, quando eſt probabilis nedum ſpeculatiuè ſed etiam in praxi, & excludens formidinem ac dubietatem, & pro altera non eſt certitudo: & quando non agitur de intereſſe tertij, atque excepta materia Sacramentorum. In caſu autem dictæ reuelationis priuatæ, nec eſt certitudo pro illa in praxi excludens formidinem ac dubietatem, & pro altera eſt certitudo de lege communi. *Dubio* autem 2. ſubdit idem Grauina, quod licet poſſit quis ſequi opinionem probabilem in vſu & adminiſtratione Sacramentorum, cum Vaſquez, Sanchez, & aliis quos refert Merola 1. *p. Theologiæ moralis diſp.*3. *de conſcientia cap.*4. neutiquam tamen licet vti opinione aliqua contra ritum & conſuetudinem Eccleſiæ: ſicut nec opinione improbabili, ex Tridentino *ſeſſ.*7. *canone* 13. damnante eos, qui conſuetos & probatos Eccleſiæ ritus in celebratione Sacramentorum omitti poſſe dicunt. Vt ſi quis diceret poſſe celebrari Miſſæ Sacrificium ſine veſtibus ſacris, aut ſine cereis: aut Catechiſmum etiam de articulo Crucifixionis Chriſti non debere præcedere Baptiſmum, quam doctrinam nos quoque amplectendam cenſemus: eò quod in iure cautum eſt, vt in dubiis tutiorem partem ſequamur, *cap. Iuuenis de ſponſa, cap. ad audientiam*, & *cap. petitio de homicidio*, & *cap. ſi quis de pœnitent. diſt.*7. vbi dicitur, *quod certum eſt teneatur, dimittatur quod eſt incertum*, ex Parente Auguſtino *lib.*1. *de Baptiſmo c.* 3. dicente grauiter peccare eum qui in pertinentibus ad animæ ſalutem incerta certis præponit, atque ex Angelico Doctore *quodlibeto* 8. *art.* 14. dicente in contrarietate opinionum præferendam eſſe tutiorem; quibus conſonat prædicta Caietani doctrina.

Pro cuius maiori luce & omnium dictorum coronide ac compendio, venit hîc examinanda doctrina Ludouici à Cruce, *in diſp. moralibus circa tres Bullas, q. appendice, de opinione probabili*, vbi poſtquam *dubio* 1. determinauerat quid ſit opinio probabilis, & in quo differat à dubio, & quod illa generetur argumentis ineuidentibus acvero ſimilibus dumtaxat, ſed non conuincentibus cum Lorca 1.2. *tom.*1. *diſp.*39. & ideo non omnes opiniones eſſe æqualis probabilitatis, ex Ariſtotele *lib.*1. *topico. c.*1. ibi. *Probabiliora ſunt quæ videntur omnibus vel multis, vel ſapientibus, & his vel omnibus, vel plurimis, vel maximè notis & illuſtribus.* Sed magis ad rationes attendendum eſſe colligitur ex *lege* 1. *Cod. de veteri iure enucleando*, ibi. *Sed nec ex multitudine Authorum quod melius & æquius eſt iudicari debet, cum poſſit vnius forſitan & deterioris ſententia multos & maiores in aliqua parte ſuperare.* Ex qua infert Ioannes Lupus *ſuper cap. per veſtras de donationibus inter virum & vxorem, notabili* 3. §. 20. illam eſſe iudicandam probabiliorem opinionem, quæ firmiori fulcitur fundamento. Ex eodem quoque principio inferunt Nauarrus *in manuali cap.*27. *num.*289. Menochius *de præſumption. lib.* 2. *præſumptione* 71. & Azorius *lib.*1. *tom.* 2. *cap.* 13. opinionem communiorem eſſe illam, non quidem quam ſequuntur multi per tranſennam diſputantes, vel more volucrum vel pecudum, ſed quam pauci ſequuntur, qui aut maioris ſunt qualitatis aut ex profeſſo illam diſputant; determinat dictus Author in concurſu diuerſarum opinionum poſſe quempiam etiam in moralibus & practicis ſequi minus probabilem & iuxta illam operari, pro quo adducit Medinam 12. *quæſt.*19. *art.* 7. Vaſquium *ibi diſp.*72. *cap.* 4. Lorcam *diſp. citata*, Leſſium *de iuſtitia lib.*2. *cap.*31. Sanchez *lib.* 2. *de matrimonio, diſputat.* 41. *num.*9. & Villalobos *in ſumma tom.*1. *tractatu* 1. *difficultate* 10. Idque ſibi perſuadet, tum quia opinio minus probabilis non differt à probabiliori niſi penes magis & minus: ergo tutè eligi poteſt illa ſicut iſta: tum etiam quia neutra generat certitudinem, neutraque tranſit in dubietatem. Rurſus quia aliàs peccarent Doctores docentes opiniones minus probabiles, vtpote quibus occaſionem errandi Auditoribus præberent; Tum etiam quia prudenter agit & ſufficienter cauet periculum in humanis actionibus, ne ſit temerarius, qui ſequitur quod probabile eſt, ſicut nec eſt reprehenſibilis qui eligit bonum, licet non eligat melius. Tum denique ab exemplo, v. g. qui recipit quidpiam ex mutuo ratione ſolius lucri ceſſantis non peccat, licet tutior ſit opinio negans, nec peccat occidens furem in defenſionem rei familiaris, ſequendo opinionem Caietani 2.2. *quæſt.* 64. *art.* 3. Soti *lib.* 5. *de iuſtitia quæſt.* 1. *art.* 8. & Azorius *vbi ſupra lib.* 2. *cap.* 12. verſu *quæritur an inter opiniones*, licet tutior ſit contraria. Item licitè poteſt quis retinere lucrum ludo legibus prohibito comparatum, ſequens opinionem Caſtri, Soti, Azorij *vbi ſupra*, & Salonis 22. *q.*61 *tractatu de dominio q.*5. licet contraria antiquorum ſcilicet Bonauenturæ, Paludani, & Richardi, ſit ſecurior: quæ tamen doctrina

ctrina temperanda est iuxta eam quam superius docuimus, §. *Quare concludendo dico.* Dubio autem secundo subdit prædictus Author, in aliquibus casibus nedum ex consilio, sed ex necessitate præcepti eligendam esse opinionem tutiorem & probabiliorem: vt in materia Sacramentorum, eò quòd Christus instituit Sacramenta in materia & forma determinata. Vnde sequens minus probabilem opinionem exponitur periculo faciendi irritum Sacramentum; vt tenet Petrus à Soto, *lib. de institutionibus Sacerdotum, lectione 2. de Eucharistia,* & Alanus *lib. 1. de Eucharistia, cap. 11.* quod verum esse affirmat dictus Ludouicus à Cruce, cum duabus limitationibus appositis à Vasquio *vbi supra, disp. 63. cap. 2.* Salone *q. 63. art. 4. controuersia 2.* & Lorca *disp. 39. membro 2.* nimirum quod vsus & consuetudo Ecclesiæ obstet: vel quod interueniat periculum efficiendi irritum Sacramentum & simul inferendi spirituale detrimentum sibi vel alteri: alioquin cum præfatis Authoribus sentit posse ministrum Sacramenti sequi in vsu illius opinionem minus probabilem, quin peccet contra religionem aut peccato irreuerentiæ, licet fiat materialis quædam irreuerentia Sacramento faciendo illud irritum in re: peccabit tamen contra legem charitatis & misericordiæ nõ adhibendo proximo mediũ securius & exponẽdo eum periculo, &c. Rursus potest quis licitè & ritè absolui à reseruatis (ait ille) à Confessario approbato per Ordinarium ipsius Confessarij, & non per ordinarium loci aut pœnitentis, licet securior sit opposita opinio. Verùm nescio cur in hoc casu, sicut in præcedenti non interueniat peccatum contra charitatem ex parte ministri saltem: quippe qui adhibet pœnitenti remedium minus securum, & exponit eum periculo faciendi irritum Sacramentum, ipse viderit. Sed quomodo in huiusmodi casibus exponat minister pœnitentem periculo efficiendi irritum & inualidum Sacramentum: dum admittit dictus Author quod talis pœnitens manet iure absolutus à peccatis, etiam si talis opinio in re sit falsa: non explicat ipse, sed valde diminutus manet & contradictoria sibi videtur inuoluere.

Nos autem vtrumque dictum admittimus,
19 & sic declaramus; †manet quidem pœnitens in huiusmodi casibus verè absolutus, & validum recipit Sacramentum vno ex tribus titulis: Primò quia ad eligendum Confessarium sufficit facultas rationabiliter præsumpta, iuxta regulam communiter à Theologis & Iuristis receptam, vt videre est in D. Thoma & Bonauentura *in 4. d. 21.* Capreolo & Paludano *dist. 19.* Soto *dist. 18 q. 4. art. 3.* Raymundo *in summa titulo de pœniten. & remiss. §. 15.* Syluestro V. *confessor. 1. quæst. 6.* Nauarro *in summa cap. 9.* & Ludouico Lopez *cap. 88. instructorij.* In contrarietate autem opinionum circa Iurisdictionem istius Confessarij, adest facultas Summi Pontificis eligendi illum rationabiliter præsumpta, vtpote quam Iurisdictionem tunc Ecclesia censet concedi à Summo Pontifice, vt in ea controuersia an Episcopus possit absoluere in foro interno ab hæresi occulta, non obstante prohibitione Bullæ: & in ea, an approbatus à quouis Ordinario siue loci, siue pœnitentis, siue Confessarij possit eligi per Bullam cruciatam: & similiter in ea, vtrum possit per dictam bullam dispensari in irregularitate orta ex delicto. In quibus casibus Ecclesiæ consuetudo permittit vti opinione probabili, idque petit rectum Ecclesiæ regimen huiusmodi incommodis subuenire, alioquin defectuosum esset. Secundò ex titulo colorato cum communi errore vulgi, qui dat Iurisdictionem, secundum legem *Barbarius Philippus. ff. de officio Prætoris,* cuius gesta fuerunt valida sine vero titulo, ob bonam fidem populi & commune bonum. Similique titulo confessiones exceptæ à Parocho per Simoniam promoto ad beneficium sunt validæ; & similiter exceptæ à Confessario transacto tempore suæ approbationis datæ ad tempus limitatum, ipso tacente sunt validæ: vt testantur Caietanus verbo *Absolutio,* & verb. *Confessio cap. 3.* Nauarrus *vbi supra* cum Panormitano in *cap. nihil de electione.* Rosella & Syluestro V. *Confessor 1. q. 19.* Tertius titulus est ratione indirectæ iurisdictionis circa reseruata: quia dum pœnitens confitetur de peccatis non reseruatis, quæ sunt materia certa Confessionis, directè ab illis absoluitur & indirectè à reseruatis, quorum aut obliuiscitur, aut reseruationem ignorat, dum tamen bona fides adsit in Confessario & pœnitente. Itaque minister habet iurisdictionem aut ex voluntate Papæ rationabiliter præsumpta in prima via, aut ex tacita Ecclesiæ concessione in secunda; & in tertia ratione indirectæ iurisdictionis: & tamen vterque tam Minister quàm pœnitens sequendo opinionem minus probabilem in huiusmodi, peccat contra religionem & reuerentiam debitam Sacramento, quia quantum est de se exponitur periculo aut efficiendi, aut recipiendi inualidum Sacramentum. Secus autem qui sequitur tutiorem ac probabiliorem opinionem, nam iste & prudenter agit, & sufficienter vitat quantum est de se, periculum efficiendi aut recipiendi sacrilegè Sacramentum inualidum, etiamsi in re illud inualidum efficiat aut recipiat.

Hucusque explicuimus, quæ opinio sit tum à priuatis hominibus, tum à Iudicibus atque à Confessariis præ aliis eligenda; restat nunc ne aliquid in concursu duarum opinionum probabilium sibi aduersantium maneat indecisum, vltimum casum explicare de eo, qui ambas opiniones vult simul, aut successiuè sequi, & secundum illas operari, ex quarum coniunctione sequitur omissio rei præceptæ, & ipsius præcepti inobseruantia; de quo formatur sequens dubitatio.

CASVS VLTIMVS.

Vtrum possit quis simul, vel successiuè conformare se duabus opinionibus contradictoriè oppositis, ex quarum coniunctione sequitur eneruatio, siue inobseruantia præcepti.

SVMMARIVM.

1 *Pro dubitationis illuminatione ponitur casus de duobus horologiis bene ordinatis, quorum vnum pulsando horam duodecimam facit opinionem probabilem transisse diem Sabbathi, adeóque licitum esse edere carnes, &c.*

2 *Referuntur aliquot Theſes Caramuelis, contra ſententiam circa hoc dubium à Doctoribus communiter receptam.*

3 *Duæ opiniones contradictoriè oppoſitæ poſſunt quidem eſſe probabiles diuiſim conſideratæ, non verò copulatim & in ſenſu compoſito.*

4 *Probatur aſſertio ab inconuenienti triplici, quod ſequitur ex contraria ſententia.*

5 *Soluuntur fundamenta quæ pro præfato Authore poſſunt adduci.*

6 *A quibus argumentis vindicatur Authoris ſententia ad eorum ſingula reſpondendo.*

7 *Sumens occupationem incompoſſibilem cum obſeruantia præcepti, ſine cauſa rationabili aut vrgenti, peccat tanquam violator præcepti.*

8 *Vtrum qui inuenitur cum ſolo Diurnali, teneatur ex vi Eccleſiaſtici præcepti recitare illam partem matutinalis Officij, quæ continetur in Diurnali, ſine lectionibus & reſponſoriis quæ ſunt in Breuiario?*

9 *Admittuntur in Chriſto duæ voluntates, vna ſcilicet abſoluta, altera conditionata.*

10 *Examinantur quinque Theſes Caramuelis ab initio adductæ, de iiſque ſigillatim ad quemlibet reſpondendo, iudicatur.*

1 VT † titulus, & ſtatus dubitationis patefiat, pono hunc caſum. Sumus in die Sabbathi, v. g. circa mediam noctem in hac ciuitate, in qua ſunt duo, vel plura horologia bene ordinata; vnúmque illorum ſignificat pulſando horam duodecimam, facítque opinionem probabilem, quod ſit hora duodecima, & cóſequenter quod iam deſiit dies Sabbathi, & incipit dies Dominicus, cui opinioni Petrus ſe conformando cænat carnes; & finita cœna aliud horologiũ ſignificauit pulsãdo horam duodecimam, cui idem Petrus vult ſe conformare relicta prima opinione, dicens; ego pro die Dominico ſum ieiunus, quia cœnaui in die Sabbathi, & ideo volo vt ieiunus Miſſam celebrare vel communicare; itaque ait Petrus cum opinione primi horologij, cœnaui carnes, & cum opinione ſecundi, volo vt ieiunus communicare hodie, vel Miſſæ ſacrificium celebrare. Inquirit igitur dubitatio; vtrum hæc ſimultanea, vel pro duobus momentis ſucceſſiua duarum opinionum contradictoriè oppoſitarum coniunctio, poſſit à Petro licitè fieri, vt ſic per illam vitet obſeruantiam Eccleſiaſtici præcepti? Cui dubitationi reſpondet negatiuè communis D. D. ſententia; quam cum multis docet Cardinalis Lugo, agens de duarum opinionum probabilium inter ſe pugnantium electione; & Dominus Epiſcopus Placẽtinus *in ſuis quæſtionibus ſelectis moralibus*, aduerſus Ioannẽ Caramuelem Epiſcopum Miſſienſem ex ordine Ciſterciẽſi aſſumptum. Sed neque vllus eam auſus eſt negare vſque ad Caramuelem; licet ſit pronior ad dubitandum, quàm ad reſoluendum, nihilominus in ſua Theologia fundamentali, *fundamento* 11. §. 9. † contra dictam communiter receptam ſententiam, non dubitatiuè ſed reſolutiuè ſequentes Theſes proponit. Prima eſt, qui ex duabus opinionibus probabilibus nunc ſequitur alteram, poterit ſequenti momendo licitè tenere alteram, quam iudicat luce meridiana clariorem. Secunda; ex hac mutatione opinionum nullum ſequitur præiudicium tertij, id eſt damnum iniuſtè illatum; licet ex illa ſequantur multa damna, & inconuenientia tertij, ſed non iniuſtè illata. Tertia Theſis eſt præcedenti affinis: hæc eſt mala conſequentia; *Ex hac doctrina ſequuntur magna inconuenientia, ergo non eſt probabilis*, quia quandoque ex veriſſimis, & certiſſimis propoſitionibus magna damna ſequuntur. Quarta Theſis magis ad ſenſum clariorem quàm ad litteram authoris obſcuram tranſcripta, eſt hæc; Eccleſia dum præcipit ieiunium, officium diuinum, &c. nõ compræcepit, ne quis mutaret ſententiam probabilem eo caſu, quo ex tali mutatione ſequeretur, huiuſmodi præcepta non obſeruari. Quinta Theſis etiam ad ſenſum potius, quàm ad litteram redacta, eſt: hæc doctrina habet etiam locum in contractibus, licet ex mutatione dictaminis ſequantur damna, & iacturæ alteri contrahentium.

Hæ ſunt Theſes, quibus dictus Author ſuam explicat doctrinam, quæ ſi vera eſſet, nullum præceptum, nullus contractus ciuilis, nullum ſimplex votum eſſet, quæ tergiuerſari, & eludi non poſſent; quapropter ſententia oppoſita, quæ eſt communiter à DD. recepta, ſtatuitur à nobis pro concluſione indubitatè tenenda. Quam oſtendo primò, ſupponendo † duas opiniones contradictoriè oppoſitas, poſſe quidem eſſe probabiles diuiſim, & ſeorſim conſideratas, non verò copulatim, & in ſenſu compoſito. V. g. Petrus ex mutuo accepta pecunia à Paulo tenetur ſoluere illi lucrum ceſſans ſecundum affirmantem opinionem, & iuxta alteram negantem non tenetur; vtraque quidem opinio eſt probabilis, & poteſt Petrus, vni & alteri ſe conformare pro diuerſis temporibus, ita vt relicta vna operetur iuxta alteram: ſed in ſenſu compoſito, & ex ſuppoſitione quod primam elegerit, & illi ſe conformauerit, agnoſcens ſe obligatum ad ſoluendum Paulo lucrum ceſſans, non poteſt reſpectu eiuſdem debiti, ac eiuſdem creditoris conformare ſe alteri, negando Paulo lucrum ceſſans, hoc enim eſſet admittere duas contradictorias; videlicet, ſum obligatus ſoluere Paulo lucrum ceſſans, ſum deobligatus ſoluere Paulo lucrum ceſſans: debeo, & non debeo illud ſoluere. Similiter Epiſcopus poteſt probabiliter diſpenſare cum ſubdito, in irregularitate contracta ex homicidio voluntario iuſto, quam ſcilicet contraxit exercẽdo officium Iudicis, ſecundum probabilem opinionem affirmantem; & ſecundum negantem, quæ etiam eſt probabilis, non poteſt. Ac proinde Epiſcopus in caſu occurrenti ſubditi petentis diſpenſationem, poterit quam maluerit eligere opinionem, & illi ſe conformare, aut concedendo aut negando diſpenſationem diuiſiuè: ſed ſemel admiſſa negante opinione, nequit ſe conformare affirmanti, aut econtra; hoc enim eſſet admittere duas contradictorias, ſcilicet poſſum, & non poſſum diſpenſare, diſpenſo, & non diſpenſo cum eodem, & pro eodem tempore; nam pro diuerſis temporibus, & pro diuerſis ſubditis bene poſſet Epiſcopus operari ſecundum vnam opinionem, negando ſcilicet diſpenſationem vni ſubdito, & poſtea ea relicta, operari iuxta aliam diſpenſando ſcilicet cum alio, ſicut nobis dum Epiſcopatu fungeremur aliquando contigit. Ita in caſu Caramuelis iudicandum venit; iſtæ duæ opiniones ſunt probabiles ſecundum ſe diuiſiuè;

siuè : Petrus cum primo horologio significante horam duodecimam, potest existimare esse in die Dominico, & comedere carnes ; Petrus cum secundo horologio neutrum potuit : attamen ambæ opiniones comparatæ simul, & in sensu composito non sunt probabiles, ideſt non sunt comprobabiles. Vnde Petrus conformans se priori iuxta quam comedit carnes, iam non potest se conformare posteriori: esset enim hoc, admittere Petrum has duas contradictorias, comedi carnes in die Dominico, non comedi carnes in die Dominico, quia illas comedi in die Sabbathi ; sum ieiunus vt possim celebrare in die Dominico, quia comedi in Sabbatho : non sum ieiunus vt possim celebrare in die Dominico, quia comedi in die Dominico secundum aliam opinionem. Hoc ita fundamento solido præiacto, formatur sic argumentum. Quando duæ opiniones habent se vt affirmatio, & negatio eiusdem de eodem, ita vt sint incomprobabiles in sensu composito, licet vnaquaque sit probabilis in sensu diuiso, tunc neque pro eodem, neque pro diuersis momentis potest quis vtrique conformari, & secundum illam operari. Sed tales sunt illæ duæ opiniones primi, & secundi horologij : ergo neque pro eodem, neque pro diuersis momentis, potest Petrus, v.g. illis conformari, & secundum illas operari. Maior præmissa constat ex præiacto fundamento ; Consequentia est euidens, & Minor patet, quia illæ duæ opiniones habent se sicut affirmatio, & negatio eiusdem de eodem ; sequitur namque ex vtriusque opinionis admissione, Petrum comedisse carnes in die Dominico iuxta opinionem primi horologij, & non comedisse illas in die Dominico, sed in die Sabbathi, iuxta opinionem secundi horologij. Rursus sequitur, Petrum esse ieiunum pro die Dominico iuxta opinionem secundi horologij, & non esse ieiunum pro die Dominico iuxta primi horologij opinionem ; quæ manifestam inuoluunt contradictionem. Insuper sequitur aliud impossibile ; nimirum, quod ad præteritum detur potentia ; quia Petrus conformando se opinioni secundi horologij, vult comestionem carnium à se factam non fuisse in die Dominico, (pro quo vult esse ieiunus) nisi in die Sabbathi.

Secundò probatur † ab inconuenienti triplici, quod sequitur ex contraria sententia. Primum est labefactatio, & elusio præcepti ieiunij, posset namque Petrus in Quadragesima audito primo horologio prandere, sequens opinionem probabilem, quòd anticipatio comestionis non tollit substantiam ieiunij ; & audito secundo horologio, conformando se cum illo posset ex tunc computare diem ieiunij, & iterum comedere hora solita. Quinimo posset sequi alteram opinionem, asserentem anticipationem comestionis soluere ieiunium, vtpote de cuius essentia est vnum prandium post meridiem ; & quia semel fracto ieiunio est certa sententia, quod possit quis quoties velit, comedere, posset Petrus bis, ter, & quater, mane, & post meridiem manducare, quod est eludere ieiunij præceptum.

Secundum est elusio præcepti recitandi horas Canonicas, quo tenentur Clerici, & Beneficiarij, ac Religiosi ; possit namque quis horũ suspendere recitationem horarum ad primum horologium mediæ noctis, in hac enim postpositione officij diuini nullum est peccatum ; & audito primo horologio posset se conformando cum illo dicere, iam finita est dies, & sum liber ab onere horarum Canonicarum, quod cum sit onus diei transit transacto die.

Tertium est, quod Sacerdos posset bis in eodem die celebrare, nam si habeat facultatem celebrandi statim post mediam noctem, posset audito primo horologio dicere ; iam est media nox, volo missam matutinam celebrare, & postea audito secundo horologio, posset se conformando cum illo dicere, volo huius diei Missam hora competenti celebrare, quia iuxta opinionem secundi horologij non celebraui in hac die, sed præcedenti. Hæc omnia sunt intolerabilia inconuenientia, quibus admissis fideles eluderent Ecclesiæ præcepta, imo luderent cum Ecclesiæ præceptis. Tertiò probatur à simili, siue exemplo ex ciuili contractu, & voto simplici, petito. Ex contractu quidem ciuili, quia si Petrus, v.g. ex contractu oneroso videlicet emphyteutico, vel censualistico, vel alio simili, se obliget soluere Paulo singulis diebus anni singulos aureos, non potest licitè vti huiusmodi tergiuersationibus, dicens : volo suspendere solutionem aurei vsque ad vltimum horologium, & postea audito primo horologio dicere : iam transactus est dies Lunæ, v.g. pro quo debebam vnum aureum, & ideo liber iam sum ab obligatione : idem enim posset dicere, & facere reliquis diebus, & sic omnino irritum reddere contractum, & eius valorem infringere, qui tamen validus supponitur à principio fuisse, quod est ingens absurdum. Eadem autem militat ratio in præceptis, cum hoc solo discrimine, quod ad soluendum debitum ex contractu tenetur Petrus ex iustitia ; ad soluendum verò opus debitum ex præcepto, tenetur ex obedientia : non est autem virtus iustitiæ magis obligatoria ad restitutionem debiti quàm obedientia ad solutionem operis præcepti.

Ex voto autem ; quoniam si Petrus V. g. voto simplici se obligauit recitare singulis diebus hebdomadæ singula rosaria, non potest vti horologiis ad non recitandũ, vt ipse Author fatetur, quia id esset contra intentionem vouentis, quæ fuit obligandi se ad recitandum vnum rosarium in vnoquoque die, & quia emisso voto, amisit vouens libertatem faciendi oppositum. Atqui eadẽ, imo maior ratio militat in præcepto superioris, quia magis obligat lex superioris, quàm vouentis lex, quæ imponitur à voluntate propria inferioris, atque etiam per illam auferetur libertas à subdito, qui semel posito præcepto Superioris, non potest moraliter facere oppositam, licet physicè id possit, quia iuxta regulam Iuris, tantùm possumus, quod iure possumus : Igitur dictus Author voluntariè negat tergiuersationes in contractibus, & votis simplicibus, quas affirmat in præceptis, cùm sola hæc differentia versetur, quod ad soluendum debitum ex præcepto, tenetur quis ex obedientia, ad soluendum autem debitum ex contractu aut voto, tenetur ex iustitia, aut ex religione ; quæ ad dictam disparitatem minimè conducit.

Vltimò suadetur nostra sententia † soluendo 5

fundamenta, quæ pro præfato Authore adduci poſſent. Primum eſt de illo, qui ſola mutatione loci liberatur à præcepto ieiunij, vt ſi Matriti vigeat hodie præceptum ieiunij in honorem alicuius Sancti Patroni, & Petrus velit adire alium locum vbi tale præceptum non extat, ſola mutatione loci manet liber à præcepto ieiunij: ergo pariformiter ſola mutatione opinionis poterit liberari ab vno, vel alio præcepto. Secundum eſt de illo qui ingreditur nauim cum ſolo diurnali, habens intentionem ſequendi illam opinionem, quæ docet, ſolum diurnale ſufficere ad recitandum officium diuinum: & poſtquam nauim eſt ingreſſus, mutauit opinionem, & vult ſequi contrariam, ſcilicet, aſſerentem Diurnale non ſufficere; iuxta quam inquit, cum ſolo diurnali non adimpleo præceptum recitandi totum officium diuinum, ob defectum matutinalis officij, quæ eſt maior, & principalior pars diuini officij, & aliàs careo breuiario: ergo ſum liber à præcepto recitandi quandiu duret nauigatio: ergo ſimiliter poteſt quis admiſſa opinione primi horologij, eam mutare, & conformare ſe opinioni ſecundi, iuxta quam iam manebit liber ab officio, vel ieiunio diei præcedentis. Tertium ſumitur ex facto Chriſti Domini euntis cum duobus diſcipulis in caſtellum Emaus, prout refertur à S. Luca *cap. 24. ſui Euangely*, ibi: *Appropinquauerunt Caſtello, quò ibant, & ipſe* (ſcilicet Chriſtus) *finxit ſe longius ire, & coëgerunt illum dicentes: mane nobiſcum quoniam adueſperaſcit, & inclinata eſt iam dies.* Quibus verbis planè ſignificatur Chriſtum habuiſſe duas voluntates conditionatas ſimul; vel vnam abſolutam, ſcilicet manendi cum duobus diſcipulis, præuidens fore ab illis inſtanter rogandum; & aliam conditionatam, ſcilicet non manendi ſed vlterius progrediendi, ſi ab illis non rogaretur, quam vel verbis, vel ſignis aliis externis declarauit, fingens ſine mendacio ſe longius ire: quas duas voluntates conditionatas poteſt habere Petrus, manendi ſcilicet ad prandium cum Paulo ſi ab illo rogetur, & non manendi ſi non rogetur. Quod ſi moraliter cognoſcat eum fore rogandum à Paulo, prima eius voluntas erit abſoluta manendi cum Paulo, & ſecunda erit conditionata: ergo nihil obſtat, quominus Petrus in noſtro caſu habeat propoſitum adhærendi opinioni primi horologij, & comedendi carnes conformando ſe illi, & ſimul habeat propoſitum adhærendi opinioni ſecundi horologij poſt duo momenta; & dicat, volo in hoc momento conformare me opinioni primi horologij, vt cœnem carnes: volo etiam in ſecundo momento, audita hora duodecima, ſecundo horologio conformari cum eius opinione, vt ſim ieiunus ad communicandum, vel celebrandum die Dominico.

6 Verùm † ab his argumentis vindicatur noſtra ſententia. Ad primum namque reſpondetur admiſſo antecedente, negando conſequentiam. Ratio diſcriminis eſt, quod præceptum ieiunandi aut etiam audiendi Sacrum in vno loco, quod in alio non viget, eſt locale, ac proinde non extenditur eius obligatio vltra illud territorium in quo viget; parificatur enim in hoc lex conſuetudini, quæ non extenditur ad alium locum in quo non eſt recepta. Vnde tale præceptum non obligat niſi ex ſuppoſitione, quod homo ſit in tali loco, vel ciuitate, & conſequenter non obligat trenſeuntem ad alium locum; etiamſi tranſeat animo non ieiunandi, vel non audiendi ſacrum, quia in hoc vtitur homo iure ſuo, vtpote poſſeſſor ſuæ libertatis, qua liber eſt ad mutandum locum, quem adire voluerit, & nulla lege cogitur in eodem loco permanere, niſi ratione officij publici, aut beneficij, aut ſpeciali lege ſuperioris ad reſidendum per diem in eo loco conſtringeretur; & de hoc non procederet propoſitus caſus. At in concurſu duarum opinionum probabilium, inſtante præcepto, contradictoriè oppoſitarum, admiſſa ſemel vna iam homo non manebit liber ad eligendum alteram, quæ in ſenſu compoſito non eſt comprobabilis cum prima, neque vtitur iure ſuo, ſed fraude & fallacia, qua vult reddere inane, & fruſtraneum præceptum, vt conſtat ex dictis. Ad ſecundum de aſcendenti nauim cum ſolo diurnali, vt reſpondeamus præmittendum eſt, quod iſte caſus poteſt contingere vno ex tribus modis: videlicet, aut iſte Clericus ſiue Religioſus obligatus ad integrum officium diuinum recitandum, habuit cauſam aſcendendi ſine breuiario, vel quia illud non habebat præ inopia, vel quia illud vendidit preſſus neceſſitate, & aliàs opus erat illi nauigare. Et in hoc caſu iudicandum eſt de illo pariter atque iudicamus de illo, qui extra nauim caret omni breuiario, nimirum, quod neuter ad matutinale officium tenetur, quod ſine breuiario integrè recitari non poteſt. Vel aſcendit nauim voluntariè & ſine cauſa vrgenti dimittens breuiarium, nihil cogitans de opinionibus, an ſufficiat diurnale pro officio integrè recitando, vel non ſufficiat? Et in hoc caſu peccat lethaliter prima vice, qua nauim aſcendit, quia aſſumpſit occupationem incompoſſibilem cum obſeruantia præcepti ſine cauſa. Quotieſcumque autem † quis ſine cauſa rationabili, & vrgenti ſiue vincenti præceptum, ſumit occupationem incompoſſibilem cum obſeruantia præcepti, peccare cenſendus eſt vti violator præcepti, quoniam præceptum dum obligat ad aliquod opus, conſequenter obligat ad vitandum quodcumque impedimentum incompoſſibile cum obſeruantia eiuſdem præcepti, intellige ſine cauſa appoſitum, vel aſſumptum, alioquin vana foret vis præcepti, & intentio legiſlatoris irrita foret, ſi ſubditos relinqueret liberos ad ſibi aſſumendum pro libito officia, vel occupationes, quæ eſſent cum obſeruantia præcepti omnino incompoſſibiles. Vel Tertiò iſte aſcendit nauim ſine breuiario, cum ſolo Diurnali, exiſtimans ſufficere diurnale iuxta opinionem probabilem; & conformans ſe illi nauim ingreditur nauigationem facturus. Et data hac hypotheſi iam non poteſt licitè pro alio momento eligere contrariam opinionem, aſſerentem ſolum diurnale non ſufficere ad officium matutinale recitandum, vt ſic deobligetur ad illius recitationem; itaque non poteſt licitè dicere primo momento, volo ingredi nauim, vt cum ſolo diurnali ſatisfaciam præcepto ſoluendi penſum matutinalis officij, & pro ſecundo vel tertio momento, nolo cum ſolo diurnali ſoluere penſum matutinalis officij, quia iudico illud non ſufficere: eò quòd iuxta regulam, pro hoc, & ſimilibus caſibus aſſignatam, licet vtraque opinio ſeorſim, & in ſenſu diuiſo ſumpta ſit probabilis, & tuta conſcientia ſequibilis: ſecus verò ſimul, & in ſenſu 7

compo

composito, in quo secunda cum prima semel admissa fit incomprobabilis.

8 Sed meritò dubitabis; † vtrum ille, qui inuenitur cum solo diurnali siue intra, siue extra nauim, teneatur ex vi Ecclesiastici præcepti recitare illam partem, quæ continetur in diurnali matutinalis officij, scilicet psalmos, & antiphonas sine lectionibus, & responsoriis, quæ sunt in Breuiario. In hoc casu tres opiniones D.D. reperio. Prima est Nauarri *in cap. quamquam de consecratione, num.* 15. vniuersaliter id affirmantis, imo irridendos esse (ait) eos, qui se ad recitandas horas matutinas, non teneri censent, eò quòd careant Breuiario; nam iuxta regulam traditam communiter à D.D. in materia præcepti, aut voti, qui non potest in totum eam adimplere, non deobligatur ab adimplenda parte sibi possibili, maximè si maior sit pars illa. Secunda opinio huic è diametro opposita, est aliorum dicentium excusari omnino à recitandis matutinis, siue sint nouem, siue trium lectionum, eò quòd lectiones matutinales, & responsoria, siue tres tantùm sint, vt in officio feriali, vel festi simplicis, siue nouem vt in officio duplici, ac semiduplici, sunt materia grauis, & pars principalior eiusdem officij, sine qua non saluatur integritas substantialis matutinalis officij, à cuius proinde solutione excusatur, qui caret breuiario; quam sententiam sequitur Ioannes Sanchez *disp.* 15. *n.* 2.

Tertia media via procedens est, quam sequitur Thomas Sanchez *in summa lib.* 1. *cap.* 19. dicens carentem Breuiario excusari quidem à recitatione matutinalis officij nouem lectionum, quòd hæc sit pars principalior, & materia grauis, sine qua pensum matutinale non saluatur: non verò excusari à recitandis psalmis, & antiphonis matutinalibus in officio trium lectionum, quas existimat esse materiam leuem, & partem non essentialem, sed modicam, atque ideo insufficientem ad tollendam moralem matitunalis pensi integritatem. E quibus sententiis mihi magis arridet secunda, quamuis irrideat à Nauarro; sed malo irrideri ab illo, quàm nouem aut etiam duodecim psalmos cum solo diurnali in vanum recitare.

Ad tertium respondetur admisso antecedenti negando consequentiam. Fatemur quidem li-
9 benter † Christum Dominum habuisse simul duas voluntates, vnam scilicet absolutam manendi cum duobus discipulis ad cœnam, præsciens fore ab eis rogandum; & aliam conditionatam non manendi, si ab illis non rogaretur. Similiter quoque Petrus digrediens ad amicum, potest habere simul has duas volitiones conditionatas, scilicet manendi cum illo ad prandium si rogetur, & non manendi si non rogetur. Quinimo eodem actu voluntatis potest in hæc duo obiecta partialia conditionata ferri; volo manere cum Paulo ad prandium, si rogatus fuero, & non manere si rogatus non fuero; quoniam in negotiis liberis in quibus nullum instat præceptum, nullum est inconueniens in concursu huiusmodi duarum voluntatum; sicut inuenitur in concursu duarum opinionum probabilium, in quo instat præceptum abstinendi à carnibus in die Sabbathi, & communicandi ieiunum in die Dominico. Vnde si dum Petrus diuertit ad Paulum, habuisset præceptum prandendi cum illo, & ea intentione eius domum adiret, iam non posset licitè hanc secundam voluntatem conditionatam habere, volo non manere cum Paulo ad prandium si non fuero rogatus ab eo, quia hæc voluntas illicita foret, vtpote transgressiua præcepti saltem in affectu.

Restat, vt † de quinque thesibus dicti Epis- 10
copi Caramuelis iudicium faciamus. Igitur prima thesis, quæ est aliarum basis, & fundamentum, & quam ipse clariorem existimat, cùm tamen nocte obscurissima obscurior sit, vtpote falsissima; cuius falsitas constat ex ratione nostra fundamentali *num.* 3. qua ostendimus neminem posse vti pro distinctis momentis duabus opinionibus contradictoriè oppositis, ex quarum admissione sequitur inobseruantia præcepti. Deinde secunda thesis asserens ex harum opinionum mutatione nullum sequi præiudicium Tertij, id est damnum iniustè illatum, licet damna ex illa sequantur: duas quoque inuoluit falsitates, nimirum in prima parte alteram, & alteram in secunda: nam si ex contractu oneroso Petrus, v. g. esset obligatus soluere Paulo singulis diebus anni singulos aureos, & vellet circa horam duodecimam noctis diei Lunæ, deobligari à soluendo nummum aureum debitum pro die Lunæ, vtendo illis duabus opinionibus primi, & secundi horologij; proculdubio damnum iniustè illatum, siue præiudicium Paulo inferret. Rursus licet demus sola damna ex ea opinionũ mutatione sequi Paulo, v. g. adhuc non potest dicta mutatio ab inconuenienti, & absurditate vindicari, quod erat intentum secundæ partis; nam illa sententia ex qua actiuè sequuntur damna inconuenientia, & absurda, non potest non esse nociua, inconueniens, & absurda; etenim iuxta Euangelium neque bona arbor malos fructus, neque mala potest bonos fructus facere. Vnde & illam consequentiam bonam iudicamus tertiæ Thesis: *ex hac doctrina sequentur magna inconuenientia: ergo illa non erit probabilis*, saltem practicè; si tamen ex illa sequantur inconuenientia actiuè, & non tantùm passiuè, & occasionaliter. Quemadmodum opus illud quod actiuè infert proximo scandalum, non potest non esse malum moraliter, tunc enim scandalum esset datum; alioquin si dumtaxat esset acceptum & passiuum, posset opus esse bonum moraliter, quandoquidem mali homines ex bonis operibus scandalizantur ob suam deprauatam intentionem, sicut araneæ ex rore venenum concipiunt.

Deinde ad quartam thesim veniamus non minus falsam, quàm præcedentes, cuius falsitatem ostendit regula illa quam assignauimus *numero* 7. inter soluendum secundum argumentum, quæ firma & fixa adhærere debet cordibus. D.D. bene sentientium: Nimirum quod quæcumque lex siue præceptum directè præcipiens in foro conscientiæ aliquem actum ex consequenti, & indirectè vetat quodlibet opus cum tali actu incompossibile, vetat, inquam, opus incompossibile assumere sine causa, alioquin cum causa vrgenti assumi potest: per quam varij casus morales resoluuntur. V. g. de illo, qui transiens de loco in quo est præceptum ieiunij, vel audiendi Sacrum, ad alium locum, vbi neutrius viget præceptum, etiamsi id faciat illa intentione vt non ieiunet, vel vt non audiat

Sacrum,

Sacrum, excuſatur quidem à culpa non ieiunando, vel non audiendo Sacrum, quia habet cauſam in ſua libera voluntate, cuius poſſeſſor eſt tranſeundi de loco ad locum; de illo quoque, qui ex ludo pilæ, vel ſimili aſſumpto recreationis cauſa fatigatus in die ieiunij, non ieiunat, etiam excuſatur à culpa; ſed non ita facilè excuſaretur ab omiſſione recitandi officium diuinum; quia defatigatio ſufficiens deobligare à ieiunio, non æquè deobligat à recitatione officij, eò quòd corporalis fatigatio, magis opponitur ieiunio quod vires corporales frangit, quàm recitationi horarum, quæ non tantum vires corporis eneruat: Cum hac prænotatione, variæ quoque ſententiæ D. D. ad concordiam reuocantur.

Igitur per hanc firmam regulam fateri tenemur, legem præcipiẽtem opus aliquod virtutis, ſimul compræcipere, ne ſubditus mutet opinionem, ex qua ſequitur inobſeruantia, ſeu eluſio præcepti, alioquin Eccleſiaſticæ leges & ſuperiorum præcepta eneruarentur, nullámque vim haberent obligandi ſubditos, ſi huiuſmodi cautelas, tergiuerſationes, & eluſiones non excluderent. Quare dicendum eſt illas vi ſua excludere, licet legiſlatores antiqui eas nec expreſſerint nec præuiſerint.

Quinta theſis, aſſerens hanc doctrinam, ſcilicet Epiſcopi Caramuelis, habere locum etiam in contractibus, licet ex mutatione dictaminis damna alteri contrahentium ſequantur, dummodo (ſubdit Author) alter cedat iuri ſuo; alioquin fatetur ſuam doctrinam non tenere in contractibus, ſicut tenet in præceptis. Sed pariformem militare debere rationem in contractibus, atque in præceptis, ſi dicta vera eſſet, ſatis oſtendit diſcurſus factus *num.* 4. Quod ſic oſtendo exemplo illius, qui ex contractu ciuili obligat ſe ſoluere alteri ſingulis diebus anni ſin gulos aureos. Sicut enim, qui ſic ſe obligat, non poteſt licitè vti ea mutatione opinionum primi, & ſecundi horologij, vt alterum ſcilicet creditorem defraudet, niſi iſte cedat iuri ſuo; quia dum non cedit iuri ſuo non conſentit huiuſmodi tergiuerſationi; potéſtque appellare ad opinionem vltimi horologj, & dicere debitori: adhuc non eſt tranſactus dies Lunæ, pro quo debes mihi vnum aureum, vnde ſi non ſoluas inuitus patior hoc damnum, ac per conſequens iniuſtè damnificor. Ita etiam in præceptis contingit: nam qui manducat carnes circa mediam noctem Sabbathi, ſequitur opinionem primi horologij, & in ſecundo momento vult mutare dictamen, & ſequi opinionem ſecundi horologij vt ieiunus celebret, aut communicet pro die dominico; tunc neque lex, neque legiſlator cedunt iuri ſuo; dicerent enim ſi interrogarentur, tu cænaſti carnes in die dominico iuxta dictamen, quod cum opinione primi horologij formaſti: ergo non potes licitè communicare quia non es ieiunus, & ſi communicaueris ſacrilegus eris. Sed neque potes mutare opinionem, & primum dictamen, vt non ſerues legem obligantem te, vt ieiunus communices. Vnde ſicut in contractu adducto debitor faceret iniuriam creditori non cedenti iuri ſuo: non diſſimiliter ille, qui cum primo horologio cœnauit carnes, irrogaret iniuriam legi Eccleſiaſticæ prohibenti, ne quis communicet non ieiunus, ſi vellet primum mutare dictamen, quia hæc lex non ceſſit iuri ſuo; imo poſſidet ſuam vim, ex qua habet obligare quoſcumque non ieiunos, cum hoc tantum diſcrimine, quod in contractu debitor peccaret contra iuſtitiam; in caſu autem præcepti, violator peccaret contra obedientiam, & contra religionem.

DISPVTATIO X.

De Amicitia; in duas difficultates diuiſa.

DIFFICVLTAS I.

De amicitia inter æquales. Quæ ſit lex amicitiæ & quo iure homines liget?

SVMMARIVM.

1 *Amicitia humana etſi non ſit virtus per ſeipſam, eſt tamen ſocia & comes virtutum moralium.*
2 *Amicitia eſt neceſſaria humano conuictui.*
3 *Ariſtoteles amicitiam Soli comparat.*
4 *Amicitiæ lex diſponit vnam vtriuſque amici debere eſſe voluntatem, ſicut & bona indiuiſa.*
5 *Lex amicitiæ à Lycurgo inter Spartanos conſtituta.*
6 *Romani amicitiam cum aperto pectore depingebant.*
7 *Inimicus ab amicitiæ fœdere in perpetuum eſt excludendus.*
8 *Lex amicitiæ præcipit æqualitatem inter amicos, vt de facili non rumpatur.*
9 *Lex naturalis amicitiæ præcipit, vt amicus diligat alterum propter bonum ipſius, non propter ſui commodum.*
10 *Ariſtoteles diſtinguit triplicem amicitiam humanam.*
11 *Amicitiæ propter commodum proprium contractæ ad fortunæ mutationem deficiunt.*
12 *Verus amicus in tentatione dignoſcendus eſt; & ſemel inuentus tanquam theſaurus in pretio habendus.*

VONIAM amicitiæ legis obſeruatio eſt valde neceſſaria humano conuictui, præſertim in communitatibus, operæ pretium duxi illam breui calamo exponere, & ob oculos proponere

proponere, ne ob eius ignorantiam, siue iustam & inuincibilem, siue iniustam & vincibilem aliqui iura amicitiæ rumpant, in magnum
1 Communitatis detrimentum. Igitur † amicitia humana etsi non sit virtus per se ipsam, sed cum virtute ideſt socia & comes virtutum moralium, vt ex Aristotele *lib.* 8. *Ethicorum* docuimus 2.2. *quæst.* 23. *art.* 1. *dub.* 1. *ad* 5. & merito; quia amicitia potest deperdi absque culpa habentis per solum alterius dissensum, qui voluntariè fit de amico inimicus: cùm tamen virtus propriè dicta nunquam sine culpa habentis amitti queat. Quia tamen est humano generi & hominum conuictui valde necessaria, datur de illa lex quædam naturalis ac diuina, quæ conditiones seruandas inter amicos præscribit.
2 Amicitiam † enim esse necessariam humano conuictui testatur Philosophus in præallegato *lib.* 8. *Ethicorum cap.* 1. dicens, *ad vsum vitæ necessaria maximè*: & Parens Augustinus *in libro de amicitia tom.* 4. *cap* 8. comparat illam Soli dicens.
3 *Solem † è mundo tollere videntur, qui amicitiam è vita tollunt; quia nihil à Deo habemus iucũdius*: quod desumpsit ex Cicerone *lib.* 6. *de amicitia* dicente. *Latini amicos vocant necessarios, qui amicitiam tollit è mundo Solem tollere videtur*: quasi sine amicitia mundus consistere non posset, sicut neque sine Sole. Imo neque homines sine amicis vitam agere possint, dicente Seneca *in lib.* 6. *de remediis fortunæ*: *nihil est peius quàm amicos non habere; si amicum perdidisti alium quære.* Et merito, quia homo est suapte natura animal sociabile, ac proinde à natura ipsa rationali ad conuersandum cum aliis inclinatus; vnde in ipsa naturæ rationalis inclinatione lex amicitiæ fundatur, quam proinde inter naturales atque diuinas, ideſt à Deo naturæ conditore insitas numerare debemus, de qua merito Ouidius cecinit:

Illud amicitiæ sanctum, & venerabile nomen.

Et idem Augustinus *cap.* 1. *eiusdem libri* illam ait esse virtutem, *qua talis dulcedinis ac dilectionis fœdere ipsi amico copulatur, vt vnum fiat de pluribus.* Dum autem eam virtutem appellat, non strictè nomen virtutis vsurpat, sed largius pro bono quodam de se conuenienti & laudabili, virtutes consequenti, constanti ac perpetuo de se, accipit virtutis nomen. In quo sensu *cap.* 2. subdit, quod eam inter virtutes, quæ æternæ sunt, etiam mundi huius Philosophi collocauerunt. Vtramque partem nostræ suppositionis probat Aristoteles in præallegato *lib.* 8. *Ethicorum cap.* 1. suadens sex rationibus amicitiam humanam esse hominibus necessariam, & naturalem: itavt vnus solus homo in mundo viuere non posset: *Sine amicis enim nullus vtique eligeret viuere, habens reliqua bona omnia.* Tum etiam quia est virtus, id est habitus electiuus pertinens ad genus iustitiæ vel saltim cum virtute: id est effectus quidam virtutum laudabilis & honestus, indéque eius consideratio ad Philosophum moralem spectat. Rursus quoniam amicitia inest secundum naturam generantis ad genitum: vnde quodammodo inuenitur in omnibus illis animantibus, quæ longo tempore studium adhibent ad prolis educationem. Tum denique quia amicitia est maximè naturalis hominibus, qui sunt vnius gentis ad inuicem, in quantum communicant in eisdem moribus & conuictu, per quam & ciuitates conseruantur, & homines habentes amicos nullis indigent, quia omnia sunt eis communia: eò quòd amicus est alter ego, iuxta Pythagoricum dogma.

Huius ergo † amicitiæ lex disponit primò 4
vnam vtriusque amici debere esse voluntatem, sicut & bona indiuisa: de qua propterea dixit Cicero *ad Lælium*: *Est amicitia omnium diuinarum, humanarumque rerum cum summa charitate consensio*: quod mirificè obseruatum fuisse in Pithia, & Damone, atque in Pilade, & Oreste videmus, quorum alter pro altero propriam vitam quasi vtriusque communem gladio obtulit. Vnde Manilius cecinit.

Optauitque reum sponsor non posse reuerti:
Sponsorémque reus timuit ne soluere ipsum.

Et cum illo Ouidius.

Ire iubet Pilades charum periturus Oresten.
Hic negat: inque vicem pugnat vterque mori.

Fere idem refert D. Thomas *Opusculo de regimine lib.* 1. *cap.* 10. *& lib.* 4. *cap.* 22. de prædictis duobus discipulis Pythagoræ, scilicet Pythia ac Damone ad vnguem sui præceptoris hanc amicitiæ legem obseruantibus: quapropter cum iste reciprocus animorum consensus & bonorum communicatio, non possit congruenter & perpetuo inter plures homines obseruari, præcipiebat quoque † lex amici- 5
tiæ constituta à Lycurgo inter Spartanos, vt refert Plutarchus *in vita Lycurgi*; quod si vnus semel cum altero amicitiam inierit, prohibiti essent alij, ne alterum illorum ad suam amicitiam traherent vel conducerent, iuxta præceptum Aristotelis *in dicto lib.* 8. *Ethicorum*: & Plinij Iunioris dicentium; *Perfecta cum multis amicitia institui non potest.* Et *lib.* 9. *Ethicorum cap.* 10. *Ita diffiniendus est numerus amicorum, vt non plures sint quàm ij cum quibus vitam liceat traducere*; eò quòd impossibile moraliter iudicarunt isti Philosophi & legum latores, animum vnius hominis sufficere ad obseruandas leges & conditiones veræ amicitiæ erga multos. Quod Christus Dominus legis Euangelicæ author, & naturalis legis conformator non obscurè innuit, quando dixit *Matthæi* 6. *Nemo potest duobus Dominis seruire: aut enim vnum odio habebit, & alterum diliget: aut vnum sustinebit, & alterum contemnet.* Eo vel maximè quod secreta & arcana cordis debent amico reuelari: quam tamen reuelationem non expedit ad plures fieri. Imo neque potest; eo enim ipso quod ad plures extenderetur, desinerent esse arcana. Vnde consultò † Roma- 6
ni teste Giraldo *in libro de Diis gentium*, amicitiam cum pectore aperto depingebant. Debet quoque amicitia esse perpetua, quam perpetuitatem cum pluribus seruare non potest: Propterea namque dicitur *Prouerb.* 17. *Omni tempore diligit qui amicus est, & semper in angustiis comprobatur.* Consonat sententiæ Donati; *Amicus in perpetuum.*

Ex quo planè inferri licet † inimicum quo- 7
que in perpetuum fore ab amicitiæ fœdere ex-

cludendum, eo quod contrariorum eadem sit ratio ac disciplina. Sed nunquid inimicus non est diligendus ex charitate, quæ vera amicitia est, dicente Christo Domino veræ amicitiæ legislatore in Euangelio *Matthei 5. diligite inimicos vestros.* Vtique est diligendus, sed non in amicabilem confidentiam recipiendus: neque ad id nos obligat Christus: ad oppositum autem monemur ab Authore Ecclesiastici c.12. *Non credas inimico tuo in æternum: sicut enim æramentum æruginat nequitia illius*: ideſt ne credas ei, qui semel inimicus factus est. Quis enim ponet fiduciam in amico apparenti aut reconciliato, videns Holofernem à Iudith, Samsonem à Dalila in ipsis beneuolentiæ signis morti traditos: atque Amassam à Ioab, vt refertur 2. *Reg.* 20. in amplexu & osculo amicitiæ gladio confossum.

8 Præcipit quoque † lex amicitiæ æqualitatem inter amicos, vt de facili non rumpatur: propterea enim docuit Aristoteles *vbi supra cap.* 2. dicens: *magnum est ad amicitiam nomen, tum vnà educatos & æquales esse.* Vnde hominum erga Deum non agnouit amicitiam propter distãtiam & imparitatem extremorum. Consonat Ouidius *lib.3. de tristibus. Amicitias & tibi iunge pares*: & allegoricè illud *Deuteronom.* 22. *Non arabis in boue simul & asino*: quia incongruenter sapiens cum stulto, castus cum lasciuo, & mitis cum iracundo conuersantur. Requiritur ergo æqualitas inter amicos ad amicitiæ perpetuitatem: æqualitas inquam in moribus, consuetudinibus, & animorum talentis: non autem in diuitiis, & bonis extrinsecis fortunæ: hæc enim etsi ab vno dumtaxat possideantur, fiunt vtrique communia iuxta illud Martialis.

Aurum & opes, & rura frequens donabit amicus.

Quod & ex ipsa amicitiæ diffinitione colligitur quæ sic habet. *Amicitia est amor non latens, reciprocus beneuolentiæ in communicatione bonorum fundatus.* Hinc merito intulit Augustinus *in dicto lib. de amicitia cap* 22. ex *Prouerb. cap.*22. & *Ecclesiastici* 22. aliquos homines non esse idoneos ad amicitiam habendam cum aliis: quos ad quatuor genera reducit, videlicet, nimis iracundos, instabiles, suspitiosos, & verbosos: quippe qui de facili apponunt obicem amicitiæ aut ineundæ, aut saltem initæ.

9 Rursus † præcipit lex naturalis amicitiæ, vt amicus diligat alterum propter bonum ipsius, non propter sui commodum: alioquin erit amor concupiscentiæ non amicitiæ aut beneuolentiæ: quod est contra ipsius amicitiæ na-
10 turam. Nam etsi † Aristoteles *vbi supra* distinguat triplicem amicitiam humanam, iuxta triplicis boni communicationem, scilicet vtilis, delectabilis, & honesti: *omnis* (ait ille) *vel ad fructum dirigitur, vel ad voluptatem, &c.* & Augustinus *lib.citato cap.*3. eandem distinctionem probat, dicens amicitiam esse triplicem, nimirum carnalem siue voluptuosam, mundialem, & spiritualem, siue honestam, iuxta triplicem boni communicationem, hoc est delectabilis, vtilis, & honesti. Verumtamen duas priores statim ipse Aristoteles à vera & perfecta ratione amicitiæ relegat, eò quòd *celeriter* (ait ille) *tales amicitiæ dirimuntur.* Cui consonat Ouidius dum ait.

Turpe quidem dictu, sed si modo vera fatemur:
Vulgus amicitias vtilitate probat.

Et alibi scilicet *lib.1. de Ponto.*

Donec eris felix, multos numerabis amicos.
Tempora si fuerint nubila, solus eris.

Et vt explicat D. Thomas *lib.* 8. *Ethicorum lectione* 5. de mente Aristotelis: Amicitia de hiis tribus amicitiis, nimirum vtili, voluptuosa, & honesta, non vniuocè neque sicut genus de speciebus, sed secundum prius ad posterius, & tanquam analogum de analogatis prædicatur. Neque Philosophus est sibi contrarius *lib.9.cap.*4. dum assignat pro origine amicitiæ amorem proprium vniuscuiusque, dicens: *amicabilia autem quæ ad amicos, videntur ex hiis quæ ad se ipsum, veniſſe*: Quoniam huius testimonij sensus non est, quod amor amicitiæ, ex amore concupiscentiæ oriatur, vt prima facie apparet, & aliqui perperam interpretantur; neque enim mala arbor potest bonum fructum producere: sed quod vnusquisque erga amicum ita se gerit, atque erga seipsum, eadémque bona vult amico quæ vellet sibi ipsi. Vnde non propriæ vtilitati, neque proprio commodo debet incumbere amor amicitiæ: sed potius bono amici prospicere, contra quem non debet propriam quærere vtilitatem.

Quæ lex etsi inter amicos sacratissima, frequenter violatur & rarò obseruatur. Plures enim sunt qui propriam vtilitatem auidè prætẽdunt, nedum amico inscio, sed & contra eius votum, & sæpius cum illius detrimento. Hinc † 11 huiusmodi amicitias variari ac deficere contingit, ad fortunæ mutationem; quemadmodum defectus luminis in Luna ad Solis absentiam & distantiam consequitur. Quod scitè obseruarunt Augustinus *cap.*3. *dicti lib.de amicitia:*

Non est persona, sed prosperitatis amicus:
Quem fortuna tenet dulcis, acerba fugat.

Boëtius *lib.*2. *de consolatione prosa* 5. *quem felicitas amicum fecit, infortunium faciet inimicum:* & Ouidius dum ait:

Turpe sequi clarum, & fortunæ cedere amicum:
Et nisi sit felix, esse negare suum.

Quibus consonat Petronius dicens:

Cum fortuna manet, vultum seruatis amici:
Cum cecidit, turpi vertitis ora fuga.

Ante quos omnes Spiritus Sanctus ore authoris libri Ecclesiastici *cap.*6. dixit. *Est amicus secundum tempus suum, & non permanebit in die tribulationis,* vtpote quia in eo non durat amor amplius, quàm veniat tribulatio seu necessitas: quem proinde monet probandum fore in tentatione, dum subdit: *si possides amicum, in tentatione posside eum, & ne facilè credas ei.* Neque enim ex grato aspectu, aut hilari vultu, sed ex permanentia nobiscum, & perseuerantia † in 12

tentatione

tentatione verus amicus dignoscendus est, & semel inuentus, tanquam thesaurus in pretio habendus. De quo propterea idem author Ecclesiastici *cap. citato* ait, quod est adinstar lauri contra fulmina. *Amicus fidelis protectio fortis: qui autem inuenit illum, inuenit thesaurum.* De quo argumento plura habet Nazianzenus *oratione 6.* vbi veri amici laudes prædicans, inquit ex eodem *cap.6. Ecclesiastici: Amico fideli nulla est comparatio, & non est comparatio auri & argenti contra bonitatem illius.* Insuper quod est protectio fortis, & munitum pallatium, & solatij portus. Et subdit ex *Prouerbiorum cap. 18. quod vir amicabilis ad societatem magis amicus erit, quàm frater:* & ex *Canticorum 4.* quod est, *hortus conclusus, fons signatus.* Sed quis est iste, & immortalibus laudibus efferemus eum? Hactenúsque de lege naturali amicitiæ tam rarò in mundo obseruata, tam frequenter violata, dicta sufficiant. Et vtinam cum aliquali vtilitate, vt prævaricatores redeant ad cor: id est tanti luminis contemptores ad amicitiæ veræ Solem conuertantur.

DIFFICVLTAS II.

De amicitia speciali Principis ad subditos. Vtrum Principi, Regi, ac Dynastæ expediat amicissimum aulicum (vulgo priuado) habere, apud quem sit totius regiminis pondus?

SVMMARIVM.

1 *Referuntur Authores affirmatiuam sententiam tuentes, quam variis argumentis conantur suadere.*

2 *Moyses ad gubernium populi Israëlitici immediatè à Deo electus, elegit septuaginta viros strenuos, &c. quos constituit Principes & Tribunos populi.*

3 *Alexander Magnus elegit Parmenionem & Ephestionem in sui Aulicos & familiares amicos.*

4 *Referuntur Authores pro negatiua sententia, quam ex plurimis & summis inconuenientibus probant.*

5 *Rex Hispanus Matriti habet duodecim consilia, quorum assensu & consilio quæuis negotia quantumuis ardua expediuntur.*

6 *Administrorum studium & officium erga Principem in perpetua adulatione versatur.*

7 *Administri in adulatione Principis dum versantur, ab aliis adulatorias laudes desiderant.*

8 *Respondetur obiectioni, non expedire scilicet Regi tristia & infelicia nuntiare.*

9 *Rex otio assuefactus, consuetudine in naturam versatimet laborem, quem videt sibi ex administri absentia imminere.*

10 *Durante fortuna Aulici huiusmodi administri, leges iustitiæ distributiuæ violantur.*

11 *Respondetur obiectioni, scilicet non esse consanguineos à publicis muneribus excludendos.*

12 *Administro aulico subiunguntur alij subalternati ministri, quos in negotiorum expeditionem introducit.*

13 *Aulici administri in sublimiori loco constituti, vetera odia conantur vindicare.*

14 *Aulicorum mos circa verbi Diuini concionatores, dum veritatem dicunt, & munus prout lege Diuina tenentur, adimplent.*

15 *Aulicus minister comparatur cum fulgure.*

16 *Aulicorum totum est studium, vt præbeant delitias Regibus eorum moribus ac inclinationi adaptatas.*

17 *Aulici huiusmodi administri regulariter vitam miserrimè finiunt.*

18 *Quatuor sunt peccata, quæ ad Deum clamare de terra dicuntur.*

19 *Referuntur exempla quædam miserrimæ mortis quorundam Aulicorum.*

20 *Princeps transferens regiminis pondus in vnum amicissimum Administrum, vt ipse à cura regiminis sit liber, peccat contra ius naturale, Diuinum & humanum.*

21 *Deus speciali prouidentia confert hominibus regna, non vt illa possideant, sed vt gubernent.*

22 *Reges sunt populorum ac rationalium ouium Pastores.*

23 *Inter Regem & Rempublicam celebratur pactum legis Regiæ, quod more contractus est vltro citróque obligatio.*

24 *Reges propter tyrannidem & ignauiam, licitè & sanctè à solio Regiæ dignitatis deponuntur.*

25 *Referuntur mores Aulici administri ab ipso Christo depicti.*

26 *Conueniens est Principi habenti multas prouincias, aliquot habere administros cum quibus negotia expediat, si tamen conditiones de iure requisitæ in eos concurrant.*

27 *Referuntur duæ capitales conditiones in bono administro requisitæ.*

28 *Licitum est Principi & honestum habere Aulicum amicissimum ad illi communicandum in secretis cordis, diuerticulis & oblectamentis, &c.*

29 *Quæ assertio, cum limitationibus quæ referuntur, probatur.*

30 *Princeps debet esse omnibus virtutibus Theologicis ac moralibus ornatus.*

31 *Respondetur ad argumenta pro prima opinione ab initio adducta.*

IN hac difficultate bipartitos inuenio Authores, qui de hoc argumento tractarunt, id est in duas opiniones è diametro oppositas diuisos. Alij enim affirmatiuam sequuntur, de quorum numero sunt † Philo Iudæus *in libro de creatione Principis.* Seneca *lib. de consolatione ad Polybium cap. 26.* & D. Thomas *lib. 4. de eruditione Principis c. vltimo.* Quæ sententia potest sequentibus argumentis suaderi. Primò ex verbis ipsius Angelici Doctoris, quæ sic habent. *Quærendum est Principi cum discretione & diligentia, quem constituat super familiam suam.* Et infra. *Quærendus est ergo ei fidelis & prudens, & danda ei potestas, vt quod videbitur sibi agendum facere possit: contra quem clandestinæ & susurratæ delationes non sunt recipiendæ. Fidem debet ei Princeps habere exemplo illius Ægyptij,* 1

qui omnibus traditis Ioseph, ignorabat quid habebat in domo sua. Bernardus. *Erubescat Christianus Christiano sua non credens: homo sine fide, fidem tamen habuit seruo, super omnia sua bona constituens eum, & hic erat alienigena.* Hæc ille; quibus nedum adstruit suam sententiam, de conuenientia in eligendo ad negotiorum expeditionem aliquem vnum virum fidelem, ne fraudet Principem, & prudentem, ne fraudetur; verùm etiam eam exemplo Potiphari Ægyptij, authoritate Euangelij, & Sanctissimi Bernardi testimonio confirmat. Secundò eandem suadet multitudo negotiorum occurrentium nedum successiuè, sed etiam simul eodémque tempore, qua pressus Princeps, vnus cum sit, non potest se solo ea expedire, ac proinde alicuius socij laboris & administri solertia indiget. Quæ fuit causa motiua vt Gregorius XIII. in sua constitutione, quæ incipit, *In tanta negotiorum mole*, priuilegia à Sanctissimo Pio V. concessa ad formam iuris communis reduceret; quia necesse est supremum Principem tanta negotiorum mole occupatum, & aliàs ad largitionem gratiarum inclinatum, multas concedere non concedendas. Quibus consonant Tacitus *lib.* 3. *Annalium* dicens, *Principem sua prudentia non posse omnia complecti:* & illud Cassiodori *lib.* 8. *Epistolarum. Socium curarum frequenter sibi adhibent Reges, inde meliores existimati, quod soli omnia non præsumant:* & alia quæ ex Cicerone *lib.* 1. *de officiis*; Chrysostomo *oratione* 3. *de Regno*, & Simanchas *lib.* 9. *de Rep. c.* 2. in ornamentum huius argumenti congerit Pater Velazquez *lib.* 5. *de optimo Principe, annotatione* 1.

Tertiò id ipsum suadent exempla antiquorum Principum tam fidelium, quam Ethnicorum, qui sibi pro regimine Regni, aliquem administrum amicissimum asciuerunt. Quorum
2 primum locum tenet † Moyses, qui non obstante, quod fuerit à Deo Optimo Maximo ad gubernium populi Israëlitici immediatè electus, consilio sui soceri Ietro Sacerdotis Madian, vt refert Sacra Exodi historia *cap.* 18. de tota plebe delegit septuaginta viros strenuos, sapientes & timentes Deum, in quibus erat veritas, & qui oderant auaritiam, quæ sunt quatuor optimi & integerrimi Iudicis condiciones. Cuius congruentissimam rationem adiecit Ietro; *Leuiusque sit tibi, partito in alios onere: si hoc feceris, implebis imperium Dei.* Quo ductus consilio Moyses, & qua suasus ratione, eos constituit Principes & tribunos populi, qui iudicabant plebem omni tempore: quidquid autem grauius erat, referebant ad eum. Dauid quoque diuinæ sapientiæ dono illustratus, & prophetico numine raptus, habuit Ioab in pace consiliarium familiarissimum, & in bello ducem exercitus: quem tamen ob mortem Abner fraude ac dolo perpetratam, Salomon eius filius & in Regno successor, consilio & iussu parentis moribundi, cornu altaris tabernaculi adhærentem fecit ense trucidari: & teste Valerio Ma-
3 ximo *lib.* 4. *cap.* 7. † Alexander Magnus, stupor mundi elegit Parmenionem, & Ephestionem in sui aulicos & familiares amicos. Imo his & aliis huiusce generis refert Sacra historia *lib* 1. *Machab. cap.* 1. eum suas diuisisse prouincias, ibi: *Et vocauit pueros suos nobiles, qui secum erant nutriti à iuuentute, & diuisit illis Regnum suum, cum adhuc viueret.* Iulius Cæsar, qui è Dictatore, primus Imperatoriam dignitatem per tyrannidem arripuit, habuit consiliarios Caium Oppium, & Cornelium Balbum: teste Suetonio *in Cæsar.* Octauiano Augusto astitit Mecænas. Tiberio astiterunt Seianus, & Nerua. Hancque fuisse Romanis Imperatoribus veluti præscriptam, & insitam consuetudinem, innuitur & supponitur pluribus in legibus; vt *leg. diui fratres, ff. de iure patronat.* ibi. *Sed & Volusius amicus noster.* & *leg. finali ff. de officio Prætorum vigilum*, & notat Marquez *in suo gubernatore Christiano lib.* 1. *cap.* 17. Arridéntque huic laudabili consuetudini leges nostræ Hispaniæ, vt *lex* 5. *titul.* 9. *partita* 2. *lex* 22. *titul.* 5. *lib.* 3. *Recopillationis*, quod & notant Simanchas *lib.* 9. *de Rep. cap.* 2. Bobadilla *in politica lib.* 3. *cap.* 9. Quæ omnia confirmantur, tum quia videtur esse consilium Spiritus Sancti *Ecclesiast.* 6. *Multi pacifici sint tibi, & consiliarius sit tibi vnus de mille*: & *Prouerbiorum* 11. *salus autem vbi multa consilia.* Tum etiam exemplo Dei optimi maximi, qui cùm esset omniscius, nullius consilio indigens, & cuius sapientia attingit à fine vsque ad finem, fortiter suauiter cuncta disponens, nihilominus quosdam præ ceteris delegit sibi amicos, specialibus prærogatiuis donatos; vt Abrahamum in lege naturæ, apud quem hospitabatur, Moysem in lege scripta, cui ore ad os loquebatur, non per ænigmata, sicut cæteris Prophetis; & in Euangelica lege Christus Dominus, delegit sibi præ cæteris discipulis dilectum & amicum, qui propterea in Euangelio notanter dicitur, *discipulus quem diligebat Iesus.*

Secundam † sententiam negantem tuentur 4
alij, de quorum numero sunt Æneas Siluius, postea Pius II. *tractatu de felicitate & miseria curialium*, Neuizanus *lib.* 4. *siluæ n.* 155. & Velazquez *lib.* 5. *de optimo Principe annotatione* 5. Matheus Lupus *in suo libello de Rege & regendi ratione, lib.* 2. *folio* 58. & Ioannes à Sancta Maria *in sua politica c.* 36. Illámque probant ex pluribus & ingentibus inconuenientibus, quæ tum Principi, tum Reipublicæ & Regno ex hoc aulico administro sequuntur, & eidem frequenter administro. Primò quia Reges in plurimum habere solent in suis curiis Senatus cõsultos, & consilia ad singula negotiorum genera expedienda: maximè † Rex Hispanus Matriti duo- 5
decim habet consilia, quæ ex viris solertissimis, experientia, litteris, & virtute præstantibus componuntur, quorum consilio & assensu quæuis negotia quantumlibet ardua expediuntur. Neque vllum negotium adeò arduum & difficile aut peregrinum occurrit, quod in vno aut altero istorum Senatu, feliciter expediri non valeat. Nam pro regimine aulæ Regiæ adest consilium Status. Pro rebus bellicis præsto est consilium belli. Pro causis iustitiæ, Senatus supremus Regius auditorum. Pro bonis patrimonij Regij & ratiociniis institutus est specialis Senatus. Pro decidendis negotiis Regnorum externorum coronæ Castellæ aggregatorum, instituta sunt consilia Lusitaniæ, Aragoniæ, Italiæ, & Americum. Ac tandem pro decidendis causis fidei & religionis, adest supremum Sanctæ & generalis Inquisitionis tribunal: igitur superfluum, ne dicam nociuum est, negotia ab hiis consiliis

filiis extrahere ad singulare vnius administri iudicium. Ex quo fit, vt dum negotia extra venaţa currũt, sicut sanguis extra proprias corporis humani venas effusus, nocumentum inferant mystico Reipublicæ corpori. Nam si vbi sunt multa consilia, est sanitas iuxta Salomonis proverbium: vbi tantum est vnius consilium, ibi necesse erit infirmitatem esse.

Secundò probatur ex alio grauiori inconue-
6 nienti, quia horum † administrorum studium & præcipuum officium erga suum Principem, in perpetua adulatione versatur. V. gr. dicunt Principi, quod est omnium bonorum Dominus absolutus, quod omnia potest, quod quæcumque tributa potest à subditis exigere, quod nullis legibus prouinciarum etiam conuentionalibus & iureiurando firmatis adstringitur, quod volunt illum magnum & præ omnibus diuitem efficere; ex eius nomine proprio, suæ familiæ & posteritati nomenclaturam vsurpant, vt à Ferdinando, Fernandez, à Philipo, Philipez nuncupantur, secunda ei nunciant, infelicia abscondunt. Quos propterea merito hostes domesticos appellant Chrysostomus & Gregorius, citati ab Afflicto *lib.* 1. *constitutionum Neapol. Rubrica* 45. *n.* 53. & Ossorius *in Epistola ad Reginam Angliæ* aduersus illos ita exclamat. *Sunt veritatis hostes sempiterni, omnibus bonis infesti, Regibus valde pernicioſi: neque solum in Rempublicam vniuersam teterrimi, sed in Deum ipsum maximè scelerati; sunt igitur homines isti scelerati, atque pestiferi ad vltimas terras exterminandi, ne sceleris eorum contagio ad Regum perniciem emanet, totámque Rempublicam mortifera tabe conficiat.* Cum tamen è contrario continuum studium fidelis ministri, in propulsando veritatem etsi amarulentam suo Principi versari debeat, ex *cap. Paratus* 23. *quæst.* 1. provt Neroni suggerebat Seneca *lib.* 2. *de clementia cap.* 1. dicens: *non vt blandiar auribus tuis, nec enim mihi hic mos est: maluerim veris offendere, quàm placere adulando*; provt Tolonicus Regis Theodorici familiarissimus faciebat, qui semper in dicendo patientiam, & in suggerendo veritatem amabat, neque sui Principis voto; de quo propterea præconia fundens Velazquez *lib.* 5. *de optim. Princip. annotat.* 19. exclamat. *O egregium apud Principem ingenium, ô præclarum administrum, qui pro fortuna Principis non cum fortuna loquebatur.*

Hinc emergit aliud inconueniens, quod cum
7 isti † administri in adulatione Principis versantur, ita ab aliis adulatorias laudes & nũcupationes excipere summoperè desiderant, quod potissime ab hiis qui ambiunt dignitates & munera consequuntur. Hinc quoque fit omnia fere scribentium volumina hac intentione euulgari, vt adulandi erga hos Proceres occasionem & materiam arripiant, quibus longas & prolixas epistolas dedicatorias in eorum laudibus consumunt, præstantissimas antiquorum virtutes cumulantes, eisque melius conuenire mentientes: ac proinde beatissimas ac felicissimas Respublicas esse, quæ talium Magnatum regimen habere meruerunt, cum tamen vt verum fatear, citra omnem adulationis vmbram, horum Regimen sit Principis infelicitas, & Regni deploranda calamitas, datum seu permissum à Deo ob punienda subditorum delicta; qui teste Iob *cap.* 34. *Regnare facit hypocritam propter peccata populi*: & teste Isidoro *lib. sententiarum*: *Irascente Deo talem Rectorem populi suscipiunt, qualem pro peccatis merentur: & Reges si qui antea videbantur esse boni, accepto regimine fiunt mali.*

At respondent isti administri: Non † expe- 8
dit Regi mæsta, tristia, & infelicia nuntiare, ne mærore tabescat, ne concidat vultus eius; sed semper læta & iucunda pandere, vt eius vultum vbique lætum, hilarem, & iucundum subditi intueantur. Sed hic profectò est omnium pessimus error, imò expedit Principi cuncta siue prospera, siue aduersa pro vtilitate sui Regni degustare, æqualémque fortunam experiri, vt ex aduersis cautior & prudentior euadat: & communicato negotio, petitóque consilio, salubre remedium ab optimis & peritissimis quærat. Quod tamen facilè contemnet, si prosperis duntaxat assuefactus acerba & difficilia ignoret. Nam teste Tibullo;

Luxuriant animi rebus plerumque secundis;

Eo vel maximè quod Rex teste Xenophonte *lib.* 3. eligitur, non vt se molliter curet, sed vt qui eum elegerunt, per ipsum bene, beatéque agant. Neque regna propter Reges, sed econtra Reges propter Regna fuisse inuentos & institutos, abundè probant ex Aristotele, Plutarcho, Cicerone ac D. Thoma, Menochius *lib.* 1. *illustr. cap.* 1. Soto *lib.* 3. *de iustitia quæst.* 6. *art.* 4. Nauarrus *in cap. Nouit. de iudiciis, notabili* 3. Marquez *lib.* 1. *sui gubernatoris, cap.* 10. & Perez Delara *in compendio vitæ hominis, cap.* 12. Sed pro ly *dolor* quod isti administri non ea solùm intentione moti amara & tristia Principi occultant, vt ab eius corde tristitiæ materiam auertant, sed alia perniciosiori: nimirum vt sic dulcibus ac lætis cor Principis assuefactum, ocium deinceps, quietem, mollitiem & luxum appetat: laborémque fastidiens, & exosum habens, totum regiminis pondus in humeros sui administri deponat, qui sic Principem deliciis, otio, quieti, & luxui assuefecit, vt totum dominium ac regimen vsurparet, solúmque nomen Regis ei relinqueret: cum tamen Regalis dignitas, non in solo titulo, sed in officio, labore, & cura consistat.

Hincque oritur aliud malum haud minus
graue, quod † Rex sic otio, & quieti assuefactus, 9
consuetudine in naturam versa, vix potest à se talem administrum repellere, etiamsi populi damna experiatur; quia timet laborem, quem videt sibi ex administri absentia imminere. Verumenimvero hæc omnia mala ex illa vnica radice viciosa proueniunt, quod Principi amara occultentur, & solùm dulcia propinentur: Cùm tamen veritas licet amaras habeat radices, dulcissimos fructus proferat: quibus quæcumque molestia ex eius reuelatione Principi causata, abundè compensetur; vt in specie nostri casus luculenter probat Mariana *tom.* 1. *de rebus Hispaniæ lib.* 4. *c.* 9. consonat Baldus in lege *Æmilius ff. de Minor.* ibi. *Magnus est Cæsar, sed maior est ratio & veritas.* Facitque valde in eandem sententiam, triumphus veritatis in aula Darij Regis Medorum, cuius fit mentio *lib.* 3. *Esdræ, cap.* 4. vbi Iuuenis ille Zorobabel, qui veritatis partes agebat intra aulam Regiam, loco ad congrediendum delecto, conuitia in cæteros decertatores iactauit, intrepidus dicens. *Vinum iniquum, iniquus Rex, iniquæ mulieres, iniqui*

omnes filij hominum, & iniqua illorum opera; & non est in ipsis veritas, & in sua iniquitate peribunt, & veritas manet & inualescit in æternum & viuit & obtinet in secula seculorum. Quæ prædicatio nedum non inuisa fuit populo & Regi, sed adeò grata vt ille exclamaret. *Magna est veritas & prævalet*: & iste ilico subiungeret. *Pete & dabo tibi secundum quod inuentus es sapientior proximis, & proximus mihi sedebis, & cognatus meus vocaberis.* Sed proh dolor! quod in aula Regis Pagani & Idololatræ veritas triumphum reportauit, & vexillum erexit, quæ in pallatiis Regum Christianorum pro temporum horum iniuria succumbit, imo ei valuæ clauduntur, quia claues sunt apud mendaces adulatores, qui mendacio & adulationi feras aperiunt, veritati autem præcludunt.

Tertiò, ex alio grauiori damno probatur
10 sententia, quod † durante huiusmodi aulici administri fortuna, continuo leges iustitiæ distributiuæ, in munerum, officiorum ac dignitatum tam secularium, quàm Ecclesiasticarum distributione violantur: eò quòd tota eorum cogitatio eò tendit, vt suas domos augeant, consanguineos, affines, ac familiares dictis muneribus cumulando, contra naturale, diuinum, & humanum ius, quæ dictant hæc non sanguine iunctis, non amicis, non domesticis, sed dignioribus esse conferenda; imitantes proculdubio impium Seianum, qui Tiberij Augusti gratia abutens, omnes dignitates ac præfecturas teste Tacito *lib. 5. Annalium* sibi & suis arripiebat: cùm tamen ex recta, vel iniqua horum munerum dispensatione, salus, vel ruina Imperij dependeat.

Hinc fit hos Aulicos administros facilè in suis consanguineis & domesticis grauia crimina dissimulare; in alios verò leuiores culpas seuerè animaduertere; eos iam in arctos carceres detrudendo, iam à Curia, & quandoque à proprio solo relegando. Quod vitium quò antiquius, eò peius & incurabilius est, vtpote secundum Mythologos ortum à Ioue. Nam propterea Gentiles (aiunt lepidè Mythologi) Iunoni litabant diuinos honores deferendo, quod esset soror Iouis, qui videns se in supremo solio considentem, & tanquam maximum Deorum adoratum; non solùm sibi, sed cunctis suis consanguineis diuinos honores popposcit.

11 At dicunt isti administri. Cur nostros † consanguineos & amicos, quos æquè dignos inuenimus cum extraneis, à publicis muneribus excludemus? cum ratio consanguinitatis aut amicitiæ non reddat eos deterioris conditionis, argumento ex *cap. 1. de concessione præbendarum in 6. & cap. Ex literis, de iure patronatus.* Verùm præterquam quod ob suorum amorem administri facillimè decipiuntur, huic eorum effugio quadrupliciter obuiat Pater à Sancta Maria *in Politica Christiana cap. 36.* Primò, quod Princeps debeat honores & præmia in omnes Reipublicæ ciues, tanquam pater in filios certa propositione seruata refundere. Secundò, quia cæteri videntes se huiusmodi honoribus priuatos, eo quod nec consanguinei, nec amici sunt talis administri, quorum primum ipsis natura, & secundum fortuna negauit, aut à virtute desistent, aut in aliquod seditionis machinatæ præcipitium ruent aduersus ipsum aulicum ministrum. Tertiò quod minimè expediat hos aulicos administros, diuitiis, potentia, & familia nimis crescere, ne ipsam domum & familiam Regiam opprimant, aut opprimere intendant. Quartò, quod neque oportet consanguineos & familiares aulici administri officiis ac dignitatibus cumulare, ne ad talem statum Regem & Regnum perducant, in quo nec insontes iniuriam passi iustam vindictam postulare audeant, neque zelum habentes authoritatis Regiæ ipsum Regem commonefacere audeant.

Quartò arguitur ex alio, inconuenienti; ni-
mirum quia † huic administro semper adiun- 12
guntur alij subaulici, & veluti subalternati ministri, ad illius nutum prompti, & mores formati, (vtinam illo non deteriores) quos in negotiorum expeditionem introducit, vt ipsius expleant voluntatem, etiam cum publici boni detrimento, qui aliàs talibus muneribus, & præfecturis sunt inepti, nedum indigni. De quo argumento satis luculenter tractat Plutarchus *in sua Politica*, & Scipio Amiratus *in suis politicis dissertationibus, lib. 15. discursu 1.* qui & subdit summum flagitium esse, vt stupidus cubicularius, qui Principi suo non aliam præstantiorem operam præstitit, quàm indusium, aut obsonium, aut calceos pedibus adaptandos, velit impudenter coram experto & strenuo milite, de arte bellica consilium, aut iudicium ferre. Igitur debet vnusquisque (ait Scipio) intra cancellos artis cuius gnarus est se continere, ne in eum vulgare iactetur dicterium: *non sutor vltra crepidam* Quod damnum effugiens immortali laude dignus Imperator Alexander Seuerus, vt testatur Lampridius, de more habebat in vnaquaque arte, aut officio, illius dumtaxat peritos consulere, v. g. si de iure tractabat, doctos & Iuris peritos adhibebat; si de negotio bellico, milites veteranos, expertos, & castra metandi, atque formandi acies peritos requirebat: maximè autem eos qui historias nossent, à quibus interrogabat; *Quid in talibus causis, quales in disceptationem versabantur, veteres Imperatores, vel Romani, vel exterarum gentium feciissent.* Cui consonat Cicero *lib. 1. de officiis* dicens: *Ad ea eligenda, quæ dubitationem afferunt, adhibere homines doctos debemus, vel etiam vsu peritos, & quidnis in vnoquoque officij genere placeat, exquirere.*

Quintò facit in eandem sententiam, quod
isti † Aulici administri videntes se in loco subli- 13
miori constitutos, vetera odia à se, vel à suis progenitoribus aduersus alios Proceres concepta suscitantes, omnibus modis conantur vindicare; quandoque debita præmia eis denegando, quandoque eis munera illa conferendo, quæ aut inutilia, aut laboriosa, aut maioris sumptus, quàm quæstus sunt: provt Ioannes à Sancta Maria *in sua Politica cap. 37. §. Aduiertan.* & Marquez *lib. 1. sui gubernatoris cap. 17.* adnotarunt: dicentes nunquam Reges suis aulicis tantam potestatem conferre debere, vt aduersus alios iniusta exequi valeant; memores Regis Assueri erga Aman, & Tiberij Cæsaris erga Seianum, qui potestate sibi concessa, vel vsurpata abutentes, varias crudelitates & tyrannides in alios exercuerunt. Hinc etiam aliud damnum erumpit, quod isti administri nouas lites mouent, aut antiquatas & silentio sepultas excitant aduersus eos, contra quos ius aliquod habere suspicantur, vt quos in priuata fortuna vincere non

potuerunt,

potuerunt, ad gratiam Principis euecti vincant, eos bonis propriis & iurisdictionibus ac titulis expoliando; quia tunc mille habent homines ipsorum fortunæ adulantes, & gratiam ambientes, Tribunalium Iudices, Aduocatos, Tabelliones, Procuratores & testes vltro se offerentes, & patrocinium præstantes, quorum phalangi partes resistere non valentes, miserè in lite succumbunt. Et quod grauius, multæ causæ Regium patrimonium tangentes, quas quia ad hos aulicos ministros spectant, nullus Fiscalis aut Cósiliarius in controuersiam pro sui muneris obligatione deducere audet, sed veluti sacras silentio prætermittit, non sine Regij patrimonij præiudicio ac detrimento. Ex qua radice ambitionis & liuoris aliud damnum emanat valde Reipublicæ noxium, quod sicut Iudices & Magistratus ipsorum causis fauentes, etsi de iustitia malè meritos ad maiora officia promouent, relictis aliis qui digniores sunt, eò quòd eorum fauorabili sententiæ non subscripserunt: ita & alios Magnates ac Proceres eis placentia non loquentes, totis viribus ab aula & oculis Principis remouere conantur, imo & à Curia relegare procurant, ex affectu inuidiæ, ne eis adæquentur, & ad culmen promeritæ dignitatis ascendant. Ista namque est vis inuidiæ, cæteris vitiis terminum habentibus, quæ aut tempore, aut senectute, aut satietate finiuntur: illa sine termino debachatur, *inuidia* (ait Parens Augustinus in quodam sermone) *est odium alienæ felicitatis; respectu superiorum, quia eis non adæquatur, respectu inferiorum, ne sibi adæquentur, respectu parium, quia sibi adæquantur.* Non igitur mirum, si Aulicorum administrorum inuidia sine termino omnes probos ac bene meritos ipsis non obsequentes odiat, sine termino conturbet, sine termino persequatur, & sine termino deiicere studeat.

Sextò probatur ex alio inconuenienti, nec
14 minus intolerabili; quod isti † administri, diuini quoque verbi concionatores, quibus ex officio secundum Apostoli præscriptum 2. *ad Timoth.* 4. euangelizare incumbit arguendo, obsecrando, & increpando, si nudam & sinceram veritatem annuntient, ilico à Curia egredi & deportari iubent, non alia ratione, nisi quia suum munus provt tenentur lege diuina, adimpleuerint: econtra verò placent, & ornati beneficiis in Curia retinentur, atque ad Episcopalem dignitatem promouentur, qui floscul is, & oratoria arte bene compositam orationem veritate palliata repræsentant, quos vulgo Criticos vocant: sicque verificatur dicterium Comici; *Obsequium amicos, veritas odium parit:* & sententia Apostoli, quam vaticinando de hiis calamitosis temporibus *vbi supra* protulit, dicens. *Erit enim tempus, cum sanam doctrinam non sustinebunt, sed ad sua desideria coacernabunt sibi magistros prurientes auribus, & à veritate quidem aures auertent, ad fabulas autem conuertentur.* Quod damnum scitè Menochius *in sua Politica lib. 2. cap. 7.* Principis, & concionatoris culpæ adscribit.

Eandem doctrinam experiuntur Doctores & Magistri, qui in libris quos euulgant, veritatem sincerè docent ac defendunt, iniusta, aut nimia tributa ab administro inuenta condemnan-
15 tes. Est enim † aulicus administer adinstar fulguris, qui si licet maiori ictu percutit, in quibus maiorem inuenit resistentiam. Nec non Conciliarij & Senatores, qui aut tali administro, aut seruitiis ac donatiuis ab ipso iniustè petitis consensum non præbent, nulla habita ratione ad eorum merita ac Zelum iustitiæ, aut senatoria toga priuati, depositi, aut suspensi, vacui ignominiosè in suas domos secedere compelluntur, nisi prius ab administro seuerè animaduersi, mærore tabescentes vitam miserè finiant. Eandem pariter fortunam degustant ciuitatum Procuratores & Rectores, qui comitiis Regni intersunt, vbi de negotiis grauissimis tũ Regẽ, tum Regnum tangentibus agitur; si fortè administri aulici effrœni desiderio contraueniant, à quo ob hanc causam contumeliosis verbis ac factis impetuntur, debitisque honoribus & præmiis priuantur, remuneratis supra modum aliis, qui aulici administri voluntatem per fas & per nefas impleuerunt. Qui vt eos liberius & efficacius in suam sententiam trahat, (provt iam volentes nolentes experti sumus) ciuitates quarum interest suffragari in comitiis, suffragio decisiuo priuat, & compellit, vt procuratoribus à se delectis, aut forte nominatis, mandatum deferant absolutum & independens decidendi in dictis comitiis, absque recursu ad easdem ciuitates, & irrequisito earum consensu. In quo duo flagitia perpetrantur. Primum est, quod Princeps violat aut ius naturale, quo secundum probabilem opinionem Patris Marianæ tenetur consensum ciuitatum requirere, ad noua tributa imponenda siue exigenda: aut saltem ius ciuile politicum & amicabile fœdus, secundum quod requiritur citra dubium ad eundem effectum ciuitatum consensus: tum ex lege ciuili Regni, per ipsum Principem constituta, tum ex lege amicitiæ inter ipsum & ciuitates initæ, quas minimè Princeps pro libito rumpere valet, cùm iam gratia hæc in vim contractus transierit, conuentionalisque fuerit & onerosa, sub conditione operum ac seruitiorum à ciuitatibus ipsis Principi olim exhibitorum, ac in posterum exhibendorum. Secundum est, quod huiusmodi suffragia & pacta à dictis Procuratoribus in comitiis exhibita, & quidquid ex eis producitur, sunt ipso iure nulla & irrita, propter carentiam integræ libertatis in Procuratoribus, ex importunis precibus, promissionibus, & minis administri grauem merum incutientibus inductam. Paria namque esse aliquid fieri coactè, & violenter ex metu & minis, atque ex precibus importunis illius qui minas exequi potest & solet; probat Thomas Sanchez *lib. 4. de matrimonio disp. 7. à n. 4.* & Diana *part. 2. tractatu 2. Miscellan. resolutione. 50.* Nec non quia tot promissionibus ac donatiuis allecti suffragantes, censentur corrupti ita, vt per eos facta debeant pro infectis haberi; provt latè & scitè resoluit Farinacius *tractatu de testibus q. 67. §. 7.*

Neque obstat prudenter & sapienter reputari factum, quod plurimorum consilio ac iudicio est factum, *ex cap. Prudentium, de officio delegat.* hoc enim procedit, quando plurium iudicium & sententia profertur à pluribus & non ab vno; aut causa vnius, hoc est causa complacendi vni administro: nam quando plura fiunt propter vnum, ibi tantum esse vnum & non plura, testatur Baldus *in leg. cum dotem Cod. de prima dot.*

dot. & in *lege* 1. *de sentent. & interloquutor. omni. Iud.* ita vt etiam dispositiones plures factæ ratione vnius & eiusdem rei, vnica tantum censeantur dispositio *ex leg. etiam* 30. §. 1. *ff. de minoribus.* Quapropter satius foret vnius administri Aulici voluntatem, plurium Senatorum in consiliis, aut procutatorum in comitiis voluntatibus conformari, iuxta salubre Marci Antonij Imperatoris documentum commendatum à Petro Gregorio *lib.*10. *de Rep. cap.*3. & à Simanchas *lib.*9. *eiusdem tractatus c.* 2. & à Iulio Capitolino in eius vita relatum. *Æquius est* (aiebat Marcus) *vt ego tot, talium que consilium amicorum sequar, quàm tot, talésque amici meam vnius.*

Septimò facit in eandem sententiam, aliud ingens damnum, quod ex hiisce aulicis experimur: qui vt in sui Principis gratia & amicitia conseruentur, omnia ludorum & voluptatum genera ei propinare sedulò studeant, imo
16 hoc est † totum eorum studium, vt præbeant delicias Regibus, eorum moribus ac inclinationi adaptatas, iuxta illud vaticinium, quod olim Sanctus Patriarcha Iacob de suo filio Aser protulit *Genes.*49. *Aser præbebit delicias Regibus, seu voluntates,* secũdum aliam versionem. Quoniam solam hanc vocem *Placebo*, isti familiarissimi Regis attendunt. Quam calamitatem deplorans quidam Politicus, quod Simanchas *lib.*7. *de Rep. c.*4. in hæc verba flendo prorumpit. *Infinita est nostri seculi improbitas, & perfidia quorundam consiliariorum, qui suadent non ea quæ honesta & salutaria esse, sed ea quæ Principum cupiditatibus arridere, ac seruire intelligunt. Et hæc est fere summa aulicorum sapientia, animaduertere quò Principum voluntas propendeat, ac ad eum scopum omnia sua consilia dirigere: vt consiliarij Cambysis, cui inquirenti an liceret sororem in matrimonium ducere? Responderunt ei licere quidquid vellet.* Et sicut Principi morem gerant, non dubitant iustum iniustum dicere, dulce amarum & malum bonum; nomina virtutum vitiis, & econtra vitiorum nomina virtutibus adaptando. Quos propterea minatur Deus per Esaiam Vatem *c.*5. dicens. *Væ qui dicitis malum bonum, & bonum malum, ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras, ponentes amarum in dulce, & dulce in amarum.*

Vltimò facit pro eadem sententia, infau-
17 stus & miserrimus exitus, quo † huiusmodi aulici administri regulariter vitam finiunt. Tum ob aliorum inuidiam, quæ illos vtpote æquales, aut fortè inferiores sanguine, in loco superiori consedere non patitur: sempérque in eos liuoris iacula vibrat. Tum etiam ob ipsorum superbiam ac vanam præsumptionem, qua eo in culmine collocati superbiunt, obliti illius salubris documenti Spiritus Sancti *Ecclesiastici* 32. *Ducem te constituerunt, noli extolli*: & *cap.* 3. *Quantò magnus es humilia te in omnibus, & coram Deo inuenies gratiam.* Tum denique ob grauia facinora & varia, quæ ea ratione in Deum, in Principem, in patriam, & in subditos committunt, Amani Regis Assueri aulici administri facti imitatores, vt ipse Rex in sua Epistola per modum Edicti in cunctas sui imperij ciuitates missa, *libr. Esther cap.*16. relata ad similium futurorum aulicorum in Amano veluti in capite experimentum facientium, coërcendam petulantiam, scripsit; dicens. *Multi bonitate Principum & honore, qui in eos collatus est, abusi sunt in superbiam: & non solum subiectos Regibus nituntur opprimere, sed datam sibi gloriam non ferentes, in ipsos qui dederunt moliuntur insidias. Nec contenti sunt gratias non agere beneficiis, & humanitatis in se iura violare, sed Dei quoque cuncta cernentis arbitrantur se posse fugere sententiam: & in tantum vesaniæ prorumperunt, vt eos, qui credita sibi officia diligenter obseruant, & ita cuncta agunt, vt omnium laude digni sint, mendaciorum cuniculis conentur subuertere; dum aures Principum simplices & ex sua natura alios æstimantes, callida fraude decipiunt. Quæres & ex veteribus probatur historiis, & ex his quæ geruntur quotidie, quomodo malis quorundam suggestionibus Regum studia deprauentur. Vnde prouidendum est paci omnium prouinciarum, &c.* Hactenus magnus & sapientissimus Rex Asyriorum Artaxerxes, siue Assuerus veterem aulicorum siue administrorum morem referens, & veluti spiritu prophetico in horum aulicorum sceleribus nostram calamitosam ætatem depingens: maximè ob tria, quæ aduersus eos clamant, quousque illos ad infelicem finem perducant. Ex † quatuor namque hominum 18
peccatis quæ in sacra pagina dicuntur ad Deum clamare de terra, teste D. Thoma *lib.* 7. *de eruditione Principis cap.* 11. & 12. nimirum homicidio, de quo *Genes.*4. *Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra*: oppressione innocentum, de qua *Exod.* 1. *Ascendit clamor filiorum Israël ad Deum*: detentione mercedis mercenariorum, de qua *Iacob vltimo. Ecce merces operariorum vestrorum, quæ fraudata est à vobis, clamat, & clamor eorum in aures Domini Sabaoth introiuit*; ac peccato Sodomiæ, de quo *Genesis* 18. *Clamor Sodomorũ & Gomorrheorum multiplicatus*: Tria priora solent ab hisce administris aura Principis superbientibus perpetrari, dum suæ fortunæ aut inuidentibus, aut non assentantibus, necem parant, pauperes ac viduas insontes opprimunt, ac mercenarios debita mercede defraudant: cunctis quoque de Republica, aut militia bene meritis, aut debita præmia denegant, aut iam obtentis spoliant, si de ipsorum contubernio non sunt. Cùm igitur hæc tria scelera ad Deum continuò clament contra ipsos, fit vt tandem, tandem clamor pauperum & oppressorum aures Domini pulset, qui & eos à solio dignitatis subito deturbet: grauiorique dolore in sui casu premantur, quàm fuerit delectatio in Imperij solio concepta.

Hinc fit, vix vnum è millibus reperiri, qui vitam miserabili fato non finiat, & promeritas pœnas non luat. Alios namque vidimus aut legimus capite truncatos vltimo supplicio, alios præcipites ruere, & alios diuitiis iniustè comparatis spoliatos in pauperiem redactos, aut in carcerem detrusos decedere. Nam quantò altiorem locum ascenderunt, tantò periculosior fuit illis casus ac ruina: in quos propterea quadrat illud Regij vatis; *Eiecisti eos dum alleuarentur*, & illud Claudiani; *Tolluntur in altum vt lapsu grauiori ruant*: & illud Nazianzeni *oratione* 34. *Quò magis in altum pedem ponit, eò magis vertigine laborat & æstuat*: quos etiam possumus aptè cum eodem Nazianzeno *in Apologetico*, comparare hiis hominibus, quos vulgo *volatines* appellamus, qui in fune pendulo ambulant, ex quo frequenter vitæ periculum faciunt:

faciunt: de quorum proinde miserrima conditione videndi sunt Pater Mariana *tom. 1. de rebus Hispaniæ lib. 9. c. 8.* & Pater Ioannes à Sancta Maria *in sua Politica c 35.* & Franciscus Ximenez *part. 1. lib. 12. de Christian. c. 181.* Quorum
19 primus † refert miserrimam mortem cuiusdam familiarissimi Regis Garciæ in Gallecia regnantis, quem nobiles Regni insolita tributa quibus ipse eos onerabata, impatienter sustinentes, coram suo Rege Grcia trucidarunt, vt sic vita solueret gratiam Regis, qua viuens potiebatur. Secundus verò refert infelicem exitum Aluari de Luna magni Magistri militiæ Sancti Iacobi, & administri Regis Castellæ Ioannis II. quem post plures ciuiles contentiones in Castella, & sanguinolenta bella ab infantibus Aragoniæ contra suum Patruelem Ioannem II. inita, eo solo fine, vt ipsum à subiectione Aulici administri liberarent, & in Regalem libertatem restituerent, tot bellis, tot contentionibus, tot calamitatibus dormiēs Rex, tandē à somno excitatus zelo iustitiæ, nec sine affectu cupiditatis, hoc est potiendi eius thesauris absconditis, probrosæ morti addixit; vt sic ad interitum eum duceret pecunia congregata, quâ ipse vitam & prosperitatem tueri cogitauerat. Postremus autem refert de Philippo Rege Francorum, quod morti appropinquans morsibus conscientiæ pulsatus, suum primogenitum Delphinem vocans, ei strictè præcepit, vt ilico Aulico administro, cui potentiam & voluntatem subiecerat viuens, caput amputaret ob praua consilia, quæ ipsi dederat. Non secus atque Dauid moribundus, suo successori Salomoni necem Ioab sui maximi Ducis, ob facinora ab ipso perpetrata exequendam commendauit, quod obediens filius patre oculos claudente, executioni mandauit. Transactisque tribus diebus anima Parentis apparuit dicens, Deum morte administri placatum esse, & se in statu salutis existere: haud parum ei fauente iustitia, quam de tam iniquo ministro fieri iusserat. Isti sunt fines administrorum aulicorum, quibus frequentissimè contingit, vt gratiam Principis vita soluant. Quos propterea de fatuitate arguit Neuizanus *vbi supra*, quia vnum de quatuor bonis oportet eos perdere, nimirum honorem, vel vitam, vel animam, vel facultates. Æneas Siluius & Velazquez *in locis preallegatis*, eorundem periculosum statum deplorant, eò quòd deficiente Principe, qui eos amabat, ilico in successoris odium incurrunt: qui statim eos ab aula remouet, aut à Curia relegat, aut vltimo tradit supplicio, vt vel sic debiliores foueantur, & oppressi aliquantisper respirent: vel ne regimen eorum continuetur, vel ex inuidia antecessotis, vel Deo sic ordinante, vt suis delictis promeritas pœnas persoluant, & sint aliis experimentum, ne istud gratiæ & amicitiæ genus cum Regibus appetant, tot periculis plenum, & malis obnoxium. Verùm quis est hic qui experimentum hoc sumat, & laudabimus eum.

Hæc sunt præsidia, quibus posterior opinio munitur aduersus prioris phalangem: sed media via nobis incedendum est, quia medium tenuere beati, quam viam mediam tribus aperiemus assertionibus.

20 Dico primò, quod † Princeps totum regiminis pondus in vnum amicissimum administrum transferat, vt ipse otio vacet & à cura regiminis maneat liber, grande piaculum est omni Iure, naturali scilicet, diuino, & humano prohibitum. Hæc assertio præterquam quod suadetur satis argumentis secundæ sententiæ, quæ in hoc casu procedunt, probatur; tum ex parte ipsius Principis, tum ex parte eius administri. Ex parte quidem Principis triplici discursu. Primò quia † Deus est, qui speciali sua prouidentia confert 21
hominibus Regna, non vt illa vtcumque possideant, sed ad hunc finem vt illa gubernent; propterea namque dicit ipsa diuina Sapientia *Prouerb. 8. Per me Reges regnant, & legum conditores iusta decernunt:* ideóque Regni solium tenere, Dei gratia in publicis edictis & priuilegiis fatentur; vt, *Carolus gratia Dei Rex Castellæ, &c. Philippus gratia Dei, &c. Ludouicus gratia Dei Rex Gallia.* In oratione quoque quam pro Regibus fundit Ecclesia, ait; *Qui tua miseratione suscipis Regni gubernacula, &c.* qua phrasi denotat, Regem non tam Regnum quam Regni gubernacula Dei miseratione suscipere. Hæc autem gratia ac diuina miseratio non est vacua, nec otiosa, sed operatrix & studiosa in Regibus, quibus proinde dicere possumus cum Paulo 2. *ad Corinth. 6. Hortamur vos ne in vacuum gratiam Dei recipiatis.* Dum autem Deus Regibus munus gubernandi tradit, simul eis obligationem eius exequendi muneris imponit, medio suo præcepto ac lege diuina, cui proinde Rex cedere non valet: ergo neque valet pondus regiminis suis humeris impositum, in alterius videlicet administri humeros transferre. Vnde de Ioram Rege Israël *lib. 4. Reg. cap. 9.* notanter legitur, quando Iehu electus à Deo vindex domus Iezabelis, eum aufugientem sagitta confixit: *Porrò Ieheu tetendit arcum manu, & percussit Ioram inter scapulas:* ad denotandum quod Rex sui muneris obligatione terga vertens, timeat mortem obire monstruosam, qualem passus est Ioram Rex per terga transuerberatus. Ob hanc quoque muneris ac laboris functionem Regibus subsidia necessaria pendunt: temporalia quidem à populo in tributis & vectigalibus: spiritualia verò à Clero in orationibus & sacrificiis Missarum, in quarum Canone fit expressa mentio de Rege. Apostolus quoque Paulus 1. *ad Timoth. 2.* obsecrat orationes fundi, *pro Regibus & omnibus qui in sublimitate sunt, vt quietam & tranquillam vitam agamus*: & *ad Hebræos 13.* iubet præpositis in quibus & Reges comprehenduntur, præstari à subditis obedientiam; *Obedite præpositis vestris & subiacete eis; ipsi enim peruigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri.* Itaque ratio quam Paulus allegat orandi pro Regibus, & illis obedientiam præstandi est, quod peruigilant & laborant pro subditorum quiete & tranquillitate, & quod pro eis sint rationem in die Iudicij reddituri: ergo si ab huiusmodi labore & peruigilio abstinerent, gratis & sine causa eis subsidia temporalia & spiritualia soluerentur.

Secundò probatur ex ipso munere pastorali, quod in Vasallos exercent. Sunt enim † Reges 22
pastores populorum, ac rationalium ouium, haud secus atque Prælati Ecclesiastici sunt animarum pastores, cum hoc solùm discrimine, quod Reges curant de grege sibi commisso in ordine ad finem temporalem, Pacis scilicet, & quietis Reipublicæ, & illam ab hostibus corporalibus tuendam: Episcopi verò curant de ouibus sibi

commiſſis in ordine ad finem ſpiritualem, ſalutis ſcilicet animarum, atque illas ab hoſtibus ſpiritualibus tuendas. Vtrorumque tamen obligatio, quæ eis incumbit vigilandi ſuper gregem eſt de iure diuino, vtpote quia vtrique tenentur de ſuis ouibus rationem reddere in die Iudicij: quod de omnibus præpoſitis, tam temporalibus, quàm ſpiritualibus, tam Regibus, quàm Epiſcopis prædicat Paulus in loco nuper allegato.

32 Tertiò; † quia inter Regem & Rempublicam celebratur pactum legis Regiæ, quod more contractus, eſt vltro citróque obligatio; ex vi cuius Rex contrahit obligationem, gubernandi, conſeruandi, & tuendi Rempublicam in pace & tranquillitate, per adminiſtrationem iuſtitiæ in vindicandis delictis, & meritis remunerandis: Reſpublica autem contrahit obligationem obedientiam Regi præſtandi, & debita tributa ſoluendi, quod ſic declaro. Regnum aut eſt electiuum, aut iure hæreditario ſiue ſanguinis iure delatum; Si electiuum, inſtituitur Rex ſuffragiis populi, ſub ea conditione & ad eum finem iure iurando expreſsè firmata, vt poteſtate ſibi à populò collata, eum ab hoſtibus defendat, in pace ac iuſtitia conſeruet, vt vitam agat pacificam & tranquillam. Populus verò reciprocam ſubit obligationem Regi à ſe delecto obedientiam exhibendi, & debita ac neceſſaria ſubſidia præſtandi. Si verò Regnum ſit iure ſanguinis aut hæreditario delatum, Rex qui ſic in Regno ſuccedit, eadem lege Regia & pacto tenetur erga Rempublicam, quibus initio primus eius anteceſſor fuit à Republica inſtitutus: eadem enim lex & pactum explicitè admiſſa à primo anteceſſore, ad eius ſucceſſores tacitè detiuatur. Vnde licet gratia Dei, ac diuina miſeratione Reges inſcribantur, hoc non intelligitur quaſi fuerint à Deo immediatè electi, ſicut fuerunt Saul & Dauid, ſed mediante Reipublicæ conſenſu quæ in eum ſuam tranſtulit poteſtatem ac dominium: hunc enim conſenſum non excludit illa Dei gratia quæ dicitur Reges inſtituiſſe. Verumenimvero quando Reſpublica Regem eligit, aut inſtituit, & ſucceſſores admittit ad Regni coronam; contractu, conuentione, & pacto conditionato legis Regiæ, ſcilicet ſub iam aſſignatis conditionibus, id præſtat. Quare Rex qui iniuſtè Rempublicam vexat, merito Iudæis comparatur, qui arundine à Chriſto Domino accepta, illum iniuſtè percutiebant. Pacta autem, contractus, & conuentiones iure naturali tenentur contrahentes ſeruare, ita vt iuris naturalis, ſint eorum violatores: ergo & Rex, qui onus ſuis humeris impoſitum, ex vi dicti pacti in adminiſtri humeros deponit, vt ipſe otio vacet, iuris diuini, naturalis, & humani violator eſt. Quapropter eos † Reges, qui in Rempublicam tyrannide debachantur, aut ſocordes & ignaui in eius gubernio & cuſtodia inueniuntur, licitè & ſanctè poſſe aut ab vſu regiminis ſuſpendi, dato ei coadiutore, aut etiam à ſolio Regiæ dignitatis deponi, ſatis conſtat *ex cap. Grandi de ſupplenda neglig. Prælatorum*, vbi Innocentius IV. ad petitionem procerum & Prælatorum Portugaliæ, ſuſpenſo Sanctio II. à regimine, quoad vſum, ob ſocordiam & ignauiam, inſtituit loco illius in coadiutorem eius fratrem Alphonſum Comitem Bolonienſem: & *ex cap. alius. 15. q. 6.* vbi refertur quod conſulto Zacharia Papa Franci depoſito Childerico ob ignauiam, Pipinum Regem crearunt: Venceſlao quoque Imperatori ablatum legitur fuiſſe Imperium ob ſolam ſocordiam. Idque legitimè poteſt fieri, quoties non ſatis conſulitur ſaluti Reipublicæ per coadiutorem.

24

Deinde ex parte ipſius Aulici adminiſtri eadem aſſertio probatur. Primò quia quantumlibet iſte ſit aliàs idoneus, tamen ſi Rex in eum omnes curas Regni à ſe dimiſſas, vt otio vacet, transferat, nequaquam ſuo muneri ſatisfacit, adeò vt nequeius habeat exigendi à ſubditis tributa, neque iſti ea tenentur ſoluere; cùm tributa præcisè ob eam cauſam ſoluantur Regi, quod curam per ſe habeat de Regno, & quod pro eius conſeruatione in pace & iuſtitia laboret & inuigilet. Quæ autem ob cauſam debentur, ea deficiente, ilico deficiunt, vt ſcitè reſoluit Petrus Nauarra *lib. 3. de reſtitution. cap. 1. n. 228.* in quam ſententiam eleganter quidam relatus ab Heringio *in ſua Mantiſſa cap. 3.* canit.

Reges à rebus rectè dicuntur agendis:
Qui contra faciunt amiſſo nomine pulchro,
Deformi ſordent titulo; turpéſque vocantur
(O ex iſtorum numero ſit nemo) tyranni.
Optimus ille regit, qui ſe ſuóſque decenter, &c.

Secundò quia hanc veritatem nos docuit Deus Rex Regum, ac Dominus dominantium per Angelum ſuum, *Apocalypſis cap. vltimo.* Cùm enim Ioannes Euangeliſta Angelum, qui eum de myſteriis cœleſtis patriæ edocebat, vellet pronus adorare, Angelus renuit hanc adorationem excipere, dicens. *Vide ne feceris, conſeruus enim tuus ſum & fratrum tuorum Prophetarum.* Indecens namque eſt valde, ſubditos alicuius Domini, alium conſeruum & eorum ſocium adorare, ea veneratione, quæ ſoli Domino debetur: ergo indecens quoque eſt Regem aliquem ſubditum & ſeruum ſiue vaſallum ad culmen regiminis extollere, vt à ſuis conſeruis adoretur, eo cultu qui ſoli Regiæ Maieſtati eſt debitus; iniquè quoque ſubditi Regis ferunt ſubiectionem & adorationem præſtare alteri conſeruo, maximè quantam & qualem vult Aulicus Regis adminiſter à ſuis conſubditis & conſeruis nedum excipere, ſed extorquere. Nam experientia compertum habemus, hunc Regis amiciſſimum miniſtrum non eſſe contentum, vt tanquam conſeruus velit à cæteris adorari, ſed inſuper ſuperbiæ faſtu inflatum velle ſibi honores Regios vſurpare, & vt alter Rex velit à cæteris Regis ſubditis coli, timeri & adorari; velut alter Amanus Aſſueri Regis familiariſſimus, quem etiam edicto Regio cuncti ſerui Regis in foribus palatij verſantes, flexis genibus adorabant excepto Mardochæo, qui nollens genu flectere ante eum, idcirco in illius capitales inimicitias incurrit. Nam vt refert ſacra hiſtoria *Eſther cap. 3. Quod cum audiſſet Aman, & experimento probaſſet, quod Mardocheus non flecteret ſibi genu, nec ſe adoraret, iratus eſt valde, & pro nihilo duxit in vnum Mardocheum mittere manus ſuas.* Et *cap. 5.* ſubditur illum dixiſſe Zares vxori ſuæ & amicis, quibus ingentes theſauros ſuos oſtenderat. *Et cum hæc omnia habeam, nihil me habere puto, quandiu videro Mardocheum Iudæum ſedentem*

ante

ante fores Regias. Quorum etiam consilio iussit excelsam præparari crucem, nimirum altitudinis quinquaginta cubitorum, vt sequenti die super eam Mardochæus appenderetur. Tanta in vno Regis administro aulico deferbuit Regij honoris & adorationis ambitio, vt non dubitaret eam alieno sanguine stabilire.

Tertiò; quia hoc etiam damnum docuit nos Deus priuatis reuelationibus, vt videre est *lib. 8. reuelationum Sanctæ Brigittæ*, præsertim *reuelatione 16.* in qua ipsa gloriosa Brigitta testatur se audiuisse in mentis excessu filium Dei, sic ad ipsam de cuiusdam Regis amicissimo loquentem. *Filius Dei loquitur ad sponsam de quodam sagaci homine adulatore, quem Rex quidam volebat exaltare, in consiliarium recipere, dicens. Ille homo quem tu cognoscis, quem nunc Rex in Consiliarium recipere vult, lupus est: & quid aliud facturus est, nisi vt rapiat, & glutiat & fallat. Idcirco dico, quod si amicitiam meam quærit inuenire Rex, caueat vt recedat ab amicitia & conuersatione illius; non tribuat ei vnum minimum passum terræ, quam ille quærit ab eo; non iuuet cum hominibus vel muneribus suis, quia ille vellera habet ouina, sitim inextinguibilem, & fraudis venenum in corde. Si verò Rex audierit consilia eius & velit amicitiam eius, & dissoluerit se cum eo, confidendo plenariè de eo, reprobabitur à me, &c. & etiam timendum est ne cum dolore amittat Regnum &c.* Ecce in vno Aulico administro & Regis amicissimo Consiliario, cunctorum eiusdem phalangis veluti in exemplari à Christo Domino qui est via, veritas, & vita, ad beatam & dilectam sponsam suam alloquente, mores depinguntur: quæ sunt † ouina pellis, lupina voracitas, affectus glutiendi & fallendi, cupiditas insatiabilis, sitis inextinguibilis, fraudis venenum, cor dolosum ac duplex, Regij honoris vsurpatio, ac tandem eius occasione Regis reprobatio, & Regnorum amissio. Quæ omnia damna exactè suadent argumenta pro posteriori opinione adducta: Ampliúsque ea libet aliis duobus discursibus expendere & explanare. Primus est quo vtitur Matheus Lupus *vbi supra*, alloquens sic cum quocumque Rege aulicum administrum habente. *Cauebit ergo Princeps à priuato genio. Is enim, quibus te pronum malis explorauit, cautè inuoluet, lethalem Imperij obliuionem infundet, longéque à Curiæ curis auertet. Quos tibi fidos metuet, vel occultè tollet, vel falsò criminabitur, vel bonorum specie exules faciet; suæque fraudis socios consiliarios, tibi familiares & cubicularios constituet: & ne tuas vnquam aures tangat veritas, te obscurum aduersus alios, sibi vni incautum efficiet. Capitis ero reus, si absque eius venia tecum loquatur, te aspiciam. Nullus ad te, nisi per eum aditus, nec eius voluntas nisi scelere quæritur: ipsius etiam tui durior congressus. Libertis ideo & ianitoribus eius notescere pro magnifico habetur, vt quisque illi intimus, ita ad tui amicitiam validus, &c. Stultissimus in hoc, aliàs sagax Tiberius. Nero autem licet tot stupris obscurus & cladibus, hac sola virtute clarissimus. Non erat illi infra seruos ingenium. Nec tibi Princeps erit, si Philosophi verba & mentem accipias. Neminem vnum præ cæteris magnum facias, sed plures: nam se adinuicem custodient. Quod si quem extollere oporteat, non tamen eum, qui sit moribus audax, sed cuius inuidiam superet virtus. Tutius si neminem, etiam si sit optimus: nam etiam in optimum cadit inuidia, odium, & seditio.* Hactenus Lupus, de fraude, calliditate & sagacitate, ac crudelitate, qua vti solet Aulicus administer, vt apud ipsum sit absoluta potestas, absque eo quod Princeps conscius sit eorum, quæ in Regno geruntur & medela indigent: & ne ad eius aures subditorum oppressiones, miserabilium afflictiones, indignorum promotiones, & bonorum deiectiones, valeant peruenire.

Secundus sumitur ex Amano horum aulicorum pessimo exemplari, qui, vt Rex Assuerus in sua iam recensita Epistola ad prouincias suæ ditionis missa, cum dolore refert ibi: *Pietatem nostram sua crudelitate commaculans,* pietatem Regis ac beneuolentiam in crudelitatem conuertebat erga subditos. Quem morem ita ebibunt isti aulici administri, vt nihil aliud experiamur, quàm quod Rex Assuerus in suo Amano expertus est erga suam gentem, nimirum mansuetudinem Principis in rigorem, pietatem in crudelitatem, & beneuolentiam in iracundiam conuersam. Cùm enim ipse Assuerus aliàs Artaxerxes Persarum ac Medorum Princeps, mutata vice Amanum suum administrum amicissimum atque secundum à Rege, in cruce Mardochæo parata suspendi iuberet, mutatóque consilio non ex animi leuitate, sed provt pax, tranquillitas, & vtilitas Reipublicæ poscebant, primum edictum quo gentem Iudaicam in ipsius prouinciis commorantem suasione Amani morte addixerat, irritum faciens, secundum misit in cunctas prouincias, quo eandem gentem libertate donabat, eidémque vlciscendi iniuriam in suos hostes liberam concedebat facultatem, sub his verbis, quæ Esther *cap. 16.* referuntur, & aduersus aulicos administros vnius Amani imitatores, in persona ipsius Regis Artaxerxis iactantur. *Et in tantum vesaniæ prorupерunt, vt eos qui credita sibi officia diligenter obseruant, & ita cuncta agunt, vt omnium laude digni sint, mendaciorum cuniculis conentur subuertere, dum aures Principum simplices & ex sua natura alios æstimantes, callida fraude decipiunt. Quæ res & ex veteribus probatur historiis, & ex his quæ geruntur quotidie, quomodo malis quorundam suggestionibus Regum studia deprauentur, &c. Et vt manifestius quod dicimus intelligatis, Aman filius Amadathi, & animo & gente Macedo, alienúsque à Persarum sanguine, & pietatem nostram sua crudelitate commaculans, peregrinus à nobis susceptus est: & tantam in se expertus humanitatem vt pater noster vocaretur, & adoraretur ab omnibus post Regem secundus, qui in tantum arrogantiæ tumorem sublatus est, vt Regno priuare nos, niteretur & spiritu.* Et infra. *Vnde eas literas quas sub nomine nostro ille direxerat, sciatis esse irritas. Pro quo scelere ante portas huius vrbis ideſt Susan, & ipse qui machinatus est, & omnis cognatio eius pendet in patibulo; non nobis, sed Deo reddente ei, quod meruit, &c.* Hactenus Rex Artaxerxes in suo edicto pro Iudæorum libertate ad cunctas suæ ditionis prouincias misso, periculum, damnum & exitium huiusmodi aulicorum administrorum superbiæ fastu feruentium, vnius Amani exemplo perpendens: cuius tamen hisce nostris temporibus neminem imitatorem audiuimus, sed neque vtinam vnquam audiamus in posterum.

26 Dico ſecundò : † Conueniens nihilominus, imo neceſſarium eſt Regi ſiue Principi habenti multas prouincias ſuæ coronæ aggregatas, peculiaribus legibus ac priuilegiis gaudentes, habere duos aut tres adminiſtros, cum quibus negotia expediat: ſi tamen in eos conditiones de iure requiſitæ concurrant. Hanc aſſertionem probant argumenta prioris opinionis quæ hoc in caſu procedere videntur. Sed vt eam operoſius & è ſuis principiis aperiamus, duo operæ pretium eſt prænotare. Primò quod huiuſmodi adminiſtros depingere, facile admodum eſt, difficillimum autem tales inuenire: provt parens Auguſtinus *ad calcem librorum doctrinæ Chriſtianæ*, faſſus eſt, dicens. *Ego tamen Deo noſtro gratias ago, quod in hiis quatuor libris, non qualis ego eſſem, cui multa deſunt, ſed qualis eſſe debeat qui in doctrina ſana, ideſt Chriſtiana, non ſolùm ſibi, ſed aliis etiam laborare ſtudet, quantulacumque potui facultate, diſſerui.* Haud aliter mihi in præſentiarum contingit. Facillimo enim negotio depingam adminiſtros ſobrios, ſolertes, paſſionibus temperatos, virtutibus præditos, qui intra proprios cancellos detenti, abſolutum regimen non ambiant, ſed contenti ſint, ſuo Principi aſſiſtere ad negotiorum expeditionem : non vt imperantes, ſed vt illius imperij executores, aut Conſiliarij: Verùm inuenire talem, in quem iſtæ concurrant conditiones, hoc opus hic labor eſt. Primum igitur quod in hoc opere meum eſt, oſtendam ; ex *lege illa* 5. *partitarum*, quæ aſſignat duas † capitales conditiones ; ibi. *Eſtos conſejos han de tomar de homes, que ayan dos coſas. La primiera ſean ſus amigos. La ſegunda que ſean bien entendidos :* quia vt notat Gregorius Lopez *ibidem Gloſſa* 4. *Abſque prudentia & beneuolentia non ſunt perfecta conſilia.* Eaſdem quoque duas conditiones commendat D. Bernardus *Epiſtola* 42. Sed in hiis aliæ implicitè includuntur, quas numerat Philo *in lib. de creatione Principis* dicens. *Proinde aſſumendi ſunt Optimates ſelecti, ſpectatæ prudentiæ, fortitudinis, iuſtitiæ, pietatis, incorrupti, & ante omnia infenſi ſuperbiæ* : quæ numero ſunt ſex, videlicet prudentia, fortitudo, iuſtitia, pietas, incorruptio, & humilitas. Eaſdem tetigit Ioannes à Sancta Maria *in ſua Politica Chriſtiana c.* 34. Sed Ietro conſilio ſuperius relato, cuius fit mentio *Exodi* 18. quatuor tantum conſuluit, videlicet ſapientiam, veritatem, timorem Dei, & odium auaritiæ, dicens. *Prouide autem de omni plebe viros ſapientes, & timentes Deum, in quibus ſit veritas, & qui oderint auaritiam* ; qualem commendat Rex Athalaricus apud Caſſiodorum *lib.* 9. *Epiſtola* 24. *Fuiſti nimirum ſumma temporum laus, vt illum ſic ad omnia ſolicitum inoffenſa redderes famulatione ſecurum, dum molem tantam Regalis ingenij facundiæ tuæ viribus ſuſtineres : te in dictationibus arnanum, te ad iuſtitiam rigidum, te habuit à cupiditatibus alienum. Hinc eſt quod videbaris æquiſſimo Principi glorioſa dilectione ſociatus, quia eras à vitiis probabili ſequeſtratione diuiſus.* Et quales habuiſſe refert optimus Imperator Alexander Seuerus, qui iuxta inſitam animi virtutem, amicos & Conſiliarios, non furaces, non malignos, non callidos, non ad malum conſentientes, non bonorũ inimicos, non libidinoſos, non crudeles, ſed integros ac religioſos, qui nihil venderent, nihil mentirentur, nihil fingerent, nunquam ſui Principis æſtimationem, ſibi aſciuit. Eapropter Romanam Rempublicam (ait Lampridius) feliciſſimè rexit, maximè Vlpiani, Pomponij, Africani, Celſi & Modeſtini Iuris peritorum conſilio. *Ii ſunt* (ait ille) *qui bonum Principem fecerunt. Tot enim ac talibus viris, quid mali excogitari aut fieri potuit : cum omnes ad bonum conſentirent.* Pliniúſque *in Panegyrico*, & Syneſius *in oratione de Regno* inquiunt : Præcipuum Principum opus eſſe amicos comparare. *Nullum enim maius bonum Imperij eſt inſtrumentum, quàm boni amici. Et tunc fiet vt omnium oculis videat, & omnium auribus audiat, omniúmque animis in vnum conſentientibus cuncta vtiliter decernat.* Conſonat Seneca deſcribens huiuſmodi adminiſtri genium, *lib. de conſolatione ad Polybium cap.* 26. *Omnium domos illius vigilia defendit, omnium otium illius labor, omnium delicias illius induſtria, omnium vacationem illius occupatio* : Vt cum Lucano 1. Pharſaliæ ei dicere poſſumus,

Non tibi, ſed toti genitum ſe credere mundo.

Igitur hiis conditionibus ac virtutibus ornatos, non dubium, quin liceat & expediat Principi aliquos ſibi deligere in regimine ſocios adminiſtros : cum duabus limitationibus in ipſa aſſertione adnotatis. Vna eſt quod non vni ſoli ſed pluribus participatio regiminis pro diuerſitate & numero Regnorum eſt credenda: vt ſic tutius Principis authoritati & Reipublicæ vtilitati conſulatur : ob rationem aſſignatam à Philone ſtatim citando, à Simanchas relatam *in lib.* 1. *de Republica cap.* 4. Altera eſt quod Princeps non debet expeditionem negotiorum eorum abſolutæ poteſtati relinquere, quin eis aſſiſtat, grauioribúſque ſaltem cauſis curam impendat. Quod autem ſic expediat delectio & aſſociatio talium adminiſtrorum probatur: Tum quia ex illa nullum imminet periculum, nullum damnum commune aut priuatum timeri poteſt. Tum etiam ex verbis Philonis *vbi ſupra* quæ ſic habent. *Eſt autem id quoque poteſtatis ſummæ officium, eligere aliquot adminiſtros, reddendíque iuris ſocios. Vnus enim non ſufficit quantumuis alacris fortiſque corpore ſimul atque animo, in tanta mole negotiorum ac multitudine quotidie aliis affluentibus ſuper alia. Ac proinde aſſumendi ſunt Optimates ſelecti ſpectandæ prudentiæ, fortitudinis, iuſtitiæ, pietatiſque incorrupti, & ante omnia infenſi ſuperbiæ. Nam huiuſmodi viri maximè idonei ſunt ad ſubleuandum ope ſua bonum, honeſtumque Principem. Præterea cum aliquando res magnæ, aliquando minores tractandæ ſint, ne in exiguis conterat operam Princeps, ſub præfectis eas delegabit : maiores verò ipſe examinabit diligentiſſimè. Maiora dico negotia, non vt quidam exiſtimant controuerſias, quæ inter claros, diuites potentéſque incidunt : ſed quoties priuati, egeni, obſcuri premuntur à potentioribus; dum nulla præſidij ſpes eſt, niſi in iudice. Quæ dico patent exẽplis Sacræ Scripturæ, à quibus nõ decet diſcedere. Fuit enim tempus, cum ſolus Moyſes præſidebat, iudiciis occupatus, & laborans à mane vſque veſperam. Tunc ſocer eius optimè conſuluit, vt Vicarios eligeret, qui minora tractent negotia ; ipſe vero maiora curet, interquieſcens nonnihil.* Hæc ille ; in quibus nedum conuenientiam, ſed etiam neceſſitatem probat deligendi plures ſocios in regimine Principis adminiſtros, eò quòd

vnus

vnus ad plura ac diuersa negotiorum genera non sufficit; cuius etiam rationem assignat Simanchas *lib.5. de Rep. cap.*18. ex Homero & aliis plurima congerens, ad probandum impossibile esse, quod omnia ab vno negotia perfectè resolui possint, cum vni non omnia requisita, sed singulis singula dona impertiatur Diuina prouidentia, iuxta illud Poëtæ.

Artibus ornantur variis, non omnia solus
Vnus habet: valet hic consilio, ille manu.
Hic pulsat cytharam, ille canit, ruit alter in hostes,
Munere sic vario sydera quemque beant.

Quod argumentum elegantius prosequitur Paulus 1. *ad Corinth.* 12. dicens, non omnes Prophetas, neque omnes Apostolos, neque omnes Doctores, neque omnes habere gratiam patrandi miracula; sed harum gratiarum singulas singulis hominibus ab Spiritu Sancto fuisse donatas; in qua distinctione pulchritudo Ecclesiæ consistit. Vtque nullus aduersus alterum infletur, nullus superbiat, sed omnes sine querela, modestéque sibi commissum ministerium exequentes in eundem cooperentur finem: hoc est in subditorum vtilitatem, & corporis Ecclesiæ ædificationem.

28 Dico tertiò & vltimò; † licitum & honestum est, quod Princeps habeat aliquem aulicum amicissimum & familiarem præ cæteris dilectum: non quidem ad negotia Regni expedienda, sed ad illi communicandum & conuiuendum in secretis cordis, diuerticulis, atque oblectamentis; qui nuncupari potest, amicus cordis, & Hispano idiomate, *Priuado para el gusto*, dummodo ab hac sphæra, in aliam scilicet administri negotiorum expediendorum non transiliat: quod quia difficillimum est, propterea cum magna cautela à Principe suscipiendus,
29 & tractandus est. Cum † hiis autem limitationibus nostra assertio probatur: Primò quia id exposcit continuus in regendo labor, & assidua cura quam Princeps in regiminis administratione impendit, vt aliquando vacet à labore, & quietem aliquam assumat; Atqui in otio & quiete, opus est cum aliquo amico confabulari, cui etiam secretas cordis cogitationes pandat, ad animi afflicti, laboréque & nimiis curis oppressi subleuationem nonnullam percipiendam. Secundò, quia operæ pretium est Principi sic defatigato quandoque solitudinem petere, & venationi operam dare, necnon ludum aliquem honestum suscipere: in huiusmodi autem ludi, ac venationis exercitiis, ludicra quædam ac jocosa expedit verba intermiscere, non quidem ab omnibus aulicis ei famulantibus, (hoc enim eum scurram & vulgarem efficeret,) sed vni vel alteri magis intimo familiari: oneroſum namque valde esset Principem continuo & sine vlla intermissione grauitatem vultus, modestiam & seueritatem præ se ferre. Arcum enim oporret quandoque soluere & laxare, ne frangatur: igitur licet Principi vnum vel alterum Aulicum amicissimum deligere, cum quo dictam familiaritatem sine Majestatis ac seueritatis detrimento possit exhibere.

30 Tertiò; quoniam cum † Princeps debeat esse omnibus virtutibus Theologicis videlicet & moralibus ornatus, vt ostendit Angelicus Doctor *opusculo de eruditione Principis lib.* 1. & 2. inter quas numerantur Eutrapelia, & gratia seu affabilitas, quarum illa ponit modum & mediocritatem in ludis, cum sit pars temperantiæ, teste eodem Sancto Doctore 2.2.*q.*168. *art.*2. ista verò cum sit pars modestiæ, facit hominem decenter conuersantem, hoc est gratum aliis in externis dictis ac factis: debet igitur Princeps esse Eutrapelus, vt quandoque honestum assumat in ludis solatium, animum relaxando, ne austerus videatur; nec non affabilis, id est gratæ ac decentis conuersationis, ne insipidus, & iniucundus appareat eis, cum quibus frequenter conuersatur, ne animus regimini semper intentus labore frangatur assiduo. Atqui has virtutes non decet eum ad omnes famulos, ad omnes domesticos, ad omnes aulicos ipsum adeuntes exercere, sed ad aliquos dumtaxat præ cæteris dilectos, præ cæteris familiares & contubernales, ac præ cæteris amicos: ergo necesse est Principi habere aliquos amicos præ cæteris dilectos & familiares, cum quibus ad animi solatium temperatè ludat, & iucundè conuersetur. Vltimò fauent huic assertioni exempla nedum humana Principum ac Regum tam in nostra Hispania, quàm extra, glorioſi nominis, qui dum Aulicum administrum non admitterent, noluerunt tamen carere eis aulicis amicis intimis non ministris, qui illis ad solatium deseruirent: sed etiam Diuina Sacræ paginæ, nimirum Dei Optimi Maximi, qui cum nullius ope aut solatio indigeret, dignatus est nihilominus in quouis statu quosdam amicissimos deligere ad solatium, non ex indigentia, sed ex abundantia dignationis, vt humanis Principibus præberet exemplum. In statu namque naturæ elegit Abrahamum Patriarcham specialem sibi amicū, cum quo amicabiliter confabularetur, cuius domum & vxorem frequenter visitaret. In lege scripta elegit quoque Dominus Moysem cui ore ad os loquebatur, provt assolet amicus ad amicum: atque etiam Regem Dauidem tanquam cordis amicum, de quo propterea dixit se inuenire hominem iuxta cor suum. Ac tandem in lege Euangelica Christus Dominus sibi amicissimos & familiarissimos assumpsit, quibus sui cordis secreta propalaret. Vnde illis dixit *Ioannis* 15. *Vos autem dixi amicos, quia omnia quæcumque audiui à Patre meo nota feci vobis.* Igitur sicut Principi denegamus aulicos amicissimos ad regimen absolutum administros, ita libenter eis concedimus amicos & familiares præ cæteris dilectos ad solatium.

Ex hucusque dictis licet concludendo colligere, quod Dynastis, Regibus, Imperatoribúsve, (mutatis mutandis, detractóque quod non necessarium) à diuerticulis, oblectamentis secretísque esse prius amicum; esto: at verò penes eundem potestatem esse, principatúmque maximum, duco piaculum. Vel si mauis: Cum Reges, quà homines, sua omnibus communicare non queant, vnum habere prius amicum suorum secretorum consortem non absonum: sed ab eiusdem vnius libidine regni pendere habenas, non possumus non maximum iudicare nefas.

Ad † argumenta autem pro prima opinione 31
initio adducta respondetur; ex illis duo priora solùm conuincere secundam conclusionem, postremum verò conuincere tertiam, vt ex eorum

ſpecie facilè legenti conſtabit. Ad argumenta verò adducta pro ſecunda opinione, quatenus militare poſſunt aduerſus ſecundam noſtram concluſionem reſpondetur. Ad primum quidem quod multitudo illa Senatuum & conſiliorum, excuſat quidem aulicum adminiſtrum regimen abſolutum & independens habentem; minimè autem excuſat aut excuſare poteſt alios adminiſtros, regimini intendentes cum Principis ſuperintendentia: quin potius iſti cum Senatibus compatiuntur, & ſunt neceſſarij propter duo. Tum ad expediendum conſulta, quæ quotidie fiunt Regi ab ipſis Senatibus & conſiliis, ad quorum reſponſionem exactam & iuxta metas prudentiæ ac iuſtitiæ dandam, non ſufficit animus & attentio vnius Principis, niſi aliquibus adminiſtris in vnoquoque negotiorum genere expertis aſſocietur. Tum etiam quia multa ſe offerunt negotia extrauagantia, quandoque occulta, honorem, ſiue conſcientiam Principis, aut alicuius ex Senatoribus concernentia, quæ extra Senatus oportet à Principe cum aliis adminiſtris decerni. Ad ſecundum reſpondeo, illud procedere de Aulico adminiſtro, abſoluta potentia, & ſine ſui Principis ſuperintendentia expediente negotia. Id ipſum dicimus de tertio argumento: alioquin dum Princeps per ſe ipſum negotiis expediendis aſſiſtit, licet vtatur aliquibus adminiſtris ſubordinatè operantibus, aut etiam quibus minoris momenti negotia committit expedienda, reſeruando ſibi grauiora, parum viget adulatio, neque leges iuſtitiæ corruunt, cuius habenas Princeps tenet. Ad tertium argumentum ſimiliter dicendum eſt, quod cum tribus ſequentibus, conuincit noſtram primam aſſertionem. Id ipſum de ſeptimo dicito, quia procedunt de illo aulico adminiſtro, regiminis habenas abſoluta poteſtate tenente; quem propterea damnamus in prima aſſertione. Ad vltimum dices, quod infauſtus exitus non adminiſtros minatur, qui iuuant ſuum Principem in negotiorum & cauſarum expeditione, quibus ille ſuperintendit, ſed illum dumtaxat, qui abſolutum regimen vſurpat, & principatum oſtentat.

DISPVTATIO XI.

De quibuſdam caſibus materiam Matrimonij concernentibus in octo Quæſtiones diuiſa.

QVÆSTIO I.

Vtrum fœmina, quam Pater genuit ex concubina ſoluta, durante Matrimonio inualido cenſenda ſit filia naturalis, aut ſpuria?

SVMMARIVM.

1 *Proponitur ſpecies facti pro cuius deciſione duæ ſtatuuntur concluſiones.*
2 *Filia nata poſt pronuntiatam ſententiam nullitatis matrimonij ſui Parentis à Sacra Rota, indubitatè cenſenda eſt filia naturalis ſui Parentis.*
3 *Diffinitio filij naturalis.*
4 *Filiam natam durante lite ſuper nullitate matrimonij ante latam ſententiam, in vtroque foro reputandam eſſe filiam naturalem ſui Parentis, triplici fundamento probatur.*
5 *Cui aſſertioni non obſtat dictum Innocentij III. aſſerentis irritum fore matrimonium contra interdictum Eccleſiæ contractum, durante ſuper prioribus nuptiis litiſpendentia.*
6 *Matrimonium inualidum bona fide contractum, ex parte vtriuſque coniugis, aut alterius dumtaxat, legitimat prolem eodem durante ſuſceptam.*
7 *Matrimonium ſubſequens & validum habet vim legitimandi filios naturales ab eiſdem coniugibus antecedenter natos.*
8 *Matrimonium inualidum valori ſecundi poſt illud primum contracti, in foro iudiciali non obſtat.*
9 *Referuntur tres obiectiones, quæ contra hanc doctrinam poſſunt moueri.*
10 *Ad quarum ſingulas ſigillatim reſpondetur.*

PROPONITVR † ſpecies facti. Petrus duxit Mariam in vxorem, habens ad illam impotentiam reſpectiuam, poſt cuius triennalem experientiam Maria mouit litem ſuper nullitate matrimonij coram Sacra Rota, à qua & ſententiam declaratoriam nullitatis obtinuit: diſſolutóque matrimonio ab inuicem ſeparati, Petrus & Maria ad alias nuptias tranſierunt. Interim tamen lite durante, Petrus carnaliter cognouit concubinam ſolutam, ex qua & genuit Catherinam. De qua inquiſitum fuit à nobis in Regia curia: An reputanda ſit in vtroque foro filia naturalis, ad effectum obtinendi maioratum, ex tertia & quinta parte bonorum cuiuſdam ſui anteceſſoris per viam vinculi fundatum, iuxta diſpoſitionem *legis* 27. Taurenſis. In cuius deciſione duas ſequentes ſtatuo concluſiones. 1

Prima eſt, quod ſi dicta Catherina † nata fuerit poſt pronunciatam ſententiam à ſacra Rota, nullitatis matrimonij ſui parentis, provt ipſa in actis proceſſus ex fide baptiſmatis, & aliis teſtimoniis probare contendit, indubitatè 2

cenſenda

censenda est filia naturalis sui parentis. Quæ
3 assertio patet ex † diffinitione filij naturalis. Est enim ille qui fuit natus, aut conceptus à parentibus eo tempore quo erant habiles ad contrahendum matrimonium sine dispensatione, ex *cap. Tanta, qui filij sunt legit.* & *lege* 11. *Tauri, quæ est nona titulo* 8. *lib. Recopilationis.* Atqui post pronuntiatam sententiam nullitatis matrimonij à Petro & Maria contracti, ipse Petrus & eius Amasia, erant habiles ad contrahendum inter se matrimonium validè sine vlla dispensatione, quo tempore genuerunt Catherinam: ergo dictæ Catherinæ conuenit diffinitio filiæ naturalis assignata à iure Canonico, & Ciuili Castellæ: ac proinde conuenit ei quoque diffinitum, per regulam dialecticorum, probatam à Iure Ciuili *leg.* 1. §. *dolum. ff. de dolo,* & *leg. omnis diffinitio. ff. de regulis iuris,* asserentem, quod cuicumque conuenit diffinitio, & diffinitum conuenire debet. Estque adeò certa & indubitata hæc assertio, vt à parte ex aduerso litigante contra Catherinam admittatur, sed negatur suppositio antecedentis cui innititur eius probatio. Negat enim dictam Catherinam natam & conceptam fuisse post latam sententiam nullitatis. Quare statuitur secunda conclusio in hunc modum.

4 Quod admisso dictam Catherinam † natam fuisse durante lite super nullitate matrimonij ante latam sententiam; adhuc reputanda est in vtroque foro filia naturalis sui parentis. Quæ assertio ostenditur triplici fundamento inconcusso. Primò quia conuenit ei diffinitio assignata filiæ naturalis; etenim adhuc si fuisset concepta vel nata durante litis pendentia super nullitate dicti matrimonij, quod fuit declaratum irritum ab Ecclesia per sententiam, possent eius parentes in eo statu contrahere matrimonium validum sine dispensatione, siquidem nullo impedimento dirimente tenebantur. Etenim matrimonium illud contractum inter Petrum & Mariam, ex quo erat inualidum in se & à principio nullum, non erat ligamen quod inter impedimenta dirimentia numeratur, per regulam illam iuris *in 6. Non formatur tractu temporis quod de iure ab initio non subsistit*: & *ex cap. Cum in Apostolica, de sponsalibus.* Vbi decernit Vrbanus III. quod litis pendentia super primo matrimonio, non impedit secundum validè contrahi, si primum erat nullum, ibi. *Quod imposita viro pœnitentia competenti; & intra pœnitentiæ tempus carnali commercio interdicto: postmodum in maritali copula poterunt remanere;* vbi erat sermo de eo, qui mota lite ante latam sententiam super nullitate matrimonij prioris, ad secundas nuptias transiuit propria authoritate. De quo decernit Pontifex, quod imponatur ei pœnitentia, & post illam adimpletam permittatur in secundo matrimonio vtpote valido permanere. Huiusmodi enim pœnitentia non obstat, quominus tale matrimonium secundum sit validum, nam dumtaxat imponitur ob culpam, quam coniux committit inobedientiæ & scandali, qui lite pendenti ante latam sententiam nullitatis prioris, matrimonium secundum audet contrahere, maximè contra Ecclesiæ interdictum à Iudice Ecclesiastico impositum, vel imponendum ex dicto *cap. cum in Apostolica, & cap. Tua fraternitas, de sponsa duorum*: vbi decernit Alexander III. quod coniugi appellanti in causa matrimoniali interdici debet, ne aliud matrimonium contrahat lite pendente, & si contraxerit, debet separari ad tempus, scilicet arbitrio Iudicis designandum, ibi; *hoc arbitramur agendum, &c. vt eis in Ecclesia publicè interdicas, ne ante decisionem causæ aliud matrimonium contrahant.* Et si contra interdictum Ecclesiæ publicè factum venire præsumpserint, matrimonium tam præsumptuosè factum poteris irritare, idest separare modo dicto; vt communiter Doctores interpretantur. Et licet hic textus loquatur in casu appellationis pendentis, idem dicendum esse in casu solius litis pendentis nulla interposita appellatione, atque etiam nulla lite pendenti, probat Thomas Sanchez *in dicta disp. 2. lib. 7. circa finem.* Primum quidem ob identitatem rationis, & quia ita sentiunt super dicto *cap. Tua fraternitas.* Abbas *num.* 3. & Alexander de Neuo. Secundum verò probat *ex cap. duo pueri, de desponsa impuberum,* & *cap. Porro, de diuortiis*, in quibus decernitur, quod etiam nulla lite pendenti, neutri coniugi licet propria authoritate, sine iudicio Ecclesiæ etiam propter impedimentum notorium dirimens primum matrimonium, transitus ad secundum; quia tunc cum possessio stet pro primo matrimonio, interdicendus est vsus posterioris, dum de prioris valore disceptatur: iuxta dispositionem iuris Canonici in allegatis capitibus; & *in cap. 1. & 2. de matrimonio;* in quorum altero cuidam fœminæ contra interdictum Iudicis Ecclesiastici nubenti imponitur pœnitentia, & indicitur separatio per mensem à coniugio, ibi. *Mandamus quatenus si est ita præfatam mulierem (ne mandatum tuum contemptibile videatur) ad domum matris redire compellas: & imposita sibi de tanto excessu pœnitentia condigna, postquam in domo materna per mensem steterit, ad tertium reuerti permittas*: id est ad maritum, quia ob hanc inobedientiam & contemptum interdicti, non dirimitur matrimonium contractum. In altero autem, quod sponsalia de futuro cum vna muliere contracta, non valent dirimere matrimonium postea contractum cum alia, etiam contra interdictum Ecclesiæ, ibi. *Licet enim contra interdictum Ecclesiæ ad secunda vota transire non debuerit; non est tamen conueniens, vt ob id solum Sacramentum coniugij dissoluatur; aliqua tamen pœnitentia eis debebit imponi, quia contra prohibitionem Ecclesiæ hoc fecerunt.* Sub huiusmodi verò pœnitentia includitur quoque separatio quoad torum per mensem arbitrio Iudicis designandum, aut etiam prorogandum, facienda.

Neque † obstat Innocentius III. *in c. Ad dis-* 5
soluendum; de desponsatione impuberum, dum ait irritum fore matrimonium contra interdictum Ecclesiæ contractum, durante super prioribus nuptiis litis pendentia, ibi. *Quod si contra interdictum nostrum in præiudicium ipsius aliquid fuerit adtentatum, id irritum esse decernimus, & viribus omnino carere,* propter duo. Tũ quia hoc in textu erat lis mota inter puellam & iuuenem ante legitimum tempus dispensatos, atque etiam intra quartum consanguinitatis gradum contentos, ac proinde inhabiles ad validè contrahendum matrimonium, quod proinde Pontifex ex tunc declarat irritum fore, si ante finem litis illud attentarent contrahere inter se: Tum etiam declarat irritum fore matrimonium, quod in eo

ſtatu litis pendentiæ puella cum alio contraheret, quia eſſet contractum contra interdictum Eccleſiæ, non qualecumque, ſed includens decretum irritans ſpeciem facti concernens. Licet autem matrimonium contractum contra interdictum Eccleſiæ ſimplex, non reddatur ex hoc ſolo capite inualidum: bene tamen quando contrahitur contra interdictum Eccleſiæ, includens decretum irritans in ſpecie, vt latè cum multis probat Thomas Sanchez *lib. 7. de matrimonio diſp. 2. concluſione* 2. illa enim communis regula de matrimonio contra interdictum Eccleſiæ contracto, non diſſoluendo, aut irritando, hanc patitur exceptionem, niſi interdictum Eccleſiæ habeat clauſulam irritantem, facientem ſpecialem mentionem de tali matrimonio. Neque etiam obſtat *cap. laudabilem, vt lite pendenti*: vbi decernitur, quod quando alter coniugum accuſatur de adulterio ad ſeparationem tori, non debet ante probatam accuſationem iure quod habet in alterius corpus, priuari. Nam huius textus deciſio habet locum in vno ex duobus caſibus nimirū, aut quando tale matrimonium fuit contractum in facie Eccleſiæ, & cum illius approbatione: tunc enim non eſt interdicendus vſus coniugij proprius, quod habet vnuſquiſque coniux in alterum, quo non debet priuari ante finitam litem & eius ſententiam; aut quando vnus coniux non contrahit ſecundum matrimonium ſtante primo. Nam ſi contrahat, vt in ſpecie noſtri caſus hucuſque expoſiti, tunc interdicendus eſt vſus ſecundi coniugij, quandiu de valore primi litigatur, eo quod cum poſſeſſio ſtet pro illo, expectanda eſt ſententia declaratoria nullitatis prioris. At in noſtro caſu Petrus ſi durante lite contraheret cum Matre Catherinæ, validè contraheret, eò quòd non obſtaret ligamen prioris matrimonij, quod in ſe irritum erat. Quod ſi ei aliqua pœnitentia imponeretur, & ſimul actualis vſus ſecundi matrimonij interdiceretur, vſque ad ſententiam declaratoriam nullitatis prioris: vel propterea, quod contra interdictum Eccleſiæ ſi quod fuit, de quo non conſtat fuiſſe de facto, contraheret; vel propter ſcandalum, quod ex tali coniugio poſteriori, durante lite prioris induceret. Verumtamen hæc pœnitentia & temporalis ſeparatio non probant nullitatem poſterioris coniugij, ſed aliquam culpam in Petro, vt ex citatis decretis oſtendimus,

Secundum fundamentum ſumitur ex alio non minus noto vtriuſque Iuris Canonici ſcilicet &
6 Ciuilis principio, nimirum quod † matrimonium inualidum bona fide contractum ex parte vtriuſque coniugis, aut etiam ex parte alterius dumtaxat, legitimat prolem ſuſceptam, eodem durante, ex priuilegio iuris conceſſo ob bonam fidem contrahentium, in *cap. Ex tenore, Qui filij ſint legitimi*; etiamſi clandeſtinum ſit, hoc eſt ſine ſolemnitatibus Eccleſiæ contractum: vt probat Thomas Sanchez cum multis *lib. 3. diſp. 43. ex cap. Quod nobis, eodem titulo.* Et merito, nam quod ius abſolutè concedit matrimonio inualido bona fide contracto, cuicumque matrimonio bona fide contracto, etiam clandeſtino, ſi adſit in illo contrahendo bona fides, intelligitur conceſſum; quia non eſt admittenda correctio iuris, vbi illam ius ipſum non adſtruit. Tum etiam quia vbi lex non reſtringit, nec nos reſtringere debemus. Ius autem Canonicum in *dicto cap. Ex tenore*, huiuſmodi priuilegiū legitimādi filios concedit matrimonio inualido bona fide contracto, abſolutè & ſine vlla reſtrictione, neque alicubi eſt correctum: ergo etiam matrimonio clandeſtino tale priuilegium cenſetur conceſſum, maximè cum materia priuilegij ſit fauorabilis, quæ potius eſt amplianda, quàm reſtringenda, & econtra defectus legitimationis ſit odioſa & pœnalis; in qua proinde benignior interpretatio eſt ſequenda iuxta regulam iuris 49. *in 6. In pœnis benignior eſt interpretatio facienda.* Quamuis inquam matrimonium inualidum bona fide contractum, & ab Eccleſia approbatum, habeat virtutem legitimandi filios ex priuilegio iuris: neutiquam tamen habeat vim operandi vitium ſpurcitatis in filiis extra tale matrimonium genitis, cum hæc vis potius pœnalis ſit & odioſa, neque ſit in iure expreſſa: Pœna autem in iure non expreſſa, non eſt admittenda *ex cap. is. de ſententia excommunicationis.* Igitur licet hoc matrimonium Petri cum Maria, ob bonam fidem & approbationem Eccleſiæ, in re tamen inualidum legitimaſſet filios, ex eodem genitos, ſi ob aliud impedimentum dirimens, quàm impotentiæ fuiſſet inualidum, neutiquam tamen potuit operari vitium ſpurcitatis in Catherina, quam Petrus durante eodem cum litiſpendentia genuit ex fœmina ſoluta. Neque enim potuiſſet hoc vitium operari ex natura ſua, vt quod in ſe erat nullum; & quod nihil eſt in ſe, nihil poteſt in ſe operari, cum ex nihilo nihil fiat. Neque ex conceſſione iuris quæ nullibi exprimitur. Filius namque ſpurius iuxta ſubiectam materiam eſt ille, qui naſcitur ex patre, aut matre alteri per matrimonium ligata. Quod de valido matrimonio & iure ligante ac impediente parentes ad validè contrahendum eſt intelligendum: quod enim in ſe irritum eſt & fictum, neque iure ligat, neque iure impedit; ac per conſequens, neque tam ſeueræ pœnæ, qualis eſt ſpurietas poteſt eſſe cauſa: nā iuxta regulam iuris *in ſexto*, non præſtat impedimentum quod de iure non ſortitur effectum.

Tertium depromitur ex alio principio non minus in iure noto, videlicet quod ſi Petrus poſt terminatam litem, & latam ſententiam declaratiuam nullitatis dicti matrimonij cum Maria, nuberet matri Catherinæ, reuera ipſam legitimaret, quantuncumque natam & conceptam anteacto tempore. Nam † matrimo- 7
nium ſubſequens & validum habet vim legitimandi filios naturales ab eiſdem coniugibus antecedenter habitos, ſiue natos, ex natura ſua, & ex priuilegio vtriuſque iuris; Canonici quidem in præallegato *cap. tanta, Qui filij, &c.* Ciuilis verò Hiſpani *in lege 1. titulo 13. partita 4.* ibi. *Tan gran fuerça ha el matrimonio, que luego que el padre y la madre ſon caſados ſe façen legitimos los hijos, &c.* Ex quibus textibus colligit Thomas Sanchez *lib. 3. diſp. 44.* eadem vi, efficacia, ac priuilegio legitimandi filios naturales gaudere matrimonium validum clandeſtinum, id eſt ſine præmiſſis denunciationibus, & aliis ſolemnitatibus ad filios naturales legitimandos requiſitis à iure Cæſareo, in Authentico, *Quibus modis naturales efficiantur legitimi. §. illud quoque*, celebratum. Et merito, quia cum huiuſmodi matrimonium, etſi clandeſtinum, aliquomodo, (an ſimpliciter, *vel ſecundum quid*, non vacat diſputare,) ſit validum & verum Sacra-

mentum

mentum inter Catholicos, non est cur natiua efficacia, & iuris Canonici priuilegio (cui in causa matrimoniali, vtpote Ecclesiastica ob rationem Sacramenti illi annexam, potius standum est) priuandum sit: igitur dicta Catherina legitimaretur per subsequens suorum parentum matrimonium, quod est euidens signum illam esse filiam naturalem: alioquin minimè legitimaretur, quia ius matrimonij subsequentis ad solos filios naturales legitimandos extenditur. Quod autem dicta Catherina per subsequens matrimonium legitimata censeretur, patet: Tum quia in eius fauorem ita quicumque Iudex iudicaret: tum etiam quia copula illa ex qua concepta fuit, nequiuit esse adulterij culpa infecta, causans in ea vitium spurcitatis. Nam ex quo coniugium Petri cum Maria non esset validum in se, nequiuit Petrus esse adulter in foro Dei, accedens carnaliter ad matrem Catherinæ; peccatum enim adulterij dumtaxat potest reperiri in illo, qui verè & validè est coniugatus, teste D. Thoma 22 *q.* 154. *art.* 8. vbi diffinit adulterium esse contra fidem matrimonij, quam quis coniugi debet: nullam autem fidem debet ei, qui non est verus coniux. Sed neque † in foro
8 iudiciali matrimonium inualidum, obstat valori secundi contracti post illud primum *ex c.* 2. de eo qui duxit in matrimonio quã polluit per adulterium: vbi decernit Alexander III. quod si quis viuente prima vxore, quæ legitima non erat in re, contraxit scienter cum secunda, potest ac debet cum secunda permanere, vtpote legitimo matrimonio cuiuncta. Quare vt adulterium mixtum cum promissione acceptata de futuris nuptiis, inducat impedimentum dirimens criminis, oportet vt primum matrimonium sit validum, nam si validum non esset, secundum staret, vt expressè tenet D. Thomas *in* 4. *d.* 36. in expositione litteræ; éstque communis sententia Theologorũ & Iuristarũ, quos citat & sequitur Thom. Sanch. *lib.* 7. *de impedimentis disp.* 79. *n.* 30. Et merito, nã vbi prius matrimoniũ non est validũ, neutiquã verificatur adesse verũ adulteriũ & promissionem durante vero matrimonio: nec datur ansa veri cõiugis necãdi. Quæ sũt rationes ob quas disposuit ius, vt huiusmodi crimen fidei datæ adulteræ subsequés matrimoniũ dirimeret.

Neque † huic doctrinæ obstant tres obiectio-
9 nes, quæ aduersus eam fieri possunt. Prima *ex lege* 81. *Tauri* disponente, quod puniatur pœnis adulteræ, mulier committens adulterium, licet eius matrimonium probetur esse irritum: & teste Nicolao Garcia *de beneficiis p.* 11. *c.* 8. Beneficiarius qui contrahit matrimonium licet inualidum, perdit ipso facto beneficium, quia quantum est de se voluit illud amittere, renunciando foro Ecclesiastico. Secunda ex ipsa *leg.* 11. *Tauri* citata, quæ in filio naturali petit quod sit genitus ex parentibus, qui tunc temporis essent habiles ad contrahendum inter se matrimoniũ, sine dispensatione. Quæ conditio deest dictæ Catherinæ; nã pro tempore quo eam genuit Petrus, non poterat nubere eius matri sine dispensatione; nã licet matrimonium foret validum ob nullitatẽ primi, tamen non esset rite contractum ob scandalum, quod oriretur ex illo; atq; etiam ob prohibitionem iuris Canonici, quod in præallegatis decretalibus prohibet coniugatum, durante litispendentia ante latam sententiã super nullitate primi matrimonij, transire ad secundũ contrahendum. Et quamuis Petrus non habuerit interdictũ personale Iudicis ore probatum, contrahendi secundum matrimonium durante litis. pendentia super primi nullitate; habuit tamẽ interdictũ iuris, contra quod non poterat sine dispensatione nouum matrimonium contrahere, quousq; declararetur per sententiã Rotæ nullitas prioris. Tertia procedit ab exẽplo matrimonij rati non consummati, quod licet irritum sit in se, inducit tamen impedimentũ dirimens publicæ honestatis, ratione cuius neuter coniux potest validè contrahere cum affine intra quartum gradũ, dummodo non sit irritũ ex defectu liberi consensus, vt scitè cum Nauarro *in Manuali c.* 22. *n.* 57. Enriquez *lib* 12. *de matrimonio c.* 10. & Valentia 4. *p. disp.* 10. *q.* 5. *puncto* 3. notat Sanchez *lib.* 7. *disp.* 70. *n.* 50. quodam motu proprio Pij V. qui incipit *Ad Romanũ spectat*, edito anno 1568. ibi. *Authoritate Apostolica tenore præsentium declaramus & diffinimus decretum Concilij Tridentini* (nimirũ session. 24. *c.* 3.) *omnino intelligendum esse, & procedere in sponsalibus de futuro dumtaxat: nõ autem in matrimonio* (sicut præfertur) *contracto; sed in eo durare adhuc impedimẽtum in omnibus casibus & gradibus, quibus de iure veteri ante prædictum decretum Concilij introductum erat.* Ergo pari ratione, licet hoc matrimonium Petri cum Maria fuerit in se irritum ob impedimentum impotentiæ, adhuc nihilominus impediret illum, ne rite contraheret cum matre Catherinæ, in qua etiã causaret vitiũ spurcitatis.

Ad † primam namque respondetur esse dispa- 10
rem rationem in vtroque casu. In primo quidẽ, quia illa lex Tauri cum ciuilis sit, iudicans in foro externo, quod potius vlciscitur externas & apparentes iniurias, quàm veras in foro cõscientiæ, disponit eam mulierem puniẽdam esse pœnis adulteræ, non quia reuera adultera fuerit coram Deo, sed quia reputatur ab hominibus & maximè à viro, dum nullitas matrimonij nõ declaratur per sententiam: nec non quia iniuriam irrogat matrimonio ab Ecclesia approbato, licet postea declaretur irritum. In secundo autem quoniam dum beneficiarius contrahit matrimonium licet inualidum, quantum est de se voluit statum Clericatus relinquere, & beneficium amittere, quod legitimo titulo possidebat: At in nostro casu Petrus nubens alteri, voluit vxorem non legitimam relinquere, & à matrimonio inualido recedere, vnde non est similis ratio. Ad secundam respondetur, illam conditionem petitam *in lege* 11. *Tauri* ad filiationẽ naturalem saluari in Petro & matre Catherinæ, quia poterant nubere sine dispensatione, dispensante quidem in aliquo impedimento dirimente, cum quo factum non teneret: etsi indigerent dispensatione dispensante in prohibitione, aut interdicto Ecclesiæ, sine qua illicitè contraherent, factum tamen teneret. Et hæc est vera & legitima illius legis intelligentia. Ad tertiam dicendũ est, matrimonium ratum in facie Ecclesiæ contractũ, licet inualidum causare impedimentũ publicæ honestatis vsque ad quartum gradum, non ex natura & efficacia sua, quod nullum est in se, sed ex quadam fictione Iuris quod indecentiam reputauit in eo, qui post huiusmodi matrimoniũ sic contractum, siue validum, siue inualidum, dũmodo nõ esset ex defectu consensus, contraheret cum affine; sicut olim etiam sponsalia de futuro quauis de causa inualida, nisi ex defectu

conſenſus ſimile impedimentum inducebant, *ex cap. vnico de ſponſalibus in 6.* quod reformauit & correxit quoad ſponſalia dumtaxat Concilium Tridentinum *in dicto cap. 3. ſeſſ. 24.* decernens ex ſponſalibus quauis de cauſa inualidis, nullum oriri publicæ honeſtatis impedimentum, ortúmque ex validis primum affinitatis gradum non excedere: relinquens ius antiquum quoad matrimonium ratum inuariatum, ex quo proinde ſiue valido, ſiue inualido, idem nunc atque olim, ac tam extenſum oritur impedimentum. Secus autem contingit in noſtro caſu, in quo neque ex natura matrimonij, quod in ſe eſt nullum, neque diſpoſitione, aut fictione iuris, cum non extet alicubi, oritur tale impedimentum in ſic coniugato cum fœmina aliàs ſoluta, neque in filia talis concubitus vitium ſpurcitatis: quinimo poteſt fieri argumentum ab ſponſalibus, quæ per decretum Concilij Tridentini correctiuum iuris antiqui nullum impedimentũ publicæ honeſtatis cauſant, eò quòd inualida ſunt: igitur neque ex matrimonio Petri cum Maria, vtpote inualido poteſt oriri aliquod impedimentum dirimens, neque in eius filia Catherina indecentiæ & ſpurcitatis vitium. Quæ proinde habilis eſt reputanda in vtroque foro, ad maioratum non excludentem filios naturales obtinendum: hoc tamen anno dicta Catherina fuit condemnata in Senatu Regio, declarata pro filia adulterina, & conſequenter inhabili in forò externo, ad obtinendum maioratum ſuper quo litigabat.

QVÆSTIO II.

Selecta.

An in primo gradu conſanguinitatis lineæ tranſuerſalis ſit prohibitum & inualidum matrimonium iure naturali, ſicut eſt in linea recta aſcendentium & deſcendentium? Ad cuius calcem expendetur, quid ſentiendum ſit de connubio cum pluribus vxoribus, ſeu Polygamia.

SVMMARIVM.

1 *Duo in hac quæſtione ſupponuntur: quorum Primum eſt, in primo gradu lineæ rectæ eſſe matrimonium iure naturali prohibitum & inualidum.*

2 *Cuius ſuppoſitionis ratio ex natura, finibus ac bonis matrimonij ſumitur ac probatur.*

3 *Matrimonium habet tria bona intrinſecè annexa.*

4 *Ius naturale eſt, quod natura in omnibus gentibus & animalibus ſeruat.*

5 *Papa ob aliquam cauſam etiam vrgentiſſimam in primo gradu lineæ rectæ non poteſt diſpenſare.*

6 *Referuntur Authores pro negatiua ſententia quæſtionis, expreſsè tenentes matrimonium inter fratres non eſſe prohibitum iure naturali, adeóque poſſe Pontificem cum fratre & ſorore diſpenſare, vt licitè matrimonium ineant.*

7 *Caietani argumenta pro hac ſententia validiora ſunt tria.*

8 *Quæ omittens Baſilius Legionenſis alia minutiora adducit, quibus conatur probare coniugium inter fratres iure tantùm poſitiuo Diuino eſſe prohibitum, non naturali.*

9 *Referuntur Authores, qui oppoſitam ſententiam tuentur, quæ etiam ſtatuitur pro concluſione indubitatè tenenda.*

10 *Referuntur tria dicta in quibus hæc concluſio conſiſtit: quorum Primum; matrimonium ſcilicet eſſe irritum iure naturæ, & ab Eccleſia indiſpenſabile, quadruplici argumento probatur*

11 *Reſponſum Innocentij III. ad quæſtionem;* Vtrum ſcilicet Pagani iuncti in quouis gradu prohibito lege Canonica, conuerſi ad fidem, debeant in coniugio permanere?

12 *Sedes Apoſtolica nunquam diſpenſauit in coniugio fraterno.*

13 *Referuntur duo loca in quibus D. Thomas oppoſitæ videtur fauere opinioni.*

14 *Baſilius minus bene pro ſua opinione citat D. Thomã; Sanchez pro nõ ſua minus attentè.*

15 *Reſpondetur argumentis pro prima opinione à Caietano adductis.*

16 *Reſpondetur ad fundamenta pro eadem opinione à Baſilio tranſcripta.*

17 *Vtrum Polygamia iure naturali ſit prohibita?*

18 *Vinculum prioris matrimonij in lege Euangelica dirimit ſubſequens, idémque irritum & inualidum reddit.*

19 *Huiuſmodi impedimentum ſiue vinculum nedum lege Eccleſiaſtica & humana, ſed etiam Diuina eſt inductum.*

20 *Diffinitio Concilij Tridentini circa Polygamiã.*

21 *Iure naturali interdicta eſt pluralitas virorum reſpectu eiuſdem vxoris.*

22 *Referuntur Authores negantes pluralitatem vxorum eſſe adeò iure naturali interdictam, vt Summus Pontifex nequeat in ea diſpenſare.*

23 *Quam opinionem præter authoritatem Auguſtini exemplo multarum gentium probant.*

24 *Refertur ſecunda ſententia priori è diametro oppoſita, quæ quatenus docet Polygamiam eſſe ab Eccleſia indiſpenſabilem, pro concluſione ſtatuitur & probatur.*

25 *Tres ſunt fines matrimonij, ſicut & bona eis correſpondentia.*

26 *Probatur Polygamiam nunquam ſine diuina diſpenſatione fuiſſe licitam.*

27 *Diſpenſatio Polygamiæ in lege Euangelica à Chriſto Domino fuit caſſata.*

28 *Gentiles nunc & ſemper peccauerunt, plures vxores ducendo, niſi per accidens ob ignorantiam excuſentur.*

29 *Papa nullatenus poteſt diſpenſare in vxorum pluralite, vtpote naturali & diuina Chriſti lege interdicta.*

30 *Cui corollario obſtat vſus Eccleſiæ, docens Pontificem in multis quæ ſunt diuini ac naturalis iuris, diſpenſare.*

31 *Duo prænotantur pro cognoſcendo, ad quos caſus in iure Diuino & naturali poteſtas diſpenſandi Eccleſiæ ſe extendit, & ad quos non.*

32 *Aſſignatur certa regula cognoſcendi præcepta iuris Diuini & naturalis, in quibus*

Summus

Summus Pontifex potest dispensare, & in quibus non.

33 *Soluuntur argumenta contra tertium Corollarium adducta: & quidem principaliter de residentia Episcoporum, vtrum scilicet de ea Ecclesia possit dispensare, ad finem vsque quæstionis prolixè disputatur.*

IN hac quæstione duo supponimus, & aliud inquirimus. Primũ quod supponimus est,
1 † in primo gradu lineæ rectæ esse iure naturali prohibitum & inualidum matrimonium. Quæ suppositio est à Iuristis & Theologis communiter recepta, vt videre est apud D. Thomam *in* 4. *d.* 4. *q. vnica art.* 3. Caietanum 2.2.*q.*154. *art.*9.*circa solutionem* 3. Sotum *in* 4.*d.*40.*q.vnica art.*3. Viualdum *candelabro Sacram.*1.*p.num.* 189. Loazes *de matrimonio Regis Angliæ dub.*2. Bartolomeum à Ledesma *de matrimonio dub.*37. & Petrum à Ledesma *de matrimonio q.*54.*art.*3. *difficultate* 1. Bellarminium *lib.*1. *de matrimonio c.*27.*&* 28. & Thomam Sanchez *lib.*7.*de matrimonio, disp.*51.*q.*1. & alios ab ipso relatos: qui omnes vnanimiter sentiunt, matrimonium inter parentes & liberos interdictum & irritum esse iure naturæ, adeò vt nequaquam valeat Summus Pontifex in eo dispensare. Quod probat Caietanus *Mathei* 19. exillo oraculo, quod Adamus ex ore Dei effudit in ipsa prima matrimonij institutione, dicens: *Propter hanc relinquet homo patrem, & matrem, & adhærebit vxori suæ.* Quasi dicat, homo vt adhæreat vxori suæ excludat patrem & matrem, id est filius matrem, & filia patrem: ergo in exordio ipsius matrimonij Pater & mater fuerunt excluſi à coniugio ineundo cum liberis. Verùm hic sensus non satis genuinus videtur, ex eo quod de eodem homine scilicet viro qui adhærebit vxori, suæ dicitur, quod relinquet patrem & matrem: vir autem adhæsurus vxori frustra excluderet Patrem, qui eiusdem est sexus. Ergo non tam excluſio parentum à coniugio cum liberis, quàm ordo amoris in hiis verbis continetur; ità vt sensus sit, quantum ad vnionem carnalis copulæ & cohabitationis, debet homo relinquere patrem & matrem vt adhæreat vxori suæ, provt ipsa etiam quotidiana experientia demonstrat, filios relinquere domos parentum, vt cum vxoribus in domibus propriis earum cohabitent, quamuis in quibusdam casibus necessitatis magis filius debeat parentibus assistere quàm vxori, ideoque & maior reuerentia parentibus est exhibenda, quia diliguntur sub ratione principij; vt explicat D. Thomas 2.2.*q.*26. *art.*11. *in corpore & in solutione ad.*1.

2 Quare † efficax ratio nostræ suppositionis aliunde est sumenda, scilicet ex natura, & finibus, ac bonis matrimonij. Quidquid enim per se aduersatur naturæ aut bonis intrinsecis, aut finibus matrimonij, iure naturæ impedit ac irritat matrimonium: Atqui naturæ ac bonis & finibus alicuius matrimonij aduersatur reuerentia illa, quam filij debent parentibus, & pientissimum illud obsequium, purum, castum, & honestum, ab omnique carnalis commixtionis suspicione liberum, ob quod in eadem domo cohabitare, in eadem mensa sedere, imo & in eodem lecto condormire solent liberi cum parentibus: ergo iste primus gradus consanguinitatis in linea recta iure naturæ prohibet ac dirimit matrimonium. Maior est principium de se notum. Minor autem sic ostenditur. Matrimonium quod est coniunctio maritalis viri & fœminæ inter legitimas personas, indiuiduam vitæ consuetudinem retinens, † habet tria bona 3
intrinsecè annexa, videlicet prolem generandam & educandam saltem in intentione, fidem, hoc est fidelitatem vnius coniugis ad alterum seruandam, in reddendo debitum sibi inuicem & non alteri; & Sacramentum, hoc est firmum, indissolubile vinculum significans Christi cum Ecclesia coniunctionem, vt colligitur ex *Canone omne* 27.*q.*2.*& c. Quanto de diuortiis*, & Concilio Florentino *tractatu de Sacramento matrimonij*, vt communiter docent Scholastici cum Magistro *in* 4.*d.*31. ac D. Thomas ibidem *q.*1.*&* 2.*& in* 4. *contra gentes cap.*76. Petit insuper natura matrimonialis contractus fieri inter duo extrema distincta, quorum vnus non sit pars alterius, hoc enim petit coniugalis amicitia, quæ debet esse vnius ad alterum, & idipsum significauit *Gen.* 2. Adamus, dum ex ore Dei dixit; *Et erunt duo in carne vna*: filius autem est pars quædam sui parentis. Postulat quoque iniri inter æquales, respectu actus coniugalis; nam licet vxor debeat esse subdita viro, tamen simul est socia & æqualis viro, & par illi in actu coniugali; repugnat autem naturæ filium esse æqualem parentibus in quodam actu naturali, licet id non dedeceat in contractu ciuili societatis, in quo quia dissolubilis & rescindibilis est, parum refert filios parentibus æqualitatem quandam scilicet ciuilem subinduere. Habet quoque matrimonium vltra prolem alium finem intrinsecum, scilicet remedium concupiscentiæ, quod planè frustraretur in matrimonio filiorum cum parentibus; nam adiuncto amore coniugali, effrenatæ libidini vacarent, eo vel maximè quod amore naturali teste Caietano 22.*q.*26.*art.*12. quantũ ad graduationem quæ attenditur secundũ coniunctionem, filius magis amatur quàm vxor, quia filius est aliquid substantiæ patris & pars eius, vxor autem non est pars coniugis, vt patet, licet sint vna caro vnitate communicationis: vnde coniuges magis se inuicem honorant, intensius autem amant filios. Cuius signum est maior tristitia de morte filij, quàm coniugis cæteris paribus. Si ergo tantus amor coniungeretur cum coniugali, habenas libidini patris v.g. erga filiã laxaret. Quod si fortè tædium afferret matrimonialis copula inter illos, solueretur amor coniugalis, & ex consequẽti fides inter coniuges seruanda, ac etiam prolis generatio & educatio deficerent, quæ sunt intrinseca bona, & finis matrimonij: ac tandem per huiusmodi actũ coniugalem, qui teste Augustino *lib.*15.*de ciuitate c.*16. sine turpitudine quadam & irreuerentia exerceri nequit, periret reuerentia naturali præcepto à filiis debita parentibus.

Hiis adde † ius naturale esse, quod natura in 4
omnibus gentibus seruat, & omnia animalia docuit. Atqui in omnibus gentibus bene instructis & solo lumine naturali edoctis, hæc connubia parentum cum filiis semper exosa fuerunt, adeò vt Persarum natio à Sanctis Patribus Tertulliano, Augustino, Chrysostomo, Theodoreto & aliis, barbara & ferina notetur, quod olim illa permiserit; cuncta quoq; animalia ab huiusmodi carnali coniunctione naturali

naturali inſtinctu ducta abhorrent. Vnde Ariſtoteles *lib.9. de hiſtoria animalium c.47.* narrat de quodam equo, qui cum deceptus fuiſſet vt matri commiſceretur, ſe ipſum præcipitauit, præ nimio horrore concepto, eo quod etiam animantibus brutis ineſt quædam naturalis reuerentia ad parentes.

5 Hinc fit nec † Papam ob aliquam cauſam etiam vrgentiſſimam in hoc primo gradu lineæ rectæ poſſe diſpenſare; eo quod in hiis quæ iure naturali prohibita & irrita ſunt, neutiquam Summus Pontifex valet diſpenſare, vt in comperto eſt apud omnes: etſi Chriſtus Dominus ob conueniens Eccleſiæ ſuæ regimen, Petro & ſucceſſoribus in aliquibus rebus iure diuino ac naturali prohibitis reliquerit poteſtatem, vt *infra* dicemus. Sed rogabis, nunquid Deus ipſe Author naturæ poterit in aliquo euentu diſpenſare, vt pater cum filia, aut econtra filius cum matre licitè & validè matrimonium contrahat? Reſpondeo poſſe cum communi Doctorum ſententia allegatorum, quia neque iſte gradus tollit omnino finem intrinſecum matrimonij, licet eum aliquomodo impediat & ei aduerſetur: ex tali enim coniugio liberi poſſent naſci & educari. Caſus autem iſte contingeret, ſi neceſſarium foret iſtud coniugium ad humani generis conſeruationem, vt ſi in mundo ſolus pater cum filia, aut ſolus filius cum matre ſuperſtites eſſent, tunc enim licitè & validè coniugium inire poſſent, aut Deo authore naturæ diſpenſante. Neque enim tam intrinſecè malum eſt hoc coniugium, vt in illo Deus diſpenſare non poſſit, ſicut & in quibuſdam aliis præceptis iuris naturalis poteſt diſpenſare, ac de facto quandoque diſpenſauit: alioquin, ideſt ſine tali diſpenſatione illicitum eſſet, vtpote cadens ſuper materia indebita & naturaliter ad illud inhabili: vt placuit Caietano, Petro de Ledeſma, Loazes, Ludouico Lopez, & Soto *lib.2. de iuſtitia quæſt.3. art.8 ad* 4. aut ſola legis ceſſatione per priuilegium neceſſitatis, quod eſt lege carere, tunc ceſſaret legis naturalis obligatio, illaque ceſſante validum & licitum foret abſque vlla noua diſpenſatione tale matrimonium. Quæ ſententia mihi magis arridet: nam vt homo ſanus non obligetur lege ieiunij quadrageſimalis v.g. indiget Summi Pontificis diſpenſatione, quæ eſt relaxatio ob cauſam: in illo verò qui noto morbo laborat ceſſat legis obligatio ob neceſſitatem, qui proinde abſque diſpẽſatione lege Ieiunij non tenetur. Ita Sotus *in loco citato* 4. Pallacios *ibidem*, Valencia *4. p. diſp.16.q.5.puncto* 3. Vega *tomo 2.ſumma cap.* 34. *caſu* 125. & Thomas Sanchez *diſp.citata num.1.* ſenſêre. Hinc enim Ambroſius *lib.1. de Abraham.cap.6.* Chryſoſtomus *homilia* 44. *in Geneſim* & alij Patres excuſant filias Loth à culpa inceſtuoſi concubitus quem cum patre ebrio habuerunt, quod exiſtimarent totum humanum genus fuiſſe igne cœleſti conſumptum, itavt nullus alius vir ſupereſſet, qui poſſet humanæ generationi deſeruire. Neque tunc ad mentis compotem, ſed ad ebrium & ſenſibus alienatum acceſſerunt: nam lumine naturali cognouerunt ſe à Parente mentis compote & legis naturalis conſcio, à tam nefando concubitu fore repellendas. Inſuper malum irreuerentiæ paternæ ex tali matrimonio conſurgens, cùm ſit priuatum & inferioris ordinis reſpectu conſeruationis ſpeciei, quæ eſt bonum commune & ordinis ſuperioris, poterit honeſtari, vt huic conſulatur. Sed nunquid in eo caſu ad hoc commune bonum tenerentur ſub præcepto pater & filia, vel filius & mater contrahere? Puto quod non, niſi ex Dei reuelatione præceptum diuinæ voluntatis intelligerent: alioquin potius tunc videntes humanum genus ad duo tantum indiuidua redactum, probabiliter exiſtimarent voluntatis eſſe diuinæ genus humanum conſumere; cui proinde dictamini ſe poſſent abſque piaculo conformare.

Hoc ſuppoſito, quod in controuerſiam vocamus eſt; Vtrum etiam primus gradus lineæ tranſuerſalis prohibeat & irritet matrimonium iure naturali, ita vt neque Summus Pontifex valeat diſpenſare? Sunt † qui partem negatiuam tuentur, de quorum phalange ſunt Thomas Argentinas *in 4. d.42. art.4.* & Caietanus *in Leuitici cap.18.& 22.q.154.art.9.circa ſolutionem ad* 3. & Baſilius Legionenſis *lib.7. de matrimonio cap.* 32. ſequutus reſponſum quod dedit ſuus patruus Ludouicus Legionenſis Catholico Regi Philippo II. die 22. Aprilis anni 1589. quod tamen reſponſum parui penſum fuit, vt ſtatim videbit Lector. Iſti reuera ſunt authores, qui expreſsè tenent inter fratres matrimonium non eſſe prohibitum iure naturali, ideóque poſſe Summum Pontificem cum fratre & ſorore diſpenſare, vt licitè & validè ineant matrimonium. Cæteri vero relati à Baſilio, vt Alenſis, Scotus, Durandus, Richardus, Abulenſis, & alij quos plena manu congeſſit Thomas Sanchez *lib.7. de matrimonio diſp.52.q.2. num.10.* neque expreſsè hanc ſententiam admittunt, neque firmiter illi adhærent, ſed tantùm dubitanter loquuntur; imo priores negant Pontificiam diſpenſationem, dicunt enim coniugium fratrum eſſe iure diuino poſitiuo *Leuitici* 18. prohibitum & irritum, quod ius aiunt adhuc in lege Euangelica permanere, ac proinde minimè in illo poſſe Papam diſpenſare. 6

Argumenta † validiora ſunt tria, quæ Caietanus adducit. Primum eſt quod ſi iure naturali connubium fraternum eſſet interdictum, nullatenus niſi ex diſpenſatione diuina poſſet honeſtari: Atqui abſque vlla diſpenſatione in orbis ortu fuerunt licitè & validè celebrata connubia inter fratres ſcilicet filios Adami, quia tunc nullæ aliæ erant vxores niſi ſorores: neque tamen vlla interuenit diſpenſatio diuina. Etenim non eſt credendum Deum authorem naturæ, ac iuris naturalis conditorem, fraterna connubia interdixiſſe, in quo interdicto ilico erat diſpenſaturus. Secundum ſumit ex ratione qua in eo loco vtitur D. Thomas, nimirum, quia fratres non coniungũtur per ſe, ſed tantùm ratione patris: perſonæ autem quæ non iunguntur niſi ex ordine ad parentes, non habent ita ex ſeipſis indecentiam, quin ab Eccleſia poſſit in coniugio eorum diſpẽſari, ſicut ob eandem rationem poteſt Eccleſia diſpenſare inter auum & neptem: ergo. Tertium ſumit ex facto Pontificum, qui in primo gradu affinitatis lineæ tranſuerſæ diſpenſarunt, videlicet cum Rege Emanuele Luſitano, vt duas ſucceſſiuè ſorores, ſcilicet filias Catholicorum Regum Ferdinandi & Elizabet duceret in vxores: & cum Catherina filia eorundem Regum Catholicorum, vt duobus fratribus Angliæ Regibus 7

nuberet,

nuberet, imo ex hac dispensatione sumpsit Henricus VIII. occasionem repudiandi Catherinam, vt licitè nuberet Annæ Bolonæ quam perditè amabat. Eadem autem videtur esse ratio de primo gradu consanguinitatis: si enim connubium cum sorore per affinitatem est dispensabile ab Ecclesia, cur non erit dispensabile cum sorore per consanguinitatem? ergo.

8 Basilius verò † Legionensis *in loco citato* hæc omittens argumenta, alia minutiora transcribens ex Soto & Petro de Ledesma, adducit, quibus probare nititur coniugium inter fratres non esse iure naturali irritum, nisi tantùm iure diuino positiuo, olim in lege veteri *Leuitici* 18. modò autem in lege Euangelica solo iure Ecclesiastico, in quo proinde potest Papa dispensare. Primò exemplo Saræ, quam Abraham dixit *Genes.* 20. *&* 26. esse verè sororem suam, & ex connubiis celebratis à primis fratribus, scilicet Caimo & Seth, qui sororibus nupserunt. Quibus exemplis moti Hieronymus *in quæstionibus super Genesim*, & Parens Augustinus *lib.* 15. *de ciuitate cap.* 16. huic parti assentire videntur. Secundò ex vsu recepto inter Gentiles Ægyptios, & Athenienses, inter quos fraterna connubia permittebantur: quæ tamen abhorrerent si naturale ius ea interdiceret. Tertiò ex fabulis falsorum Deorum, quos Mithologi & Poëtæ sororibus nupsisse fabulantur.

Sic Saturnus Opem iunctam sibi sanguine duxit,
Oceanus Thethym, Iunonem Rector olympi.

Ouidius *lib.* 9. *Metap.* cecinit impudicam Biblim inducens conquestam quod sibi commisceri cum fratre non liceret, sicut Diis licuerat cum sororibus. Quartò ex historia 2. *Reg.* 13. de Thamar quæ fratri suo Amon incestuosum stuprum cum ea intentanti, respondit. *Noli facere stultitiam hanc, quin potius loquere ad Regem, & non negabit me tibi*: quæ verba minimè protulisset, nisi videret fraterna connubia tunc esse licita iuxta morem patriæ. Quintò arguit non obstare argumentum, ex hoc quod hucusque non fuerit facta à Summis Pontificibus talis dispensatio: Tum quia negatiuum est, & quoniam hucusque fortè non occurretit causa vrgentissima: Tum etiam, quia nullus ante hos dies vsque ad Clementem VIII. dispensauerat, vt idem vir duabus sororibus, aut econtra eadem fœmina duobus fratribus nuberet. Tandem, quia connubium fraternum nec naturæ nec finibus matrimonij aduersatur: quod tamen erat necessarium, vt iure naturali esset irritum. Hæc sunt quibus hic Author suam opinionem suadere conatur. Deinde *num.* 11. *&* 12. subdit; quod coniugalis copula fratrum fiat cum turpitudine & irreuerentia contra reuerentiam & decentiam, quam natura in fratribus adinuicem exhibendam constituit, tantùm probat fraternum coniugium esse iure naturali illicitum sine magna causa, sed non inualidum eodem iure. Ac tandem *in calce cap. num.* 14. concludit Papam posse dispensare ex vrgentissima causa, qualis esset v. g. si Rex Hispanus non inueniret æqualem sibi vxorem præter sororem: aut si tantùm æqualem sibi inueniret hæresi infectam, ex cuius connubio Regi aut Regno periculum peruersionis immineret: & meticulosus finit sententiam dicens; *Ita mihi videtur sub Sedis Apostolicæ iudicio.*

Oppositam † sententiam tuentur omnes dis- 9
cipuli D. Thomæ (excepto Caietano) vt Sotus & Petrus Ledesma *vbi supra*, alter Ledesma 2. *part. quæst.* 56. *art.* 4. Ludouicus Lopez 2. *part. instructo, de matrimonio c.* 49. & Petrus de Soto *lib.* 10. *de matrimonio propositione* 2. quibus consentiunt Castro *lib.* 3. *de iusta hæretic. punitione, cap.* 7. Abulensis *cap.* 11. *Genesis quæst.* 22. *& c.* 18. *Leuitici quæst.* 5. Couarruuias 4. *decret.* 2. *part. cap.* 6. §. 10. Bellarminius *vbi supra*, Catherinus *lib.* 6. *contra Caietan. prope finem illius quæst. an Papa possit dispensare cum professo?* Sa *in summa* V. *matrimonium, num.* 4. Vazquius 12. *qu.* 74. *art.* 8. *disp.* 112. cum aliis quos citat & sequitur Thomas Sanchez *lib.* 7. *de matrimonio disput.* 52. Quæ sententia à nobis statuitur pro conclusione indubitatè tenenda, in tribus consistens dictis. Primum est † matrimonium fraternum 10
esse interdictum & irritum iure naturæ, siue fratres sint ex vtroque, siue ex altero solo parente, ac proinde ab Ecclesia indispensabile. Secundum est hoc esse ita certum, vt oppositum sit improbabile in praxi. Tertium est quod D. Thomas nullibi ab hac dissentit sententia. Quæ sigillatim eodem ordine sunt probanda. Primum igitur dictum probatur Primò ex testimoniis Aristotelis, Tertulliani, Theodoreti, & Parentis Augustini; quorum ille *lib.* 1. *Politicorum cap.* 2. solo naturali lumine ductus, turpissimam censet coniunctionem parentum cum filiis, & fratrum cum sororibus, quasi vtramque pariter, aut quasi pariter cum naturæ legibus pugnantem. Alter verò *in Apologet. cap.* 9. consuetudinem quarumdam nationum coniugia hæc permittentem, vt legi naturali aduersantem, & tanquam barbaram & ferinam impugnat; id ipsum facit Theodoretus *lib. de legibus.* Iste denique *lib.* 15. *de ciuitat. cap.* 16. *& lib.* 22. *contra Faustum cap.* 55. ait matrimonia fraterna in solo mundi exordio licuisse ob priuilegium necessitatis, hoc est necessitate generis humani propagandi compellente. Secundo, quia coniugium parentum cum filiis iure naturæ est interdictum, itavt ille gradus sit omninò ab Ecclesia indispensabilis, quia primus gradus consanguinitatis est, atqui etiam primus gradus est consanguinitatis inter fratres; vtpote quia immediatè sibi inuicem coniunguntur in vna substantia & carne parentis, cuius sunt participes: quod enim coniungantur in ordine ad parentem, non tollit quominus immediatè coniungantur: iste enim ordo ad parentem, non mediat, sed tenet se ex parte principij generationis, à quo filij deriuantur immediatè, tanquam participantes portionem carnis eiusdem generantis proprij: ergo etiam iste gradus ab Ecclesia est indispensabilis vtpote primus & immediatus inter fratres, licet cum dependentia à principio generante. Tertiò quia fraternum coniugium naturæ & finibus intrinsecis matrimonij aduersatur; quod conuincunt argumenta, quibus nuper probaui id ipsum de coniugio parentum cum filiis. Etenim natura matrimonij ex ipsa tantum primæua intentione petit, vt duo extrema omnino distincta fiant vnum in carne vna, vnitate communicationis, non iden-

titatis, quod non verificatur de fratribus, qui sunt vnum per participationem carnis eiusdem parentis: petit quoque quod coniuges conueniant ad actum copulæ carnalis in ordine ad prolis generationem, cum quadam æqualitate, turpitudine & irreuerentia, sine quibus coniugalis copula exequi nequit: inter fratres verò naturaliter est inæqualitas, decentia quædam, pudor ac reuerentia minorum erga maiores natu: ex quo capite tale coniugium primario fini, scilicet proli generandæ aduersatur. Nec non fini secundario scilicet remedio concupiscentiæ, eò quòd recta ratio dictat, vt natura matrimonium permittat inter personas, inter quas possit esse moderatus vsus copulæ coniugalis: quæ moderatio deficeret inter fratres, vtpote quorum amor naturalis tam arctæ consanguinitatis coincidens, cum amore coniugali ardorem concupiscentiæ potius incenderet, quàm sedaret, præberétque spes dispensationis obtinendæ fratribus, qui in eadem domo cohabitant, & in eodem lecto sæpe condormiunt, occasionem tuendi in concubitus incestuosos; facilius namque homines (vt per se notum est) in earum fœminarum concubitus labuntur, cum quibus spem concipiunt ineundi matrimonium; difficilius autem si desit spes futuri matrimonij possibilis. Quartò fauet multum factum Abrahami *Genesis* 20. qui suasit Saræ vt diceret se esse eius sororem, vt sic dissimularet se esse ipsius vxorem; quod non faceret, nisi supponeret compertum esse illi genti barbaræ sororem nō posse esse fratris vxorem. Vnde Abimelech vbi primum cognouit Saram esse vxorem Abrahæ, intellexit quoque certò illam non esse eius sororem; ideóque conquestus est, quod ipsum decepisset, affirmans quod verè soror sua esset.

11 Deinde secundum dictum nostræ assertionis probatur ex *c. Gaudemus, de diuortiis*, vbi † Innocentius III. interrogatus à quodam Episcopo, num Pagani iuncti in quouis gradu prohibito lege Canonica, conuersi ad fidem debeant in coniugio permanere? Respondet quod Pagani accipientes vxores in secundo, vel tertio, vel vlteriori gradu sibi coniunctas, post conuersionem non debent separari, eò quòd tantùm Lege Canonica qua Pagani qui sunt extra Ecclesiam, non teneantur, sunt isti gradus interdicti: Vnde Rubrica eiusdem capitis quæ est conclusio textus, sic habet. *Pagani iuncti in gradu prohibito lege Canonica tantùm, conuersi ad fidem non separantur.* Sentit ergo Innocentius gradum illum primum lineæ transuersæ esse prohibitum alia lege quàm Canonica, vel non tantùm Canonica: nam iuxta regulam iuris, qui interrogatus de duobus vnum affirmat & alterum tacet, videtur negare id quod tacet. Cùm ergo Innocentius fuisset interrogatus de omni gradu lineæ transuersæ, sola lege Canonica prohibito, affirmando de tribus scilicet secundo, tertio, & quarto, & tacendo de primo, videtur negasse de primo, quod de aliis tribus affirmauit. Neque est simile quod adducit Thomas Sanchez ex Concilio Tridentino, quod dum *sessione* 14. *cap.* 3. *& Canon.* 7. determinat, circunstantias peccatorum mutantes speciem de necessitate esse in Confessione Sacramentali pandendas, subticendo alias non mutantes speciem, non ideo determinat has non esse confitendas. Nam Concilium sine interrogatione processit simpliciter, declarans materiam necessariam confessionis; ideóque de circunstantiis peccatorum loquens quod erat certum determinauit, quod autem incertum ac dubium, ob diuersas Doctorum opiniones disputandum scholis reliquit. Vnde licet non erroris nota, bene tamen improbabilis practicè contraria sententia ex dictæ decretalis tacita determinatione inuritur; quod amplius sic ostendo. Sicut signum euidens est, naturam, non posse facere id quod nūquam fecit: ita euidens signum est sedem Apostolicam non posse facere id quod nunquam fecit. Atqui † 12 Sedes Apostolica nunquam dispensauit in coniugio fraterno: nam duo tantum coniugia fraterna leguntur facta in annalibus Gallorum. Primum legitur fuisse initum à Carolo Magno cum sorore, ex qua genuit Rolandum filium & nepotem, cuius & ipse fuit pater & auunculus, cuius meminit D. Antoninus 3. *part. titulo* 1. *cap.* 11. Secundum fuit Comitis Armeniaci, quod refert Paulus Æmilius *in vita Ludouici* 11. ex quibus primum potius fuit concubinatus incestuosus, quàm coniugium, quia nulla legitur dispensatione factum. Secundum verò initum fuit, ementita dispensatione per quendam Notarium Romanæ curiæ muneribus corruptum, eò quòd legitimam dispensationem à Summo Pontifice impetrare non potuit: quamobrem & Notarius falsarij pœnas exsoluit, & ipse Comes à Christianissimo Rege requisitus vt sororem relinqueret, renuens, armato milite fuit aggressus, & Comitatu expoliatus. Rex quoque Catholicus Hispanus Philippus II. volens suum primogenitum Philippum III. iungere sorori Elizabethæ Infanti anno 1589. ob vrgentissimam causam, videlicet, quia neque illi æqualis vxor, neque isti æqualis vir tunc inter fideles Principes inueniebatur, consuluit Theologos quamplures sciscitans ab eis, num Papa posset in eo matrimonio inter fideles non vterinos dispensare? Quorum vnus fuit Magister Ludouicus Legionensis, qui dedit responsum affirmatiuum, quod tamen parui pensum fuit, siquidem Rex Catholicus assensum præbuit responsis negatiuis aliorum, de quorum numero fuit Magister Orellana Dominicanus, qui tunc Matriti commorabatur, qui nūncio Regis fertur intrepidè ita respondisse. Mallem esse Vassallus pauperis pastoris, quàm Regis nubentis sorori.

Hinc colligo primò; minus verè Sotum contrariam opinionem erroris nota esse inurendam dixisse, ex illa tacita determinatione *cap. Gaudemus*: Verùm quia tacita determinatio non tantùm operatur, quantum expressa, siquidem illa non tam litteræ, quam discursui innititur, mitiori censura illa opinio censenda est. Colligo secundò magis falso dixisse Thomam Sanchez, qui vt contrariam opinionem à censura Soti vindicaret, eam dixit non erroneam, sed valdè probabilem esse: nam opinio valdè probabilis est illa, quæ speculatiuè & practicè est probabilis, id est quæ nedum speculatiuè defendi potest, sed etiam ad praxim sine vllo scandalo & periculo reduci valet. Illa autem opinio contraria sine scandalo & periculo nequit ad praxim reduci. Interrogo enim hunc authorem, si frater iunctus sorori

de

de infidelitate transiret ad fidem, Vtrum à Sede Apostolica permitteretur in eo matrimonio permanere? minimè gentium: Videret namque Summus Pontifex id sine scandalo fidelium fieri non posse, & aliàs periculo se exponere conseruandi matrimonium irritum iure naturæ, provt probabilior tenet sententia quæ fortè vera est, & illius veritas in eo consistit: Neque lateret Summum Pontificem, quod Innocentius III. in dicto *cap. Gaudemus*, id tacitè negauit, cuius tacitæ determinationis oppositum exequi non auderet.

13 Denique tertia pars nostræ assertionis, siue tertium dictum probatur, producendo † in medium duo loca, in quibus D. Thomas oppositæ videtur fauere opinioni, nimirum, *in* 4. *d.* 40. *quæst. vnica art.* 3. vbi distinguens gradus consanguinitatis prohibitos, solum gradum primum lineæ rectæ scilicet inter parentes & filios, ait esse prohibitum lege naturæ sic. *Respondeo dicendum, quod secundum diuersa tempora inuenitur consanguinitas secundum diuersos gradus impedisse. In principio enim humanæ generationis solus pater & mater à matrimonio repellebantur; eò quòd quia tunc temporis erat paucitas hominum, & oportebat propagationi humani generis maximam curam impendere; non erant remouendæ nisi illæ personæ quæ matrimonio incompetentes erant, etiam quantum ad matrimonij principalem finem qui est bonum prolis. Postmodum autem multiplicato humano genere per legem Moysi, plures personæ exceptæ sunt, quæ iam concupiscentiam reprimere incipiebant. Vnde vt dicit Rabbi Moyses, omnes illæ personæ exceptæ sunt à matrimonio, quæ in vna familia cohabitare solent, quia si inter eos licitè carnis copula esse posset, magnum incentiuum libidini præstaretur, &c.* Ex quibus verbis minimè colligitur, primum gradum lineæ transuersalis de mente D. Thomæ non fuisse prohibitum lege naturali; sed tantùm colligitur quod solus gradus primus lineæ rectæ fuit indispensatus: Cum quo stat fraternum coniugium fuisse lege naturali interdictum, sed dispensatum à Deo authore naturæ initio mundi ob necessitatem genus humanum propagandi. Secundus locus habetur 2. 2. *q.* 154. *art.* 4. *ad* 3. quod eò tendebat, vt probaret accessum ad consanguineam non esse de se deformem, quia aliquo tempore licuit, ad quod sic respondet Sanctus Doctor. *In commistione personarum coniunctarum aliquid est secundum se indecens & repugnans naturali rationi, sicut quod commistio fiat inter parentes & filios, quorum est per se & immediata cognatio: nam filij naturaliter honorem debent parentibus, &c. Aliquæ verò personæ, quæ non coniunguntur secundum se ipsas, sed per ordinem ad parentes, non habent ita ex seipsis indecentiam, sed variatur circa hoc decentia, vel indecentia secundum consuetudinem & legem humanam vel diuinam, quia vsus venereorum, qui ordinatur ad bonum commune subiacet legi: & ideo sicut Augustinus dicit lib.* 16. *de ciuitate cap.* 16. *commistio sororum & fratrum quantò fuit antiquior compellenti necessitate, tantò postea facta est damnabilior religione prohibente.* Hæc D. Thom. ex quibus tantum colligitur, quod de eius mente magis repugnet rationi naturali coniunctio carnalis parétum cum filiis, quàm fratrum cum sororibus, eò quòd ibi est maior indecentia quàm hîc, & quia illæ personæ sunt magis inhabiles ad coitum secundum seipsas, non in ordine ad prolem: quoniam inter ipsas est naturalis pudor, qui est contrarius commistioni earum. Inter fratres verò & sorores minor est inhabilitas, sicut & minor indecentia; magis autem & minus non variant speciem, vnde intra eandem speciem prohibiti Iure naturali est vtraque commistio; quis enim neget inter fratres & sorores non esse naturalem pudorem, & reuerentiam contrariam carnali copulæ, vtpote quæ sine pudore & reuerentia petit fieri. Ergo si ob hanc rationem cõmistio parétũ cum filiis naturali Iure interdicta, vt fatetur Caiet. *ibidem*, est; ob eandem rationem pudoris & reuerentiæ licet minoris aliquantulum, erit commistio fraterna iure eodem interdicta. Est quoque aliud discrimen inter vtramque commistionem, quod paterna nunquam fuit dispensata, bene tamen fraterna inter primos fratres, ob necessitatem propagandi generis humani, & ideò illam ab ista distinguit D. Thomas, quasi illa sit per se & ratione sui indecens & rationi naturali repugnans: ista verò non ita, hoc est in eodem gradu indecentiæ & repugnantiæ. Ex hoc tamen non licet inferre, quod commistio fraterna ex mente D. Thomæ sit sola lege humana aut diuina positiua interdicta: sed lege diuina absolutè, vt abstrahit à positiua & naturali: & quod sicut fuit licita initio mundi compellente necessitate, ita postea facta est damnabilis religione prohibente; religione inquam diuinæ legis siue positiuæ, siue naturalis.

14 Hinc colligo † minus bene Basilium pro sua opinione citare D. Thomam in hoc posteriori loco: & minus attentè Thomam Sanchez pro non sua adducere eundem Sanctum Doctorem in vtroque loco: dum *num.* 1. referens opinionem asserentem coniugium fraternum non esse iure naturali irritum, subdit. *Quare sententiam hanc clarè videtur tenere D. Thom.* 2. 2. *q.* 154. *art.* 4. *ad* 3. cuius & verba refert truncata: *& in* 4. *d.* 40. *q. vnica art.* 3. *Mota quæstione de gradibus consanguinitatis lege naturali prohibitis, solum in responsione meminit parentum & filiorum*: Cum tamen verba prioris loci integrè relata, non excludant coniugium fraternum à prohibito lege diuina naturali; responsio autem loci posterioris expressit exemplificans casum certum, qualis est prohibitio coniugij parentum cum filiis, & tacuit minus certum, qualis est commistio fraterna, de qua erat aliquale dubium inter Doctores. Vnde non clarè, sed obscurè fauet contrariæ opinioni.

15 Ad cuius † primum fundamentum ex adductis à Caietano, aut admissa maiori nego minorem; quia illa prima fratrum connubia non nisi diuina dispensatione ipsis vel primis parentibus reuelata, fuerunt licita. Neque inconuenit legis naturalis conditorem, ilico in ea dispensasse, maximè dispensatione transeunte & parum duratura, nimirum durante dumtaxat vrgenti illa necessitate propagationis generis humani, & quandiu non essent aliæ fœminæ præter sorores: illis enim extantibus ilico dispensatio cessauit. Aut neganda est maior; potuerunt enim esse illa prima connubia fraterna licita ob priuilegium necessitatis, quæ lege caret, ob cuius cessationem pro tunc illa connubia, nec mala, nec indecentia, nec interdicta fuerunt. Ad secundum nego minorem, quia licet

cet fraterna coniunctio sit in ordine ad parentes, tamen est immediata, & ideo ab Ecclesia indispensabilis. Ad tertium neganda est minor: longè enim diuersa ratio est de primo gradu affinitatis, atque de primo consanguinitatis: ille enim non coniungit cognatos in vna carne & substantia accepta ab eodem parente sicut iste. Vnde ille facit leuiros & glores; iste autem propriè facit fratres.

16 Ad †fundamenta à Basilio transcripta, dicendum cum Soto & Ledesma *in locis citatis*, ex quibus illa transcripsit: Ad primum quidem Saram non sororem, sed sobrinam fuisse Abrahæ, scilicet filiam Aram fratris sui & sororem Lothi, testantur Iosephus, *lib. 1. antiquitatum cap. 14.* Hieronymus *in quæstionibus Hebraicis super Genes. cap. 20. & contra Eluidium, & in prologo ad Iob.* Parens Augustinus *lib. 16. de ciuitate c. 19. lib. 22. contra Faustum c. 35. & in quæstionibus super Genèsim*, & habetur *in decretis 22. q. 2. canone Quæritur.* Cuius non leue argumentum est, quod Abrahamus *Genes. 12. & 20.* dixit de Sara, quod esset sua soror verè, vt sic celaret in Ægypto, & in Gerara illam esse suam vxorem. Idipsum ad eundem finem dixit Isac de sua vxore Rebbeca peregrinans in eadem prouincia Geraræ, cúmque Abimelec resciuit vnam & alteram esse vxorem, ilico intellexit neutram esse sororem. Quod signum euidens est, gentibus illis lumine naturali innotuisse fraterna connubia esse neganda. Qui autem mordicus dixerit, Saram fuisse sororem Abrahæ, dicat illud connubium sibi fuisse diuina dispensatione permissum, sicut in exordio mundi connubia primorum fratrum cum sororibus licuerunt, diuina dispensatione eis aut primis parentibus per clamorem naturæ intimata, vrgente necessitate generis humani procreandi: Qua tamen necessitate cessante ista connubia sic naturæ aduersantur, quasi nunquam licere potuerint, ait Augustinus in loco proximè citato, de cuius proinde ac Hieronymi mente tam aperta, sine causa dubitat Basilius. Ad secundum patet ex verbis eiusdem Augustini *eodem loco*, dicentis; fraterna coniugia non nisi peruersis legibus permittebantur, hoc est apud gentes ferinas & barbaras; melior tamen consuetudo hanc mauult exhorrere licentiam. Ad tertium miror, quod Basilius non meminerit ad fabulas conuertendos fore secundum sententiam Pauli Apostoli, qui à veritate auditum auertunt. Ad quartum dico, aut cum Paludano & aliis, Dauid non verum patrem, sed nutritium fuisse Thamaris, quã domi habebat vt filiam potius adoptiuam & legalem, quàm naturalem, vtpote quæ filia erat cuiusdam nobilis fœminæ in bello captæ à Dauide. Aut cum communi Interpretum sententia, illa verba à sceleris immanitate perturbata prolata fuisse: sicut illa verba prolata à cæco de quo fit mentio *Ioannis 9. Deus peccatores non exaudit*, falsa fuerunt; vtpote à cæco nondum illuminato prolata, teste Parente Augustino: aliàs enim neque illa lex *Leuitici 18.* scripta, connubia fraterna interdicens, poterat puellam Regis filiam, & in aula Regis educatam, & conuersantem cum sapientibus & aulicis latere; qui pluris eam legem scriptam, quàm naturalem faciebant. Ad quintum dico, multum vrgere illud argumentum ob rationem superius adductam: neque causa vrgentissima dispensandi, quam ipse Author assignat, defuit Catholico Regi Philippo II. quando suos filios, non vterinos fratres voluit iungere matrimonio: sed neque tot retro temporibus aliis Principibus Christianis potuit non occurrere. Quod autem simile inducit de dispensatione inter affines primi gradus, nunquam visa vsque ad Clementem VIII. argumentum est eum latuisse dispensationes à Martino V. ab Innocen. VIII. & Alexandro VI. concessas; ab illo quidem vt quidam Eques perseueraret in matrimonio inito cũ sorore illius, quam fornicariè cognouerat, vt refert D. Antoninus *vbi supra*: ab istis verò vt Angliæ Rex Catherinam viduam relictam ex fratre Eduardo primogenito duceret in vxorem, & vt Emanuel Rex Portugaliæ duas sorores & filias Catholicorum Regum, scilicet Elisabetham prius, & postea Mariam duxit vxores: post Clementem verò VIII. plures huiusmodi dispensationes experti sumus à Sede Apostolica dimanasse. Ad sextum patet ex iam dictis, qualiter fraternum coniugium naturæ matrimonij in ordine ad copulam, ac eius vtrique fini scilicet generationi prolis, & remedio concupiscentiæ aduersetur. Ac tandem concludendo dico, nunquam Theologum Doctorem debere in materiis moralibus eam opinionem docere, de qua opus sit dicere: *ita mihi videtur sub Sedis Apostolicæ iudicio.*

17 Inc discendamus ad examen † Polygamiæ, vt videamus; an quoque iure naturæ sit interdicta?

In qua controuersia, vt certa ab incertis seperemus, quædam supponenda sunt, in quibus Catholici Doctores conueniunt aduersus impiam Lutheri & Anabaptistarum hæresim, defendentium vxorum pluralitatem, quam & Mahumetus in sua nefanda lege, hoc est Alcorano, suis sequacibus concessit. Primum est quod de 18 facto † in lege Euangelica ligamen, hoc est vinculum prioris matrimonij est impedimentum dirimens, vtpote quo durante, irritum & inualidum redditur subsequens matrimonium; numeratur enim inter impedimenta dirimentia, in eo versu, *vis, ordo, ligamen, honestas.* Secundum 19 suppositum est, huiusmodi † impedimentum siue vinculum, nedum Ecclesiastica, & humana, sed etiam diuina aliqua lege esse inductum & statutum: quod probatur ex Innocentio III. *in dicto cap. Gaudemus de diuortiis*, Siricio *in Epistola 1.* Innocentio I. *Epistola 3. ad Exuperium cap. 6.* Alexandro III. *cap. licet de sponsa duorum*, eodem Innocentio III. *cap. finali eiusdem tituli*, & Nicolao Papa relatis in canone, *An non 24. q. 3.* probantibus ex illo Christi testimonio *Mathei 19.* hanc veritatem; *quicumque dimiserit vxorem suam nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mechatur*: & *Marci 10. quicumque dimiserit vxorem suam, & aliam duxerit, adulterium committit super eam*: id est mechatur super eam, quasi duplex crimen committens, alterum iniusti repudij, & alterum adulterij, ducendo secundam vxorem priori superstite; vt Augustinus *lib. 1. de adulterin. coniugiis c. 11.* & Beda *super eodem cap. 10. Marci* interpretantur. Planéque Innocentius III. in eo *cap. Gaudemus*, respondens quæstioni secundo loco sibi propositæ; An scilicet infidelis iunctus pluribus

vxoribus

vxoribus veniens ad Ecclesiam, debeat cum illis permanere? negatiuè respondet dicens. *Verùm absonum hoc videtur & inimicum fidei Christianæ, cum ab initio vna costa in vnam fœminam sit conuersa, & sententia diuina testatur quod propter hanc relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna, non dixit tres, vel plures, sed duo, nec dixit adhærebit vxoribus, sed vxori,* &c. *Nec vlli vnquam licuit insimul plures vxores habere, nisi cui fuit diuina reuelatione concessum: qui mos quandoque etiam fas censetur, per quam sicut Iacob à mendacio, Israëlitæ à furto, & Samson ab homicidio; sic & Patriarchæ, & alij viri iusti, qui plures leguntur simul habuisse vxores, ab adulterio excusantur. Sanè veridica hac sententia probatur etiam de testimonio veritatis testantis in Euangelio. Quicumque dimiserit vxorem suam ob fornicationem & aliam duxerit, mechatur; Si ergo vxore dimissa duci alia de iure non potest, fortius & ipsa retenta; per quod euidenter apparet pluralitatem in vtroq; sexu, cum non ad imparia iudicentur circa matrimonium, reprobandam.* Quibus in verbis tria decernit Innocẽtius, nimirum, matrimonio ex ipsius natura & primæua institutione repugnare vxorum pluralitatem, sicut & virorum: quam repugnantiam colligit ex illis verbis, *Gen. 2. Erunt duo in carne vna, & adhærebit vxori suæ*: & ex verbis Christi Domini in Euangelio *Matth. 19. Quicumque dimiserit vxorem suam, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur.* Quasi sensus sit, quicumq; dimiserit vxorem suam, ob fornicationem, ob quã causam solam, licita potest esse dimissio vtcumque scilicet quoad thorum & cohabitationem, non quoad vinculum, &c. Vnde *Marci* 10. referuntur hæc verba absolutè sine tali exceptione, quo denotatur ex ore Christi Domini, ob nullã causam etiam fornicationis, licitam fore dimissionem propriæ vxoris quoad vinculi solutionẽ. Ac tandem Patriarchis & Patribus antiquæ legis licitam fuisse Polygamiam ex diuina dumtaxat dispensatione, ipsis interius reuelata.

20 Accedit † diffinitio Concilij Tridentini *sess. 24. de matrimonio Canon. 2.* sub hiis verbis. *Si quis dixerit licere Christianis plures simul habere vxores, & hoc nulla lege diuina esse prohibitum, anathema sit.* Post quam diffinitionem iam opinio Caietani dicentis nullibi in sacris litteris extare legem de vnitate vxoris, nec alicubi in Sacra Scriptura reperiri explicitè aut implicitè pluralitatem vxorum interdictam, vt videre est apud ipsum 1. *ad Thimot.* 3. ad illud verbum: *Oportet Episcopum esse vnius vxoris virum*, &c. *Matth. 19. & Marci* 10. ad illud. *Quicumq; dimiserit vxorem, &c.* absque erroris nota defendi non potest; eò quòd anathema dicit Concilium neganti pluralitatem vxorum aliqua diuina lege esse prohibitam: Idem autem est negare pluralitatem vxorum esse aliqua diuina lege prohibitam, atque negare huiusmodi prohibitionem in aliquo loco Sacræ Scripturæ, explicitè aut implicitè contineri. Lex namque diuina non potest non esse in aliquo loco Sacræ Scripturæ, explicitè aut saltem implicitè reuelata. Loca autem Sacræ Scripturæ in quibus hæc lex diuina continetur sunt adducta ab Innocentio III. *in dicto c. Gaudemus*, nimirum illud *Genes. 2. Erunt duo in carne vna, & adhærebit vxori suæ*: & illud *Matthæi* 19. *quicumque dimiserit vxorem & aliam duxerit, mechatur.* In quorum priori diuina lex pluralitatem vxorum interdicit implicitè: in posteriori autem explicitè continetur.

Tertium est in quo etiam omnes Doctores conueniunt; quod † iure naturali interdicta est 21
pluralitas virorum respectu eiusdem vxoris; quod patet dupliciter. Tum quia teste D. Thoma *in 4. d. 33. q. 1. art. 1. ad 7.* vnam vxorem habere plures viros est contra prima præcepta legis naturæ, nam per hoc quantum ad aliquid totaliter tollitur, & quantum ad aliquid impeditur bonum prolis, quod est principalis matrimonij finis; bonum inquam prolis procreandæ & educandæ. Et licet non totaliter tollatur prolis procreatio, quia contingere potest fœminam post primam imprægnationem, iterum imprægnari, teste Philosopho *lib. 7. animalium cap.* 4. tamen regulariter accidit corruptio vel vtriusque fœtus ob seminum contrarietatem, vel saltem alterius, quod à prævalente semine suffocatur. Educatio verò totaliter tollitur, nam ex eo quòd vna mulier plures maritos haberet, sequeretur incertitudo prolis respectu patris, cuius cura & amor sunt ad prolis educationem necessaria: quamobrem nulla lege aut consuetudine permissum est, vnam vxorem habere plures viros, sicut econuerso. Tum etiam, quia huiusmodi virorum pluralitas aduersatur illi primordiali naturalis legis præcepto: *Quod tibi non vis fieri alteri ne feceris*: quod D. Thomas ait intelligendum fore, eadem proportione seruata: Vxor autem nequaquam vellet, quod suus vir aliam vxorem haberet: ergo neque vir debet velle (intellige voluntate rectè ordinata) quod sua vxor habeat alium virum. Eadémque proportio seruatur inter virum & vxorem quantum ad copulam coniugalem, in qua sunt pares, & pari iure gaudentes. Cum D. Thoma consentiunt Sotus *in eadem d. quæst. 1. artic.* 3. Maior *ibidem in argumento 1. contra primam conclusionem*, Bellarminius *lib. 1. de matrimonio cap.* 11. Petrus de Ledesma *quæst. 65. de matrimonio art. 2. dub. 2.* & Thomas Sanchez *lib. 7. de matrimonio disp.* 80. *num.* 15. Vtrum autem Deus sua potentia absoluta possit dispensare, vt vna vxor pluribus viris nubat? res dubia est. Alij namque id negant, quam sententiam satis Sotus insinuat, & Bellarminius expressit; eò quòd sit contra prima naturalis iuris præcepta, in quibus nec Deus potest dispensare. Alij verò affirmant cum Maiore, Petro Ledesma, & Thoma Sanchez; quorum sententiæ magis assentior, eò quòd eandem vxorem habere plures viros non est ita intrinsecè malum, quin Deus valeat in eo dispensare. Neque vlla in hoc inuoluitur repugnantia: quod non leuiter insinuat D. Thomas *loco citato*, dum ait pluralitatem virorum non tollere omnino finem principalem matrimonij, qui est prolis generatio & educatio, nisi tantùm ex parte; nam licet tollat congruam educationem, sed non generationem, contigit enim mulierem ab vno imprægnatam, ab alio iterum imprægnari: possétque Deus vtriusque viri fœtus, aut simul, aut saltem successiuè in lucem edendo illæsos conseruare, & sic saluo principali fine matrimonij, non est cur non posset in pluralitate virorum dispensare, sicut de facto dispensauit in pluralitate vxorum.

Hiis itaque præsuppositis in quibus Doctores conueniunt, venit in controuersiam; Vtrum

pluralitas vxorum iure naturali ſit adeò interdicta, vt Summus Pontifex nequeat in ea diſpẽſare? In qua controuerſia diuiſi ſunt Doctores in
22 duas ſententias Prima † negans eſt, quam tuentur Durand. *in 4.d.33.q.1.* Scot. *q.2.* Supplementum Gabrielis *q.1.art.2.* Gerſon *2.p. Alphabeto 25.littera 1.* Caiet. *c.16. in Geneſim & Matth.19. & Marci* 10. Abul. *1.Reg.8.qu.25. & Matth.19. q.30.& 33.* Medina *lib. 4. de ſacrorum hominum continentia, controuerſia 1.c.9.* Veracruz *2.p.ſpeculi art.15.* & Pallacios *in eodem 4.d.33.diſp.1.* ducuntúrque: Primò authoritate Parentis Auguſtini *lib.de bono cõiugali c.vlt.* dicẽtis antiquis Patribus licitam fuiſſe Polygamiam, quia nec contra legẽ nec cõtra morẽ erat: & *li.22.cõtra Fauſtũ c.27.& 48.* quod refertur *Canone obiiciuntur 32. q.4.* excuſat Iacob, qui habuit quatuor vxores ratione conſuetudinis, ibi: *quando mos erat, crimen non erat*, quia conſuetudo excuſare poteſt à culpa: & *lib.1.de nuptiis c.9.* & *lib.de bono viduitatis c.7.* ex quodam Concilio Colonienſi *tract.de matrimonio*, probat virorum pluralitatem naturæ matrimonij aduerſari, ſecus autem vxorum multitudinem: & *lib.3.de doctrina Chriſtian.c.12.& lib.16. de ciuitate cap.38.* ſentit Polygamiam antiquius nulla lege fuiſſe prohibitam; cuius ſententiæ fuit etiam Hieronymus *in epiſtola ad Oceanum.* Quinimo Gregor. III. *epiſt.4.ad Bonifacium*, & refertur *Canone Propoſuiſti, 37.q.7.* conceſſit cuidam facultatem ducendi ſecundam vxorem ob primæ ægritudinem: legem quoque permittentem vxorum pluralitatem tuliſſe fertur Iulius Cæſar apud Suetonium *c.52.* & Valentinianus Senior, apud Socratem *lib.4.ſuæ hiſtoriæ c.31.*

23 Secundò ducuntur † exemplo: tum multarum gentium, apud quas olim permittebatur, & vſque nunc permittitur vxorum pluralitas, quas referunt Tiraqueſlus *lib.7. connubiorum num.16.* Alexander ab Alexandro *lib.1. dierum genialium c.24.* & Menochius *lib.2. de arbitrar. centuria 5. n.420.* nec tamen facilè creditur illas eſſe lumine & ratione naturali deſtitutas. Tum etiam Patriarcharum & aliorum Sanctiſſimorum virorum legis Veteris, qui licitè plures ſimul vxores habuerunt v. g. Abrahami, qui Saram, Agar, & Cheturam habuit *Geneſ.16.& 25.* Iacobi, qui Liam, Rachelem, Balam & Zelpham, *Geneſis 29.& 30.* Helcanæ qui Annam, & Phenenam *1.Reg.1.* & Moyſis, qui & Æthiopiſſam & Sephoram *Exodi 2. & Numerorum 12.* in vxores referuntur habuiſſe. Dauid quoque Rex Sanctiſſimus vir, & ſecundum cor Dei inuentus, decem & octo vxores habuit; & Salomon eius filius habuiſſe dicitur mille vxores *3. Reg.11.* Quod ſi de hoc obiurgatur ibidem, non eſt quia tot vxores habuerit, ſed quia alienigenas duxit contra prohibitionem Dei, *Exod. 34.*

Tertiò probatur hac ratione oſtenſiua: quod non aduerſatur naturæ aut finibus matrimonij, non irritat illud iure naturali. Sed pluralitas vxorum, nec aduerſatur naturæ matrimonij, nec eius finibus: non naturæ, quia vnus vir ſufficiens eſt fœcundandis pluribus mulieribus: nec fini primario, qui eſt prolis procreatio & educatio, quia plures vxores poſſunt ex eodem viro concipere, filióſque procreare & educare. Nec fini ſecundario, qui eſt pacifica in eadem domo cohabitatio, & concors officiorum domeſticorum participatio: quia licet pluralitas vxorum rixam plerumque pariat; attamen ab eodem viro vtpote capite familiæ poſſunt rixæ cohiberi, & concordia in pluribus vxoribus ſtabiliri, vt patet experientia Imperatoris Turcarum, qui plurimas concubinas, Sultanas, vxores in eadem aula cohabitantes in pace & concordia conſeruat: ergo, &c.

Secunda † ſententia huic è diametro oppo- 24
ſita affirmans eſt, quam ſuſtinent D. Thomas *in 4.d.33.q.1.art.1.* Ricardus, Paludan. Capreolus, & Sotus ibidem. D. Antoninus *3.p.tit.14. cap.10. §.2.* Catharinus *lib. 5. contra Caietanum cap.de matrimonio*, Ferrara *3.contra Gentes cap. 124.* Bellarminus *lib.1. de matrimonio c.11.* Ludouicus Lopez *2.p.inſtructorij c.56.* Menochius *vbi ſupra*, Victoria *relectione de matrimonio 1.p. num.3.* Petrus de Ledeſma *de matrimonio q.65. art.1.* Bartholomeus à Ledeſma *dub.72. de matrim.* Couarruuias, Driedo, Viguerius, Enriquez, Valencia, & alij quos refert & ſequitur Thomas Sanchez *dicta diſp.80. num.8.* quibus conſentit Baſilius Legionenſis *lib.7. de matrimonio cap.* 49. Sententia enim quam vt mediam, meditatur Thomas Sanchez *loco citato*, aſſerens Polygamiam vnius viri cum pluribus vxoribus non eſſe contra prima & vniuerſalia iuris naturalis principia, niſi tantùm contra concluſiones ab ipſis primis principiis deriuatas, eo quod non naturæ, aut fini primario matrimonij aduerſetur, niſi tantùm ſecundario; vt medium fingat ſe tenere inter duas priores ſententias extremè contrarias; prorſus relabitur in ſecundam. Nullus enim ex authoribus ſecundæ ſententiæ aſſerit huiuſmodi Polygamiam naturæ & fini primario matrimonij omnino repugnare, aut naturalis iuris primis principiis aduerſari: alioquin nec à Deo eſſet diſpenſabilis: cuius tamen oppoſitum omnes dicti Authores affirmant. Id verò quod vno ore dicti Authores proferunt, eſt; Polygamiam eſſe ab Eccleſia indiſpenſabilem, quia prohibita eſt iure diuino ac naturali, vtpote finibus matrimonij quodammodo contrariam, & non rectè cum illis congruentem: ideóque nunquam licuiſſe ſine diuina diſpenſatione. In quo ſenſu à nobis ſtatuitur pro concluſione.

Et quoad primam partem probatur ſupponendo quod ſcitè docuit Sotus *q. citata art. 1.* nimirum, † tres eſſe fines matrimonij, ſicut & 25
bona eis correſpondentia ſunt tria; quorum primus eſt prolis generatio & educatio, ob quem teſte Philoſopho *lib.8. Ethicorum*, natura omnia animalia docuit commiſtionem maris cum fœmina. Secundus teſte eodem Philoſopho eſt mutua communicatio in officiis domeſticis, ad vitam humanam tranſigendam neceſſariis. Tertius finis conueniens matrimonio vt Sacramento, eſt ſignificare coniunctionem Chriſti cum Eccleſia, mediante aſſumptione humanitatis, cuius partes nunquam dimiſit. Cui correſpondet bonum Sacramenti, ſicut fini primo correſpondet bonum prolis, & ſecundo bonum fidei, qua coniuges ſibi inuicem adſtringuntur. Quapropter matrimonium propter primum finem conuenit homini ratione generationis, ſcilicet quatenus animali; & propter ſecũdũ cõuenit homini ratione ſpeciei, videlicet eſt animal rationale & politicũ; & propter tertiũ cõuenit illi in quãtũ eſt Chriſtianus. Hiis adiũgitur quartus alius finis qui eſt remediũ concupiſcẽtiæ: ordinatur enim etiã matrimoniũ ad hoc, vt

per

per eius licitum ac temperatum vsum concupiscentia sedetur. Quo supposito probatur prima pars nostræ assertionis. Licet verum sit finem primarium & primum bonum matrimonij nec tolli, nec impediri per pluralitatem vxorum coniunctarum vni viro, quippe qui potens est plures vxores fæcundare, ex illis prolem suscipere, & vnaquæque illarum suos liberos educare; nihilominus secundus finis valde impeditur, & tertius omnino tollitur: quartus quoque omnino frustratur. Patefiunt singulæ partes huius minoris præmissæ. Prima quidem, quia in multis vxoribus simul cohabitantibus necesse est inuidiam, zelotypiam & rixas excitari, quibus pax turbetur, & pacifica in officiis domesticis communicatio saltem ex parte tollatur, atque valde impediatur. Secunda verò patet, quia matrimonium Christianorum repræsentat tum vnionem diuini verbi cum vna & eadem humanitate assumpta; tum vnionẽ Christi cum Ecclesia, quæ licet ex pluribus constet fidelibus, tamen vna est propter fidei & baptismatis vnitatem, iuxta illud *Cant. 6. Vna est columba mea*: & illud *Pauli 2. ad Cor. 11. Despondi vos vni viro virginem castam exhibere Christo.* Denique tertia pars ostenditur; nam naturale valde est, quod vir pluribus vxoribus cõiunctus vnam præ aliis diligat, aut quia pulchrior, aut quia ditior, aut quia fæcundior, aut propter simul istas tres rationes quæ sunt motiua in viris diligendi ardentius vxores: ac proinde illius cõcubitũ effrenatè & ardenter concupiscat. Quod si nullã præ aliis diligat, in nullius congressu quiescet, sed vna cognita carnaliter, alias quoq; carnaliter cognoscere desiderabit. Exẽplũ sit nobis Salomõ, qui dum pluribus mulieribus ac cõcubinis potiebatur, magis ac magis eius exarsit libido. Cum igitur Ecclesia nequeat in hiis quæ iure diuino ac naturali sunt prohibita, dispẽsare; neutiquam in Polygamia valebit dispensare, quam iure diuino ac naturali ostendimus esse prohibitam.

Deinde quoad posteriorem partem, scilicet
16 quod † nuquam Polygamia licuerit sine diuina dispẽsatione, probatur. Tum ex illo Adami oraculo; *Quamobrem relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna.* Ex quo colligunt Patres Concil. Trident. *sess. 24. c. 1.* vnitatem vxoris diuino iure præscriptam hisce verbis: *hoc autem vinculo duos tantummodo copulari & coniungi Christus Dominus apertius docuit, cum postrema illa verba*, &c. Tum etiam ex *Canone 2.* eiusdem Concilij, in quo anathema dicitur ei qui dixerit, *licere Christianis plures simul habere vxores, & hoc nulla lege diuina esse prohibitum.* Quæ diffinitio planè conformis est antiquis Conciliorum & Patrum sanctionibus, nimirum Concilij Nicæni *Canone 24.* Nicolai I. *ad consulta Bulgarorum c. 5.* & Innoc. III. *in cap. Gaudemus, de diuortiis*; vbi decernitur quod Paganus prius plures vxores habens, post fidem susceptam, soli primæ adhærere debeat, sub hiis verbis: *non dixit*, scilicet Sacra Scriptura *Genes. 2. tres vel plures, sed duo videlicet (erunt duo in carne vna:) nec dixit adhærebit vxoribus, sed vxori; Nec vlli vnquam licuit insimul plures vxores habere, nisi cui fuit diuina reuelatione concessum, qui mos quandoque, interdum etiam fas censetur, per quem sicut Iacob à mendacio, Israëlitæ à furto, & Samson ab homicidio, sic & Patriarchæ & alij viri iusti qui plures leguntur simul habuisse vxores, ab adulterio excusantur. Sanè veridica hæc sententia probatur etiam de testimonio veritatis testantis in Euangelio. Quicumque dimiserit vxorem suam ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur. Si ergo vxore dimissa duci alia de iure non potest, fortius & ipsa retenta: per quod euidenter adparet pluralitatem in vtroque sexu, cum nõ ad imparia iudicentur circa matrimonium, reprobandam.* Ex quibus colligitur, neutiquam posse defendi opinionem nostri Cardinalis Caietani super *Matth. c. 19.* & *Marci 10.* dicentis, Polygamiam non constare prohibitam ex sacris Litteris; cum ex adductis Cõciliorum ac Summorum Pontificum decretis planè constet, Polygamiam esse prohibitam iure diuino, ac proinde in sacris litteris, in quibus ius diuinum continetur. Dispensatio autem sine qua olim non licuit Patribus Veteris legis plures insimul habere vxores, non scripto tradita, sed per diuinam reuelationem innotuit Patriarchis, & per eorum traditionem fuit ad posteros deriuata, illorúmque verbo & exemplo in istis continuata. Vtrum autem fuerit ad gentes extensa? problema est, datúrq; Lectori optio, vt quam partem voluerit, eligat: aut affirmatiuam cum Bellarminio *vbi supra*, Ledesma 2. *p. 4. q. 67. art. 2.* Valencia 4. *p. disp. 10. q. 1. puncto 3.* & Basilio *in præallegato c. 22. lib. 7.* qui ex eo ducuntur, quod Iacob in terra Gentilium quatuor duxit vxores; & Esau plures quoque duxisse extra populum Hebræorum, constat ex *Gen. 26.* & *28.* & *in cap. obiiciuntur 32. q. 4.* absolutè dicitur, *quando mos erat, crimen non erat.* Quod refertur à Parente Augustino *lib. 22. contra Faustum c. 47.* qui proinde eidem fauet sententiæ. Aut negatiuam cum Soto *in 4. d. 33. q. 1. art. 2.* Angles *floribus 1. p. de matrimonio q. 7. art. 1. difficultate 3.* Enriquez *lib. 11. de matrimonio c. 2.* & *lib. 12. c. 6.* Bartholomeo à Ledesma *dub. 72. concluf. 6.* & Thoma Sanchez *in dicta disput. 80. num. 13.* quæ mihi verior est, eò quod in populo Gentilicio non militabat ratio dispensationis; nempe populi fidelis & Catholici multiplicatio, in quo Christus nasciturus erat.

Hinc colligo primò † huiusmodi dispensa- 17
tionem iam in lege Euangelica cassatam fuisse à Christo Domino, quando *Matth. 19.* matrimonium reduxit ad primæuum statum, in quo vnica tantum vxor licebat. Quare tam fidelibus quàm infidelibus illicita est hodie Polygamia, & matrimoniũ cum secũda vxore, superstite prima, irritum iure naturæ: quia tantùm erat licitum & validum per Dei dispensationem, ac proinde illa cassata per Christũ manet tale matrimonium in terminis iuris naturalis irritum. Vnde ex decisione Innocentij *in dicto c. Gaudemus*, infideles post baptisma susceptum, primam vxorem legitimam retinere, & separari ab aliis matrimoniis, ea superstite initis, vtpote omnino inualidis, iubentur.

Colligo secundò, † Gentiles nunc & semper 18
peccasse plures vxores ducendo, nisi per accidens ob ignorantiam excusentur. Hoc corollarium contra Abulens. super *Matth. 19. q. 35.* & Veracruz 2. *p. speculi art. 17. concluf. 5.* probatur, quia falso innituntur fundamento; videlicet, quod sola lege Christi positiua Polygamia interdicatur, quæ illos ante baptismum susceptum non obligat: quod falsum esse inde conuincitur, quod Ecclesia iubet huiusce infideles pluribus vxoribus coniunctos, ad fidẽ conuersos primam

vxorem retinere,& reliquas relinquere;cum tamen baptiſmus legitima coniugia non ſoluat; vt *in dicto c. Gaudemus.* & *c. Quanto de diuortiis*, decernitur. Signum igitur euidens eſt ſecunda & vlteriora coniugia prima vxore ſuperſtite ab infideli ante baptiſmum inita eſſe irrita : & non lege poſitiua Chriſti, cui pro tunc ſubiectus non eſt : ergo lege diuina naturali, cui pariter fideles & infideles ſubiiciuntur. Quare contraria opinio, aut error, vt ſentit Henriquez, aut errori proxima vt vult Petrus de Ledeſma; cenſenda eſt.

29 Colligo tertiò† nullatenus Summũ Pontificẽ poſſe in hac vxorum pluralitate diſpenſare, vtpote quæ tum naturali,tum diuina Chriſti lege ob veram Sacramenti ſignificationem eſt interdicta:in qua Eccleſia diſpenſare non valet. Hoc corollarium communiter requiritur à D.Thom. *in 4.d.33.quæſt.1.art.1.* Durando, Paludano, Capreolo, Soto, Pallaceos, Ferrara, vtroque Ledeſma,& aliis relatis à Thoma Sanchez *vbi ſupra num. 9.* contra quoſdam relatos à Durando. Vnde *in dicto cap. Gaudemus* ; merito dicitur hanc Polygamiam nunquam licuiſſe citra diuinam diſpenſationem. Qua ratione neque conſuetudine aliqua honeſtari poteſt,quæ aduerſus naturale aut diuinum poſitiuum ius prævalere nequit, ex *cap.finali de conſuetudine.*

30 Verùm †contra hoc corollarium vrget vſus Eccleſiæ & experientiæ,quæ nos docet Summũ Põtificem in multis quæ ſunt diuini ac naturalis iuris diſpenſare ; diſpenſat namque ex iuſta cauſa in reſidentia Epiſcoporum, quæ eſt de iure naturali ac diuino, necnon diſpenſare poteſt in conſecratione ſub vtraque ſpecie,quæ eſt de iuro diuino poſitiuo, & in regionibus remotiſſimis in quibus non eſt copia vini. Rurſus quotidie diſpenſat in votis communibus, quæ iure diuino, ac naturali obligant:necnon in votis ſimplicibus religionis & caſtitatis, quæ iure diuino ac naturali obligant, & impediunt matrimonium in ordine ad copulam, & quod maius eſt quandoque diſpenſant Pontifices in voto ſolemni Religionis,id cauſa vrgentiſſima exigente, vti eſt commune bonum totius regni,quod bono priuato vnius Religioſi præferendum eſſe recta ratio poſtulat : ergo pariter poterit Pontifex diſpenſare in impedimentis iure diuino ac naturali matrimonium dirimentibus, ac proinde poterit diſpenſare vt quis filiam, aut ſororem, aut etiam plures vxores in matrimonium ſibi coniungat. Patet conſequentia,ex eo quod poteſtas diſpenſatiua Pontificis ad ea quæ ſunt iuris diuini & naturalis extenditur, & aliàs poteſt contingere caſus, in quo expediat ob bonum commune talia matrimonia iniri.

Vt huic argumento faciam ſatis, tradenda
31 eſt à nobis regula quædam firma ac certa, † ad quos caſus in iure diuino & naturali poteſtas diſpenſandi Eccleſiæ ſe extendat, & ad quos non. Et vt certa ab incertis ſeparemus, ſciendum eſt Primò, quod in iure diuino ſiue naturali orto ab humana voluntate & ex eius ſuppoſitione obligante, cuiuſmodi eſt votum & iuramentum, poteſt Summus Pontifex nedum declarare illud ob circunſtantias occurrentes & materiæ mutationem, in tali caſu non obligare, ſed etiam verè diſpenſare tollendo illius obligationem, vt contra quoſdam relatos ab Henriquez *lib.8. de Euchariſtia c.13.* & Thoma Sanchez *lib.8. de matrimonio diſp. 6. n.2.* tenent iidem Henriquez, & Sanchez, cum D. Thoma *in 4.d.38.q.1.art.4. quæſtiuncula 1.* Richardo *ibidem art.9.* Hoſtienſi & Abbate, & communiter recepta ſententia. Sciendum eſt ſecundò,quod aliud eſt ius diuinum & naturale abſolutum à ſolo Dei arbitrio deriuatum,in quo licet varient Doctores,aliis quidem cum Abbate *in cap. propoſuit de conceſſione præbendarum*, Decio *conſilio 112.* & Rojas *in Epitome c.23.* exiſtimantibus plenam eſſe facultatem Summo Pontifici, diſpenſare in omni iure diuino præter articulos fidei : Aliis verò dicentibus neutiquam poſſe Pontificem in tali iure diuino diſpenſare propriè, provt diſpenſatio eſt iuris relaxatio, ſed dumtaxat poſſe authoritatiuè declarare id ius in tali euentu non obligare. De quorum numero ſunt Durandus *in 4.d.33. q.1.* Maior Almainus, Driedo, Pallacios, Sotus, Suarius, Nauarrus, Couarruuias,& alij,quos plena manu congeſſit Thomas Sanchez *vbi ſupra,n.4.* quibus etiam fauet D.Thom. *quodlibeto 4. art.3.* ei fundamento innixi, quod inferior nequit legem ſuperioris tollere aut abrogare,ex Clementina,*Ne Romani de electione*, & *cap. inferior. d.23.* Huiuſmodi enim abrogatio,ſiue in communi ſiue in particulari caſu ad ſolum legis conditorem, vel ad eius pertinet ſuperiorem. Verumtamen verior mihi ſententia eſt, poſſe Pontificem diſpenſare in iure diuino ac naturali abſoluto, tollendo illius obligationem, non quidem in vniuerſum, ſed tantùm in aliquo euentu ſpeciali ob vrgentem cauſam,ex Dei commiſſione,quam tuentur Canus *relectione de pœnitentia p. 5.* & Thomas Sanchez *vbi ſupra n.5.* cum Gloſſa *in c. A nobis de decimis*,Felino Loazes,Nauarro,Fortunio, & aliis ab ipſo allegatis.

Verùm cùm nobiſcum conſentiant iſti authores, eſſe nonnulla præcepta iuris diuini ac naturalis,in quibus nunquam Summo Pontifici eſt permiſſum diſpenſare,& alia in quibus licet ei diſpenſare, operæ pretium eſt † regulam cer- 32
tam aſſignare, per quam illa ab iſtis præceptis diſcernamus. Canus hanc ſtatuit regulam,nimirum in illis præceptis quæ nunquam ſalutis detrimentum afferre, aut bonum maius impedire poſſunt, cuiuſmodi ſunt præcepta Baptiſmi, Confeſſionis,non mentiendi,aut non deierandi, non fuit Pontifici relicta poteſtas diſpenſandi à Chriſto Domino, quia id regimini Eccleſiæ non expediebat. Cæterum in aliis præceptis, quorum obſeruantia aliquando, aut in ſalutis detrimentum vergere, aut maius bonum impedire ſolet, vt ſunt votum, & iuramentum, & Prælatorum reſidentia,&c. relicta fuit à Chriſto Domino facultas Summo Pontifici diſpenſandi in vno vel altero caſu,quando ad bonum expediret;vtpote quia hæc poteſtas eſt valde neceſſaria regimini Eccleſiæ, ne ei Chriſtus deficeret in neceſſariis. Catharinus verò in ſua perſeuerans ſententia *lib.6.contra Caietanum*,videlicet quod nunquam Papa diſpenſare propriè valet in iure diuino,niſi tantùm illud authoritatiuè declarare,videns ſimiliter quædam eſſe iuris diuini præcepta,in quibus poteſt Eccleſiæ declaratio cadere, & quædam in quibus cadere non poteſt ; hanc aſſignat regulam valde priori affinem, quæ etiam noſtræ ſententiæ adaptari poteſt:nimirum illa præcepta quorum violatio

in

in nullo casu decentiam aut conuenientiam habere potest, neutiquam admittunt Ecclesiæ dispensationem, vt sunt præcepta non occidendi, non mœchandi, venerandi parentes, aut non mutandi Sacramentorum formas: bene tamen cadere potest dispensatio Ecclesiæ in ea præcepta, quorum obseruatio licet in vniuersum & regulariter expediat, tamen aliquo casu potest non expedire ob aliquod maius bonum, vt sunt præcepta residentiæ Prælatorum, consecrandi in vtraque specie, & seruandi vota, &c. In hiis namque datur quandoque iusta ratio & causa dispensandi, quæ nunquam datur in præceptis primi generis. Victoria denique *de potestate Papæ num.9.* & Corduba *lib.5. quæst.8. circa finem*, quibus consentit Thomas Sanchez *disp. citata num.10.* hanc tradunt regulam, in illis legibus iuris diuini ac naturalis, quarum violatio, aut tantam continet indecentiam ac deformitatem, vt in nullo casu sit decens siue rationi conformis, aut ex illa maiora inconuenientia sequantur, non fuit Ecclesiæ relicta facultas dispensandi, bene autem in aliis legibus, quarum violatio non tantùm continet indecentiam aut deformitatem, quin in aliquo casu decenter aut conuenienter fiat. Ex quibus regulis vnam omnes amplectentem possumus colligere in hunc modum. Christus reliquit Ecclesiæ suæ, ne ei deficeret in necessariis, facultatem verè ac propriè dispensandi in legibus iuris diuini ac naturalis, non in vniuersum eas abrogando, sed tantùm earum obligationem tollendo in aliquo euentu, nimirum quando earum dispensatio nec salutis affert detrimentum, nec maius bonum impedit, nec indecentiam continet, nec inconuenientia grauiora contra bonos mores affert: secus verò ad dispensandum in illis, quarum obseruatio in omni euentu ab huiusmodi detrimenti, indecentiæ, aut inconuenientis defectibus vindicari potest. Aut vt breuius dicam: regula cunctis præferenda hæc est. Leges illæ quæ actus tam intrinsecè malos prohibent, vt nullam ob causam possint honestari, nequeunt Ecclesiæ admittere dispensationem; vtpote quæ nullam habere possunt rationem iustæ dispensationis, bene tamen illæ quæ prohibent actus non tam intrinsecè deformes, quin in aliquo casu possint honestari, vtpote in quibus potest inueniri iusta ratio dispensationis.

33 Hinc patet via † ad soluendum argumentum propositum aduersus nostrum tertium corollarium. Ad illud namque dicendum est per regulam assignatam, admittendo singulos casus antecedentis, & negando consequentiam. Pro cuius declaratione breui calamo discurrere oportet per casus singulos. Et quidem de primo, hoc est de residentia Episcoporum, certum est Ecclesiam posse in ea dispensare, & vtinam non esset tam facilis, nec tam frequens illius dispensatio. Verum hoc contingit, aut non est adeò certum talem residentiam esse de iure diuino naturali; neque Synodus Tridentina id diffiniuit expresè, cùm tamen ea quæstio valde à Patribus Conciliaribus agitaretur, licet Bartholomeus à Miranda *in suo* de hoc argumento *tractatu*, dixerit hanc fuisse mentem Concilij, cuius ipse fuit testis, vtpote præsens Concilio: cui in hac parte subscribit Vasquius *in opusculis, tractatu de beneficiis cap.4. dub.1. num.123.* dicens (postquam retulerat opinionem fere communem, nimirum Caietani *2.2. quæst.185. art.5.* Soti *lib.10. de iustitia q.3. art.1.* & 2. Francisci Torrensis *in speciali tractatu*, Mirandæ, Cordubæ *lib.1. quæstionarij quæst.19.* Nauarri *in summa latina cap.25.* & Gersonis *Alphabeto 24. littera Q.* cui etiam fauet D. Thomas *in præallegato art.5.* & *quodlibeto 9. art.15. Et sanè hæc opinio apertè est approbata in Concilio Tridentino sess.23. cap.1. de reformatione, vbi apertè dicitur in principio, quod sit residentia pastorum de iure Diuino.* Verùm quod non constet de aperta diffinitione vel approbatione Concilij, patet tripliciter: tum ex eius contextu, nam duobus in locis Concilium præscribit residentiam Prælatorum, videlicet *sess.6. decreto de reformatione sub Paulo III.* & *sess.23. decreto similiter de reformatione c.1. sub Pio IV.* In quorum primo vltra pœnam priuationis quartæ partis fructuum ipso iure incurrendam à quouis Prælato, sex mensium continuorum absentiam faciente, strictiora verba quibus Concilium Prælatis residentiam commendat, sunt hæc. *Vigilent sicut Apostolus præcipit, in omnibus laborent, & ministerium suum impleant: implere autem illud se nequaquam posse sciant, si greges sibi commissos mercenariorum more deserant, atque ouium suarum curæ minimè intendant, &c.* Quæ verba proculdubio non diffinitiua sunt, sed eruditiua, & ad summum præceptiua Ecclesiastico scilicet præcepto: nec residentiam personalem Prælatis intimant aut præcipiunt, sed vigiliam & curam super grege sibi commisso, quam Prælati etiam absentes maximè ad tempus possent habere. In secundo autem loco strictiora verba, quibus vtitur ad commendandam Prælatorum residentiam, sic habent. *Cùm præcepto diuino mandatum sit omnibus, quibus animarum cura commissa est, oues suas agnoscere, pro his sacrificium offerre, verbique diuini prædicatione, Sacramentorum administratione, ac bonorum omnium exemplo pascere, &c. quæ omnia nequaquam ab his præstari & impleri possunt, qui gregi suo non inuigilant, neque assistunt, sed mercenariorum more deserunt, &c.* In quibus neque aperta approbatio aut diffinitio continetur, opinionis asserentis residentiam Prælatorum esse iure diuino ac naturali præscriptam. Vnde Ambrosius Catharinus Episcopus Minorien sis, qui etiam cum Miranda & Soto Concilio adfuit, in sua Apologia contra eosdem, defendit residentiam hanc solo iure positiuo Ecclesiastico esse inductam, neque aliam fuisse mentem Concilij. Et quidem verba præfata Concilij solùm indicant sub præcepto diuino cadere munia illa recensita, scilicet inuigilandi, pascendi, administrandi Sacramenta, & non deserendi gregem. Idipsum etiam conuincunt loca Scripturæ adducta à Miranda, & Soto *in dicto art.1.* scilicet: *Bonus pastor dat animam pro ouibus suis, mercenarius autem fugit:* & illud dictum Petro & successoribus, *Pasce oues meas.* Quæ tamen munia absolutè & simpliciter nō petunt ita connexam personalē residentiam, quin ab absenti impleri possint: non secus atque Rex Hispanus habet curam de Indiarum & vtriusque Siciliæ Regnis, in quibus tamen non residet nisi per suos Proreges & magistratus: nec secus atque Paulus, qui erat Episcopus totius orbis ratione Apostolatus, suis Epistolis pascebat Corinthiorum, Romanorum, Ephesinorum Ecclesias, in quibus personaliter non

reſidebat. Nec ſecus atque Summus Pontifex qui eſt Epiſcopus Vrbis & Orbis,nedum vrbem in qua reſidet, ſed etiam Eccleſias orbis Chriſtiani in quibus non reſidet perſonaliter regit, gubernat,ac paſcit, eis aſſiſtit,& ſuper eis inuigilat.Verum tamen eſt,hæc munera vt bene & competenter fiant, petere reſidentiam Prælati inferioris perſonalem.Vnde talis reſidentia etſi non ſit immediatè iuris diuini expreſſi in Sacra Scriptura,eſt tamen valde cõformis iuri diuino: ſicut ex eo quod huiuſmodi beneficia curata inſtituta ſunt propter officium paſcendi, & curam habendi, &c. non ſequitur quod eorum reſidentia ſit iuris naturalis, niſi tantùm quod ſit conformis iuri naturali & in illo fundata, vt ſcitè docet Sotus *in dicto art.*2. quod debuiſſet aduertere *in art.*1.vbi probat eſſe expreſsè Iuris diuini, cùm tamen loca quibus id probat (vt dixi) tantùm conuincant reſidentiam eſſe conformem iuri diuino & in illo fundatam. Tum etiam quia par eſt obligatio reſidendi in parochis reſpectu ſuarum parochiarum, atque in Epiſcopo reſpectu ſuæ Diœceſis, vt colligitur ex locis citatis Concilij:atque idem Concilium ſoquens *ſeſſ.6.decreto de reformatione.c.*2.de hiis beneficiatis inferioribus Epiſcopo, ſic ait.*Epiſcopo inferiores,quauis beneficia Eccleſiaſtica perſonalem reſidentiam de iure ſiue conſuetudine exigentia, in titulum ſiue commendam obtinentes; ab eorum Ordinariis, &c. reſidere cogantur,&c.*Quibus in verbis Concilium obligationem reſidendi in beneficiis curatis,tantùm iuri vel conſuetudini attribuit,hoc eſt iuri poſitiuo,vel conſuetudini per quam tale ius poteſt aboleri,non iuri diuino, aut naturali. Mirúmque eſt in toto titulo de Clericis non reſidentibus,vbi hæc materia exactè à Pontificibus Summis pertractatur, & reſidentia Prælatis commendatur, nunquam iuris diuini aut naturalis mentio fit, niſi tantùm Canonici, & pœnarum,quibus non reſidentes ab Eccleſia plectuntur. Tum denique quia Concilium *in dicto cap.*1. *ſeſſionis* 23. vbi iudicio Vaſquij obligationem reſidendi probat eſſe iuris diuini, ſimul quatuor cauſas aſſignat, ob quas Eccleſia in ea poteſt ac ſolet diſpenſare, quæ ſunt:*Chriſtiana charitas,vrgens neceſſitas,debita obedientia, ac euidens Eccleſiæ vel Reipublicæ vtilitas.* Si autem talis obligatio eſſet iuris diuini ac naturalis, neque ob tot cauſas, neque tam frequenter Sedes Apoſtolica in illa diſpenſaret,vtpote quæ in iure Diuino & naturali,aut non poteſt diſpenſare, aut ſaltem non tam frequenter diſpenſat.

Verùm admiſſa opinione Soti, Mirandæ, Vaſquij, & aliorum qui ſentiunt reſidentiam Epiſcoporum, ac aliorum beneficiatorum habentium animarum curam, eſſe formaliter & immediatè iuris diuini ac naturalis, adhuc dicendum eſt Summum Pontificem poſſe in illa iuſtis de cauſis diſpenſare, non ſolùm interpretando, vt Vaſquius *in dicto dub.*1. *num.*130. vult;dicens in reſidentia locum non habere diſpenſationem ſtrictè ſumptam; quia nullus infra Deum poteſt ius diuinum relaxare : niſi tantùm interpretationem,quia interpretari poteſt Summus Pontifex circa Epiſcopos, aut etiam Epiſcopus circa Curatos in tali caſu,ob inſtantem neceſſitatem præceptum reſidendi cum tali ac tanto diſpendio non obligare,quod non eſt iuris relaxatio, ſed eius interpretatio:ſed etiam vtendo vera ac legitima diſpenſatione,non quidem authoritate humana,ſed diuina ei commiſſa à Deo Optimo Maximo,ipſius diuini ac naturalis iuris conditore. Quod ſic oſtendo. Deus, congruenter, ne Eccleſiæ ſuæ deficeret in neceſſariis, reliquit Petro & eius legitimis ſucceſſoribus commiſſam ſiue delegatam poteſtatem, diſpenſandi in aliquibus præceptis ſiue legibus diuinis ac naturalibus, videlicet quorum materia non eſt ita intrinſecè mala ſiue deformis, quin valeat in aliquo caſu, & propter aliquam neceſſitatem, ſiue rationabilem cauſam honeſtari, aut ab indecentia & inconuenientibus vindicari: de quorum numero eſt præceptum reſidendi Epiſcopis, & Curatis impoſitum: quam tamen facultatem Deus non commiſit Summis Pontificibus, ad diſpenſandum in hiis quæ ita intrinſecè mala ſunt aut deformia & indecentia, vt aut à malitia, aut ab indecentia ob nullam cauſam vindicari valeãt. Quo pacto ratione primi non reliquit Pontificibus facultatem ad diſpenſandum in periurio, mendacio, aut homicidio, aut furto, imo neque in hiis Deus ipſe propriè diſpenſare poteſt. Ratione verò ſecundi neque reliquit poteſtatem Pontificibus diſpenſandi, vt quis ſororem aut plures ſimul vxores ſibi matrimonio copulet: quia licet huiuſmodi matrimonia in aliquo euentu poſſint ab intrinſeca malitia purgari, ſed non ab indecentia & inconuenientibus annexis effrenatæ libidinis inter fratres, & diſſidij ac rixæ,contra domeſticam pacem ex plurium vxorum conuentu. Deinde,quod ſi diſpenſatio in huiuſmodi Prælatorum reſidentia tantùm eſſet interpretatio & non iuris relaxatio, nedum Summis Pontificibus, ſed etiam iuris doctis conueniret,imo ipſi Prælati ſi docti eſſent,poſſent ſecum diſpenſare interpretando legem reſidendi eos in tali aut tali caſu,& ob talem cauſam non obligare, quia Doctorum eſt leges interpretari:quod tamen abſurdo non caret. Neque valet ſi dicas, ſolius Summi Pontificis eſſe interpretari huiuſmodi diuinũius authoritatiuè, ita vt certum ac tutum reddat illum cum quo diſpenſat, quod aliis vitis doctis non competit. Nam ſic interpretari legem eſt ſolius conditoris aut eo ſuperioris,*ex cap.inter de ſententia excommunicationis, cap.ideo 25.q.1. cap.ſicut enim 11.q.1.& lege finali ff. de legibus.* Quod ſi dicat Vazquius,poteſtatem interpretandi ſic ius diuinum de reſidentia Prælatorum, competere Pontifici ex commiſſione Dei; ſimiliter nos dicimus poteſtatem diſpenſandi in illo competere Pontifici ex commiſſione Dei.

Si roges ob quam cauſam poſſit Summus Pontifex cum Prælato in reſidentiæ præcepto diſpenſare, aut illud verè relaxando in noſtra ſententia, aut illud interpretando in ſententia Vazquij? Reſpondent Caietanus 2.2. *q.* 185. *art.*5. & Sotus *art.*4. *quæſtionis citatæ*, tres eſſe cauſas in genere, ſcilicet neceſſitatem impedimenti,qualitatem negotij,& conditionem perſonæ. Concilium verò Tridentinum *vbi ſupra* quatuor enumerauit,quæ ſunt Chriſtiana charitas, vrgens neceſſitas, debita obedientia, & euidens Eccleſiæ vel Reipublicæ vtilitas, quæ fere in idem cum tribus prioribus coincidunt. Ex D. Thoma autem *art.*nuper *citato*, tantum habemus quod Epiſcopus poſſit Eccleſiam ſuam perſonaliter deſerere, propter ipſius Eccleſiæ

cleſiæ commodum,vel propter perſonale periculum Epiſcopi, puta mortis , vel ægritudinis, quando ſaluti ſubditorum poteſt ſufficienter prouidere: alioquin ſalute ſubditorum exigente eius præſentiam , bonus paſtor tenetur animam ſuam ponere pro ouibus ſuis,ex ſententia Saluatoris *Ioan.* 10. Sed nunquid in qualitate negotij, aut in vrgenti neceſſitate, aut in Eccleſiæ ſiue Reipublicæ vtilitate poteſt intelligi officium Præſidentis in aliquo Regio Senatu, aut Inquiſitoris Generalis,ita vt ratione huiuſmodi officij poſſit Papa aliquem Epiſcopum excuſare ab obligatione reſidendi in ſua Diœceſi ? Non deſunt Doctores id affirmantes, quarum opinionem ſequentes nonnulli Summi Pontifices cum aliquibus Epiſcopis in noſtra Hiſpania diſpenſarunt , vt per duos , & per quatuor aut ſex annos repetita licentia , ſupremo Caſtellæ Senatui præeſſent , de factóque alij à ſuis Eccleſiis abfuerunt , vt ſupremo Aragoniæ Senatui præſiderent , id tamen ægrè ferens Summus Pontifex : à quo tandem compulſi ſunt Cardinalitia dignitate fulgentes per cenſuras ad ſuas Eccleſias redire.

Sed meo iudicio hæc occupatio non eſt ſufficiens Epiſcopum excuſare à reſidentia. Tum quod merè laica & ciuilis ſit vtilitatem Sedis Epiſcopalis minimè concernens , neque illam per ſe reſpiciens. Tum quod nunquam deſint plures aut Equites ſiue Proceres, aut Iuriſperiti togati, qui id muneris rectè exequi poſſint : ac proinde neque vnquam vrgeat neceſſitas aſcendendi Epiſcopum ad tale præſidentiæ genus. Tum quod ſi tanta eſſet hominum penuria, vt præſidentia Epiſcopi indigeret ; relinquat Epiſcopatum aucto Regis ſalario, vt præſideat Senatui abſque reſidentiæ & ſui gregis detrimento.

De munere autem generalis Inquiſitoris probabilius & rationabilius ſentiunt iidem Doctores, ſufficientem cauſam eſſe diſpenſandi in reſidentia Epiſcoporum ; quam opinionem ſequitur Vaſquius *in opuſculis* in loco ſuperius citato : eámque frequens vſus in noſtra Hiſpania comprobauit,diſpenſantibus Summis Pontificibus cum aliquibus Epiſcopis,vt retento Epiſcopatu per duos aut per quatuor annos, repetita licentia Senatui ſupremo Sanctæ Inquiſitionis præeſſent : eò quòd huiuſmodi muneris , & Senatus inſtitutum eſt, agere de cauſis fidei,& fidei puritatem ſeruare , quod proinde nedum vniuerſalis, ſed etiam particularis Eccleſiæ ac propriæ ipſius præſidentis , ac Senatoris vtilitatem reſpicit.Ob quam rationem ipſi Senatores & Iudices fidei, hoc eſt Inquiſitores particulares,præbendas, Canonicatus, dignitates ac beneficia curata obtinentes reſidentiam perſonalem exigentia , ab illa excuſantur. Verùm hanc opinionem ſic temperandam exiſtimo , quoad Epiſcopatum & beneficia habentia curam animarum,obtinentes ; videlicet dum non ſit alius idoneus miniſter , qui competenter generalis Inquiſitoris , aut Iudicis fidei munus exercere queat , qui caſus eſt ſatis Methaphyſicus : quare etiam inter diſpenſatos ad inſtantiam Regis Catholici vidimus multos timoratæ conſcientiæ, quorum alij aut Epiſcopatui ceſſerunt vt Senatui fidei Iudicum præeſſent : & alij præſidentiam reliquerunt, vt ſuis Eccleſiis veluti legitimis ſponſis adhærerent.

QVÆSTIO III.

Selecta.

De Matrimonio. An puella poſt contractum matrimonium per verba de præſenti & conſummatum ex parte viri, ei violentiam inferenti, intra bimeſtre poſſit ad Religionem tranſire ?

SVMMARIVM.

1 *Proponitur ſpecies facti de puella,quam ſponſus renitentem ac ſe retrahentem carnaliter cognouit : de qua inquiritur , vtrum relicto ſponſo carnali poſſit ſponſo ſpirituali in Religione aliqua coniungi ?*

2 *Cui quæſtioni reſpondetur dictam puellam habere duo remedia,&c.*

3 *Referuntur duæ clauſulæ , quæ prima facie his obſtare videntur, & tamen non obſtant.*

4 *Sententia aſſerens ſublato impedimento occulto poſſe matrimonium ſine Parocho & teſtibus celebrari,vnam patitur exceptionem.*

5 *Suppoſito non requiri præſentiam parochi & teſtium vt matrimonium conualeſcat, certum eſt repetitionem conſenſus puellæ ſufficere & requiri.*

6 *Puella ſi ad nouum conſenſum non inclinatur, poteſt intra bimeſtre Religionem intrare, ſi intra illud aut non conſummauit matrimonium , aut coacta à viro illud conſummauit.*

7 *Duo requiruntur,vt confutamatio matrimonij ſit legitima.*

8 *Probabilis eſt opinio, aſſerens ad generationem prolis requiri fœmineum ſemen, & non ſufficere virile.*

CAſus † ſuper quo conſultus fui dum in Regia curia commorarer , ita contigit. Puella quædam nobilis à parẽtibus tradita fuit nuptiis cum quodam adoleſcente etiam nobili, quæ inuita ideſt volens nolens ob metum reuerentialẽ,dixit ſe conſenſuram,& ſub hac proteſtatione illum in foro externo coram parocho & teſtibus in domo parentum in ſponſum acceptauit : qui & illam renitentem in lecto ac ſe retrahentem,quater aut quinquies carnaliter cognouit, & ex parte ſua matrimonium conſummauit,abſque vlla vxoris complacentia & delectatione, & vt exinde creditur , vt ipſa quoque aſſeuerat,ſine vllius ſeminis fœminei effuſione. Inquiſitum fuit à me, an cum ita ſit,intra duos menſes ſibi à iure conceſſos,poſſit relicto ſponſo carnali, ſpirituali, ſcilicet Chriſto in aliqua religione coniungi? 1

Cui † quæſtioni reſpondi,& iterum reſpõdeo, dictam puellam duo habere remedia.Vnum eſt ratificare conſenſum , quem aut non præſtitit in ipſo externo contractu coram Parocho & teſtibus celebrato, aut de quo eſt dubia & hæſitans : ſícque ratificato apud ſe conualeſcet matrimonium, 2

trimonium, & tuta conſcientia poteſt puella cum ſponſo cohabitare, ſperans adfuturam eſſe ſibi gratiam per matrimonij Sacramentum conceſſam, qua & matrimonij eiuſdem onera libenter ſuſtineat. Dixi ratificato apud ſe conſenſu: quoniam etſi ſecundum multorum opinionem tale matrimonium à principio nullum ob defectum conſenſus vnius contrahentis, vel ob impedimentum occultum dirimens debeat repeti, ac denuo contrahi coram parocho & teſtibus: verùm iam communior & verior ſententia tenet, eam ſolemnitatem non requiri, ſed ſufficere vt repetantur conſenſus interni contrahentium, ad hoc vt matrimonium conualeſcat; cum hoc diſcrimine, quod ſi matrimonium prius coram parocho & teſtibus celebratum fuit nullum, ob defectum conſenſus vnius ex contrahentibus, quia videlicet aut nullum præſtitit conſenſum, aut illum præſtitit metu graui extortum; ſat erit quod iſte contrahens apud ſe conſenſum voluntariè repetat, aut ratificet, vt matrimonium conualeſcat. Si autem dictum matrimonium fuit nullum ob aliquod occultum impedimentum, ſufficit & requiritur, quod ambo contrahentes ſecum conſenſus repetant, eos mutuò ſibi alter ad alterum notificando: & quod in neutro opus ſit denuo coram parocho & teſtibus celebrare, contra duas ſententias, videlicet alteram Ioannis Gutierrez, Pallacios, Matienzo, Bartholomei de Ledeſma, & aliorum abſolutè affirmantium deſiderari eam ſolemnitatem, vt matrimonium conualeſcat. Alteram verò Cordubæ, Ludouici Lopez & Veracruz, aſſerentium eam ſolemnitatem requiri regulariter loquendo; niſi ſcandalum aut infamia oriretur, tunc enim ex Epicheia poſſet tale matrimonium occultè abſque parocho & teſtibus celebrari, probat Sanchez *lib. 2. de matrimonio diſp. 37.* cum Nauarro, Antonio Luco, Pedraza, Vega, Enriquez, & Petro Ledeſma *de matrimonio quæſt. 45. art. 5.* eo quod Pius V. ſic declarauit, non quidem diſpenſando in lege Concilij Tridentini *ſeſſ. 24. cap. 1. de reformatione matrimonij*, vt minus bene ſentit Petrus de Ledeſma *vbi ſupra*, ſed eam exponendo. Vnde poſt dictam Pij V. declarationem, ſiue diſpenſatiua, ſiue tantùm declaratiua fuerit, de hac noſtra ſententia minimè eſt dubitandum, maximè cum Pij V. declarationi acceſſerit quoque alia ſimilis Cardinalium Eminentiſſimorum declaratio, qua & ſacrum pœnitentiariæ prætorium frequenter vtatur. Tum etiam quia ratio motiua illius decreti Concilij Tridentini non comprehendit iſtum caſum, nimirum quando contrahentes qui inualidè contraxerunt coram parocho & teſtibus, poſtea inter ſe ipſos ſolos renouant conſenſus; non ſolùm quia ceſſat in hoc caſu, ſed etiam quia ad illum non ſe extendit. Nam ratio decreti, vt conſtat ex eius procœmio, ex quo intentio legiſlatorum, & intellectus totius legis colligitur, vt bene notant Tiraquellus, Burgos de Paz, Gutierrez *3. Practicarum quæſt. 17.* & alij relati à Sanchez *num. 7.* eſt; vt vitentur grauia peccata ex clandeſtinis nuptiis conſurgentia: maximè eorum qui clam cum vna contrahunt, eáque relicta aliud publicum matrimonium ineunt, cui malo nequibat Eccleſia mederi, cum ipſi de priori matrimonio minimè conſtaret. Quam rationem perſpicuum eſt non ſe extendere ad noſtrum caſum, quia cum prius matrimonium in re inualidum, in foro Eccleſiæ externo validum & publicum fuerit (eius namque nullitas & impedimentum occulta ſunt vt ſupponimus,) conſequens eſt quod ſi contrahentes aliud matrimonium inire attentarent, impedirentur ab Eccleſia præſumente matrimonium publicè coram parocho & teſtibus celebratum, validum fuiſſe. Igitur ratio motiua dicti decreti, ſtatuentis vt matrimonium coram parocho & teſtibus celebretur, ad hunc caſum non extenditur. Tum denique quia diſpoſitio huius decreti procedit, quando matrimonium ex integro & à ſui initio celebratur, quod in noſtro caſu non contingit: in quo tantum renouatur vnius aut alterius, aut etiam vtriuſque coniugis conſenſus, vt matrimonium iam initum in foro Eccleſiæ, conualeſcat. Vnde ex quocumque impedimento occulto, ſiue ſeruitutis, ſiue ætatis defectu, fuerit prius matrimonium inualidum; illo ſublato per ſolam conſenſuum inter ipſos coniuges repetitionem, tale matrimonium conualeſcet.

Neque † obſtant duæ clauſulæ, quæ prima facie obſtare videntur. Prima eſt illa quæ in Bulla plumbea Cruciata, ſiue in diplomate continetur, vbi Commiſſario conceditur facultas diſpenſandi in matrimonio cum occulto impedimento contracto, vt occultè iterum celebretur: ſi autem attento decreto Tridentini id fieri poſſet, fruſtraneum eſſet tale priuilegium. Secunda eſt illa, quæ ſolet apponi in diſpenſationibus ad reualidandum matrimonium inualidum propter occultum impedimentum, conceſſis huiuſmodi tenoris: *Si ita eſt, cum eis vt inter ſe publicè, & ſeruata forma Concilij Tridentini contrahant, diſpenſa.* Non inquam obſtat prima clauſula, quoniam interdum in Bullis ac reſcriptis aliqua conceduntur iure communi non prohibita, maximè quando ſtando in iure communi erant dubia, ad paccandas conſcientias, vt bene notant Nauarrus *in ſumma c. 25. n. 85.* Rodericus *tom. 1. ſummæ ſecundæ editionis c. 220. n. 2.* & Sanchez *diſputat. citata circa finem.* Neque enim oportet quod cuncta quæ in Bulla priuilegij continentur, ſint priuilegia: ſed ſat eſt nonnulla ſcilicet primariò conceſſa eſſe priuilegia, etſi eis alia miſceantur, quæ ſunt à iure communi conceſſa, vt videre eſt in ipſamet Bulla Cruciata, vbi conceditur ſumentibus eam facultas eligendi Confeſſarium, & obtinendi ab illo abſolutionem à peccatis reſeruatis, ſemel in vita, id eſt durante anno publicationis extra articulum mortis, & iterum in articulo mortis; & tamen hæc ſecunda facultas non eſt priuilegium, ſed à iure communi, imo & naturali diuino omnibus conceditur, vt in articulo mortis poſſint à reſeruatis per quemcumque Sacerdotem abſolui, eò quòd in eo caſu nulla ſunt peccata reſeruata: niſi mauis priuilegium etiam in hac ſecunda parte clauſulæ aliquid operari præter ius commune, videlicet quod abſolutus virtute Bullæ Cruciatæ à reſeruatis in articulo mortis, liberatus ab illo non teneatur ea iterum Prælato reſeruanti, aut eius vices gerenti ſacramentaliter confiteri, ad quod tamen tenetur, ſi in articulo mortis vtens ſuo iure communi, & nõ priuilegio Bullæ, illa adſtanti Sacerdoti confiteretur. Et licet hoc probabilius ſit; primum tamen etiam probabile eſt, cuius probabilitas ſufficit, vt in exemplum poſſit adduci, cum in exemplis minimè veritas requiratur. 3

Nec

Nec secunda obstat, quia licet hæc clausula non operetur, vt virtute illius commissionis possit Commissarius dispensare, vt matrimonium occultè celebretur, verumtamen operatur vt possit dispensare in impedimento, quo per dispensationem sublato, possunt contrahentes vtendo iure suo, & iuxta decrerum Concilij Tridentini absque alia dispensatione illud matrimonium inter se ipsos solos celebrare: in quo & forma Tridentini seruatur, quia præcedens solemnitas integrum efficit matrimonium, id est non solùm ab Ecclesia creditum in foro externo, sed etiam postea re validatum.

4 Hæc nihilominus † sententia, asserens quod sublato impedimento occulto potest matrimonium clam, id est sine Parocho & testibus celebrari, vnam patitur dumtaxat exceptionem: nimirum quando tale impedimentum facilè probari potest iudicio, aut quia Parochus & testes sunt conscij illius, aut quia est notorium siue publicum in oppido, aut quia de facili posset in iudicio comprobari, aut quia iam est deductum ad forum contentiosum: quocumque enim modo ex hiis fuerit notorium, aut probabile, tunc non poterit sine parocho & testibus reualidari, vt scitè notat Sanchez *vbi supra num.* 10. *&* 11. cum Enriquez, Petro de Ledesma & aliis ab ipso citatis; eò quòd in primo euẽtu, si parochus aut vterque testis, aut vnus solus nouit impedimentum dirimens, quando adstabant matrimonio, iam non fuerunt testes valoris, sed nullitatis. In secundo verò & quarto, si matrimoninm illud inualidum ob impedimentum publicum siue deductum ad forum contentiosum, conualesceret ratificatum clandestinè, sequerentur eadem inconuenientia, quæ olim ex matrimoniis clandestinis validis oriebantur, & ob quæ vitanda conditum est decretum Tridentini irritans illa. Nam probato tali impedimento plenè, hoc est per duos vel tres testes omni exceptione maiores, & qui ex certa scientia de tali impedimento deponant, vt ex *cap. Quoties de testibus & atteſtat.* docet Mascardus *de probation. conclusione* 410. (dummodo non sint testes auriculares ex relatione alterius, aut ex vnius coniugis confessione deponentes: tunc enim non faciunt plenam fidem ad dissoluendum matrimonium; quia eorum fides reducitur in testimonium vnius à quo audierunt, quod ad eum effectum non est sufficiens) posset alter coniux aliam vxorem ducere, cum qua in perpetuo viueret adulterio; siquidem Ecclesiæ nequaquam posset constare de reualidatione illius publici matrimonij, quod propter impedimentum, plenè probatur fuisse inualidum. In tertio autem casu eadem militat ratio, nam de facili probari posset plenè tale impedimentum in iudicio: hoc prouenit ex eo quod apud plures est certa notitia eius impedimenti, quod proinde iam non est occultum strictè, vt hîc accipitur. Etenim licet in aliis decretis occultum accipiatur provt condistinguitur, contra publicum vel contra deductum ad forum contentiosum, vt communiter notant Doctores circa *sess.* 24. *cap.* 6. *de reformatione*: tamen in nostro casu occultum accipitur strictius ob rationem dictam, nimirum provt distinguitur, contra id quod de facili probari potest plenè in foro externo: eo enim ipso, quod tale impedimentum sit sic probabile, & consequenter immineat periculum probationis, non conualescet matrimonium per solam eius occultam reualidationem, sed opus est denuo coram Parocho & testibus illud celebrare. Quod si semel reductum ad forum contentiosum tale impedimentum, non plenè probetur, censendum est illud manere occultum; & ideo posse matimonium, quod fuerat nullum ratione illius, per clandestinam coniugum reualidationem conualescere sine parocho & testibus.

Deinde † supposito quod ad hoc vt istud § matrimonium conualescat, non requiratur præsentia parochi & testium, relinquitur vt certum, sufficere & requiri solam repetitionem consensus puellæ ad se, vel secum, quod probatur. Nam licet quando matrimonium redditur nullũ ob occultum impedimentum, necessarius sit vt conualescat nouus consensus vtriusque coniugis nedum in corde repetitus, sed etiam verbis, aut externo aliquo signo manifestatus: necnon requiritur quod coniugi ignaro intimetur nullitas matrimonij prius initi, licet ei causa non detegatur, vt cum veriori sententia D. Thomæ *in* 4. *d.* 40. *art.* 4. Scot. *in eodem* 4. *d.* 35. Richardi & Gabrielis *ibidem*, Caietani, *tom.* 1. *opusculorum tractat.* 12. *quæst.* 2. *de matrimonio*, & *in summa V. Matrimonium*, & aliorum probat Sanchez *lib.* 2. *de matrimonio disp.* 35. *&* 36. Ea firma ratione, quod stante impedimento dirimente, aut ætatis defectu consensus vtriusque contrahentis fuit inualidus, vtpote supra illegitimam & inhabilem materiam cadens: ergo ex parte vtriusque est renouandus. Et quia perinde est, ac si non fuisset; propterea sicut à principio erat necessarius consensus ex parte vtriusque, verbo aut signo externo manifestatus ad valorem matrimonij, ita & est necessarium ad eius reualidationem, vtriusque consensus renouari in corde, & externo signo manifestari. Rursus oportet nullitate matrimonij intimari coniugi insscio illius, ne ob ignorantiam & errorem deficiat ei consensus ad valorem matrimonij necessarius. Prior enim consensus vtpote nullus, quia supra inhabilem materiam cecidit, non permanet; quod enim non extitit, neque permanere potest, cum permanentia & duratio existentiam supponant. Nouus autem, vt validè præstetur à coniuge insscio impedimenti & nullitatis matrimonij, requirit scientiam ipsius nullitatis saltem, ad quam habendam requiritur intimatio; alioquin manebit coniux insscius in eodem errore, ob quem etiam nouus consensus erit inualidus, nihil enim magis contrariatur consensui quàm error, ex *leg. si per errorem ff. de iurisdiction. omni Iudic.* & *leg. Nihil consensui ff. de Regulis iuris.* Licet inquam hæc vera sint, quando nullitas prioris matrimonij oritur ex occulto impedimento: verùm quando oritur ex defectu consensus vnius dumtaxat contrahentis, quia scilicet aut consensum internum non præstitit, aut illum metu graui extortum præstitit, sufficit ad reualidationem dicti matrimonij, si talis contrahens consensum internum renouet absque vlla intimatione alteri coniugi facienda; vt cum cõmuniori ac veriori sententia probat Sanchez *vbi supra disp.* 32. §. *Hinc infertur, & sequenti*: ea firma ratione, quod tũc requiritur intimatio nullitatis facienda alteri coniugi, quando requititur eius nouus consensus, ne ob errorem careat debita

debita libertate,vt dictum eſt.In hoc autem caſu non requiritur nouus conſenſus alterius coniugis, quia illum iam exhibuit in priori contractu coram parocho & teſtibus celebrato : ergo ſufficit ſi ille qui non conſenſit, nouum præbeat conſenſum in corde ſuo. Quæ ratio amplius confirmatur. Nam eatenus tenetur coniux ſuo conſorti conſenſum ſigno externo manifeſtare, quatenus ei conſtet de ſua voluntate. Sed iam vſus fuit ſigno externo, & ſuam voluntatem ei manifeſtauit, quando in foro externo contraxit: igitur non eſt opus de vno conſenſum externum præbere, aut ſigno externo vti, ſed ſat erit ſi conſenſum internum & in corde ſuo præbeat, etiamſi contingat poſt longum temporis interuallum: quoniam alterius coniugis conſenſus nedum virtualiter, ſed etiam actualiter permanet, dum illum habet pro ſuo coniuge,petens & reddens debitum:ergo quotieſcumque accedat nouus conſenſus ex parte illius qui defuerat,iungentur ambo conſenſus,ac proinde matrimonium conualeſcet.

6 Quod ſi dictæ puellæ hoc remedium non proſit,quia † ad nouum conſenſum præbendum non inclinatur,aliud ſupereſt illi,nimirum conuolare ad religionem intra bimeſtre, ſi intra illud aut non conſummauit matrimonium, aut inuita & coacta à viro,illud conſummauit.Hoc aſſertum probatur ſupponendo duo. Alterum eſt,vnicuique coniugi conceſſum eſſe à iure tempus duorum menſium poſt matrimonium ratum; vt intra illud poſſit de meliori ſtatu aſſumendo deliberare, & à matrimonio rato decedere,quod per profeſſionem ſolemnem in quacumque religione approbata diſſoluitur, quod colligitur *ex cap. Ex publico de conuerſatione coniug.* vbi Alexander III. declarat poſſe coniugem ante copulam ad religionem tranſire,quibus & præſcribit bimeſtre ad deliberandum de religionis ingreſſu. Alterum eſt quod poſt matrimonium legitimè conſummatum, ceſſat beneficium bimeſtris à Iure conceſſum ; quia matrimonium iam factum eſt indiſſolubile, & vterque coniux ſupra alterius corpus acquiſiuit perfectum dominium, ita vt de illo, vtpote de re non ſua, ſine alterius licentia nequaquam

7 poſſit diſponere. Vt autem † conſummatio ſit legitima,auferens fœminæ facultatem tranſeũdi ad religionem intra bimeſtre, requiruntur duo;videlicet quod membrum viri penetret vas fœminæ & intra illud ſeminet, ſeminatione quoque ex parte fœminæ concurrente; & quod ad huiuſmodi conſummationem non fuerit compulſa & coacta à viro.Ratio primi eſt,quoniam copula illa eſt conſummans matrimoniũ, per quam coniuges efficiuntur vna caro, & apponunt principium generationis, ad quam matrimonium ordinatur. Atqui deficiente quacũque illarum conditionum,neque coniuges efficiuntur vna caro, neque apponitur ſufficiens principium generationis : ergo non cenſetur perfecta matrimonij conſummatio.Maior eſt ab omnibus recepta. Minor verò præmiſſa probatur diſcurrendo per ſingulas partes. Inprimis namque requiri penetrationem vaſis fœminei docent Metina *lib.5.de Sacrorum hominum continentia,c.76.*Roder.*tom.2.ſummæ c.239.*Petrus de Ledeſma *q.61.art.1.* cui fauent Tabiena & Armilla V. *Bigamia*; licet oppoſitum ſentiat Sanchez in allegato *lib.2. diſp.* 21. cum aliis quos citat pro ſua ſententia. Eos tamen exiſtimo intelligendos eſſe de integra vaſis fœminei penetratione, aut de integri mẽbri virilis incluſione in vas fœmineum : quando dicunt matrimoniũ conſummari per ſeminis virilis intromiſſionem abſque vaſis penetratione, id eſt integra : alioquin non ſufficere ſolam ſeminis virilis receptionem per attractionem ſine vlla vaſis fœminei penetratione & ruptione, mihi perſuadeo, ex eo quod aliàs fœmina manens virgo poſſet conſummare matrimonium:ſiquidem interdum contigit virgines ſemen virile circa earum vas effuſum ſuſcipere & attrahere,aut in balneo,aut in lecto,imo & ex illo ſemine ſic ſuſcepto concipere ſine violatione clauſtri pudoris, teſte D. Thoma *quodlibeto 6. art.18.* quem refert & ſequitur Nauarrus *lib.4. conſiliorum titulo de frigidis & maleſic.conſilio 2. n.23.* Conſequens autem videtur abſurdum multipliciter : tum quia conſummatio matrimonij auferens ius tranſeundi ad religionem intra bimeſtre, debet eſſe per copulam carnalem : nam in dicto *cap. Ex publico,* & *cap. Ex parte tua,eodem titulo,* datur facultas iſta tranſeundi ad Religionem coniugibus, *modò carnalis copula non ſit ſubſequuta.* Et *in cap.2.eodem titulo,* conceditur eadem facultas, *modo carnalis commixtio inter eos non interuenerit.* Atqui hæc ſeminis circumeffuſio, & attractio, neque eſt carnalis copula, neque carnalis commixtio : tum quia ex illa ſeminatione extrinſecus facta, atque etiam ex ſeminis virilis effuſi in balneo ſuſceptione orirentur bigamia, & affinitas : quæ non niſi ex matrimonio conſummato oriuntur, quod tamen nullus fatetur. Tum denique quia aliàs deficeret ſignum externum & matronarum conteſtatio,quibus Eccleſiaſticus Iudex poſſit matrimonium pro non conſummato iudicare : quæ ſunt beneficia iuris *in cap. Propoſuiſti,& cap. penultimo de probationibus,* neutiquam contemnenda,ſed valde neceſſaria ad ferendam ſententiam in cauſis matrimonialibus,vt idem Sanchez fatetur,& probat diſcurſu longo *lib.7.diſp.113.* Si autem fœmina manente virgine & incorrupta conſummatur matrimonium ; quod ſignum externum ſupereſt oculis & manibus obſtetricum inſpiciendum? Deinde quod vltra vaſis penetrationem requiratur viri ſeminatio, docet D. Thomas *in 4.d.41. q.1. art.1. quæſtiuncula 4. ad 2.* & merito, quia ſine illa neque eſt carnalis copula, neque commixtio carnalis, neque vir & fœmina efficiuntur vna caro : quæ omnia ad conſummationem matrimonij ſunt neceſſaria.

Quod autem & inſuper requiratur ſeminatio fœminæ, non eſt adeò certum, eſt tamen † 8
probabile,quia ei opinioni probabili innititur, aſſerenti ad generationem prolis requiri fœmineum ſemen, & non ſufficere virile, quam tenent Hippocrates, & Galenus relati à Iabello *lib.8.Metap.quæſt.17.* Valles *lib.2.controuer.medicarum, cap.6.* & Vega *lib.1. de arte medendi cap.3.* & ex Theologis Abulenſis *paradoxa 1. c.48.* Caietanus *2.2. q.154. art.12. §. vltimo* & Suarius *3.p. quæſt.32. art.1. diſput.10. ſect.1.* licet contrarium ſentiant Philoſophus *lib.2. de generat. animalium cap.2.* & D. Thomas *3. p. q.31.art.5. ad 3.* Verùm cum prior opinio ſit probabilis, probabilis quoque eſt noſtra aſſertio, dicens requiri ad conſummationem matrimonij nedum virilis,ſed etiam fœminei ſeminis

commix

commixtionem,cò quòd ſola hæc eſt ſufficiens ad generationem;& ſola illa carnalis copula eſt conſummatiua matrimonij, quæ eſt ſufficiens ad generationem: huiuſmodíque probabilitas operatur, vt ſaltem in foro conſcientiæ poſſit fœmina conſcia de ſuâ non ſeminatione, intra bimeſtre ad religionem tranſire,etſi in foro externo comprobata clauſtri ipſius ruptione à Iudice condemnaretur,& ad virum redire cogeretur.Denique quod conſummatio extracta non auferat ei ius tranſeundi ad religionem, probat Sanchez *dicto lib.2. diſp.22.* ea firma ratione, quod Sponſus grauem Sponſæ intulit iniuriam, cum non haberet ius conſummandi & extorquendi copulam ante bimeſtre conceſſam, *in dicto cap.Ex publico,de conuerſat coniugat.* Quo beneficio iuris nemo debet priuari ſine ſua culpa, ex *cap.Diſcretionem, de eo qui cog. nou. conſanguin.* multò minus fœmina quæ diſſentit,ex *cap.indultum,de Regulis iuris in ſexto.*Sed neque illa poteſt aliter ius ſuum recuperare, niſi per ingreſſum: ergo talis copula per violentiam extorta non adimit ei facultatem tranſeundi ad religionem. Igitur puella conſulens & nolens conſenſum renouare,poterit vti hoc iuris remedio & beneficio, ſibi in dicto *cap. Ex publico,* conceſſo,nimirum ingrediendo religionem intra bimeſtre,quod ei proderit in vtroque foro, ſi non ſit corrupta Matronarum duarum iudicio.In foro autem conſcientiæ licebit ei etiamſi fuerit corrupta, ſi aut non ſeminauit, aut ad copulam habendam ſponſus intra bimeſtre violentiam intulit,ita vt inuita & renitens ſuccumberet: quouis enim violentiæ genere iniuriam paſſa eſt.

QVÆSTIO IV.

Selecta.

Vtrum vni coniugi ſubeſſe poſſit iuſta cauſa negandi debitum alteri petenti poſt bimeſtre tranſactum?

SVMMARIVM.

1 *Durante bimeſtri,quod ius Canonicum concedit ſponſis ad deliberandum de tranſitu ad Religionem, vterque excuſatur ab obligatione matrimonium conſummandi, ac debitum reddendi.*

2 *Menſes quomodo ſunt computandi.*

3 *Reſpondetur quæſtioni,quanta ſcilicet temporis mora requiritur poſt completum bimeſtre,vt coniux peccet, negando debitum,& non ingrediendo Religionem.*

4 *Tempus quod reuera conſumitur in parando neceſſaria ad ingreſſum cum effectu,non reputatur pro mora culpabili.*

5 *Referuntur & examinantur quatuor cauſæ excuſantes coniuges, ab obligatione reddendi debitum etiam completo bimeſtri: quarum Prima eſt defectus benedictionum Eccleſiæ.*

6 *Conſummatio matrimonij ante benedictiones nullâ lege prohibetur.*

7 *Peccatum conſummandi matrimonium ante benedictiones, qualecumque ſit illud in ſola priori copula habet locum.*

8 *Quid agendum ſit Coniugibus, ſi Ordinarius aut Legatus Apoſtolicus adiiciat nequaquã conſummari matrimonium, donec fiant denunciationes.*

9 *Culpa venialis reperta in priori copula non præmiſſis benedictionibus,pariter à reddente atque petente debitum committitur.*

10 *Colligitur non præmiſſas benedictiones eſſe cauſam ſufficientem alterutro coniugi, negandi debitum ad matrimonij conſummationem.*

11 *Tranſacto bimeſtri, vterque coniux poteſt ob benedictiones non receptas Religionem ingredi,ſine alterius iniuria.*

12 *Refertur altera cauſa excuſandi coniuges,&c. quæ eſt periculum propriæ ſalutis,pro cuius declaratione referuntur varij caſus, in quibus petitio aut redditio debiti coniugalis ſit culpabilis.*

13 *Proli quando imminet probabile detrimentum, nec petens nec reddens culpa lethali vacabit.*

14 *Prægnãti licitum eſt vti medicinis,etiamſi fœtus credatur animatus anima rationali.*

15 *De redditione debiti aliter ſentit Sanchez,cuius opinio refertur.*

16 *Diuus Thomas reprobat opinionem illorum,qui aſſerunt mulierem menſtruatam, ſicut nec licitè poſſe petere debitum, ita nec teneri reddere.*

17 *Reſpondetur fundamentis contrariæ opinionis.*

18 *Debiti redditio atque petitio eſt culpa venialis ex inordinato ſitu.*

19 *Coniugalis copula tempore impregnationis, nec lethalem nec venialem culpam inducit.*

20 *Nulla eſt culpa in debiti exactione vel redditione,tempore quo fœmina ſobolem lactat.*

21 *Exigere aut reddere debitum tempore purificationis non eſt peccatum.*

22 *Coniuges ſi ambo patiantur furorem, ſeparandi ſunt donec reſipiſcant.*

23 *Concubitus coniugalis ſani cum amente per ſe loquendo eſt licitus.*

24 *Coniux ſanus non tenetur per ſe loquendo debitum reddere furioſo petenti.*

25 *Idem dicendum de ebrio coniuge, quantum ad debiti redditionem, ſecus quantum ad concubitum.*

26 *Coniux non ſolùm nõ tenetur reddere debitum cum ſalutis probabili ac notabili detrimento, ſed etiam illud reddendo eſt reus culpæ lethalis.*

27 *Copula coniugalis immediatè poſt prandium aut balnea eſt illicita.*

28 *Coniux reddens debitum cum notabili damno ſalutis exigentis, reus eſt culpæ lethalis,niſi inaduertentia,aut iuſta cauſa excuſet.*

29 *Coniux ſanus excuſatur ab obligatione reddendi debitum alteri coniugi leproſo aut morbo Gallico infecto,quando notabilis infectionis imminet periculum.*

30 *Coniux ſanus ſi leproſo habituali debitum reddat non peccat, ſed actum meritorium exercet.*

31 *Idem dicendum de habitatione ſani cum leproſo, &c.*

32 *Coniuges communi conſenſu poſſunt à copula coniugali abſtinere,ne plures filios habeant quàm alere poſſint,non tamen excuſantur ab obligatione reddendi, gratia non multiplicandi prolem.*

33 *Finis*

33 *Finis non generandi prolem ſanguine Sarraceno infectum non excuſat à debito.*

34 *Ad vitandum carcerem & infamiam licitum eſt coniugi debitum negare.*

35 *Fas eſt negare debitum ad vitandum magnum in bonis fortunæ detrimentum.*

MErito dicimus in titulo quæſtionis, *poſt bimeſtre tranſactum*: nam † Ius Canonicum concedit ſponſis tempus duorum menſium ad deliberandum de tranſitu ad religionem: quo bimeſtri durante excuſatur vterque ab obligatione conſummandi matrimonium ac debitum reddendi, *in cap. Ex publico de conuerſat.* ibi. *Mandamus quatenus ſi prædictus vir eam carnaliter non cognouerit, & eadem ad religionem tranſire voluerit, recepta ab ea ſufficienti cautione, quod vel ad religionem tranſire, vel ad virum ſuum redire intra duorum menſium ſpatium debeat, ipſam abſoluas.* Quod bimeſtre à die contracti matrimonij, vel à die per Iudicem Eccleſiaſticum conſignato, computandum eſt: eò quòd Iudex poteſt huiuſmodi tempus cauſa cognita reſtringere aut prorogare. Nam licet Iudex nequeat terminum reſtringere aut prorogare, quando præſcribitur à lege independenter à Iudice; ſecus quando præſcribitur à lege mediante Iudicis miniſterio, vt fit *in dicto cap. Ex publico*: vbi non deſignatur bimeſtre abſolutè, niſi dependenter à Iudicis arbitrio: qui tamen non debet de facili aut ſine iuſta cauſa ab eo bimeſtri diſcedere, cum ſit terminus Iuris; vt cum communi ſententia notat Sanchez *lib. 2. de matrimonio diſput. 24. quæſt. 3.* 1

Igitur ſiue bimeſtre à die contracti matrimonij, ſiue à die conſignata per Iudicem computetur, † menſes computandi ſunt eo modo & ordine quo tunc in Kalendario occurrunt, & de momento ad momentum. Verbi gratia, fuit celebratum matrimonium prima die Ianuarij hora decima ante meridiem, complebitur bimeſtre vltima die Februarij eadem hora; ſiue Februarius fuerit eo anno biſſextilis, ſiue non: vel ſi contingat celebrari matrimonium die octaua Ianuarij, complebitur bimeſtre die ſeptima Martij: nam quot dies ſumit tunc Ianuarius à Februario ſcilicet ſeptem, totidem ſumere debet Februarius à Martio. Completóque iam huiuſmodi bimeſtri ſic computato, licet ſponſi non teneantur ſtatim matrimonium conſummare, quia ambo poſſunt liberè in abſtinentiam à copula conſentire, per aliquod amplius tempus etiam in eadem domo manentes, dummodo incontinentiæ periculum abſit: Verumtamen vni petenti debitum tenetur alter reddere, ita vt peccet lethaliter contra iuſtitiam non reddendo: quia tamen minimè amiſit ius ingrediendi religionem, adhuc poſt completum bimeſtre, poteſt illam intrare, quia Chriſtus Dominus abſolutè conceſſit hoc priuilegium profeſſioni religionis, vt quandocumque matrimonio contracto ſuperueniat, illud dirimat. Dices: ergo nullum eſt diſcrimẽ inter bimeſtre, & reliquum tempus. Reſpondeo negando conſequentiam: Latum namque verſatur inter vtrumque diſcrimen. Nam durante bimeſtri vtrique coniugi licitum eſt alteri debitum denegare, etiamſi non adſit propoſitum ingrediendi religionem: illo vero tranſacto neutri eſt licitum debitum negare, potéſtque compelli vt debitum reddat, vel vt ſtatim ad religionem tranſeat, vtpote cum iam deliberandi tempus ceſſauerit, illéque ſic tranſiens poſt completum bimeſtre, peccat quidem non conſummando ſiue non reddendo debitum conſorti petenti, eique irrogat iniuriam, niſi ilico & quantocius religionem ingrediatur, nam tunc nullam ei iniuriam irrogaret, quia par eſt vtriuſque conditio: & ex Gloſſa *in dicto cap. Ex publico*; Hoſtienſi Cardinali, Ancharrano, Innocentio, Sylueſtro, Diuo Bonauentura *in 4. dicto 27. art. 3. q. 2.* & aliis notat Sanchez *diſp. citata q. 6.* 2

Sciſcitabis † quanta temporis mora poſt completum bimeſtre requiritur, vt coniux peccet negando debitum & non ingrediendo religionem, v.g. bimeſtre completum fuit die ſeptima Martij hora decima ante meridiem; qua completa marito volenti matrimonium conſummare vxor renuit, dicens ſe habere propoſitum firmum intrandi religionem, quapropter illum debere expectare in ſeculo per integrum annum ſui nouitiatus, quoadvſque ipſa aut illo completo profeſſionem emittat iuxta decretum Concilij Tridentini *ſeſſ. 25. cap. 15.* aut ad ſeculum cum ipſo reuertatur. Inquires igitur quando hæc fœmina eſt in mora conſummandi matrimonium, aut ingrediendi religionem, vt ei in culpam imputetur? Reſpondeo quod quamuis omnes Authores relati vniformiter aſſerant, coniuges tranſacto bimeſtri ſiue termino per Iudicem conſignato teneri ad reddendum debitum, vel ad religionis ingreſſum, ita vt ſi ſtatim ab vtroque abſtineant, peccent mortaliter ob iniuriam quam irrogant conſorti: verumtamen nullus quem viderim, determinat illud *ſtatim*, ad quam temporis moram extendatur: quod tamen ex communibus principiis eſt determinandum in caſu poſito, quo alter coniux petat matrimonij conſummationem. Si enim vterque conſentiat in non conſummationem, aut neuter petat: neuter erit in mora conſummandi, aut intrandi religionem. Altero autem petente, v.g. hora ipſa decima, qua completur bimeſtre, tenetur ſtatim alter reddere, aut religionem ingredi, quia tempus deliberandi iam ceſſauit. Sed quia tempus obligatorium nondum ceſſauit, imo ex tunc currit, & ipſe ingreſſus quantumcumque deliberatus præſupponatur, non poteſt non aliquam temporis moram exigere, præſertim in fœmina, vt ſe præparet, rem familiarem diſponat, amicos, ſodales, & conſanguineos ad comitatum inuitet, ac habitum nouitiis proprium conficiat, aut emat; quæ omnia temporis mora indigent: exiſtimo toto eo tempore quod hæc neceſſaria cum effectu præparantur, non eſſe coniugem in mora culpabili, etiamſi per octo dies detineatur, quia horum præparatio eſt inchoatio ingreſſus in religionem. Si autem hæc præuia ſint iam parata ante completum momentum bimeſtris, ſat erit vna integra dies naturalis, ita vt ſi intra illam ingrediatur, cenſeatur ſtatim ingredi, quia parum pro nihilo reputatur, & vna dies in re tam ardua exequenda, pro paruo aut nullo tempore exiſtimatur, niſi volens religionem intrare infirmitate præueniatur: nam tunc non erit in mora toto eo tempore quo premitur infirmitate, quouſque conualeſcat. 3

Igitur concludendo dico, † non reputari pro mora 4

mora culpabili totum illud tempus, quod re vera consumitur tam pro viro, quàm pro fœmina, in parando necessaria ad ingressum cum effectu: illo autem transacto peccaret contra iustitiam vterque in non reddendo debitum, ac etiam in non ingrediendo religionem statim: sed non peccaret ingrediendo ilico post dictam moram, quia tunc vtitur iure suo, in quo vtriusque coniugis est par conditio. Igitur difficultas solùm est in assignando legitimas causas, ob quas post completum bimestre possit vnus coniux alteri petenti, debitum negare. Et cùm quatuor excogitari possint causæ excusantes coniuges ab obligatione reddendi debitum etiam completo bimestri, nimirum defectus benedictionum Ecclesiæ, quæ vulgo *Velaciones* nuncupantur, damnum siue periculum propriæ salutis corporalis, aut etiam spiritualis: damnum rei familiaris, vel illius ingens augmentum, & renunciatio sui Iuris: sigillatim eodem ordine sunt à nobis discutiendæ.

5 Prima † causa quæ se offert examinanda, est præuentio benedictionum Ecclesiæ. Pro cuius declaratione sciendum est, quod consummare matrimonium ante Ecclesiæ benedictiones, iuxta veriorem sententiam D. Thomæ *in 4. d. 28. q. vnica art. 2. ad 3.* Caietani *tomo 1. opusculorum tractatu 13. q. 1.* & *in summa* V. *Matrimonium cap. 2. §. in publico autem*, Victoriæ *in summa de matrimonio, n. 267.* Soto *in 4. d. citata q. 1. art. 2* Petri de Ledesma *de matrimonio q. 45. art. 5. puncto 3. dub. 1.* Nauarri *in summa c. 22. n. 83.* & aliorum quos citat & sequitur Sanchez *lib. 3. de consensu clandestino disp. 12.* non sit lethale peccatum, seclusa contemptu, & cessante scandalo, & nisi feratur sententia excommunicationis latæ in ea Diœcesi aduersus consummantes, non præmissis benedictionibus. De cuius sententiæ excommunicationis iustificatione & valore, disputant Petrus de Ledesma *vbi supra*, Rodericus *in summa tom. 1. cap. 242.* Enriquez *lib. 11. de matrimonio c. 5.* dicens huiusmodi excommunicationem latam fuisse aliquando in Synodo Salmantina, Sotus *vbi supra*, & alter Ledesma *2. p. 4. q. 47. art. 5. §. an autem*, & Sanchez *disp. citata n. 10.* tribus quidem prioribus eius valorem defendentibus, reliquis verò de illius valore dubitantibus, vtpote quia eius materia non est capax præcepti obligantis ad mortale, nisi feratur sub hac forma: vt sub pœna excommunicationis latæ teneantur sponsi intra semestre, v. g. benedictiones recipere. Quod vtique præceptum iustissimum esset, vtpote quia ex nulla rationabili causa posset iustificari dilatio illarum vltra semestre, quamuis sponsi initio aduentus vel quadragesimæ nuptias celebrauerint.

Quod autem cum hiis temperamentis non sit lethale consummare ante benedictiones,
6 probatur: quia † nulla lege prohibetur huiusmodi consummatio ante benedictiones, hoc est neque naturali aut diuina: nam cum veri coniuges sint, veróque iuncti coniugio, inter eos copula de se est licita. Neque Ecclesiastica, quia nullibi in iure Canonico extat: nam *in cap. nostrates 3. q. 5.* Nicolaus Papa numerans solemnes benedictiones cũ aliis ad nuptias requisitis subdit: *Hæc omnia non seruare, non est peccatum*: & Bulla Martini V. provt refertur in Concilio Florentino, solùm dicit, quod interrogentur hæretici, an credant peccare lethaliter contemnentes solemnitates matrimonij, vt ad Ecclesiæ gremium recipiantur. Quo denotat Concilium, seclusa contemptu non esse mortale. Et in Tridentino *sess. 24. cap. 2.* illis verbis. *Eadem Sancta Synodus hortatur: vt coniuges ante benedictionem sacerdotalem in templo suscipiendam in eadem domo non habitent*; potius indicatur consilium, quàm præceptum. Qua ratione plures Authores quos refert & sequitur Sanchez *disputata conclusione 1.* dicunt, neque in tali consummatione committi culpam venialem seruatis dictis tribus temperamentis, etsi plures sint qui sentiunt culpam venialem committi, maximè quando consummatio talis fit ante benedictiones sine legitima causa; à præceptorum namque Ecclesiæ (cum sint Matris) obseruatione excusantur fideles ex legitima causa, vt patet in præceptis de ieiunando, & audiendo sacrũ, ac de recitando horas canonicas. De horum numero sunt Caietanus, Victoria, vterque Sotus, vterque Ledesma, Couarruuias, Ludouicus Lopez, & Enriquez *in locis præallegatis*. Quibus magis assentior, & ducor ex praxi & consuetudine coniugum timoratæ conscientiæ, qui se abstinent à tali consummatione antequam benedictiones recipiant; atque etiam parochorum, qui ad id suos subditos monent, existimantes alicuius culpæ reos fore, si oppositum faciant: nisi ex iusta causa benedictiones differantur, v. g. ob Ecclesiæ interdictum tempore Aduentus, aut quadragesimæ, & eo durante immineat sponsis periculum incontinentiæ. Cui addo argumentum ad hominem: Certè indebitus ordo est cõsummare matrimonium ante benedictiones, vt ipse Sanchez admittit: atqui facere actum moralem etiam virtutis ex obiecto, qualis est vsus matrimonij, modo siue ordine indebito, est culpa saltem venialis, vtpote cui deest aliqua circunstantia, scilicet *quomodo, & quando*, ex requisitis à D. Thoma *12. quæst. 7. art. 3. & q. 18 art. 3.* ad omnimodam actus moralis bonitatem: ibi enim numerat ex communi sentẽtia Theologorum septem circunstantias hoc versu contentas: *Quis, quid, vbi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quãdo.*

Si verò inquiras vbi continetur huiusmodi venialis culpæ Ecclesiastica prohibitio? Respõdeo cõtineri *in dict. cap. Nostrates, & c. Aliter, & c. Nulli 30. q. 5.* in quibus numerãtur benedictiones inter requisita ad matrimonij perfectionem, decorem & complementum. Neque obstant verba illa recensita ibi à Pontifice subdita, scilicet. *Non est peccatum hæc omnia non seruare*: aut enim intelliguntur relatiuè ad alia ibi numerata, aut intelligũtur de peccato simpliciter, quod est mortale. Necnon continetur in verbis Concilij Tridentini, quæ nedum consilium, sed aliquale indicãt præceptũ. Ac tandẽ in receptissima Ecclesiæ consuetudine, apud timoratos, quæ vim legis obtinet obligantis iuxta materiæ qualitatem.

Secundò prænotandum est, huiusmodi † peccatum qualecumque sit illud, in sola priori copula habere locum. Cuius ratio est, quia prohibitio Ecclesiæ solum est, ne consumetur matrimonium ante benedictiones, vt sic debitus ordo seruetur, & debita reuerentia benedictionibus exhibeatur præmittendo eas consummationi: matrimonium autem legitimè ptiori copula consumatur: ergo illa semel habita ante Ecclesiæ benedictiones, cessat prohibitio ac obligatio 7

reſpectu reliquarum,in quibus proinde nullum erit peccatum ; vt bene notant Paludanus *in* 4. *d.*28 *q.*1-*art.*2. D.Antoninus 3.*p.tit.*1.*cap.*10 §.8. Roſella. V. *impedimentum impediens* , & alios, quos citat & ſequitur in hoc puncto Sanchez *diſput.citata concluſione* 2. Neque eſt ſimile de prohibitione conſummandi matrimonium ante denunciationes : vt ex Caietano , Nauarro, Petro de Soto & Matienzo tradit Sanchez *diſput.* 11.*libri citati*, dicens : hanc prohibitionem non contrahendi nec conſummandi matrimonium ante denunciationes ſub lethali peccato, habere locum nedum in prima vice , ſed etiam in reliquis ſubſequutis : eò quòd in omnibus militat eadem ratio , ac proinde eadem Iuris diſpoſitio , nimirum quia per denunciationes poteſt detegi aliquod impedimentum dirimens, ita vt quælibet copula poſſet eſſe fornicaria,ſi detegerétur impedimentum,ac proinde quælibet copula anteuertens denunciationes eſt lethale peccatum:ſecus verò eſt de prohibitione conſummandi ante benedictiones,vt debitus ordo ſeruetur. Quæ ratio cùm non militet niſi in priori copula, ſola illa erit venialis culpa. Quæ tamen opinio temperanda eſt, ptovt temperatur ab vtroque Ledeſma , Roderico & aliis : nimirum quod in quacumque copula anteuertente denunciationes committatur lethalis culpa, niſi dimittantur denunciationes de licentia ac diſpẽſatione Ordinarij ſiue Superioris , præmiſſa informatione ac morali certitudine , quod nullum ſubſit impedimentum: quia tunc ceſſat ratio Concilij Tridentini *ſeſſ.* 24.*cap.*1. ibi. *Deinde ante illius conſummationem denunciationes in Eccleſia fiant , vt ſi aliqua ſub. ſunt impedimenta facilius detegantur:niſi Ordinarius ipſe expedire iudicauerit , vt prædictæ denunciationes remittantur, quod illius prudentiæ & iudicio Sancta Synodus relinquit.*

8 Sciſcitabis † quid agendum ſit coniugibus, ſi Ordinarius , aut Legatus Apoſtolicus , in ſua diſpenſatione adiiciat, vt contrahatur quidem matrimonium in facie Eccleſiæ cum reliquis ſolemnitatibus,ſed nequaquã conſummetur,donec denunciationes fiant? Reſpondeo eos aut non peccare , ſi ſimplici mandato à copula arceantur,aut peccare mortaliter peccato inobedientiæ ſi præcepto inhibeantur: ſed non peccato fornicationis ,ſiquidem veri coniuges ſunt, & vir in ea copula accedit ad ſuam : neque exponitur periculo inceſtus , ſiue acceſſus ad non ſuam,quando ex præuia informatione ſit certitudo moralis, nullum inter illos eſſe impedimentum.

9 Tertiò prænotandum eſt, quod † huiuſmodi culpa venialis reperta in priori copula,qua prima vice conſummatur matrimonium non præmiſſis benedictionibus,pariter à reddente,atque à petente debitum committitur,vt tenent Caietanus,Veracruz, Petrus de Ledeſma,Matienzo & Sanchez *vbi ſupra concluſione* 3. aduerſus Richardum, D. Antoninum, Abulenſem *cap.* 24. *Geneſis quæſt.*3.Henriquez *lib.*11. *de matrimonio cap.*7.*& cap.*16.*num.*3.& alios relatos & refutatos ab eodem Sanchez *diſp.citata num.*3. *&* 12. & merito ; quia ſi prior copula eſt culpa venialis , præceptum præmittendi benedictiones, & ſeruandi debitum ordinem,atque exhibendi debitam reuerentiam benedictionibus Eccleſiæ, pariter ligat vtrumque coniugem , éſtque impedimentum commune , vt neuter reddere teneatur, niſi debito ordine & tempore alter debitum petat. Neque eſt ſimilis caſus de coniuge voto caſtitatis adſtricto , qui peccat petendo , ſed non reddendo : eò quòd alter ad petendum & vtendum re ſua minimè impeditus exiſtit.

Ex hiis præmiſſis manifeſtè † deducitur noſtrum aſſumptum, nimirum neutrum coniugem teneri tunc alteri reddere debitum, quia impeditus exiſtit,& alter neq; debito ordine,neque debito tempore petit , ac proinde non præmiſſas benedictiones eſſe cauſam ſufficientem , ob quam coniux poteſt alteri debitum negare ad conſummationem matrimonij in priori copula, etiam tranſacto bimeſtri : Secus in aliis in quibus non eſt peccatum. Huius ratio eſt , quia ſecundùm opinionem probabiliorem conſummare matrimonium ante benedictiones , licet non ſit lethale peccatum, eſt tamen veniale ob irreuerentiam & indebitum ordinem, vt diximus *in primo notabili*;& hoc peccatum committi ex parte tam petentis,quàm reddentis, oſtendimus *notabili Tertio* : ergo etiam tranſacto bimeſtri, in prima copula poteſt coniux iuſtè debitum negare. Patet conſequentia, quia neuter coniux tenetur reddere , quando ipſa redditio ſine peccato ſaltem veniali exerceri non poteſt: nullus enim tenetur ad peccandum : redditio autem debiti in prima copula etiam tranſacto bimeſtri,ſine culpa veniali exequi non poteſt. In aliis autem copulis ad primam ſubſequutis, iam neuter coniux excuſatur ab obligatione reddendi propter benedictiones non præmiſſas, quia in illis non eſt culpa , nulla prohibitio, nullúmue impedimentum , vt diximus *notabili ſecundo.* Intra bimeſtre autem etiam præmiſſis benedictionibus,neuter reddere tenetur † quia illud tempus conceditur coniugibus ad deliberandum de religionis ingreſſu. 10

Hinc clarè deducitur, † tranſacto bimeſtri vtrumque coniugem poſſe ob benedictiones non receptas deliberare de religionis ingreſſu, & illam ingredi de facto ſine alterius iniuria; vt ſcitè notat Victoria *in ſumma de matrimonio, num.* 277. cum Paludano, Roſella , Syluestro, Armilla,& Abulenſi *vbi ſupra.* Cuius ratio eſt quod toto tempore,quo coniux ante matrimonij conſummationem non tenetur reddere , poteſt deliberare de religionis ingreſſu. Atqui neuter coniux tenetur reddere ante benedictiones Eccleſiæ : igitur toto eo tempore poterit deliberare de religionis ingreſſu, & illum exequi,quamtumcumque protrahatur vltra bimeſtre : tunc enim tempus bimeſtris à Iure conceſſum ad deliberandum de religionis ingreſſu , cenſetur protractum , quouſque tollatur impedimentum Eccleſiæ per benedictionum receptionem. 11

Secunda cauſa eſt,† damnum ſiue periculum propriæ ſalutis. Pro cuius exacta declaratione ſcito primò ; variis modis committi culpam lethalem , aut etiam ſolùm venialem in ipſo actu coniugali & vſu matrimonij , quos expendit Thomas Sanchez *lib.*9.*de debito coniugali & vſu matrimonij , à diſput.* 15. *vſque ad* 25. iuxta caſuum varietatem , in quibus petitio aut etiam redditio debiti coniugalis ſit culpabilis. Inter quos modos vitiandi coniugalem actum, & excuſandi coniuges nedum à petendi,ſed etiam à 12

reddendi

reddendi obligatione, recenſetur damnum proli imminens, vt ſi tempore fœmini menſtrui debitum petatur, aut etiam tempore, quo vxor eſt grauida, aut lactans infantem, aut etiam ſi petatur tempore furoris, aut tandem ſi petatur quando petens eſt lepra, aut morbo gallico, aut alio contagioſo laborans, ob manifeſtum aut ſaltem probabile ſalutis propriæ vel alterius coniugis detrimentum: aut propter rei familiaris damnum, vel augmentum. De quorum ſingulis ſuo ordine eſt dicendum.

13 Igitur de primo caſu pro certo tenendum eſt, † quod ſi proli immineat probabile detrimentum, vt ſi immineat aborſus probabile periculum; nec petere, nec reddere culpa lethali vacabit, eò quòd finis coniugalis copulæ eſt prolis generatio: ergo quando huic fini aduerſatur copula, ob damnum vel periculum imminens proli iam conceptæ vel concipiendæ, lethalis culpa committitur. Vnde lethalis culpæ reus eſt coniux, qui data opera ſemen extra naturale vas effundit: & ſimiliter fœmina, quæ potionem aut aliud remedium ſumit, vt ſemine virili concepto prolis conceptionem impediat, aut illud ſtatim expellere curat ſe erigendo, aut vrinam effundendo, vt cum multis tenet Sanchez *diſp.* 17. & 20. vbi etiam reſoluit eam quæſtionem vulgarem, quando liceat ob matris vitam tuendam fœtus aborſum procurare. Dicens *cum communi ſententia*, cui & ego adhæreo, ſi fœtus eſt animatus anima rationali, aut dubia fuerit eius animatio apud Medicos & obſtetrices, neutiquam ob matris grauidæ ſalutem licet fœtus aborſum procurare, quia intrinſecè malum eſt innocentis mortem intendere, aut illi cooperari, atque etiam illius periculo ſe exponere: quod nullo fine poteſt honeſtari. Si verò fœtus nondum ſit animatus, idque certò aut probabiliter conſtet: tunc ob vitam matris prægnantem tuendam, ſi aliud remedium non ſuppetat, licita eſt aborſus procuratio; eò quòd tunc fœtus cum nondum ſit anima rationali informatus, cenſetur quædam pars viſcerum matris, quæ ad bonum & conſeruationem totius ſcilicet indiuidui ordinatur: ſicut de cæteris partibus integrantibus vera ſententia philoſophatur. Vnde ſicut ob vitæ conſeruationem indiuidui, licet digitum, manum, aut pedem abſcindere, ita & licebit fœtum in eo ſtatu expellere: maximè cum matre pereunte, fœtus ille nequaquam animabitur.

14 Rurſus † ſi fœtus credatur animatus anima rationali, adhuc licitum eſt prægnanti vti medicinis (& Medico eas applicare) quæ directè & per ſe ad prauorum humorum expulſionem, & ſanitatis reſtaurationem ordinantur, etiamſi aborſum cauſent ſecundariò: vt ſunt balnea, Pharmaca, minutio, & ſimilia: quoniam iſti actus ex fine per ſe intento, non ex effectu per accidens ſequuto ſpecificantur. Secus autem aliis medicinis, quæ per ſe & directè ad fœtus occiſionem tendunt: cuiuſmodi ſunt venenum, dilaceratio ſiue percuſſio, aut contra parietem totius corporis concuſſio. Quia tam conſulens, ſiue applicans, quàm prægnans in huiuſmodi remediis directè innocentis neci cooperantur: quod eſt intrinſecè malum. Et ſicut quis poteſt dare operam rei licitæ, ex qua per accidens mortes innocentium ſequantur; vt cum Dux tormentis bellicis expugnat rebellem ciuitatem, in qua multi ſunt innocentes: ita etiam licet nullus poſſit licitè voluntariam pollutionem procurare, vtpote malam & contra naturam: fas tamen eſt vnicuique eam permittere, dando ſcilicet operam rei licitæ, ſiue neceſſariæ, ex qua per accidens & præter intentionem ſequatur. Verùm quia huiuſmodi damnum proli non ita regulariter imminet, niſi rariſſimè, ex coniugali congreſſu tempore fœminei menſtrui, ideo non redditur illicitus ex hoc capite, ſed ex alio: videlicet ob turpitudinem & indecentiam: quia cum fœminea natura tunc vacet conſuetæ purgationi, immundáque ſit mulier & minus apta ſeminis receptioni & retentioni, & conſequenter fini generationis, committitur quædam turpitudo & inhoneſtas in exigendo debitum, quæ eſt venialis culpa, niſi exigatur ex iuſta cauſa nimirum vitandi periculum incontinentiæ in ſe, aut in conſorte: vel ne coniux odio ſit ſuo conſorti: nam propter hos fines petitio debiti ab omni labe culpæ purgatur.

Sed † de redditione debiti aliter ſentit San- 15
chez cum multis à ſe allegatis *vbi ſupra*, *n.* 16. probans fœminam nedum licitè poſſe, ſed teneri reddere. Primò quia exigere quod eſt omninò voluntarium vacat culpa, vbi iuſta cauſa inducit, vt dictum eſt: ergo à fortiori & reddere, vtpote ad quod obligat lex iuſtitiæ: & quod ſemper ſit ex iuſtiſſima cauſa, qualis eſt ſatisfaciendi propriæ obligationi. Si autem licitum eſt vxori reddere in eo caſu, vtique ad id tenebitur. Secundò quia ad ſummum petitio debiti eſt culpa venialis tunc, ob dictam turpitudinem & inhoneſtatem: vbi autem ſola venialis culpa adeſt in petendo, tenetur alter coniux reddere, ob maioris roboris vinculum iuſtitiæ, quo ad reddendum adſtringitur. Et aliàs cum reddere non ſit intrinſecè malum, neque fit malum propter culpam exigentis, aut propterea quod illi cooperetur, eo quod ſemper in reddente adeſt iuſta cauſa ad excuſandum illum ab ea culpa veniali, ſcilicet, ne petenti diſpliceat, aut odij incitamentum præbeat, & ne abſque propria culpa Iure reddendi priuetur: quam regulam ipſe Sanchez ſtatuerat, *eiuſdem lib. 9. diſput. 6. num. 6.* Subdítque tertiò neque teneri vxorem menſtruatam precibus monere virum petentem, vt deſiſtat; durum enim eſſet tale præceptum non imminente damno prolis, ob ſolam indecentiam venialem, quam ad ſummum vir committit exigendo: eo vel maximè quod vir intelliget illam renitentiam ex odio vel amoris defectu procedere: & ſi pronus fuerit ad libidinem, in alias incontinentias labetur. Sed verior mihi & conformior Angelico Doctori videtur oppoſita ſententia. Tum quia ipſe Angelicus Doctor licet à Sanchez pro ſua opinione citatus *in* 4. *d.* 32. *quæſt. vnica art.* 2. *quæſtiuncula* 7. ait, quod accedere ad mulierem erat in lege Moyſis prohibitum, vt *Leuit.* 18. *Ad mulierem quæ patitur menſtruum non accedes*: & *cap.* 20. dicitur, quod ſi aliquis ad menſtruatam acceſſerit, vterque morte eſt puniendus; duplici ratione, nimirum propter immunditiam, & propter nocumentum, quod proli ex tali commixtione frequenter ſequebatur, eo quod ſanguis fœmineus tunc eſt infectus, cuius proinde vitium contrahit fœtus, qui ex illo formatur. Et quoad primum hoc præceptum erat ceremoniale: ſed quoad ſecundum erat morale, quia vſus matrimonij

monij præcipuè ad bonum prolis ordinatur. Vnde hoc præceptum obligat etiam in noua lege propter ſecundam rationem, id eſt quatenus morale: ſed non propter primam ſecundum quam eſt ceremoniale, quia ſic ceſſauit ceſſante lege Moſaica. Hactenus D.Thomas, cuius ſententia cum duplici temperamento eſt accipienda: nimirum quando (vt ipſe ſubdit) fluxus menſtruus eſt naturalis, qui ad modicum tempus durat, & eo durante adhuc mulier poteſt concipere: ſecus quando eſt præternaturalis & ex infirmitate habituali præcedens: nam tunc cum diuturnus ſit & reddens mulierem ineptam conceptioni; propterea nec vir ad eam accedere, nec illa debitum petere prohibentur: quia neque prolis nocumentum timetur, neque coniuges remedio concupiſcentiæ per longum tempus carere debent. Rurſus quod licet huiuſmodi præceptũ Leuitici quatenus ceremoniale ceſſauerit in noua lege, in qua proinde non eſt culpæ lethalis reus, qui ad menſtruatam accedit: Verumtamen quia ratio præcepti quodammodo permanet, ſcilicet turpitudo, immunditia ſiue indecentia, propterea talem commixtionem eſſe culpam venialem diximus ſuperius.

16 Deinde *in quæſtiuncula* 3. † reprobat D. Thomas opinionem illorum, qui aſſerunt mulierem menſtruatam, ſicut nec licitè poſſe petere debitum, ita nec teneri reddere, quemadmodum nec teneretur patiens infirmitatem, ex qua ipſi aut proli periculum immineret: eò quòd non eſt par ratio (ait D. Thomas) de periculo prolis, aut de infirmitate proprij corporis. Nam ſi mulier infirmatur, certum periculum illi imminet ex carnali congreſſu, quod non ita certò imminet proli, quàm certius eſt non fore concipiendam: & aliàs vrget omnimoda poteſtas data per matrimonium vtrique coniugi in corpus alterius, quoad vſum coniugij. Vnde hac opinione reiecta, eligit alteram aſſerentem mulieri menſtruatæ fluxu naturali modico tempore durante, nunquam licere petere debitum: bene tamen ad reddendum teneri, cum hac limitatione, ideſt monitione præmiſſa. Nam aut vir petit ſcienter & cum notitia fluxus menſtrui, aut cum eius ignorantia. Si ſcienter, debet eum monitis & precibus auertere: leniter tamen, ne ei occaſionem præbeat damnabilis incontinentiæ. Si ignoranter, debet aliquam occaſionem mulier prætendere, vel infirmitatem allegare, ne debitum reddat, niſi periculum incontinentiæ, aut odij in viro timeatur: ipſi verò in petitione perſiſtenti debet debitum reddere, neutiquam tamen ei ſuam paſſionem indicando, ne fortè ex hoc abominabilis fiat viro, niſi de illius prudentia contrarium præſumatur. Hactenus D.Thomas, cuius ſententiæ adhæreo, & eam amplius confirmo argumento ad hominem: nam propterea ante benedictiones Eccleſiæ neuter coniux poteſt petere aut reddere, eo quod vterque eſt impeditus interdicto Eccleſiæ obligante ad venialem culpam; vt fatetur ipſe Sanchez *lib.3.diſp.p.12.citat.n.13.* Atqui etiam ex parte vtriuſque coniugis eſt conditio turpitudinis & indecentiæ, prohibens ſub culpa veniali congreſſum cum menſtruata: eo vel maximè quod ipſa ratione menſtrui ſanguinis eſt minus apta ad recipiendum & retinendum virile ſemen, & conſequenter ad concipiendum: ergo dum reddit voluntariè, culpam committit, periculo aliquali ſe exponendo fruendi virile ſemen fini generationis.

Ad primum autem † fundamentum contra- 17
riæ opinionis admittenda eſt conſequentia, quando adeſt iuſta cauſa excuſans à culpa petitionem debiti à menſtruata, paritérque eius redditionem. Ad ſecundum neganda eſt minor: aut ſic diſtinguenda Quando petitio debiti eſt culpabilis ob circunſtantiam perſonalem, ideſt tenentem ſe ex parte perſonæ petentis, tunc excuſatur à culpa reddens, neque cooperatur ei quatenus mala eſt, ſed cooperatur congreſſui coniugali quatenus de ſe & ex obiecto eſt bonus ac debitus, ſicut reddens debitum coniugi voto caſtitatis adſtricto. Secus quando petitio eſt mala ob circunſtantiam tenentem ſe ex parte ipſius actus: tunc enim vitiatur copula coniugalis ex parte vtriuſque. Qua ratione quia petitio debiti in loco publico, vel in loco ſacro, vel cum probabili aborſus periculo eſt mala ob circunſtantiam, tenentem ſe ex parte ipſius actus copulæ, pariter & eius redditio eſt mala, ad quam proinde coniux non tenetur, nec illi licita eſt; vt idem Sanchez fatetur *in eadem diſput.6.num.16.& diſput.15.num.8.* quoniam pariter redditio atque petitio in primo caſu honeſtati, in ſecundo ſanctitati loci aduerſatur, & in tertio vergit in damnum tertij. Ad tertium quod ſubdit dictus Author patet ex littera adducta ex D.Thoma.

Hinc infero, pariter † debiti redditionem, at- 18
que petitionem eſſe culpam venialem ex inordinato ſitu, vt ſi vir velit ordine præpoſtero more pecudum, aut more ſuccubantis copulam coniugalem habere: aduerſus eundem Authorem *diſput.16.num.8.* vbi ait, quod licet coniux non teneatur reddere debitum petenti modo indebito quoad ſitum, quando concubitus fuerit lethalis ob probabile periculum effuſionis ſeminis extra vas naturale, quia tunc ille concubitus eſt prohibitus & malus, ob circunſtantiam ipſi actui inhærentem; eſt enim contra naturam, ſicut ſi vir peteret ab vxore ſibi ad pollutionem cooperari: nihilominus quando ſolùm eſt venialis culpa ex parte poſcentis, teneri ad reddendum, ob regulam ſæpius ab ipſo repetitam, ſcilicet teneri coniugem ad reddendum, quoties eſt ſola culpa venialis in exigente. Sed fallitur & minus conſequenter loquitur. Quod mihi perſuadeo tripliciter: tum quia oppoſitum tenet communis ſententia Armillæ, D Antonini, Pallacios, Adriani, Ludouici Lopez, Bartholomei à Ledeſma, & Henriquez. Quibus dumtaxat contraponit Petrum de Soto, dicentem expreſsè teneri coniugem reddere quoties petens ſolam culpam venialem admittit: Et Caietanum 2.2. *quæſt.154.art.1.circa ſolutionem 4.§. Ad ſecundum de modo:* dicentem vxorem eſſe ad omnem actũ ex quo poteſt ſequi generatio, quamuis fiat modo innaturali. Verùm authoritas Petri de Soto non præponderat tot ac tantorum Doctorum phalangi, præterquam quod fortè loquutus fuit de culpa veniali ob circunſtantiam tenentem ſe ex parte exigentis. Caietanus autem ſolùm ibi intendit excuſare à culpa lethali concubitum innaturalem quoad ſitum: eò quòd aptus ſit vt ex eo ſequatur generatio, & abſit periculum probabile effuſionis ſeminis virilis propter vim attractiuam fœmineæ matricis. Ad rationem verò

qua

qua fulciri poterat opinio contraria, videlicet quia non est vxor ad talem indebitum modum concubitus: Respondet esse vxorem ad omnem actum ex quo patet sequi generatio, vt citra mortale possit vir sic petere, & vxor reddere. Tum etiam quia quando est culpa lethalis in sic exigente, non tenetur vxor reddere, quia est actus prohibitus ob circunstantiam sibi inhærentem, eo quod est contra naturam, vt idem Sanchez fatetur: quæ ratio militat etiam quando est culpa venialis: nam tunc etiam est concubitus contra naturam & indebitus, atque ideo intrinsecè malus: ergo neque tunc vxor reddere tenetur. Tum denique quia multi actus sunt culpæ veniales & mali per circunstantiam ipsis inhærentem: quia sunt intrinsecè mali: vt mendacium officiosum, & furtum paruæ quantitatis, quibus proinde nulla ex causa possumus consentire aut cooperari. Sed concubitus indebitus quoad situm est intrinsecè malus, vtpote contra naturam & lure naturali prohibitus, teste D. Thom. in nuper allegata *solutione ad* 4. ergo licet sit dumtaxat culpa venialis, non potest vxor ei conuenire aut cooperari, quin similiter venialiter peccet. A qua tamen excusabitur vterque coniux, si iusta causa ad eum cogat: vt si vir modo aut situ naturali seruato, vel propter nimiã pinguedinem, vel propter suffocandi fœtus periculum in vxore prægnante coire non possit. Qua tamen cessante neuter coniux excusatur à graui culpa veniali, ob quam vterque in confessione à Confessario est obiurgandus: Mitius tamen fœmina quæ patiens est, & metu à viro incusso cogitur: metus autem culpam excusat, si non à toto, saltem à quanto.

De secundo autem casu dico cum veriori sen-
19 tentia, † coniugalem copulam tempore imprægnationis, nec lethalem, nec venialem culpã ex parte petentis aut reddẽtis inducere: non lethalem, quia nulla extat lex prohibens coniugibus accessum eo tempore; & quia matrimoniũ, quod nedum in officium naturæ, sed etiã in remedium concupiscentiæ est institutum, potius esset rete maximum & occasio plurimorum peccatorũ, si tanto tẽpore coniuges abstinere deberent. Non venialem ex parte reddẽtis, quia tenetur ex lege iustitiæ, cuius obligatio fortior est, ac proinde excusat ab omni incontinentia etiam veniali, si quæ tunc esset inuoluntaria ex actione: Sed neq; ex parte petẽtis, quia nulla extat prohibitio, vnde neq; vlla necessitas multiplicandi culpas veniales, quæ tamen supra numerum forẽt, si tempore imprægnationis coniuges arcerentur à debiti exactione, maximè cũ fœminis aliquibus contingat fere toto matrimonij tẽpore grauidas esse. Quam tamen doctrinam intelligẽdam esse cessante probabili aborsus periculo, cum multis disputat Sanch. *disp.* 22. Nam cũ illo talis cõcubitus ex parte vtriusq; cõiugis est lethalis, quia frustratur suo fine naturali scil. prolis generatione, perimitúrq; innocens fœtus, qui proinde nulla ex causa potest iustificari, nam periculum incontinentiæ potest aliis mediis consuli absque fœtus damno. Quod magis instat circa initium conceptionis, nam vehementi coitus delectatione matrix aliàs clausa post conceptionem irritata solet aperiri, & materiam fœtus nondum coagulatam effundere ac dispergere.

20 Sed neque † vllam esse culpam in debiti exactione, vel redditione, tẽpore quo fœmina solebolem lactat, tenet verior sententia; quã probat Sanch. *disp. cit. n.* 13. cum Richard. Allens. Rosell. Torrecremat. & Petro de Ledesm. *q.* 64. *de matr. art.* 1. *dub.* 4. ex eo quod si peccaminosus esset talis concubitus coniugalis cum lactãte, maximè propter damnum matri lactẽti aut soboli lactatæ imminens: Sed neutrum imminet, non matri quia nullũ est, nec Gallenus, qui *lib.* 1. *de sanitate tuenda*, matres lactantes monet à virorũ consuetudine abstinere, mouetur ob damnũ matris, nisi tantùm ob damnum prolis ex menstruorum prouocatione, lactis deterioratione, & noui fœtus in vtero conceptione, quæ lactenti puello exitiosa est. Sed neq; soboli imminet damnũ nisi rarissimè, ex causis adductis à Galeno, ob quas licet consiliũ sit abstinere nutricem lactantem à copula coniugali, non tamen tenetur propter rarissimũ & incertum damnũ abstinere, cum tam notabili incõtinentiæ periculo, quale paterẽtur coniuges, si integro biennio, quo durat lactatio deberẽt ab vsu matrimonij abstinere, qui eis non remediũ concupiscentiæ ad quod institutus fuit, afferret, sed laqueum plurimorum peccatorum; maximè pauperibus; quorũ vxores cum non habeant vnde nutrices alant, per seipsas filios lactant, nec tempora obseruant lactationis, vt abstineant, alioquin per totam fere vitam abstinerent à copula coniugali. Nam vno biennio finito, iterum pariunt alterũ puellum lactandum, & huius lactationis biennio finito alium, &c. neq; propterea in sobole vllum damnum experimur. Diuites autem huiusmodi damnum qualecumq; sit illud, quod potest sequi proli ex mẽstrui fluxus prouocatione, ex lactis deterioratione, aut noui fœtus conceptione facilè cauere possunt, tradendo sobolem alicui nutrici pretio conductæ lactandam. Quid si mater sit ita pauper, vt non valeat pretio conducere aliam nutricẽ cui tradat puellum lactãdum, & aliàs experiatur ex congressu coniugali se concipere, & concipiendo vbera exsiccari, aut lac proli lactẽti fieri valde pernicioſum? Respondeo cum Ledesma *vbi supr.* quod curet alia via proli consulere, nimirũ quærendo aliquem hominem diuitem & pium, qui ei eleemosynam tãtam eroget, quanta fuerit sufficiẽs nutrici lactaturæ, sicut si mater obiret. Quod si neq; hæc via pateret, nõ teneretur reddere debitum, quia non tenetur tanto dãno prolis, & tantum dolorem patiendi periculo se exponere. Sed neq; maritus exigẽdo peccaret, quia haberet tunc causam iustam exponendi puellum adhibita prudenti cautela, ne tanto tempore abstinere cogatur cum tãta difficultate, ne dicã morali impossibilitate seruãdi continentiam.

Hinc colligo, † neq; virum in exigendo, neq; 21
fœminã in reddendo tẽpore purificationis post partũ videlicet tẽpore illo, quo secundinarũ immunditia & sanguinis profluuius durat, etiã venialiter peccare. Quia cũ præceptũ illud *Leuit.* 12. arcens vxorem ab ingressu templi, 40. diebus post partum virilis sobolis, & 80. post sobolis fœmineæ partũ, & cõsequenter à cõiugali concubitu, vt multis placet, fuerit ceremoniale; iam cessauit in lege noua, nullãq; in hac inueniatur prohibitio; nulla quoq; ratio vrget multiplicãdi in cõiugibus venialia peccata, quibus datũ est matrimoniũ pro remedio cõcupiscentiæ, nõ pro laqueo aut occasione peccandi. Neque illa verba Gregorij relata à Gratian. *in decretis, c. fin. d.* 5. *Et nisi purgationis tempus prius transierit, viris*

ſuis non debent admiſceri, aut conſilium dumtaxat, non prohibitionem indicant: Aut ſi prohibitiua, cenſeantur in caſu dumtaxat, quo fœminæ ex eo concubitu grauis morbus probabiliter immineret, iudicandáque tunc eſſet culpa iuxta morbi grauitatem & eius probabilitatem.

Tertius caſus qui venit diſcutiendus, eſt; ſi tempore furoris vnius, aut vtriuſq; coniugis copula cõiugalis habeatur. In cuius deciſione ſciẽdum eſt, caſum hunc intelligi de furore & amẽtia ſimpliciter tali, quæ nullis gaudeat intermiſſionibus. Nam ſi ſola fatuitate laborẽt coniuges, quæ illos aut mentis compotes relinquat, aut lucida permittat interualla, licita erit copula inter illos quouis tempore; & inter iſtos pro tempore interualli: ſed de furore ſimpliciter & ſine
22 vllis interuallis correptis. Dico primò, ſi† ambo coniuges huiuſmodi furorem patiantur, ſeparãdi ſunt donec reſipiſcant: eò quòd licet ipſi ſe commiſcendo carnaliter propter rationis defectum non peccent; Verumtamen euidens imminet damnum educandæ proli, quæ parentibus careret à quibus educari inſtruíque poſſet. Nã propter ſimile detrimentum prolis, vagus concubitus eſt illicitus, quod tantò maius imminet in amentium concubitu, quantò magis deſtituta eſt parentibus proles: propter quod prolis detrimentum, qui ſic amentes copularet, culpæ lethalis eſſet reus, nõ minus quàm qui duos amẽtes non coniugatos ad copulam incitaret, aut ſi ebrium vel amentem ad hominis occiſionem moueret. Quare circunſtantia facti eſt in confeſſione pandenda: nam ad hominis occiſionem amentem incitans, homicidij; & ſi ad congreſſum cum conſanguinea, inceſtus; & ſi ad congreſſum cum nupta, adulterij eſt reus.

23 Dico ſecundò; † concubitus coniugalis ſani cum amente, per ſe loquendo licitus eſt, quia ſunt veri coniuges, & aliàs proles habet vnum parentem à quo educari & inſtrui poſſit; niſi ratione periculi imminentis proli, aut coëundi cum aliena, aut ſemen extra vas naturale effundendi, reddatur illicitus, veluti per accidens. Et quia ſi vxor ſit amens, vir autem ſanus, periculum necandi fœtus regulariter imminet, propterea talis quoque concubitus erit regulariter illicitus, niſi vxor, aut ſterilis, aut adeò ſit mitis, vt de necatione prolis prudẽter timeri nõ poſſit.

24 Dico tertiò; nihilominus† coniux ſanus non tenetur per ſe loquendo debitum reddere furioſo petenti; quoniam talis petitio cùm non ſit actus humanus nullam obligationem inducit, ſicut neq; illa quæ fit in ſomnis. Tum etiam, quia furioſus pariter ad vſum matrimonij, atque ad ſuorum bonorũ adminiſtrationem ius amittit, ita vt exigendo non obliget; teneretur tamẽ per accidens reddere ratione cauendi periculi iam dicti, dummodo ceſſet aborſus periculum in vxore: hoc enim cuicumque alteri præponderat.

25 Dico quartò, † idẽ dicendũ eſt de ebrio coniuge, quantum ad debiti redditionem, ſecus quantum ad concubitum. Ratio primi eſt, quia neq; petitio ebrij eſt actus humanus & liber, ac proinde neque obligat. Ratio autem ſecundi eſt, quia ſiue alter coniux, ſiue vterq; ſit ebrius, concubitus nedum per ſe loquendo eſt licitus ſicut in amentibus; ſed neque ratione periculi aborſus poteſt reddi illicitus, cuius oppoſitum dixi in amentibus; eò quòd cum ebrietas breui duret tempore, & ebrij citò ad mentem redeant, ceſſat periculum aborſus in fœmina ebria, & in vtroque coniuge ebrietate laborante, ceſſat damnum educandæ prolis; niſi ebrietas adeò continua & repetita eſſet, vt pro amentia habituali reputaretur, tum enim de ebriis eodem modo dicendum, ac diſtinguendum foret, ſicut de amentibus.

Quartus caſus eſt, quando ex copula coniugali vtrique, aut vni ſaltem coniugi imminet euidens, aut probabile ſalutis detrimentum, vt ſi alteruter febri, aut lebra, aut Gallico, vel alio ſimili contagioſo morbo laboret. Pro cuius declaratione dico primò, non † ſolùm non tene- 26
tur coniux reddere debitum cum ſalutis probabili ac notabili detrimento, ſed etiam illud reddendo reus eſſet culpæ lethalis: eſt communis ſententia Doctorum cum D. Thom. *in 4. d. 32. q. vnica art.* 1. quos refert & ſequitur Sanchez *in dicto lib. 9. diſp.* 24. Ratio primæ partis eſt, quia rectus vſus matrimonij ſequitur rectum ordinem naturæ, in cuius officium inſtitutũ eſt. Rectus autem ordo naturæ poſtulat prius conſuli incolumitati indiuidui, quàm prolis generationi: cuius euidens ſignum eſt, quod ſemen quod eſt inſtrumentum generationis, conficit natura ex ſuperfluo alimenti ordinati ad indiuidui conſeruationem: prius enim natura prouida per potentiã nutritiuam ſubuenit indiuiduo, deinde verò quod ex nutrimento ſupereſt, adminiſtrat generatiuæ: ergo vbi prolis generatio ſequi non poteſt ſalua incolumitate indiuidui, non obligat lex matrimonij, eius vſui vacare reddendo debitum. Ratio verò ſecundæ partis eſt, quia cum coniuges vitæ ac ſalutis corporalis dominium non habeant, ſed teneantur eius moderatam curam habere, peccant contra charitatem mortaliter illam graui diſcrimini exponendo: haud ſecus atque ille qui cibis noxiis aut immoderatis, in ſalutis propriæ detrimentum notabile vteretur; niſi aut ex damni inaduertentia, aut ex aliqua iuſta cauſa excuſaretur. Dixi *cum probabili & notabili detrimento*: nam ſi de damno non probabiliter conſtaret, aut damnum imminens eſſet modicũ, non excuſaretur coniux ab obligatione reddendi; quia in primo caſu incertum eſt damnum, & in ſecundo parum pro nihilo reputatur, cum præponderat lex iuſtitiæ, quæ eſt certa & obligans ad reddendum.

Hinc colliges, † copulam coniugalem imme- 27
diatè poſt prãdium, aut immediatè poſt balnea, aut in eiſdem illicitam eſſe, quia iudicio Medicorum graue periculum affert ob caloris naturalis debilitatem, intellige regulariter loquẽdo: aut ſi copula pluries repetatur, aut niſi vir fuerit admodum validus. Nimia quoque frequentia copulæ vires exigentis extenuat, ac lædit corporis ſanitatem, ita vt vxor reddere non teneatur, & reddendo peccet venialiter, ſicut & vir exigendo immoderatè.

Dico ſecundò; † lethalis quoque culpæ reus 28
eſt coniux, qui cum notabili damno ſalutis exigentis reddit debitum, niſi inaduertentia aut iuſta cauſa excuſet. Ratio eſt, quia lex charitatis pariter obligat vnumquemque coniugem, propriæ ac conſortis conſulere ſaluti, atque proprium & alterius damnum vitare, ſiquidem ſunt vna caro per matrimonium conſummatum. Vnde ſi vxor probabiliter, aut per experientiam cognoſcat marito, aut ob frequentiam, aut ob ſanguinis menſtrui profluuium

graue

graue damnum sequi, lethaliter reddendo peccaret: sicut & vir si aduertat vxoris morbum notabiliter fore aggrauandum ex coitu, lethaliter peccaret petendo, aut etiam reddendo. Causam autem iustam excusantem à culpa petentem, aut reddentem cum notabili sui aut alterius coniugis salutis detrimento, reputo esse bonum commune, aut vniuersi, aut Regni, aut graue incontinentiæ in coniuge exigente periculum. In primo quidem casu licet metaphysico, si species humana deficeret, nisi hi coniuges matrimonio vterentur: in secundo, vt si ad pacem Regni desideraretur proles habenda ex Rege, cuius saluti copula notabiliter obesset; nedum possent, sed tenerentur vti matrimonio pro bono vniuersali, quod bono priuato præponderat. In tertio autem posset quidem coniux cum propriæ salutis notabili damno reddere, sed minimè teneretur: posset quidem, quia salus spiritualis proximi præferenda est permissiuè, id est potest præferri propriæ saluti corporali, quando non est extrema; si enim extrema foret, ex obligatione charitatis præferenda esset: atqui ista non est extrema, vtpote cum illi periculo incontinentiæ posset aliis mediis subueniri. Sed non teneretur, quia obligatio coniugis ex iustitia ad reddendum debitum non est absoluta, qualis est Prælati ad subueniendum saluti spirituali ouium, nedum in extrema, sed etiam in graui necessitate; sed est veluti conditionata, hoc est salua incolumitate personæ, & seruato ordine naturæ, in cuius officium fuit præcipuè matrimonium institutum.

29 Dico tertiò; similiter † excusatur coniux sanus ab obligatione reddendi debitum alteri coniugi leproso, aut morbo Gallico infecto, quando iudicio Medicorum notabilis infectionis periculum illi ex debiti redditione immineret; aut etiam quando ob lepram consortis nimius horror in coniuge sano insurgit. Neque obstat textus *cap. 2. de coniuge leproso*, decidens teneri ex generali Apostoli præcepto coniugem sanum reddere debitum leproso exigenti, nam intelligitur à D. Thoma *in dicto art. 1. ad 4.* cessante notabilis infectionis damno, aut etiam horrore nimio non insurgente; cum hoc enim redditur copula moraliter impossibilis, ob humani corporis congenitam complexionem: cum illo autem redditur illicita, ob rationem pro prima conclusione adductam. Notato tamen, huiusmodi damnum facilius viro imminere, ob calidam nimis & porosam virilis membri complexionem, ob quam facilè ex infectæ fœminæ matrice, lepram siue morbum Gallicum attrahit. Difficilius autem fœminæ, cuius matrix frigida & sicca, facili negotio morbosum humorem à viro receptum expellit, aut retentum consumit, neque in alia membra diffundit, obstante eius frigiditate & siccitate. Excipitur casus vnicus, scilicet quando lepra matrimonium præcessit, neque à sano coniuge fuit ignorata: nam sciens & prudens ad reddendum tunc per contractum matrimonij se deuinxit, & vitium rei si detegatur non minus obligat quàm si vitio careret.

30 Dico quartò; Verumtamen, † si coniux sanus leproso habituali, aut morbo Gallico laboranti debitum reddat, non peccat, sed actum meritorium exercet si id faciat ex amore matrimonij, & vitandi periculum incontinentiæ: eò quòd in morbis diuturnis & veluti habitualibus nec ad mortem tendentibus, amor matrimonialis, & vitatio periculi incontinentiæ fere semper contingentis in vtroque aut saltem in altero coniuge, huiusmodi infectionis periculo præponderant. Quid si proli concipiendæ immineat periculum infectionis lepræ, cessante periculo propriæ infectionis in coniuge sano? Casus metaphysicus est, nam cum coniux sanus commisceatur leproso, non potest non contagio lepræ infici, si ea contagio in sobole probabiliter timeatur: eo tamen admisso tenetur debitum reddere, quia soboli nondum conceptæ melius est vitam consequi ex eo concubitu, licet lepra infectam, quàm omnino non esse. Vnde nulla iniuria, sed potius beneficium maximum illi confertur.

Dico quintò: † idem dicendum est quoad habitationem, quod diximus quoad redditionem debiti; nimirum quod instanti probabili periculo notabilis infectionis ex cohabitatione, non tenetur sanus cohabitare cum leproso ob rationem sæpius repetitam, ad indiuiduam vitæ consuetudinem & mutua obsequia, &c. quod etiam præcipit Ecclesia *in c. 1. & 2. de coniuge leproso, &c.* Eis autem separatis, tenetur sanus prope domum leprosi habitare, vt ei alia obsequia impendat, & apud se prolem habere, vt sic à contagio incolumis euadat. 31

Vltimus casus est de eo, qui reddere debitum timet, ne plures habeat filios quàm alere possit, aut ne sanguine infecto habeat filios, aut ne infamiam, vel carcerem patiatur, aut ne notabile in bonis fortunæ detrimentum patiatur, aut multarum diuitiarum lucrum faciat: & quoniam hic casus plures complectitur, ideo de singulis est dicendum.

De primo quidem dico primò; posse quidem † coniuges communi consensu, à copula coniugali abstinere, ne plures filios habeant, quàm alere possint: neuter tamen excusatur ab obligatione reddēdi, gratia non multiplicandi prolem. Ratio primæ partis est, quia primarius finis matrimonij est sobolis generatio: ergo exuberātior huius finis consequutio non potest eximere coniugem à debiti redditione, quæ est mediū ad illud consequendum. Non tamen erit culpa lethalis debitum negare ob hanc causam: imo nec venialis, si parentibus non sit facultas alēdi plures filios, & iam genitis damnum sequatur; dummodo non sit in exigēte periculum incontinentiæ. Nam magna incommoditas patris familiæ excusat eū ab aliis debitis iustitiæ persoluendis: ergo etiam à persoluendo debitum matrimoniale. 32

Dico secundò, etiam † non excusatur coniux ab obligatione reddendi, ob finem non generandi prolem ex sanguine Sarraceno aut Iudaico infectam: imo talis negatio debiti esset mortale peccatum, eò quòd hic defectus non irritat matrimonium, sed verum Ius acquirit vterque coniux ad debitum coniugale. 33

Dico tertiò, in tertio casu, scilicet † ob causam vitandi carcerem & infamiam, licitum est cōiugi debitum negare, v.g. si vir fuerit latro incorrigibilis, ex quo vxor exposita est periculo quotidie patiēdi damnum, per ministros iustitiæ inferendum, licitum est illi aufugere maritum relinquendo, quo damnum illud cauet: cum Sanchez *disp. 24. n. 7. libri 9. & lib. 10. disp. 18. n. 21.* 34

Dico quartò, quod etiam in quarto caſu fas eſt negare debitum ad vitandum magnum in bonis fortunæ detrimentum, vel ad magnam in illis vtilitatem comparandam; poteſt enim ex hiis cauſis vir peregrè proficiſci, quamuis mulier in ea abſentia debito defraudetur; vt probat Sanchez *dicto lib.9.diſp.4.n.13.& diſp.25.n.5.* Quando autem liceat debitum negare ratione nullitatis matrimonij, aut ſcitæ, aut dubiæ, aut ſtante littera circa eius valorem, determinat idem Sanchez *lib.2.diſp.29.& diſp.41.per totam.*

QVÆSTIO V.

Selecta.

De votis quæ mulier ante matrimonium emiſit: Vtrum tranſiens ad nuptias poſſit maritus ea irritare, ita vt non reuiuiſcant ſoluto matrimonio?

SVMMARIVM.

1 *Thomas Sanchez dubio ac confuſo diſcurſu hanc quæſtionem tractat, cùm tamen materia ſit clara & perſpicua.*
2 *Referuntur duo modi irritandi vota.*
3 *Inæqualis vinculi ſunt ſubiectiones in ſubditis, & inæqualis dominij poteſtas in Superioribus.*
4 *Vota filij ſiue clientuli ſub poteſtate Patris vel Tutoris conſtituti, &c. in quadruplici ſunt differentia.*
5 *Pater filij, Tutor Clientuli, & Dominus mancipij impuberis omnia vota poteſt irritare ſimpliciter, vt non amplius reuiuiſcant.*
6 *In materia votorum à mulieribus emiſſorum Doctores circa duo diſcriminantur, pro quorum reſolutione duæ ſtatuuntur concluſiones.*
7 *Subſequens maritus poteſt ſimpliciter irritare quæcumque vota, ab vxore durante priori matrimonio ſine licentia viri, aut tempore alterius ſubiectionis, emiſſa.*
8 *Quæ concluſio pro prima parte & contra priorem opinionem probatur.*
9 *Eadem concluſio pro ſecunda parte ſuadetur.*
10 *Vota reliqua perſonalia emiſſa à puella poſt annos pubertatis, poteſt maritus irritare ſecundum quid, exceptis votis Religionis, caſtitatis, &c.*
11 *Vota Caſtitatis, Religionis, &c. neque quoad actum, neque quoad materiam marito ſunt ſubiecta.*
12 *Reſoluuntur argumenta contraria.*

1 HANC † quæſtionem anceps & dubius ingreſſus eſt Thomas Sanchez *lib. 9. de matrimonio diſp. 39.* eámque ancipiti dubio ac confuſo diſcurſu proſequitur duabus ſequentibus diſputationibus; propoſitiones ſecum pugnantes parum ſibi conſtans concludens: cùm tamen materia ſit clara & perſpicua ſatis ei, qui eam conſideratione præmiſſa & habita terminorum cognitione enucleandam aggrediatur, vt ex noſtro diſcurſu legentibus apparebit.

Primò igitur prænotare oportet pro quæſtionis intelligentia, † duos eſſe modos irritandi 2
vota; alter quidem eſt irritationis ſimpliciter, quo vinculum voti extinguitur omnino, & iſte procedit à poteſtate habente plenum dominium ſuper voluntatem vouentis, & actum liberum quo vouit, atque materiam ipſius voti. Alter verò eſt irritationis ſecundum quid, quo vinculum voti non omnino extinguitur, ſed ad tempus dumtaxat, ideóque potius ſuſpenſio executionis, quàm voti irritatio dici valet: & procedit ex poteſtate dominatiua habente non plenum dominium ſupra voluntatem, aut actum liberum vouentis, aut eius materiam, ſed aliquale dumtaxat, nimirum ſupra materiam & voluntatem vouentis, quantum ad hanc materiam determinatam, eò quòd eam inuenit Superior iam Deo adſtrictam & obligatam, ex vi voti præteriti ac prius omiſſi ab illo, qui ſui iuris ad vouendum erat. Ex qua differentia prouenit alia, videlicet, quod per priorem irritationem extincta ſemel voti obligatio, amplius non reuiuiſcit etiam aſſentiente Superiore; per ſecundam verò annuente Superiore, reuiuiſcit votum & vires priſtinas reaſſumit, eò quòd non extincta fuerat, ſed ſolùm ſuſpenſa & impedita; quare ſublato impedimento diſſenſus Superioris reſurgit. Exemplum ſit, cuius tamen veritas non requiritur. Dicit Prælatus ſubdito; ego ex plenitudine meæ poteſtatis aufero tibi obligationem voti, quo te in ſtatu religionis adſtrinxiſti peregrinandi in Diuum Iacobum: & aliud votum, quo te adſtrinxiſti ad ieiunandum ſingulis Sabbathis in honorem Deiparæ, ſuſpendo. In priori caſu licet Prælatus annuat ſubdito vt ſuam faciat peregrinationem, faciet quidem illam, ſed non ex religione, neque ex voto, cuius obligatio iam ſemel extincta nequiuit reuiuiſcere. In poſteriori autem Prælato adſentiente vel ſuum diſſenſum ſuſpendente, ſubditus tenebitur ex voto ſua ieiunia proſequi: nam cùm votum non fuerit abolitum, niſi tantùm ſuſpenſum, ſublata hac ſuſpenſione per Prælati aſſenſum, aut conniuentiam, ilicò eius obligatio reuiuiſcit, & vires reaſſumit. Hanc autem ſuſpenſionem operatur irritatio Superioris in hiis votis propriè loquendo, quorum materia non plenè eius ſubditur poteſtati, eò quòd iam erat Deo obligata, per actum voti præteritum ante ſubiectionem, vel in ſtatu alterius ſubiectionis elicitum, qui proinde huic nouo Superiori non ſubiicitur directè, neque plenè: niſi tantùm indirectè, & quoad hanc materiam, cuius executionem ipſe in ſuo ſubdito ratione nouæ ſubiectionis poteſt impedire.

Secundò notandum inſuper eſt, † inæqualis 3
vinculi eſſe ſubiectiones in ſubditis, & inæqualis dominij eſſe poteſtatem in Superioribus, ex cuius documenti omiſſione confuſio Thomæ Sanchez proceſſit. Parentis namque ad filios ingenuos ſeu liberos minor eſt dominandi poteſtas, quàm in marito erga vxorem, & in Prælato erga Religioſos, imo quàm in domino erga mancipia. Quod ſic oſtendo. Pater (& idem dicito de Tutore,) etſi omnia vota filij impuberis perſonalia, & vota realia ante annum 25. emiſſa queat irritare, ſed non valet irritare vota perſonalia poſt annos pubertatis emiſſa: id eſt poſt decimum quartum in viris, & poſt duodecimum in fœminis completum: etiamſi duret ſtatus ſubiectionis, in quo filius nondum eſt emancipatus. Quæ tamen vota poteſt irritare maritus

maritus in vxore, si constanti matrimonio, & Prælatus in subdito si post solemnem professionem emittantur. Nec non Dominus in mancipio post pubertatem constituto, maximè si materiam præiudicantem Domini obsequio inuoluant. Hinc fit vt maritus erga vota vxoris ante matrimonium, & Prælatus erga vota subditi, ante professionem, & Dominus erga vota mancipij ante seruitutem emissa, possit aliquid operari, quod non potest Pater aut Tutor.

4 Tertiò adnotare opus est, † vota ista à filio siue clientulo sub potestate patris vel tutoris constituto, aut in ea ætate in qua subiectus illis secundum iura debebat esse, & similiter fœminæ, antequam ad statum alterius subiectionis, siue matrimonialis, siue religiosæ, siue seruilis perueniat & transeat; esse in quadruplici differentia. Aut enim sunt personalia ante pubertatem, aut personalia post pubertatem; hoc est de actionibus personalibus, quæ ad hæredes non transeunt: aut sunt realia emissa post pubertatem ante 25. annum, aut realia post 25. annum emissa: Realia autem dicuntur quæ sunt de rebus externis & bonis, quæ per mortem vouentis transeunt ad hæredem.

5 Igitur omnes conueniunt in eo, quod † Pater omnia vota filij, & tutor sui clientuli impuberis, & Dominus sui mancipij impuberis cuncta vota potest irritare simpliciter, ita vt amplius non reuiuiscant: Nec non cuncta realia emissa ante annum 25. ante quem non conceditur eis à Iure cura bonorum, excepto quod in mancipio non præfigitur iste terminus, qui pro solis ingenuis constituitur, nisi libertate donetur à Domino, ex quo tempore incipit esse sui iuris. In religiosis autem durat amplius subiectio, videlicet vsque ad mortem, nisi ad Episcopalem dignitatem assumantur; in qua nedum votis personalibus, sed etiam realibus independenter & absolutè adstringentur; & similiter in nupta durat subiectio vsque ad matrimonij solutionem. Quare aliud inæqualitatis discrimen inter has subiectiones & potestates apparet, quod in parentibus & tutoribus, potestas irritandi vota personalia, sicut & subiectio in filiis & cliẽtulis anno pubertatis completo terminatur, & anno 25. incepto, terminatur irritatiua facultas votorum realium in illis, & in istis subiectio: At in Religioso vsq; ad mortem aut assumptionem ad Episcopatum, in vxore vsque ad matrimonij solutionem per obitum mariti, & in seruo quousque libertate donetur; durat subiectio, & in eorum Superioribus respectiuè potestas irritandi quæcumque vota in statu talis subiectionis emissa, siue realia, siue personalia sint: dummodo hæc in seruo limites ad materiam Domino præiudicantem. Similiter omnes vnanimiter asserunt nec parentem, nec tutorem posse irritare vota personalia à filio vel clientulo post pubertatem emissa, neque illa quæ sunt de rebus necessariis necessitate naturalis, aut diuini præcepti: vt de non occidendo, de non peccando, de non mentiendo. Ratio primi est, quia iam in ea ætate filius siue pupillus habet plenum dominium suarum actionum personalium, ac proinde potest illas vouere independenter à consensu patris ac tutoris, qui in ea ætate non dantur in actiones personales: bene autem ante pubertatem, nam tunc vota filij & pupilli omnia fiunt sub hac tacita conditione, nisi pater vel tutor contradixerit, à cuius consensu dependet actus liber, quo votum emittitur. Vnde pater siue tutor subtrahendo suum consensum, ilico votum omnino corruit, in quo eius consistit irritatio. Hæc eadem ratio currit in quibuscumque votis emissis ab vxore durante matrimonio, ac Religioso durante statu religionis, & in emissis à seruo in præiudicum Domini durante seruitute: quia isti semper censentur ante annos pubertatis quoad vota, donec status subiectionis dissoluatur. Ratio verò secundi est, quod ad hæc necessaria adstringitur homo alio superiori vinculo iuris, quod nulli subiacet humanæ potestati.

Discriminantur autem † Doctores circa duo. 6
Primò circa vota siue personalia, siue realia emissa à muliere in ea ætate, in qua pater siue tutor poterat ea irritare, sed non irritauit; Vtrum possit maritus subsequens illa irritare simpliciter, ita vt non reuiuiscant post solutum matrimonium? Secundò circa vota personalia emissa à muliere post pubertatem, quæ pater siue tutor irritare non valet; Vtrum veniens cum illis ad matrimonium possint irritari secundum quid à marito, hoc est suspendi, ita vt soluto matrimonio eorum obligatio reuiuiscat? Pro quorum resolutione duas statuo conclusiones.

Prima sit; † potest subsequens maritus simpliciter irritare quæcumque vota emissa ab vxore, aut durante priori matrimonio sine licentia viri, aut tempore alterius subiectionis, videlicet quando erat sub parentis potestate aut tutoris cura, aut etiam si in ea ætate erat, in qua erat capax tutoris, siue curatoris: qui posset eius vota simpliciter irrirare. Hæc conclusio statuitur aduersus duas opiniones; alteram quidem relatam à Sanchez suppresso nomine Authoris *lib. 9. de debito coniugali disp. 41. num. 2.* negantem; eò quòd licet superior succedens in eandem potestatem possit moraliter irritare vota subditi, quæ poterat ille primus, vt Prælatus succedens Religioso, tutor succedens patri, & Dominus cui seruus venditur: nam tunc potestas prioris Superioris tota deriuatur ad sequentem: secus autem quando moraliter non est eadem potestas, vt contingit quando vxor subdita priori viro, vel patri aut tutori ante matrimonium, subditur alteri marito: horum namque non censetur eadem potestas moraliter. Alteram verò ipsius Thomæ Sanchez, qui inibi *num. 3.* dubium & varium sermonem inuoluens, ac minimè cohærentem cum hiis, quæ dixerat *disp. 39. num. 39.* ait; vota vxoris emissa, aut sub prioris mariti potestate & sine eius licentia, aut ante matrimonium sub parentis potestate, vel tutoris cura, posse à marito sequenti irritari simpliciter, ita vt soluto matrimonio non reuiuiscant, sicut poterant prior maritus, pater aut tutor. Illa verò quæ ante matrimonium emisit vxor carens patre & tutore, aut alio superiori qui posset ea irritare, non posse à marito simpliciter irritari, nisi tantùm suspendi: ac proinde soluto matrimonio eorum obligationem reuiuiscere. 7

Sed nostra † conclusio pro prima parte & contra priorem opinionem probatur; nam qualiscumque sit superior dummodo habeat dominatiuam potestatem, succedens loco prioris, etsi 8

non in eandem moraliter poteſtatem ſuccedat, verumtamen ſuccedit in idem munus regendi & gubernandi talem ſubditum : nec non in eandem poteſtatem ſiue moraliter,ſiue æquiualenter,ſiue virtualiter & poteſtatiuè. Quod ſic declaro. Maritus ſubſequens eandem poteſtatem moraliter habet cum priori, cui ſuccedit, cum idem ſit vtriuſque munus,lex & obligatio circa vxorem. Cur enim patris, ac tutoris ei ſuccedentis, ac Domini emẽtis ſeruum à priori Domino, eadem eſt poteſtas moraliter, & non vtriuſque mariti erga eandem vxorem ? Si autem maritus ſuccedat patri aut tutori in eandem poteſtatem æquiualenter,imo & virtualiter ſiue poteſtatiuè ſuccedit ; quia poteſtas mariti extenditur in irritandis votis ad totum quod poteſt pater & tutor,& ad aliquid amplius : ſicut etiam Prælatus circa religioſum plus poteſt, quàm pater circa filium, & quàm tutor circa clientulum;vt *ſupra* notatum relinquimus. Sed pater, ſiue tutor vota perſonalia puellæ impuberis,& realia ante 25.annos emiſſa, prior quoque maritus quæuis vota eiuſdem puellæ nuptæ emiſſa ſine eius licentia poterat perfectè irritare, ita vt amplius minimè reuiuiſcerent : ergo eadem poteſt vir ſubſequens in ſecundo matrimonio perfectè irritare, ita vt amplius non reuiuiſcant. Patet conſequentia, quia ſuccedit in eandem poteſtatem ſi non moraliter, ſaltem æquiualenter & virtualiter : & vota illa facta à puella tempore prioris ſubiectionis in ſua radice & origine, inuoluunt dependentiam à voluntate ſuperioris,& cuiuſcumque ſuccedentis in eandem poteſtatem alterutro ex modis aſſignatis.

9 Deinde † ſecunda pars inde ſuadetur, quod aut puella carens patre & tutore,dum vouet,eſt intra eam ætatem, in qua erat capax curatoris aut tutoris, & tunc adhuc vota emiſſa pendent ab illius voluntate ſi ei daretur : ac proinde ſicut tutor, ſi ei daretur, poſſet illius vota perfectè irritare ; ita & vir in cuius venit poteſtatem per matrimonium;& qui vires obtinet curatoris ac tutoris ; vt ipſemet Sanchez fatetur *ibidem n.5.*non ſatis memor eius,quod dixerat *n.* 3.dum modo (ait ille) fœmina cum nubit ſit intra illam ætatem,in qua poterat habere tutorem,qui eius vota poſſet perfectè irritare. Secus ſi iam illam ætatem excedat. V. g. nubit fœmina poſt annos pubertatis,quando iam eſt ſui iuris quoad vota perſonalia, aut poſt annum 25.quando eſt ſui iuris quoad vota realia, tunc nec illa nec iſta poterit vir irritare, ſicut nec poterat tutor ; cuius poteſtas non datur in actiones perſonales pupilli iam puberis,neque in actiones reales,pupilli attingentis 25. annum. Verùm ſic diſtinguendum eſſe puto. Aut puella poſt pubertatem ratificauit votum perſonale, aut non: & ſimiliter aut conſtituta in anno 25. ratificauit votum reale, aut non,antequam nuberet : aut illa ratificauit poſtquam nupſit, inconſulto viro. In primo caſu poteſt illa vota maritus perfectè dirimere, ſicut poterat pater, ſiue tutor ; quia ſuccedit in eandem poteſtatem & gerit illorum vices. Secus in ſecundo, quia neque in illo poterant ea vota irritari à parente aut à tutore. In tertio autem etiam poteſt vir illa perfectè dirimere ; quia illorum ratificatio facta durante matrimonio æquiualet noui voti emiſſioni, durante matrimonio & ſine viri licentia, quod proinde à viro perfectè irritari poteſt. Quæ doctrina amplius confirmatur ex eo,quod tranſacta ætas pubertatis vel 25. annorum, non obſtat quominus tutor ſiue curator datus poſt huiuſmodi terminos, poſſit dirimere vota perſonalia impuberis & realia emiſſa à pubere ante 25. annum, niſi fuerint ratificata: ergo neque obſtabit, quominus maritus poſſit eadem irritare. Patet conſequentia,nam maritus gerit vices eorum,& poteſt idem,quod illi, tantò magis,quantò ſubiectio vxoris ad virum eſt ſtrictior,quàm filij puberis ad patrem,& pupilli ad curatorem.

Secunda concluſio ſit ; † reliqua vota per- 10
ſonalia emiſſa à puella poſt annos pubertatis, poteſt maritus irritare ſecundum quid, ſiue ſuſpendere,quæ proinde ſoluto matrimonio reuiuiſcent ; exceptis votis Religionis,caſtitatis, & de neceſſariis ad ſalutem,vt de non mentiendo, de non furando, &c. Hæc concluſio ſtatuitur aduerſus duas ſententias extremè oppoſitas, quas refert & refutat Sanchez *lib. 9. citato,diſput.39. quæſt.*4.alteram quidem aſſerentem,nulla vota emiſſa ab vxore quæ erat ſui iuris ante matrimonium, poſſe à ſequenti marito irritari, aut ſuſpendi propter tria. Tum quia huiuſmodi vota ſunt facta omnino independenter à marito, vtpote cui nondum erat mulier ſubiecta, tempore quo vota emiſit. Tum etiam quoniam obligatio illa voti iam erat Deo acquiſita : iuri autem acquiſito Deo non poteſt vir derogare, ſicut nec iuri acquiſito homini:ergo. Tum denique quia aliàs mulier adſtricta huiuſmodi votis rea eſſet mortalis culpæ, iniens matrimonium aduertens illud fore ſibi impedimentum, ne vota adimpleat : ſicut lethaliter peccaret admittens aliud impedimentum ; vel ſicut peccat mortaliter nubendo cum voto Religionis, aut caſtitatis. Alteram verò adſtruentem ea vota poſſe à viro perfectè irritari, ita vt non reuiuiſcant : quam ſequitur Vega *tomo 2. ſummæ. cap.* 129. *caſu* 20. ducitúrque ex eo, quod obligatio ſemel extincta non reuiuiſcit. Sed noſtra concluſio eſt communiter recepta,à Doctoribus,quos plena manu congerit Sanchez *quæſt.4.citata & quæſt.5.eiuſdem diſputationis* 39. *num.* 39. habétque duas partes probandas : nimirum quod maritus poſſit dicta vota vxoris emiſſa antè matrimonium irritare ſecundum quid,ſiue ſuſpendere;& quod nequeat ea perfectè irritare. Igitur prima pars probatur : nam aliqua vota vxoris facta ante matrimonium cùm eſſet ſui iuris,hoc eſt ſi erat vidua,aut carebat patre aut curatore,poſſe à marito impediri & ſuſpendi, certum eſt : tum ex ſententia Parentis Auguſtini *quæſt.56. in Numeros*,relata à Gratiano *in cap. Noluit* 33.*quæſt.* 5.ibi. *Si adhuc innuptæ conceſſerat pater vota perſoluere, ſi antequam perſoluerit nupſerit, & viro eius hoc non placuerit,non perſoluat,& hoc omnino ſine peccato.* Tum etiam ratione ; quia quamuis actus ille liber, quo mulier ante matrimonium vouit, non ſit ſubiectus marito,vtpote iam præteritus, tamen materia voti eſt illi ſubiecta ſicut & perſona, cum omnibus ſuis actionibus perſonalibus. Vnde & poteſt vir pro omni tempore occupare vxorem, itavt ſolutionem talium votorum ei impediat, v. gr. vouerat vxor ante matrimoniũ recitare ſingulis diebus calculos Diuæ Virginis, aut ieiunare ſingulis Sabbathis ; poteſt

maritus

maritus illi occupationes incompatibiles cum huiusmodi deuotionibus iniungere, ne eas queat exequi: qua ratione probat Angelicus Doctor 2. 2. *quæst.* 88. *art.* 8. *ad* 3. nulla Religiosi vota esse firma, absque Prælati consensu.

11 Meritò autem † excipienda diximus vota Castitatis, Religionis, & de necessariis ad salutem: quia hæc nec quoad actum, nec quoad materiam sunt marito subiecta, si post annos pubertatis fuerint ab vxore emissa, ob rationem assignatam superius *notabili* 3. ob quam etiam excipienda sunt vota realia emissa ante matrimonium ab vxore post annos 25. in quo statu iam est sui iuris quoad suarum rerum dispositionem: V.gr. vouerat in eo statu vxor dare Xenodochio pro curandis pauperibus, aut Collegio puellarum pro eis dotandis quingentos aureos, & voto non impleto traditur viro per matrimonij vinculum, non potest vir illud dirimere, aut impedire; quoniam de hoc voto iudicandum est, sicut de aliis debitis realibus cum aliquo homine contractis; vt si alicui homini deberet pretium vineæ vel domus à se emptæ, vel donatiuum ex spontanea donatione, aut promissione oblatum: horum enim solutionem minimè potest maritus impedire, si tamen adsit facultas ea soluendi. Sed neque oportet maritum nondum consummasse matrimonium, vt ea vota possit irritare perfectè, aut suspendere quæ irritabilia non sunt perfectè. Cuius ratio est, quia maritus illa irritat aut suspendit, non quatenus fit vna caro cum vxore, sed quatenus succedit in eandem potestatem patris, aut tutoris, vel prioris mariti, à cuius voluntate talia vota dependebant, & quatenus gerit vices illorum. Atqui vir per matrimonium initum siue ratum dumtaxat succedit in eorum potestatem: ergo. Minor patet, quia statim ac matrimonium est initum, acquirit dominatiuam potestatem supra voluntatem ac corpus vxoris, & res, ac personales actiones illius, præterquam quod ad eam obligandam vt ei reddat debitum intra bimestre: huiusmodi autem votorum siue perfecta irritatio, siue suspensio, procedit ex dominatiua potestate viri supra vxoris vouentis voluntatem, aut supra voti materiam, aut supra vtramque: ergo, &c.

12 Hinc patebit † solutio ad argumenta contraria. Ad illud enim quo ducebatur prior opinio contra nostram primam conclusionem; respondetur, aut negando maiorem pro secunda parte, aut negando minorem: secundus enim maritus succedit in eandem moraliter potestatem prioris. Ad aliud verò cui nitebatur secunda opinio, patet ex dictis, illum Authorem in huius articuli enodatione, nec clarè processisse, nec sibi satis constantem fuisse. Ad illa autem quibus nitebatur prima sententia aduersans secundæ conclusioni, respondetur. Ad primum quidem dicito, illa vota fuisse emissa independenter à marito, quoad voluntatem vxoris vouentis, sed non quoad materiam votorum, nam hæc venit per matrimonium in subiectionem mariti. Ad secundum dices, quod illa obligatio erat acquisita Deo non absolutè, sed dependenter à voluntate Superioris cui erat vxor subiecta, quando vouit, aut cui debebat esse subiecta, atque etiam dependenter à succedente in eandem potestatem formaliter aut æquiualenter. Vel admissa maiori, negabis minorem; mitius enim cum Deo, quàm cum homine est agendum. Vnde iuri sic acquisito Deo potest maritus, & quiuis Superior habens dominatiuam potestatem derogare, quia succedit loco Dei, & gerit vices illius: Sed non potest derogare iuri acquisito alteri homini, quia non succedit loco illius. Neque enim maritus succedit loco creditoris, cui fœmina debitor est. Vel tandem dicito etiam iuri acquisito alteri homini posse maritum derogare, prout derogat, quando irritat promissiones reales quibus fœmina post annos pubertatis ante 25. annũ se adstrinxerat. Ad tertium nego consequentiam, quia vota religionis & castitatis directè opponuntur matrimonio, illúdque excludunt, & obligant vouentem ab illo ineundo abstinere: & ideo coniux innocens altero ex hiis votis ligatus, non potest licitè reconciliari adultero, sed lethaliter peccabit huiusmodi impedimentum horum votorum obseruationi apponens, vt notat Sanchez *lib. 9. de debito coniugali, disp. 6. n.* 14. *& disp. 39. n. 8. & n.* 41. Cæterum aliis votis ligata fœmina iniens matrimonium, aut post diuortium reconciliata viro, etiam aduertens id fore sibi impedimentum, ne vota expleat, vtpote quæ irritabuntur à marito, neutiquam peccaret ex hoc capite, quia hæc vota non aduersantur matrimonio, neque illud excludunt. Vnde durum esset propter illa implenda, obligare coniugem ad vitam cælibem, quæ in talibus votis non includitur: cum neque etiam vouens castitatem teneatur ante matrimonij consummationem ingredi religionem, propter multò grauiorem difficultatem superuenientem ipsi.

Ad fundamentum denique secundæ opinionis, respondetur, verum esse obligationem semel extinctam non reuiuiscere, vt habetur *lege Cum in causa, Cod. de remiss. pignor.* Cæterum negamus obligationem votorum quæ mulier emisit ante matrimonium, quando erat sui iuris, irritatorum à marito, extinctam fuisse: diximus namque suspensam dumtaxat esse. Vnde huiusmodi vota soluto matrimonio suas vires recuperabunt, & ad sui impletionem deinceps obligabunt fœminam. V.g. si vouerat singulis diebus recitare rosarium Beatæ Virginis, soluto matrimonio tenebitur fœmina, non omissa rosaria repetere, quæ fuerunt onus diei, quod proinde transacto die non licet repetere: sed pro singulis sequentibus diebus post solutum matrimonium singula rosaria recitare tenebitur.

QVÆSTIO VI.

Vtrum matrimonium inter Catholicam & hæreticum initum, validum, ac licitum sit?

SVMMARIVM.

1 *Carolus Princeps Angliæ postulat Mariam Hispaniæ Infantem in vxorem.*

2 *Matrimonia fidelium cum infidelibus sunt iure humano ac diuino illicita & prohibita.*

3 *Peccatum Salomonis damnatur in nubendo cum mulieribus idololatris.*

4 *Referuntur quatuor regulariter damna, quæ ex huiusmodi matrimoniis sequi solent.*

5 *Doctores ac Patres Ecclesiæ huiusmodi matrimonia abhorrent tanquam nociua, periculosa & omni iure prohibita.*

6 *Eadem assertio vlterius probatur.*

7 *Matrimonium Infantæ cum Principe de Vvales neutiquã potest iustificari etiam supposita Summi Pontificis dispensatione, nisi cum certis de præsenti conditionibus, cum quibus talis dispensatio fuit concessa.*

8 *Cui resolutioni iudicio aliquorum Doctorum; duo quæ referuntur testimonia, possunt obstare.*

9 *Probatur nullum ex his testimoniis aut exemplis obstare assertioni adductæ, ad eorum singula sigillatim respondendo.*

10 *Ad exempla legis Euangelicæ respondetur.*

11 *Probatur ab experientia, huiusmodi matrimonium, à dictis damnis & periculis nullo modo vindicari, nisi Serenissimus Princeps Angliæ ad fidem Christi puram prius conuertatur.*

12 *Idem probatur ex conditione hæresis, quam Paulus in cancere designauit.*

13 *Hæresis maius odium concitat aduersus Catholicos quàm aliud genus infidelitatis.*

14 *Idem probatur discurrendo per singula media, quibus securitas huiusce matrimonij potest fulciri.*

15 *Resoluuntur duo dubia, quæ Theologia obiicit circa Sacramentum matrimonij, ab vtraque parte, tam Infantæ Hispaniæ quàm Principis Angliæ consideranda.*

1 VIc quæstioni occasionem dedit Serenissimus † Carolus Princeps Angliæ, postulans Mariam Serenissimam Hispaniæ Infantem in vxorem. Pro quo matrimonio iustificando, obtenta dispensatione à Summo Pontifice Vrbano VIII. Catholicus Rex quadraginta Iurisperitos, ac Theologiæ professores Matritum asciuit; qui post lõgas cõcertationes, tale dedimus responsum, tribus assertionibus contentum.

2 Prima assertio est, quod † matrimonia fidelium cum infidelibus cuiuslibet generis aut speciei infidelitatis, sunt iure humano ciuili, & Ecclesiastico, ac diuino illicita & prohibita. Quæ suadetur Primò ex legibus, humana, Ecclesiastica, & diuina, quæ huiusmodi prohibent matrimonia; nimirum leges Ciuiles ea prohibent, *Cod. de Iudæis leg. ne quis Christianam*: & *Cod. Theodosiano lib. 3. tit. 14. cap. 16. cap. 67. can. 14. & can. 61. Caue*; *& non oportet 28. quæst. 1.* Diuinum verò colligitur ex multis testimoniis Sacræ scripturæ: vt ex illo Apostoli præcepto 1. *ad Corint. 7.* quo præcipit fœminis Catholicis, vt tantum nubant *in Domino*, ideſt, circa communem Patrum expositionem, vt tantùm nubant cum viris eiusdem professionis Christianæ: & 2. *ad Corinth. 6.* nolite iugum ducere cum infidelibus, ideſt, matrimonij; quia nullum est consortium iustitiæ cum iniquitate, nullaque conuentio lucis cum tenebris: vbi aut determinatè prohibet iugum matrimonij, vt vult D. Hieronymus *in Epistola ad Ieruntiam*: & *lib. 1. contra Iouiniam*: aut prohibet secundùm reliquos Patres videlicet Ambrosium, Anselmum, Teophilactum, & Rufinum in genere omnem communicationem ac familiaritatem cum infidelibus, eo quod periculosa valde sit fidelibus. Circa quam expositionem eò magis manet prohibita ab Apostolo communicatio matrimonialis, quòd ista est magis intima & perpetua: in eodémque sensu Apostolus prohibuit *in Epistola ad Titum cap. 3.* communicationem cum hæretico, monens ipsum hæreticum hominem post vnam & secundam correctionem deuitare. Et Ioannes Euangelista *in 2. Canonica* addit, loquens de hæretico. *Nolite recipere eum in domum, nec aue ei dixeritis*, ne scilicet eius malitiæ consortes efficiamur. Vnde si adeò periculosa est breuis & transiens cum hæretico communicatio, quæ non durat vltra id temporis, quo vna visitatio, salutatio, aut prandium durat: quantò amplius erit periculosa illa quæ perpetuò durat cum vinculo matrimonij? Huius autem damni ac periculi radicem designauit Paulus 2. *ad Timot. 2.* in qualitate Canceris infectiua, cui comparat hæresim dicens. *Et sermo eorum vt cancer serpit*: quoniam non minus noceret animæ nubere mulierem Catholicam cum homine hæretico, quàm corpori nubere cum homine cancerato. Et scribens *ad Galatas cap. 5.* designauit eam in fermento, dum ait: *modicum fermentum totam massam corrumpit*, vt Hieronymus *in eiusdem loci commentario* interpretatur: & merito, nam quemadmodum modicum fermentum magnam massæ quantitatem corrumpit: ita vnus hæreticus sufficit sua conuersatione totam prouinciam, totúmve regnum inficere. Vnus enim Arius totam Alexandriam: vnus Eutyches totam Ægyptum, vnus Lutherus totam Germaniam, & vnus Caluinus Angliam totam infecit, sicut vna ouis infecta infecit omne pecus vnius gregis. Imo & Spiritus Sanctus in hæresi conditionẽ picis inuenit, dum *Ecclesiast. 14.* inquit; *qui tetigerit picem inquinabitur ab ea.* Nam sicut nemo picem tangit manibus, quin eas nigredine tingat, ita nemo cum hæresi communicat aut conuersatur, quin eius eroribus inficiatur.

Hocque fuit † peccatum Salomonis, quod 3
Sacra Regum historia damnat 3. *Regum 11.* in nubendo cum mulieribus Idololatris, Moabitis scilicet, Amonitis, Sidonitis, & Idumeis contra legem Dei prohibentem; de quibus prædixerat ipse Dominus filiis Israël, quod certissimè auerterent corda ipsorum. *Rex autem Salomon* (ait textus sacer) *adamauit mulieres alienigenas multas, filiam quoque Pharaonis & Moabitidas, &c. de gentibus super quibus dixit Dominus. Non ingrediemini ad eas, &c. certissimè enim auertent corda vestra, vt sequamini Deos earum.* Ratio autem motiua huius diuinæ legis fuit, ne filij Israël proximo ac manifesto periculo se exponerent idololatrandi: quod Salomon in proprio capite expertus fuit; siquidem hæ mulieres gentiles quas adamauit, & in vxores duxit, eum de sapiente stultum, de Sancto, idololatram reddiderunt. Et quoniam eidem periculo obnoxij nascuntur filij huiusmodi ac similium matrimoniorum in sui educatione, propterea Deus illud signauit pro motiuo istius legis, quia *in Deuteron. cap. 7.* prohibuit Israëlitis ne cum infidelibus nuberent: dicens, *quia seducet filium tuum ne sequatur me, & vt magis seruiat Diis alienis.* Ex his Sacræ paginæ testimoniis,

relinquitur

relinquitur manifestè probatum, nedum humano & Ecclesiastico iure, verùm etiam diuino teneri personam Catholicam ad non ineundum matrimonium cum hæretica, ob proximum & probabile periculum cui se exponit, aut amittendi fidem, aut educandi sine illa filios talis matrimonij.

4 Secundò probatur assertio ex † damnis quæ regulariter imminent huiusmodi matrimoniis, & ex illis sequi solent; quorum regularis contingentia fuit motiuum & causa finalis legum recensitarum, vtpote quæ respiciunt eos fines, qui regulariter, & vt in pluribus contingunt. Huiusmodi autem damna sunt quatuor: duo quidem expressa in Sacra Scriptura in locis supra citatis; nimirum peruersio coniugis Catholici, & peruersa prolis educatio: ex quibus duò alia nascuntur quæ designauit Cardinalis Bellarminius *tom. 2. libro de matrimonio cap. 23.* traducendo ea ex Tertulliano *libro 2. ad vxorem*; nimirum, turbatio pacis domesticæ orta ex vtriusque coniugis religionis disparitate; nec non difficultas quam patitur Catholicus in operando virtutis opera, & Christianam religionem profitendo ex praua infidelis coniugis societate: nam ex duobus coniugatis disparis cultus, quorum scilicet vnus est Catholicus, & alter hæreticus siue Iudæus; cum quanta facilitate ille ad falsam istius religionem reduci solet, cum tanta difficultate perseuerat iste in obseruantia veræ quam profitetur: quod si in illa perseueret, præsto sunt dissentiones filiæ proculdubio disparitatis cultus in cordibus eorum, ad quorum vnionem ac concordiam tanquam ad finem suapte natura matrimonij vinculum ordinatur, in qua veluti in imagine amore plenam vnionem Christi cum Ecclesia Sponsa repræsentat: vt Paulus *ad Ephesios 5.* allegoricans antiquam matrimonij institutionem, inter primos coniugatos Adamum scilicet & Euam, explicuit illud: *Erunt duo in carne vna. Ego autem* (ait ille) *dico in Christo & in Ecclesia*; quam repræsentationem matrimonialis contractus in lege Euangelica ad Sacramentalem transiuit, & sanctificans illam Christus Dominus in nuptiis quæ in ciuitate Canaam Galileæ celebrabantur, vt refertur *Ioann. 2.* miraculosè aquam in vinum conuertit; denotans secundùm Augustini mentem, quod proportionabiliter & secundùm analogiam, idem in coniugatis matrimoniale vinculum esset operaturum, quod ibi effecit miraculum: nam sicut ibi istud aquam frigidam in vinum transmutauit, ita illud ex duobus cordibus antea tepidis ac dissociatis facit vnum per affectum. Et quoniam damna ista quæ imminent Catholico coniugi ac proli ex huiusmodi matrimoniis, sunt contraria istius matrimonialis contractus fini ac naturæ, contingentia quoque horum damnorum est regularis: propterea opus fuit huiusmodi matrimonia legibus humana ciuili, Ecclesiastica, ac diuina prohiberi.

Tertiò suadetur assertio ex communi con-
5 sensu † Doctorum ac Patrum Ecclesiæ, qui huiusmodi matrimonia abhorrent tanquam nociua, periculosa & omni iure prohibita, vtentes verbis grauioribus, vt explicent pericula quibus obnoxia, & damna quibus exposita sunt. Cyprianus namque *sermone de lapsis* ait, quod mulieres Catholicæ dum nubunt viris infidelibus, meretrices idolorum efficiuntur, quæ erant membra Christi per fidem. Et *libro 1. epistola 3. ad Cornel.* subdit alludens ad Apostoli superius adductam comparationem, ab hæreticorum conuersatione veluti à cancro esse fugiendum, *& sermonem eorum velut cancrum & pestem vitare*: & quod nubere fideles cum infidelibus, est adulterari templa Christi cum Idolis: *& templum Christi idolis prostituunt*, dixit Hieronymus *libro 1. contra Iouinian.* Quibus consonat Leo Papa *in sermone contra Eutychetem cap. 3.* & Ambrosius *libro de Abraham cap. 9.* dum nos exhortantur vt societatem hæreticorum tanquam mortiferum venenum vitemus. *Tanquam venenum mortiferum fugite, execramini, declinate, &c.* Quam ob causam Ioannes Euangelista, vt referunt Nicephorus *libro 4. histor. cap. 14.* & Irenæus Martyr *libro 3. cap. 3.* Ephesi ingrediens balneum, in quo inuenit Cherintum Hæresiarcham se lauantem, illico pedem retraxit à limine dicens; *Fugiamus hinc ne balneum ruat in quo Cherintus se lauat*: Hoc facto protestans, quod grauius sit damnum quod animæ infert societas vnius hæretici sub vno tecto, quàm vtilitas saluti corporis ex aqua balnei inferenda. Pro omniúmque coronide videndus est Augustinus *libro de Fide & operibus cap. 19.* qui motus authoritate Cypriani concludit dicens: *Omni modo conandum est, ne fiant tales coniunctiones, quid enim opus est in tantum discrimen ambiguitatis caput mittere?* Ac si diceret: etsi aliquando dubius & anceps fui, an prohibitio matrimonij fidelis cum hæretico esset de iure diuino, iam certus sum tales conniunctiones omnino damnabiles esse, & ideo vitandas, ob periculum quibus sunt obnoxiæ. Vnde iam à temporibus Diui Augustini, sententia affirmans huiusmodi matrimonia esse iure diuino prohibita & illi contraria, sit indubitatè tenenda: eò quòd communis Patrum Ecclesiæ & Catholicorum interpretum super testimoniis Sacræ Scripturæ præallegatis, & vniformis Theologorum doctrina cum Magistro & Diui Thoma *in 4. disput. 34. & in additionibus ad 3. part. quæst. 59. articulo 2. & 3.* hanc difficultatem planam omnino reliquit.

Quartò † probatur: nam esto contingant 6
aliqua matrimonia fidelium cum infidelibus, quæ neque cum affectu hæc damna inferant, neque probabili periculo ea inferendi sint obnoxia, quæ proinde suppositio sit ea à Sedis Apostolicæ dispensatione esse licita & iusta: siquidem in illis neque militat prohibitio iuris diuini, neque alia iuris humani Ecclesiastici, supra quam cadit Sedis Apostolicæ dispensatio. Verumtamen certa res est, quod quando huiuscemodi matrimonia periculo euidenti aut probabili inferendi omnia damna, aut aliquod ex recensitis sunt illicita & mala intrinsecè, vtpote prohibita nedum diuino positiuo, sed etiam naturali iure; quale

eſt illud quo Deus prohibet actiones humanas intrinſecè malas, vt mendacium, periurium, furtum, & adulterium, in quibus proinde nulla poteſt cadere diſpenſatio, eo quod periculum ipſum imminens reddit illa ex obiecto & ſuapte natura vitioſa. Tum quia hominem ſe exponere periculo primo, & probabili peccandi, de ſe eſt peccatum mortale aut veniale, circa qualitatem peccati cui ſe exponit; nam qui amat periculum peribit in illo, dicitur *Eccleſiaſt.* 3. Tum etiam quia tale periculum huiuſmodi damnorum, eo eſt naturæ matrimonij contrarium, quatenus eſt vinculum, vnio, & ſocietas indiſſolubilis: eius verò finis, imitatio Chriſti, ſignificatio amoris eius, pax, conformitas domeſtica & procreatio cum congrua educatione filiorum; quo eiuſdem naturæ ac fini eſt debita prudens quædam ſecuritas illorum impeditiua aut præſeruatiua: ac per conſequens dum matrimonium huic probabili periculo manet obnoxium, eſt adeò intrinſecè malum, vt ob nullum finem queat honeſtari: quemadmodum neque ob conuerſionem totius mundi poteſt quis mendacium proferre, contra communem Theologorum regulam aſſerentem, quod non ſunt facienda mala vt inde eueniant bona: neque per vllam diſpenſationem poteſt reddi licitum. Sicut licet Summus Pontifex mecum diſpenſaret in vtendo cibis carnium tempore quadrageſimæ, ſi talis cibus eſſet meæ ſaluti corporali nociuus ſecundum ſapientum Medicorum æſtimationem, non defineret eſſe peccaminoſus mihi vſus talis cibi, eo quod eſt intrinſecè malum ſumere cibum nociuum ſaluti corporali, in quo proinde vt ſic non poteſt cadere humana diſpenſatio.

7 Secunda aſſertio eſt: † matrimonium Sereniſſimæ Infantæ Mariæ cum Sereniſſimo Principe de Vuales, neutiquam poteſt iuſtificari, aut reddi licitum, etiam ſuppoſita Summi Pontificis diſpenſatione, niſi de præſenti reddantur certæ ac ſecuræ conditiones, cum quibus talis diſpenſatio fuerit conceſſa. Hæc aſſertio præterquam quod ſequitur ex prima, probatur: nam cum hac ſecuritate & non aliter manebit hoc matrimonium ab omnibus periculis recenſitis perfidiæ, quoad perſonam Sereniſſimæ Infantæ & eius filiorum liberum & purificatum, dúmque manſerit obnoxium alicui ex dictis periculis naturæ aut fini matrimonij contrariis, eſt intrinſecè malum: ita vt durante probabilitate periculi neutiquam poſſit iuſtificari, licet per ſuperuenientem Summi Pontificis diſpenſationem poſſit iuri humano Eccleſiaſtico non contrauenire, vtpote cuius prohibitio ceſſat per talem diſpenſationem: ergo. Quæ ratio amplius declaratur in hunc modum. Certum eſt, quod vt huiuſmodi matrimonium contrahi iuſtè ac licitè poſſit, operæ pretium eſt reddere certas conditiones, cum quibus Sedes Apoſtolica in illo diſpenſauit, eo genere ſecuritatis ac certitudinis, vt moraliter ac prudentialiter iudicari non poſſit quod oppoſitum continget. Prima autem illarum eſt, quod Sereniſſimus Carolus Princeps Vuales, nunquam Sereniſſimam Infantam Mariam ad ſuam falſam religionem inducet. Secunda quod liberam ei relinquet facultatem educandi filios huius matrimonij in Catholica Chriſti religione, eo pacto quod hoc matrimonium non maneat ſubiectum probabili periculo inferendi aliquod ex his damnis, aut deficiendi ei aliquam ex dictis conditionibus: propterea quod iſta moralis certitudo ac ſecuritas eſt ita debita contractui matrimoniali & eius fini, quantò oppoſita damna illi contrariantur: ergo vt hoc matrimonium licitum ac ſine offenſa Dei iniri poſſit, certæ adeò debent manere dictæ conditiones, vt nullus prudentialiter de oppoſito euentu dubitare poſſit.

Huic † reſolutioni poſſunt iudicio aliquorum Theologorum obſtare duo teſtimonia: alterum Pauli 1. *ad Corinth.* 7. dum ait; *Si quis frater vxorem habet infidelem, & hæc conſentit habitare cum illo non dimittat illam: & ſi qua mulier fidelis, &c. Sanctificatus eſt enim vir infidelis per mulierem fidelem, &c. vnde enim ſcis mulier, ſi virum ſaluum facies, &c.* Alterum eſt D. Petri 1. *Canonicæ* 3. dum inquit: *Similiter & mulieres ſubditæ ſint viris ſuis, vt & ſi qui non credunt verbo per mulierum conuerſationem ſine verbo lucrifiant, &c.* Obſtare quoque videntur nonnulla exempla quorundam matrimoniorum, quæ cum inita fuiſſent inter homines Catholicos cum mulieribus infidelibus, aut econtra; nihilominus approbantur in Sacra Scriptura & hiſtoriis humanis tanquam licita & iuſta: v. g. in lege naturæ Iacob Catholicus nupſit laudabiliter duabus filiabus Laban Idololatræ: Ioſeph in Ægypto nupſit filiæ Potipharis Gentilis & Idololatræ: Moyſes quoque filiam Ietro Æthiopiſſam & Gentilem duxit in vxorem. In lege ſcripta Eſther Sancta nupſit Aſſuero Idololatræ Regi Perſarum; Salomon quoque initio ſui Regni antequam ab amicitia Dei decederet, nupſit filiæ Pharaonis Regis Ægypti. Ac tandem in lege Euangelica S. Monica mater Auguſtini habuit maritum infidelem. Cloſildis Regina Catholica nupſit Clodoueo Regi Francorum Arrianæ Sectæ profeſſori, cuius etiam ſuaſione Rex ipſe cum tota Prouincia fidem Chriſti ſuſcepit. Beata Cæcilia nupſit Valeriano infideli, quem ante matrimonij conſummationem ad fidem Catholicam reduxit: circa ſenſum litteralem, in quo D. Thom. illa verba Pauli recenſita, *Sanctificatus eſt vir infidelis per mulierem fidelem*, interpretatur: & Theodelinda Catholica nupſit Agilulfo Duci Turini, & Regi Longobardorum Arrianæ perfidiæ ſectatori, quem etiam cum tota Longobardorum prouincia ad fidem Catholicam reduxit: ob quorum felicem conuerſionem, ei Gregorius Papa Librum Dialogorum quem tunc temporis conſcribebat, dicauit. In prouinciis quoque Galliæ, Bohemiæ, Poloniæ, Germaniæ & aliis, in quibus ſeruatur libertas conſcientiæ, quotidie fideles ineunt matrimonium cum hæreticis, ſciente & conſentiente Summo Pontifice, eo quod iudicat huiuſmodi matrimonia nullo periculo eſſe obnoxia; & aliàs valde conueniētia ad pacis, fœderis, & boni publici conſeruationē in illis regnis, in quibus libertas iſta conſcientiæ hos fines in commercio, & conuerſatione, & communicatione fidelium cum Hæreticis conſequi ſolet: quæ

8

tamen

tamen si intrinsecè essent mala & iure diuino naturali prohibita, neutiquam sic probarentur, aut permitterentur: ergo.

9 Verumtamen † nullum ex his testimoniis aut exemplis obstat nostræ secundæ assertioni: non quidem primum testimonium Pauli; quia procul dubio loquitur, teste D. Thom. de illis qui post celebratas nuptias adhuc seruant disparem religionem: aut quia cum ambo essent infideles ante nuptias, vnus postea conuertitur ad fidem altero in sua infidelitate permanente: aut quoniam cùm ambo ante initum matrimonium essent fideles, alter eorum postea à fide recessit; & hoc in casu iste potest se habere vno ex tribus modis. Aut enim renuit cohabitare cum coniuge Catholico nisi scandalum præbens ei blasphemando nomen Christi, & ei suadens suam falsam sententiam: aut vult cohabitare cum illo, præbendo proximam & probabilem spem suæ conuersionis: aut vult cohabitare cum eo permanens pertinax in sua falsa religione, abstinens tamen ab scandalis & à persuasione. Et quidem in primo statu tenetur Catholicus se separare à socio non Catholico; potéstque ad secundas nuptias cum persona suæ religionis licitè transire: nam priuilegium Christi irritas reddit priores nuptias: quod quidem priuilegium Apostolus *in cap. præallegato* declarauit, dicens: *quod si infidelis discedit, discedat: non enim seruituti subiectus est frater vel soror in huiusmodi.* Idémque quantum ad separationem seruandum est in tertio statu: nam licet sola pertinacia non annullet primum matrimonium, obligat tamen Catholicum ad relinquendam cohabitationem cum coniuge infideli pertinaci. Secus autem in secundo statu in quo potius habet locum consilium Pauli, & etiam D. Petri: & habuit locum vsque ad tempora Concilij Toletani IV. quod ob experientiam minoris constantiæ in Catholicis, & maioris pertinaciæ in infidelibus prohibuit illorum cum istis cohabitationem, & licet de solis Iudæis loquutum fuerit dictum Concilium *Canone 61.* iam tamen Ecclesia illud decretum ad quoscumque infideles extendit, provt refertur *Canone Iudæi 28. quæst. 1.* Ex quo manet responsum ad secundum testimonium atque ad exempla legis naturalis & Scripturæ, præter alias varias, ac curiosas solutiones à Cardinali Bellarminio *vbi supra*, assignatas. Dico insuper in illis matrimoniis specialem Dei dispensationem interuenisse, qui tanquam superior omnibus legibus potuit in illis dispensare, & vt omnipotens pericula præcauere, quibus talia matrimonia de lege ordinaria erant obnoxia: Præterquam quod cùm plana esset securitas, & certa spes conuersionis infidelis in lege naturæ, potuerunt optimè celebrari coniugia Iacobi, Ioseph, & Moysis cum mulieribus idololatris, quarum conuersiones habuerunt prius moralem certitudinem, quin eis leges positiuæ humanæ obstarent, quæ tunc nondum extabant. Neque sub hac regula comprehenditur matrimonium primum Salomonis, quod videtur Sacra Scriptura damnare, dum illud permixtum recenset inter alia quæ cum Moabitis, Ammonitis & Sidonitis contraxit contra legem Dei prohibentem: licet noster Ludouicus de Soto Maior *prolog. 2. in Cantica*, illum à peccato excuset ob specialem Dei dispensationem, quam creditur habuisse ad tale coniugium cum filia Pharaonis Regis Ægypti ineundum, initio sui Regni: eò quòd tunc erat dilectus à Deo & amabilis illi, ac proinde non est credendum contra diuinam legem coniugium illud contraxisse, licet in aliis subsequentibus nullam habeat excusationem, eò quòd iam à gratia & amicitia Dei deciderat.

Ad † exempla autem legis Euangelicæ de- 10
ueniens: Dico ad primum de Sancta Monica à Luthero *in libro de captiuitate Babilonis, cap. de matrimonio*, & Philippo Melanthon *titulo de coniugio*, relatum ad probandum esse licitum ac validum in omni iure tam diuino quàm Ecclesiastico, coniugium inter infideles & fideles contractum: idémque argumentum possent sumere ab aliis exemplis recensitis, si ipsis offerrentur. Verumtamen neque illo, neque aliis eorum intentum efficaciter comprobatur: eò quòd in illis coniugiis aut interuenit summi Pontificis dispensatio, qui prudenter cognouit illa seruatis talibus conditionibus, non manere obnoxia periculo proximo perfidiæ in Catholico contrahente, siue in prole: aut inuincibilis ignorantia consuetudine & vsu Prouinciarum suffulta, à peccato contrahentes excusauit, vt de Sancta Monica Bellarminius affirmat; atque de cæteris id ipsum citra iniuriam partium dici potest. Quantum verò ad coniugia quæ in præsentiarum in prouinciis Poloniæ, Galliæ, & Bohemiæ sunt in vsu inter Catholicos & Hæreticos, dicendum est illa reddi licita ob tacitam & interpretatiuam dispensationem Sedis Apostolicæ, quæ ea à periculo perfidiæ vindicat, ob securitatem quam Catholicis, tum libertas conscientiæ; tum communis cum hæreticis conuersatio sub eisdem legibus politicis ac ciuilibus viuendo concedit Et aliàs cum sit gens mediocris siue plebeia, non tantum habet zelum suæ Religionis. Vnde ex his duntaxat ea approbantur à Theologis tanquam iusta & licita, in quibus Catholicus relinquitur in sua libertate, vt liberè Christianam Religionem profiteatur: vt aduertit Sanchez *libro 7. disput. 27.* Si autem aliqua cum huiusmodi probabili periculo contrahuntur, aut sine debita libertate Catholicorum, puto Summum Pontificem ea approbare, neque in eis dispensare, sed duntaxat ea permittere impunita, omittendo supplicium ob commune pacis bonum: quemadmodum Respublica permittit minora mala ob vitanda maiora.

Tertia assertio est, quod † nullum re- 11
medium videtur sufficiens vindicare hoc matrimonium à dictis damnis & periculis; nisi Sereniſſimus Princeps Angliæ ad fidem Christi puram prius conuertatur. Quæ suadetur primò ab experientia quæ nos de huiusmodi damnis, in similibus coniugiis semper edocuit: nam anno 470. Eudoxia Regina Catholica fuit ob solam causam Christianæ religionis à suo viro Honorio Arriano Vandalorum Rege Africæ expulsa, quousque curiam Regiam euasit, & sub prætex-

tu adimplendi votum visitandi Hierosolymam, eò aufugit, ibique vita functa est, relinquens sine sanguinis effusione suæ fidei præclarum testimonium. Et post aliquot annos imperante Iustiniano, ita docto quod ideas habuerit iurisprudentiæ, ita probo quod obedientiam per suos legatos Summo Pontifici Ioanni II. præstiterit, ad imitationem sui patrui Iustini Imperatoris, qui primus per legatos Pontifici Romano præstitit obedientiam: eum nihilominus ipsius vxor Theodora ad errorem Eutychetis attraxit. Et licet eum postea ab errore ad Catholicam fidem Agapetus I. Papa reuocauit, obiit aliquanto de inconstantia in fide suspectus: neque enim est minus efficax suasio vnius mulieris blanditiis, quàm vnius Regis potentis promissis, minis ac suppliciis: nec non in his nostris temporibus haud minus est damnum per experientiam monstratum in prosecutionibus, quas aliquæ Reginæ Catholicæ ob causã fidei passæ sunt. Regina Catholica Catherina filia nostrorum Catholicorum Regum Ferdinandi & Elisabeth, obiit repudiata ab Henrico VIII. & Maria Stuart Regina Scotiæ mater Serenissimi Iacobi, martyrium pro fide Catholica passa est, consentiente in eius morte ipso eius filio Iacobo suaso à Regina Elisabetha Angliæ, vt sic per mortem matris regni possessionem in sua persona certam redderet: atque in fallaciis quas quotidie plures fœminæ in illis regnis patiuntur, dum è Catholicis Schismaticæ & hæreticæ suasione virorum ob timorem reuerentialem efficiuntur. Secundò
12 probatur † ex conditione hæresis quam Paulus in cancere designauit, cuius proprium est paulatim serpere, & à parua scintilla in magnum incendium prorumpere: quapropter conuenientissimum Symbolum hæreticorum, ait Nazianzenus *orat. 2. quoniam sermo eorum, sicut ait Paulus, serpit vt cancer, humiliter irrepunt, blandè capiunt, molliter ligant, latenter occidunt, &c.* nullum est vitium quod magis appetat aliis communicari, quàm hæresis, ait August. *lib. de Pastoribus cap. 12.* de qua proinde intelligit hieroglyphicum illud perdicis adductum à Hieremia Propheta, quæ est amica nutriendi seu fouendi alienos pullos: *Perdix congregat quæ non peperit & profouit*, vt habetur in vulgata: & *lib. 2. q. Euangelicarum q. 40.* super illud verbum, *Steterunt à longè*, ait; hæresim conuenienter per lepram significari: quia non minus facilè animas inficit, quàm ista partes corporis. Quam ob causam leprosi illi Euangelij steterunt à longe: & *Leuit. 13.* iussit Deus leprosum extra castra spacio septem dierum commorari. Quod periculum maximè Paulus *2. ad Corinth. 11.* in fœminis inuenit ob minorem intellectus vigorem, ac maiorem animi facilitatem; dicens: *Timeo autem ne sicut serpens Euam seduxit, ita corrumpantur sensus vestri, & excidant à simplicitate quæ est in Christo Iesu.* Consonat Chrysost. *orat. 2.* vbi ait. *Nobis Dei gratia fundatis, imbecilliores aranearum telis videntur, &c.* Econtra verò in iuuenibus ac minus expertis, minúsque in Sacra Scriptura versatis: in his, inquam, timeo communicationem cum hæreticis tantò, quantò in aliis, nimirum, versatis, &c. illam contemno, vtpote quibus hæretici imbecilliores aranearum telis videntur: sicut enim his sunt veluti telæ aranearum, illis sunt veluti funes Dalilæ seu Philistinorum, quibus Samson mansit victus ac ligatus.

Tertiò probatur ex eo, quod † maius odium 13
concitat hæresis aduersus Catholicos, quàm aliud genus infidelitatis: cuius veritatis euidens signum est, quod primi qui Romanam ciuitatem armis sunt ingressi, & templum Apostolorum Petri & Pauli prophanauerunt, non Iudæi, non Gentiles, aut Pagani fuere, sed hæretici Arriani, quorũ dux fuit Alaricus primus Gothorum Rex in prima Romæ inuasione. Secundam verò exequutus est Athaulfus Alarici successor: & tertiam Gensericus Rex Vandalorum Arrianæ quoque perfidiæ sectator: cui licet obuiam ei factus fuerit Leo I. Papa, vt ipsum ab incepto itinere amoueret, perficere non potuit; quod tamen paulò ante perfecetat cum Asila Hunnorum Rege idololatra & gentili, quem Sanctus Pontifex prope Mantuam suasit, ne animum Romanam ciuitatem & eius templa diruendi, executioni mandaret: potuitque perficere cum gentili quod cum hæretico nequiuit. Hoc exemplo experta Sedes Apostolorum Petri & Pauli maius odium, quod contra se & suam religionem hæretici, quàm Pagani exercent.

Quartò probatur † discurrendo per omnia 14
ac singula media, quibus securitas huiusce matrimonij fulciri potest, quæ ad hæc quatuor reducuntur. Primum est promissio ipsius Principis Vuales ac Serenissimi Regis Iacobi parentis eius iuramento confirmata, aut homagio, nunquam suadendi Serenissimæ Infantæ Mariæ suam religionem, atque permittendi ei vt liberè cum tota familia, Catholicam profiteatur. Secundum est retentio dotis per aliquod tempus vsque ad conditionum promissarum impletionem. Tertium est traditio obsidum Regi Hispano. Quartum est tolerantia legum Christianarum, siue libertas conscientiæ generalis in toto Angliæ Regno, Scotiæ & Irlandiæ, nedum permissiua sed positiua, edita & obseruata ante discessum Serenissimæ Infantæ Mariæ è regnis Hispaniæ. Sed nullum ex his mediis videtur sufficiens ad vindicandum hoc matrimonium à periculis quibus proximè est obnoxium: ergo. Minor quod non, primum patet; quia promissio homagio aut iuramento confirmata secundùm iudicium ac opinionem ipsorum Angliæ Principum, nec conueniens nec licita est: non conueniens, quoniam conseruationi status ipsorum contrariatur; nec non legibus ac capitulis in comitiis regni constitutis, circa quæ habetur pro crimine læsæ maiestatis, supremam potestatem tam in spiritualibus quàm in temporalibus Serenissimo Regi Angliæ denegare: atque etiam non abiurare Christianismum & religionem Catholicam quæ exhibet Pontifici Romano obedientiam tanquam supremo capiti Ecclesiæ, maximè in spiritualibus, vt constat ex comitiis primo & quinto anno Reginæ Elisabet celebratis. Neque est licita: quia protestantes Angliæ etiam iudicant esse illicitam disparitatem religionis inter coniuges: quam ob causam vxores Catholicas ad suam sectam reducere conantur. Quod si non obtineant eas repudiant, & ita vt tam in repudiando illas, quàm in decipiendo omnes

quos

quos vocant Papistas, materiam virtutis inueniunt. Vnde cum talis promissio & iuramentum sit in opinione ipsorum de re illicita, eis nequaquam adstrictos se putabunt. Neque secundum; quoniam dos quantumuis ingens sit, & quantitatem duorum auri millionum adæquet, nequit esse tanti emolumenti Serenissimo Angliæ Regi, quanti ipse æstimat pacificam sui Regni possessionem & conseruationem; quam rebus vt nunc & iuxta dicta Comitiarum capitula sibi promittit in vniformi suæ religionis protestatione, & in attribuendo sibi supremam Ecclesiasticam potestatem, quam Pontifici denegat Romano. Neque videtur sufficiens tertium; quoniam Serenissimus Rex Iacobus non habet infantes quos in obsides mittat Hispaniam, & quicumque alij sunt longè inferiores eis, quos debita huius matrimonij securitas postulat. Neque tandem Quartum videtur sufficiens: tum ob inconstantiam Politicorum siue Atheistarum illius regni, à quorum professione non esse alienum Serenissimum Regem satis notum est: hi autem profitentur sequi illam Religionem, quæ eis pro tempore magis commoda fuerit, ac per consequens qua facilitate promulgauerit dictam legum tolerantiam siue libertatis conscientiam, eodem illam abrogabit cum tanto maiori damno Catholicorum, quanto cum illa manebunt minus occulti, & magis indefensi: eisque continget quod Sacra Scriptura 4. *Regum* 10. Sacerdotibus Baal narrat contigisse, quos Rex Iehu regio decreto iussit ad templum Baal venire, illicque Idolo sacrificia libare, fingens se eidem cultui, ac religioni affectum; & postquam eos sub hac vana spe in templo congregatos inuenit, iugulare fecit. Tum etiam quoniam libertas conscientiæ quantumuis stabiliatur & promulgetur, non tollit Principi Serenissimo Wales libertatem suadendi Dominæ Infantæ, postquam eam in suo regno habuerit suam falsam Religionem, atque suos filios in illa educandi, maximè primogenitum & regni hæredem: quo enim pacto credendum est, quod ille non volet ab vxore & filio primogenito sibi attribui supremam potestatem in spiritualibus & temporalibus, quam ille sibi arrogat, & vult in sua corona perpetuò conseruari? Verum fateor, hoc medium libertatis conscientiæ fore præ omnibus aliis magis vtile & conueniens, ac fortè sufficiens hoc matrimonium à turpitudine vindicare, dummodo cum duabus conditionibus executioni mandetur: nimirum & quod prius per aliquod tempus stabiliatur in cunctis Regnis illius coronæ, ita vt prudenter iudicetur eam esse firmiter & non fictè stabilitam: nec non quod antecedenter accipiatur sufficiens securitas de educanda prole in fide Catholica, quandiu ipse Serenissimus Princeps Wales eam non susceperit: media autem inueniendi hanc securitatem Consiliariis Regiis status ac belli consilij relinquo.

15 Sed adhuc † dubium bimembre Theologia nostra obiicit: nimirum quo pacto Serenissima Infanta poterit ministrare rite Sacramentum matrimonij (quandoquidem suppono ex communiori Theologorum sententia, in hoc Sacramento contrahentes ipsos esse eius ministros) notoriè indigno & existenti in peccato mortali? Rursus quomodo Serenissimus Princeps Vvales poterit contrahere matrimonium Sacramentale, siquidem nec credit matrimonium esse Sacramentum, nec habet intentionem faciendi quod facit Ecclesia Romana? Huic obiectioni quoad primam partem potest fieri satis, si probabiliter dicamus, vnumquemque contrahentem esse quidem ministrum huius Sacramenti, non respectu alterius, sed respectu sui, ac proinde sic Serenissimam Infantam à piaculo sacrilegij vindicari; quia non Principi Vvales hæresis macula infecto, sed sibi hoc Sacramentum ministrat. Quoad secundam verò partem dici potest; quod ipse Serenissimus Princeps habeat intentionem faciendi, quod facit vera Ecclesia Christiana: hæc enim sola generalis intentio, quam determinat intentio Ministri, quæ sit aut vbi sit ista vera Ecclesia Christi, sufficit ad valorem Sacramentorum; vt tenet communis Theologorum schola cum Magistro *in* 4. *d.* 6. & D Thoma 3. *p. q.* 64. *art.* 10. nec maior aut magis expressa intentio colligitur ex Conciliis Florentino in decreto Eugenij, ac Tridentino *sess.* 7. *canone* 11. Iníque conditionibus appositis & seruatis posset dictum matrimonium rite celebrari & non aliàs; sícque diffinitum fuit à maiori parte Senatus Patrum conuocatorum celebrandum fore ratum dumtaxat, dilata consummatione vsque ad conditionum appositarum impletionem: Quam videns Serenissimus Princeps aut impossibilem, aut valde difficilem, matrimonium ratum respuit, & liber sicut venerat licet per aliam viam reuersus est in regionem suam. Qui paulo post Regni ditione per obitum parentis potitus, Serenissimam Galliæ Infantem sororem Christianissimi Regis Ludouci XIII. duxit in vxorem: neque sine spe concepta, quod hoc matrimoniũ sit in magnum prouentum Regni Anglicani, & Catholicæ religionis profuturum, quam Deus Optimus Maximus in cuius manu sunt corda Regum, ad euentum feliciter vtinam perducat.

QVÆSTIO VII.

Selecta.

An nobilis promittens & iurans ac vouens puellæ æqualiter aut fere æqualiter nobili se illam in vxorem ducturum, intra sex menses, dum quædam Ecclesiastica beneficia & pensiones componit, sub pœna soluendi eidem puellæ in dotem decem millia ducata argentea, teneatur ad nuptias celebrandas, vel ad pœnam soluendam, possítque interim dicta beneficia Ecclesiastica possidere & alia de nouo acceptare?

SVMMARIVM.

1 *Proponitur facti contingentia.*
2 *Ex cuius facti specie tres insurgunt difficultates.*
3 *Ad quorum primam respondetur, tria vincula in hoc contractu interuenisse.*
4 *Refertur Caietani opinio circa quæstionem,*

vtrum votum de nubendo ſit verum votum & obligans?

5 *Refertur eiuſdem reſponſio circa obiectionem, nullum ſcilicet culpabile eſſe materiam voti.*

6 *Probabilior eſt ſententia negans matrimonium eſſe idoneam materiam voti relatum ad vitandam fornicationem, ac proinde votum de nubendo nullam inducere obligationem.*

7 *Reſpondetur ad rationes adductas pro ſententia Caietani.*

8 *Reſpondetur ad ſecundam difficultatem, dicendo Franciſcum tranſactis ſex menſibus abſque nuptiis, teneri naturali & ciuili obligatione taxatam argenti quantitatem perſoluere.*

9 *Examinatur Tertia difficultas, ad eiúſque tam priorem quàm poſteriorem partem reſpondetur.*

10 *Quibus prælibatis noua inſurgit dubitatio à nouo ſtatu circa dicta ſponſalia orto, cauſata.*

VT huic quæſtioni exactè ſatis faciam, ope- 1
ræ pretium eſt † facti contigentiam & caſum mihi conſultum exponere. Franciſcus iuuenis ac nobilis ſub parentis Magnatis cura conſtitutus, quædam beneficia Eccleſiaſtica ac penſiones poſſidens, Mariam puellam Virginem, ſub parentum quoque cura conſtitutam, æqualis aut fere æqualis nobilitatis adamauit, eiuſque viſu & amplexibus vt frueretur, dedit ei ſchedulam ſcriptam & proprio nomine coram Notario & teſtibus firmatam, in qua promiſit, iurauit, & vouit ſe illam in vxorem ducturum; quod ſi à tali iuramento & voto recederet, illius relaxationem aut diſpenſationem petendo, ſolueret ei in dotem decem millia ducata argenteæ monetæ, terminúſque huius obligationis eſſet tempus ſex menſium, quo peracto teneretur, aut dictam puellam ducere, aut taxatam pecuniam ſoluere: quem terminum ſibi reſeruauit, vt intra illud poſſet de beneficiis diſponere, ac penſiones ceſſare ſeu vendere, aut cum Sede Apoſtolica componere permutando illas in penſiones laicales, quæ vulgo dicuntur *Caualleratos*; provt ſibi liberius ac magis expediens viſum fuiſſet. Quam promiſſionem & ipſa Maria puella acceptauit, & proprio
2 etiam nomine ſubſcripſit. Ex hac facti ſpecie † tres provt in titulo ſubnotatur, difficultates inſurgunt. Prima, quam obligationem ex vi dictæ promiſſionis, iuramenti ac voti Franciſcus incurrit. Secunda, vtrum tranſactis ſex menſibus abſque nuptiis, tenetur Franciſcus taxatam pecuniam ſoluere Mariæ, cuius nec Virginitatem tetigit, nec honorem læſit? Tertia vtrum interim poſſit Franciſcus ſuis beneficiis ac penſionibus Eccleſiaſticis tuta conſcientia frui, & alia de nouo à Patruo Archiepiſcopo acceptare? Quibus eodem ordine eſt reſpondendum.

3 Ad † primam igitur reſpondeo, tria vincula in hoc contractu interueniſſe, ſcilicet promiſſionem, iuramentum & votum; ex quibus votum, quia cadit ſupra matrimonium contrahendum nullam parit obligationem, eo quod matrimonium non eſt apta materia voti, quod cùm ſit promiſſio de meliori bono, teſte D. Thoma 22. *q.* 88. *art.* 2. hoc eſt non impeditiuo maioris boni, vt communiter ibi Theologi interpretantur, excepto Caietano, & per matrimonij vinculum impediatur aſſumptio ſtatus religionis, qui eſt maius bonum; propterea votum de nubendo inualidum eſt, ac proinde nullam inducit obligationem. Dixi, *excepto Caietano*, in dicti *articuli* 2. *commentario* §. *Circa bona quæ non ſunt præcepta*, huic quæſtioni, videlicet; † Vtrum votum de nubendo ſit verum votum, 4
& obligans? reſpondens ait, quod votum de nubendo poteſt fieri dupliciter. Primò abſolutè, & ſic non valet, quia eſt votum de declinando de ſtatu continentium ad ſtatum coniugatorum, quæ declinatio licet ſit licita, verumtamen eſt minus grata Deo, cui fit promiſſio votiua, quàm perſeuerantia in ſtatu continentium, in quo manet vouens. Eſt enim promiſſio de declinando à meliori, de Deo autem ſcriptum eſt, quod mouet ad diſponendum aſcenſiones in corde hominis quem adiuuat. Secundò poteſt tale votum fieri propter fornicationem vitandam & in remedium concupiſcentiæ, ad quam homo cognoſcit ſe labilem, & ſic huiuſmodi votum eſſe validum patet, tum quia ſic eſt promiſſio de meliori bono; melius enim eſt teſte Paulo nubere, quàm vri: tum etiam quia votum de re indifferenti ſecundum ſe, differenti verò quoad cautelam à malo, obligat, v. g. licet ire in domum Petri ſecundùm ſe ſit actus indifferens, ac proinde non ſit materia voti; tamen ſi meum ire in eam domum eſt mihi in ſcandalum propter frequentem abuſum ludi, aut occurſum alicuius fœminæ; tunc non ire in domum illam relatum ad ſecuritatem animæ meæ eſt de genere expedientium, ac per conſequens bonorum conſultorum à Domino, iuxta illud; *ſi manus tua ſcandalizat te, abſcinde eam, &c.* ac proinde efficitur materia voti, taléque votum validum & obligatorium eſt: ergo à fortiori votum de bono vt relato in remedium periculorum carnis, quale eſt matrimonium, valebit.

Dices, † nullum culpabile eſſe materiam 5
voti: At matrimonium relatum ad vitandam fornicationem propriam, continet culpam venialem ratione ſuperfluitatis, teſte D. Thoma *in* 4. *d.* 31. ergo, &c. Reſpondet Caietanus negando minorem: quia matrimonium etſi abſolutè conſideratum ſuperfluitatem fornicationis videatur includere; ſiquidem tribuit poteſtatem viro ſupra propriam vxorem & indiuiduam cum illa ſocietatem, tamen comparatiuè loquendo, hoc eſt reſpectu humanæ naturæ ſic infirmæ vt eſt, & ſpecialiter reſpectu illius qui carnis crebris tentationibus quatitur, nullam in tali remedio ſuperfluitatem inueniemus. Nam ſi in carne præter carnem viuere Angelicum eſt potius, quàm humanum; conſequens eſt, quod regulariter loquendo ſuperare ac domare carnis concupiſcentias ſub perpetua continentia, Angelicum quoque ſit & heroicæ virtutis, non humanæ: ac per hoc humana ratione vtendo, ſapientis viri, qui non poteſt ſe continere, eſt, vti tali remedio: ergo votum nubendi ab impotente ſe continere, propter humanam fragilitatem eſt validum. Vnum namque ex quatuor bonis matrimonij eſt, quod ſit remedium concupiſcentiæ; eſt enim officium naturæ, eſt contractus, eſt remedium, & eſt Sacramentum. Denique ſubdit Caietanus, quia quidquid detrimenti

actualis

actualis rationis in vſu matrimonij continget, recompenſatur non ſolùm ex bono euaſionis tot periculorum, ſed etiam ex quiete multò maiori paſſionum concupiſcentiæ, vt experientia teſtatur, ac proinde vt ſic, eſt melius bonum, magíſque placens Deo. Hæc eſt opinio Caietani ſatis probabilis.

6 Verùm communior & † probabilior eſt oppoſita, negans matrimonium eſſe idoneam materiam voti relatum ad vitandam fornicationem, ac proinde votum de nubendo non eſſe validum, nullámque inducere obligationem; eò quòd materia voti debet eſſe melius bonum, taliter, quod non ſit maioris boni ac magis grati Deo impeditiuum & excluſiuum. Atqui matrimonium de ſe impedit ingreſſum religionis, quæ eſt ſtatus perfectior & magis Deo placens: ergo non eſt materia voti. Neque eſt ſimile de Iuramento; nam licet votum non minus ſed magis obliget quàm iuramentum, teſte D. Thoma *quæſt.* 89. *art.* 8. ſed diuerſimodè: nam votum fit ſoli Deo, & ideo illi obligat. Iuramentum verò obligat homini, cui præſtatur; vnde iurans nuptias, tenetur ad illas, ſicut iurans quemcumque alium contractum, tenetur illum ſeruare; ſecus autem vouens matrimonium, eo quod Deo cui fit votum, minus grata eſt promiſſio matrimonij, quàm perſeuerantia in ſtatu continentiæ: homini autem cui præſtatur iuramentum matrimonij, magis grata eſt hæc promiſſio, ac per conſequens debita obſeruatio promiſſi, quàm recedere à promiſſo.

7 Ex hiis facili negotio reſpondetur ad rationes adductas pro ſententia Caietani. Ad primam namque nego antecedens: non enim matrimonium eſt melius bonum ſimpliciter, quia neque eſt in genere bonorum ſupererogationis, quæ propriè ſunt materia voti, teſte D. Thoma *in eo art.* 2. Neque à Paulo dicitur quod nubere ſit melius bonum comparatum ad aliud bonum, ſed tantùm comparatum ad malum, quod eſt vri paſſionibus carnalibus. Ad ſecundam admiſſo antecedenti nego conſequentiam; quia actus ille indifferens prout relatus ad vitandum ſcandalum, eſt melius bonum, quod mihi non impedit aliud maius, neque illud excludit; v. g. non eſt excluſiuus ſtatus perpetuæ continentiæ aut religionis, cuius tamen excluſiuus eſt ſtatus matrimonij. Ad tertiam negatur conſequentia; licet enim fiat illa recompenſatio detrimenti actualis rationis per matrimonium, ſed non fit recompenſatio maioris boni quod per illud excluditur, & impeditur. Ad replicam autem ſumptam ex authoritate Sancti Doctoris ex 4. *ſententiarum*, admittimus & probamus Caietani ſolutionem: nam ſi vera eſſet illa littera vt ſonat, nedum vouere matrimonium eſſet inualidum, ſed etiam illud contrahere ob fornicationem vitandam eſſet illicitum; quia quod inuoluit culpã venialem, neq; voueri, neque fieri poteſt: quod tamẽ dicere nefas eſt, ſicut nefas eſſet condẽnare multorũ timoratæ conſcientiæ hominum facta, qui ob ſecuritatem conſcientiæ, & concupiſcentiæ mala vitanda, vxores laudabiliter ducunt. Igitur ex voti vinculo in noſtro contractu futurarum nuptiarum promiſſorio, nulla ſecundum probabiliorem opinionem orta fuit obligatio: bene autem ex aliis duobus, ſcilicet promiſſionis, & Iuramenti. Promiſſionis quidem, quia licet ſimplex promiſſio tantùm obliget ex fidelitate, acceptata verò & vtrinque ſubſcripta tranſit in contractum & ſtipulationem, quæ proinde induit obligationem iuſtitiæ nedum naturalem, ſed etiam ciuilem, quæ poteſt peti coram Iudice: Iuramenti verò, quia vt modò dicebamus opinionem Caietani referendo, ſicut iurans quemcumque contractum rerum tenetur ad illum exequendum ob ſanctitatem iuramenti, ita & iurans contractum perſonarum, qualis eſt matrimonium, tenetur eum implere ob ſanctitatem iuramenti & reuerentiam nominis diuini. Et licet iuramenta promiſſoria ſicut & vota (exceptis tribus illis Papæ reſeruatis, ſcilicet Religionis, Caſtitatis, & Vltramarini) poſſint per Bullam Cruciatam, & quandoque per alia Iubilea relaxari aut diſpenſari; verùm cum iſtius relaxatio vergat in damnum tertij ſcilicet Mariæ, nequit obtineri niſi ſatisfacta parte. Satisfaciet autem Franciſcus exactè, ſi aut Mariæ nubat, aut tranſactis ſex menſibus pro termino nuptiarum conſignatis, ei decem millia ducata argenteæ monetæ perſoluat. Ex quo iam patet aditus ad ſecundam difficultatem ſoluendam.

Ad † quam reſpondeo, Franciſcum tranſactis ſex menſibus currentibus à die ſubſcriptionis ſchedulæ, abſque nuptiis, teneri naturali & ciuili obligatione taxatam argenti quantitatem perſoluere; naturali quidem, quia ad eam perſoluendam ſe & ſua bona voluntariè obligauit, promiſſione, verbo & ſcripto; & verba ligant homines, ſicut taurorum cornua funes, quam promiſſionem & iuramento vallauit, ad quam proinde tenetur etiam ante Iudicis ſententiam: Ciuili verò, quia ex vi inſtrumenti ſubſcripti coram Notario & teſtibus poteſt coram Iudice competente agi contra Franciſcum, & per ſententiam ad dictæ quantitatis ſolutionem poteſt ac debet compelli à Iudice, cuius iudicio ſe voluntariè per legale inſtrumentum ſubiecit. Neque poteſt dictam obligationem ſubterfugere, ex eo quod non eſt honoris Mariæ debitor, quia ad eam non acceſſit carnaliter. Nam ſi illam carnaliter cognoſceret, eſſet pluribus titulis enodatus, ſcilicet titulo læſi honoris, & clauſtri pudoris rupti ſub ſpe promiſſarum nuptiarum nunquam executioni mandatarum, in quo inuoluitur fraus & deceptio: atque etiam titulo iuſtitiæ ex promiſſione, & titulo religionis ex iure iurando procedente. Et cum iſti tituli ſint diſtincti ac ſeparabiles ab inuicem, vt palam eſt (Delrius *lib.* 3. *magicarum diſquiſit. p.* 1. *quæſt.* 7. *ſect.* 1. refert ex Ioanne Cæſario *lib.* 11. exemplum virginis in Saxonia; quæ corpore & animà à diabolo fuit correpta, quia promiſſionem nuptiarum violauit cuidam iuueni, & imprecationem additam contempſit;) non ſequitur quod ſublato primo reliqui non ſuperſint. Tenetur ergo Franciſcus non titulo clauſtri pudoris violati cum deceptione, ſed aliis duobus, ſcilicet promiſſionis acceptatæ, & iuriſ. iurandi in confirmationem adiecti. Quid ſi per Franciſcum non ſtetit, quominus nuptias promiſſas celebraret, neque de præſenti habeat facultatem conſignatam pœnam ſoluendi, quia ſuorum bonorum adhuc adminiſtrationem non exercet? Reſpondeo ſtultum 8

fuiſſe

fuiſſe in promittendo, quod humano modo implere non poterat : niſi ingenti periculo ac dãno ſe exponendo. Ex quo licet maneat corã Deo liber à nuptiis contrahẽdis, ſed nõ à pœna luẽda pecuniaria, cuius ſolutioni manebit obnoxius, vſquedum ad pinguiorem fortunam perueniat, id eſt ad liberam ſuorum bonorum adminiſtrationem, ſiquidem ſuorum beneficiorum verè dominus eſt, quorum proinde liberam adminiſtrationem, aut repetere abſolutè poteſt, niſi ob reuerentiam ſui parentis vſque ad eius obitum velit eam differre, & tunc tenebitur Mariæ dictam quantitatem ſoluere ; aut à Maria indulgentiam ſecundum totum, vel ſaltem ſecundum partem obtineat. Neque huic reſolutioni obſtat *cap. Gemma de ſponſalibus*, vbi decernitur pecuniam in ſponſalibus adiectam non eſſe ſoluendam, quia opponitur matrimonij libertati : intellige tamen per modum pœnæ, bene tamen ſolui poteſt ac debet per modum dotis.

9 Ad † tertiam reſpondeo quoad priorem partem, poſſe quidem Franciſcum toto tempore, quo non celebrat nuptias, beneficia Eccleſiaſtica ſimplicia & penſiones retinere, quæ ordinem ſacrum non petunt, dummodo habeat animum adimplendi functiones, quas talia beneficia expoſcunt, nimirum portandi habitum Clericalem, ſoluendi penſum horarum, & ſeruitium Eccleſiæ debitum impendendi per ſe vel per miniſtrum à ſe deputatum. Ratio huius eſt, quod ad retinendum huius generis beneficia hoc ſufficit, & nihil amplius requiritur ; provt alibi ex profeſſo docemus. Neque enim requiritur, intentio aſſumendi Sacerdotium intra annum, ſicut in beneficiis curatis requiritur : neque intentio aſſumendi ordinem ſacrum annexum præbendæ, v. gr. Canoniæ, vel dignitari Eccleſiæ Cathedralis infra tempus à Concilio Tridentino conſignatum ; quia ſupponimus Franciſcum ſolis beneficiis purè ſimplicibus, vt præſtimoniis & ſimilibus ac penſionibus ornatum eſſe, quibus nullus Sacer ordo eſt annexus. Aut ſi aliqua Canonia vel præbenda potitur, exigente Ordinem ſacrum, eſt diſpenſatus in ea lege quoad temporis terminum, neque requiritur intentio perſeuerandi in Clericatu, quia nulla lege Eccleſiaſtica id cauetur, imo neque talis intentio cùm ſit actus pure internus, poſſet ſub Eccleſiæ legibus cadere : ergo optimè poterit Franciſcus ſua beneficia & penſiones retinere cum intentione deſcendendi à Clericatu.

Quoad poſteriorem verò partem reſpondeo, in rigore & ſimpliciter poſſe alia de nouo beneficia ſimplicia atque pẽſiones acceptare, cum intentione functiones pro eis requiſitas de iure adimplendi, quandiu nuptias non celebrat : poſſe, inquam, validè, & abſque obligatione reſtituendi reditus Eccleſiæ vel pauperibus. Cuius ratio eſt, quod quicumque prima tonſura nedum ordinibus minoribus initiatus, ante nuptias aptus eſt huiuſmodi beneficia & penſiones obtinere, quibus & ſatisfacit habitum Clericalem inducendo, & penſum horarum recitando : talis & Franciſcus in præſenti ſtatu, neque per defectum intentionis perſeuerandi in Clericatu fit inhabilis : alioquin ingens eſſet multitudo Clericorum & Studentium, iniuſtè & inualidè Eccleſiaſtica beneficia, præſtimonia & penſiones poſſidentium, ac non facientium fructus ſuos, quia pauciſſimi ex Equitibus, & collegis Iuriſprudentiam profitentibus, qui non habeant intentionem nubendi ; quod tamen ſcandalum non eſt admittendum, in moralibúſque argumentum ab inconuenienti non parui momenti eſt : ergo Franciſcus dummodo habeat intentionem adimplendi dictas functiones, ante nuptias poteſt validè noua beneficia acceptare, ac fructus eorum ſuos facere. Vtrum autem etiam licitè & abſque culpa ? maiorem gerit difficultatem, videtúrque mihi verior eum culpam quandam perpetrare infidelitatis contra datam promiſſionem, & erga Eccleſiam. Nam dum Franciſcus de nouo acceptat beneficia, magis elongatur à promiſſione futurarum nuptiarum & eius impletione, magíſque ad illam impotens, aut ſaltem difficilior redditur ; facilius enim à duobus beneficiis, v. gr. obtentis, quàm à duobus obtentis & tribus de nouo obtinendis expedietur, vt promiſſas celebret nuptias. Quod amplius confirmo, à ſimili ſumpto ex irregularitate, quam Clericus incurrit poſt obtentum beneficium, aut ante illud obtentum. Si primo modo, non priuatur beneficio ipſo facto, ante Iudicis ſententiam, bene autem ſecundo modo, id eſt reddit Clericum inhabilem ad quemcumque beneficium Eccleſiaſticum obtinendum : ergo ſimiliter licet intentio laicandi non impediat, neque tollat poſſeſſionem beneficiorum obtentorum, aliqualem tamẽ ponit obicem ad alia obtinenda in eo, qui cum huiuſmodi intentione de nouo beneficium acceptat. Rurſus arguitur ab alio ſimili, ſcilicet illius qui poſt factam proteſtationem de non præſtando conſenſum matrimonio, quod in foro tantùm externo vult contrahere, vt mulieris ſic deceptæ amplexibus fruatur, poſtea quando actualiter contrahit cum illa, præſumitur ab Eccleſia factam proteſtationem retractare & ab illa recedere, ita vt Iudex Eccleſiaſticus eum per ſententiam ad ratificandum matrimonium, & cohabitandum cum vxore compellat : igitur pariter qui poſt firmatam intentionem laicandi in nuptiis promiſſis ac iuratis, aliquod de nouo beneficium Eccleſiaſticum recipit, præſumitur à dicta intentione receſſiſſe & eam retractaſſe, ac proinde iam à propoſito adimplendi promiſſionem deficere ; quod aliquale genus infidelitatis eſt, vltra ſcandalum quod habentibus notitiam dedata fide generari poteſt. Quod ſi coram Deo & à parte rei, beneficium recipit perſeuerans in ea intentione laicandi & propoſito celebrandi promiſſas nuptias, maioris infidelitatis labe fædari videtur erga Eccleſiam, quam quodammodo in ſponſam accipit, cum intentione eam relinquendi, ſiue illam carnali ſponſæ poſtponendi.

Hiis † ita prælibatis iuxta facti ſpeciem, no- 10
ua inſurrexit dubitatio, quia nouum quoque ſtatum dicta ſponſalia ſuſceperunt, eò quòd dictus Franciſcus vult à contractu ſponſalium reſilire, & illum reſcindere in vtroque foro. Quapropter inquiſiuit à nobis, qua via id poſſet obtinere tuta conſcientia, placuítque eius inquiſitionem ad formam huius dubitationis communis reducere. Cuius reſolutio aliis quoque ſimilibus caſibus & frequenter euenientibus deſeruiet.

QVÆSTIO

QVÆSTIO VIII.

An sponsalia ista & similia inter impares contracta sint nulla & rescindentia?

SVMMARIVM.

1 *Referuntur quinque media siue tituli, quibus nullitas aut rescisio aliquorum sponsalium potest intentari.*

2 *Fictus promissor licet non teneatur ducere in vxorem fœminam deceptam, vi promissionis aut sponsalium, bene tamen ratione damni illati, fraudis & doli.*

3 *Promissio ficta non constituit vera sponsalia, neque illa sic contracta habent vim obligandi in vi sponsalium.*

4 *Ficta promissio etiamsi iuramento firmetur, non tenent sponsalia in vi promissionis, dummodo iurans adiicit similiter animum non se obligandi.*

5 *Obiicitur pro contraria sententia authoritas Caietani, Soti, & aliorum, triplici fundamento innixa.*

6 *Respondetur obiectionibus, à quibus corollarium Authoris facili negotio vindicatur.*

7 *Assertio Authoris est communiter recepta, suadetúrque duplici argumento.*

8 *Referuntur varij casus, qui ab obligatione nubendi excusant, sed non ab obligatione reparandi damnum fœminæ illatum.*

9 *Probatur dupliciter, Nauarrum non adstruere sententiæ Sanchez circa casum de ficto promissore. &c.*

10 *Fictus promissor deflorator Virginis, duo damna infert, infamiæ scilicet & iniuriæ.*

11 *Refertur duplex titulus ex quo per se tenetur fictus promissor matrimonij promissionem implere.*

12 *Lex iustitiæ commutatiuæ obligat restituere tantundem & idem, quando in propria specie reddi potest.*

13 *Sola disparitas qualitatis quando est cognita, non est sufficiens rescindere sponsalia vero animo contracta.*

14 *Referuntur tres obiectiones aduersantis opinionis.*

15 *A quibus obiectionibus facilè vindicatur assertio, ad earum singulas respondendo.*

16 *Examinatur tertius titulus, videlicet conditio aut pœna sponsalibus appositæ, pro cuius declaratione duo notanda præmittuntur.*

17 *Quædam difficultates hinc ortæ resoluuntur.*

18 *Iniustè resiliens ab sponsalibus compellendus est à Iudice, si prius monitus noluerit fidem seruare.*

19 *Recipiens pœnam adiectam sponsalibus minimè tenetur ad restitutionem, donec iuridicè exactus ad restitutionem illius condemnetur.*

20 *Promissio pretij facta mulieri pro vsu corporis sui, de se non est mala, nisi solùm ex circunstantia intrinsecus adiuncta.*

21 *Alia est ratio promittentis cum iuramento soluere pecuniam amisso ludo ad creditum, alia promittentis soluere pœnam sponsalibus adiunctam.*

22 *Iuramentum adiicitur promissioni triplicì modo.*

23 *Iuramentum soluendi pecuniam amissam in ludo ad creditum, est primi generis, obligátque & firmat contractum.*

24 *Monstratur differentia huiusmodi iuramenti, ad illud quod mutuatarius præstat soluendi vsuras mutuanti.*

25 *Adiectio pœnæ in contractu sponsalium etsi peccaminosa sit, neutiquam tamen tollit obligationem implendi promissionem iuramento firmatam futurarum nuptiarum.*

26 *Quando probabiliter timetur ex sponsalium impletione scandalum, damnum graue, &c. in neutro foro obligant sponsalia, etiamsi sub ea spe sequuta fuerit Virginis defloratio.*

27 *Cuius conclusionis prima pars suadetur axiomate adducto, virtutem scilicet iustitiæ neutiquam obligare ad actum, qui sine peccato exerceri non potest.*

28 *Secunda pars eadem conuincitur ratione.*

29 *Sponsalia ficto animo contracta, non habent tantam vim obligandi, quantam habent vero animo contracta.*

30 *Sponsalia ficto animo contracta, non obligant in vi promissionis.*

31 *Fœmina quando præbet causam sufficientem rescindendi sponsalia, in neutro foro obligant spondentem.*

32 *Vtrùm vir cum sufficientissimis indiciis ficti consensus ex quibus fœmina facilè præsumit dolum, teneatur deflorans eam sub huiusmodi ficta promissione aliquid restituere?*

33 *Status controuersiæ huius quæstionis pro conclusione resoluitur.*

RESpondeo prænotando, † quinque viis 1
aut mediis siue titulis, posse nullitatem aut rescisionem aliquorum sponsalium intentari: nimirum, aut quia ficto animo contracta fuere ex parte vtriusque contrahentis, vel alterius dumtaxat; aut quia licet vero animo contracta fuerint, est disparitas vnius ad alterum: aut ratione scandali & damni, quod prudenter & probabiliter timetur ex matrimonio inito sequuturum; aut ratione conditionis appositæ & non impletæ, videlicet quia contractus conditionatus fuit, siue pœnalis, sub hac formula: Ego promitto ducere te in vxorem si fueris virgo; aut sub ista: promitto inire tecum matrimonium intra sex menses, quod si non fecero, completo termino sex mensium, soluam tibi mille aureos. In primo casu si fœmina virgo non sit, soluitur contractus per defectum conditionis: & in secundo soluitur obligatio per pœnæ impositæ exhibitionem: aut tandem quia fœmina durante

contractu ſponſalium dedit cauſam ex parte ſua ſufficientem ad illa reſcindenda, vt ſi cum alio fornicata fuerit, aut impudicè vixerit, aut conditiones ab ſpõſo petitas non ſeruauerit, videlicet quia clauſuram & honeſtam conuerſationem, quam ſponſus in conditionem dedùxit, fregerit, vel non continuauerit. Iſtæ ſunt omnes viæ ac tituli à Doctoribus meditatæ, ob quas ſponſalia poſſunt in vtroque foro aut nulla & inualida declarati, aut reſcindenda iudicari. Nunc igitur videndum eſt nobis, qua via aut titulo ex recenſitis poſſint dicta ſponſalia reſcindi & iuridicè annullari, idque præſtabimus per ſingulos titulos diſcurrendo.

2 Et quidem de primo, nimirum fictione; dicendum eſt quod † fictus promiſſor licet non teneatur fœminam deceptam ducere in vxorem in vi promiſſionis & ſponſalium, bene tamen ratione damni illati, fraudis ac doli; vt tenet communis ſententia Doctorum, quam probat Sanchez *lib.1.de ſponſalibus diſp.9.* Cuius prima pars ſuadetur, quia fictus promiſſor dicitur, qui aut non habet animum promittendi, aut ſi illum habet, ſed nullum habet animum ſe obligandi, imo ore tenus profert promiſſionem cum expreſſa intentione non ſe obligandi, quod poteſt contingere dupliciter; ſcilicet aut per negationem actus, id eſt ſi promittens ignorat vim promiſſionis, & quod de natura illius eſt producere obligationem abſque expreſſa intentione ſe obligandi, vel non obligandi; & tunc nullius roboris aut valoris eſt promiſſio. Aut negatiuè ſe habet dum promittit, cognoſcens tamen de natura promiſſionis eſſe obligationem inducere, & tunc obligat promiſſio, vtpote ſuæ naturæ relicta: aut intendens promittere, habet expreſſam intentionem non ſe obligandi, & tunc promiſſio eſt ficta, quia non habet vim obligandi. Atque in hoc caſu procedit prima pars noſtræ aſſertionis, quod talis † promiſſio non 3 conſtituit vera ſponſalia, neque illa hac ficta promiſſione contracta habent vim obligandi in vi ſponſalium. Et probatur ex eo, quod ſponſalia eſſentialiter in promiſſione futurarum nuptiarum conſiſtunt, vnde & à ſpondendo dicta ſunt, quod eſt ſponte promittere, & in ſponſalibus maximè requiratur ſpontanea promiſſio. Sed quando contrahuntur animo ficto modo explicato, non ſaluatur vera promiſſio, neque tenent in vi promiſſionis: ergo neque in vi ſponſalium. Minor patet dupliciter. Tum quia actus agentium non operantur vltra eorum intentionem, *ex lege non omnis, ff. ſi certum petatur*: Cum ergo promiſſio ſit humanus actus & ſpontaneus, non poteſt obligare vltra intentionem promittentis, qui in noſtro caſu nullam habuit intentionem ſe obligandi, ſed potius oppoſitam. Tum etiam quoniam conditio contraria ſubſtantiæ contractus appoſitus ipſum annullat; vt ſi matrimonio apponatur conditio illius ſubſtantiæ contraria, verbi gratia, ſi quis velit contrahere ad tempus, tale matrimonium annullat *ex cap. finali de condition. appoſit.* etiamſi adſint verba & intentio contrahendi: imo etiamſi talis conditio contraria ſola mente contrahentis retineatur. Atqui de ratione intrinſeca promiſſionis & ſponſalium eſt animus ſe obligandi: ergo. Quæ ratio amplius confirmatur, ex eo quod omnis obligatio, aut oritur ex lege, aut ex priuata hominis voluntate volente ſe obligare, qualis eſt illa quæ ex voto, ac promiſſione oritur; ideoque votum & quæuis promiſſio dicitur priuata lex, quam ſibi promittens, ſiue vouens imponit. Atqui nulla lex obligat, niſi legiſlator obligare intendat, & non niſi iuxta legiſlatoris intentionem: ergo cùm in hiis ſponſalibus ficto animo contractis, deſit animus obligandi ſe in altero contrahentium, & adſit potius intentio contraria, nequeunt conſiſtere. Dices, quod in ſponſalibus quæ ex voluntate hominis in fieri dependent, ſemel contractis, iure diuino ac naturali ſequitur obligatio vt conditio inſeparabilis. Reſpondeo ſequitur quidem non abſolutè, niſi mediante hominis contrahentis voluntate: neque enim lex diuina, aut naturalis aliter obligat hominem circa actus ſpontaneos, niſi ſuppoſita voluntate ipſius hominis obligationem ſibi imponentis. Quare hæc ſententia vtpote verior & communior præferenda eſt contrariæ Soti, Petri de Ledeſma, Roderici, & Aragonis.

Imo † etiamſi iuramento firmetur ficta 4 promiſſio, non tenent ſponſalia, in vi promiſſionis, dummodo Iurans adiiciat ſimiliter animum non obligandi. Hoc corollarium ſuſtinetur communiter à Sanchez *diſput.9. citata numer. 9.* & Authoribus eiſdem, videlicet Bonauentura, Richardo, Gabriële, Syluestro, Enriquez, Antonino, Nauarro, Roſella & aliis, quos plena manu *ibidem* congerit. Eſtque expreſſum Sancti Thomæ *in 3. d. 39. quæſt.1. artic.3. quæſtiuncula 3.* dicentis, iuramentum non obligare ex ipſa iuramenti ratione, niſi iuxta iurantis intentionem. Et probatur eadem ratione, qua probauimus promiſſionem ficto animo emiſſam nec veram eſſe promiſſionem, nec vllam parere obligationem, eò quòd iuramentum promiſſorium ſequitur naturam promiſſionis cui annectitur; pariter enim procedit ex ſpontanea hominis voluntate ſibi legem imponentis, neque congrua diſcriminis ratio inter vnius & alterius obligationem valet aſſignari. Rurſus dum iſte fictus promiſſor futurarum nuptiarum iurat ex intentione non ſe obligandi, non deſiſtit ab huiuſmodi voluntate non ſe obligandi: quomodo igitur ſe obligauit quo vult non ſe obligare? Fauet Gregorius *lib.26. Moralium cap.7.* dicens humanas aures talia verba noſtra iudicare, qualia foris ſonant: Deum autem, qualia ex intimis proferuntur, id eſt iuxta cordis intentionem; quæ referuntur *in cap. humanas aures 22. q.5.* Noſtri corollarij phalangi adſcribitur Diana *part. 5. tractatu 14. Miſcellaneo 2. reſolutione 33. & 34.* more ſibi ſolito referendi cum Ochagauia, *tractatu 1. de matrimonio quæſt. 6.*

Verùm † pro Caietano, Soto, Suario & 5 Leſſio, & Præpoſito *3.p. quæſt.9. de ſponſalibus dub.4.* quos citat pro aduerſa ſententia (qui tamen poſſent excepto Præpoſito benignè explicari de iuramento emiſſo excluſo animo obligandi explicito, ſed non implicito) inſurgit tripliciter.

tripliciter. Primò quia à iuramento promiſſorio pariter atque à promiſſione eſt inſeparabilis obligatio, vtpote eius connaturalis proprietas, aut intrinſeca conditio: ergo & ab animo iurandi eſt inſeparabilis animus ſe obligandi. Secundò quod iurans ex ſpeciali ſanctitate iuramenti, tenetur efficere verum id quod iurat, ne in vllo euentu adducat Deum in teſtem falſitatis; ergo dum iureiurando confirmat promiſſionem de ducendo Mariam, v. g. in vxorem, tenetur habere animum adimplendi promiſſum: quæ obligatio, etſi non ſit iuſtitiæ erga Mariam quam decipit fictè promittendo, erit religionis erga Deum, quem adducit in teſtem ſui propoſiti & intentionis. Tertiò quod in iureiurando naſcitur obligatio, non ex intentione obligandi ſicut in contractibus, ſed ex natura operis, ſicut ex damno illato oritur obligatio reſtituendi, & ex facto vnde damnum timetur, oritur obligatio impediendi.

6 A quibus † obiectionibus facili negotio noſtrum corollarium vindicatur. Ad primam namque reſpondeo admittendo antecedens de vero iuramento, ſicut & de vera promiſſione: ſecus autem de iuramento, quod tantùm eſt apparens & ore tenus prolatum. Ad ſecundam admitto antecedens, & pariter conſequens quoad priorem partem. Fateor enim iſtum potius deierare, quàm iurare, quia eius iuramento, vtpote ficto & vacuo deeſt ſubſtantialis veritas; ex quo proinde nulla oritur obligatio, ideſt nec iuſtitiæ, nec religionis. Ad tertiam nego antecedens. Fateor equidem ex iuramento promiſſorio naſci obligationem, quando eſt verè & non fictè prolatum; quod autem tale ſit, dependet ex hominis voluntate illud ex animo ſe obligandi emittente. Sed aduerte quod in neutra opinione conſurgit impedimentum publicæ honeſtatis ex huiuſmodi ſponſalibus, vtpote nullis defectu animi conſenſus.

Deinde ſecunda pars aſſertionis, nimirum quod fictus promiſſor futurarum nuptiarum teneatur per ſe loquendo fœminam cui ſpondet, vxorem ducere, ratione fraudis ac iniuriæ illatæ; & ex alio titulo, videlicet ex lege contractus, ſtatuitur aduerſus ſpecialem opinionem Præpoſiti *in loco nuper citato*, dicentis iſtum fictum promiſſorem per ſe non teneri ad ineundum matrimonium ſecluſo ſcandalo & damno, quod aliter reparari non poſſit; eò quòd non tenetur ratione promiſſionis quæ nulla fuit, neque ratione damni illati, etiam defloratæ virginis, quoniam hoc poteſt compenſari aliter quàm per matrimonium, videlicet pecunia, vt patet in illo, qui vi fœminam cognouit, ſine vlla adhibita promiſſione. Rurſus, quia iuſtitia tantùm obligat ad reddendum æquale pro damno illato ſecundum moralem æſtimationem; ergo in noſtro caſu dumtaxat obligat fictum promiſſorem ad reddendum æquale fœminæ deceptæ, vt moraliter non cenſeatur damnificata. In eandem ſententiam inclinauêre Antoninus *3. p. tit. 1. cap. 19.* Gabriel, & Bartholomeus de Ledeſma, citati à Sanchez *diſp. 10. de ſponſalibus num. 2.*

7 Verùm noſtra † aſſertio eſt communiter recepta à D. Thoma *in 4. d. 38. q. vnica art. 2. ad 4.* Richardo, Paludano, Nauarro *in ſumma cap. 16. num. 18.* Petro de Ledeſma, Salone, Roderico, Enriquez & aliis, quos plena manu congeſſit Sanchez *diſput. citata numer. 3.* & nouiſſimè Diana *in dicto tractatu 14. 5. partis, Miſcellaneo 2. reſolutione 32.* Ochagauia, Vazquio, & Marcerio ab ipſo relatis. Suadetúrque primò, quia iuſtitia commutatiua, non tantùm ad æquale, ſed ad idemmet quod ablatum fuerat reddendum obligat per ſe loquendo: vt ſi equum furatus ſum, nulla pecunia ſatisfaciam, vnum enim pro alio inuito creditore ſolui non poteſt, ex *lege 2. §. Matri, ff. ſi certum petatur.* Secundò, quia ex lege contractus aut iuſtitiæ commutatiuæ, in omnibus contractibus in quibus interuenit do, vt des, facio, vt facias, altero implente, quod eſt de ſua parte, tenetur alter implere, & verificare verba contractus, ac proinde præbere conſenſum, & tollere deceptionem ac fraudem, quam alter conſentiens bona fide patitur. Atqui iſte fictus promiſſor peccauit contra hanc legem negando conſenſum, quem poteſt reſtituere in propria ſpecie, repetendo illum, ne alter compars maneat deceptus, qui ex ſua parte conſenſum appoſuit: ad idque tenetur ſub lethali peccato. Dixi *per ſe loquendo.* Nam per accidens & † in aliquibus caſibus, poterit 8
iſte ab obligatione nubendi excuſari, ſed non ab obligatione reparandi ſiue compenſandi aliter damnum fœminæ illatum, qui hîc veniunt compendiosè examinandi.

Primus eſt ſi vir ſit valde diſparis qualitatis, cuius diſparitatis fœmina erat conſcia. Secundus eſt ſi fœmina ex modo loquendi viri, aut ex aliis ſignis potuit coniectari, illum non ex animo promittere nuptias. Ratio vtriuſque caſus eſt eadem, videlicet quod tunc ſcienti & volenti non fit iniuria, neque dolus: Atqui in hiis caſibus fœmina ſciuit, aut debuit ſcire fictam pollicitationem viri, cui nihilominus conſentit: ergo non à viro, ſed à ſe ipſa voluntariè decepta eſt, ac proinde ſibi imputet damnum conſequutum.

Tertius caſus, ſi vir ſub ea ſpecie virginem non defloraſſet, ſed ad oſcula & alios tactus & actus ſponſis promiſſos peruenit. Dixi *ſi Virginem non defloraſſet*; nam ſi illam defloraſſet, aut etiam viduam honeſtæ famæ & boni nominis ſub ea ſpecie cognouit, tenetur omnium calculo Doctorum, eam ducere in vxorem propter duo. Tum quia per ſe loquendo & regulariter, damnum hiis fœminis illatum non eſt aliter reparabile, quàm per matrimonium. Tum etiam, quia licet flos virginitatis amiſſæ non ſit in propria ſpecie reparabilis; tamen iniuria illata ex defectu conſenſus debiti ex lege iuſtitiæ in contractibus, eſt reparabilis in propria ſpecie, adhibendo ſcilicet illum & implendo promiſſas nuptias: dum tamen ad ſolos tactus imperfectos peruenit, non tenetur nubere, bene tamen aliter damnum reparare, docet Sanchez *diſputat. 10. citata numer. 14.* & citat Nauarrum *lib. 4. conſiliorum titul. de ſponſalibus conſilio 2.* vbi ſic habet. *Virginem quidam vir diu ſollicitauit, fingendo eam velle vxorem ducere, & tantum ad tactus & oſcula peruenit: poſtea ad Deum conuerſus dubitat, an teneatur illam ducere, ſeu ſaltem dotare, &c.* Cui dubitationi ſtatim reſpondet, quod conſulens, ſiquidem habuit conuerſationẽ

vſque ad tactum & oſcula impudica deueniendo, cum puella ſub fictione illam in vxorem ducendi, ob id non tenetur illam in vxorem ducere, ſed ſatisfaciet dando illi dotem damni illati compenſatiuam: huiuſmodi autem ſollicitatio ſupponitur fuiſſe cum precibus importunis & fictis pollicitationibus. Verùm licet ſupponatur iſta ſollicitatio facta cum pollicitationibus falſis, ſed non cum promiſſione ducendi illam puellam in vxorem; quo caſu docuerat idem Nauarrus *in ſumma cap.* 16. *n.* 17. deceptorem in foro interiori (etiam ſub ea ſpe ſequuta virginis defloratione) dumtaxat teneri ad reſarciendum ei damnum omne, quod illi inde euenerit, quo talem adipiſcatur maritum, qualem manens virgo adipiſceretur: & *num.* 18. texit ſermonem de illo, qui promittit ſe ducturum puellam in vxorem, ſiue animo vero, ſiue ficto ad eam decipiendam.

9 Quare † Nauarrus non videtur adſtruere ſententiæ Sanchez, qui proculdubio minus conſequenter loquutus eſt in ea *diſp.* 10. meo iudicio, quod oſtendo dupliciter. Primò quia ipſe docuerat *ibi num.* 3. fictum promiſſorem nuptiarum, & ſub ea ſpe defloratem virginem, teneri illam ducere in vxorem, & lege contractus & iuſtitiæ commutatiuæ, quia ex illamet tenetur non tantùm ad æquale, ſed ad idem in eadem ſpecie reddendum, hoc eſt ad præbendum conſenſum verum, per quem tollat fraudem & iniuriam illatam alteri comparti ex dolo ac defectu conſenſus. Sed hæc lex iuſtitiæ ac contractus non minus obligat fictum promiſſorem nuptiarum, peruenientem dumtaxat ſub ea ſpe ad tactus & oſcula, cùm ſit debitor veri conſenſus apponendi, & tollendæ fraudis:
10 ergo. Secundò quia † fictus promiſſor defloratur virginis, duo damna infert; nimirum alterum infamiæ ex ablata virginitate, & alterum iniuriæ illatæ ex fraude ac dolo ob defectum veri conſenſus: dúmque de illo ait Sanchez, teneri ducere puellam deceptam in vxorem, id non eſt verum ratione prioris damni; quia cùm illud non ſit reparabile in propria ſpecie, niſi ſolùm per pecuniæ compenſationem ad arbitrium prudentis viri, vt ipſe Author fatetur, aliter quàm per matrimonium, poſſet fictus promiſſor illud damnum reparare. Habet igitur locum illa obligatio ratione damni poſterioris, hoc eſt iniuriæ illatæ ex fraude ac dolo, quem poteſt fictus pomiſſor in propria ſpecie reſarcire, apponendo verum conſenſum & ratificando promiſſionem de futuris nuptiis, ac verificando verba contractus. Sed ex hiis duobus damnis, hoc ſecundum etiam infert fictus promiſſor non defloræns virginem; vtpote cui infert iniuriam, fictè promittendo nuptias, quas illa vero animo promittit & implet, quod eſt ex ſua parte, apponendo videlicet verum conſenſum, & ſub ea ſpe ſuum corpus tradendo tactibus & oſculis inter ſponſos permiſſos: igitur alter conſors tenetur hanc iniuriam reſarcire, ac debitum conſenſum in futuras nuptias exhibere, ſiquidem id poteſt reddere in propria ſpecie. Quapropter ſi id non præſtet, mortaliter peccabit contra legem iuſtitiæ commutatiuæ ac contractus; quantumuis ad æqualitatem reparet illud prius damnum notæ & infamiæ, quod ex dicta tactuum familiari conuerſatione puella contraxit.

Quartus caſus eſt, ſi ex eo matrimonio ingens ſcandalum probabiliter timeatur, aut damnũ ſequuturum, v.g. rixæ implacabiles inter vtriuſq; ſponſi conſanguineos, odiũ ſuorũ inteſtinũ erga virum, ſiue fœminam, aut infelix & peſſimus exitus inter ipſos contrahentes paci & concordiæ matrimonij contrarius; quia tunc in hiiſce euentibus ceſſat obligatio iuſtitiæ quæ non obligat ad actum, qui ſine peccato exerceri non poteſt, matrimonium autem in hiis euentibus nequaquam poſſet executioni mandari ſine peccato ſcandali, contra proximis debitam charitatem. Quintus caſus eſt, ſi fœmina decipiat virum, dicendo vel fingendo ſe eſſe virginem, aut ſi ſemel ab ſponſo ficto defloratа, poſtea cum alio fornicetur. In hiis euentibus, non tenetur fictus promiſſor eam ducere. Ratio primi eſt, quia in iniuriis datur compenſatio, ac proinde iniuria viri per fictam promiſſionem compenſatur ſatis per iniuriam fœminæ fingentis virginitatem, & quia hæc eſt cauſa ſufficiens diſſoluendi vera ſponſalia, nedum ficta. Quod ſi poſt cognitam deceptionem accedat vir ad fœminam carnali congreſſu? Reſpondeo adhuc tunc ſponſalia non conualeſcere, quia quando vir promiſit, ficto animo id fecit; quando verò ceſſauit deceptio, nihil promiſit. Ratio verò ſecundi eſt, quia ea eſt cauſa ſufficiens in vtroque foro recedendi à veris ſponſalibus. Vnde neque ille qui clandeſtinè contraxit, & fœminam cognouit, tenetur eam ducere ſi poſtea cum alio fornicetur, quia præbet cauſam ſufficientem diſſoluendi ſponſalia, quibus poſt Concilium Tridentinum æquiualet matrimonium clandeſtinum.

Ex hiis ad primum argumentum reſpondetur admiſſo antecedente, negando conſequentiam. Datur enim † alius duplex titulus, ex 11
quo per ſe tenetur fictus promiſſor matrimonij promiſſionem implere, nimirum ratione doli & iniuriæ ex dolo illatæ, quam reſarcire debet tollendo fictionem conſenſus, verum conſenſum exhibendo; atque ex lege iuſtitiæ contractus, cuius verba tenetur verificare erga compartem, qui vero animo contraxit.

Ad ſecundum nego antecedens, imo † lex 12
iuſtitiæ commutatiuæ obligat reſtituere tantumdẽ & idem, quando in propria ſpecie reddi poteſt. Sed neque æqualem recompenſationem poteſt virgo decepta ac defloratа recipere, niſi per matrimonium initum cum deceptore, niſi valde excedentis qualitatis ſit iſte, qui tunc nubendo cum defloratа, plus nimis redderet, quàm damni intulit, ad quod nulla lege tenetur. Secundus titulus nimirum diſparitatis, venit examinandus.

Vnde ſit Secunda aſſertio: † Sola diſpari- 13
tas qualitatis, quæcumque ſit illa quando eſt cognita, non eſt ſufficiens reſcindere ſponſalia vero animo contracta: neque licitum eſt in quouis foro ab eis reſilire, propter ſolam conditionem diſparitatis: quæ eſt communis ſententia quam refert ex Veracruz, Nauarro, Molina, Menochio, Corduba, & Ludouico Lopez, & exornat Sanchez *in dicto lib.* 1. *de ſponſalibus diſput.* 24. Et probatur primò, eo quod contrahens eſt dominus rei promiſſæ, & aliàs conſcius notabilis exceſſus: ergo dum vult ac promittit contrahere, cenſetur cedere iuri ſuo, & exceſſus donationem facere. Se-

cundò

cundò probatur, nam sponsalia vero animo contracta inter eos, qui sunt paris qualitatis, in vtroque foro obligant per se loquendo, neque veniunt rescindenda à Iudice Ecclesiastico, nisi prudenter & rationabiliter timeatur scandalum, vt rixæ & contentiones graues inter vtriusque contrahentis consanguineos, aut damnum vni ex contrahentibus, quale esset si incurreret odium capitale suorum consanguineorum, aut infelix exitus ex matrimonio subsequuto. Sed in eodem dumtaxat casu desinunt obligare sponsalia, inter impares vero animo contracta cum disparitatis cognitione: itaque quantum ad vim regulariter & per se loquendo obligandi, nullum est discrimen inter sponsalia vero animo inter pares, atque inter impares contracta; & vtraque in eodem dumtaxat casu scandali, damni, aut pessimi exitus contrarij paci ac concordiæ contrahentium, quæ est matrimonij finis, desinunt obligare in foro conscientiæ; & in foro iudiciali veniunt ab Ecclesiastico Iudice rescindenda, quia virtus iustitiæ non potest obligare ad actum, qui sine peccato impleri non valet. Atqui in hiis casibus contrahere matrimonium est culpa mortalis contra proximorum charitatem, quæ maximè læditur per scandalum, & per hoc quod parentum pietas, cognatorum amicitia, aut ipsorum contrahentium concordia dissoluatur. Prudenter autem & probabiliter timeri debet hoc damnum siue scandalum: nam minæ vanæ, & pericula iactata non sufficiunt, quando prudenter & probabiliter iudicatur ob qualitates personarum, & compertam experientiam de earum modo procedendi, in fumum esse conuertendas, quin potius animos omnium cognatorum post celebratum matrimonium fore conciliandos. Tertiò probatur, nam seclusis hiis casibus, neque Ecclesia solet, imo nec licitè potest huiusmodi sponsalia quantumuis disparium rescindere, sed potius contrahentes compellit ad eorum impletionem, vt constat ex illius laudabili praxi, vt bene notat Molina *tom. 2. de Iustitia, tractatu 2. disput. 271.* Neque pater potest impedire sponsalia filij inita contra ipsius voluntatem, nisi ob imminens scandalum siue modo prædicto: eò quòd filius tenetur fidem seruare & promissionem implere rei, cuius est Dominus, vt dictum est: ad húncque sensum veniunt interpretandi Gutierrez *lib. 1. quæstion. Canonicar. quæstione 20. num. 23.* & quotquot alij dixerunt parentem posse licitè sponsalia impedire filij contra ipsius placitum contracta; intelligendi namque sunt in casu scandali, damni grauis, aut infelicis exitus imminentis: secus extra illum.

14 Vltimò probatur, † satisfaciendo tribus obiectionibus aduersantis opinionis, si quem habet Authorem. Prima est, contingere potest huiusmodi verum promissorem aut iuramento suam confirmare promissionem, aut sub ea spe, puellam promissariam defloraſſe: in quo euentu tenetur etiam imminente scandalo, aut damno, illi nubere, aut propter iuramenti sanctitatem, aut propter damnum amissæ virginitatis reparandum: ergo non semper in casu imminentis scandali aut damni sponsalia sunt rescindenda ab Ecclesia, aut desinunt in foro conscientiæ obligare. Secunda est, quod prodiga promissio, v. gr. facta meretrici pro corporis vsu, non est de necessitate adimplenda, etiamsi iuramento firmetur; tenet communis opinio Soti *lib. 4. de Iustitia, quæst. 7. art. 1.* Salonis & Bañesij *2. 2. quæst. 62. art. 5.* & aliorum, quos citat Sanchez *in dicta disput. 14.* Atqui promissio matrimonij facta notabiliter impari est prodiga: ergo non obligat. Tertia sit, quod contractus initus cum notabili deceptione omni iure est rescindendus: qualis est iste, in quo notabilitet excedens promittit nuptias contrahere cum fœmina inferiori, aut econtra: Si dicas, nullam interuenire deceptionem, quando promittens nouit inferiorem alterius compartis conditionem, quia scienti & volenti nulla fit deceptio, sicut nulla irrogatur iniuria. Contra hoc insurgo, qui scienter & voluntariè promittit pro aliqua re venali, aut locabili immodicum pretium, non tenetur totum soluere, nisi tantùm iustum & æquale: atqui immoditum promittit & non gratis, sed per modum contractus, qui spondet notabiliter impari: ergo, &c.

Sed † ab hiis obiectionibus facili negotio 15
nostra vindicatur assertio. Ad primam enim dices cum Nauarro, Corduba, Ludouico Lopez & Sanchez *vbi supra*, etiam interueniente virginis defloratione in neutro foro obligare sponsalia, ex quorum impletione scandalum, damnum, aut pessimus exitus prudenter timetur; quia nunquam virtus iustitiæ obligat ad actum qui sine peccato exequi non potest. Ad secundam aut neganda est maior præmissa: cum prodiga enim, imprudenti & culpabili promissione, stat impletionem esse debiti & eius executionem esse debitam, sicut qui fœminæ promittit pretium vt ipsi tradat suum corpus, peccat promittendo, sed implendo promissum, exercet actum iustitiæ; sic qui promittit nuptias notabiliter inferiori, peccat prodigè promittendo, seu ex parte modi promittendi, sed non ex parte rei promissæ: Vnde in exequendo promissum non peccat. Aut si malueris, dicas esse disparem rationem in vna & altera promissione: in illa enim promittitur quidpiam per modum pretij & non gratis, sine animo liberè donandi: in ista verò promittitur persona non in pretium, sed in coniugem, ac proinde gratis & cum animo liberè donandi seipsam in matrimonij societatem, iuxta quam solutionem admissa maiori distingues minorem, & negabis consequentiam. Ad tertiam sustinenda est solutio ibi assignata. Ad cuius improbationem dicendum est, ideo obligare sponsalia cum notabiliter impari à cognoscente disparitatem contracta, secus atque in aliis contractibus emptionis & locationis, & similibus contingit, quia spondens non se promittit per modum pretij; sed neque semper & in omni contractu emptionis aut locationis, plus iusto, seu immodicum dans vel promittens eximitur ab obligatione implendi: vt minus verè putauit Sanchez *in dicta disp. 14. num. 5.* multoties namque censetur gratis donare emptor excessum iusti pretij, & eius legitimum transferre dominium in venditorem, nimirum, quoties pro re empta promittit vel dat plus iusto pretio (citra tamen dimidium, hoc est circa enormem læsionem, cum qua leges ciuiles rescindunt contractum,) sine vi, sine fraude, & sine ignorantia; in quo casu neque venditorem teneri ad resti-

tutionem,ſicut neque emptorem poſſe exceſſum iuſti pretij repetere, docent Sa V. *venditio*, & Diana *p.5. tractatu* 14. *Miſcellaneo* 2. *reſolutione* 19. Huiuſmodi præſumpta donatio contingit in illis, qui plus iuſto pretio vendunt chartas pictas, & candelas in domibus ludorum, & in eis qui aliquas res offerunt in ludo rixandas, quod vulgo dicitur *Rifar*, pluris quàm iuſto pretio : in hiis namque caſibus ludentes præſumuntur donare exceſſum iuſti pretij, quia nulla vi, aut fraude, aut errore coguntur, ſed amore lucri,aut delectationis, ludi gratia,ſcientes ac volentes gratis illum exceſſum impendunt. Quid ſi exceſſus ſit vltra dimidium iuſti pretij, vt ſi pro chartis quæ emuntur duabus drachmis, rependantur octo, & ſi pro gemma, quæ æſtimatur decem aureis, reponantur quinque à ſingulis rixantibus, qui fortè & ſunt quatuor, aut quinque ? Reſpondeo adhuc in hoc euentu cenſeri præſumptam donationem, ſi deſint vis, fraus & error : quia id iam recepta prouinciæ conſuetudo introducit, & quia obligatio ac cura & induſtria emendi, adducendi ad menſam chartas & candelas,& has emungendi;nec non quærendi, & ſeruandi,offerendi gemmam v.g. rixandam, digna eſt aliqua maiori compenſatione.

16 De † tertio titulo videlicet de conditione, aut pœna appoſita ſponſalibus,nunc dicendum eſt, & quidem pro eius declaratione notandum præmitto duo. Primum eſt, poſſe huiuſmodi pœnam adiici contractui ſponſalium vno ex duobus modis : nimirum, aut per modum conditionis quæ conſtituat contractum conditionatum : vt ſi dicat Petrus. Ego promitto nubere Mariæ, V.g.ſub pœna ſoluendi ei mille aureos, ita vt mea obligatio ſit nubere, aut illi ſoluere mille aureos ; qui contractus eſt ſimpliciter pœnalis, & quodammodo conditionatus, quia non inducit abſolutam obligationem nubendi, niſi diſiunctim, aut nubendi, aut ſoluendi pœnam : eſſet autem conditionatus ſimpliciter, ſi fieret promiſſio ſub aliqua conditione, vt ſi diceret Petrus, promitto inire matrimonium cum Maria, ſi pater meus non renuerit; aut ſi pater meus decedat à vita intra ſex menſes : & tunc ſponſalia iſta conditionata non obligant Petrum ad ineundum matrimonium, niſi dependenter à conditione adiecta,ita vt ſi Pater Petri renuerit, aut ſi non deceſſerit intra ſpatium ſex menſium, maneat Petrus liber à factæ promiſſionis obligatione, quia contractus conditionatus deficiente conditione, non ſubſiſtit.

Aut pœna adiicitur non ad reſtringendam promiſſionem abſolutè factam,ſed in maiorem illius confirmationem, & ad puniendam moram ſpondentis in implendo promiſſionem, vt ſi ſpondeat Petrus nuptias inire cum Maria, & ſimiliter Maria ſpondeat nubere cum Petro,reciproca & abſoluta promiſſione ex vtraque parte, & Petrus adiiciat, quod ſi intra ſex menſes non impleuero hanc promiſſionem, ex nunc pro tunc me obligo rependere Mariæ, in pœnam meæ moræ mille aureos, quam pœnam & ipſa quoque acceptat, provt contigit in noſtro caſu, & conſtat ex aphaca & inſtrumento publico, quo Franciſcus coram Notario & teſtibus ſpopondit, & iuramento ac voto firmauit nuptias cum Maria contrahere; quod ſi intra ſex menſium ſpatium non impleuerit promiſſionem iureiurando confirmatam, ſe obligauit illi decem millia ducata argenteæ monetæ repenſurum. Quapropter talis promiſſio eſt abſoluta,& ſimpliciter obligat ſpondentem ad ſui impletionem, à qua obligatione neque poſt pœnæ ſolutionem manet liber in foro conſcientiæ, niſi ob alias cauſas reſcindatur. Secundum eſt, quod ſiue pœna primo, ſiue ſecundo modo adiiciatur ſponſalibus, in neutro foro inducit obligationē,hoc eſt in neutro foro tenetur ſpōdens talem pœnam ſoluere per modum pœnæ. Ratio huius eſt, quia talis pœna prohibita eſt vtroque iure tam Canonico, quàm Ciuili, *in cap. Gemma, de ſponſalibus*, & *lege Titia* 134. *ff. de verbo obligat.* & *lege finali Cod. de ſponſalibus*, & *lege* 39.*titul.* 11.*part.* 5. vt matrimoniorum libertati conſulatur, ne ſcilicet timore pœnæ ſoluendæ coactè ineantur, ita vt culpa ſaltem venialis ſit ſponſalibus pœnam adiicere. Cùm ergo talis pœna adiecta ſponſalibus ſit prohibita & irrita, in neutro foro frangens fidem & reſiliens ab ſponſalibus,tenetur eam ſoluere;etiam. ſi reſiliat iniuſtè ; vt cum communi ſententia probat Sanchez *lib.*1.*de ſponſalibus diſputat.*30. imo neque promiſſionem talis pœnæ iuramento firmari, probat idem Sanchez *diſput.*32.neque tale Iuramentum obligat, ac proinde neque vlla indiget relaxatione, eò quòd eſt contra bonos mores naturales, ſiquidem illa promiſſio eſt interdicta ob publicam vtilitatem, hoc eſt ob matrimoniorum libertatem, quæ ſummopere expedit Reipublicæ eſſe libera;nam ex coactis, iurgia, diſſenſiones, & mala filiorum educatio ſequuntur. Eſt quoque talis promiſſio culpa ſaltem venialis, vt conſtat *ex cap. Gemma, citato*, ibi : *& ideo talis ſtipulatio propter pœnæ interpoſitionem ſit merito improbanda*, id eſt tanquam improba & mala damnanda : iuramentum autem contra huiuſmodi bonos mores non eſt obligatorium, vt tenet regula iuris *in ſexto*.Tum etiam,quia aliàs iuramentum eſſet vinculum iniquitatis,contra *cap. Quando de iure Iurando*, ſiquidem vim obligandi promiſſioni iniquæ tribueret. Dixi talem promiſſionem eſſe culpam ſaltem venialem, nam cum illa non ſit valida, & aliàs neque compellat promittentem ad contrahendum matrimonium, non videtur eſſe res adeò grauis, vt ad culpam lethalem perueniat.

Hinc † veniunt ſoluendæ nonnullæ difficul- 17
tates. Prima eſt, quomodo cogendus ſit per Iudicem ſponſalium fidem ſeruare, qui iniuſtè & ſine legitima cauſa ea implere recuſat, niſi per pœnæ adiectæ ſolutionem. Secunda eſt, vtrum pars læſa recipiens pœnam pecuniariam à parte reſiliente,teneatur eam reſtituere ? Tertia eſt,vtrum pariter iudicandum ſit de promittente pecuniam fœminæ pro vſu ſui corporis, maximè quando promiſſionem confirmat iuramento. Quarta eſt, an idem dicendum ſit de promiſſione ſoluendi pecuniam amiſſam in ludo ad creditum? Ad quarum primam reſpondeo
† iniuſtè reſilientem ab ſponſalibus, compel- 18
lendum eſſe à Iudice', ſi prius monitus noluerit fidem ſeruare. Hæc autem coactio ſiue compulſio non eſt facienda per pœnæ adiectæ ſolutionem (quidquid aliqui Neotherici autument,) ſed per Eccleſiaſticā cenſuram,aut etiā per incarcerationem : vt ex communi ſententia probat

bat Sanchez *in dicto lib. de sponsalibus disp.* 29. Ratio primi est, tum quod ita decernitur *in cap. ex litteris 2. de sponsalibus*: tum quia Iudex tenetur ex officio compellere vnumquemq; ad reddẽdum cuique quod suum est, & debitum ex iustitia: Contrahens autem sponsalia, siue iurata siue simpliciter promissa, tenetur ex iustitia seruare fidem, vt dictum est: ergo potest ac debet compelli ad illarum impletionem siue iurauerit ea, siue tantùm simplici promissione spoponderit. Hæc tamen doctrina limitanda est, nisi Iudex prudenter arbitretur aliquam prudentem & rationabilem causam impletioni sponsalium obstare, ob quam potius sint rescindenda, puta si scandalum, damnum graue, aut pessimus exitus matrimonij prudentis iudicio immineat; tunc enim cessat ratio compellendi ad sponsalium impletionem, nimirum, quia fini matrimonij non expedit, & ex fine desumenda est necessitas mediorum. Ratio secundi est, quia adiectio talis pœnæ est nulla & inualida ac peccaminosa, vtpote iure vtroque prohibita, ob bonum publicum, cuiusmodi libertas matrimonij: ergo Iudex qui est iustitia animata, non debet neque licitè potest compellere reum per medium, quod est malum, & iure prohibitum, atque omnino inualidum: alioquin ipsis legibus contraueniret. Cogeret namque ad pœnam soluendam contra libertatem matrimonij, cuius gratia illam leges remouent ab sponsalibus: posset tamen ac deberet compelli iniustè resiliens ab sponsalibus (nam iustè & ex causa rationabili resiliens, sicut nullius culpæ est reus, ita nulli pœnæ est obnoxius) per Iudicem ad solutionem pœnæ, non per modum pœnæ, sed per modum satisfactionis ac resarcitionis damni, quod alter contrahens incurrit ex non impleto matrimonio promisso. Aut etiam ratione interesse & damni emergentis ob expensas quas alter compars fecerat. In quo sensu fortè interpretandi sunt Neoterici qui adstruunt, iniustè resilientem ab sponsalibus compellendum esse à Iudice ad pœnæ adiectæ solutionem: quod si post semel latam excommunicationem resiliens pertinax sit, absoluendus est, ne coactè & absque libero consensu matrimonium ineat. Ratio denique tertij est, quod nullum aliud medium præstat cogendi partem iniustè resilientem, nisi aut censura, aut carcere. Censura quidem est propria Iudicis Ecclesiastici, ad quem per se & regulariter pertinet, cognoscere de sponsalibus & earum impletione: Carcer verò est cõmunis Iudicibus vtriusq; fori, quandoq; enim etiam laicus Iudex potest esse cõpetens ad hanc coactionem, sicut ad aliorum contractuum fidem seruandam, nimirum quando de sponsalium valore non agitur, neque intenditur eorum inualidatio, aut eorum valori opponitur aliqua exceptio provt contingere solet, quoties aliquis contrahentium ab eis resilire conatur.

Ad secundum respondeo negatiuè ex communiori & veriori sententia, quam sequitur & 19 probat Sanchez *vbi supra disp.* 31. dicens † recipientem pœnam adiectam sponsalibus minimè teneri ad restitutionem, donec iuridicè exactus ad restitutionem illius condemnetur. Cuius ratio est, quod leges prohibentes & inualidantes huiusmodi pœnæ adiectionem, eum dumtaxat fortiuntur effectum, vt promittens talem pœnam, non teneatur ad eam soluendam, neque illam licitè possit spondere aut soluere. Cum quo nihilominus stat, vt semel facta illius solutione, pars illam recipiens verum illius dominium acquirat, ac proinde neque ad eius teneatur restitutionem: itaque prohibetur eiusmodi pœnæ solutio ac promissio, & irritatur obligatio eam soluendi. Sed non prohibetur nec irritatur illius receptio, & titulus illam retinendi, quod patet ex contextibus præallegatis *in cap. Gemma & lege Titia*, qui dum hanc stipulationem irritant, dumtaxat actionem exigendi pœnam promissam negare videntur, & liberum reddere promittentem à promissione: & in dicta lege Partitæ idem innuere videntur eius verba, ibi. *A quel que fizo la promission por el que no lo quiere fazer, no es tenido de pechar la pœna.* Quæ cum leges pœnales sint, nequaquam extendendæ sunt extra casum in quo loquuntur. Similem interpretationem & sensum habent aliæ leges pœnales, v. gr. Lex *Generaliter 36. ff. de verbor. obligation.* prohibens & irritans turpes stipulationes in genere, intellige ad hunc sensum, quod stipulans minimè teneatur soluere, si tamen soluerit, recipiens immunis sit à restitutione: & illa quæ irritat legatum in minus solemni testamento relictum, eum sensum facit, quod hæres non teneatur illud soluere: Legatarius tamen recipiens illud, immunis sit à restitutione: & leges illæ Castellæ *titulo 7. lib. 8. recopilationis* prohibentes & irritantes lucrum comparatum à ludentibus pecunia credita, ibi. *Mandamos que persona, o personas puedan jugar, ni juegen a credito, ni fiado.* & ibi. *Damos por ningunas qualesquier obligaciones, o escrituras, o promesas, que las tales personas cerca de esto hizieren.* Eum tamen operantur effectum secundùm veriorem multorum opinionem, quos refert & sequitur Sanchez *in dicta disput. 31. num. 2.* vt perdens minimè soluere teneatur: si autem soluat, recipiens ad restituendum non sit adstrictus, etsi soluenti concedatur repetitio lucri semel soluti; & in nostro casu pariter conceditur soluendi repetitio pœnæ solutæ intra certum temporis spatium, quia licet fuerit turpiter stipulans, verumtamen nec turpiter, nec pro re turpi soluit.

Ad tertiam respondeo negatiuè; eo quod † 20 promissio pretij facta mulieri pro vsu corporis sui, de se & ex obiecto non est mala, nisi solùm ex circunstantia extrinsecus adiuncta, nimirum inductionis ad malum: est enim de se bona & actus iustitiæ, vtpote promissio soluendi mercedem debitam pro vsu corporis venali, qua circunstantia nullo modo afficitur solutio: imo & ab illa potest quandoque & ipsa promissio vindicari, videlicet quando mulier inuitat ad carnalem congressum pro quo promitti sibi mercedem petit à viro, cuius proinde sic inuitati promissio omni culpa carebit, sicut & solutio: promissio verò pœnæ in sponsalibus est omnino illicita, vtpote legibus prohibita: & est contra bonos mores naturales, vtpote contra bonum publicum scilicet libertatem matrimonij. Vnde etiam solutio pœnæ promissæ est culpabilis, vtpote cum sit promissionis approbatio & libertati matrimonij contraria, quatenus fit virtute promissionis. Sed neque iuramentum adiunctum, eam promissionem confirmat,

firmat, neque est obligatorium, ac proinde neque indiget relaxatione. Neque est simile de promissione iurata soluendi vsuras, aut metu extorta à grassatoribus, hæc enim iustificatur & licita est ad redimendam vexationem: quapropter iuramentum obligat licet non firmet promissionem, eo quod potest peti illius relaxatio, & ea obtenta, aut etiam non obtenta nec petita, datur locus repetitioni: qui enim iurat mutanti soluere vsuras, aut grassatori tradere pallium, vt vitam redimat; adimpleto iuramento, ilico post lucri vsurarij aut pallij traditionem, potest illud coram Iudice repetere, vtpote coactè & contra iustitiam postulatum & ereptum: interuenitque turpitudo ex parte creditoris recipientis, quæ sufficit vt iuramentum non confirmet contractum, licet pariat obligationem quandiu non relaxatur: at iuramentum promissioni soluendi pœnam sponsalibus adiectam, neque firmat contractum, neque est obligatorium, eo quod licet nulla sit turpitudo ex parte sponte oblatam pœnam recipientis, verùm est talis promissio contra bonos mores naturales & publicam vtilitatem.

Ad quartam respondeo similiter negatiuè, 21
hoc est, † non esse eandem rationem de promittente cum iuramento soluere pecuniam amissam ludo ad creditum; atque de promittente cum iuramento soluere pœnam sponsalibus adiectam. Quam sententiam probat Sanchez cum communiori & veriori sententia Theologorum ac Iurisperitorum *vbi supra disput.* 32. *num.* 24. & 25. eam mihi persuadeo. Primò quia † iuramentum potest adiici promissioni vno ex tribus modis; nimirum aut obligando & confirmando promissionem, vt quando quis iuramentum adiicit promissioni, quæ ex neutra parte inuoluit turpitudinem, v.g. dum dico, Iuro dare tibi librum, vel commodare equum: aut quando iuramentum est obligatorium, sed non firmat promissionem, quia ob turpitudinem ex parte recipientis, possum iustè petere relaxationem iuramenti, vel etiam satisfacio momentanea solutione & postea repeto rem receptam à promissario, vt contingit in iuramento quo iurat inuasus à grassatore dare illi pallium ob timorem mortis: vel mutuatarius iurat reddere turpe lucrum vsurario ad redimendam vexationem, quia non nisi cum vsuris vult illi mutuare pecunias. Aut quando iuramentum, neque est obligatorium, neque firmat promissionem, vt si vxoratus cum Maria iuret ducere Ioannam in vxorem sub taxata pœna: aut si Petrus iuret inire nuptias clandestinas cum Francisca, quod iuramentum, neque obligatorium est, cùm sit contra bonos mores iure diuino & Ecclesiastico præscriptos, neque firmat contractum; quippe cùm sit promissio de re prohibita iure diuino, & Canonico, atque inualida. Vnde tale iuramentum cùm obligatorium nequaquam sit, neque indiget relaxatione, neque pœnæ promissæ transfertur dominium in recipientem, qui proinde ante vllam Iudicis sententiam tenetur eam restituere. Atqui iuramentum de soluendo pœnam promissam in sponsalibus, est huius tertij generis, quod neque est obligatorium, neque firmat contractum, cùm sit contra bonos mores naturales, atque de re prohibita ob publicam vtilitatem, videlicet ob matrimonij libertatem vt dictum est: ergo tale iuramentum nullius est momenti, aut valoris, ac proinde non eget relaxatione.

Secundò: nam † Iuramentum soluendi pe- 22
cuniam amissam in ludo ad creditum est, primi generis reuera, obligátq; & firmat contractum; vnde neque potest Iurans ab Episcopo obtinere relaxationem, neque satisfacit momentanea solutione, neque potest repetere; quia neque recipiens lucrum tali ludo comparatum tenetur illud restituere, iuxta veriorem Doctorum sententiam: neque aliqua est turpitudo ex parte illius in recipiendo; eò quòd talis ludus tantùm est prohibitus iure ciuili & legibus Regni, non ob publicam vtilitatem, sed tantùm ob priuatum fauorem; parum enim Reipublicæ interest, quod eam pecuniam iste, aut ille ciuis retineat. Igitur quoties promissio ludentis associatur iuramento, manet contractus firmus & irreuocabilis, ac proinde non datur locus relaxationi, neque repetitioni, nisi in duobus casibus à Molina *tom.* 2. *de Iustitia tractatu* 2. *disp.* 515. & Sanchez *vbi supr. n.* 25. relatis: nimirum, nisi iuramentum sit metu extortum à lucrante, aut si mens iurantis sit restricta, scilicet obligandi se dumtaxat ad tradendam pecuniam lucranti, eo pacto, quo lex sibi concedit. Tunc enim licet iuramentum esset obligatorium, sed non firmaret contractum: quapropter posset iurans obtinere relaxationem ab Episcopo, & per Bullam Cruciatam, & satisfaceret, atque impleret iuramentum momentanea solutione pecuniæ, quam posset statim repetere. In casu quidem priori, quia ob violentiam lucrantis iam esset in illo turpitudo prohibita iure naturali, cùm per vim extorserit iuramentum soluendi ei lucrum, quod ei secluso iuramento indebitum erat: in posteriore verò, quia diminuta intentio iurantis limitauit eius obligationem, neque vergit in præiudicium tertij cui iuramentum præstitum est, quia parum illi est vtilis traditio pecuniæ, quæ statim repeti potest.

Tertiò probatur, ex † differentia huius iu- 23
ramenti ad illud, quod mutuatarius præstat soluendi vsuras mutuanti. Nam istud iuramentum est secundi generis, quia ex vi illius obligatur mutuatarius vsuras soluere ob iurisiurandi sanctitatem, & quia in hac traditione ex parte illius nulla est turpitudo: sed quia illud præstitit ad redimendam vexationem, & est turpitudo ex parte recipientis vsuras prohibita iure diuino ac naturali, quas & tenetur restituere; ideo contractus ille non firmatur, nec manet irreuocabilis, iuramento, ac proinde datur locus relaxationi & repetitioni, post semel factam solutionem. Atqui in nostro casu iuramentum non solùm non firmat contractum, sed neque vllam inducit obligationem, eò quòd est de re mala & prohibita iure Canonico ob publicam vtilitatem, inuenitúrque malitia & turpitudo, non ex parte recipientis pœnam promissam in sponsalibus, sed ex parte iurantis, qui proinde tali iuramento minimè obligatur. Quod si obligaret dictum iuramentum, reuera firmaret contractum, eò quòd tunc neque promissio esset de re prohibita ob publicam vtilitatem, neque contra bonos mores naturales, reperiretúrque turpitudo & obligatio restituendi ex parte recipientis pœnam adiectam in sponsalibus; ac proinde neque esset locus relaxationi iura-

menti,

menti, neque repetitioni; cuius oppositum ostendimus. Vnde inconsequenter loquuntur, qui dicunt huiusmodi iuramentum obligare; & nihilominus dari locum illius relaxationi, ac etiam iurantem satisfacere momentanea solutione pecuniæ ilico repetendæ.

Ex quibus omnibus deducitur Tertia asser-
25 tio; nimirum, † adiectio pœnæ in contractu sponsalium, etsi peccaminosa sit, vtpote prohibita vtroque iure, Ciuili & Canonico ob publicam vtilitatem, neutiquam tamen tollit obligationem implendi promissionem iuramento firmatam futurarum nuptiarum. Cuius ratio est, quia promissio contrahendi matrimonium nedum iurata, sed etiam simplex, accepta obligat ex iustitia, & per adiectionem pœnæ prohibitam non eneruatur, eò quòd vtile per inutile non vitiatur: ergo talis promissio propter adiectionem extrinsecam pœnæ non amittit suam intrinsecam vim obligandi.

De alio titulo scilicet scandali ac damni, siue infelicis exitus matrimonij, sit quarta asser-
26 tio. Quoties † prudenter & probabiliter timetur ex sponsalium impletione, scandalum, damnum graue, aut infelix exitus matrimonij, in neutro foro obligant sponsalia, etiamsi sub ea spe sequuta fuisset virginis defloratio. Hæc assertio satis constat ex dictis circa secundam assertionem, vbi diximus solam personarum disparitatem non sufficere ad recedendum ab sponsalibus, siue vero siue ficto animo contractis, nisi quando prudentum iudicio aliquod ex recensitis malis immineat, quæ non diffitemur regulariter ex matrimoniis inter valde disparis conditionis personas celebratis imminere, & sæpius contingere. Verùm nihilominus nunc breuiter quoad singulas partes ostenditur: habet namque tres partes probandas. Prima quidem quod sponsalia vero animo contracta in neutro foro obligent ad sui impletionem cum imminentia probabili illorum malorum aut omnium, aut alicuius. Secunda quod neque obligent, subsequuta virginis defloratione. Tertia, quod idem dicendum sit de sponsalibus ficto animo vtrinque aut ex altera parte celebratis.

27 Igitur † prima pars suadetur ex superius adducto axiomate, quod virtus iustitiæ neutiquam obligat ad actum, qui sine peccato exerceri non potest. Tale autem matrimonium promissum in eo euentu exequi non potest sine peccato lethali, vtpote quod esset scandali causa, & odij ac inimicitiarum inter cognatos contrahentium, aut etiam discordiæ inter coniuges occasio contra charitatem erga proximos seruandam: ergo non obligat promissio de tali matrimonio ineundo, non inquam obligat promittentem in foro conscientiæ. Et aliàs præbet sufficientem causam Iudici Ecclesiastico, dissoluendi huiusmodi sponsalia, qui & illa ob vitanda mala recensita iudicio prudentum imminentia dissoluere tenetur, vt bene notat Sanchez *in dicta disput. 14. num. 3.* cum Panormitano, Felino, Nauarro, Guttierrez, Menochio, Alexandro de Neuo, Corduba, Ludouico Lopez & aliis, ac proinde in neutro foro huiusmodi sponsalia habent vim obligandi. Quid si iuramento firmentur? Respondeo adhuc in neutro obligare. Non quidem in foro conscientiæ, quia iuramentum in eo euentu esset contra bonos mores naturales, vtpote de opere peccaminoso contra charitatem: ac per consequens non obligaret, neque contractum firmaret aut irreuocabilem redderet, & consequenter neque relaxatione indigeret. Neque in foro externo, quia Iudex Ecclesiasticus ob eandem rationem teneretur ea sponsalia rescindere, ob vitandum scandalum, aut pessimum matrimonij exitum, aut etiam rixas inter contrahentium parentes & consanguineos. Quid si Iudex non obstante huiusmodi malorum prudenti periculo, per sententiam compellat sponsos censuris implere suam promissionem iuratam? Respondeo casum esse metaphysicum. Nam aut Iudex plenè probauit huiusmodi malorum imminentiam: aut non post sufficiens testium examen. Si primum, non est credendum Iudicem Ecclesiasticum, qui nomine Ecclesiæ causas Ecclesiasticas iudicat, in re tam graui cæcutire, & sententiam nedum iniustam, sed inualidam proferre: semel tamen probata, censuræ non sunt timendæ, quia nedum iniustæ, sed inualidæ sunt. Si secundum, suadendus est Iudex, vt plures testes examinet nec suspectos, sed omnis exceptionis maiores, vel ad superiorem Iudicem appellandum erit. Quod si adhuc post hanc diligentiam, non probetur imminentia malorum; sententia lata compulsiua ad sponsalium impletionem erit iusta, ac proinde habenda pro re iudicata: & res iudicata habetur pro veritate, & tunc promissor matrimonij tenetur in vtroque foro illud inire, fisus in Domino, quod illius introitum & exitum custodiet pacificum: & in iudice quod iurgia & rixas consanguineorum compescet.

Deinde † secunda pars conuincitur eadem 28
ratione. Verum nihilominus est, quod cum virginis defloratio resarciri non possit, maximè si æqualis, aut fere æqualis conditionis sit cum viro, nisi per matrimonium; tunc armanda sunt iura, & muniendus Iudex, vt sedet scandala, & rixas compescat, ne ob parentum, & consanguineorum vim, defloratoris insaniam, aut vanitatis vel ambitionis affectum, alias nuptias filio commodiores, vel ditiores expectantium, maneat puella infamata, & iuxta suum statum innubilis.

Denique tertia pars probatur primò, nam
cum † sponsalia ficto animo contracta non 29
possint habere tantam vim obligandi, quantam habent contracta vero animo, cum hæc obligent in vi promissionis, & non illa: consequens est, quod in quo casu ista non obligant, à fortiori neque illa, ac proinde cum vera sponsalia non obligent ad matrimonium, quod sine peccato exequi non potest, à fortiori neque ad illud sponsalia ficta obligabunt. Secundò probatur, nam † sponsalia ficto animo contracta, 30
non obligant in vi promissionis, vtpote quæ nulla fuit, vt sæpius dictum est: dumtaxátque habent vim obligandi fictum spondentem ratione fraudis & iniuriæ illatæ fictè spondendo, vt ex communi sententia probat Sanchez *vbi supra disput. 12.* tum quia lex contractuum petit verificari verba contractus ab vnoquoque contrahentium. Tum quia in omnibus contractibus in quibus interuenit facio, vt facias, do, vt des: si alter contrahentium

ex ſua parte impleuit, tenetur alter implere, licet fictè contraxerit, quia tenebatur ex iuſtitia vero animo contrahere, vt ſi promitto centum aureos Petro, vt pro me cõpareat Salmanticæ, eo comparente teneor ex iuſtitia promiſſum implere, etiamſi ficto animo promiſerim. Tum denique quia lex iuſtitiæ commutatiuæ non tantùm petit reddi æquale, ſed etiam idem numero vel ſpecie quando fieri poſſit. Sed in huiuſmodi contractu ſponſalium fictè contrahens poteſt tollere dolum, verum conſenſum exhibendo, quem aliàs ex iuſtitia commutatiua exhibere tenebatur: igitur tenetur illum exhibere. Quod amplius declaratur. Etſi amiſſa Virginitas aut fama puellæ ex ficti ſponſoris familiari conſortio nequeat in ſpecie propria reſtitui, & ideò poſſit æquè iuxta prudentum æſtimationem pecunia reſarciri & compenſari: tamen iniuſta ficti conſenſus deceptio poteſt in propria forma reſtitui, verum conſenſum præſtando, quo dolus iniuſtus auferatur: neque poteſt aliter ad æqualitatem reſarciri inuita altera parte decepta: ac perconſequens huic iniuriæ fictus ſponſor non ſatisfacit æquè, quandiu non aufert dolum verum conſenſum exhibendo. Sed hanc vim obligandi ratione fraudis & iniuriæ illatæ ob fictam promiſſionem, amittere neceſſe eſt in eiſdem caſibus, in quibus eam amittunt ſponſalia vero animo contracta, in quibus nulla fraus ſiue dolus interuenit, vtpote cùm fortius ſit horum, quàm illorum vinculum. Nec non in aliquibus aliis, v.g. in caſu quo vir ſit notabiliter excedentis conditionis, cuius diſparitatis puella ſit conſcia, quia tunc debuit ſciſſe promiſſionẽ viri eſſe fictam, vnde reputatur ſciens, quia æquipollent ſcire, ac debere ſcire; & de æquipollentibus eadem eſt ratio, ſcienti autem & volenti non fit iniuria; quare hoc in caſu mulier non à viro, ſed à ſeipſa decepta eſt. Idem quoque cõtingeret in caſu, quo vir etiam æqualis conditionis, dederit ſufficientia ſigna fallacis promiſſionis. Rurſus amittunt huiuſmodi ficta ſponſalia vim obligandi ad ineundum matrimonium in caſu adducto notabilis diſparitatis, (quanta autem hæc debeat eſſe, *ſupra* explicuimus,) etiamſi fœmina diſparitatis non ſit conſcia, quia ſicut ex lege iuſtitiæ tenetur fictus promiſſor ad æquale vel ad idem reddendum: ita non tenetur ad reddendum vltra æquale. Vir autem notabiliter diſpar per exceſſum, nubendo fœminæ inferiori, plus redderet, quàm id ad quod teneretur. Idem contingeret ſi vir fœminæ corruptæ etiam cognita corruptione, promittat nuptias, & ſub hac ſpecie congreſſum habuit carnalem cum ea; nam eam ducere non eſt æquale copulæ cum corrupta, ſed longè maius: Limita tamen hunc caſum, niſi fœmina corrupta ſit vidua boni nominis, & ex tali copula contrahat infamiam, ob quam iuxta ſuum ſtatum reddatur innubilis.

De vltimo titulo diſſoluendi ſponſalia, videlicet ſi fœmina cauſam ſufficientem dedit:

32 De quo ſit vltima aſſertio. Quoties † fœmina præbet cauſam ſufficientem reſcindendi ſponſalia, in neutro foro obligant ſponſentem. Hæc eſt doctrina communiter recepta, vt videre eſt in Sanctio *diſput.* 10. *citata*, *numero* 11. *&* 13. Cauſam autem ſufficientem ait ille eſſe, quando vir eſt deceptus in virginitate fœminæ, aut quando interuenit alia deceptio notabilis; aut quando fœmina cum alio fornicatur, hæc etiam eſt cauſa iuſta recedendi à veris ſponſalibus. Vnde licet illa, qui contraxit clandeſtinè, & poſtea fœminam cognouit, ſi poſtea cum alio fornicetur, non tenetur eam ducere vxorem; quoniam eadem eſt ratio recedendi à veris ſponſalibus, atque à matrimonio clandeſtino, vtpote quod poſt Tridentinum æquipollet ſponſalibus. Igitur probatur aſſertio, quia in hiis & ſimilibus caſibus ſponſor non tenetur in foro conſcientiæ promiſſionem implere, hoc eſt ducere fœminam promiſſoriam in vxorem, etiam ſub ſpe matrimonij futuri defloratam: quia omnis ſponſio quantumuis abſolutè fiat, implicitam hanc admiſcet conditionem, niſi cauſam notabilem dederis diſſoluendi ſponſalia; nullus enim videtur velle cum ſuo dedecore, ſicut neque cum ſuo damno & detrimento ſponſionem adimplere; & aliàs Iudex cognita cauſa poteſt ac debet ad petitionem partis læſæ ſponſalia diſſoluere in foro iudiciali: ergo in neutro foro huiuſmodi ſponſalia cogunt ſpondentem ad ſui impletionem. Sed nunquid obligant eum ad damni reſarcionem, caſu quo ante datam cauſam obligabant? vt quando vi aut dolo fœminam cognouit, aut quando cum ea ſponſalia contraxit ficto animo, quippe qui abſque dolo non eſt. Nauarrus ait, eò quòd ſubſequens cauſa priorem obligationem non extinguit. Negat Sanchez *dicta diſput.* 10. *num.* 13. eò quòd ante fornicationem tantùm tenebatur veram facere promiſſionem, eam ducendo in vxorem, quæ obligatio per ſubſequutam copulam cum alio extincta fuit, & obligatio ſemel extincta non reuiuiſcit. Sed neque obligatio reſarciendi damnum, aut dotandi fœminam contracta ratione violentiæ, quia in obligationem ducendi eam commutata fuerat. Tu verò elige quam ex hiis malueris opinionem.

Verùm adhuc inſtabis, † Vtrum quando vir 32
præbuit ſufficientia indicia ficti conſenſus ex verbis, aut ex notabiliter digniori conditione, vt fœmina facilè potuerit præſumere dolum, teneatur deflorans eam ſub huiuſmodi ficta promiſſione aliquid reſtituere, ſiquidem eam ducere non tenetur? Ad nihil teneri reſoluit Sanchez *dicta diſp.* 10. *n.* 18. adducens pro ſe D. Thomam *in* 4. *d.* 28. *q. vnica art.* 2. *ad* 4. ſed ſiniſtrè intellectum, vt ex contextu patet: eò quòd puella in hoc euentu, liberè & non coacta conſenſit in ſtuprum, ac proinde nullam iniuriam paſſa eſt. Tum etiam quia puella ſciens, aut ſcire debens dolum, ſeipſam decepit; intentio autem decipiendi in ficto promiſſore, ſuo effectu deſtituta eſt, & ſola mente retenta, quæ proinde ad nullam obligat reſtitutionem. Sed verior mihi eſt Nauarri, Soti, Ludouici Lopez, Petri de Ledeſma & aliorum affirmatiua ſententia: eò quòd iſte fictè promittens ac ſub ea ſpe deflorans virginem licet non teneatur eam ducere, iniuſtitiam commiſit & damnum intulit, ad cuius proinde reparationem tenetur prudentis arbitrio, conſiderantis ex vna parte damnum, & ex altera ſpontaneam fœminæ deceptionem; quæ licet ſponte conſenſerit ſtupro, vi tamen ac dolo damnum paſſa eſt; nam illa ficta promiſſio habet vim precum importunarum quæ violentiæ

æquipollent,

æquipollent, ac proinde non minus obligationem resarciendi damnum in ficto promittente inducit, quàm in eo qui per vim, aut fraudem virginem corrumpit.

33 Vt † igitur ad nostrum scopum reuertatur oratio, vnde ortum habuit: præfatus Franciscus ad recedendum ab sponsalibus contractis cum Maria, non valet se tueri titulo fictionis; quia vero contraxit animo, quem & verbis, & iuramento, & voto, & continua conuersatione explicauit: neque ratione disparitatis, quia neque tanta est vt sufficiat sponsalium tollere obligationem, neque latuit Franciscum, quod deceptionem induceret: neque ratione conditionis appositæ, aut pœnæ; quia promissio fuit omnino absoluta, & pœna tantum fuit adiecta vt in supplicium moræ ac dilationis vltra sex mensium spatium: non ad extinguendam obligationem illo termino completo, quin potius obligatio deambulatoria fuit & permanens vltra sex, & centum, ac plures menses vsque ad promissionis impletionem. Sed neque ratione causæ datæ ex parte Mariæ, quia nullam dedit sufficientem reuera ad sponsalium rescissionem: sed dumtaxat se potuit Franciscus tueri ratione damni & scandali imminentis, provt perpensum est, cum quo in neutro foro tenebatur Franciscus Mariam ducere; nisi solùm ad damni resarcionem. Quod si Ordine sacro initiatus est, manet à prima, sed non à secunda obligatione absolutus.

DISPVTATIO XII.

De his ad quæ Regalis potestas se extendit, in duas Difficultates diuisa.

DIFFICVLTAS I.

An Rex possit ritè & rectè, Estancar los lutos, tum Matriti, tum in ciuitate Cordubensi, absque præiudicio Ecclesiasticæ libertatis?

SVMMARIVM.

1 *Proponitur facti species de ciue quodam Cordubensi, cui Rex Hispaniæ pro certa pecuniæ summa vendidit paramenta nigra hastilia, &c. pro exequiis defunctorum.*
2 *Referuntur difficultates, quæ ex huiusmodi tituli & priuilegij vsu pullularunt.*
3 *Pars affirmatiua, nimirum huiusmodi priuilegium prohibitiuum ledere Ecclesiasticam libertatem, variis argumentis probatur.*
4 *Libertas Ecclesiæ quid sit?*
5 *Libertas Ecclesiæ est triplex, localis, realis & personalis.*
6 *Innocentius III. damnat quascumque venditiones seu alienationes rerum Ecclesiasticarum sine consensu Clericorum, per Laicorum Principum constitutiones factas.*
7 *Nauarrus negat posse Rempublicam aut Principē ius recipiēdi hostes certo pretio locare.*
8 *Respondetur primæ ac secundæ difficultati superius adductæ; dicendo dictum Priuilegiarium nequaquam posse in virtute huius priuilegij impedire Ecclesias, ne vnaquæq; habeat aut emat sua paramenta nigra, &c.*
9 *Gratia Principis semper intelligenda est sine præiudicio tertij.*
10 *Respondetur tertiæ dubitationi, dicendo posse dictum Priuilegiarium virtute sui priuilegij impedire Ecclesias vel earum Rectores, sicut & Laicos, ne aliis sua paramenta pro exequiis defunctorum locent.*
11 *Princeps secularis habet potestatem vtendi sua Regalia & disponendi in rebus mere temporalibus respicientibus politicum regimen, & communibus Ecclesiasticis pariter ac Laicis.*
12 *Animæ defunctorum quatuor modis soluuntur.*
13 *Respondetur cuidam obiectioni quæ contra priorem assertionem potest moueri.*
14 *In vsu & exercitio huius priuilegij ac tituli legitimo & moderato, nullum fit præiudicium Ecclesiasticæ libertatis.*
15 *Respondetur argumentis in contrariū adductis.*

PRo huius quæstionis declaratione operæ pretium est ante omnia † facti speciem exponere. Res igitur ita fertur contigisse. Cùm in ciuitate Cordubensi plures essent priuatæ personæ, quæ vltra propria officia, quæ exercebant, paramenta etiam nigra, hastilia, candelabra, & alia huiusmodi generis pro exequiis defunctorum incerto pretio indies crescente commodabant: Visum fuit Regi Catholico hoc officium ad vnum reducere; quod vulgo dicitur (Estancar) & de facto illud reduxit, vendítque cuidam ciui Cordubensi pro summa nongentorum ducatorum, cum facultate prohibitiua, scilicet vt ipse solus deinceps & nullus alius posset huiusce generis res aliis locare aut commodare. Isque non aliter neque maiori pretio locaret aut commodaret, quàm sibi in Regio titulo ac priuilegio pro singulis rebus taxato; vt videre licet in ipso Regio titulo Matriti expedito ac signato die 21. Aprilis anni 1636. 1

Secundò notandum & supponendum est, quod ex † huiusmodi tituli & priuilegij vsu & exercitio sequentes in ciuitate Cordubensi pullularunt difficultates. Prima an prædictus N. in virtute huius priuilegij possit impedire aliquam Ecclesiam Patrochialem vel Conuentualem, ne vtatur paramentis nigris, tumba, & hastilibus in actibus funeralibus defunctorum, 2

qui inibi ſepeliuntur, quæ ipſa aliàs habet propria? Secunda, an poſſit impedire ſaltem, ne de nouo emat talia paramenta ad vtendum illis in exequiis defunctorum, & excuſandum conductionem ſeu locationem aliorum à dicto priuilegiario, *Eſtancados*. Tertia, an poſſit impedire, ne talis Eccleſia parochialis vel conuentualis ſua paramenta nigra, haſtilia, tumbam, & candelabra conducat iuſto pretio alteri Eccleſiæ, pro exequiis alicuius defuncti celebrandis? Quarta & vltima, an dictus priuilegiatius imponendo Eccleſiis huiuſmodi actiones commemoratas, aut aliquam illarum, lædat Eccleſiaſticam libertatem? ita vt incurrat excommunicationem in Bulla Cœnæ Domini contentam *caſu* 15. ſub hiis verbis. *Qui ſtatuta, ordinationes, conſtitutiones, præeminentias, ſeu quæuis alia decreta quouis quæſito colore fecerint, ordinauerint, vel publicauerint, vel factis & ordinatis vſi fuerint, vnde libertas Eccleſiaſtica ſoluitur, ſeu in aliquo læditur vel deprimitur, aut alio quouis modo reſtringitur, &c.*

3 Et quidem † pars affirmatiua, nimirum huiuſmodi priuilegium prohibitiuum lædere Eccleſiaſticam libertatem, illámque deprimere aut reſtringere ad minus; & conſequenter incurrere dictam excommunicationem Bullæ Cœnæ, tam Principem concedentem huiuſmodi priuilegium, & Senatores Conſilij ſupremi Regis illud confirmantes, ac Secretarium illud ſigillo conſignantem, quàm ipſum Priuilegiarium in illius vſu & exercitio: ſuaderi poteſt haud inualidis argumentis. Primò ab authoritate omnium Theologorum ciuitatis Cordubenſis, qui neque numero, neque qualitate ſunt inferiores eis, qui integram Academiam conſtituunt. Hij namque omnes Magiſtri, Regentes, & Lectores Theologiæ omnium ordinum mendicantium, vno conſenſu & calamo huic ſententiæ ſubſcripſere. Secundò probatur à diffinitione libertatis Eccleſiaſticæ, quæ ſic
4 habet. † *Libertas Eccleſiaſtica eſt naturalis facultas Eccleſiæ faciendi quidquid iure aut lege non ſit prohibitum*; quam probat & colligit conſentiens communi omnium Doctorum placito, Bonacina *in tractatu de legibus diſp.* 10. *q.* 2. *puncto* 1. §. 1. *ex lege libertas ff. de ſtatu hominum.* Et idem Bonacina *in tractatu de cenſuris Bullæ Cœnæ diſp.* 1. *q.* 16. *ſect.* 1. *puncto* 1. eandem diffinitionem repetit ac confirmat. Ex qua infert
5 † triplicem eſſe Eccleſiaſticam libertatem, ſcilicet localem, quæ competit locis, realem ſcilicet qua gaudent res & bona Eccleſiarum; atque perſonalem, ſcilicet quæ competit perſonis Eccleſiaſticis, in quantum tales ſunt. Sed vſus iſtius priuilegij prohibitiui lædit ac deprimit & reſtringit facultatem localem, & realem Eccleſiaſticam, quia tollit & impedit facultatem, quam Eccleſiæ parochiales habebant, ante illius conceſſionem. Nam omnes habebant facultatem vtendi ſuis paramentis in exequiis defunctorum, ſi fortè illa haberent; & conducendi illa iuſto pretio, & emendi illa ſi fortè non haberent. Et aliquæ de facto illarum habentes talia paramenta nigra illis vtebantur, & ea conducebant, iuſtum emolumentum recipiendo licitum & nulla lege prohibitum. Per dictum autem priuilegium & eius vſum, auferetur hæc facultas ab Eccleſiis, quæ & ab antiqua poſſeſſione, & conſuetudine præſcripta ſui iuris ac emolumenti percipiendi deiiciuntur: ergo proculdubio earum localis ac realis libertas labefactatur, deprimitur & valde reſtringitur. Tertiò probatur *ex cap. finali de rebus Eccleſiæ alienandis, vel non:* vbi † Innocentius III. declarat nullas & irritas eſſe, vtpote Eccleſiæ libertatitati contrarias, quaſcumque conditiones ſeu alienationes rerum Eccleſiaſticarum ſine conſenſu legitimo perſonarum Eccleſiaſticarum, per laicorum Principum conſtitutiones factas. De quibus ait, *quod non formidant ſuis conſtitutionibus, vel potius deſtitutionibus impugnare, non ſolùm de alienatione fœudorum, ac aliarum poſſeſſionum Eccleſiarum, & vſurpatione iuriſdictionum: ſed etiam de mortuariis necnon & aliis, quæ iure ſpirituali adnexa videntur, illicitè præſumendo, &c.* Per *mortuaria* autem intelligit Innocentius paramenta, haſtilia, & candelabra, quæ Eccleſiæ habere ſolent ad exequias defunctorum celebrandas, ex quibus aliquod iuſtum à laicis emolumentum percipiunt: aut ius ipſum, quod habent ea poſſidendi, eis vtendi, & aliquod emolumentum pro eorum vſu percipiendi. Quo emolumento priuantur, & à quo iure deiiciuntur Eccleſiæ per dictam conſtitutionem prohibitiuam, factam in fauorem emptoris: igitur potius deſtitutio, vt vtar verbis Innocentij, quàm conſtitutio cenſenda eſt. Quartò ab inconuenienti quod ſequitur ex aduerſa ſententia; nimirum quia aliàs etiam poſſet Rex Catholicus ſuo priuilegio conceſſo in fauorem alicuius tertij *Eſtancar*, cætera ornamenta Eccleſiarum, & Altarium, vt frontalia & Clericorum veſtes ſacras abſque læſione Eccleſiaſticæ libertatis: quandoquidem eadem in vtriſque militat ratio. Conſequentia à nemine admittetur: quis enim audebit dicere, Eccleſiaſticam libertatem neque lædi, neque deprimi, ſi habere ornamenta propria pro altaribus, & pro ſuis miniſtris Eccleſiæ prohibeantur? Quid ſi eorum quæ habent ornamentorum prohibeatur vſus? quid ſi vti alienis & pro eis ſoluere inſolitum pretium compellantur? profectò eſſet Eccleſiaſticæ libertatis miſerandum exitium. Neque valet, ſi dicas in hiis omnibus Regium priuilegium & eius vſum directè dumtaxat politicum regimen reſpicere; quia diſponit in materia tẽporali communi Laicis & Eccleſiaſticis, neque Eccleſiaſtica iura offendere, niſi valde remotè & indirectè: quod non tollit quominus à cunctis vtriuſque ſtatus fidelibus debeat obſeruari. Non inquam valet hoc effugium: nam manifeſtè *in dicta clauſula Bullæ Cœnæ* 15. præcluditur per illa verba ad calcem ſubiuncta. *Seu noſtris & dictæ Sedis, ac quarumcumque Eccleſiarum iuribus quomodolibet directè vel indirectè, tacitè vel expreſsè præiudicatur.*

Hiis ita propoſitis & conſideratis, ſcrupu- 7
lum nobis auget † Nauarrus profundiſſimus vtriuſque iuris ſcrutator, qui *lib.* 3. *conſiliorum tit. de emptione & venditione conſilio* 2. negat poſſe Rempublicam liberam, ſiue ſupremum Principem vendere ius recipiendi hoſpites pro certo pretio, in vtilitatẽ Reipublicæ conuertendo, cũ priuilegio vendendi hoſpitibus foclettam vini vno quatrino plus quàm venditur in ciuitate. Rurſus negat poſſe dictam Rempublicam liberam, aut Principem ſupremum, liberum relinquere vnicuique ciui officium recipiendi hoſpites,

hospites, cum onere tamen soluendi duo scuta pro qualibet cuppa vini, quam vendiderit minutatim hospitibus aduentantibus: eò quòd iniquum & contrarium iuri naturali, diuino, & humano est, vendere iura recipiendi hospites cum priuilegio prohibitiuo, ne qui alij recipiant eos. Quæ ratio iniquitatis videtur pariter militare in nostro casu, in quo Rex vendit ius locandi paramenta & vestes, quæ funebri pompæ deseruiunt, cum priuilegio prohibitiuo, ne alij in eadem ciuitate ea locare possint: ergo pariter huius officij ac iuris venditio prohibitiua, est iniqua, & iuri naturali, Diuino ac humano contraria.

Sed hiis non obstantibus sententiam negatiuam amplector cum certo moderamine: quam sequentibus assertionibus declaro; quibus & dubitationibus initio propositis ordinatè respondebo.

8 Dico primò † respondens primæ ac secundæ dubitationi; dictum N. priuilegiarium nequaquam posse in virtute huius priuilegij impedire Ecclesias parochiales, vel Conuentuales, ne vnaquæque habeat, aut emat sua paramenta nigra, quibus parietes proprios ornet, aut hastilia & candelabra, quibus in exequiis defunctorum vtatur. Hanc conclusionem libenter damus Authoribus prioris sententiæ, & illam ostendimus primò: quia Ecclesiæ non debent esse deterioris conditionis, quàm laici. Atqui isti stante dicto priuilegio liberi sunt ad emendas vestes nigras pro se & suis domesticis, & ad vtendum iam habitis in exequiis defunctorum propriæ familiæ. Viri namque nobiles non prohibentur per hoc priuilegium in exequiis suarum vxorum ac filiorum, emere vestes nouas nigras, quibus se & suos domesticos vestiant: neque prohibentur vestire parietes Ecclesiæ, in qua iacet corpus defuncti, paramentis laneis, aut sericis, si illa habeant domi intra propriam supellectilem: ergo neque id prohibetur Ecclesiis. Secundò, quia priuilegium prohibitiuum, quia rigorosum & odiosum est, non licet extendere vltra eam actionem, quam prohibet. Nam odia restringi & fauores conuenit ampliari, iuxta 15. *regulam Iuris in* 6. Atqui hoc priuilegium, vt patet ex eius tenore, habet formam prohibitiui, solúmque prohibet actionem conducendi vel commodandi paramenta nigra, hastilia, candelabra & similia pompæ funebri deseruientia: dat enim Princeps in illo formam hanc incolis omnibus ciuitatis Cordubensis, vt si quis eorum deinceps velit conducere huiusmodi pro exequiis sui vel alterius defuncti, non ab alio, quàm à dicto N. priuilegiario possit ac debeat accipere taxato pretio. Itaque Princeps neminem obligat ad conducendum huiusmodi res luctuosas, sed tribuit formam eas conducendi: nimirum vt quicumque voluerit eas conducere, istum & non alium possit ac debeat adire. Ipsi autem N. hoc priuilegium concedit, vt solus ille in dicta ciuitate sit talium rerum commodator & conductor: sed habere huiusmodi res ex propriis aut emere illas, aut vti iam emptis in exequiis defuncti domestici, non est conductio, neque commodatio: sunt enim istæ actiones ab illis toto cœlo diuersæ: ergo illæ actiones neutiquam in dicto priuilegio prohibentur, id est neque expressè, quia ibi non exprimuntur: neque virtualiter & per consequentiam, quia à disparatis non fit illatio: ergo iste priuilegiarius in virtute dicti priuilegij non potest Ecclesiis recensitas actiones impedire. Id enim possumus, quod iure possumus: iure autem id non potest dictus Priuilegiarius in virtute dicti priuilegij, quia tale ius à priuilegio non accipit: quin potius abutetur illo, nimirum extendendo illud ad actiones, ad quas non extenditur: ac proinde iniuriam Ecclesiis irrogaret & contra iustitiam peccaret, illas scilicet priuando iure suo. Vtrum autem peccaret etiam contra religionem, offerendo libertatem Ecclesiasticam? Dicemus *in solutione quartæ dubitationis*. Nunc autem ab hac consideratione consultò abstinemus, solámque perpendimus malitiam iniustitiæ, quam haberet iste actus, quo Priuilegiarius vellet Ecclesias vexare, eas à iusto & licito vsu propriarum rerum impediendo: planéque teneretur ad restitutionem impensarum, quas in lite facerent dictæ Ecclesiæ, titulo iniustæ actionis: & quia qui causam damni dat, damnum quoque fecisse videtur. Tertiò probatur, quoniam † gratia 9
Principis semper intelligenda est sine præiudicio tertij, saltem alio, quàm expresso in illa: vt habetur *leg. 3. ff. ne quid in loco fiat, & cap. super eo de officio delegati.* Si autem hoc priuilegium prohiberet Ecclesiis, aut etiam priuatis personis vsum propriarum rerum, aut ne illas haberent, aut ne habitis, siue emptis in exequiis suorum defunctorum vterentur, proculdubio esset in præiudicium tertij: obligarétque omnes ciues dictæ ciuitatis ad conductionem talium rerum, quod est contra tenorem ipsius tituli: & supra præiudicium *ibi* expressum: ergo.

Dico Secundò † respondens tertiæ dubita- 10
tioni, posse dictum N. impedire in virtute sui priuilegij Ecclesias, vel earum Rectores, sicut & Laicos, ne aliis locent, aut commodent sua paramenta, hastilia, &c. pro exequiis defunctorum alibi, & extra ipsas celebrandis. Hæc conclusio probatur primò ex tenore ipsius tituli Regis, qui omnibus vicinis & incolis ciuitatis Cordubensis prohibet indiscriminatim hanc actionem locandi & commodandi prædictas res funebri pompæ deseruientes, quam tamen soli N. priuatè concedit, vel potius vendit in ius perpetuæ hæreditatis ab ipso & eius successoribus possidendum, pro summa nongentorum aureorum: nomine autem vicinorum & incolarum alicuius Reipublicæ indistinctè & genericè accepto, etiam Ecclesiæ & Communitates intelliguntur: & iuxta regulam iuris, vbi lex non distinguit aut restringit, nec nos restringere aut distinguere debemus. Ergo pariter omnes ab actione huiusmodi locandi & commodandi tales res per dictum priuilegium arcentur: ergo & dictus Priuilegiarius nemini iniuriam irrogat vtendo iure suo. Dices irrogare iniuriam Ecclesiis præiudicando earum libertati: contra quam nequiuit Princeps secularis absque Summi Pontificis consensu & facultate concedere priuilegium, prohibens eis ius locandi & commodandi res suas. Sed contra hoc arguitur secundò: nam Ecclesiastica libertas non læditur, nisi tollatur aut restringatur ius, quod competit Ecclesiæ, in quantum Ecclesia est in sensu formali: alioquin in aliis rebus prophanis & temporalibus, aut etiam indifferentibus & communibus Laicis atque

Ecclesiasticis, quamuis lædatur aut restringatur facultas & ius competens alicui Ecclesiæ; non quatenus Ecclesia, sed quatenus Communitas quædam est aut persona priuata, non censetur tolli aut lædi Ecclesiasticam libertatem, quia non tollit aliquid quod sit Ecclesiæ in sensu formali; per ea quæ bene notat Bonacina *tractatu de censuris Bullæ Cœnæ disp. 1. q. 16. sect. 2. puncto 2.* Sed locare & commodare extraneis paramenta & candelabra, & similia, sunt actus merè temporales prophani, qui non competunt Ecclesiæ, quatenus Ecclesia est, neque ius aut facultas libera ad illos exercendos est propria Ecclesiæ, vt Ecclesia est, imo indecens est, neque enim istud genus negociationis decet Ecclesiam aut eius Rectorem, cùm potius eis prohibeatur in *cap. Multa, & cap. secundum, ne Clerici vel Monachi lib. 3. decretalium*, vbi sic decernitur ab Alexandro III. *Secundum instituta prædecessorum nostrorum sub interminatione anathematis prohibemus, ne monachi, vel clerici causa lucri negotientur, & ne monachi à clericis vel laicis suo nomine firmas habeant, neque laici Ecclesias ad firmas teneant.* Poterit igitur Ecclesia aut Rector suppellectilem pompæ funebri deseruientem, altari Ecclesiæ aut etiam laico mutuare gratis & sine pretio, quod est opus amicabile virtutis charitatis ac beneficentiæ: non tamen poterit pro pretio commodare vel locare, qui sunt contractus onerosi, & ad genus negotiationis pertinentes prohibiti Clericis, & à fortiori Ecclesiis. Quod si possit Ecclesia propter indigentiam hoc genus lucri exercere: hæc tamen facultas neutiquam est Ecclesiastica, neque competens Ecclesiæ vt Ecclesia est, sed vt est quædam Communitas vel persona patiens temporalem necessitatem: ac proinde secularis Princeps dum hanc facultatem ei impedit, nequaquam lædit Ecclesiasiasticam libertatem. Quid si Ecclesia parrochialis est in consuetudine antiqua & præscripta, locandi sua paramenta & percipiendi ex locatione certum lucrum aut emolumentum? Respondeo ab hac consuetudine posse deiici per Regium priuilegium, absque læsione Ecclesiasticæ libertatis: quia neque ista consuetudo præstat ius aut facultatem Ecclesiæ vt Ecclesia; sed est merè temporalis, qualem poterat habere quælibet alia persona vel communitas laica, vel collegium secularium. Sed gratis admisso, non posse deiici Ecclesiam ab hoc iure & consuetudine præscripta per Regium decretum, & statutum; bene tamen potest impediri, ne de nouo in hanc consuetudinem ingrediatur, & ne hoc genus negotiationis de nouo exerceat: & id operatur de facto dictum priuilegium ad minus, laicos quidem à consuetudine locandi huiusce generis paramenta deiiciendo: Ecclesias verò parrochiales & Conuentuales impediendo, ne deinceps idem officium exerceant: alioquin priuilegium Principis vanum foret & nullius efficaciæ, si loco laicorum Ecclesiæ deinceps in locando & commodando sua paramenta antiqua vel de nouo quæsita, subrogarentur: quod nullatenus est admittendum.

11 Tertiò probatur, nam † Princeps secularis habet potestatem vtendi sua regalia, & vtendo illa, disponendo in rebus merè temporalibus & respicientibus politicum regimen, ac communibus Ecclesiasticis pariter atque laicis, qui propterea pariter eadem Principis lege tenentur: vt ostendimus *disp. 3. de legibus sect. 1. difficultate 2.* modò hæc obligatio cadat in Ecclesiasticos ex vi ipsius legis ciuilis, modò ex vi iuris & æquitatis naturalis præcipientis vt pars suo toti consentiat, & quod sentiat onus, qui sentit commodum. Atqui materia hæc rerum pertinentium ad funeris externam pompam & apparatum, est si non prophana omnino, saltè temporalis & communis Laicis, & Ecclesiasticis personis ac Communitatibus, respicítque dumtaxat politicum regimen, humanúmque conuictum & societatem, cuius pariter Laici & Ecclesiastici incolæ sunt participes: ergo pariter seruare tenentur Regium decretum & ciuilem legem, per quam Princeps in hac materia formam disponit ac præscribit, ab omnibus pro communi vtilitate seruandam. Maior cum consequentia est nota. Et Minor probatur *ex cap. animæ 13. quæst. 2.* sumpto ex D. Augustino *lib. de cura pro mortuis cap. 2.* dicente, † *Animæ defunctorum quatuor,* 12
modis soluuntur; aut oblationibus Sacerdotum; aut precibus sanctorum, aut charorum eleemosynis aut ieiunio cognatorum: curatio verò funeris, conditio sepulturæ, pompa exequiarum magis viuorum solatia sunt, quàm subsidia mortuorum. Ex quibus verbis manifestum fit, huiusmodi res secundi generis non esse animarum suffragia, sed viuorum solatia: ac per consequens esse merè temporales & ad humanum conuictum spectantes. De quibus proinde erga omnes potest lex ciuilis disponere, & formam præbere seruandam. Quapropter de facto Reges Catholici in hiis regnis suis pragmaticis sanctionibus, funeris pompam, vestésque nigras lugentium, tumulorum apparatum & altitudinem, atque cereorum numerum in illis apponendorum temperant ac moderantur: nec non conuiuia Clericorum in cœtu funebri limitant propter vitandum excessus, ac peccata prodigalitatis, quæ in hisce sumptibus fieri solebant. Quæ leges ac sanctiones iustæ & conuenientes sunt, paritérque Laicos & Clericos obligant, absque detrimento Ecclesiasticæ libertatis; per ea quæ docent Cardinalis Turrecremata *in dicto cap. animæ defunctorum num. 8.* & Panormitanus *in cap. finali de rebus Ecclesiæ alienandis, &c.*

Dices; † igitur neque Ecclesia parochialis 13
aut Conuentualis, ob vsum suorum paramentorum ac tumbarum cum tot candelabris erectarum, in actu funebri alicuius defuncti inibi sepeliendi aut sepulti, aliquod stipendium siue emolumentum percipere potest, siquidem iste vsus siue mutuatio, quædam commodatio ac locatio est: & emolumentum perceptum, pretij quoque rationem habet, ac proinde videtur dicto priuilegio prohiberi non minus, quàm locatio earumdem rerum facta extraneis, & pro vsu & ornatu in alia Ecclesia faciendo: quod tamen videtur absurdum, & contra laudabilem consuetudinem Ecclesiarum, & conuentuum regularium, quod in hoc genere emolumenti nullum piaculum interuenire, semper existimauerunt, & praxi confirmarunt. Respondeo negando consequentiam: quoniam vsus iste est proprius ipsius Ecclesiæ, ad quem ipsa habet ius, non quidem provt est locus sacer ad sepulturam defunctorum fidelium destinatus:

sic

sic enim etiam alienis paramentis, & conductis à Laico posset vestiri & ornari, sicut & pannis sericis conductis à Laico pro diebus solemnibus solet ornari: sed provt gerit vicem cuiusdam personæ habentis ius proprium in bona sua etiam temporalia: quæ, quia Ecclesiæ sunt, iam facta fuere Ecclesiastica. Quare qui illorum vsum Ecclesiæ impediret, nedum iniustus, sed etiam sacrilegus esset, & dictam Bullæ excommunicationem incurreret: vt bene notant Suarius *tom 1. de religione lib. 3. conclusione 8.* Petrus Surdus *tomo 3. consilio 307. à num. 67.* dicens statutum Principis laici esse nullum & prorsus inualidum, si in personas Ecclesiasticas, aut in Ecclesiæ bona, v.g. domos, aut prædia dirigatur; & Tiraquellus *tractatu de primogeniis q. 43.* & Ioannes Driel *lib. 2. de Ecclesiastica libertate cap. 3.* sequuti Bartholum *in lege cunctos populos num. 28.* Innocentium *in cap. nouerit, de sententia excommunicationis*, Abbatem & Immolam *in cap. nouit, de iudiciis*: qui docent tunc leges & constitutiones ciuiles offendere Ecclesiasticam libertatem, quando priuant Ecclesiam iure, vel vsu adquisito; secus autem quando prohibent, vel impediunt adquirendum, maximè quando istud est Ecclesiis denegatum. Per dictum autem priuilegium concessum. N. tantùm prohibetur Ecclesiis, sicut & laicis ius locandi & commodandi extra paramenta luctui & funeri deseruientia: quod quidem ius aliàs est Ecclesiis denegatum, & illicitum ob indecentiam, & indecorum, vtpote cùm habeat figuram negociationis: non autem denegatur illis ius vtendi propriis paramentis ad intra, quod iam est adquisitum illis quæ talia habebant: nam si hoc ius impediretur, sacrilegum & præiudicans Ecclesiæ libertati foret. Sed nihilominus pro talium vsu adintra potest Ecclesia aliquod emolumentum percipere, vt bene notat Suarius *tom. citato lib. 4. cap. 15. num. 7.* dicens: *In funeribus oportet distinguere varios actus, quia non omnes spirituales sunt; & pro his qui spirituales non sunt licitum erit pretium exigere.* Et *paulò infra* inter eos qui spirituales non sunt, recenset funeris apparatum dicens. *Huc etiam spectant omnia quæ ad pompam funeris merè humanam ordinantur, vt tumulum facere & ornare, & mundari.* Pro huiusmodi ergo adintra potest Ecclesia vel Conuentus accipere aliquod emolumẽtum siue stipendium: non quidem tam in vi locationis, vel commodationis propriarum rerum, quàm respectu laboris impensi: qua ratione etiam pro Missa solemniter, & cum ministris dicta cum vigilia, maius stipendium accipere solent Ecclesiæ & Conuentus, quàm pro Missa celebrata sine solemnitate, aut sine ministris, aut sine vigilia. Huiusmodi igitur ius in Ecclesiis, quibus iam adquisitum fuerit ante dictum priuilegium, neque tolli, neque impediri, neque restringi potest per ipsum absque præiudicio Ecclesiasticæ libertatis. Vbi autem non fuerit adquisitum, possitne eius noua adquisitio, siue introductio impediri per Principis decretum, seu priuilegium concessum alicui tertio? dubia res est; inclinor tamen in partem negantem, quia fauorabilis magis est Ecclesiæ & eius libertati; certa tamen res est (quidquid sit de possibili) de facto non tolli per istud concessum. N. ciui Cordubensi, quod solum extenditur ad prohibendum locationem & commodationem prædictarum rerum, factam vel faciendam aliis, & extra domum ipsius locantis siue commodantis, qualiscumque ille fuerit.

Dico Tertiò: † in vsu & exercitio huius priuilegij ac tituli legitimo & moderato nullum fit præiudicium Ecclesiasticæ libertati. Hæc conclusio colligitur, tum ex rationibus factis pro præcedente: quia nimirum huiusmodi res & earum vsus ad funeris pompam pertinentes sunt prophanæ, vel saltem merè temporales, vt probat nuper allegatum testimonium Suarij: de quibus proinde Princeps secularis vtendo sua Regalia potest statutum condere, respiciens politicum regimen, & hominum ordinatum conuictum: cuius participes pariter sunt Ecclesiastici & laici, quos propterea dictum statutum pariter liget. Siue hæc obligatio quatenus comprehendit Ecclesiasticos, proueniat ex ipsa Principis laici lege & statuto ciuili, vt multis placet: siue ex visceribus solius rationis & æquitatis naturalis, dictantis partem debere esse consentaneam toti: vt nobis placuit *in tractatu de legibus disp. 3. sect. 5. difficultate 4.* & probat Petrus Surdus *in dicto consilio 307. num 31.* super quibus etiam rebus de facto in nostra Hispania sunt leges ciuiles dantes formam omnibus, tam laicis, quàm Clericis & Religiosis seruandam. Secundò, quia vt offendatur libertas Ecclesiastica, oportet offendi illam, quatenus est propria Ecclesiæ in sensu formali, sicut in simili docet Nauarrus *tractatu de reditibus Ecclesiasticis quæst. 1. monitione 19. & lib. 3. consiliorũ titul. de præbendis consilio 6. ex cap. quia nos de testamentis*, dicens; capellaniam fundatam ab Episcopo, non authoritate aut iurisdictione Episcopali; sed priuata ex bonis propriis siue patrimonialibus, siue aliunde quæsitis, non esse beneficium Ecclesiasticum, quia non fuit fundata Ecclesiastica potestate, vt talis est. Igitur simili ratione libertas Ecclesiastica est illa, quæ competit personis aut rebus, aut locis Ecclesiasticis in sensu formali, videlicet quatenus sunt personæ Ecclesiasticæ diuino cultui mancipatæ, aut quatenus res sunt Ecclesiæ, aut quatenus loca sunt sacra: & nisi hæc libertas vt sic offendatur, non censetur offendi libertatem Ecclesiasticam: neque offensa aut iniuria ei aliàs irrogata erit sacrilega. Tertiò ostenditur: nam de facto Rex Catholicus simile priuilegium prohibitiuum concessit in sale (quando estanco la sal) quod solet in Ecclesiis pro aqua benedicta consumi: possétque simile priuilegium concedere, aut etiam vendere in thure & cera, quæ sunt res proculdubio vsui Ecclesiæ & cultui diuino necessariæ, imo propinquius diuino cultui deseruientes, quàm illæ de quibus agimus conducentes ad funebrem pompam: & tamen nullus hucusque ausus est dicere priuilegiarium, siue arrẽdatarium salis in excommunicationem Bullæ Cœnæ incidisse, tanquam læsorem Ecclesiasticæ libertatis. Neque de priuilegio prohibitiuo thuris & ceræ, aliquis id ipsum auderet affirmare: ergo multò minus de priuilegio prohibitiuo de quo disputamus, hoc licet asseuerare. Neque inficiamur huiusmodi priuilegia prohibitiua, quæ vulgo *Estancos* vocamus, esse periculosa, & sæpius iniustitiæ obnoxia: hoc tamen est aliunde, & ex alio capite, nimirum quia vel fiunt in rebus 14

rebus valdè communibus & neceſſariis, ac proinde cum damno particularium, qui ex officio tales merces vendunt, & non habent aliundè, vnde ſibi & ſuæ familiæ ſuccurrant: aut quia Princeps talibus mercibus non ſtatuit fixum ac moderatum pretium, ex quo datur occaſio priuilegiario, vt in damnum totius Reipublicæ pretium augeat: aut quia deeſt abundantia talium mercium quibus Reſpublica eget, ex quo cogitur aut illas carius emere, aut illis omnino carere cum magno ſui diſpendio: ſed non erunt ſacrilega iſta priuilegia ex læſione Eccleſiaſticæ libertatis, quod eſt noſtrum intentum. Imò ceſſantibus dictis inconuenientibus licita ac iuſta erunt vndequaque. Quod contingit in noſtro priuilegio, vtpote in quo & pretia moderata taxantur, cum obligatione locandi huius generis res ad funeris pompam neceſſarias, & nulli tollitur officium ex quo neceſſarium victum ac veſtitum acquirat. Quare neque ſacrilegum, nec iniuſtum eſt. Neque Princeps illud concedens, neque Senatores illud confirmantes, neque Secretarius illud obſignans, neque priuilegiarius illo, cum dicto moderamine vtens, ſunt offenſores Eccleſiaſticæ libertatis.

15 Ex quibus ad primum † in contrarium reſpondetur, nihil obeſſe authoritatem Theologorum Cordubenſium: quia aut ſolùm damnarunt immoderatum vſum dicti priuilegij, quatenus dictus priuilegiarius Eccleſiis nedum actionem locandi ad extra propria paramenta, ſed etiam conabatur eorum vſum ad intra impedire: aut nimio zelo Eccleſiaſticæ libertatis ducti fuere: qui tamen ſcientia & prudentia eſt temperandus. Ad ſecundum nego minorem. Ad cuius probationem patens eſt ſolutio ex dictis in tertia & quarta aſſertione. Ad tertium fateor de mortuariis ibi intellectis ab Innocentio, neutiquam poſſe Principem Laicum ſuis conſtitutionibus diſponere, quia iuri ſpirituali adnexa ſunt: ac per conſequens, cum oporteat acceſſorium ſequi naturam ſui principalis, neceſſe quoque eſt huiuſmodi mortuaria exempta eſſe à iuriſdictione ſeculari, pariter atque iura ipſa ſpiritualia. Nego tamen per mortuaria ibi intelligenda fore paramenta, ſiue ſtromata quæcumque ad funeralem dumtaxat externam pompam deſeruientia, aut ius ſiue conſuetudinem locandi illa extra ipſam Eccleſiam: cuius ſunt propria. De hiis namque vtpote merè temporalibus rebus ſtatuta Laicorum Principum ritè & validè diſponunt. Sed per dicta ibi mortuaria intelligendas fore eas res, quæ animabus defunctorum ſuffragantur, & non ſolùm viuorum conſolationi opitulantur, vel externo apparatui deſeruiunt: vt ſunt ſacrificia pro defuncto offerenda, oblationes Clericis exhibendæ, & legata pia Eccleſiæ, vel pauperibus relicta, in aliqualem peccatorum, vel pœnarum Purgatorij expiationem, interpretatur Panormitanus communiter receptus. Ex quo infert ille, irritas & inualidas fore cenſendas leges & conſtitutiones laici Principis, prohibentes ne dicantur Miſſæ vltra tantum numerum, aut ne offeratur vltra certam quantitatem, aut quod non valeant legata relicta Eccleſiæ ſine ſolemnitate: quod eſt contrarium Iuri Canonico *in c. Cum eſſes, & c. relatum, de teſtamentis*: quoniam huiuſmodi res ſunt annexæ iuri ſpirituali Eccleſiæ: de quibus proinde lex ciuilis diſponere non valet. Et hæc ſunt mortuaria ibi ab Innocentio rebus Eccleſiæ & iuribus ſpiritualibus connumerata. Ad quartum nego ſequelam: nam ornamenta altarium & veſtimenta miniſtrorum ſunt propria Eccleſiæ, vt Eccleſia eſt in ſenſu formali, & ſpiritualibus adnexa, vtpote immediatè diuino cultui & diuinis officiis deſeruientia: maximéque veſtes miniſtrorum ſacræ, quæ inde nomen hoc accipiunt, quod ſacra aliqua benedictione præuia cultui diuino deputantur, ſicut miniſtri ipſi media ordinum conſecratione: & aræ, calices, patenæ, & alia vaſa media Eccleſiaſtica benedictione diuino cultui adſcribuntur. Verumtamè cùm materiæ harum rerum ſunt prophanæ & merè temporales, valdéque remotè ad Eccleſiarum vſum pertinentes, poſſet ritè & rectè Princeps laicus ſua ſuprema fungens poteſtate, illas ad vnum venditorem reducere ſimili priuilegio prohibitiuo: ſeruatis tamen ſeruandis aliis conditionibus prænotatis. Vt ſi ſuo decreto diceret: ne quis præter vnum ſcilicet. N. in hac ciuitate Salmantina vendat telas lineas, aut laneas, aut ſericas, vel auro contextas, ex quibus Sacerdotum veſtes, & altarium ornamenta conficiuntur. Validum profectò erit tale decretum & licitum ac iuſtum, ſi cæteræ conditiones ſeruentur ad huiuſmodi monopolia requiſitæ. Ex quo haud infirmum habemus argumentum pro confirmanda noſtra quarta aſſertione. Neque aliud in eius confirmationem oportet adiicere.

Ad confirmationem autem ex Nauarro adductam; ipſemet qui torquet, nudum ſoluit, ſi attentè legatur: nam in illa venditione iuris hoſpitandi facta primo modo, ſcilicet cum priuilegio vendendi vinum carius hoſpitibus vno quatrino: manifeſta inuoluitur iniuſtitia erga hoſpites, quibus eadem menſura vini contra ius naturale carius venditur, quàm ciuibus: qui tamen benignius & gratius ſunt recipiendi propter laudem & meritum hoſpitalitatis, quæ eſt opus miſericordiæ omnibus commune ſuapte natura, & poſtulant gratis exhiberi, niſi neceſſitas hoſpitantium iam ob temporum calamitatem eos ad oppoſitum cogeret: eſt etiam contra ius humanum Eccleſiaſticum *in cap. 1. de emptione & venditione*, prohibens ne quidquam carius vendatur hoſpitibus & peregrinis, quàm indigenis. In venditione autem dicti iuris facta ſecundo modo, ſcilicet liberum relinquendo vnicuique hoſpites recipere cum onere ſoluendi Ciuitati aut Principi, duo ſcuta pro qualibet cuppa vini, non minor inuoluitur iniuſtitia, quia præbetur occaſio hoſpitantibus vendendi vinum carius hoſpitibus: præbere autem huiuſmodi occaſionem participando in lucro eiuſdem eſt malitiæ, per regulam *ad Rom. 1.* videlicet, non ſolùm facientes, ſed etiam conſentientes peccato damnabuntur. A qua iniuſtitia planè vindicatur venditio iuris ſiue tituli locandi res funerali pompæ deſeruientes, fixo & æquali pretio quibuſcumque.

DIFFICVLTAS II.

Vtrum supremus Princeps possit populo iusta de causa nouum tributum, siue nouam gabellam imponere?

SVMMARIVM.

1 *Supponitur quemlibet Principem non recognoscentem Superiorem posse pro sui suorúmque necessaria sustentatione ac Reipublicæ defensione Vasallis tributa imponere.*

2 *Consueta tributorum genera sunt quatuor, census, tributum, vectigal & pedagium.*

3 *Supremus Princeps potest quandoque insolitas gabellas populo licitè & iustè imponere.*

4 *Referuntur quatuor conditiones ad cuiusuis gabellæ siue tributi iustificationem requisitæ.*

5 *Supremus Princeps non potest noua tributa sine noua iusta causa à Vasallis licitè & iustè exigere.*

6 *Supremus Princeps non potest prouinciam aliàs gabellis grauatam, nouis & insolitis grauare, si aliunde possit suæ & prouinciæ necessitati subuenire.*

7 *Princeps si non aliter possit suæ ac regni necessitati subuenire, licitè & iuste nouam gabellam Vasallis potest imponere, aut nouum donatiuum ab illis exigere.*

8 *Respondetur obiectioni, quid scilicet agendum, si Princeps sua culpa & malo regimine in tantam inciderit necessitatem.*

9 *Explicatur locus celebris de Samuele, qui ex persona Dei Ius Regis Israëlitis explicuit.*

10 *Princeps Supremus pro defensione aut recuperatione vnius Prouinciæ, potest aliis prouinciis suæ ditionis tributa imponere.*

11 *Referuntur conditiones quædam requisitæ sine quibus hæc assertio corruit.*

12 *In nullo casu expedit Principi laico Ecclesias aut Ecclesiasticos tributis grauare, etiam indirectè, quando eos necessitas æquè ac Laicos non tangit.*

13 *Cuius suppositionis singulæ partes explicantur.*

14 *Bonorum genera sunt tria, quæ ab Ecclesiasticis iusto titulo possunt acquiri.*

15 *Principibus Christianis non expedit, bonis Ecclesiarum aut personarum Ecclesiasticarum etiam de licentia Summi Pontificis obtentis vti.*

16 *Cuius assertionis veritas variis exemplis funestis probatur.*

17 *Regum Hispaniæ in aduerso bello mos olim laudabilis, ab hodierno longè diuersus.*

1 IN hac difficultate vnum supponimus, & aliud inquirimus. Supponimus † quidem tanquam indubitatum, Regem & quemcumque Principem supremum non habentem superiorem in temporalibus, posse tributa pro sui, famulantiúmque sibi necessaria sustentatione, ac Reipublicæ defensione vasallis imponere, ad quæ soluenda ipsi in vtroque foro tenentur. Quæ suppositio probatur ex Paulo *ad Rom.* 13. ibi. *Ideò necessitate subditi estote, non solùm propter iram, sed etiam propter conscientiam, ideo enim & tributa præstatis, ministri enim Dei sunt, in hoc ipsum seruientes. Reddite ergo omnibus debita, cui tributum, tributum, cui vectigal, vectigal, &c.* vbi Apostolus ex eo quod Principes sunt ministri Dei in regimine ac defensione subditorum, atque in administrando eis iustitiam, infert in subditis obligationem secundùm conscientiam, hoc est in foro conscientiæ, reddendi eis debita tributa. Secundò probatur ex communiter recepta doctrina D. Thom. *lib. 3. de regimine Principis c. 5. & 11. & lib. 4. c. 20. & opusculo 21. ad Ducissam Brabantiæ quæsito* 1. atque *ad Rom. 13. lect. 1.* ad illud verbum, *cui tributum, tributum.* Soto *lib. 3. de iustitia & iure quæst. 6. articulo 7.* & Nauarro *tractatu de leg. pœnali, numero* 41. *& sequenti*, asserente regna iure naturali teneri alere suos Reges, & eis tribuere pro qualitate status ac ministrorum subsidia necessaria. Vltimò id ipsum suadet officium Regis, qui est pastor ouium rationalium, ac proinde sicut pastor, cuius propriè sint oues, ius habet emungendi ac tondendi suas oues, vt de earum lacte & vellere alatur; ita Rex ius habet de suorum subditorum lacte ac vellere, hoc est de ipsorum bonis superfluis adinstar lactis & velleris quæ ouibus superflua sunt, exigendi subsidia ad sui status conseruationem necessaria. Necnon suadet hoc ipsum officium Reipublicæ erga suum Regem; illa etenim ad istum comparatur vt nutrix ad infantem, quem de suis vberibus lactat, ita vt quemadmodum infans ius habeat naturale sugendi lac pro sui sustentatione necessarium, non tamen sugendi nutricis sanguinem, quem natura dedit pro ipsius matris seu nutricis conseruatione; sic Rex ius naturale habet sugendi à Republica totum lac, ideſt, subsidium sibi & statui necessarium. Caueat tamen infans, & Rex, ne nimis emungant, quia prouerbium est Spiritus Sancti, *qui nimis emungit elicit sanguinem.* Hoc suppositio ac prænotato, vertimus in dubium; Vtrum Rex possit aliquando noua & insolita tributa vasallis imponere ob aliquam iustam causam, & quæ sit illa?

Pro huius dubitationis enodatione sequentes statuo assertiones. Prima assertio sit, † consueta 2
tributorũ genera sunt quatuor, vt tenet Dominicus Soto communiter receptus *in alleg. lib. 3. de iustitia q. 6. art. 7.* nimirum census, tributum, vectigal & pedagium. Census dicitur à capite, vel à capitando personas, quia imponitur vnicuiq; vasallo ratione personæ in signum subiectionis. Et quoniam Dauid iussit numerari ac recenseri populum ad huiusmodi capitationem faciendam, & censum Vasallis iuxta numerum imponendum, quod fuit valde inuisum Deo, propterea ipsum puniuit, populum acri pestilentia percutiendo. Iudæi quoque Christum Dominum interrogauerunt, si liceret censum dari Cæsari, eo quod lege diuina liberi erant à subiectione & Romanorum Imperatorum dominio. Tributum autem est illud, quod subditi solent ac debent soluere Principi de fructibus terræ, pro administratione iustitiæ & pro honesto statu Principis conseruando. Vectigal est quod impenditur pro reparatione viarum, pontium & fontium. Pedagium denique est quod impenditur pro earumdem viarum custo-

dia & ſecuritate. Hæc duo iuſtificantur, ex eo quod vergunt in communem vtilitatem, & ſoluuntur de mercimoniis. Cætera quæ Principis aut Regni neceſſitas inuenit, ſunt inſolita & inconſueta, vt ſunt illa quæ ſoluuntur ſuper carnibus, vino, aceto & oleo, ſuper piſcibus, ſapone, niue & aliis quæ ad forum veniunt emenda, aut vendenda. Sed non quia inſolita, inde minus iuſta, ſi aliàs conditiones ad iuſtificationem tributi ſiue gabellæ ſufficientes & requiſitæ in eis concurrant.

3 Secunda aſſertio ſit. † Licitè & iuſtè poteſt ſupremus Princeps quandoque huiuſmodi inſolitas gabellas populo imponere. Hæc aſſertio communiter recipitur à Theologis & Iuriſperitis, de qua videndi ſunt D. Thomas *opuſculo* 21. *ad Ducissam Brabantiæ*, Sotus *in dicto artic.* 7. Nauarrus *tractatu de lege penali numer.* 41. *& ſequenti*: & Thomas Delbene *in ſuo tractatu morali de Parlamentis & comitiis dubitatione* 2. *&* 3. Suadetúrque primò ex

4 † conditionibus ſufficientibus & requiſitis ad iuſtificationem cuiuſuis gabellæ ſiue tributi, quæ ſunt quatuor communiter à Doctoribus receptæ; nimirum authoritas in Principe, cauſa iuſta ſiue neceſſitas id exigens, æqualitas proportionis, ita vt non grauet plus pauperes, quàm diuites, & quod ceſſante cauſa ſiue neceſſitate ob quam fuit impoſita, ceſſet ilico talis gabella. Atque poſſunt omnes iſtæ conditiones de nouo ſuperuenire Regno, vtpote à Regibus confinantibus inuaſo, & bellis grauato (vt hiſce calamitoſis temporibus noſtræ contigit Hiſpaniæ) pro quibus neceſſitatibus ſubleuandis non ſufficiunt conſueta tributa *ſupra* recenſita: igitur in tali euentu, & conditionum concurſu noua iuſtificantur. Secundò: nam teſte Nauarro *in loco proximè allegato*, tributorum lex iuſta cenſetur, quando pro ſuſtentatione congrua Principum, aut regni conſeruatione conſignantur: poteſt autem contingere, vt experientia conſtat, tributa antiqua, nec pro congrua Principis ſuſtentatione, nec pro regni pacifica conſeruatione ſufficere: ergo tunc iuſta erit lex nouum Reipublicæ imponens tributum. Vltimò probatur ex dicendis in ſequenti, quæ fortius ſecundam confirmant.

5 Tertia aſſertio ſit; † nequaquam licitè aut iuſtè poteſt ſupremus Princeps noua tributa aut donatiua à Vaſallis exigere, ſine noua iuſta cauſa. Quæ aſſertio non minus quàm præcedens eſt communiter à Doctoribus Theologiæ & iuris Canonici profeſſoribus recepta; de quorum numero ſunt D. Thomas *in dicto opuſculo* 21. Ioannes Gerſon *tomo* 4. *pagina* 826. Medina *Cod. de reſtitutione quæſt.* 13. Leſſius *lib.* 2. *cap.* 33. *dub.* 6. Vazquius *opuſculo de reſtitutione cap.* 6. §. 1. *dub.* 2. Regente Deponte cum aliis, quos ipſe citat & ſequitur *titulo* 4. Marquez *lib.* 1. *de vita Moyſis cap.* 16. Suadetúrque primò ex *propoſitione* 6. Gerſonis, quæ ſic habet. *Error eſt dicere poſſe Principem pro libito tributa imponere*: & *in propoſitione* 7. ſubdit. *Error eſt dicere Principem non debere ſeruare fidem ſuis Vaſallis, neque in contractibus initis cum illis obligari.* Cum igitur per legem Regiam populi in Principem ſupremum regni dominium tranſtulerint, quodam contractu citro vltroque obligatorio, ſcilicet iſto: Tuæ ditioni ac dominio ſubiicimur, vt nos in pace ac bello defendas, cum certis contributionibus, quas tibi ex nunc in futurum ſoluendas conſignamus: etenim Rex nihil eſt aliud quàm quidam homo, cui populi ſe ſubiecerunt cum certis conditionibus, eas proinde tenetur ſeruare ex inito contractu, ita vt alias de nouo exigere iuſtè non poſſit ad libitum, niſi aut noua cauſa ſuperueniente, aut noua vrgente neceſſitate. Secundò ſuadetur aſſertio ex D. Thoma *in dicto opuſculo* 21. *quæſt.* 1. *&* 6. In quorum priori ait, quod non licet imponere Iudæis inſolita tributa, tum quod inſolita tributa animos ſubditorum turbare ſolent: tum vt iuxta conſilium Apoſtoli ſine offenſione ſimus Iudæis, ac gentibus, & Eccleſiæ Dei. Tum denique quoniam etſi Iudæi ob culpam ſui Iudaiſmi, (loquitur enim de Iudæis non baptizatis habitantibus in terris Duciſſæ Brabantiæ) mereantur in perpetuam ſeruitutem redigi, ac dominio bonorum expoliari, nihilominus neceſſaria vitæ ſubſidia eſſent eis relinquenda: quæ tamen minimè relinquerentur eis, ſi inſolitis gabellis vexarentur. In poſteriori autem ſubdit, etiam à ſubditis Chriſtianis poſſe aliquando exigi inſolitas gabellas, videlicet quando Ordinarij reditus theſauri Regij non ſuppetunt aut pro vtilitate communi, aut pro honeſto ſtatu Principis conſeruando: ſecus verò ſi velint exigere vltra id quod eſt inſtitutum, pro ſola libidine habendi, aut propter inordinatas & immoderatas expenſas, hoc eis omnino non licet. Tertiò ſuadetur ex eo, quod aliquæ conditiones requiruntur ad iuſtificandam nouam & inſolitam gabellam, quibus proinde deficientibus, illa nequaquam iuſtificabitur. Prima eſt conſenſus & approbatio ciuitatum in comitiis regni, vt latè probat Marquez *vbi ſupra*, quia hoc ius competit Regnis Caſtellæ & Legionenſis; tum ex conſuetudine, tum ex *lege recopilationis lib.* 1. *titul.* 7. vbi decernitur, quod Rex nullum de nouo exigat tributum, niſi à ciuitatibus & eorum conſiſtoriis admittatur. Et licet hoc ius à principio ciuitates ex priuilegio Regis acceperint; tamen quia iam eſt conſuetudine & lege Regia formatum, nec non quia hæc donatio fuit facta titulo remunerationis, ideſt propter remuneranda obſequia multa à ciuitatibus Regi præſtita, ideo iam in vim contractus oneroſi tranſiuit, factúmque eſt irreuocabile. Secunda conditio eſt, quod Princeps non poſſit ſuæ vel Regni neceſſitati ſubuenire: nam ſi aliunde poſſit, nouam gabellam eſſe iniuſtam docent Medina, Leſſius, Vaſquius, Regente Deponte cum Thoma Delbene *dubitatione* 3. ſuperius citati, v. g. ſi Princeps poſſit ſuum ſtatum & famulatum reſtringere ac moderari, vel omittendo ſumptus parùm neceſſarios: vel abſtinendo ſe à donationibus prodigis & inofficioſis, aut etiamſi habeat officia publica vendibilia, ideſt quæ licitè poſſunt vendi ſeruatis quatuor conditionibus, videlicet quod ſit authoritas in vendente, quod vendantur dignioribus, & pretio moderato, & quod ea venditio fiat propter Reipublicæ neceſſitatem, vel magnam vtilitatem: alioquin venditio erit peccaminoſa lethaliter, ſed nonnualida, vt tenent Aragon, Valencia, Leſſius, Corduba, Villalobos,

Azorius

Azorius, *tomo 3. libr. 8. cap. 7. quæst. 3.* Caietanus *in summa V. officiorum venalitas*, Sotus *lib. 3. de iustitia q. 6. art. 4.* Nauarrus *in Manuali cap. 25. num. 7.* & alij quos citat & sequitur Thomas Delbene *dubitatione 3.* Dum enim ex horum officiorum vendibilium pretio possit Rex suæ necessitati succurrere, nequit licitè populum insolitis gabellis aut donatiuis vexare. Ratio primi est, quia Rex est propter regnum, & non econtra, ad differentiam Tyranni, qui regnum in suum priuatum commodum conuertit. Igitur debet suum priuatum commodum bono Reipublicæ postponere; igitur non potest licitè eam grauare insolitis gabellis ob suum particulare commodum. Ratio verò secundi est duplex: tum quia huiusmodi donatiua subrogãtur loco tributi ac seruitij, & in eorum supplementum, ac proinde easdem postulant conditiones ad sui iustificationem, quas diximus ad iustificationem seruitij & tributi postulari, eo quod subrogatum sapit naturam subrogantis. Tum etiam, quoniam ista donatiua nomine tenus sunt voluntaria, re verò ipsa sunt coacta, & à subditis miseris per metum grauem extorta, ac per consequens tales donationes sunt ipso iure inualidæ, & nequaquam transfertur per illas dominium in Principem donatarium: nam iuxta communem sententiam Doctorum vtriusque iuris tam ciuilis quàm Canonici, donatio coacta & per metum grauem facta, ipso facto est irrita & inualida; quapropter reducẽda sunt potius ad tributa. Inquires, sufficitne ad nouam gabellam imponendam, quod Princeps supremus affirmet se esse in magna necessitate constitutum, nec posse sibi aliunde subuenire? Videtur quod sic, quia in dubio inferior tenetur credere superiori, & ei obedire, quia in dubiis obedientia excusat. Verumtamen respondeo id non sufficere, neque facilè credendum esse à Parlamentariis, Principi eam necessitatem asserenti: alioquin aperietur via ad multiplicandum donatiua & gabellas sine termino, in manifestam Regni & boni communis perniciem: tunc autem subditos teneri credere suo Principi, quando attestatur de facto proprio, & quod non vergit in detrimentum tertij, maximè Reipublicæ seu Communitatis: vt scitè notant Lessius *lib. 2. de iustitia c. 31. dub. 3. & c. 33. dub. 8. & c. 41. dub. 9.* & Thomas Delbene *in allegata dubitatione 2.*

6 Assertio quarta sit pro maiori declaratione præcedentis. Neque † potest supremus Princeps prouinciam aliàs gabellis grauatam, nouis & insolitis grauare, si aliunde, hoc est salaria ministrorum minorando, & contractus cum vasallis initos ad limites iustitiæ reducendo, possit suæ & prouinciæ necessitati subuenire. Sunt alia duo vel tria remedia, quibus Princeps potest ac tenetur suæ ac Regni necessitati subuenire, priusquam nouas gabellas imponat, aut noua exigat donatiua. V. gr. si salaria ministrorum siue togatorum, siue militarium superflua & excessiua minuat: si gratias & pensiones annuas (quas vulgo dicunt aiudas de costa) suspendat: si contractus cum Vasallis initos cum magna sui læsione ad limites iustitiæ reducat. Omnia hæc tenetur Princeps tentare remedia, antequam ad nouam gabellam aut donatiuum perueniat. Ratio primi est, quia ita exigit bonum commune quod est anteponendum bono particularis; neque enim huius in comparatione illius vlla habenda est ratio: igitur pro bono communi Reipublicæ, minuendum est bonum priuatum particularium personarum, cuiusmodi sunt ministri iustitiæ ac belli, & aulici famuli, quorum proinde salaria reformari oportet, si nimis excessiua aut superflua sint, aut thesauri Regij excedentia facultatem. Ratio secundi est triplex: tum eadem pro priori dicto adducta, quia nimirum pro bono communi nulla habenda est ratio particularis, scilicet personarum particularium, quibus tales pensiones & gratiæ super reditibus Regij thesauri consignantur: tum etiam quia thesaurus Regius cum suis reditibus est inalienabilis quantum est de se, & secundum legem Regiam, qua ab initio fuit institutus & Regi à Republica consignatus, vtpote ipsius Regis maioratus, qui proinde alienari non potest, nec ad alios transferri. Comparatur etiam puteo, cuius scaturigines si obstruantur, vergit in detrimentum tam Domini, quàm vicinorum, qui ex eo aquam hauriebant. Sic venditis & alienatis reditibus thesauri Regij, scaturigines peremnes obstruuntur in ipsius Principis & totius Regni detrimentum. Illis enim peremnibus aquis deficientibus, necesse est Principem alienas aquas sitire, hoc est opes subditorum cum Reipublicæ detrimento. Tum denique quia ingens piaculum est, quod Princeps qui à subditis donatiua petit vt pauper, pensiones & gratias largiatur vt diues.

Ratio tertij est duplex: tum eadem sæpius repetita boni communis, propter quod nulla habenda est ratio boni particularis. Igitur cũ Princeps ære alieno, aut etiam bellis grauatus aut propriis reditibus destitutus, ineat contractus cum magna læsione, sine qua non valet aliter pecunias necessarias à mercatoribus & assentistis eruere, licitè poterit, imo & tenebitur eos contractus ad limites iustitiæ reducere, v. gr. si ex vi contractus obligabatur reddere viginti pro centum, optimè poterit hunc contractum reformare, ad obligationem soluendi octo, vel decem pro centum, quod est pretium iustum lucri cessantis aut damni emergentis, mercatori. Tum etiam, quia Rex potest habere in huiusmodi læsionibus beneficium restitutionis integrum, sicut & Respublica siue Communitas ex *leg. 4. Cod. Quibus ex causis maiores:* cùm non minus quàm Respublica tali beneficio restitutionis potiatur: ergo rite & rectè poterit contractus in quibus grauiter est læsus, ad limites iustitiæ reducere. Rogabis, quid si contractus initi à Vasallis Principis cum mercatoribus siue campsoribus, & cum graui iactura ipsorum Vasallorum; poteritne tunc Princeps hos contractus ad limites iustitiæ reducere, conuertendo illud interesse in sui & Reipublicæ commodum, pro vitanda noua gabella? Respondeo posse, cuius ratio est, quia cum Princeps sit supremus Dominus in temporalibus, ad ipsum pertinet disponere de bonis temporalibus subditorum, provt expedierit ad bonum commune: quod autem tunc Princeps recuperat à mercatoribus, conuertit in beneficium Regni, & ipsorum

læſorum, ſcilicet vt per id euitet nouam gabellam: ergo ſiue vaſalli contrahentes ac læſi, ſint incerti & ignoti, ſiue ſint certi ac noti (eadem namque ratio militat in vtroque caſu) poterit Princeps vtens ſuo iure tales contractus ad limites iuſtitiæ reducere, atque exceſſiuum pretium in beneficium regni conuertere. Quæ ratio amplius confirmatur, ex eo quod pretium illud exceſſiuum mercatorum, in quo maximè lædunt vaſallos, iam habetur pro derelicto ab ipſis vaſallis, ſicut pignora quæ vſurarij per vſuram extorſerunt à mutuatariis, à quibus iam habentur pro derelictis, ſi vendantur ab vſurariis provt ſolent illa paſſim vendi in ciuitatibus, poteſt quis ea emere ac licitè retinere, eo quod adeſt tacitus vel præſumptus dominorum conſenſus. Secus dictum puta de rebus furto ſublatis, quæ in propria ſpecie extant apud latronem: harum enim dominium nequit ex tacita aut præſumpta Domini voluntate, qui nec eas habet pro derelicto, in alterum per donationem aut venditionem transferri.

7 Quinta aſſertio ſit: Quod † ſi Princeps nullo ex præfatis modis poſſit ſuæ ac regni neceſſitati ſubuenire; tunc licitè & iuſtè poterit nouam gabellam vaſallis imponere, aut nouum donatiuum ab illis exigere. Ratio eſt manifeſta: nam hoc in caſu concurrunt omnes conditiones, ad iuſtificationem noui tributi ac donatiui requiſitæ; idque exigit bonum commune regni, propter quod poſtponenda ſunt bona & commoda ciuium particularium. Si enim Princeps habeat ſuam familiam adeò reformatam, vt eam amplius reformare decenter nequeat. Si miniſtrorum ſalaria ſint moderata; ſi penſiones & gratias inofficioſas ſuſpendit, ſi contractus læſiuos ad limites iuſtitiæ reduxit, aut nulli extent qui reductione indigeant, neque officia aut titulos dignitatum habeat, quæ vendi poſſint: tunc oportet eum ad Vaſallos recurrere, qui ſuis expenſis tenentur Principis
8 & Regni neceſſitati ſubuenire. Quid ſi † Princeps ſua culpa & malo regimine in tantam inciderit neceſſitatem? Adhuc hoc in caſu tenentur Vaſalli ei in publica neceſſitate conſtituto opem ferre, quia ita expedit bono communi, propter quod nulla habenda eſt ratio boni particularis. Tenetur verumtamen Princeps malum regimen corrigere, & pro adminiſtratione recta ac prudenti noui tributi aut donatiui fideles miniſtros adhibere, à Parlamentariis ſeu Comitialibus deſignandos; quia expedit bono publico, ne iterum Princeps in tam lamentabilem neceſſitatem prolabatur.

9 Hîc venit † explicandus locus ille celebris ex *lib.* 1. *Reg. cap.* 8. vbi Samuel ex perſona Dei explicuit Ius Regis, quem populus Iſraëliticus ſibi poſtulauerat, dicens. *Hoc erit ius Regis qui regnaturus eſt in vobis, filios veſtros tollet, & ponet in curribus ſuis, &c. & conſtituet ſibi tribunos & centuriones, & aratores agrorum ſuorum, &c. agros quoque veſtros & vineas, & oliueta optima tollet, &c. filias quoque veſtras faciet ſibi vnguentarias, & focarias, & panificas, &c.* quaſi Deus inſtituendo Regnum, quod eſt optimum regimen, inſtituerit tyrannidem, quæ eſt peſſima corruptio regiminis. Verum reſpondet D. Thomas 12. *quæſt.* 105. *art.* 1. *ad* 5. dicens, huiuſmodi ius redigendi filios Vaſallorum in ſeruos, & faciendi filias panificas, & focarias, & vſurpandi agros, vinea, & oliueta, non fuiſſe ex inſtitutione diuina, ſed ex ipſorum Regum iniquitate in tyrannidem degenerantium; dicitque ibi hæc potius per comminationem à Samuele, quàm per ſimplicem affirmationem, volente per hoc terrere populum, ne Regem poſtularet. Subdit tamen D. Thomas, poſſe contingere in aliquo euentu vrgente, ſcilicet publica neceſſitate, vt bonus Rex abſque tyrannide faciat omnia illa quæ Samuel comminatur, nimirum vt filios tollat & faciat tribunos, & centuriones, & filias panificas & focarias, & accipiat multa à vaſallis propter bonum commune procurandum; vt ſi ita expediat pro regni defenſione.

Aſſertio ſexta eſt; quod † Princeps ſupre- 10
mus poteſt pro defenſione aut recuperatione vnius prouinciæ ſeu Regni, imponere tributa aliis Regnis & prouinciis ſuæ ditionis, aut ab eis exigere donatiua, eo quod hoc cedit in honorem Principis, in bonum Regni ſiue Monarchiæ, cuius illa ſunt partes, quæ proinde tenentur concurrere & cooperari ad bonum totius. Hanc aſſertionem vt iacet, ſtatuit Thomas Delbene *in ſuo tractatu dubitatione* 14. Sed vt bene conſiſtat in veritate, aliquæ † conditiones 11
requiruntur ſine quibus corruet illius veritas: nimirum requiritur vt illud regnum, pro cuius defenſione vel recuperatione alia ſunt grauanda, afferat emolumentum aliquod, & ſuppetias Principi ad ſui defenſionem, vel recuperationem, ita vt Regius theſaurus ex eo aliquos reditus recipiat, quibus & Princeps ſibi ac aliorum regnorum neceſſitatibus poſſit ſubuenire, & potiſſimè ad illius defenſionem. Sin minus ſi tale regnum nihil emolumenti, aut intereſſe affert theſauro regio, cur alia regna debent pro illius defenſione conſumi, ſicut patet in compartibus vnius naturalis corporis, quas natura non exponit periculo pro defenſione illius membri quod inutile eſt aliis, propterea quod ſiccum ſiue aridum eſt: corpus autem myſticum Regni & Monarchiæ debet imitari corpus naturale ſicut ars imitatur naturam, alioquin inordinata erit eius conſtitutio. Rurſus requiritur, quod non adeò grauentur cætera regna fidelia pro rebellis defenſione aut recuperatione, vt veniant in ruinam, aut omnino attenuentur eorum vires: tunc enim iuſtus erit eorum clamor vſque ad cœlum aſcendens; Cur deſtruis nos, ô Princeps, vaſallos fideles, vt recuperes infideles? Cur deſtruis vaſallos obedientes, vt recuperes rebelles? Cum hiis itaque conditionibus aſſertio eſt intelligenda, ita vt defenſio vel recuperatio regni inuaſi, vel amiſſi cedat, non in ſolum honorem Regis, ſed in bonum commune totius Monarchiæ; alioquin pro ſola libidine habendi plures Coronas, nequit iuſtificari grauamen aliis regnis impoſitum. Vt autem iuſtificetur, vltra dictas conditiones requiritur amplius conſenſus & approbatio Parlamentariorum ſeu Comitialium, maximè in Hiſpaniæ regnis: quoniam licet Reges abſolutè & ex vi ſuæ Regaliæ ac Regiæ poteſtatis, ſecundum ius diuinum, gentium, ciuile ac canonicum, independenter à Parlamento ſeu comitiis id poſſint, intelligè ſecluſo iure aut conſuetudine municipali Regni ſiue prouinciæ oppoſitũ exigente, ſicut contingit in Caſtellæ & Legionis Regnis, in quibus

ciuitates

ciuitates habent non solùm votum consultiuum, sed etiam decisiuum, ad tributa imponenda ex Regum priuilegio concesso ex causa remunerationis, quod proinde iam in vim contractus & legis transiuit, vt superius dictum est. Quid si Parlamentarij aut Comitiales tributum à Principe petitum cõcedere, aut admittere recusent virtute alicuius pacti, aut priuilegij à Principe obtenti? Respondeo posse tunc Principem illud se solo imponere & exigere, dummodo tamen supponantur vires in Regno & aliæ conditiones requisitæ, sítque euidens necessitas, cui aliunde nequeat Princeps subuenire: alioquin non est de facili Principi & eius Aulicis administris credendum, sed standum est iudicio Parlamenti, seu Comitiorum Regni. Quorum est in causa dubia de veritate necessitatis, ac de viribus regni iudicare.

12 Vltima assertio; † in nullo euentu expedit Principi Laico Ecclesias aut Ecclesiasticos tributis aut gabellis grauare etiam indirectè, quando eos necessitas æquè atque Laicos non tangit. In hac assertione duo supponimus vt certa, & aliud decernimus vt conuenientissimum Laico Principi. Supponimus quidem primò doctrinam communem maximè à Principibus Catholicis obseruatam, nimirum non posse Principem Laicum tributa, collectas aut gabellas aliquas imponere Ecclesiis, Capitulis, Communitatibus aut personis Ecclesiasticis, quibus directè aut indirectè grauentur in suis bonis, quouis titulo iusto adquisitis, sine licentia Summi Pontificis prius obtenta: imò neque sponte oblatas ab eis recipere, sine eo quòd prædicta licentia præcedat: quoniam hoc est prohibitum sub grauissimis censuris in iure Canonico ab Innocentio III. *in cap. Aduersus de immunitate Ecclesiast.* & à Bonifacio VIII. *cap. Clericis eodem titulo in 6.* Et licet Clemens V. in sua Extrauaganti *Quoniam, eiusdem tituli*, constitutionem Bonifacij reformauerit, verùm postea illam absolutè & quoad omnia confirmauit Leo X. in Concilio Lateranensi *sess. 9.* quam confirmationem cuncti Summi Põtifices deinceps quotannis renouant in Bulla Cœnæ *casu* 18. sequentis tenoris. *Caso* 18. *Contra los que imponen tributos, decimas o otras qualesquier cargas a alguna persona Ecclesiastica, o en bienes, o frutos suyos sin especial licençia del Papa, y contra los que reçibieren semejantes tributos y impuestos, aunque se los den de voluntad.* Ita docent communi consensu Cardinalis Toletus *tractatu de casibus reseruat. in Bulla Cœnæ excommunicatione 9.* Comitolius *lib. 1. quæst. 95.* Stephanus Baconius *tractatu 11. quæst. 37.* Tamburinus *disput. 15. quæst. 21.* & alij quamplures, quos referunt & sequuntur Diana *parte 7. resolutionum moralium tractatu 1. de immunitat. Ecclesiast. resolutione 20. & 21.* & Thomas Delbene in suo non malè docto *tractatu, dubitatione 24. & sex sequentibus.* Estque communis sententia Iuristarum *in cap. Ecclesia Sanctæ Mariæ, de constitutionibus.*

13 Huius autem † suppositionis singulas partes oportet explanare. Diximus itaque; non posse à Principe Laico sine licentia obtenta prius à Summo Pontifice, Ecclesias aut Communitates Ecclesiasticas directè collectis aut gabellis vllis grauari, quia hoc est contra priuilegium immunitatis, quo Ecclesiæ, Communitates, & personæ Ecclesiasticæ gaudent, & iubetur seruari in præallegatis canonibus, sub grauibus censuris latis contra eius fractores. Rursus diximus huiusmodi communitates, aut personas Ecclesiasticas, neque indirectè posse à Laicis grauari. V.gr. si grauentur directè Laici, eò quòd contrahunt cum personis, aut Communitatibus Ecclesiasticis: tunc grauantur istæ indirectè, quæ grauatio etiam est Laicis Principibus & eorum ministris prohibita, quoniam grauatio indirecta vera grauatio est, ac proinde contra Ecclesiasticam immunitatem, vt colligitur ex *cap. Vnico de Clerico coniugato*, & *cap. Statutum, de hæreticis in 6.* & *cap. Quanto de priuilegiis:* & ex communi Doctorum in dicto *cap. Ecclesia Sanctæ Mariæ, de constitutionibus.* Diximus vlterius, non posse grauari in bonis quouis iusto titulo adquisitis. Sunt enim † tria 14 bonorum genera quæ ab Ecclesiasticis adquiri possunt, & in eorum dominium venire. Alia sunt bona Ecclesiæ. V.gr. decimæ, prædia, & similia bona siue immobilia, siue mobilia quæ ad Ecclesiam vel Communitatem Ecclesiasticam pertinent tanquam propria. Alia sunt bona patrimonialia, & quæ iure hæreditario obtinent Clerici à parentibus aut consanguineis: vel etiam quæ donatione aut emptione comparantur. Denique alia sunt quæ per negotiationem lucrantur. Negotiatio autem propriè est emere merces aliquas, ad easdem vendendum cariori pretio in eodem vel in alio loco: vt si quis emat vinum, oleum, triticum, vel lanam in vno loco, ad vendendum ea in eodem vel alio loco. Vtrum autem ad rigorosam negociationem agendam seruanda sit omnimoda identitas mercium secundum materiam & formam, itavt vtraque tam materia, quàm forma debeat manere inuariata? V. gr. Vtrum ille qui emit mustum viliori pretio, vt vendat vinum cariori; aut ille qui emit hædos, vt eos vendat iam factos hircos, cariori pretio, liberandus sit à vitio negociationis, quia non vendit easdem res secundum materiam & formam, nisi tantùm secundum materiam, variata tamen formâ? sub dubio est, datúrque Iudicibus Ecclesiasticis optio iudicandi de Clericis secundum vnam & alteram opinionem. Hoc vnum scio, quod in nostro Tribunali Clerici hoc genus emptionis & venditionis seriò exercentes, pœna negociatorum plectuntur: quasi ab hoc vitio excusentur illi dumtaxat, qui fructus suorum prædiorum, aut suorum beneficiorum, aut fætus suarum pecudum vendunt; nisi etiam paruitas materiæ eos excuset. Igitur bona primi generis gaudent per se primo priuilegio immunitatis, sicut & ipsæ Clericorum & Religiosorũ personæ ratione sui muneris sunt exẽptæ; bona verò secundi generis gaudent priuilegio immunitatis secundariò, hoc est ratione personæ in cuius dominium transeunt, & ilico priuilegium personæ participant. Bona denique tertij generis neutiquam priuilegio immunitatis gaudent, eò quòd cùm negociatio maximè Clericos & Religiosos dedeceat, datum fuit eis priuilegium immunitatis in odium negociationis, quod proinde amittunt statim quoad bona per negociationem adquisita: & quoad alia, post præmissam trinam monitionem, quæ est conditio à Iure requisita.

Quod autem in noſtra aſſertione decerni-
15 mus,eſt; † nequaquam expediens eſſe Principi-
bus Chriſtianis bonis Eccleſiarum aut perſo-
narum Eccleſiaſticarum etiam de licentia
Summi Pontificis obtentis vti,ad ſoluenda mi-
litibus ſuorum exercituum ſtipẽdia,vel ad bel-
la quantumuis iuſta fouenda.Aſſumptum pro-
batur exemplis plurimis Principum Chriſtia-
norum,qui theſauros Eccleſiarum aut Eccleſia-
ſticorum pecunias vel ſponte oblatas, vel de
Sedis Apoſtolicæ licentia acceptas, in ſubſi-
dium ſuorum militum expendentes, triſtem
fortunam & Martem aduerſum experti ſunt.
16 Primum † exemplum præbet nobis Dauid
Rex Iſraëlitici Regni,qui propterea quod gla-
dium Gigantis Goliath, in valle Terebinti
occiſi,ſemel Deo dicatũ in tabernaculo eripuit,
& iterum in vſus prophanos conuertit, contra
præceptum diuinum *Leuitici vltimo* promulga-
tum,ob quam culpam non inuenit ſecurum re-
fugium in domo Achis Regis Gethei,ad quem
confugerat,vt refertur *lib.*1.*Reg.cap.*21. Secun-
dum exemplum fuit exitium Caroli filij Pipini
Regis Galliæ, qui mortuus fuit anno 741. adeò
infeliciter, vt eius animam viderit in inferno
Sanctus Eutherius Epiſcopus Aurelianienſis,
vt referunt Gaguinus *lib.* 3. & D. Antoninus
2.*parte titul.*14. *cap.*2.§.3. eo quod videns ſuas
opes conſumptas in gerendis bellis contra in-
fideles, eripuit ex decimis Eccleſiarum certam
quantitatem ad ſoluendum militibus ſtipen-
dia: & non obſtante quod in hanc contribu-
tionem conſenſerant Epiſcopi Regni, Deus
eam iudicauit ſacrilegam, ob quam eius ani-
mam in æternum damnauit, ſecundùm Euthe-
rium.

Simile exemplũ tribuit nobis Ludouicus Rex
Franciæ vulgo dictus *El Craſſo*, qui obiit anno
1137.cui teſte eodem Gaguino *lib.*6. *in vita Lu-
douici* dixit Sanctus Bernardus, quod propter
contentionem, qua inſiſtebat in eripiendo re-
ditus Eccleſiaſticos,vt prouideret ſuo exercitui,
plectendus erat à Deo, morte filij ſui primoge-
niti.Vaticinióque res ſucceſſit, nam præceps in
campo ex equo corruit. Sanctius quoque pri-
mus huius nominis Aragoniæ Rex, publicam
egit pœnitentiam in oppido de Roda, coram
altari Sancti Vincentij Martyris, ob id quod
decimas Eccleſiarum conuerterat in ſuſtinendo
bella contra Mauros: & non obſtante quod
id fecerat indulto Summorum Pontificum Ale-
xandri II. & Gregorij VII. & quod bella illa
erant aduerſus Mauros inimicos Catholicæ
fidei, timuit Chriſtum Eccleſiæ caput eſſe of-
fenſum, quem propterea voluit publica pœni-
tentia placere. Et nihilominus in obſidione
ciuitatis de Hueſcar ab ipſis Mauris ſagitta
confoſſus interiit; vt referunt Zurita *lib.* 1. *an-
nalium cap.* 23. & Valentinus *lib. de poteſtate
Pontificis cap.*2. Eius quoque filius Alphonſus
ob ſimilem templorum deprædationem, in ob-
ſidione oppidi de Fraga à pluribus Mauris inua-
ſus ex equo corruens,nec viuus nec mortuus
vnquam apparuit, cuius lamentabilem mortem
annalia illius Regni deplorant. Aliud exem-
plum habemus in Rege Caſtellæ Ioanne huius
nominis primo, qui ingrediens Regnum Luſi-
taniæ ſibi debitum iure hæreditario,ratione ſuæ
vxoris Dominæ Beatricis filiæ legitimæ Ferdi-
nandi vltimi eiuſdem Regni poſſeſſoris, valido
& numeroſo exercitu munitus, à multò pau-
cioribus Luſitanis iuxta oppidum de Aljuba
Rota fuit deuictus, victoriámque & Regnum
amiſit; propterea quod in ſubſidium ſuorum
militum Sanctuarium Beatiſſimæ Virginis de
Guadalupe vaſis ſacris argenteis, & magna au-
rea ſuppellectili ſpoliauit, quod ſpolium ſtatim
Caſtellæ Regi infelicem, felicem autem Magi-
ſtro de Auis acclamato poſtea in Regem Luſi-
taniæ exitum prædixit. Quam etiam fortunæ
aduerſitatem Carolus Imperator Auguſtus, &
eius filius Philippus in amiſſione vnius diti-
ſſimæ claſſis ex America venientis, atque in
amiſſione Goletæ experti fuerunt: eo quod
alter primum ſubſidium etiam indulto Ponti-
ficis ab Eccleſiaſticis exegit,alter verò indulto
Gregorij XIII. Oppida Eccleſiarum ven-
didit.

Hiis accedit quod † Reges Hiſpaniæ, quo- 17
ties eorum exercitus aduerſum Martem expe-
riebantur, ilico Dei iram placare conabantur,
eius templa donis auri & argenti exornando,&
donationibus perpetuis ditando. Nunc autem
noſtris calamitoſis temporibus fit oppoſitum:
nam dum arma Regia aduerſum Martem ex-
periuntur intra, ſiue extra Hiſpaniam, ilico
Regis miniſtri congregantur, & donatiuum
aliquod contra Eccleſias, & Eccleſiaſticos de-
cernunt,aſſumentes pro remedio, quod ſemper
fuit ruina Regnorum.Nec valet dicere huiuſ-
modi donatiua eſſe voluntaria. Nam licet ita
ſit reſpectu piæ intentionis Regis, qui ſolùm
intendit accipere, quod voluntariè ſibi Vaſalli
obtulerint: Verumtamen reſpectu miniſtro-
rum,qui ad eorum executionem proficiſcuntur,
ſunt adeò coacta & violenta in eſſentia, quod
dumtaxat nomen retinent voluntariorum, vt
experientia conſtat, ita vt dubia fiat tranſla-
tio dominij in illis, donantis, in donatarium.
Etenim iuxta vtrumque ius, Ciuile & Cano-
nicum, donatio facta, vel extorta per metum
grauem, qualem dicti Miniſtri Vaſallis vnius
& alterius ſtatus incutiunt, ipſo iure eſt inua-
lida. Quinimo contractus oneroſos initos
per metum grauem, ſaltem reſcindit Ciuile
& Canonicum ius, ſecundùm communem
Iuriſtarum, & Theologorum ſententiam:
nam ſecundùm valde probabilem opinionem
aliorum grauium Authorum ſunt ipſo iure
inualidi, ita vt neutiquam transferant domi-
nium in recipientem. De quorum numero
ſunt Bartholus, Fortunius, Sotus, Pallacios,
Molina, & alij relati à Thoma Sanchez *lib.*4.
de matrimonio diſput. 8. qui ſequutus eſt com-
muniorem & veriorem ſententiam Iuriſtarum
& Theologorum, aſſerentium huiuſmodi con-
tractus metu graui celebratos eſſe validos in
re,atque in illis dominium transferri; nihilo-
minus certum eſt in vna & altera ſententia,
concedi actionem repetendi patienti metum
coram Iudice, qui tenetur ad petitionem par-
tis læſæ eos reſcindere, eique dare reſtitutio-
nem in integrum, hoc eſt rei traditæ cum om-
nibus fructibus ipſius. Vnde perſpicitur quot
vitia patiuntur huiuſmodi aſſerta voluntaria
donatiua. Nam ſi conſiderentur in ratione do-
natiui,ſeu donationis,conſtat neque eſſe valida,
neque dominium in donatarium transferre: ſi
verò conſiderentur veluti quidam contractus
remunerationis ſubditorum erga Principem,aut

eandem

eandem patiuntur nullitatem, aut veniunt à Iudice ad petitionem partis læsæ rescindendi: & tunc donatarius in foro conscientiæ tenetur quantitatem acceptam parti læsæ in integrum restituere per actionem quod metus causa, &c.

DISPVTATIO XIII.

An impediens quempiam ab officio, vel beneficio consequendo, ad quod ius habebat, aut etiam ab eius expectatiua; teneatur illatum damnum compensare?

SVMMARIVM.

1 *Referuntur Authores, qui de hac quæstione tractant.*
2 *Impediens bonum alterius, tenetur ei de damno, quando tale bonum est debitum legale.*
3 *Vt impediens teneatur restituere, debet impedire per modos iustitiæ contrarios, scil. vim, metum dolum, &c.*
4 *Officium seu beneficium alicuius quo potest iniustè impediri seu priuari, in triplici statu potest considerari.*
5 *Probatur suppositio, quæ est expressa D. Thomæ doctrina.*
6 *Referuntur obiectiones Nauarri D. Thomæ contrariæ.*
7 *A quibus obiectionibus vindicatur assertio, ad earum singulas respondendo.*
8 *Referuntur tres dubitationes circa hanc quæstionem, in quibus dissident Authores.*
9 *Impedimentum quod ex solo odio vel vindictæ liuore procedit, sine opere iniurioso iustitiæ cõmutatiuæ contrario, nõ obligat restituere.*
10 *Procurans officium aut beneficium pro se minus digno, cum voluntario detrimento dignioris, tenetur de damno.*
11 *Quæ doctrina habet quoque locum in donationibus legatis ac testamentis.*
12 *Resoluitur casus de Procuratoribus Comitiorum Hispaniæ, vtrum Rex ob comitia rãtionabili causa aut omissa aut suspensa, tenetur eis de damno, quia à debitis emolumentis & honoribus illos impediuit?*
13 *Pars affirmatiua vera videtur nonnullis Iuris ac Theologiæ peritis, triplicique argumento suadetur.*
14 *Sententia contraria Authori est euidens, quam sibi persuadet & quatuor argumentis validissimis probat.*
15 *Resoluuntur argumenta pro affirmatiua opinione, ad ea sigillatim respondendo.*
16 *Non est eadem ratio de officiis ac beneficiis publicis, ac de bonis Reipublicæ quæ destinata sunt, vt inter singulos ciues diuidantur.*
17 *Idem dicendum est de impedientibus cathedras dignioribus in Academia Salmantina & similibus.*

1 DE hac † quæstione in genere tractant Summistæ V. *Restitutio.* D. Thomas 2.2. *q.*62. *art.* 2. *in solutione ad* 4. Caietanus *ibi dub.* 2. & 4. Scotus *in* 4. *d.* 15. Richardus *ibidem*, Paludanus *in* 4. *quæst.* 6. *art.* 3. Adrianus *de restitutione in* 4. *quæst.* 10. Sotus *lib.* 4. *de iustitia quæst.* 6. *art.* 3. Nauarrus super *cap. Si quando de rescriptis præludio* 5. *in Manuali cap.* 17. *à num.* 69. *& lib.* 5. *consiliorum tit. de iniuriis & damno, consilio* 1. Garcia *de beneficiis* 4. *parte cap.* 3. *&* 13. Molina *lib.* 1. *de iustitia c.* 8. *& lib.* 3. *cap.* 3. Menochius *consilio* 37. *&* 181. *&* 186. Antonius Gomez *in regula de non tollendo iure*, cum aliis, qui omnes conueniunt in aliquibus, & in aliis discriminantur.

Igitur conueniunt Primò in eo, quod † omnis & solus impediens bonum alterius tenetur ei de damno, quando tale bonum est debitum legale, id est, quando impeditus habet ius perfectum siue acquisitum, in re per possessionem, vel collationem, aut traditionem, aut alio simili titulo. Vel quando saltem habet ius imperfectum siue ad rem, per promissionem, stipulationem, electionem, præsentationem, expectatiuam, regressum, coadiutoriam, primogeniam, oppositionem in concursu, aut alium legitimum titulum, ratione cuius competat ei actio & ius petendi tale bonum per officium Iudicis. 2
Quæ suppositio probatur primò ex diffinitione restitutionis, quæ est, iteratò aliquem in possessionem rei suæ statuere: Atqui res non efficitur alicuius, nisi vno ex duobus modis prædictis habeat ius in illa, aut ad illam: ergo. Secundò, quia cùm restitutio sit actus iustitiæ commutatiuæ, respicit tantùm debitum legale, ac proinde petit fieri solum de debito legali, non de antidorali; neque enim hoc est debitum iustitiæ, nisi solius gratitudinis: quod proinde neque in rerum temporalium mutuatione, vsuram, neque in spiritualium transactione Simoniam constituit, v. g. expectans ex mutuata pecunia alteri, antidoram, hoc est gratificationem ex mera gratitudine, non est vsurarius, neque Simoniacus qui ex transactione beneficij Ecclesiastici in alterum expectat ab illo recompensam gratuitam, nisi eam deducat in pactum; tunc enim antidorale debitum transiret in legale, ac proinde tolleret omnino à mutuo, & denunciatione rei spiritualis rationem gratuiti. In quo sensu veniunt interpretandi nonnulli Iurisperiti, dum autumant antidorale debitum quandoque ad legale pertinere, & illius conditiones admiscere: ideest in sensu diuiso, per transitum vnius in alterum ex pacto superueniente. Secus in sensu composito, incompatibilis enim est vnius & alterius ratio in eodem subiecto, sicut & ratio debiti ex iustitia incompatibili est simul in eadem re, & respectu eiusdem cum ratione liberalis & gratuiti.

Tertiò

Tertiò probatur; nam restitutio strictè sumpta provt est actus iustitiæ, supponit ablationem rei restituendæ: Atqui non habenti ius in re, vel ad rem petendam per actionem & officium Iudicis, nihil auferri potest: ergo neque respectu illius habet locum restitutio.

3 Conueniunt Secundò, quod † vt impediens teneatur restituere vel recompensare, debet impedire iniustè, hoc est per modos iustitiæ contrarios, videlicet per metum, vim, mendacium, dolum aut fraudem; nam qui aliquo ex hiis modis impedit, lædit iustitiam & iniuriam irrogat impedito, quæ non nisi restitutione siue compensatione resarciri valet. Vtrum autem sufficiat impedire per modum contrarium charitati, videlicet ex odio, aut liuore vindictæ, sine dolo aut fraude, & sine alio actu iniurioso? in dubio est apud Authores; quod statim enodabimus.

Conueniunt Tertiò cum Caietano *in dicto*
4 *dub.* 4. † officium siue beneficium alicuius, quo potest iniustè impediri seu priuari, in triplici statu posse considerari; nimirum in concursu siue oppositione, quando nondum est firmata siue decreta eius distributio, aut præsentatio, siue collatio: & quando iam est firmata siue decreta, ac tandem quando iam est post præsentationem seu collationem in illius pacifica possessione. Quando itaque impeditur quis iniustè à consecutione officij, vel beneficij in primo statu, tenetur impediens de damno, non ad æqualitatem, aut in totum, sed secundùm partem pensatis circunstantiis arbitrio prudentis viri: impediens autem in secundo statu, tenetur ad restitutionem æqualis damno illato, sicut & in tertio statu; in quo officium & beneficium potius est auferibile, quàm impedibile, vtpote
5 in iam habente ius in re. Hæc † suppositio quæ est expressa Angelici Doctoris *in dicta solutione ad* 4. probatur in prima parte; quia dum officium siue beneficium est in illo primo statu ante præsentationem aut electionem, aut collationem, non tanti æstimatur, quanti æstimatur in se, aut etiam in secundo statu, eo quod est veluti in potentia remota, & multis modis impedibile. Igitur compensatio non debet esse æqualis officio aut beneficio in secundo statu, sed satis erit illam fieri pensatis circunstantiis arbitrio prudentis viri: nam quæ non sunt à iure determinata, relinquuntur arbitrio prudẽtis viri determinanda. Illa autem quota siue portio nullo iure est determinata, quod patet exemplo illius, qui semina sata in fundo vicini eradicat antequam fructus nascatur, cuius proinde obligatio est ad restitutionem non integri fructus incerti & multis modis impedibilis, nisi solùm ad aliquam illius partem arbitrio prudentis viri determinandam. Deinde in secunda parte probatur, tum axiomate Aristotelico *lib.* 2. *physicorum textu* 56. *quod modicum deest, quasi nihil deesse videtur*; quod etiam in moralibus tenet. In quibus & Philosophus illud exemplificat, vt in Principe, qui parum deficit vt ab insidiatoribus occideretur, ideóque dicitur infortunatus, licet de facto insidias euaserit. Ex quo proinde infertur paria esse proprium, & quasi proprium; tunc autem in secundo statu officium & beneficium reputantur quasi propria hominis impediti: ergo impediens tenetur restituere æquale, ac si auferret illud, quando est proprium possidentis. Tum exemplo illius, qui messes, siue segetes iam albescentes vicini iniustè conculcaret: hunc enim liquet ad integri fructus restitutionem teneri, deductis expensis, quas Dominus in earum collectione foret consumpturus.

Verùm † huic doctrinæ opponit Nauarrus 6
in dicto *cap.* 17. *Manualis*, Sanctum Thomam tumultuariè hoc dixisse in ea *solutione ad* 4. nam tentando potius, quàm decidendo multa ibi contra iura dixit, piè potius interpretanda, quàm in rigore sumenda. Quorum vnum est, quod restitutio officij siue beneficij, antequam eius distributio sit decreta, facienda est citra æqualitatem, cum tamen omnis restitutio iustitiæ petat fieri ad æqualitatem; est enim æqualitas obiectum siue materia commutatiuæ iustitiæ, cuius actus est restitutio. Aduersus verò secundam partem Caietanus *ibi dub.* 5. licet consentiat conclusioni Sancti Doctoris, opponit, quod illud axioma Aristotelicum non tenet in materia iustitiæ, nec habendum est pro regula iusti. Nam Princeps qui parum defuit vt mortem pateretur ab insidiatoribus, non habet ius vt ei compensetur mors, quam non est perpessus: neque Tyrannus, qui parum defuit vt regnum vsurparet, tenetur restituere Regnum, quod de facto non vsurpauit: potest tamen habere locum aliquando ratione subiectæ materiæ habentis magnam latitudinem, vel incertitudinem materialium, vt in numeris, ponderibus ac mensuris, in quibus parum pro nihilo reputatur. Tertiò obiicitur ex eodem Nauarro in *allegato consilio* 1. *de iniuriis & damno dato, aduersus primam partem*, quod non tenetur de damno quicumque impediens, nisi solus ille, qui est causa proxima illius, ex *cap. de occidendis* 23. *quæst.* 5. Vnde (ait ille) nec testis legitimè interrogatus negans aut tacens crimen accusati, propter quod pœna debetur fisco, neque custodes ciuitatis non denunciantes quos inueniunt post signum Campanæ (licet peccent grauiter & sint petiurij) tenentur pœnas pecuniarias debitas soluere fisco; ab eadémque restituendi obligatione excusantur custodes cõfinium regnorum (quos vulgo Aduanas vocamus) dum non denuntiant mercium prohibitarum exportatores; aut vectigalis Regi debiti occultatores: eò quòd nec fiscus, nec Rex habent ius ad huiusmodi pœnas aut vectigalia, nisi per Iudicis sententiam, ex *cap. fraternitas.* 11. *& lege* 1. *de bon. dam. &c.* Et aliàs isti tantùm causam remotam tali damno præbent: Atqui impediens officium aut beneficium in primo statu, solùm causa remota damni videntur esse: igitur non tenentur vinculo restitutionis etiam circa æqualitatem.

Sed † ab hiis obiectionibus facili negotio 7
vindicatur nostra suppositio. Ad primam namque respondetur, Nauarrum non attigisse mentem Angelici Doctoris; qui sciens quod æquale cùm importet quid respectiuum, potest vni esse æquale, & inæquale alteri, compensationem inæqualis vocauit eam, quæ facta comparatione ad rem in se est inæqualis, sed æqualis facta comparatione ad rem in potentia impedibili. Ad secundam dicito, neque Caietanum mentem sui Authoris attigisse, qui axioma illud non ex parte personæ, vt Caietanus, sed ex parte rei compensandæ considerat: in qua non idem,

sed

sed paria sunt quasi proprium & proprium,quasi meum & meum,esse decretam distributionem cathedræ vel præbendæ,atque hanc esse distributam ; quia quod parum distat nihilo distare videtur. Vnde dictum axioma D. Thomas nedum *in 4. argumento* expressit , sed etiam in eius solutione tacitè admisit ibi. *Si verò iam firmatum sit , quod alicui detur præbenda,, & aliquis propter indebitam causam procuret quod reuocetur: idem est ac si iam habitam ei auferret : & ideo tenetur ad restitutionem æqualis , tamen secundum suam facultatem.* Ad tertiam fatemur cum Nauarro dantem causam remotam damni,non teneri de damno;sed quod impediens oppositorem antequam decreta sit distributio cathedræ vel præbendæ , non det causam proximam aliquanti damni , quantum pensatur proportionabiliter in succidente arbusta tenera , & in eradicante semina fructuum , diffitemur: quam admisit Sotus *quæst.citata art.5.* vocans eam restitutionem inæqualis,sequens phrasim D.Thomæ de qua *in solutione ad primam.*

8 Dissident † autem Authores in tribus dubitationibus. Prima est , vtrum iniqua impeditio producens obligationem restituendi sit etiam illa , quæ soli charitati aduersatur , vt cum quis alium impedit à consequutione præbendæ , ex odio aut liuore vindictæ sine alio iniurioso opere ? Secunda est , vtrum qui pro se minus digno procurat præbendam vel officium publicum,teneatur de damno, sitq; iniustè impediens ? Tertia est , vtrum hæc doctrina locum habeat etiam in donationibus , testamentis & legatis ? Quarum singulis satisfaciemus singulis assertionibus. Dico primò ; † impedimentum , quod ex solo odio vel vindictæ liuore procedit , sine opere iniurioso iustitiæ commutatiuæ contrario , non obligat restituere. Hæc assertio statuitur aduersus Scotum & Richardum *in 4. d. 15.* affirmatiuam partem tenentes , pro qua citant *leg. 2. ff. de noui operis nunciat.* dicentem , quod qui rumpit aquæ ductum in suo fundo per quem aqua ad puteum vel fundum vicini deriuatur , iniurius est , & tenetur de damno si animo nocendi id faciat: secus si fiat vt propriæ consulat vtilitati in aliquo ædificio. Verùm hæc sententia non habetur in ea lege , sed *in leg.2.ff. de aqua pluuia arcend.* & *in lege Proculus*, & *leg. Fluminum ff. de damno infer.* fauétque ei D.Thomas *in dicta solutione ad 4.* ibi. *Alio modo iniustè , puta si intendat eius nocumentum , quem impedit propter odium, vel vindictam aut aliquid huiusmodi.* Et hunc ait teneri ad damni restitutionem.Sed nostra assertio defenditur à Soto & Nauarro , vt communiter recepta. Et probatur , quia obligatio restituendi non oritur nisi ex iniusta actione siue detentione,quæ contrariatur iustitiæ,aut ratione rei acceptæ:isti enim sunt omnes & soli tituli restitutionis , cuiusmodi non est mala intentio , odium , & liuor vindictæ , quæ soli charitati contrariatur. Citatam autem legem scitè Sotus interpretatur de eo,qui venas aquæ rumpit in suo fundo,vt ibi sepem ædificet,quia vtitur iure suo non tenetur de damno , quauis intentione id faciat : tenetur tamen si id faciat sola intentione nocendi,quoniam tunc non vtitur iure suo. Verba autem Sancti Thomæ interpretatur Nauarrus quasi tentando dicta in re difficili , & ideò piè explicanda , secundum iura,quæ non ad intentionem, sed ad opus iniustum reducunt restituendi obligationem. Sed melius Sotus ea explicat de odio & vindictæ liuore,ex quo sequitur opus iniuriosum;& operari ex odio est signum in damnificante,quod non vtitur iure suo,sed quod tantùm violat alienum contra iustitiã.Vlpianus namq; *in d.legib.* solùm vult actionẽ de dolo nõ dari sine malo animo, sine quo dolus nõ datur,ex *leg.Dolum.C.de dolo.*

Dico secundò,qui † pro se minus digno pro- 10
cutat officium aut beneficium cum voluntario detrimento dignioris , tenetur quoque de damno; secus si detrimentum dignioris & impedimentum esset procuranti inuoluntarium.Hanc assertionem scitè probat Caiet. *vbi supra in responsione ad 2.dubium §. Mihi verò.* distinguendo duos modos , quibus aliquem contingit procurare præbendam pro se.Aut enim dicit explicitè , vel implicitè ; in actu signato,aut exercito; volo,siue peto istam præbendam, etiamsi detur mihi cum detrimento & iniuria dignioris(quod vulgo dicitur Atropellar la Iusticia del mas digno) aut, volo & peto præbendam sine iniuria dignioris.Et quidem in priori modo,quia impedimentum est voluntarium petenti pro se, ideò tenetur de damno:sed non secundo modo, quia non est ei voluntarium impedimentum , vnde non petenti , sed distributori præbendæ imputanda est iniuria digniori irrogata,cui voluntariè & iniustè abstulit præbendam , aut illius consequutionem impediuit.Ex quo duas prima facie aduersantes opiniones Caietan.conciliat. Alteram Scoti,& Richardi *vbi supra* negantem in procurante pro se,obligationem restituendi: eò quòd vnicuique liceat pro seipso procurare per viam licitam , & honestam , alio neglecto.Alteram Paludani *in eodem 4.d.15.* affirmando , eò quòd præbenda est debita digniori secundùm iustitiam distributiuam,ad cuius proinde compensationem tenetur quicumque impediens etiamsi procuret pro se : illi namque intelligendi sunt,quando quis iustè pro se procurat:iste verò , quando quis procurat iniustè, & contra exigentiam iustitiæ distributiuæ ; tunc enim procurare pro se,non extrahit eum à latitudine iniustè impedientium.

9

Dico tertiò;† doctrinam istam habere quoq; 11
locum in donationibus , legatis ac testamentis, cum Sot.& Nau. *vbi sup.* aduersus Caiet.negantẽ *in loc.prælleg.§. Ad sextum postremo dubium.* Sed ratio Soti conuincit:quia qui fraude aut dolo facit mutari testamentum aut Legatum in fauorẽ alterius firmatum,irrogat illi iniuriam,& impedit iniustè ius,quod Legatarius habebat in virtute testamenti seu legati. Similísq; ratio est de illo,qui donationem factã alicui donatario dolo aut fraude impedit,aut scriptam, aut animo decretam & firmatam tollit:omnis autem iniustè impediens ius alterius tenetur de damno:ergo & iste tenetur de damno illato Legatario siue donatario;non quidem in totum quod impedit, neq; ad totũ,quod soluere tenetur,si à possidente eripuisset:sed ad quotam arbitrio prudentis viri designandam.Neq; oppositum conuincunt duæ rationes,quib.Caietani opinio fulcitur.Prima est quod restitutio ex dãno illato consurgens supponit violationem iusti,ad cuius reparationẽ ordinatur restitutio:in huiusmodi autẽ volũtatis donãtis,aut testãtis,aut legãtis mutatione quantumcumq; fingatur dolosa, nullius ius violatur,

quia nihil erat donatarij, vel legatarij, voluntate donantis siue legantis existente adhuc ambulatoria, quæ vt sic est in sua libertate, ac proinde mutabilis citra alterius iniuriam, iuxta verbum Patrisfamilias in Euangelio, *An non licet mihi, quod volo facere? amice non facio tibi iniuriam.* Secunda est, quia si ipse testator, v.g. ex odio reuocet testamentum, nulli facit iniuriam: ergo si ipse, qui est causa principalis reuocationis nulli irrogat iniuriam, à fortiori neque excitans ac inducēs ad reuocandum, qui est causa minus principalis, ac per consequens neque tenebitur ad vllam restitutionem, nisi ad pœnitendum dumtaxat de peccato odij. Non inquam conuincunt istæ rationes: non prior, quia testamentum, legatum, & donatio tituli sunt conferendi ius legatario ac donatario, quamuis impedibile, ad cuius proinde reparationem tenetur iniustè impediens. Neque secunda, nam dato antecedenti, neganda est consequentia: eo quod dum voluntas testatoris ac donantis est deambulatoria, & aliàs non est acceptata ab altera comparte, neque in vim stipulationis transiuit, qualis est donatio inter viuos facta, plenè sua gaudet libertate; & ideò potest testator & donator citra alterius iniuriam eam mutare: alius verò tertius non potest licitè fraude aut dolo eum ad mutationem talis voluntatis inducere, in quo sensu habet verum dictum Patrisfamilias, qui de seipso loquens, ait. *An non licet mihi, quod volo facere?* Et tamen, quia voluntas testantis ac donantis in statu deambulatorio est mutabilis, quantumuis firmata & decreta sit, non producit in impediente obligationem restituendi secundum totum, nisi tantùm secundum partem, sicut neque Legatario ac donatario confert tam firmum ius, quantò est illud, quod habet vicinus ad aquam, quæ in ipsius fundum manat ex puteo vel fonte alterius: aut quantò est illud quod oppositori confert decreta electio, siue distributio præbendæ aut officij.

12 Hinc colligo primò,† resolutionem illius casus haud semel in nostra Hispania contingentis, & super quo Matriti fui consultus, cuius species sic habet. Contigit quandoque ante cōuocatorias ad Comitia Regni, aut etiam post illas, Procuratores comitiorum à ciuitatibus designatos, aut sorte electos, aut à quibuscumque, quos interfit nominatos, (vt Valeoleti accidit huiusce Procuratores à duabus familiis extra Consistorium ante conuocatorias nominari) officio interessendi comitiis, & emolumentis eis pro huiusmodi interessentia debitis priuari, quia Rex ob rationabilem causam, aut propter iustum impedimentum superueniens comitia omittit, aut suspendit, seruitiáque ordinaria propter temporis angustias in ciuitatum consistoriis petit, & ei conceduntur. Nunquid in hoc casu tenetur Rex de damno huiusmodi comitialibus Procuratoribus, eo quod illos à debitis emolumentis
13 & honoribus impediuit? Videtur vera† pars affirmatiua nonnullis Iuris ac Theologiæ peritis. Primò quia isti Procuratores ex vi suæ electionis, siue designationis acquirunt ius ad rem, eo vel maximè quod *leg. 1. & 2. tit. 7. lib. 6. Recopilationis* sancitum est, ne à Regibus Hispanis extra comitia regni congregata (eo quod ibi melius causæ plurium iudicio examinantur,) petantur, aut eis concedantur seruitia & tributa; ibi. *Sin que primeramente sean llamados a Cortes los Procuradores de todas las Ciudades y Villas de nuestros Reynos.* Iuri autem ad rem neque Princeps supremus potest præiudicare, neque leges Regni cum tertij iniuria potest mutare, vt notant Menochius, Garcia & Molina in locis præallegatis: ergo. Secundò, quia ad tributorum legitimam concessionem vltra alias conditiones, requiritur ciuitatum consensus in comitiis præstitus: saltem de iure humano & ciuili, vt notant Suarius *lib. 5. de legibus c. 17.* Molina *tractatu de tributis disp. 66.* & Marquez *lib. 1. Gubernatoris Christiani cap. 17.* aduersus Marianam dicentem, eum ciuitatum consensum ad legitimam tributorum impositionem requiri de iure naturali: ergo fraudulenta & contra ius est illa quæ fit in singulis ciuitatibus extra comitia, ac proinde cum iniuria Procuratorum designatorum. Tertiò; nam licet retributio solita fieri Procuratoribus aut in comitiis, aut illis finitis, quoad aliquam partem sit antidoralis & titulo gratitudinis, nimirum quoad officia, commendas & honores similes: Verùm, est debitum legale quoad salarium, quod singulis Procuratoribus diurnum Rex impendit, & quoad illam quotam, hoc est decimam quintam partem, quam ex cunctis seruitiis concessit illis, inter se inuicem diuidendam impartitur: & hoc ex præscripta consuetudine, quæ vim legis obtinet. Tum sic; sed obligatio restituendi consurgit nedum circa rem ablatam, quam proximus iure gentium, sed etiam quam acquisiuit Iure ciuili; vt bene notat Fagundez *tom. 2. in decalogum lib. 8. cap. 23.* etiam (subdit ille) *quando res aufertur ex iustissima causa.* Hiis accedit Cardinalis Lugo *tom. 2. de iustitia disp. 14. section. 4.* dum ait Regem non posse licitè & sine iniuria tertij augere numerum Magistratuum ciuitatum, habentium suffragium in comitiis; *quia quò pauciores* (ait ille) *sunt, eò frequentius occasiones sortiri possunt, & noua creatio nunquam fit sine eo quod officia præcedentium multum deteriorentur.* Ergo sicut Rex non valet numerum horum Magistratuum augere sine aliorum iniuria ac damno, ita neque formam comitiorum legibus Regni præscriptam mutare valebit. Nam id possumus, quod iure possumus. Vltimò probatur, nam admisso quod Rex leges ciuiles mutare possit ex rationabili causa: sed non nisi prius resarciendo damna eis, qui ex tali mutatione iniuriam & emergens damnum siue lucrum cessans sunt perpessi; ex *lege Lucius ff. de euiction. leg. item si verberatum. ff. de rei vindicat. leg. venditor ff. commun. prædiorum*, ibi. *Non aliter hoc nisi prius solitum pro hoc salarium Domino præstet:* & *leg. 2. titul. 3. Partita 2. Tenido es por derecho de le dar ante buen cambio, que vala tanto, o mas de guisa, que quede bien pagado.* Et idem *leg. 31. titul. 18. Partita 3.* Igitur etsi Rex Catholicus potuerit dictas leges Recopilationis pro vna vice dispensare, aut etiam abrogare iusta de causa, sed non nisi resarciendo damna, quæ Procuratores designati perpessi fuere.

Verùm in hanc sententiam nunquam adduci potui, quin potius mihi † euidens est contra- 14
ria, quam mihi persuadeo; Primò, quia illa expectatiua quam designatio vel sors tribuit procuratoribus est non simplex & absoluta,

sed

sed solùm conditionalis, à futura conditione dependens, nimirum si comitia congregentur, & illis Procurator designatus interfit: ita vt inter Procuratorem sic designatum & Regem, iste contractus conditionatus implicitè celebretur: si comitiis congregatis interfueris, salarium solitum, & quotam decimæ quintæ partis seruitiorum concedendorum, tibi conferam; contractus autem conditionatus deficiente conditione & illa non impleta non subsistit, ita vt in neutro paciscente ius aut obligationem producat: ergo neque ista expectatiua & conuentio conditionata, non impleta conditione comitiorum & interessentiæ in illis, vllam obligationem in Rege, aut vllum ius in Procuratore designato producit. Vnde sicut non congregatis comitiis expirat expectatiua Procuratoris designati, ita illo vita functo, aut infirmitate impedito, ne comitiis congregatis personaliter interfit, nullum ius habet, quod transeat ad hæredes; quod tamen transiret si hæc expectatiua ei ius ad rem absolutè & simpliciter tribueret; hæres namque non in solis bonis corpulentis, sed etiam in iuribus in re, & ad rem, modò non sint caduca, succedit. Quis autem vnquam dixit hæredes Procuratoris designati, qui comitiis non interfuit, quia aut non fuere congregata rationabili ex causa, aut ante eorum congregationem fuit vita functus, aut eis congregatis ob infirmitatem non interfuit, ius habere contra Regem ad salaria diurna, & quotam decimæ quintæ partis, quæ patri obuenirent, si comitiis interesset? cùm oppositum & experientia conuincat, qua experimur cum morte aut absentia Procuratoris à comitiis caducam fieri eius expectatiuam. Et ratio persuadeat, quia salarium & quota consignata sunt Procuratoribus propter interessentiam & laborem impensum: ergo qui nec interfunt, nec laborant, nec possunt nec debent illa lucrari, quæ sunt stipendia interessentium & laborātium; sicut Canonici absentes distributiones ammanuēses ratione interessentiæ debitas, nequaquam lucrantur, nisi aliunde eis ex gratia Capituli absentia suppleatur.

Secundò probo eandem sententiam; quia vt qui impedit bonum alterius teneatur de damno, oportet vt per modos iustitiæ contrarios, scilicet per dolum, fraudem, &c. impediat, vt ex communi sententia contra Scotum & Richardum docuimus in prima assertione: atqui Rex suspendens aut tollens comitia Regni in nostro casu, nec dolo nec fraude, neque alio modo iustitiæ contrario impedit emolumenta Procuratorum, sed iusta de causa, & vtens iure suo, ac proinde citra aliorum iniuriam comitia suspendit, aut tollit: ergo non tenetur de damno. Tertio arguitur à simili. Si enim Rex alicui promitteret futuram successionem commendæ Pauli, V.g. quæ est quædam expectatiua, cum hac conditione, quod seruiret in bello contra Cathalanos, aut Lusitanos moto. Si Rex postea mutato consilio arma contra Cathalanos & Lusitanos suspenderet, & treugam cum illis firmaret, proculdubio ista expectatiua & futura successio Commendæ maneret caduca, & insubsistens per defectum conditionis: igitur pariter caduca & insubsistens manet expectatiua Procuratorum designatorum ad comitia per defectum conditionis, illis iusta de causa sublatis: cùm illius & huius expectatiuæ eadem sit ratio.

Quartò quia designatio Procuratorum Valeoletanæ ciuitatis solita fieri ante conuocationem ad comitia, non est maioris virtutis & efficaciæ, quàm solita fieri in aliis Regni ciuitatibus post conuocationem: atqui hæc non confert expectatiuam simplicem & absolutam, sed conditionatam dumtaxat à conditione comitiorum ponenda in esse dependentem; igitur neque illa. Mirum namque esset Regem sublatis aut suspensis comitiis iusta de causa, propter temporis angustias, aut instantem necessitatem proficiscendi extra curiam, teneri de damno omnibus Procuratoribus designatis, qui sunt triginta & sex, vel octo supra triginta, singulisque salaria & quotam decimæ quintæ partis debere restituere, ac si adessent comitiis, quibus de facto non interfuerunt.

Ex hiis patens est † solutio ad argumenta 15
contratiæ opinionis. Ad primum namque respondetur, Procuratores ex vi suæ designationis acquirere ius ad eam partem remunerationis, quæ est debitum legale, non ad aliam partem quæ est debitum antidorale; sed istud ius esse conditionatum à futura conditione dependens, per cuius defectum redditur caducum, quod proinde vt sic nullam inducit obligationem iniustitiæ in Rege, qui iusta de causa, sine dolo aut fraude comitia suspendit aut tollit, derogando dictis legibus Recopilationis, aut in illis dispensando; quod licitè potest facere, imo & illas omnino abrogare, quæ cùm humanæ & ciuiles sint, quandoque mutatis temporibus, expedit eas à supremo Principe mutari.

Ad secundum dicito, consensum ciuitatum requiri ad legitimam seruitiorum & tributorum concessionem, siue in comitiis Curiæ celebratis, siue in consistoriis præstitum, & hæc conditio non defuit in nostro casu, nisi alia scilicet quod consensus exhiberetur in comitiis curiæ: sed hanc, quæ sola lege ciuili est sancita, potest supremus Princeps supplere. Ad tertium fateor remunerationem solitam fieri Procuratoribus in comitiis, quoad illam partem non esse antidoralem, sed legale debitum, ad cuius proinde satisfactionem obligatione iustitiæ orta ex consuetudine habente vim legis, tenetur Princeps, sed dependenter à conditione interessendi comitiis: qua proinde deficiente extinguitur Principis obligatio. Fagundez autem loquitur de re, quæ aufertur à possidente, aut ab habente iam ius in illa perfectum à quauis conditione futura independens: quod damnum planè est emergens ex actione Principis illa officia augentis, ac proinde tenetur ad illius reparationem. Secus verò quando impedit iusta de causa, (alioquin si dolo aut fraude, etiam teneretur de damno) ius conditionatum illorum dependens à futura conditione, quæ est in Principis potestate; vt contingit in nostro casu.

Ad vltimum nescio quomodo cōpatiantur illa duo, nimirum, quod Rex possit licitè mutare leges sui Regni positiuas ex rationabili & iusta causa, & quod teneatur simul resarcire iniuriam subditis ortam ex tali legum mutatione. Nam Rex, sicut & quilibet alius homo, id tantum potest potentia morali, & subdita regulæ morum, quod iure potest: id autē non potest, quod aliorū inuoluit iniuriā, quia id iure non potest. Verum nihilominus est, quandoq; expedire Principi pro salubriori Reipublicæ regimine aliquam legem

condere,ex qua ſubditi in bonis poſſeſſis damnificandi ſint, & illis expoliandi: vt ſi expediret reformare ciuitatum prætoratus quoad numerum, aut Magiſtratus, aut conſiliorum, & Cancellariatum Senatores, quod vtinam videremus executioni mandari: quadrat enim hîc, quod Syneſius de Diis protulit; *Multitudinem numinum eſſe nullitatem numinum*; Sic multitudinem Iudicum eſſe Iudicum nullitatem experimur,& conſumptionem Regij patrimonij. In hoc itaque euentu, Rex hanc reformatiuam legem condens,teneretur ex iuſtitia depoſitis & expoliatis à ſuis officiis,quorum titulis & exercitio gaudebant,condignam facere compenſationem, ne inſontes ſine cauſa plectantur, in pauperiémque redacti obſcuram vitam degere cogantur. In quo caſu leges citatæ procedunt: ſecus in noſtro,in quo Rex neminem titulo,aut officio poſſeſſo expoliat,nullíque propria bona ſua lege aut diſpenſatione aufert, ſed ſolum ius conditionatum reddit caducum, impediendo conditionem, à qua dependebat, & quæ erat in ſua poteſtate ex legitima & rationabili cauſa gubernante.

15 Secundò colligo cum Soto, † non eſſe eandem rationem de officiis ac beneficiis publicis ac de bonis Reipublicæ, quæ deſtinata ſunt vt inter ſingulos ciues diuidantur. Puta quando ſtatuto aut conſuetudine ciuitatis ex ærario,aut ex certo cumulo ſinguli modij frumenti, aut ſingulæ drachmæ. V.gr.veniunt diuidendæ ſingulis vicinis.Diuerſitas autem conſiſtit in hoc, quod hæc bona ſecundi generis per ſe primò ſunt veluti ſtipendia ſiue emolumenta perſonalia ciuium, ad quæ eo ipſo quod ciuitati ſunt adſcripti,& in ea habent incolatum,habent ius quod vocant ad rem,iuréque poſſunt illam quotam petere ipſis peræqualem, aut proportionalem partitionem faciendam,obuenientem:haud ſecus atque operarij vineæ iure poſſunt petere à domino illud ſtipendium pacto & conuentione promiſſum: quod enim in hiis operatur pactum,in illis operatur adſcriptio & incolatus,in quo virtuale & implicitum pactum includitur. Quare ciuitas, aut Magiſtratus ſiue Conſules, ad quos diſtributio expectat, tenebuntur de damno, ſi quotam vnicuique obuenientem negent, aut ſine legitima cauſa detineant. Bona autem primi generis, vt ſunt publica officia Reipublicæ,& Eccleſiæ beneficia,præſtimonia, præbendæ ac dignitates, ſunt per ſe primò non ſingularium perſonarum, ſed ipſius Reipublicæ & Eccleſiæ, in cuius ſeruitium, regimen, ſplendorem & cultum Deo exhibendum ordinata& inſtituta ſunt.Quapropter ante concurſum,oppoſitionem ſiue electionẽ, nullum ius in re,vel ad rem habent perſonæ particulares ad illa petenda. Neque ſi denegentur petentibus, fit iniuria, niſi ſoli Reipublicæ, aut Eccleſiæ, quæ debitis miniſtris orbatur ad ipſius ſeruitium inſtitutis. Ius autem habent priuatæ perſonæ ad huiuſmodi officia ſeu beneficia & perſonatus mediante oppoſitione, concurſu, & electione. Vnde poſſunt in quadruplici ſtatu conſiderari. Primò ante concurſum & oppoſitionem. Secundò adueniente concurſu & oppoſitione, antequam decreta ſit officij ſiue beneficij diſtributio. Tertiò quando iam iſta eſt decreta. Quartò adueniente collatione. In quorum primo nihil debetur priuatis perſonis quantumcumque dignis,nullúſq; ad eas tenetur de damno. In ſecundo verò impediens iniuſtè, hoc eſt fraude,dolo, aut per vim, tenetur ad reſtitutionem damni ſecundum partem.arbitrio prudentis viri,provt habet D.Thomas *in dicta ſolutione ad* 4. Sed in tertio & quarto ſtatu ſi quis impediat,tenetur impedito officium ſiue beneficium ad æqualitatem reſtituere, iuxta eiuſdem Angelici Doctoris doctrinam, quia iam tunc in electum Reſpublica ſiue Eccleſia totum ſuum ius tranſtulerat.

Tertiò colligo cum eodem Soto & Nauarro *vbi ſupra*, † idem dicendum eſſe de impedientibus cathedras dignioribus in Academia Salmantina & ſimilibus. Nam vt bene notat Sotus *ibidem* §. *vltimo*, cui ſubſcribit Nauarrus *vbi ſupra*; Cathedræ Salariatæ etiam ſunt quædam officia ſeu perſonatus per ſe primò ad ſeruitium Academiæ, & bonum Reipublicæ inſtituta & ordinata. Vnde ſi nulli priuatæ perſonæ conferantur ante concurſum & oppoſitionem, nulli fit iniuria niſi ſoli Academiæ, quæ miniſtris ad ſui ſeruitium inſtitutis orbatur. Cùm autem conferantur huiuſmodi Cathedræ, attento iure veluti communi,& conſtitutione Apoſtolica, ad ſuffragia audientium,(etſi hiſce temporibus ad vitandas mortes & ſubordinationes ſcholarium ad Senatum Regium ſupremum earum collatio ſit deuoluta)ſciendum eſt tripliciter ſe habere poſſe ſuffragantem,ſiue Scholaris ſit ſiue Senator. Aut enim ſuo ſuffragio eligit dignum poſthabito digniori:aut eligit indignum:aut impedit digniori ſuadendo ei dolo, fraude, vi aut metu, ne opponatur, aut electores cæteros ne eum eligant.Rurſus ex parte Scholarium diſtinguendum eſt: aut enim ſunt legitimi electores, puta,quia ſunt Auditores illius facultatis cuius eſt cathedra, & albo Academiæ conſcripti (id eſt matriculados,)aut non ſunt legitimi electores,puta, quia aut eiuſdem facultatis Auditores non ſunt;vt ſi Legiſta ſuffragetur in Cathedra Theologiæ,idem eſt ac ſi ſartor, vel ſutor ſuffragetur in illa:aut albo ſtudentium non ſit adſcriptus.Iſte enim quantumuis Auditor ſit illius facultatis, non eſt legitimus elector, quidquid adſtruat Sotus. Nam ſicut non fruitur priuilegio fori dum non eſt adſcriptus, ita neque priuilegio ſuffragandi in cathedris, quod maximum eſt & proprium filiorum adſcriptorum Academiæ. Igitur in primo caſu elector peccat contra iuſtitiam diſtributiuam, ſed non contra commutatiuam, & ideo non tenetur vllam facere reſtitutionem;hoc eſt,neque digniori,cuius non læditur ius commutatiuum;nec ſcholæ cui de rigore iuſtitiæ commutatiuæ non debetur dignior,niſi tantùm dignus. Quod patet exemplo beneficiorum Eccleſiæ,cui licet de rigore iuſtitiæ diſtributiuæ debeatur dignior;verùm de rigore iuſtitiæ commutatiuæ ſolùm debetur dignus. Quapropter elector eligendo dignum, poſtpoſito digniori ad nullam tenetur reſtitutionem,quia hæc locum non habet in reſarciendis iniuriis, aut reſtituendis bonis Abbatis,niſi lædatur iuſtitia commutatiua. In ſecundo autem caſu, quia læditur ius commutatiuæ iuſtitiæ,tum Eccleſiæ, tum dignioris oppoſitoris, tenetur vtrique damnum reſarcire,ſcholæ quidẽ pro ſua facultate;digniori autẽ ſiue digno procurando quantum poſſit,vt aliam cathedrã obtineat.Hoc intelligitur,ſi elector ſuo ſuffragio fuit

16

cauſa

causa determinata & certa, vt indignus cathedram obtineret: sin autē multorū suffragiis Cathedra fuit ablata digno, omnes & singuli tenentur titulo iniustæ actionis; sed vno restituente cæteri per accidens à vinculo restitutionis excusantur. Denique in tertio casu impediens siue dignum, siue digniorem iniustè arcendo eum ne opponatur, vel arcendo electores, ne ei suffragarentur, tenetur ei resarcire damnum quod illi intulit in iure, quod habebat ad petendum Cathedram, & veluti litigandum pro illius consecutione. Hactenus de legitimis electoribus. Quid dicendum de illegitimis, vimus.

Dico igitur, quod illegitimus electror ob defectum alicuius ex prædictis conditionibus, aut suffragatur indigno, aut digno contra digniorem, siue æque dignum, aut digniori; & eius suffragio Cathedra obtinetur. Et quidem in primo euentu præterquam quod crimen periurij & vsurpationis Iudicij committit, (cōsentio enim Soto dicenti istos electores cathedrarum non testes, sed Iudices esse) tenetur damnum cathedræ ablatæ digno ad æqualitatem, scholæ, & digno resarcire. At in secundo euentu eisdem criminibus se implicat, sed nihil scholæ, bene autem digniori tenetur in integrum cathedram restituere pro sua facultate: & similem restitutionem tenetur facere digno, quem suo suffragio priuat cathedra, quia alter dignus qui cathedram obtinuit, dumtaxat habebat ius ad illam petendam à Iudicibus legitimis, de quorum numero iste non erat. In tertio tandem euentu ad nullius damni tenetur restitutionem, sed solùm ad penitendum de peccatis periurij & vsurpationis Iudicij. Verùm adnotato, quod in hiis duobus prioribus casibus, in quibus aut digniori, aut digno aufertur cathedra, aut etiam æque digno per suffragium illegitimi electoris; nulla scholæ solet fieri restitutio, nisi tantùm ei oppositori, qui iniustè cathedra fuit priuatus; fortè quia dum fit huic restitutio vt filio, fit scholæ vt matri, & quæ totum suum ius in ipsos oppositores transfert. Quare cùm paucis ab hinc annis mihi in Cœnobio Salmantino facienda veniret restitutio Cathedræ Scripturæ, per quendam Clericum cuius suffragio (cum non esset legitimus electror) Magistro Ludouisio Legionensi fuit collata, & ablata Magistro Dominico de Guzman Dominicano, conuentione facta arbitrio prudentum virorum, eidem Cœnobio Sancti Stephani cuius filius erat Magister Dominicus de Guzman; septingenta scuta restituta fuere, computando stipendia Cathedræ in sexquilustro, quo dictus Magister post amissam Cathedram superuixit. Nullāque tunc habita fuit consideratio ad scholam, aut ad restitutionem illi faciendam: nimirum quia de Regente satis digno prouisa fuerat: aut quia totum suum ius in suos filios & alumnos læsos transfert, & satisfactione eis facta in honoribus & emolumentis est contenta.

DISPVTATIO XIV.

De Simonia, duas continens partes. In prima resoluuntur quidam casus eandem materiam concernentes. In secunda expenditur radicitus Simoniæ materia, iuxta ordinem & articulos Angelici Doctoris.

PARS I.

De mediatore Simoniæ in beneficio. Vtrum teneatur ad fructuum restitutionem?

SVMMARIVM.

1 *Referuntur duo quæ in hac quæstione supponuntur.*

2 *Quibus suppositis inquiritur, vtrum Mediator Simoniæ realis quam ille in cuius fauorem fuit commissa, ignorauit, teneatur ad fructuum perceptorum restitutionem?*

3 *Præsentatio siue electio facta per Simoniam, eam ignoranti, non est ipso iure nulla, licet veniat reprobanda & annullanda.*

4 *Quæ assertio est sententia legitima S. Thomæ, & vt communiter recepta, quadruplici argumento probatur.*

5 *Soluitur obiectio, beneficium scilicet ab ignorante Simoniam acceptum, non teneri obtinentem renunciare, neque fructuum extantium restitutionem.*

6 *Obligatio renuntiandi beneficium cum fructibus extantibus quando vrget.*

7 *Renuntiatio debet fieri in manus Prælati vel Superioris.*

8 *An idem sit dicendum de beneficiis duplicibus, vt sunt dignitates & personatus, ac etiam de beneficiis Curatis?*

9 *Renūtians beneficium per Simoniam à se ignoratam obtentum quonam fauore potitur.*

10 *Mediator Simoniæ non satisfacit monendo Beneficiarium, sed ad fructuum perceptorum restitutionem re vera tenetur.*

11 *Quæ assertio vt veritati conformior est tenenda, variisque argumentis probatur.*

12 *Respondetur fundamentis contrariæ opinionis.*

13 *Respondetur obiectioni, iubentem scilicet aut consiliantem furtum, satisfacere, si moneat furem vt restituat.*

14 *Obtinens beneficium mediante Simoniaca alterius procuratione quam ignorauit, non*

tenetur alteri mediationem ſimoniacam propalanti credere, niſi adſint præſumptiones veroſimiles ad illam præſumendam.

QÆPIVS contingit beneficium præſentari vel conferri ſimoniacè Petro v. gr. per Simoniam commiſſam à mediatore amico vel conſanguineo, qui inſcio vel ignorante Petro aliquod munus à lingua, ab obſequio vel à manu dedit Patrono, ſiue collatori beneficij, ſiue electoribus, vt mediante hoc munere Petrus præſentationem, collectionem, vel electionem obtineret. Vnde ad huius tam frequentis caſus reſolutionem diſcutienda venit præſens quæſtio, *Vtrum mediator iſte ſimoniæ, quam alter ignorauit, incurrat pœnas contra Simoniacos latas, & conſequenter teneatur ad fructuum beneficij reſtitutionem?*

1 In † quæſtione duo ſupponimus, & aliud inquirimus. Supponimus quidem primò mediatorem commiſiſſe ſimoniam realem & conſummatam vtrinque, vel quantum ſufficit vt pœnis Iuris ſit obnoxia: alioquin ſi purè conuentionalem ſimoniam commiſiſſet, etiamſi mortale crimen perpetraret, nullis tamen pœnis Iuris eſſet ſubiectus, vt *in ſequenti tractatu de ſimonia* adnotamus cum communi Doctorum ſententia. Secundò ſupponimus Petrum in cuius fauorem fuit huiuſmodi ſimonia realis perpetrata, ignoranter ignorantia inuincibili beneficium, ſiue officium ſpirituale, ſiue præſentationem ad illud, ſiue electionem obtinuiſſe, & adhuc in ea ignorantia & bona fide perſeuerare: alioquin ſi à principio in ſimoniacum contractum conſenſiſſet, aut poſtea illum ratum haberet, ſimoniacæ quoque labis eſſet reus, & pœnas pro illa taxatas incurreret. Hiis
2 autem † ſuppoſitis, inquirimus. *Vtrum mediator huiuſmodi Simoniæ realis, quam ille in cuius fauorem fuit commiſſa, ignorauit, tenetur ad fructum perceptorum reſtitutionem?* In quo tria expendenda ſunt. Primum an talis præſentatio, vel collectio, facta per Simoniam ignoranti, ſit ipſo iure nulla, ſiquidem ſimoniaca fuit. Secundum, an mediator illius ſatisfaciat coram Deo, monendo eum cui facta eſt præſentatio, vel collatio; vel an debeat reſtituere fructus, quos non percepit? Tertium, an teneatur ei credere, ille qui per ſimoniam, quam ignorauit, beneficium, vel officium obtinuit, aut præſentationem ſiue electionem ad illud? quibus ſigillatim totidem aſſertionibus placet reſpondere.

3 Aſſertio prima ſit: † Præſentatio, collatio ſiue electio facta per ſimoniam, eam ignoranti, non eſt ipſo iure nulla, licet veniat reprobanda & annullanda. Hæc aſſertio ſtatuitur aduerſus Panormitanum *in cap. penultimo de electione*, Caſſadorum *deciſione 3. de ſequenti poſſeſſion.* relatum à Gomez *in regula de triennali poſſeſſore quæſt. 12.* & Couarruuias *in regula Peccatum de regulis iuris in ſexto §. 8.* affirmantes huiuſmodi ſimoniacam collationem, præſentationem, ſiue electionem eſſe ipſo iure nullam: quod ſibi perſuadent, tum *ex cap. Nobis de ſimonia*, quatenus in eo decernitur, huiuſmodi ſimoniam commiſſam à mediatore, cum ignorantia recipientis officium vel beneficium, eſſe penitus reprobandam; & aduerbium iſtud *penitus* ſignificat nullitatem ipſo iure, vt notat Gloſſa *in leg. Si quis aduocator Cod. de poſtuland.* commendata à Corſeto in ſingul. ſuis. verbo *penitus.* Tum etiam authoritate Angelici Doctoris, qui *2.2. quæſt. 100. art. 6. ad 3.* loquens de huiuſce ignorante Simoniam per alios commiſſam, ſic ait. *Si verò eo neſciente, nec volente per alios alicuius promotio procuratur, caret quidem ordinis executione & tenetur reſignare beneficium quod eſt conſequutus, cum fructibus extantibus, non autem tenetur reſtituere fructus conſumptos, quia bona fide poſſedit, &c.* Quorum verborum ſenſus planus eſt. Quod ſi quis ſimoniacè ſuſcepit ordinem, aut beneficium per ſimoniam alicuius Procuratoris à ſe ignoratam, cùm primum ſciuerit, ille quidem caret ordinis executione, & ideò tenetur ſe ab officio ordinis abſtinere: iſte verò tenetur reſignare beneficium cum fructibus extantibus. Atqui hæc obligatio non aliunde oritur, niſi quia collatio beneficij fuit nulla, & per illam nullum ius acquiſiuit in beneficio, neque fecit fructus ſuos. Tum denique quia iure naturali ac diuino ſpiritualia ſunt inuendibilia, vtpote gratis accepta, ac proinde gratis danda, vt colligitur ex *Matthæi 10. & cap. Gratia 1. quæſt. 1.* ergo per Simoniacam emptionem non transferuntur in dominium ementis, aut illius pro quo à Procuratore emuntur.

Verumtamen † noſtra aſſertio eſt ſententia 4
legitima Sancti Thomæ *in loco nuper allegato*, & defenditur à Nauarro *lib. 5. conſiliorum tit. de Simonia, conſilio 95.* vt communiter recepta. Et ſuadetur primò, quia Simonia cõmiſſa in collatione & prouiſione ſiue electione, non nocet parti ignoranti eam, quoad peccatum & excommunicationem, quia peccatum alienum non nocet quoad culpam, & pœnam ſpiritualem ignoranti, donec ſciat & conſentiat: vt habetur *1. q. 4. per totam*, præſertim *cap. cum itaque, & eius gloſſam.* Vnde neque huiuſmodi recipiens beneficium per ſimoniam à ſe ignoratam, dicitur excommunicatus, neque verè Simoniacus, vt patet ex *cap. de ſimoniacè, extra de ſimonia.* Secundò quia *in cap. ex inſinuatione, & cap. de regularibus, de ſimonia*, habetur huiuſmodi obtinentem beneficium per ſimoniam alterius à ſe ignoratam, ſatisfacere conſcientiæ ſuæ, cùm ſciuerit renuntiando liberè beneficium: quod eſt ſignum manifeſtum collationem valuiſſe, ſiquidem neceſſaria eſt renunciatio, vt illud à ſe abdicet. Tertiò quia pœna illa quæ in iure decernitur, vt collatio beneficij ſit nulla & inualida, inducta eſt in odium peccati ſimoniæ, in cuius etiam odium inducta eſt excommunicatio: Sed ille qui beneficium accepit per ſimoniam alterius à ſe ignoratam, non commiſit peccatum Simoniæ, neque vlla ratione peccauit accipiendo tale beneficium, ſiquidem erat idoneus ac dignus, vt ſupponitur, & ab eo accepit qui poterat illud conferre: ergo ſicut excommunicationem propter alienum peccatum non incurrit, ita neque per collationem inualidam illud obtinuit, cùm ſcriptum ſit apud Ezechielem vatem, *Anima qua peccauerit ipſa morietur*, relatum à Gratiano *in cap. cum itaque, nuper citato.* Quartò, nam teſte D. Thoma *vbi ſupra*, iſte ignoranter accipiens beneficium ſimoniacè collatum, cum ſciuerit, tenetur reſignare illud, cum fructibus extantibus;

ſed

sed non tenetur restituere fructus consumptos, quos fecit suos, quia bona fide possedit. Et subdit Sanctus Doctor, quod in duobus casibus non tenetur renuntiare beneficium sic ignoranter obtentum, nimirum si inimicus eius fraudulenter pecuniam daret pro pretio collationis, aut si ipse conscius Simoniæ expressè contradixerit, *nisi fortè* (concludit Sanctus Doctor) *postmodum pacto consenseris, soluendo quod fuit promissum.* Ex quibus tale deducimus argumentum. Si collatio fuisset nulla & inualida, nullos fructus faceret suos huiusmodi ignoranter possidens beneficium, quia nullo titulo vero aut iure illud possideret: sed fructus quos bona fide consumpsit fecit suos, siquidem illos non tenetur restituere: ergo signum est quod collatio fuit valida secundum mentem Angelici Doctoris. Rursus siue Procurator siue mediator collationis Simoniacæ fit inimicus, siue amicus; siue ipse contradixerit expressè, siue non contradixerit ob ignorantiam & bonam fidem, collatio non desinit esse Simoniaca, ac proinde aut semper aut nunquam fuit inualida: sed in casu inimicitiæ & fraudulentiæ, atque contradictionis expressæ admittit D. Thomas collationem esse validam, ita vt obtinens beneficium, non teneatur illud renuntiare nisi postmodum pacto consenserit; ergo & in casibus in quibus tenetur beneficium resignare, fuit valida collatio.

5 Dices, hinc sequitur quod † neque ad renuntiandum beneficium huiusmodi ab ignorante Simoniam acceptum, teneatur obtinens, neque ad fructuum extantium restitutionem. Quod probatur ex illo vnico principio fundamentali, quo probauimus collationem esse validam, ne scilicet insons sustineat pœnam iuris pro alieno peccato, quam proculdubio sustineret, si collatio ei ignoranti Simoniam alterius, esset inualida: Atqui teneri ad resignandum beneficium, & restituendum fructus extantes illius beneficij, quod reuera erat suum & Canonico titulo ac bona fide possedit, cuius & idoneus ac dignus erat, est seuerissima pœna: ergo neque hac plectendus est innocens, quia nullus debet puniri pro eo, quod non est factum eo sciente & volente; vtpote quia pœna debetur peccato, quod est voluntarium teste eodem Angelico Doctore 12. *quæst.* 74. *art.* 1. & 2. Verùm hoc ipsum argumentum est, quod ipse Angelicus Doctor soluere intendit *in dicta solutione ad* 3. vbi sic ait. *Quod aliquis priuetur eo quod accepit, non solùm est pœna peccati; sed etiam quandoque est effectus acquisitionis iniustæ; puta cum aliquis emit rem aliquam ab eo qui vendere non potest, &c.* Quæ verba adiuncta eis quæ retulimus, denotant quod sicut emptor rei alienæ à latrone, nisi contractum rescindat, tenetur eam vero Domino restituere, quia res vbicumque est, Domini est, quæ obligatio ad restituendum non est pœna peccati, quod non commisit, vt supponimus, sed effectus iniustæ acquisitionis: ita obligatio in nostro casu resignandi beneficium cum fructibus extantibus, non est pœna peccati Simoniæ, quod possidens ignoranter supponimus non perpetrasse, sed effectus Simoniacæ collationis, quam in tantum odit Ecclesia, vt etiam insontem aliquo effectu pœnali puniat, sine culpa quidem, sed non sine iusta causa, iuxta iuris regulam *in sexto*; *Nemo sine culpa, aut nisi iusta subsit causa, est puniendus.* Quibus adde quod ista † obligatio renuntiandi beneficium cum fructibus extantibus non vrget, nisi quando possessor incipit habere notitiam Simoniæ commissæ per mediatorem; & tunc ne illi consentiat & fiat malitiæ particeps, & fiat possessor malæ fidei, retinendo beneficium Simoniacè collatum siue præsentatum, tenetur illico ad beneficij cum fructibus extantibus renunciationem, quæ est iustissima causa hanc pœnalitatem subeundi, quæ etiam tot temperamentis mitigatur, vt rigor lenitate compensetur. Etenim † renunciatio debet fieri in manus Prælati vel Superioris, qui possit eum inuitum destituere, & qui etiam possit eidem beneficium renuntiatum iterum conferre; quia Episcopus (vt bene notat Nauarrus *vbi supra consilio* 69.) potest dispensare cum prædicto ignoranter Simoniacè prouiso de beneficio simplici siue Canonicatu, vt idem post renunciationem illius à se legitimè factam, denuo ei conferatur: & colligitur ex *cap. ex insinuatione de Simonia*, quatenus agens de Canonicatu & præbenda per Simoniam ignoranter commissam, quæritis, præsupponit illam iterum conferri renuncianti, cum dispensatione Prælati inferioris ad Papam, quod satis adnotauit Panormitanus *ibi num.* 4. *& in cap. extirpandæ* §. *qui vero de præbendis*: & videtur casus expressus *in cap. penultimo de electione*, vbi Glossa communiter recepta hoc tenet de beneficiis simplicibus, & consequenter de Canonicatu, qui reputatur beneficium simplex secundum communem sententiam, quæ probatur *in cap. statutum, de rescriptis in sexto.* 6 7

Vtrum autem † idem sit dicendum de beneficiis duplicibus, contentis in *cap. de multa, de præbendis*, vt sunt dignitates & personatus, ac etiam de beneficiis curatis? Respondetur quod non est eadem ratio, neque eadem iuris dispositio: nam ex *dicto cap. penultimo de electione*, colligitur non esse idem dicendum de beneficiis duplicibus & curatis, quæ contraponuntur simplicibus: nec non ex *cap. post translationem, de renunciatione*, vbi decernitur de Episcopatu per Simoniam alterius ab Episcopatum recipiente ignoratam, non posse semel resignatum, ab eodem resignante iterum obtineri, idémque de aliis dignitatibus & beneficiis curatis ob identitatem rationis est dicendum. Vnde scitè concludit Nauarrus *vbi supra consilio* 91. *&* 97. *q.* 5. quod beneficium obtentum per Simoniam alienam se nolente admissam, si est dignitas, aut beneficium curatum, non potest retineri etiam cum dispensatione Episcopi secundum receptiorem sententiam: cum tamen beneficium obtentum per Simoniam propriam, vel se volente admissam, non potest iterum eidem conferri etiamsi simplex sit, sine Papæ dispensatione, potest tamen obtinere alia post impetratam absolutionem ab excommunicatione: quia licet ipso iure talis Simoniacus in beneficio per Simoniam à se commissam, vel se volente admissam, fiat inhabilis ad idem beneficium iterum recipiendum, non tamen ad alia obtinenda, eò quòd non fit irregularis ipso iure; fieret autem irregularis, si ad quæcumque beneficia maneret inhabilis. Neque obstat Extrauagans Pij V. *cum primum* contra Simoniacos lata, sic disponens. *Qui beneficium, aut officium Ecclesiasticum* 8

ſticum ſimoniacè adeptus fuerit, illis ſit ipſo iure priuatus, & ad fructuum omnium quos perceperit reſtitutionem teneatur, & perpetuo ſit inhabilis ad ea, & quæcumque alia beneficia Eccleſiaſtica obtinenda. Ergo etſi iure antiquo talis Simoniacus in beneficio non eſſet inhabilis ad alia obtinenda, ſed tantùm ad illud quod Simoniacè acquiſiuit, tamen iure nouo dictæ extrauagantis, fit inhabilis ad omnia. Reſpondetur cum eodem Nauarro *conſilio 92.* dictam Extrauagantem explicante, quod quoad hanc pœnam inhabilitatis ad aliâ nouè impoſitam, requiri conuictionem & ſententiam declaratoriam criminis, vt ex contextu circa pœnam impoſitam paulo ante Clerico ordines per ſimoniam propriam obtinenti, patet: imo addit Nauarrus, dictam Extrauagantem quoad iſtam pœnam non eſſe vſu receptam, ac proinde quoad illam non ligare, quia lex qua parte non eſt vſu recepta, non ligat.

9 Rurſus alio † fauore potitur ille renuntians beneficium per ſimoniam à ſe ignoratam obtentum, nimirum, quod licet ſint multi Canones, decernentes huiuſmodi beneficiarium teneri poſt certificationem, ad renuntiandum beneficium per alienam ſimoniam ſibi quæſitum, *cap. præſentium 1. quæſt. 5. c. Nobis. cap. ex inſinuatione & cap. de ſimoniace, de ſimonia*, nullibi tamen in Iure exprimitur eum debere fructus perceptos reſtituere, vtpote quia fuit poſſeſſor bonæ fidei, qui omnes fructus facit ſuos maximè induſtriales, iuxta Gloſſam *leg. bonæ fidei ff. de acquirendo rerum dominio.* Fructus autem beneficiorum vt plurimum ſunt induſtriales, quia quæruntur opera & cultura beneficiarij, vt ſentit Panormitanus, *Grauis de reſtitut. ſpoliat: numer. 6.* ibi. *Epiſcopus lucratur ob culturam & curam.* Vnde tantùm tenetur reſtituere fructus perceptos poſt notitiam Simoniæ, extantes quidem ſecundum totum, & ex conſumptis id in quo factus eſt ditior illos conſumendo: quia reſpectu horū iam eſſet poſſeſſor malæ fidei, & non dimittitur peccatum, niſi reſtituatur ablatum & iniuſtè quæſitum, vt reſoluit Nauarrus *in duobus conſiliis de Simonia*, ſcilicet *conſilio 97. quæſt. 4. & 99.* cum tamen ſi beneficium per Simoniam ſe volente commiſſam obtineret, ad omnes fructus beneficij reſtituendos teneretur, exceptis impenſis in eorum adminiſtratione factis, & eo quod pro ſeruitio Altaris vni Vicario deberetur.

10 Secunda aſſertio; non † ſatisfacit mediator dictæ Simoniæ in beneficio monendo beneficiarium, ſed reuera ad fructuum perceptorum reſtitutionem tenetur. Hæc aſſertio probatur primò, quia mediator Simoniæ, dicitur ille, qui licet nihil vtilitatis ob eam percipiat, procurat vt illa fiat, & ideo reus eſt criminis Simoniæ, quæ ſi fuerit realis & conſummata, & aliàs commiſſa ſuper beneficio aut ordine, incurrit pœnam excommunicationis per Extrauagantem ſecundam *de Simonia*, quæ ex pœnis latis ibi contra Simoniacos principales, ſolùm hanc excommunicationis, ad Simoniæ mediatores extendit. Sed inde oritur difficultas; nam ex quo ſola excommunicationis pœna in mediatores Simoniæ in dicta Extrauagante fertur, videtur conſequens nulli alteri eos eſſe obnoxios. Etenim dicta Extrauagans Pauli II. loquens de beneficiario, ait illum ad reſtitutionem teneri; & *in §. ſequenti*, loquens de Procuratore & mediatore, decernit eos eſſe ipſo facto excommunicatos: ergo pœna illius Extrauagantis ſatis rigoroſæ, non eſt vltra terminos ſuos extendenda, & in nullo alio Canone aliqua grauior pœna contra procurantes ac Mediatores ſimoniæ conſtituitur, quàm in dicta Extrauagante, neque vllo alio iure eis talis obligatio reſtituendi imponitur. Tum etiam quia non ſatis æquiparatur procurator beneficij conferendi alteri per ſimoniam, iubenti ſiue conſentienti furtum fieri, vt ita ille, ſicut iſte teneatur ad reſtitutionem: ergo fundamentum cui contraria innititur ſententia eſt inualidum, etiamſi ſumatur ex D. Thoma *2.2. quæſt. 62. art. 7.* Antecedens probatur ex multiplici diſcrimine, quod inter vtrumque verſatur. Procurator enim tituli iniuſti beneficij, non procurat rem ita immediatè obnoxiam reſtitutioni, ſicut ille qui iubet vel conſulit furtum, quia beneficiarius potuit omnes fructus Eccleſiæ in eius vtilitatem conuertere, vel in pauperes erogare, vel diſpenſationem à Sede Apoſtolica obtinere, vel compoſitionem facere cum Camera Apoſtolica, vel cum Commiſſario Cruciatæ, quibus in caſibus non teneretur amplius reſtituere, de quo & rationabiliter potuit Procurator ſiue Mediator Simoniæ cogitare. Rurſus iubens ſiue conſulens furtum, influit effectiuè moraliter in acceptionem iniuſtam, & eſt cauſa proxima illius, de quo genere cauſæ intelligendam eſſe doctrinam Angeli Doctoris *in art. nuper citato*, ſcitè aduertunt Caietanus *ibi*, & Sotus *lib. 4. de iuſtitia q. 7. art. 3.* Procurator autem ſiue Mediator Simoniacæ collationis, ſiue præſentationis, dumtaxat eſt cauſa ſine qua non, aut ad ſummum cauſa remota & mediata iniquæ acceptionis beneficij, & receptionis fructuum illius, quæ proinde non videtur obnoxia obligationi reſtituendi. Neque eſt ſimile de collatore qui confert indigno beneficium, ac proinde tenetur reſtitutionem facere Eccleſiæ, quam damnificat. Nam cùm iſte peccet in officio & lædat Eccleſiam, quam ex munere ſuo tenetur tueri, propterea incurrit obligationem reſtituendi damnum Eccleſiæ: ſicut & ille qui latronem occultat, vel non manifeſtat, quem ex officio ſuo tenebatur manifeſtare. Laicus verò cui ex officio non incumbit tueri Eccleſiam, & eius bonum procurare, licet peccet contra religionem procurando ſimoniacè obtinere alteri præſentationem, ſiue collationem beneficij; ſed non peccat contra iuſtitiam, neque Eccleſiam lædit, ſi aliàs digno eam procurat. Ergo neque ex hoc capite ad vllam fructuum reſtitutionem tenetur. Tum denique, quoniam huiuſmodi Procurator ſiue Mediator Simoniæ, nec tenetur ratione rei acceptæ, aut rei alienæ retentione, quia nihil vtilitatis de fructibus talis beneficij procurati alteri percepit, vt ſupponimus; neque ratione iniuſtæ actionis, quia potuit per ignorantiam iuſtam à culpa excuſari; per ignorantiam inquam iuris tam obſcuri & infrequentati, quale eſt iſtud prohibens, ne beneficiarius faciat fructus ſuos etiam illius beneficij, quod per Simoniam alterius à ſe ignoratam obtinuit; quod talis Procurator, maximè laicus, maximè illiteratus ſcire nequaquam tenetur. Imo nullum eſſe puto, qui ſi ſciret ſuum clientulum, cui procurat beneficium ſimoniacè, tam ſeuera Iuris pœna plecti,

vt

vt fructus beneficij non faciat suos, illud ei per tale medium procurasset: ergo cùm nullus alius sit titulus restitutionis, videtur huiusmodi Simoniæ Mediatorem siue Procuratorem nullo titulo ad illam teneri.

Sed licet hiis fundamentis opinio hæc haud parum probabilis reddatur: Verùm contraria
11 est † veritati conformior, & tenenda cum Nauarro *vbi supra consil.99.& 100.* Et probatur primò ex duabus regulis iuris, scilicet ex illa *in sexto:& cap. Si res aliena 14. q.6.peccatum non dimittitur, nisi restituatur malè ablatum & quæsitum*:& altera *ex cap.finali de iniuriis & dam. Qui causam damni dat, damnum quoque fecisse videtur.* Quæ absolutè loquitur & sine vlla distinctione causæ immediatæ, aut mediatæ, ac proinde de dante quouis modo causam damni intelligenda est: ergo cum iste Mediator Simoniæ fuerit causa per suam interuentionem & mediationem, vt alter scilicet beneficiarius cui quæsiuit beneficium, Ecclesiam damnificaret, illam suis fructibus spoliando, proculdubio ad eorum restitutionem tenetur. Secundò probatur ex *leg. Qui occidit. ff. ad legem Aquileiam*, decernente eum qui occidit seruum pignori datum, teneri ad restituendum integrum valorem quantitatis debitæ creditori, si debitor non est soluendo. Et similiter qui furatur sutori, vel sartori acum siue instrumentum artis, sine quo operari non potest, & cum quo operatus fuisset, tenetur ad restitutionem damni, siue lucri cessantis; vt communis opinio tenet cum Nauarro *in Manuali cap. 17. n.3.* etsi neque occisor serui, neque furans instrumentũ artis Sartori, sit causa immediata illius damni, sed valde mediata & remota: ergo pariter in nostro casu. Tertiò probatur, nam Simoniacus præsentator, atque etiam collator, inualidam aut nullam faciens beneficij præsentationem, tenetur ad fructuum beneficij restitutionem, etiamsi nihil de illis percipiat, titulo solius iniustæ actionis, & quia causam damni dedit; & tamen neuter est causa immediata illius damni, nisi solus beneficiarius, qui iniustè fructus beneficij percipiendo, quos non facit suos, Ecclesiam damnificat: ergo eadem obligatio in Simoniæ procuratorem & mediatorem refunditur titulo iniustæ actionis, licet nihil de fructibus beneficij percipiat.

12 Vltimò probatur † satisfaciendo fundamentis contrariæ opinionis. Ad primum enim respondetur, argumentum desumptum ex dicta Extrauagante esse negatiuum, quatenus probare contendit Mediatorem Simoniæ nulli alteri pœnæ esse obnoxium, ex eo quòd ibi sola excommuniatione punitur, & ideò nullius esse efficaciæ: Lex enim quæ vnam pœnam exprimit, alteram quam tacet non excludit: Præterquam quod obligatio ista restituẽdi fructus beneficij, in Mediatore Simoniæ non est tam pœna, quàm effectus iniustæ mediationis. Ad secundum negandum est antecedens, ad cuius probationem patet ex dictis. Ad tertium negatur antecedens. Licet enim inter collatorem, & Mediatorem Simoniacum sit assignatum discrimen, quod ille ex officio tenetur Ecclesiæ prouidere de legitimo ac digno Pastore, & non iste; in Simoniaca tamen actione præbente causam vt alter fructus non suos percipiat, vterque conuenit, quantum sufficit, ad incurrẽdum obligationem restituendi illos: haud secus atque iubens, consilians & consentiens in furtum ab altero perpetratum, cuius vtilitatis non sunt participes, quia conueniunt in cooperando ad iniustam alienæ rei acceptionem, etiamsi illã in vero Domino tueri ex officio non teneantur, sed sint priuatæ personæ, obligationi restituendi titulo iniustæ actionis sunt obnoxij. Ad vltimum nego antecedens pro secunda parte, quia etsi ignorantia inuincibili durante, à culpa iniustitiæ, & ex consequenti ab obligatione restituendi excusetur, hoc erit per accidens, quod non tollit obligationẽ per se, & quæ ipsum vrgebit cessante ignorantia: idque multoties contigit in hiis, qui per se ad restitutionem alieni tenentur, vt in paupere quamdiu impotens est ad bonorũ furto sublatorum restitutionem; in eo, qui rem alienam emit à fure, putans esse suam: & in eo, qui in aliquo contractu vsurario, quem bona fide putat esse licitum, accipit iniustè aliquam quantitatem pecuniæ vltra sortem principalem.

Dices; † iubens & consilians furtũ, satisfaciũt 15
si moneant furẽ & participes furti, vt restituãt: ergo & mediator Simoniacæ collationis satisfaciet, si moneat beneficiarium vt restituat fructus iniustè perceptos. Respondeo negando antecedens, vel distinguendo illud. Si enim fur cũ effectu restituit ad monitionẽ iubentis, vel consiliantis, & hoc eis constat; tunc isti ab obligatione restituendi excusantur, neq; enim vnius & eiusdem rei multiplex debet fieri restitutio, prout in specie eiusdem casus adnotat D. Thom. *in dict. art.7.q.62.ad 2.* Sin minus, permanet in illis obligatio restituendi, quousq; Dominus integrè constituatur in dominium rei suæ, paritérq; de mediatore monente beneficij possessorẽ, dicendũ est. Sed quid si Mediator Simoniæ restituat Ecclesiæ fructus malè à Beneficiario perceptos, quia iste renuit restituere? Respõdeo tunc teneri Beneficiarium valorẽ fructuum mediatori recompensare, haud secus atque fur consilianti vel iubenti, qui rem furto ab altero sublatã restituit, tenetur eius valorem recompensare: sicut dum ex multis cooperantibus ad furtũ vnus restituit, cæteri ad quos res aliena peruenit, tenentur eidẽ tantundem recompensare, provt habet D. Thom. *in solut. ad 2.* nuper citata. Dices, ergo pariter ad fructuũ beneficij restitutionem tenebitur mediator, qui non cum collatore immediatè, sed cum eius amico duntaxat Simoniam commisit, vt collatorem ad beneficium conferendum inclinaret. Respondeo concedendo consequentiam: Verùm fatear hoc in casu posse primam opinionẽ satis probabiliter defensari.

Tertia assertio sit: qui † mediante Simoniaca 14
alterius mediatione aut procuratione, quã ignorauit, beneficiũ obtinuit; non tenetur illi alteri mediationẽ Simoniacã propalanti credere, nisi adsint præsũptiones verosimiles ad illã præsumendã. Hæc assertio est cõmuniter à Doctoribus tum in specie nostri casus, tum etiã in similibus recepta: & probatur à Nau. *in tit. de Simon. conf. 45.* cuius casus est de Ioanne Romæ cõmorante, qui mediãte cõcordia, quã eius Pater fecit in patria cũ Petro super quodã beneficio litigioso, illud obtinuit cum onere soluendi Petro singulis annis mediã partem fructuũ, à Papáq; fuit dicta concordia consummata. Sed nec illi, nec Ioanni fuit reuelata Simonia, quã pater Ioannis commisit cũ Petro, vt dictæ cõcordiæ cõsentiret: Petróq; iam vita fũcto insurrexere quidã aduersarij

Ioannis eum arguentes de Simoniaca beneficij obtentione & poſſeſſione, vtpote ex Simoniaca ſui Parentis concordia promanante. Quid iuris? Reſpondet Nauarrus tria. Primum eſt, quod Ioannes per illam concordiam Simoniacam tertij ſe ignorante factam, ius quod antea ad illud beneficium habebat, imo ſi illo iure ſpoliatus eſſet, deberet ei reſtitui, aut etiam ſine vlla reſtitutione poſſet ad illud redire, per *cap. Si beneficia de præbendis in ſexto*: eo quod talis ſpoliatio Iuris acquiſiti ad beneficium ſuper quo erat lis, eſt pœna peccati. Atqui in dicta concordia facta per ſimoniam ſui parentis à ſe ignoratam, non peccauit: ergo neque propter illam debet puniri, ac proinde neque iure ſuo ſpoliari, ſed deberet in eum ſtatum priſtinum reſtitui vel redire, in quo ante initam concordiam erat cum Ioanne litigans.

Secundum eſt, quod dictus Ioannes quàm primum ſciuit ac credidit, aut ſcire & credere debuit præfatam concordiam fuiſſe factam Simoniacè, tenetur renuntiare beneficium ſiue ius, quod virtute illius fuit ſibi acquiſitum, & fructus poſt talem notitiam perceptos Eccleſiæ reſtituere: quia ab illa die eſt poſſeſſor malæ fidei illius, quod non eſt ſuum, & fructus non facit ſuos, iuxta diſpoſitionem *capitis primi* 1. *q.*1. *& cap. ex inſinuatione de Simonia.* Tertium eſt, quod tunc ſcire & credere tenetur Ioannes, quando adfuerint præſumptiones veroſimiles, ad præſumendam ſimoniam in ſui vtilitatem commiſſam; erunt autem huiuſmodi veroſimiles præſumptiones, v.gr. ſi Iuridicè probetur ab aduerſariis, quòd Pater aut conſanguineus Ioannis promiſerit Petro dare aliquam pecuniæ quantitatem, aut aliquos tritici modios ſingulis annis ſoluendos, antequam præfata concordia à Papa confirmaretur. Et licet in inſtrumento promiſſionis non exprimatur cauſa ob quam tale pretium promittitur, nimirum, quod ſit vt Petrus concordiæ conſentiret; Verumtamen inſinuatur in aliis verbis, V. gr. quod illa quantitas argenti vel tritici ſoluenda eſt Petro durante vita Ioannis, vel donec Petrus integrum aliquod beneficium in ſua Eccleſia aſſequeretur. Id etiam inſinuat qualitas perſonæ promittentis, videlicet quia erat Pater, aut frater, aut proximus cõſanguineus; & quod lis erat mota ſuper beneficio cuius fructus in concordia diuidebantur, & quod nulla alia cauſa exprimitur in inſtrumento ob quam promiſſio fieret, & quod promiſſio ipſa ſuapte natura ad ſuadendam illam concordiam tendebat: totámque harum circunſtantiarum collectionem ſufficientem eſſe ad probationem præſumendam, deducitur ex *cap. quia non eſt, de præſumption. & leg. non eſt veroſimile, ff. quod metus cauſa.* Indéque colligere licet, minorem apparatum circunſtantiarum non ſufficere, vt poſſeſſor beneficij credere teneatur ſimoniam in vtilitatem ſui commiſſam: poterit quidem illam credere ſi voluerit teſtimonio ſimplici Parentis, vel conſanguinei mediatoris aſſentire, aut ſi facilis in credendo fuerit: qua admiſſa credulitate, tenebitur beneficium obtentum cum fructibus poſt notitiam acquiſitis renuntiare, ſed neutiquam credere tenebitur, niſi alia credibilitatis motiua concurrant. Quemadmodum neque filius adulterinus ingrediens parentis exiſtimati hæreditatem, tenetur credere matri dicenti etiam cum iuramento illum non eſſe ex matrimoniali concubitu natum, vt ſic legitimis filiis hæreditatem relinquat: donec alia ſigna credibilitatis concurrant, aut iuridicum teſtimonium habeatur, quod probationem præſumptam inducat. Quod ſi præfatus Ioannes ab aduerſariis conturbatur, conſultius faciet, ſi à Summo Pontifice aliquod *perinde valere* impetret, & ſuper fructibus beneficij currentibus ſe componat.

PARS II.

De Simonia: iuxta Ordinem Angelici Doctoris in ſex Articulos diſcuſſa; qui in ſecunda ſecundæ quæſtionem centeſimam de hoc Argumento inſtituit, & per ſex Articulos diſtinxit.

ARTICVLVS I.

Vtrum Simonia ſit ſtudioſa voluntas emendi vel vendendi aliquid ſpirituale, ſiue ſpirituali annexum?

SVMMARIVM.

1 *Referuntur tria quæ in hoc Articulo prænotantur.*
2 *Vtrum Simonia congruenter à Simone Mago nomenclaturam accepit?*
3 *Conueniunt Authores de Authore Simoniæ, quod triplici argumento probant.*
4 *An prædicta diffinitio Simoniæ, quid rei, ſit legitimè aſſignata?*
5 *Referuntur duæ ſententiæ circa hoc dubium, quarum affirmans communiter ab Authoribus defenditur.*
6 *In diffinitione Simoniæ non deſideratur illa particula*, opere ſubſecuto, *ac proinde defectu illius non redditur inſufficiens.*
7 *In prædicta diffinitione, exactè ratio generica ac differentialis explicantur.*
8 *Simonia diſtinguitur à Sacrilegio.*
9 *Reſpondetur obiectioni, Monachum ſcilicet voluntariè frangentem votum caſtitatis, obedientiæ, &c. committere ſacrilegium, & tamen reſpectu nullius eſſe ibi inuoluntariam commutationem.*
10 *Reſpondetur argumentis in contrarium adductis.*
11 *Simon Magus Simoniæ author duplicem hæreſim habuit, ſcilicet circa creationem mundi, & dona Spiritus Sancti.*
12 *Refertur duplex modus dicendi circa Simoniam, an eiuſdem ſit generis cum ſacrilegio; quorum ſecundus aſſerens Simoniam eſſentialiter diſtingui à ſacrilegio eſt verior.*

13 *Venditio*

13 *Venditio Christi facta à Iuda sacrilega fuit, non Simoniaca.*

14 *Traditionem Christi propriè & in rigore non fuisse Simoniacam, duplici fundamento probatur.*

15 *An materia Simoniæ per spirituale & spirituali annexum explicetur.*

16 *Referuntur tres sententiæ, quæ circa hoc dubium versantur.*

17 *Gratia iustificans & alia dona per essentiam sacra, licet in abstracto considerata, non sunt materia Simoniæ, bene tamen in concreto, quia sic possunt vendi & emi.*

18 *Ad materiam Simoniæ non pertinent res spirituales ordinis naturæ, sed illa duntaxat, quæ sunt aliquid supernaturalitatis.*

19 *Respondetur ad argumenta in contrarium adducta.*

20 *Quadruplex est modus dicendi circa difficultatem, an scilicet Simonia sit vendere scientias naturales, & consilium in causis ciuilibus.*

21 *Quorum quartus modus duo inuoluens ad vtramque partem est verus, adeóque amplectitur & probatur.*

22 *Vitium Simoniæ in quo consistit.*

23 *Probatur secunda pars asserti, testimonio D. Thomæ de illo qui nititur vendere veritates naturales.*

24 *Referuntur quatuor modi dicendi circa similem difficultatem de Theologia.*

25 *Præcipua Theologiæ officia sunt quatuor.*

26 *Simoniacum est accipere pretium pro Theologia quantum ad munus prædicandi, consilia pro salute animarum præstandi, &c.*

27 *Theologia quoad munus docendi, inferendo in ore Scholastico conclusiones ex principio, & interpretandi Scripturas, est omninò naturalis, tam ex parte principij, quàm ex parte termini.*

28 *Monstratur in quo deficiunt tres priores modi dicendi à veritate.*

29 *Nomine Pastorum Paulus intelligit illos, qui simul Pastores sunt Ecclesiæ.*

30 *In gradu Magisterij includuntur duo, scilicet ipse gradus seu dignitas, & licentia docendi.*

31 *Refertur triplex modus dicendi circa difficultatem, An scilicet dabilis sit Simonia in materia omnino naturali?*

32 *In statu legis naturæ, qui fuit ante legem scriptam & Euangelicam, potuit esse vera Simonia, non autem in statu puræ naturæ.*

33 *Apud Infideles, qui nunquam habuerunt fidem, non potest esse Simonia ex obiecto circa ea quæ ad ritum infidelitatis pertinent.*

34 *Referuntur quædam corollaria quæ ex hac doctrina sequuntur.*

PRIMA † Conclusio est affirmatiua. Secunda, Simonia est peccatum irreligiositatis, id est, religioni contrarium. Tertia conclusio *ad* 4. Simonia hoc nomen à Simone Mago congruenter vsurpauit.

Quoniam vtraque diffinitio scilicet quid nominis, & quid rei proprium est omnis scientiæ ac disciplinæ; illa quidem, quia oportet, teste Aristot. 1. *Periar. c.* 1. terminorum significationem præscire, ne ignorantia eorum laborantes crebrius paralogizemur: hac enim pœna assignata à Philosopho ignorantes quid nominis, in vnaquaque sententia teste Bartolo *tractatu de Alueo* versiculo *eius* verissimè plectuntur: hæc verò quia teste Boëtio *lib. de diffinit. c.* 1. *maximum lumẽ affert rei, cuius in contrarium ducitur quæstio:* & quia contra Ciceronis præceptum 1. *de officiis, Omnis quæ à ratione suscipitur institutio, debet à diffinitione proficisci.* His igitur Dialecticæ ac Philosophiæ præceptis obtemperans D. Th. de Simonia tractaturus, vtramque illius diffinitionem præmittit. Primam quidem dum *in solut. ad* 4. Simoniæ vitium (ait) à Simone Mago sic appellari. Secundam verò dum *in corpore* inquit, quod Simonia est studiosa voluntas, &c. quæ diffinitio potest ad hanc magis artificiosam reduci, Simonia est irreligio, per quam studiosa voluntate emitur vel venditur aliquid spirituale vel spirituali annexum. In qua, irreligio ponitur loco generis, siquidem in illa conuenit cum aliis irreligionis peccatis: cætera autem explicant differentiam huius vitij ab aliis eiusdem generis. His suppositis vtramque diffinitionem sequentibus dubiis placet examinare.

DVbitatur Primò circa nominis etymologiam; † *An Simonia congruenter à Simone Mago nomenclaturam acceperit?* Ratio dubitandi negatiua est; quia multi ante Simonem fuerũt hoc vitio infecti: ergo ab illis potius debuit denominari. Antecedens probatur: nam vt legitur *Geneseos* 25. Esau vendidit fratri suo Iacob primogenituram, quæ tunc habebat annexum Sacerdotium; & ideo à Paulo *Hebræorum* 12. appellatur prophanus siue irreligiosus; vt *Numerorũ* 22. legitur de Propheta Balaã, quod intendebat vendere donum Prophetiæ, quam ob causam à D. Petro 2. *Canon.* 2. & Iuda *in sua Canon.* notatur huius discriminis reus, dum de Simoniacis dicunt quod abierunt in vice Balaam. Et 4. *Reg.* 5. legimus Giezi seruum Elisei vendidisse donum sanitatis, accipiendo pro illo munera à Naman Syro: & tãdem *Machab.* 4. refertur, quosdam Iudæos emisse summum Sacerdotium: ab istis ergo qui Simonem præcesserunt potius quam ab illo, debuit hoc vitium nuncupari. 2

Sed conclusio sit. Congruẽtius † à Simone Mago quàm ab illis ipsum præcedentibus, hoc irreligiositatis vitium nomen accepit. In hac conclusione conueniunt omnes Authores *supra* relati, qui illam ex Gregor. *lib.* 7. *Epist.* acceperunt. Cuius verba afferuntur in *decreto* 1. *q.* 3. *c. altare*, & *c. cum liqueat.* Et probatur Primò, quia vt constat *Actorum c.* 8. *Simon intendebat emere dona Spiritus Sancti, vt posita illa venderet.* Dixit enim Apostolis oblata pecunia; *date & mihi hanc potestatem, vt cuique imposuero manus accipiat Spiritum Sanctum*: cæteri autem hoc vitio infecti qui ipsum præcesserunt, vel tantùm emerunt dona gratiæ, vel tantùm vendiderunt; ergo tantùm in Simone fuit reperta integra ratio huius vitij, ac proinde congruentius ab illo tanquam à primo authore nomen huius vitij deriuatur. Secundò; nam res spirituales & dona gratiæ quæ sunt materia Simoniæ per se, primò pertinent ad legem Euangelij: sed Primus qui in hac lege hoc peccatum commisit fuit Simon Magus; ergo congruenter ab illo tanquam à 3

primo authore hoc vitium nominatur. Tertiò nam non solùm in Simone fuit praua voluntas emendi & vendendi dona Spiritus Sancti, sed etiam fuit error in intellectu circa fidem, quo falsò existimauit dona Spiritus Sancti ei venalia, quod apertè colligitur ex verbis D. Petri *vbi supra* ipsum reprehendentis: *pecunia tua tecum sit in perditionem, quoniam donum existimasti pecunia possideri*: In cæteris autem Simoniacis veteris legis tantum fuit prauus affectus voluntatis absque errore intellectus circa fidem: ergo ab illo potius tãquãm à pessimo huius vitij authore nominatur. Ex quo patet ad rationem dubitandi: licet enim illi omnes hoc vitio fuerint infecti, non tamen completè neque in lege gratiæ, aut in bonis illius, neque simul cum hæresi illud perpetrarunt.

4 DVbitatur secundò: † *An prædicta diffinitio, quid rei, sit legitimè assignata?* Videtur quod non, propter tria. Primò quia loco generis, ponitur in illa, irreligiositas, siue studiosa voluntas: sed per hoc non explicatur ratio generica Simoniæ: ergo. Minor probatur dupliciter: tum quia Simonia est hæresis, vt habetur in *cap. qui studet, cap. fertur, cap. cum liqueat; & cap. eos* 1. *quæst.* 1. ergo. Tum etiam, quia cætera vitia pertinentia ad voluntatem non includunt in sua essentia studiositatem, sed dumtaxat inclinationem voluntatis ad sua obiecta v. g. iniustitia & prodigalitas solum includunt affectum denegandi alicui suum ius, vel superfluũ propria bona dispendendi; ergo Simonia non includit in sua essentia tanquam rationem genericam, studiosam voluntatem. Secundò; nam prædicta diffinitio quoad omnes particulas conuenit Simoniæ mentali, quæ in solo affectu interiori emendi vel vendendi res spirituales consistit: & tamen illa non est simpliciter, & absolutè vitium simoniæ: ergo. Minor patet, quia illud consistit in prædicto affectu emendi vel vendendi res spirituales simul cum opere subsecuto: vnde & huiusmodi vitium sic opere subsecuto consummatum est, quod subiacet pœnis à Iure pro Simoniacis taxatis: ergo. Tertiò, nam si Simonia intra genus irreligiositatis continetur, ex vi prædictæ diffinitionis, esset idem cum sacrilegio, à quo tamen essentialiter distinguitur; ergo prædicta diffinitio non satis explicat genericam rationem Simoniæ. Minor patet, quia de essentia Sacrilegij non est emptio, siue venditio, sed tantùm voluntaria irreuerentia rebus sacris irrogata; bene tamen est de essentia Simoniæ: vnde D. Th. de sacrilegio & simonia quasi de speciebus distinctis *in quæst.* 99. & 100. diuersos edidit tractatus: ergo. Maior autem probatur, quia prædicta diffinitione nihil exprimitur, per quod Simonia à Sacrilegio essentialiter distinguatur intra genus irreligiositatis, non enim distinguitur per contractum emendi vel vendendi, ibi expressum; hic enim contractus licet non sit de essentia sacrilegij, aliquando tamen in eius individuo inuenitur, vt patet in contractu quo Iudas vendidit Christum, qui fuit sacrilegus propter irreuerentiam personæ sacræ; & in illo quo quis venderet Sacerdotem infideli in mancipium, v.g. venditio inuoluit malitiam sacrilegij; ergo.

5 In hoc † dubio duæ versantur sententiæ. Prima negat prædictam diffinitionem exactam esse maximè defectu huius particulæ (opere subsecuto,) quam existimant necessariam. Ita glossa *in cap. qui studet.* 1. *quæst.* 1. & Abbas *in cap. nemo, de Simonia.* Secunda quæ affirmans est, communiter defenditur ab Authoribus. Pro cuius declaratione;

Dico Primò: in † diffinitione Simoniæ non 6
desideratur illa particula, *opere subsecuto*, ac proinde prædicta diffinitio defectu illius non redditur insufficiens. Hæc conclusio statuitur aduersus authores primæ sententiæ, & probatur: nam teste D. Thom. 1. 2. *quæst.* 20. *articul.* 2. & 3. peccatum externum & internum respectu eiusdem obiecti eandem malitiam sortiuntur in esse moris, ac per consequens eadem diffinitione debent comprehendi: Sed Simonia mentalis & externa opere consummato solùm differunt, sicut peccatum internum & externum circa idem obiectum; ergo eadem gaudent essentiali malitia, ac proinde eadem diffinitione. Hæc secunda consequentia patet; nam ea quæ sunt eiusdem essentiæ eadem quoque diffinitione gaudent; ergo si externa & interna Simonia eiusdem essentiæ sunt in genere mali moralis, etiam eadem debent gaudere diffinitione. Confirmatur; nam in hoc quod dicitur Simoniam esse irreligiosam voluntatem emendi vel vendi, &c. explicatur tota malitia contractus externi quo emitur vel venditur res spiritualis; ergo illa particula minimè desideratur. Antecedens probatur, quia tota malitia externi contractus dependet à praua & irreligiosa voluntate vt à radice; ergo explicata malitia radicis, manet & malitia ipsius effectus explicata.

Dico secundò: † in prædicta diffinitione 7
exactè ratio generica ac differentialis explicantur. Prima pars conclusionis probatur: nam Simonia non est de genere vitiorum pertinentium ad intellectum, sed tantùm de genere eorum quæ pertinent ad voluntatem, & aliàs est species irreligiositatis vtpote religioni contraria. Sed hæc ratio explicatur in eo quod dicitur studiosa, siue irreligiosa voluntas: ergo. Secunda pars probatur: nam differentialis ratio per quam Simonia essentialiter ab aliis speciebus irreligiositatis distinguitur, est contractus commutatiuus, videlicet emptionis seu venditionis circa spiritualia: sed huiusmodi contractus sufficienter explicatur in eo, quod dicitur Simoniam esse voluntatem emendi, vel vendendi aliquid spirituale: ergo. Minor probatur: nam per hoc † distinguitur Simonia à
sacrilegio; quod sacrilegium importat irreli- 8
giositatem siue irreuerentiam, factam rebus sacris contractam in actionibus inuoluntariis, in quibus ex parte illius, cui fit irreuerentia, inuoluitur aliqua ratio inuoluntarij; & aliàs non admiscetur per se voluntaria commutatio: quo pacto percussio Clerici est sacrilegium à Simonia condistinctum; quia absque commutatiuo contractu, & aliàs Clerico inuito fit irreuerentia: ergo.

Dices, † Monachus voluntariè frangens vo- 9
tum obedientiæ v.g. castitatis, sacrilegium committit: & tamẽ respectu nullius relucet ibi inuoluntaria commutatio: quia non respectu personæ frangentis votum quæ voluntariè frangit; nec respectu Dei qui non est magis inuoluntarius

rius respectu sacrilegij, quàm respectu aliorum peccatorũ: ergo nõ rectè sacrilegiũ distinguitur à Simonia per rationem inuoluntarij. Sed hoc non obstante ratio nostra efficax manet: eò quòd cum sacrilegium sit essentialis quædam pars iniustitiæ oppositæ religioni, quæ est potentialis pars iustitiæ, sicut Religio est ad actum, nempe Deum cui exhibetur cultus, ita sacrilegium respicit Deum vt personam cui fit irreuerentia, ac proinde res, siue locus sine persona sacra cuius sit antecedens per sacrilegium violatur, non se habet vt persona cui sed contra cuius voluntatem violatur, ex quo fit consequens, Deum speciali modo esse inuoluntarium in sacrilegio, quo non est in aliis peccatis: quapropter falsa est Minor obiectionis factæ pro secunda parte: Monachus namque frangens votum castitatis, violat sanctitatem suæ personæ contra voluntatem Dei, cuius cultui erat ex vi voti dicata. Nam sicut in genere iniustitiæ propriè dictæ, distinguuntur essentialiter commutationes voluntariæ veræ, fraudulentia emptionis & venditionis, & vsura in mutuis, ab inuoluntariis scilicet furto & rapina; ita in genere irreligionis quæ est pars potentialis iniustitiæ distinguuntur essentialiter irreuerentiæ & iniuriæ circa sacra: Voluntariæ ab inuoluntariis, videlicet Simonia & sacrilegium: Sed illæ differunt penes voluntarij & inuoluntarij conditiones, ergo & istæ: siquidem ad iniustitiam pertinent; Tunc vltra. Sed ratio voluntarij in Simonia non est alia, nisi quia committitur contractu aliquo ciuili puta emptionis & similibus, qui versantur inter homines voluntariè vnum pro alio commutantes; ergo cum hæc ratio distincta ab aliis eius generis exactè explicetur in prædicta definitione, consequens est in illa differentiam essentialem Simoniæ satis explicari. Confirmatur: nam proprium distinctiuum Simoniæ est in genere irreligiositatis, quod versetur inter homines voluntariè commutantes vnum pro alio; ita quod homines concurrant vt personæ inter quas versatur; sanctitas autem rei, vt materia commutationis; sed solum hoc explicatur, dum dicitur quod per illam venditur, aut emitur res spiritualis; ergo.

10 Ad † primum in contrarium, nego minorem: ad cuius primam probationem respondetur quod in illis decretis appellatur Simonia hæresis propter duo, vt hic dicit D. Thom. *ad* 1. tum quia est quædam protestatio externa infidelitatis, quæ non necessariò illam supponit in mente, sicut externus cultus religionis est protestatio fidei, quam aliquando non sup-

11 ponit in corde. Tum etiam quia † Simon Magus Simoniæ author, simul hæresim habuit non solùm circa mundi creationem, existimans illam non esse à Deo, sed etiam circa dona Spiritus Sancti, existimans illa pecunia posse possideri, vt *dub. præcedenti* dictum est: & propterea Simoniaci inter Hæreticos ab Augustino *lib. de Hæresibus circa princip.* annumerantur, nempe illi qui Simonem quoad erroneam existimationem, & quoad vitium irreligiositatis imitantur. Ad secundam probationem respondetur, de ratione Simoniæ tantùm esse affectum voluntatis vendendi, vel emendi res spirituales: vt tamen melius à vitio intellectus distinguatur, apposita est illa particula, studiosa, quæ non explicat aliquod pertinens ad intellectum, sed duntaxat directam tendentiam voluntarij affectus ad commutationem voluntariam rei spiritualis: vnde non vt necessaria, sed vt magis explicatiua voluntarij affectus ponitur illa particula in diffinitione. Ad secundum nego minorem: solum enim materialiter & accidentaliter differt interna ab externa Simonia, quæ differentia est sufficiens vt hæc & non illa subiaceat pœnis ab Ecclesia statutis, quæ non habet de occultis iudicare.

Ad tertium † duplex est modus dicendi. Pri- 12
mus est asserentium Simoniam non distingui essentialiter à sacrilegio, de quorum numero est Soto *vbi supra, art.* 2. & Suarez *tom.* 1 *lib.* 2. *cap.* 1. *& lib.* 4. *cap.* 1. §. *Potest ergo*; dicens, Simoniæ genus proximum esse sacrilegio; quia est specialis prophanatio & contrectatio rei sacræ: & Malderus *tract.* 9. *de Simonia cap.* 3. *dub.* 2. dicit illam esse speciem sacrilegij. Quod probant dupliciter, tum argumento facto: tum etiam quia sacrilegij in decretis prælegatis habentur pro Simoniacis: quo pacto Iudas ibi qui fuit sacrilegus in venditione Christi inter Simoniacos enumeratur: eò quòd vendidit personam sacram nempe Christum, vel saltem vendidit traditionem Christi Domini cui erat annexa res sacra, nempe persona tradenda.

Sed hiis non obstantibus, secundus modus est verior, quem sequuntur Caietan. 2. 2. *q.* 99. *art.* 1. §. *deuidentiam*: Ledesma *vbi supra, tract.* 12. *pag.* 1300. & Torre, hîc *disp.* 4. asserentes Simoniam essentialiter distingui à sacrilegio, ac proinde † venditionem Christi factam à Iuda, 13
sacrilegam quidem fuisse, sed non Simoniacam. In huius tamen discrimine reddenda ratione variant prædicti Authores: alij enim existimant propterea traditionem illam non fuisse Simoniacam, quia Iudas non tradidit Iudæis Christum Dominum, vt illis esset vtilis, sed potius vt ab eis crucifigeretur; cum tamen ad contractum Simoniacum, requiratur quod tradatur res spiritualis in vtilitatem accipientis. Alij verò dicunt, rationem huius esse; quia Iudas non vendidit Christum intendens vendere diuinam ipsius personam aut gratiæ vnionem, de quibus nihil cogitabat, sed solùm humanam naturam, quæ res erat corporalis annexa spirituali: quo pacto venditio calicis qua non intenditur pretium pro consecratione, sed pro materia illi annexa non est Simoniaca. Sed istæ rationes sunt insufficientes. Prima quidem, quia quod res vendita sit vtilis, vel inutilis emptori, non variat essentiam contractus emptionis & venditionis: iste enim finis est extrinsecus, nempe ipsius vendentis à quo contractus non specificatur: sicut nec scientia specificatur à fine scientis, quia ille extrinsecus est. Sed ad Simoniam sufficit, quod saluetur essentialis ratio emptionis & venditionis rei spiritualis: ergo cùm hæc saluetur in traditione Iudæ, ex hoc capite esset Simoniaca: quemadmodum & qui venderet hæretico Eucharistiam, vt illam conculcaret, & non vt esset illi vtilis, verè Simoniacus esset ex obiecto, quia saluaretur ibi contractus venditionis, quamuis ex fine operantis etiam esset sacrilegus. Secunda verò deficit, quia ad Simoniam non requiritur, quod intentio & cognitio vendentis feratur in actu signato in rem spiri-

tualem vt ſpiritualis eſt; aliàs nec venditio Sacramenti abſque huiuſmodi cognitione Simoniaca eſſet: quod tamen experientiæ repugnat: ergo defectus huius cognitionis in Iuda non obſtabat, quominus illa traditio eſſet Simoniaca, ſicut non obſtabat quominus eſſet ſacrilega.

14 Dicendum igitur eſt propter † duo, illam traditionem Simoniacam non fuiſſe propriè & in rigore. Primò quia non fuit facta per commutationem voluntariam & iniurioſam perſonæ ſacræ: fuit enim contractus inuoluntarius reſpectu Chriſti, cui inferebatur iniuria. Secundò quia malitia Simoniæ petit quod aliquis ſe gerat vt verum dominum rei ſpiritualis: Iudas autem non ſe geſſit vt verum Dominum Chriſti; nec enim accepit pretium pro Chriſto Domino, ſed pro actione qua oſtendebat Iudæis tempus & locum oportunum, quo illum capere poſſent, vnde potius traditor, quàm venditor fuit: & quia illi actioni tradendi perſona Chriſti erat annexa non vt forma intrinſeca, ſed vt extrinſecus terminus & materia circa quam, ideo non fuit propriè Simoniacus, ſed impropriè & largè propter analogam ſimilitudinem illius ſacrilegij cum Simonia. Ex quibus ad formam Tertij argumenti nego ſequelam: ad probationem dicendum eſt, differentiam inter Simoniam & ſacrilegium eſſe, quod illa verſatur inter homines & fit commutatione voluntaria: hoc verò verſatur inter hominem & Deum, & fit inuoluntaria commutatione, quæ ſatis explicatur in prædicta diffinitione: vnde nec traditio Chriſti, nec venditio Sacerdotis in mancipium, contractus Simoniaci ſunt ſed ſacrilegi, illa quidem propter rationes aſſignatas: hæc verò quia tam Deo cui fit iniuria, quàm Sacerdoti vendito inuoluntaria eſt.

15 DVbitatur Tertiò. † *An materia Simoniæ per Spirituale, & ſpirituali annexum, explicetur?* Videtur quod non. Primò quia huiuſmodi materiam explicans D. Thom. *in hoc artic.* nullam mentionem facit de gratia iuſtificante, virtutibus infuſis, gratiis gratis datis, de poteſtate ordinis, & aliis ſacramentalibus actionibus; quod eſt ſignum manifeſtum, illa non eſſe materiam Simoniæ; & tamen ſunt res maximè ſpirituales: ergo non omnis res ſpiritualis & ſupernaturalis eſt materia Simoniæ. Confirmatur, nam huiuſmodi dona gratiæ propter eſſentiam ſacra quæ aliquis in ſe habet, non poteſt in alios transferre; ergo nec poteſt illa vendere, vnde *in cap. ſaluator. 1. q. 3.* dicitur, quod nec Apoſtolus emptionem Spiritus Sancti quam bene fieri non poſſe docuerat, ſed ambitionem & auaritiam in Simone exhorruit; ac proinde huiuſmodi dona quamuis ſpiritualia, non ſunt materia Simoniæ. Secundò, nam materia Simoniæ ſunt ſcientiæ naturales, & tamen non ſunt ſpirituales, eo modo quo recipitur ſpirituale in prædicta diffinitione: accipitur enim pro ſupernaturali dono, quod per humanas vires aſſequi non poteſt, ergo. Maior probatur, quia propterea *Prouerb. 23.* dicitur, *noli vendere ſapientiam & doctrinam, & intelligentiam:* & *Sapientiæ 7. diuitias nihil eſſe duxi in comparatione illius.* In quo ſignificatur ſapientiam excedere omne pretium temporale, quod eſt ſignum illam eſſe materiam Simoniæ: ergo. Confirmatur: nam vt aliqua res ſit materia Simoniæ, ſufficit quod ſit medium ad ſalutem neceſſarium, & donum immediatè à Deo collatum; huiuſmodi autem ſunt aliquæ veritates naturales; ergo. Minor patet: nam hæc veritas, *Deus eſt*, licet purè naturalis, tamen eſt ad ſalutem neceſſaria, contra illud *ad Hebr. 11. Accedentem ad Deũ oportet credere quia eſt &c.* & teſte Auguſto *in lib. de magiſtr. cap. 12.* Spiritus Sanctus eſt qui interius edocet nos omnes ſcientias, & veritates etiam naturales: quod etiam atteſtatur Ambroſ. *ſuper 1. ad Corin. 12.* ergo.

Tertiò: nam Theologia ſupernaturalis eſt, & à principiis fidei deſcendens, licet induſtria & magno labore comparetur: & tamen pro illa docenda poteſt accipi pretium abſque vitio Simoniæ: ergo non ſufficienter explicatur materia Simoniæ per aliquid ſpirituale. Maior patet, nam *1. ad Corinth. 12. & ad Epheſ. 4.* inter miniſtros Eccleſiæ, enumerantur Doctores, nimirum doctrinæ Theologicæ: myſteria autem Eccleſiaſtica dona ſpiritualia ſunt: & ſimiliter gradus magiſterij in Theologia quid ſpirituale eſt; ergo. Minor verò probatur, quia licitus eſt vſus omnium Vniuerſitatum & Eccleſiarum benè inſtitutarum, in quibus pro Theologia edocenda aſſignantur ſtipendia, ergo. Confirmatur, quia non eſt Simonia vendere laborem in docendo Theologiam: quemadmodum nec Simonia eſt pro labore & induſtria canendi orationes in choro, quod cantores accipiant pretium: & tamen ſi non liceret vendere Theologicam doctrinam, nec etiam liceret vendere laborem & induſtriam in docendo illam; quia vbi actio vendi non poteſt, nec etiam labor in ea aſſumptus: ergo. Quartò apud infideles poteſt etiam vitium Simoniæ eſſe, & tamen non poſſunt apud illos reperiri dona gratiæ, & Spiritus ſancti: ergo non ſolùm hæc ſunt materia ſimoniæ. Maior probatur tripliciter. Primò quia vendere Sacerdotium idolorum quod apud infideles reperitur, eſt Simonia: qua de cauſa *in cap. eos. ſupra* relato, Ieroboam refertur inter Simoniacos, eo quod vendidit idolorum ſacerdotia; vt habetur 3. *Reg. cap. 13.* Secundò, quia in ſtatu purorum naturalium, in quo humana natura, non eſſet ad ſupernaturalem finem relata, reperiretur vitium ſimoniæ, ſicut & vera religio ac verum Sacerdotium; eo quod religioni opponitur vitium ſimoniæ; & oppoſita verſantur circa idem. Tertiò: nam in illo ſtatu reperiri poſſet ſacrilegium, vt ſi quis prophanaret tunc vaſa dicata diuino cultui, ſacrilegus eſſet; ergo etiam reperiri poſſet Simonia. Conſequentia patet; quia ſacrilegium & Simonia circa eandem materiam verſantur, ſolúmque penes modum voluntariæ & inuoluntariæ commutationis diſtinguuntur; ergo.

In † hoc dubio tres verſantur ſententiæ. 16
Prima aſſerit materiam Simoniæ eſſe præcisè illa dona ſpiritualia, quæ non ſunt per eſſentiam ſacra, ac proinde gratiam iuſtificantem, gratias gratis datas, & alia huiuſmodi non eſſe materiam ſimoniæ; ita Panormit. *cap. conſulare numer. 3.* Angelus verbo *Simonia numer. 1.* & Tabiena *numer. 7.* Secunda ſententia aſſerit omnes res ſpirituales ſiue ordinis gratiæ, ſiue ordinis naturæ cuiuſmodi ſunt naturales ſcientiæ, & artes, eſſe materiam Simoniæ. Ita Altiſidorenſ. *lib. 3. ſummæ tract. 27. cap. 3. quæſt. 2.* Alenſis

sis 2.p.q.176.memb.4.dub.2. Sylvest.verbo *Simonia* q.10. & verbo *Doctor* q.9. Glossa *in cap.non licet* 11. q.3. quibus favet D.Thom. *in* 4. d.25. *quæst.*3. *art.*2. *quæstiuncula* 2. *ad* 8. *& quodlib.*8. *art.* 11. vbi asserit, quod licet magistris artium vendere labores & non scientias, siue veritatem quæ spiritualis est. Tertia sententia asserit materiam Simoniæ esse res spirituales duntaxat quæ sunt dona supernaturalia; secus autem illas quæ ordinis naturæ sunt. Ita D. Thom. *in hac quæst.art.*3.*ad* 3. Caietan.*ibidem*, & in verbo *Simonia*, Victoria *hic*, Richardus *in* 4.*d.*25.*art.*3. *q.*2.Durandus *quæst.*3.Paludan.*quæst.*5.& Adrianus *quodlib.* 9. & Suar. *lib.*4. *cap.*8. & quia hæc est vera sententia, pro eius declaratione.

17 Dico Primò:† gratia iustificant & alia dona quæ per essentiam sunt sacra, licet per se, & in abstracto considerata, non sint materia Simoniæ, bene tamen in concreto & per aliud, quia sic possunt vendi & emi. Hæc conclusio statuitur aduersus authores primæ sententiæ, & probatur prima illius pars : nam huiusmodi dona nequeunt emi aut vendi : in explicando autem modum, quo dona gratiæ possunt vendi, variant isti Authores.... enim *in lib.de Simonia tabula* 1.*cap.*35.dicit,propterea posse esse materiã simoniæ, quia quoad affectum possunt vendi, licet impossibilis sit illorum traditio : Suar. verò & Torre dicunt, propterea esse materiam simoniæ, quia in concreto & per accidens possunt vendi, siquidem à Deo immediatè infunduntur, ac proinde nec eorum dominium in alios transferri : sed materia simoniæ tantùm sunt illa quæ contractui emptionis aut venditionis substernuntur,& quorum possessio potest ab vno in alium transferri, ergo. Dices, potest aliquis habere hunc affectum conditionatum vel simplicis complacentiæ : volem, si possem vendere tibi meam gratiam : sed hic affectus est simoniacus ; ergo. Nihilominus dicendum est, quod hic affectus cum versetur circa obiectum simpliciter impossibile, non est efficax & absolutus,neque ad actum externum reducibilis, sed tantùm est inefficax & conditionatus seu per modum simplicis complacentiæ : in huiusmodi autem affectu non saluatur mentalis simonia simpliciter, sed tantùm secundum quid & imperfectè talis : hanc autem non conuenit admittere circa dona per essentiam sacra, neque enim de hac procedit nostra conclusio, sed tantùm de illa quæ simpliciter & absolutè simoniæ malitiam includit. Secunda pars probatur: nam vendi huiusmodi dona in concreto, siue per aliud, nihil aliud est quàm vendi ad venditionem subiecti in quo hæc dona sunt,vel ad venditionem causæ illorum : sed hoc modo contingit illa vendi : ergo. Minor probatur in tribus casibus. Primus est quando quis vendit rem spiritualem quia spiritualis;quod contingit in vendente calicem aut Sacerdotem ratione consecrationis, & virtuosum propter virtutem. Secundus est, quando quis vendit rem spiritualem pluris propter spiritualitatem & consecrationẽ quam habet, vt si quis vendat calicẽ pluris ratione solius consecrationis. Tertius est quando vendit quis causam vel actionem, media qua producitur gratia;vt si sacerdos vendat ablutionem vel absolutionem à peccatis sacramentalem,quæ sunt actiones causatiuæ gratiæ : ergo.

18 Dico secundò : † ad materiam Simoniæ non pertinent res spirituales ordinis naturæ, sed duntaxat illa quæ sunt aliquid supernaturalitatis. Hæc conclusio statuitur aduersus Authores secundæ & pro Authoribus tertiæ sententiæ. Et probatur supponendo, quod cum spirituale sumatur dupliciter, videlicet provt dicitur ab spiritu increato, & provt dicitur ab spiritu creato : quæ distinctio coincidit cum illa, qua Theologi distinguunt spiritualium rerum duo genera : alterum illarum quæ supernaturalitatis aliquid habent : & alterum earum quæ nihil supernaturalitatis habent, sed sunt spiritualia ordinis purè naturalis, cuius generis sunt omnes res naturales incorporeæ. Nomine rei spiritualis in diffinitione Simoniæ non secundum sed primum genus accipitur:sub hoc autem genere tantùm constituuntur res spirituales,quæ aliquo modo sunt dona Spiritus Sancti, & habent aliquid supernaturalitatis : ergo. Probatur minor, nam de huiusmodi donis procedit ratio D.Th. *in art.*quia de illis tantùm verificatur quod non sunt tẽporali pretio compensabiles,nec cadunt sub dominio hominis, & aliàs sicut gratis accipiuntur,etiam gratis debent dari : ergo.

19 Ad † Primum in contrariũ respondetur,propterea D. Th. de illis donis nullam *in hoc art.* mentionẽ feciſſe; quia in abstracto non possunt vendi:de illis autem in concreto sæpe meminit *in articulis sequentib.*dum de venditone sacrarum & actu spirituali egit. Ad confirmationem patet ex eadem solutione. Ad solutionem autem Secundi, Tertij & Quarti argumenti, tres difficultates quæ in illis tanguntur enodandæ sunt; nempe an sit Simonia vendere scientias naturales, & consilium in causis ciuilibus. Deinde an sit vitium Simoniæ vendere Theologiam ; & tandem an Simonia in statu naturæ vel inter infideles reperiatur ? In quarum prima † quadru- 20 plex est modus dicendi. Primus est Glossæ *in c. nolumus* 11. *quæst.* 3. Torrecrematæ *in cap. qui studet* 1.q.1. Sylvest.Angeli verbo *Magister*, & *in summa* verbo, *Doctor cap.*10. & aliorum omnium quos pro secunda sententia retulimus,asserentium Simoniam esse, vendere naturales scientias, & consilium in causis ciuilibus, ac proinde non excusari à peccato simoniæ Doctores,qui pro docendis scientiis naturalibus,& Iurisconsultos qui pro præstando consilium in causis ciuilibus accipiunt pretium, nisi illud accipiant pro labore duntaxat in studio impenso. Secundus modus est Durandi.*in* 4.*d.*25.*quæst.*2. Palud. *ibidem quæst.*3. Armachan. *vbi supra*, & Victoriæ *in hoc art.* asserentium nullatenus esse peccatum Simoniæ aut alterius vitij, vendere actum docendi, vel, ipsam veritatem & scientiam naturalem. Tertius est D. Thom. *in* 4. *d.* 23.*quæst.*3.*loco citat.& quodlib.*8.*art.*11.Adriani *quodlib.*9. *art.* 1. Richardi *in eadem d.*25. *art.*3. *quæst.* 2. asserentium non posse absque vitio simoniæ vendi scientiam ipsam, siue veritatem naturalem secundum se consideratam : bene tamen actum ipsum docendi seu consulendi, eo quod ipsa veritas & doctrina secundum se, donum spirituale est, originem habens ab Spiritu sancto illuminante nos, ac proinde vt sic, non potest pretio esse commutabilis : benè tamen provt egreditur à Doctore mediante actu docendi, qui vt sic non petit ex parte principij aliquod spirituale donum, ac per consequens pretio æstimabilis est.

Quartus

21 Quartus † modus dicendi eſt D.Thom hîc *in hac quæſt.art.3.ad 3.* & Caietan. *art.2.dub.2.* & Torre *ibidem*, aſſerentium duo; Primum eſt quod non eſt Simoniacum vendere naturalem ſcientiam ſiue doctrinam, nec ex parte principij docentis, nec ex parte termini ſcilicet veritatis. Secundum eſt, peccatum eſſe vendere ipſam veritatem, licet Simoniacum non ſit: & quia hic modus quoad vtramque partem eſt verus, ideo à nobis amplectitur. Et probatur primò, quoad primam partem, quia ad materiam Simoniæ, vt dictum eſt, tantùm pertinent dona Spiritus Sancti & quæ habent aliquid ſupernaturalitatis. Sed naturales ſcientiæ & artes, atque etiam conſilium in cauſis ciuilibus, non ſunt dona Spiritus Sancti, nec habent aliquid ſupernaturalitatis, cùm ſint ordinis purè naturalis, tam ex parte principij quàm ex parte termini ſcilicet ipſius veritatis; ergo non eſt Simoniacum illa ven-
22 dere. Confirmatur Primò, nam † vitium Simoniæ conſiſtit in hoc quod non detur gratis, id quod gratis acceptum eſt à Deo, & quia venditur id cuius venditor non habet dominium, & quia fit irreuerentia rebus ſacris contra virtutem religionis: Sed nihil horum reperitur, in venditione naturalis artis & doctrinæ, ſiue conſilij in cauſis ciuilibus: ergo. Minor patet quia huiuſmodi doctrina & conſilia non omnino gratis accipiuntur, ſed tanquam naturæ rationali debitæ perfectiones, & aliàs medio labore & induſtria adquiruntur; nec fit irreuerentia rei ſacræ, cùm non ſint res Deo dicatæ, nec earum venditio aduerſatur religioni: ergo. Confirmatur Secundò: nã teſte D.Th. *22.q.71.art.4. ad 2.* licitè poteſt Aduocatus pro ſuo patrocinio pecuniam accipere, ſicut & quilibet artifex pro ſua arte licitè poteſt lucrari: ſed ſi actus iſti eſſent materia Simoniæ, non liceret abſque ſimoniæ vitio accipere pretium pro labore in illis impẽſo: quia quãdo labor eſt intrinſecè annexus actioni ſpirituali quæ eſt materia ſimoniæ, ſicut nec pro actione, ita nec pro labore annexo poteſt accipi pretium: qua de cauſa nec actus celebrandi ſacrum, nec labor illi annexus poteſt vendi abſque vitio Simoniæ. Confirmatur Tertio: nam aliàs non liceret accipere maius ſtipendium ſiue pretium, pro nobiliori ſcientia naturali edocenda. Conſequens eſt falſum, & contra vſum communiter à viris timoratis receptum: ergo. Sequela patet: nam dignitas ſcientiæ naturalis ita ſpiritualis eſt atque veritas ex qua deſumitur; ergo ſicut veritas non poteſt vendi abſque Simoniæ vitio; ita neque maior illius dignitas poterit vendi abſque Simoniæ vitio. Minor autem patet, quia communis vſus habet, quod in Academiis maius ſtipendium pro Theologia v.g. quã pro Logica vel Grammatica edocenda taxetur; ergo. Dicas; ergo erit Simonia pro doctrina dare præbendam, ſiquidem illa eſt res temporalis: conſequens eſt contra morem Eccleſiarum Cathedralium, quæ dant calongias magiſtralibus, &c. Reſpondetur illas dari diſſociatas, &c. & quoad titulum dari gratis.

23 Deinde † quoad ſecundam partem probatur: nam D.Th. *art.3.ad 3.huius q.* lõquens de illo qui nititur vẽdere veritates naturales ſecundum ſeipſas ait, quod peccat grauiter, id eſt, mortaliter, non tamen explicat quod ſit peccatum ſimoniæ; ſi autem peccatum Simoniæ eſſet, debuiſſet explicare D. Th. alioquin diminutus eſſet in hac materia, vbi omnes modos committendi vitium Simonię ex profeſſo declarabat; ergo ſignum eſt peccatũ illud nõ Simoniæ ſed alterius vitij eſſe. Confirmatur, quia tunc aliquis cenſetur vendere veritatem ipſam ſecundum D.Th. quando ex officio tenetur docere alios, & nihilominus ab eis accipit pretium: ille enim qui ex officio non tenetur, benè poteſt pretium ſuæ doctrinæ vel conſilij accipere, non quaſi veritatem vendens, ſed quaſi operas ſuas locans. Sed in primo caſu tantùm peccat contra iuſtitiam commutatiuam; ergo non contra religionem, ac per conſequens Simoniam non committit. Minor patet; quia nihil vendit, ſiquidem non transfert in alterum dominium ſcientiæ quam habet in ſe: neque aliàs pro veritate in fieri, poteſt pretium accipere: quia hæc vt ſic eſt actus ipſe docendi ad quem tenetur ex officio, vt ſupponimus; neque pro veritate vt recepta in mente auditoris, ſiquidem hæc vt ſic non docentis ſed audientis propria eſt. Sed accipere pretium pro re quam verè quis non vendit, vel quæ eſt emptoris, eſt peccatum contra iuſtitiam commutatiuam, & aliàs cum res illa ſit ordinis naturalis, non apparet quod ſit contra religionem: ergo. Ex his reſpondetur ad ſecundum argumentum negando maioris adprobationem, quod propterea dicitur in illis teſtimoniis ſapientiam vendi non poſſe, non quia Simoniaca, ſed quia iniuſta ſit illius venditio: ſiquidem nequit à docente in dominium alterius transferri. In quo ſenſu dicitur *Prouerb. cap.17. Quid prodeſt ſtulto habere diuitias, cum ſapientiam emere non poſſit.* Poteſt ſecundò dici, quod ibi non prohibetur venditio, ſed contemptus ſapientiæ naturalis, ne ſcilicet illam parui pendamus & diuitiis poſtponamus; quia cunctis opibus prænotior eſt; vt *eiuſdem lib.c ap.3.* dicitur. Tertiò poteſt reſponderi, quod illa teſtimonia non de naturali ſed de infuſa ſapientia, quæ appellatur ſcientia Sanctorum, loquuntur: huiuſmodi autem emptio atque venditio Simoniaca eſt; ac proinde merito à Salomone prohibetur; & ita intelligit illud *Prouerb.3.* D.Thom. *in corp.huius art.* Ad confirmationem quæ eſt Altiſidorenſis nego minorem, ad cuius primam probationem; Reſpondetur quod hæc veritas, *Deus eſt*, vt demonſtrabilis, atque vt cadens ſub ſcientia naturali, non eſt neceſſaria ad ſalutem, ſed tantùm vt credibilis per fidem: quo pacto maior pars fidelium illi aſſentitur. Vnde primo & non ſecundo modo poteſt accipi pretium pro illa abſque vitio Simoniæ. Ad ſecundam reſpondetur, quod ſcientiæ naturales ſunt ab Spiritu Sancto, non vt eſt author gratiæ ſed vt eſt author naturæ: & hæc fuit mens Auguſtini. Et licet per accidẽs infundantur aliquibus hominibus, vt Adamo, Salomoni, & Beſeleel, ad artificium tabernaculi legimus artes & ſcientias naturales fuiſſe infuſas, tamen quia eiuſdem rationis ſunt cum aliis humano labore adquiſitis, poſſunt vendi licitè earũ opera, ſicut poſſet eadẽ ratione licitè homo locare operas manus ſibi miraculosè reſtitutæ.

Circa Tertium argumentum in quo tangitur † ſimilis difficultas de Theologia, qua- 24
druplex etiam verſatur modus dicendi. Primus, eſt Paludani *vbi ſupra* & D. Antonini *2. p. tit.1.c.5.* aſſerentium abſolutè Simoniacum eſſe vendere doctrinam Theologiæ, & actum edocendi

cendi illam. Secundus est Sylvestri *vbi supra* & Hostiensis in *cap. quia nonnullis extra de magistris*, asserentium quod vendere doctrinam Theologiæ, Simoniacum est in illo qui illam docet ex officio; secus autem in illo qui non ex officio magisterij, sed voluntariè & per accidens legendi officium vsurpat. Tertius est Suarez *lib.4.de Simonia cap.*18. asserentis nullatenus esse Simoniacum, vendere doctrinam Theologiæ, nec quantum ad munus edocendi conclusiones Theologicas, nec quantum ad munus consiliandi,ad pacandas conscientias fidelium.Quod probat dupliciter: tum authoritate D.Thom.*in art.*3.*ad* 3. dicentis,quod licitè potest homo pretium suæ doctrinæ siue consilij accipere: vbi sicut de doctrina, ita etiam de consilio generaliter loquitur. Tum etiam ratione,quia consilium illud Theologicum ex omni capite est naturale, nempe ex parte principij: quia scientia à qua procedit,est labore humano adquisita: & ex parte modi, quia traditur per modum humani magisterij: & tamen ex parte termini siue finis intrinseci, quia finis per se consiliantis tantùm est instruere intellectum interrogantis in cognitione talis veritatis. Quod autem interrogans ordinet consilium illud ad pacandam suam conscientiam, iste tantùm est finis intrinsecus & accidentalis, qui non variat naturam actionis,nec sufficit ad constituendam in illa malitiam Simoniæ.Quartus asserit,quod Theologiæ doctrinam aut veritatem vendere non est Simoniacum: bene autem quoad munus consiliandi in ordine ad pacandas conscientias fidelium,Simoniacum esse. Hunc sequuntur communiter discipuli D.Thom. præsertim Victoria hîc, & Caietan. *in summa* verbo *Simonia regula* 6.Soto *loco citat.* Adrianus *vbi supra*,Torre *disp.*5.& Glossa *in cap.vendentes* 1.*q.*3.& quia hic modus est verus, pro eius declaratione, no-
25 tanda sunt duo. Primum,quod † quatuor sunt præcipua Theologiæ officia, scilicet deducere conclusiones ex principiis reuelatis; prædicare Euangelicam doctrinam; præstare consilia ad animarum salutem proficua; & sacras litteras interpretari: quod potest dupliciter fieri; videlicet ex dono sapientiæ,vel ex dono interpretationis sermonum, quæ sunt gratiæ gratis datæ, teste Paulo 1.*ad Corint.*12. vel, more humano per studium Theologicum consulendo Sanctorum Patrum explicationes. Secundum notandum est, quod in doctrina Theologica reperitur & ipsa veritas docetur, quæ & in assensu conclusionis Theologicæ formaliter consistit; & actus docendi provt ab ipso docente progreditur.

Quibus suppositis asserendum est cum autho-
26 ribus quarti modi dicendi, † Simoniacum esse accipere pretium pro Theologia, quantum ad munus prædicandi, consilia pro salute animarum præstandi, & scripturas sacras interpretandi ex dono gratiæ, & veritates ipsas Theologicas;non autem quoad munus inferendi conclusiones ex principiis, & interpretandi scripturas humano more.Prima pars probatur,nam quoad omnia illa munia Theologia habet aliquid supernaturalitatis; ergo nec vendi absque vitio Simoniæ potest. Antecedens patet: nam prædicatio Euangelij per se loquendo supernaturalis est ex parte principij, nempe prædicantis, in quo petit supernaturalem authoritatem, contra illud ad *Roman.* 10. *Quomodo prædicabunt nisi mittantur*: & ex parte termini, siquidem ad salutem animarum ordinatur, & veritas Euangelij prædicata supernaturalis est. Vnde *Matth.* 10. postquam Christus dixerat: *Euntes prædicate, &c.* subiunxit; *gratis accepistis, gratis date*: quasi prædicatio Euangelij sit vnum de supernaturalibus donis, quibus repugnat pro pretio commutari: & pari ratione quoad alia munia consiliandi scilicet ad animarum salutem, interpretandi Scripturas ex dono Spiritus Sancti, & veritates ipsas Theologicas supernaturales: consilium enim est quædam particularis prædicatio, & interpretatio illa est ex dono infuso ad prædicationem Euangelij ordinato. Vnde Christus Apostolis ad prædicandum missurus, *aperuit illis sensum vt intelligerent Scripturas*:vt legitur *Lucæ* 24.veritates autem in principiis fidei continentur, ex illis deriuantur, atque ad illa reducuntur; ex quo supernaturalitatem habent sufficientem, vt sint materia Simoniæ; ergo.

Secunda pars probatur: nam † Theologia 27
quoad munus docendi, inferendo in ore Scholastico conclusiones ex principiis & interpretandi Scripturas, est omnino naturalis tam ex parte principij, quàm ex parte termini. Ex parte principij quidem, quia vt sic egrediuntur actus isti ab habitu Theologico, provt est humano labore & industria adquisitus, quæ conditio naturalis: ex parte verò termini, quia terminatur ad excolendum & perficiendum humano modo audientis intellectum, ac proinde nihil supernaturalitatis habet: sed materia Simoniæ supernaturale quid debet esse,ergo.Confirmatur: nam id conuincit communis vsus Academiarum & Ecclesiarum, quæ stipendia pariter pro Theologia, atque pro aliis rationalibus scientiis edocendis assignant: & eò maiora quò hæc scientia cæteris præstantior est: quod tamen minimè liceret, nisi absolutè actus docendi Theologiam & explicandi Scripturam Sacram, pretio æstimabilis esset.

Ex quibus patet †, in quo deficiant tres 28
priores modi dicendi à veritate. Primus enim deficit; quia vult Simoniacum esse vendere doctrinam Theologiæ vniuersaliter, quoad omnia officia recensita: quod tamen ostendimus esse falsum.Secundus etiam deficit;quia vniuersaliter sentit Simoniacum non esse, vendere Theologiam quo ad prædicta quatuor officia, in eo qui voluntariè legit: cum tamen illam vendere quoad munus inferendi conclusiones & interprætandi Scripturas, tam in eo qui ex officio, quàm in eo qui voluntariè legit, Simoniacum non sit: quoad alia verò munia in vtroque Simoniacum est accipere pretium: quia respectu vtriusque munia illa supernaturalia sunt. Tertius verò deficit: tum quia vt dictum est, & admittit ipse Suar. prædicatio Euangelij nequit vendi absque vitio Simoniæ, eò quòd est supernaturalis ex parte principij & termini: sed etiam vtroque modo est supernaturalis consiliatio

ad ſalutem interrogantis ordinata, cùm ſit particularis quædam concio, in qua ſicut in publica conſilium dans mouetur ab Spiritu Sancto in ordine ad animarum ſalutem; ergo. Tum etiam quia conſilium Theologicum de ſe ordinatur, non ad ſpeculationem ſed ad praxim, per quam ſalus animarum conſequitur: ergo ex parte termini intrinſeci & finis, per ſe eſt ſupernaturale. Antecedens patet, nam conſilium eſt actus prudentiæ quæ eſt virtus practici intellectus; & aliàs quatenus eſt de veritate Theologiæ quæ eſt eminenter practica, ſicut fides à qua dependet, & eius finis, non eſt ſpeculatio ſed opus bonum. Tum denique, quia hîc fit ſermo de conſilio quod ad pacandam conſcientiam interrogantis ordinatur: vt admittit Suar. Sed huiuſmodi conſilium non ſiſtit in ſola inſtructione intellectus, ſed vlterius intendit conſcientiæ interrogantis pacationem; ergo iſte eſt eius finis; ac proinde vel prædictus Author qui primum admittit & hoc ſecundum negat, contradictionem in ſuis dictis inuoluit. Neque valet dicere; conſilium huiuſmodi ordinari ab interrogante in animæ propriæ ſalutem non autem à reſpondente; & licet ab vtroque ordinaretur, tamen ex hac ordinatione non ſequitur illum eſſe finem operis & per ſe, ſed tantùm finem operantis qui eſt extrinſecus & per accidens; ex quo fit præfatum Authorem non eſſe ſibi contrarium. Nam eo ipſo quod interrogans petat conſilium ad animæ ſuæ ſalutem, reſpondens ad eumdem finem debeat conſilium ordinare; tenetur enim intentioni interrogantis ſe conformare, ne doloſus ſit in reſponſione, ac proinde vtriuſque finis eſt ſalus interrogantis, qui eſt finis per ſe, eo quod ad illum conſilium ſuapte natura ordinatur: & licet ſolùm eſſet finis operantis, ſufficiens eſſet variare naturam actionis in eſſe moris; ſpecies enim moralis ex fine operantis aliquando deſumitur, vt patet in eo qui ordinat furtum ad mœchiam, qui eſt magis mœchus quàm fur. Et eadem ratione, doctrina eadem quæ à Magiſtro ad inſtructionem intellectus ordinatur, licitè poteſt vendi: ſi autem à Concionatore publicè, vel priuatim ordinetur ad inflammandas fidelium voluntates, nequit vendi; quia in primo caſu ſpeculationis, in ſecundò verò & tertio Concionis & exhortationis, ſiue conſilij rationem ſubinduit; ergo. Ex quo ruit fundamentum præfati Authoris: teſtimonium enim D. Thom. non eſt contra nos, quia in illo de conſilio ordinato ad ſolam intellectus inſtructionem loquebatur. Ratio autem adducta falſum aſſumit antecedens vt vidimus.

His igitur ſuppoſitis, Reſpondetur ſub diſtinctione aſſignata, diſtinguendo maiorem, ex qua conſtat quantum ad quæ munia ſit vel non ſit Theologia ſupernaturalis. Ad primam pro-
29 bationem dicendum eſt, † nomine Doctorum, intelligere Paulum, illos qui ſimul paſtores Eccleſiæ ſunt, quorum doctrina quia paſtoralis, hoc eſt, ad omnium ſalutem ordinata, nequit vendi abſque vitio Simoniæ, ſicut de officio concionandi dictum eſt. Ad ſecundam de offi-
30 cio magiſterij reſpondetur, quod † duo includuntur in gradu magiſterij, ſcilicet gradus ipſe ſiue dignitas, qua Magiſtri in Theologia inſigniuntur, & licentia docendi Theologiam. Quantum ad primum magiſterium in Theologia eſt quid temporale, ſicut laurea Doctoratus in Iuriſpetitia & Medicina, non obſtante quod huiuſmodi laureæ in ſplendorem Chriſtianæ Reipublicæ à Summis Pontificibus inſtitutæ ſint: vnde pro illis obtinendis in Academiis magnæ expenſæ dantur, quæ titulum ſuſtentationis excedunt. Quantum verò ad ſecundum, dicendum eſt ſub diſtinctione: vel enim licentia docendi Theologiam prouenit à poteſtate ſeculari, vt contingit in Cathedris collatis à Rege, vel ab alio ſeculari patrono: vel prouenit à poteſtate ſpiritualis iuriſdictionis, ſicut ſi Prælatus alicui concedat talem docendi licentiam. Primo igitur modo, ſi quis venderet licentiam docendi Theologiam, non Simoniam ſed turpe lucrum committeret; ſicut ſi licentiam edocendi aliam quamcumque artem venderet. Secundo modo, ſi quis dictam licentiam venderet Simoniacus eſſet, non propter ſpiritualitatem rei venditæ, ſed propter ſpiritualitatem actionis ſcilicet licentiæ quæ ab ſpirituali prouenit: & eadem ratione Simoniacus eſſet Prælatus, qui licentiam edocendi quamcumque facultatem venderet: ſicut ſi Iudex Eccleſiaſticus venderet Sacerdoti facultatem exercendi officium Aduocati, aut Medici, Simoniacus eſſet, non propter ſpiritualitatem rei venditæ: poſſet enim proculdubio Aduocatus pro ſuo patrocinio, & Medicus pro ſua curatione pretium accipere; ſed propter abuſum ſpiritualis Iuriſdictionis in venditione licentiæ, ab ſpirituali poteſtate dimanantis. Et in hoc ſenſu prohibetur tanquam Simoniacum, & contra illud, *gratis accepiſtis gratis date in cap. de magiſtris*, accipi pretium pro licentia docendi, non autem in primo ſenſu, vt falsò exiſtimauit Paludan. *vbi ſupra* Ad confirmationem admiſſa Maiori & Minori, diſtinguendū eſt conſequens contra aſſignatam diſtinctionem Theologiæ quoad diuerſa officia.

Circa Quartum argumentum eſt difficultas,
† an dabilis ſit Simonia in materia omnino na- 31
turali, id eſt, in rebus ſacris pertinentibus ad cultum veri aut exiſtimati Dei authoris naturalis? In qua triplex modus dicendi verſatur. Primus eſt Suarez *vbi ſupra cap. 8. concluſ. 4.* quod in lege naturæ etiam non eleuatæ ad finem ſupernaturalem, & apud infideles Idololatras poterat eſſe Simonia naturalis oppoſita Religioni naturali, ac proinde diuerſæ rationis ab illa, quæ modò committitur in Eccleſia contra ſupernaturalem virtutem religionis: eo quod tunc poſſet eſſe verum Sacerdotium, verus cultus, & religio erga Deum authorem naturalem: ac proinde rebus ipſi dicatis poſſet fieri iniuria Simoniæ. Secundus modus eſt Adriani *quodlib. 9.* & Paludan. *d. 25. citata*, aſſerentium poſſe eſſe in illis ſtatibus Simoniam; non quidem ex obiecto, ſed ex falſa exiſtimatione & conſcientia erronea, quæ ſufficit ad ſaluandam moralem malitiam Simoniæ: eo quod ſpecies morales ſumuntur ex intentione: vnde qui accipit ſuū putans eſſe alienum, peccat contra conſcientiam peccato furti, & qui accedit ad ſuam putans eſſe alienam, peccat peccato intemperantiæ: & ſimiliter infideles emendo Sacerdotium non verum, putantes eſſe verum, peccarent peccato Simoniæ ex intentione, & conſcientia erronea.

Sed verus modus dicendi in duobus dictis conſiſtit. Primum eſt, † in ſtatu legis naturæ qui 32

de

de facto fuit ante legem scriptam & Euangelicam, potuit esse vera simonia : non autem in statu puræ naturæ, in quo Deus hominem ad finem supernaturalem non eleuaret. Hoc probatur supponendo duplicem statum legis naturæ posse considerari : alterum qui fuit de facto ante legem scriptam ; sed hic non fuit purè naturalis, dicitur tamen naturalis. Tum quia homines, in illo solum tenebantur ad præcepta naturalia, & ad supernaturalia intrinseca & connaturalia gratiæ, videlicet fidei, spei, & charitatis. Tum etiam quia datus fuit ad modum naturæ per instinctum intrinsecum Spiritus Sancti, & non per aliam intrinsecam instructionem: alterum purè naturalem qui non fuit de facto, sed potuit esse: quia potuit Deus condere hominem in puris naturalibus, non ordinando illum ad finem supernaturalem. Hoc supposito probatur hoc dictum : nam in primo statu erant dona supernaturalia, fides scilicet, spes, & charitas, verum sacerdocium, ac cultus Dei authoris gratiæ. Sed huiusmodi dona sunt materia simoniæ; ergo. Quod autem in secundo statu non potuerit esse Simonia, probatur aduersus Suarez: nam vitium simoniæ tantùm est contra religionem infusam, & non contra adquisitam, qualis tunc poterat esse: habétque pro materia illa dona, de quibus dixit Christus *Matthei 10. gratis accepistis, gratis date* : Sed in illo statu neque esset Religio infusa, neque dona gratuita, sed tantùm bona homini connaturalia, vt supponimus; ergo nullatenus esset vitium Simoniæ. Confirmatur; nam licet tunc esset inter homines cultus Dei authoris naturæ, & Sacerdotium ordinis naturalis; tamẽ vendendo illud, non vendebant homines aliquid supernaturale quod non esset pretio æstimabile, aut quod non esset sub dominio illorum aut quod esset gratis acceptum à Deo: quæ sunt rationes ob quas committitur simonia; ergo talis venditio Simoniaca non esset : sicut eisdem de causis venditio officij temporalis in Republica simoniaca non est, licet ex alio capite vitiosa sit.

33 Secundum dictum est : † apud infideles, qui nunquam habuerunt fidem, non potest esse simonia ex obiecto circa ea quæ ad ritum infidelitatis pertinent. Hoc sequitur ex primo, & probatur aduersus eumdem Suar. & Victoriam cui subscribit in hac parte. Nam licet inter idololatras possit esse Simonia circa aliquas gratias gratis datas ipsis communicatas, vel alia officia non pertinentia ad suum ritum : quo pacto Sibillæ simoniam committerent, si venderent donum prophetiæ quod habebant ; & Balaam qui fuit Idololatra simoniacus fuit, quia voluit vẽdere donum prophetiæ : & si Paganus vellet Baptismi Sacramentum ministrare, conformando se intentioni Ecclesiæ Catholicæ, accipiendo pretium pro illo Simoniacus esset ; tamen ea quæ pertinent ad gentilium cultum, nullatenus dona sunt supernaturalia neque sunt Sacra, sed potius prophana, neque vera religio, sed superstitio versatur circa illa : Sed materia Simoniæ sunt res supernaturales & sacræ, circa quas versatur vera religio, ergo. Confirmatur, nam Respublica infidelium non habet potestatem spiritualem ad consecrandum spirituales Sacerdotes, qui offerant Sacrificia Deo authori gratiæ: quoniam huiusmodi potestas fundatur in fide quam non habent, licet habeant potestatem ad instituendos Sacerdotes intra ordinem naturæ, qui offerant Sacrificia Deo authori naturæ: horum tamen Sacerdotiũ vendere quia naturale est, non esset Simoniacum vt dictum est : sed vbi non est Sacerdotium neque cultus ordinis supernaturalis, nequit esse simonia: ergo.

Et † ex hac doctrina sequuntur quædam co- 34
rollaria. Prima quod neque apud hos infideles potest esse Simonia ex conscientia erronea: quod patet, quia licet Christianus existimans se vendere sacrum quod re vera non est sacrum, est simoniacus ex conscientia erronea, quia existimat esse sacrum supernaturali sanctitate quæ est materia simoniæ : Paganus verò existimaret esse sacrum non sanctitate supernaturali, sed tantùm naturali quæ non est materia Simoniæ. Secundò sequitur, quod si Hieroboam & Iason fuerunt omnino infideles & Gentiles, absque cognitione veri Dei quod non est certum, non fuerunt propriè Simoniaci, quando vendiderunt sacerdotia Idolorum : vt habetur 3. *Reg.* 13. & 2. *Machab.* 4. eo quod illa non erant Sacerdotia ordinis supernaturalis vt dictum est ; licet largè per quamdam similitudinem eorum peccatum Simonia appelletur in Decretis. Ex his respondetur ad quartum argumentum negando maiorem. Ad primam probationem patet ex dictis. Ad secundam admisso antecedenti nego consequentiam, quia ad sacrilegium sufficit quod fiat irreuerentia rebus quomodocumque Deo dicatis, etiamsi solùm sint dicatæ Deo authori naturæ : ad simoniam verò requiritur insuper, quod non detur gratis, id quod gratis acceptum est : ac proinde cùm Sacerdotium & cultus ordinis naturæ, non gratis accipiantur, possunt pretio commutari absque vitio Simoniæ.

ARTICVLVS II.

Vtrum semper sit illicitum pro Sacramentis pecuniam dare?

SVMMARIVM.

1 *Referuntur duæ conclusiones in hoc articulo, circa Simoniæ diuisionem, & varios modos quibus circa spirituales actiones committitur.*

2 *An rectè & adæquatè Simonia in mentalem, realem & conuentionalem diuidatur?*

3 *Referuntur tres sententiæ quæ in hoc dubio versantur.*

4 *Simonia adæquatè in mentalem, conuentionalem & realem, non tanquam genus in diuersas species, sed tanquam subiectum in diuersos modos siue status diuiditur.*

5 *Simonia mentalis tripliciter potest contingere.*

6 *Simonia quæ in hæc tria membra adæquatè diuiditur, est illa quæ à ficta condistinguitur.*

7 *Per solam traditionem rei spiritualis, etiamsi non adsit traditio pretij ex parte ementis, patet Simonia realis simpliciter loquendo.*

8 *Respondetur ad argumenta in contrarium adducta.*

9 *An Simonia rectè & adæquatè ex parte legis in illam quæ est iure diuino, & illam quæ est de solo iure humano prohibita, diuidatur?*

10 *Referuntur tres sententiæ quæ circa hoc dubium versantur.*

11 *Simonia verè & propriè talis nedum quoad pœnam, sed etiam quoad culpam diuiditur in prohibitam iure diuino, & in prohibitam solo iure positiuo Ecclesiastico.*

12 *Res spirituales siue sacræ in quadruplici sunt differentia.*

13 *Emere aut vendere res spirituales primi generis, est contra ius diuinum positiuum & naturale.*

14 *Ea quæ sunt iuris diuini, in triplici tantùm sunt differentia.*

15 *Probatur secunda pars conclusionis aduersus Durandum.*

16 *Simonia quæ versatur circa res spirituales secundi & tertij generis, non est solo iure humano Ecclesiastico, sed diuino & naturali prohibita.*

17 *Ex duplici capite prouenit, beneficium siue præbendam spiritualem non posse vendi.*

18 *Circa res secundi & tertij generis potest dari Simonia solo iure Ecclesiastico prohibita.*

19 *Respondetur ad argumenta in contrarium.*

20 *Refertur duplex modus dicendi circa secundum argumentum assertioni adducta contrarium.*

21 *Natura non secundum se, sed prout elevata per gratiam & fidem extendit se ad supernaturalia præcepta.*

22 *Examinatur celebris difficultas, in quibus scilicet casibus possit Summus Pontifex Simoniæ vitio implicari.*

23 *Inferuntur duo corollaria huic materiæ concernentia.*

24 *An Simonia ex parte materiæ, circa quam versatur, in naturalem & supernaturalem congruenter diuidatur?*

25 *An ministri Sacramentorum & aliarum Spiritualium actionum, pro labore impenso possint accipere pretium temporale?*

26 *Referuntur duæ circa hoc dubium sententiæ.*

27 *Simoniacum est pro labore intrinsecè annexo actionibus spiritualibus accipere in pretium aliquid temporale.*

28 *Labor antecedens potest vendi & locari à ministris Ecclesiæ, taxato pretio secundum se, non secundum spirituale quod ministrant.*

29 *Pretium temporale correspondens labori antecedenti, potest licitè excedere titulum sustentationis.*

30 *Respondetur argumentis in contrarium.*

31 *An licitè possint ministri Ecclesiastici ratione tituli sustentationis pro actionibus spiritualibus stipendium accipere?*

32 *Iure diuino naturali & Ecclesiastico debetur ministris Ecclesiæ pro functionibus spiritualibus, congruum stipendium sustentationis.*

33 *Quæ conclusio testimoniis Sacræ Scripturæ probatur.*

34 *Non est illicitum Ecclesiasticis ministris quantumuis diuites sint, accipere stipendium sustentationis.*

35 *Quæ conclusio in suo sensu triplici argumento probatur.*

36 *Respondetur argumentis in contrarium adductis.*

37 *Examinantur singula inconuenientia, circa quorum Primum scilicet de pactis, duplex est dicendi modus.*

38 *Stando in iure diuino non est Simoniacum pactiones facere de stipendio sustentationis non taxato, bene tamen secundum ius positiuum, nisi in casu necessitatis.*

39 *Probatur secunda pars huius conclusionis.*

40 *Refertur duplex modus dicendi de iure ad exigendum stipendium à laicis, nolentibus illud soluere ante spiritualis actus dispensationem.*

41 *Cessante scandalo licitum est exigere à laicis nolentibus stipendium debitum pro sustentatione.*

42 *Ratione scandali imminentis illicita erit talis exactio, sed non Simoniaca.*

43 *Exigere stipendium ante administrationem rei spiritualis non est illicitum stando in iure diuino, bene tamen stando in iure positiuo.*

44 *Refertur triplex modus dicendi circa dubium, An liceat spiritualium administrationem ad stipendium ordinare?*

45 *Qui omnes modi à veritate deficiunt.*

46 *Verus modus dicendi colligitur ex D. Thoma, cuius verba referuntur.*

47 *Refertur duplex sententia extremè opposita circa dubium, An scilicet duas pictantias pro vna Missa liceat Clerico indigenti recipere?*

48 *Prima sententia scilicet affirmans est tenenda cum duplici limitatione à Soto assignata.*

PRima † conclusio; accipere pretium pro Sacramentorum dispensatione est crimen Simoniæ prohibitum iure diuino & naturali. Secunda conclusio; licitum est dispensatoribus Sacramentorum pecuniam accipere ad sui sustentationem, secundùm Ecclesiæ ordinationem & consuetudines approbatas. Postquam cum D. Th. *in art. præcedenti*, explicuimus Simoniæ diffinitionem quoad eius genus, differētiam & materiam circa quam versatur; exposcit ordo doctrinæ vt cum eodem Authore *in hoc art.* explicemus huius vitij diuisionem, & varios modos quibus circa spirituales actiones committitur: & quia potest hoc crimen ex parte actus, & ex parte legis, seu iuris prohibitiui; & tandem ex parte materiæ considerari, triplicem quoque subit diuisionem, quæ circa primam conclusionem sequentibus dubiis est examinanda. 1

DVbitatur Primò. † *An rectè & adæquatè Simonia in mentalem, realem, & conuentionalem diuidatur?* Videtur quod non propter tria. Primò quia Simonia ficta est verè & propriè simonia, & tamen sub nullo prædictæ diuisionis membro continetur; ergo. Maior probatur: nam quando quis propter fictam & simulatam promissionem alicuius rei temporalis obtinet beneficium spirituale, vel quando illud obtinet adulando ficta & simulata signa honoris, veram simoniam committit: siquidem pro re 2

spirituali

spirituali verè commutat rem temporalem & pretio æstimabilem; qualis est illa actio fictè promittendi, vel adulandi. Minor etiam probatur; nam ila Simonia non est mentalis, quia deest illi intentio permutandi verè temporalem rem pro spirituali; neque est conuentionalis, aut realis; quia istæ præsupponunt mentalem, ac proinde si mentalis non est, consequenter neque conuentionalis, aut realis potest esse. Secundò: Simonia quæ committitur per traditionem rei spiritualis, tantùm cum promissione pretij temporalis, vel è conuerso, est verè Simonia: & tamen neque est mentalis, aut conuentionalis tantum, neque est realis omnino; siquidem non est mutua ex vtraque parte traditio; ergo aliud membrum desideratur. Tertiò: nam realis Simonia quæ in exteriori traditione consistit, non addit aliquid essentialiter distinctum supra conuentionalem; ergo non est species condistincta, ac proinde superfluit tertium prædictæ diuisionis membrum. Antecedens probatur dupliciter: tum quia essentia huius vitij consummatur in conuentionali simonia, quæ est contractus emptionis ac venditionis, in quo essentia huius vitij consistit. Tum etiam, quia realis includit conuentionalem, & solùm addit supra illam actualem rei venditæ traditionem quæ est accidentalis effectus ad essentiam contractus consecutus: ergo.

3 In † hoc dubio tres versantur sententiæ. Prima Archidiaconi *in cap.* 1. 1. *q.* 1. asserentis adæquatè diuidi Simoniam in mentalem, & externam siue realem, ac proinde illud tertium membrum prædictæ diuisionis superfluere. Secunda asserit in prædicta diuisione adæquatè diuidi Simoniam, provt abstrahit à vera & ficta, in mentalem, conuentionalem, & realem: eo quod ficta etiam est vera Simoniæ species ad conuentionalem spectans. Ita communiter Iurisperiti sequuti Nauarrum *in Manuali cap.* 25. *num.* 103. Tertia sententia asserit diuisum prædictæ diuisionis esse Simoniam à ficta condistinctam; quæ adæquatè per illas tres species aut modos diuiditur. Ita Sylvest. verbo *simonia q.* 2. Caietan. *ibidem & opusculo de simonia q.* 2. Soto *vbi supra q.* 8. *art.* 1. Torre hîc *art.* 6. *disp.* . Valentia *disp.* 6. *q.* 16. *p.* 5. Vgolinus *tabula* 3. *c.* 5. & Suar. *lib.* 4. *disp.* 41. inter quos est triplex modus defendendi hanc sententiam. Vgolinus namque & Valentia sequuti Nauarrum *vbi supr.* existimant sub nomine Simoniæ conuentionalis, intelligi pactionem tradendi rem spiritualem pro temporali absque reali traditione siue receptione, ita vt neque sola traditio rei spiritualis, neq; sola receptio pretij temporalis subterfugiat rationem Simoniæ conuentionalis. Caietanus verò Soto & Torre dicunt, quod sub conuentionali provt à reali distinguitur, solum comprehenditur pactio sola, vel etiam cum pretij temporalis receptione; pactio autem cum sola rei spiritualis traditione, non sub conuentionali, sed sub reali continetur. Suarez verò media via procedens ait, neque solam rei spiritualis aut pretij traditionem constituere completè Simoniam realem, sed tantùm incompletè & secundum quid: potius tamen illam quàm istam ad realem esse reducendam. Sed pro huius declaratione;

4 Dico Primò: † Simonia adæquatè in mentalem, conuentionalem, & realem, non tanquam genus in diuersas species, sed tanquam subiectum in diuersos modos siue status diuiditur. Hæc conclusio statuitur aduersus primam sententiam, & probatur quoad primam partem: nam tres actus duntaxat inueniri possunt in peccato integro Simoniæ: in primo scilicet commutandi spiritualia pro temporalibus, ratione cuius dicitur *studiosa voluntas*. Deinde sequitur pactio siue conuentio, quæ est contractus quidam commutandi spirituale pro temporali: & tandem inuenitur ipsa rerum exhibitio atque executio conuentionis. Sed per primum constituitur mentalis, per secundum conuentionalis, & per tertium realis simonia: ergo hæc tria membra desiderat diuisio Simoniæ ex parte actus siue contractus. Deinde quoad secundam partem probatur: nam sicut in esse moris non differt peccatum interius ab exteriori, sed potius includitur in illo; ita Simonia mentalis non differt essentialiter à reali, sed potius est illi vt radix, & in illa includitur, vt superius dictum fuit: ergo hæc diuisio non est generis in species. Denique tertia pars, scilicet quod sit eiusdem rei in diuersos modos & status, probatur: nam hæc diuisio parificatur cum illa qua matrimonium solet diuidi in ratum, & consummatum, & cum illa qua D. Thomas 1. 2. *q.* 72. *art.* 7. diuidit peccatum in peccatum cordis, oris, & operis: sed huiusmodi diuisiones sunt penes diuersos modos & status eiusdem rei assignatos: ergo & ista. Maior est nota atque ab omnibus admissa: & probatur Minor, quia de prima certum est matrimonium ratum & consummatum non diuersas species ex æquo distinctas, sed diuersos modos & status eiusdem contractus matrimonialis importare. De secunda verò ait D. Thomas non esse generis in species, sicut illa qua diuiditur animal in hominem & Leonem: sed secundum diuersos gradus & status eiusdem speciei completè; eo quod primus gradus & quasi prima inchoatio peccati est in corde, secundus est in ore quatenus per illud manifestatur conceptus cordis: Tertius est in consummatione operis; qui tamen omnes pertinent ad vnam speciem peccati completam, quatenus ab eodem motiuo procedunt. Sed nihilominus distinguuntur in quantum vnus sine alio potest reperiri; & eodem modo diuiditur Simonia in mentalem, conuentionalem, & realem, vt in gradus siue status eiusdem peccati completi ab inuicem separabiles. Confirmatur: nam † simonia mentalis tripliciter 5
potest contingere. Vno modo coniuncta cum conuentionali siue reali, nempe quãdo simoniacus contractus ex intentione emendi, aut vendendi spiritualia procedit; alio modo coniuncta cum reali, sed non explicata, vt quãdo intentioni emendi rem spiritualem adiungitur ipsius realis traditio, sed non explicatur talis intentio, quo pacto tactus externus de se indifferens, si fiat cũ libidinosa intentione non explicata, potest dici impudicitas mentalis: & tertio modo quando inuenitur intentio sola emendi, aut vendendi spiritualia absque contractus aut operis externi consummatione; huiusmodi internum propositum non minus dicitur simonia mentalis, quàm propositum mechandi dicitur mechia mentalis. Similiter conuentio constituens Simoniam conuentionalem potest dupliciter reperiri; vel sine reali rei traditione, vel coniuncta cum illa: Sed istæ differentiæ Simoniæ

important diuersos gradus, non quatenus coniunctæ sibi inuicem, sed quatenus separatæ inueniuntur: ergo.

Ex quo infero aduersus Suarez *vbi supra*, sub mentali Simonia, non tantùm comprehendi propositum internum secundo modo, quo scilicet eius malitia in actu externo palliatur: sed potiori iure tertio modo scilicet, quando nulli actui externo adiungitur. Quod probatur, quia hæc diuisio est similis illi, qua peccatum diuiditur in peccatum cordis, oris, & operis; vt ipse Suarez admittit: sed in ista sub peccato cordis solum propositum internum comprehenditur, vt habet D. Thomas in loco præallegato: ergo & in illa sub mentali Simonia, etiam debet comprehendi propositum internum commutandi spiritualia: maximè quia in tali proposito saluatur verè malitia Simoniæ, tanquam in via & radice, hoc est in diuerso statu ab aliis duobus diuisionis membris.

6 Dico secundò: † Simonia quæ in hæc tria membra adæquatè diuiditur, est illa quæ à ficta condistinguitur. Hæc conclusio statuitur aduersus Authores secundæ sententiæ, & probatur primò; nam vera Simonia consistit in contractu humano, quo res spiritualis pro pretio commutatur. Sed Simoniæ fictæ deficiunt conditiones ad humanum contractum requisitæ; ergo & deficit vera ratio Simoniæ; ac proinde non ingreditur hanc diuisionem, quæ tantùm diuidit veram Simoniam. Minor probatur enumerando tres conditiones ad huiusmodi contractus requisitas. Prima est mutuus consensus dantis, & accipientis: Secunda est voluntas, siue intentio emendi, atque vendendi. Tertia est mutua habitúdo emptionis & venditionis, quia sunt correlatiua, ac proinde positio vnius petit positionem alterius: Sed quando aliquis accipit beneficium spirituale ex promissione ficta, ac simulata pretij, quod non intendit soluere, neque adest mutuus consensus neque intentio verè emendi, neque vera emptio quæ ex consensu & intentione dependet: ergo. Secundò, nam vera Simonia est quæ subiicitur pœnis contra Simoniacos à iure taxatis; sed hoc vitium fictæ ac simulatæ Simoniæ non subiacet talibus pœnis, vt *articulo 6.* patebit: ergo. Dixi in minori, hoc vitium simulatæ Simoniæ, quia huiusmodi fictio aliis malitiis est affecta: qui enim fictè pro beneficio spirituali promittit alteri pretium, ad eius mentalem Simoniam operatur, ac proinde occasionaliter est via Simoniæ alterius, incurritque peccatum scandali, quod in huiusmodi occasione ruinæ exhibito pretio consistit: teste D. Thoma *quæst.* 43. *art.* 1. & 3. peccat peccato pernicioſi mendacij, ratione cuius seipsum infamat, mentiendo se esse Simoniacum.

7 Dico tertiò; † per solam traditionem rei spiritualis, etiamsi non adsit traditio pretij ex parte ementis, patet Simonia realis simpliciter loquendo. Hæc conclusio statuitur aduersus Authores primi & tertij, & pro Authoribus secundi modi explicandi tertiam sententiam: Et probatur primò ex diffinitione Hostiensis communiter recepta *in summa titulo de Simonia.* §. 1. Simonia est datio vel acceptio rei spiritualis ex pacto proueniens. Vbi datio vel acceptio rei spiritualis nulla facta mentione pretij ponitur de essentia talis Simoniæ: ergo hæc in sola traditione vel acceptione rei spiritualis saluatur, absque actuali pretij exhibitione. Secundò probatur ex discrimine quod inter traditionem rei traditæ, & pretij exhibitionem versatur ad humanos contractus; etenim quantumuis pecunia detur, si non fiat traditio rei venalis per quam talis res transeat in dominium emptoris, non censetur illa venditio consummata & realis, sed tantùm manet intra limites conuentionalis: econtra verò vbi primum res vendita transit in potestatem emptoris, etiam credita pecunia, censetur iam venditio consummata: ergo idem iudicium faciendum in contractu Simoniaco, qui quantum ad hoc eiusdem rationis est cum aliis. Tertiò, illa est consummata & realis Simonia, in qua saluatur finis & materia contractus Simoniaci; eo quod tunc aliqua actio censetur consummata, quando coniungitur cum suo fine & materia circa quam versatur: sed finis Simoniæ, & materia non est pretium, sed res ipsa vendita: ergo. Minor patet, quia in omni emptione finis non est pretium, sed res venalis, & consequenter ipsa est materia circa quam versatur contractus emptionis, & venditionis; secus autem pretium quod solum se habet vt instrumentum, mediante quo adquiritur dominium rei venalis: ergo.

Ad † primum in contrarium nego maiorem. 8
Ad cuius primam probationem respondetur, quod promissio ficta non admittitur in pretium ab illo, qui falsa existimatione ductus tradit beneficium spirituale: non enim illud tradit acceptando in pretium ipsam promissionem fictam, sed rem promissam; quod adeò verum est, vt etiam quando promissio est vera, non ipsa, sed res promissa in pretium accipitur à venditore. Vnde in casu argumenti, recipiens beneficium spirituale gratis illud accipit, quia deest illi intentio exhibendi pretium pro illo. Tradens autem beneficium non gratis, sed pro pretio cadente, sub promissione ficta illud tradit, & ideò est Simoniacus quoad affectum, & mentalis. Ad secundam admisso antecedenti, nego consequentiam, quia adulatio & ficta laus est munus aliquale à lingua impensum, ac proinde pretio temporali æstimabile. Vnde pro illo tradere aut accipere beneficium spirituale est Simoniacum, vt dicemus *articulo 5.*

Ad secundum principale nego minorem pro tertia parte; nam in traditione rei spiritualis, simpliciter saluatur Simonia realis; secus autem in sola exhibitione pretij, absque rei spiritualis traditione, vt docuimus in tertia conclusione. Ad tertium concedo antecedens, & nego consequentiam propter rationem assignatam in prima conclusione.

DVbitatur secundò; *An † Simonia rectè & adæquatè ex parte legis, in illam quæ est de iure diuino, & illam quæ est de solo iure humano prohibita, diuidatur?* Videtur quod non propter tria. Primò quia nulla videtur esse Simonia contra ius diuinum naturale: ergo. Antecedens probatur, nam in præceptis iuris naturalis non potest Deus dispensare, vt D. Thomas 1. 2. *quæst.* 100. *art.* 8. qua ratione nequit fieri per potentiam Dei absolutam, vt periurium, & conculcatio Eucharistiæ non sint peccata 9

sacri legij,

ſacrilegij, quia ſunt prohibita à iure diuino naturali : Sed Deus poteſt diſpenſare in quocumque contractu Simoniaco : ergo nullus eſt contra ius naturale. Minor patet, quia diſpenſare in contractu Simoniaco eſt illum reddere licitum; ſed nullus eſt quem Deus non poſſit licitum reddere ; poteſt enim Deus nobis de potentia abſoluta ſua concedere rerum ſpiritualium dominium aut facultatem, vt illas pretio commutemus, nec non poteſt illas nobis tribuere in ordine ad aliquod commodum temporale : Sed ſicut data hypotheſi nulla eſt ratio, ob quam Simoniacus contractus vitietur, deficiunt enim omnes rationes quibus D. Thomas *in articulo præcedenti* probat illum vitiari : ergo.

Secundò, nam vitium Simoniæ verſatur circa res ſupernaturales : ſed ius naturale tantùm verſatur circa res ordinis naturalis, quæ aut virtutibus naturalibus conueniunt, aut contrariantur, illas quidem percipiendo, & has prohibendo ; ergo non prohibet vitium Simoniæ. Minor probatur, nam ius naturale tantùm eſt de hiis, quæ lumen naturale dictat eſſe facienda, vel fugienda : ſic enim diffinit legem naturalem D. Thomas 12. *quæſt.* 91. *articulo* 1. dicens illam eſſe participationem legis æternæ in creatura rationali, quatenus per lumen naturale diſcernit quid bonum & quid malum ſit. Pro eodem autem ſupponit in præſentiarum lex naturalis, & ius naturale : ergo. Quod ſi dicas rationem naturalem abſolutè non poſſe dictare aliquid ſupernaturale, bene tamen facta aliqua ſuppoſitione, nempe ex ſuppoſitione alicuius inſtitutionis ſupernaturalis, v. gr. quod ſint in Eccleſia Sacerdotes, non eſt de iure naturali, ſed tantùm de iure diuino ſupernaturali; & tamen facta inſtitutione huiuſmodi miniſtrorum, ius naturale dictat & præcipit illos eſſe alendos à Republica. Similiter quod in Euchariſtia contineatur verum Chriſti corpus, non dictatur à lumine naturali, ſed lumine fidei. Suppoſita tamen fide, ratio naturalis dictat Euchariſtiam non eſſe irreuerenter tractandam : ac per conſequens ſuppoſita fide, qua cognoſcimus ſupernaturalem ſanctitatem rerum ſpiritualium, ratio naturalis dictare ſimiliter poterit illas non debere emi, aut vendi. Contra hanc concluſionem quæ eſt Magiſtri Soto *vbi ſupra art.* 2. arguitur. Nam ex illa ſequitur, quod ſuppoſita fide ratio naturalis poſſit præcipere obſeruantiam omnium ſupernaturalium præceptorum, v. gr. Spei, & Charitatis, &c. ſiquidem ſuppoſita hac fide, qua cognoſcimus Deum vt authorem gratiæ, & huiuſmodi præceptorum legiſlatorem, ratio naturalis dictat obediendum eſſe vero Deo tanquam vero Superiori : conſequens autem eſt falſum : ergo. Minor patet, quia natura nihil præcipit ſibi impoſſibile ſimpliciter ſecundùm ſuas vires, ſed etiam ſuppoſita fide ſupernaturalium præceptorum, obſeruantia eſt ei ſimpliciter ſecundum ſuas vires impoſſibilis ; ergo non præcipit illam, etiam ſuppoſita fide, aliàs natura conferret vim ſufficientem ad eorum obſeruantiam, quod eſt Pelagianum : ergo.

Tertiò arguitur principaliter ; nam nulla eſt Simonia prohibita ſolo iure humano ſiue Eccleſiaſtico : ergo inſufficiens eſt iſta diuiſio. Antecedens probatur, nam ſi aliqua eſſet, maximè illa quæ committitur in venditione rerum ſpiritualium, quibus ſpiritualitas conuenit ex Eccleſiæ inſtitutione, qualia ſunt ſacramentalia & ſimilia, quæ ex Eccleſiæ beneplacito conſecrantur : Sed huiuſmodi rerum venditio eſt contra ius diuinum, ſiquidem contra diuinum ius eſt vendere Calices conſecratos ratione conſecrationis, aquam benedictam, & alia ſacramentalia : ergo. Confirmatur dupliciter. Primò, nam id quod ſolo iure humano eſt prohibitum, tantùm habet malitiam inobedientiæ; Sed malitia Simoniæ non tantùm ad inobedientiam, ſed etiam ad irreligionem pertinet : ergo non datur Simonia quæ ſolo iure humano ſit prohibita. Maior probatur, quia teſte D. Thoma 12. *quæſt.* 104. *art.* 2. *ad* 1. quando aliquid eſt bonum ſolum, quia cadit ſub præcepto, ad ſolius inobedientiæ materiam pertinet, ſi enim talis actus erat antea indifferens, ex vi præcepti cadentis ſupra illum, ſolum ponitur in materia obedientiæ, eo quod tota bonitas illius in ſubiectione ad legem conſiſtit : Sed etiam tota ratio malitiæ in hiis quæ ſunt mala quia prohibita, eſt legis tranſgreſſio : ergo ſolùm habebunt malitiam inobedientiæ, ac proinde ſi datur contractus Simoniacus ſolùm quia humano iure ſit prohibitus, ille ſolius inobedientiæ malitiam induet. Declaratur hoc amplius. Aut res illa quæ venditur contra Eccleſiæ prohibitionem eſt ſacra antecedenter ad Eccleſiæ prohibitionem, aut non eſt ſacra : Si primum, non ſolùm erit talis venditio Simoniaca, quia prohibita iure humano, ſed de ſe & ex obiecto erit mala. Si ſecundum, etiam adueniente prohibitione non erit Simoniaca ; actio enim Simoniaca per ſe petit verſari circa rem ſacram : Sed adueniente Eccleſiæ prohibitione res non fit ſacra, niſi aliàs habeat ſanctitatem ex natura ſua, vel ex Dei inſtitutione : ergo. Confirmatur ſecundò ; nam aliàs Summus Pontifex non poſſet committere vitium Simoniæ, in huiuſmodi rerum dependentium in ſua ſpiritualitate ab Eccleſiæ inſtitutione, venditione, ſiquidem vt Author & Princeps Eccleſiaſtici iuris ſecum diſpenſaret in lege à ſe poſita ex vi eiuſdem voluntatis, qua vellet illas pretio permutare. Conſequens autem eſt falſum, quia poteſt Pontifex ſine rationabili cauſa vendere Eccleſiaſticas dignitates, vt Canonicatum, & officium Sacriſtiæ, aut Oeconomi, & tunc grauiter peccaret, ac proinde peccatum Simoniæ committeret ; quia ad nullum aliud vitium videtur illa venditio in genere moris pertinere.

In † hoc dubio tres verſantur ſententiæ. Prima aſſerit Simoniam quæ ſolùm eſt mala quia prohibita ab Eccleſia, non eſſe verè & propriè Simoniam, ſed dumtaxat quoad pœnam, eo quod ſubditur Eccleſiaſticis pœnis : ita Durandus *in* 4. *d.* 25. *q.* 5. Secunda eſt Marſilij *in* 4. *d. citata & quæſt.* Paludani *quæſt.* 4. *art.* 2. Gloſſæ *in cap. exple. de officio delegati.* Felini *num.* 1. & Turrecrematæ *vbi ſupra*, aſſerentium dari quidem Simoniam de iure dumtaxat poſitiuo prohibitam, condiſtinctam à prohibita de iure diuino & naturali : ſed illam in eo conſiſtere, quod verſetur circa rem aliàs ſpiritualem & ſacram, cuius ſanctitas, & conſecratio ortum habeat ex Pontificis ſiue Eccleſiæ inſtitutione & beneplacito. Quo pacto aſſerunt iſti Authores venditionem Calicis, & aquæ benedictæ, & ſimilium, eſſe Simoniacam de iure poſitiuo : quia

10

huiuſmodi

huiuſmodi res habent conſecrationem ex hac humana Pontificis ſiue Eccleſiæ inſtitutione. Tertia aſſerit adæquatè & ſufficienter diuidi Simoniam in illam, quæ eſt prohibita iure naturali, & diuino poſitiuo ex parte, & in illam quæ ex ſolo Pontificio ſiue Eccleſiaſtico iure eſt prohibita ex alia. Hanc verò Simoniam ſolo iure humano prohibitam, non eſſe illam quæ verſatur circa res ſacras completè ante prohibitionem, ſed eam quæ verſatur circa res quæ ex vi prohibitionis fiunt aliquo modo ſacræ. Hæc eſt ſententia quam ſequuntur Caietanus & Victoria *hic & in relectione num.* 12. Soto *quæſt.* 5. *artic.* 2. Torre. *artic.* 1. *diſputat.* 2. & 3. & Suarez *vbi ſupra cap.* 7. Pro cuius declaratione;

11 Dico primò: † Simonia verè & propriè talis, nedum quoad pœnam, ſed etiam quoad culpam, diuiditur in prohibitam iure diuino, & in prohibitam ſolo iure poſitiuo Eccleſiaſtico. Hæc concluſio ſtatuitur contra Authorem primæ ſententiæ, & probatur quoad primam partem, nempe quatenus aſſerit dari Simoniam iu-
12 re diuino prohibitam, ſupponendo † res ſpirituales ſiue ſacras eſſe in quadruplici differentia. Primum genus eſt illarum quæ ſunt eſſentialiter ſacræ, & independenter ab aliqua humana inſtitutione habent ſuam ſanctitatem, cuius generis ſunt gratiæ gratis datæ & Sacramenta. Secundum genus eſt illarum rerum, quæ habent ſanctitatem ex Eccleſiæ inſtitutione, media aliqua conſecratione ſeu benedictione illas in eſſe ſacro conſtituente; & huius generis ſunt vaſa ſacra, Aræ, Cruces, & Ornamenta. Tertium genus eſt earum rerum, quæ ex Eccleſiæ beneplacito & inſtitutione habent ſanctitatem, non tamen per aliquam benedictionem, ſed per coniunctionem & connexionem ad alias res ſacras atque ſpirituales, cuius generis ſunt Eccleſiaſtica officia ac beneficia, quæ habent connexionem cum miniſterio ſacro, ſiue cum titulo Clericali, &c. Quartum genus eſt illarum rerum, quæ in ſe nullam habent intrinſecam conſecrationem aut ſanctitatem, ſed reputantur ſacra in ordine ad emptionem & venditionem, ſolùm quia Eccleſia prohibuit earum emptionem & venditionem, habito reſpectu ad reuerentiam quæ Eccleſiæ debetur. Huius generis ſunt officia Sacriſtiæ, & Oeconomi: inter quæ genera hoc verſatur diſcrimen, quod res primi generis per nullam potentiam poſſunt amittere ſanctitatem vtpote eis eſſentialem. Res verò ſecundi generis aliquando fuerunt ſine ſanctitate, nempe ante conſecrationem ſui, & licet poſt conſecrationem dum integræ manent illam non poſſint amittere, poſſunt tamen confringi aut priſtinam formam amittere, & tunc ſine ſanctitate manebunt. Deinde res tertij generis, nedum confractæ, aut quoad formam mutatæ, ſed integræ manentes poſſunt ab Eccleſia ſeparari à ſanctitate quam habent, & in prophanas conuerti, quod facit Eccleſia quando decimas & reditus beneficiorum diſſociat à titulo Clericali, & applicat alicui ſeculari. Et tandem res quarti generis non gaudent ante prohibitionem aliqua intrinſeca ſanctitate neque annexione ad res ſacras.

13 Quo ſuppoſito probatur, quod † emere aut vendere res primi generis ſaltem (de hiis enim procedit hæc prima concluſionis pars) ſit contra ius diuinum poſitiuum & naturale. Nam id eſt contra diuinum ius poſitiuum, quod immediatè prohibetur à Deo per legem ab ipſo ſtatutam & promulgatam: Sed huiuſmodi rerum ſpiritualium emptio & venditio prohibetur à Deo in Sacra Scriptura ſæpe ſæpius, vt *Mat.* 10. *Act.* 8. 2. *Petr.* 2. & in Veteri Teſtamento 3. *Reg.* 13. 4. *Reg.* 5. 2. *Mach.* 4. ergo eſt contra ius diuinū. Confirmatur primò: nam contra ius diuinum eſt, quod quis proteſtetur ſe habere dominium ſupra Spiritum Sanctum & illum habere in ſua poteſtate, nec non dona data in communem Eccleſiæ vtilitatem conuertere in proprium commodum: Sed qui vendit res ſpirituales, proteſtatur ſe habere dominium Spiritus Sancti, & illas conuerti in ſuam vtilitatem: cùm tamen teſte Paulo 1. *ad Corinth.* 12. & *ad Epheſ.* 4. huiuſmodi gratiæ dona data ſint ab Spiritu Sancto in communem Eccleſiæ vtilitatem: ergo eorum venditio aduerſatur iuri diuino. Confirmatur ſecundò. Nam illæ tres rationes quibus D. Thomas *art. præcedenti* probat illicitam eſſe Simoniam, apertè conuincunt illam eſſe prohibitam iure diuino, eò quòd inſinuantur in illo teſtimonio *Actorum* 8. *ſupra citato*, vbi D. Petrus reprehendit vitium Simoniæ dicens. *Pecunia tua tecum ſit in perditionem*, &c. Prima enim ratio colligitur ex illis verbis: *Exiſtimaſti donum Dei pecunia poſſe vendi*; quaſi diceret rem ſpiritualem eſſe excedentem omne pretium. Secunda ſpecialiter denotatur in illo complexo, *Donum Dei*, quo deſignatur Deum habere ſpeciale dominium ſpiritualium rerum, ac proinde qui illas vendit aut emit, proteſtatur ſe habere illarum dominium, & non Deum. Tertia denique inſinuatur in eodem termino, *Donum*; in quo denotatur ſpirituales res eſſe dona gratis accepta à Deo, & ideò gratis eſſe diſpenſandas: ergo illarum emptio atque venditio eſt contra ius diuinum. Quod autem ſit contra ius naturale patet, quia in lege Euangelica nullum eſt præceptum quod non ſit iuris naturalis, præter ea quæ pertinent ad fidem, & Sacramēta. Ob hanc enim cauſam appellatur lex libertatis: Sed præceptum prohibitiuum Simoniæ inuenitur expreſſum in locis præallegatis Euangelij, & aliàs non eſt de pertinentibus ad fidem & Sacramenta: ergo eſt etiam iuris naturalis. Confirmatur; nam † ea quæ ſunt iuris di- 14
uini tantùm ſunt in triplici differentia. Vel enim ſunt præcepta Euangelij, vel Veteris legis, vel iuris naturalis: ſed prohibitio emendi vel vendendi res ſpirituales non eſt præceptum ſolius Euangelij, aliàs ante legem Euangelicam non eſſet prohibita Simonia, & ſic non peccarent Eſau, Balaham, & Giezi huiuſmodi peccatum, quod tamen eſt contra dicta. Neque eſt præceptum poſitiuum dumtaxat legis veteris, quia aliàs fuiſſet abolitum per legem Euangelicam, ſiquidem per illam fuerunt abolita omnia præcepta legis veteris, exceptis illis quæ ſimul erant de iure naturali; & conſequenter neque Simon Magus, neque aliquis alius in lege noua Euangelij crimen Simoniæ peccaret, quod eſt fidei & experientiæ contrarium. Ergo dicendum eſt, prohibitionem Simoniæ eſſe de iure diuino poſitiuo, quia ſimul eſt de iure naturali. Quod etiam conuincunt rationes D. Thomæ, quibus

probauimus

probauimus Simoniam esse contra ius diuinum, quia contra naturale ius, & intrinsecè malum est vendere pro temporali pretio ea quæ pretium omne superant, & quorum homo non est dominus, & quæ gratis sunt accepta.

15 Secunda † pars conclusionis probatur aduersus Durandum. Primò ex communiter accepta doctrina *in cap. ex parte 1. de officio Iudicis delegati*, vbi distinguit Simoniam in illam quæ est prohibita iure diuino, siue prohibitam, quia intrinsecè est mala, & in illam quæ est prohibita solo iure positiuo Ecclesiastico, siue quæ est mala quia prohibita: ergo. Secundò probatur; nam *in cap. Saluator 1. quæst. 3.* prohibentur vendi officia Oeconomi, & thesaurarij Ecclesiæ; ac proinde illarum venditio & emptio Simoniaca est contra Ecclesiasticum præceptum ibi expressum, quo tamen secluso nullum peccatum esset, illa officia vendere, siquidem omnino in se temporalia sunt, & nullam habent spiritualitatem secluſa Ecclesiæ prohibitione. Fiunt autem inuendibilia præcisè, quatenus intuitu religionis ab Ecclesia prohibita sunt vendi & emi: ergo horum officiorum emptio & venditio Simoniaca est à solo iure positiuo; & consequenter congruenter diuiditur Simonia in duo membra assignata.

16 Dico secundò; † Simonia quæ versatur circa res spirituales secundi & tertij generis, quæ pro temporali pretio commutantur, non est solo iure humano Ecclesiastico, sed diuino & naturali iure prohibita. Hæc conclusio statuitur aduersus Authores secundæ sententiæ: & probatur primò; nam vendere huiusmodi res est intrinsecè malum: ergo aduersatur iuri diuino & naturali. Consequentia patet, quia ea quæ iure positiuo humano tantùm sunt prohibita, non sunt intrinsecè mala, sed fiunt mala quia prohibentur. Antecedens autem probatur, nam illæ res secundi generis verè & formaliter habent in se sanctitatem, v. g. Calix consecrationem, aqua benedicta benedictionem, ratione cuius habet supernaturalem virtutem ad remittendum peccata venialia, & ad arcendum dæmones: & sic de aliis. Sed vendere illa quæ formaliter in se habent sanctitatem est intrinsecè malum, vndecumque ei proueniat sanctitas, vtpote cum in illis militent rationes D. Thomæ. Etenim sunt extra dominium nostrum, & supra temporale pretium, atque de genere donorum gratiæ, quibus conuenit gratis accipi, & gratis dari: ergo. Secundò; nam si aliqua ratione non esset mala intrinsecè harum rerum venditio, ea esset quia sanctitas conuenit eis non de iure diuino sed ex Ecclesiæ institutione; sed hæc ratio non obstat: ergo. Maior patet ex fundamento aduersariorum: & probatur Minor, quia licet sanctitas conueniat eis ex Ecclesiæ institutione, tamen ex suppositione quod eis conuenit, & applicatur, iam iuri diuino & naturali aduersatur illas emere aut vendere. Quemadmodum enim imago licet dependenter à voluntate & intellectu artificis sit depicta; hoc non obstat quominus semel depicta, sit naturaliter repræsentatiua prototypi: Similiter taxatio pretij proueniens ex lege positiua Principis, non obstat quominus contra ius naturale sit triticum vendere vltra pretium taxatum; & solemnitas voti Religiosi de iure Ecclesiastico tantùm est, vt habetur *in cap. vnico de voto in 6.* & hoc non obstat quominus illius obseruantia sit de iure diuino. Ita similiter quod aliquæ res dependenter à libera Ecclesiæ institutione habeant sanctitatem, hoc non obstat quominus naturaliter & secundum ius naturale sint inuendibiles suppositâ earum sanctitate. Confirmatur; nam aliàs non esset contra ius diuinum naturale vendere ordinem Subdiaconatus, & Ecclesiam consecratam, atque vestes & calices consecratos ratione consecrationis, quod tamen est falsum: ergo & antecedens. Sequela patet, nam ordo subdiaconatus de iure Ecclesiastico tantum est; Ecclesiarum, vestium & vasorum consecrationes tantùm fuerunt ab Ecclesia institutæ. Vnde à principio Ecclesiæ non erant in vsu, neque enim Christus neque Sacerdotes post aliquod tempus vsi fuerunt vestibus, aut vasibus consecratis: ergo.

Tertiò probatur specialiter de rebus tertij generis. Nam † ex duplici capite prouenit quod non possit vendi beneficium siue præbenda spiritualis; tum ex iure percipiendi fructus quod spirituale est; tum etiam ex titulo Clericali, ex quo causatur ius ipsum. Sed contra ius diuinum est vendere tam ius, quàm titulum spirituale: ergo etiam est contra ius diuinum vendere præbendam. Maior patet, quia in præbenda hæc duo spiritualia inueniuntur, scilicet titulus Clericalis per quem ad officium spirituale quis deputatur, ad quod ordinatur beneficium: & ex hoc titulo siue officio oritur ius ad percipiendum fructus, & reditus præbendæ pro ministerio spirituali impenso: ac proinde ex hoc duplici capite fit præbenda inuendibilis. Minor autem probatur, quia contra diuinum & naturale ius est, vendere id quod in se & formaliter est spirituale, vndecumque ei proueniat spiritualitas vt dictum est. Neque valet dicere, quod sicut potest vendi aqua ad baptismum, quia licet sit necessaria & ad illum ordinata, tamen potest vendi secundum se & non provt ordinata: ita licet beneficium ordinetur ad officium spirituale, poterit vendi secundum se, & non provt ordinatum ad finem illum spiritualem, ac proinde iam non erit intrinsecè malum vendere Ecclesiastica beneficia. Nam est dispar ratio inter vtrumque, & disparitas est, quod licet beneficium secundum se temporale sit, ac proinde si dissocietur à titulo & officio spirituali possit vendi, sicut aqua; tamen dum non dissociatur, nequit possideri sine titulo & iure spirituali, & consequenter nequit sine illis vendi; vnde eius venditio Simoniaca est, non quia venditur vt ordinatum ad officium spirituale, sed quia venditur cum titulo & iure spirituali. Ex quo colligitur quod si ab illis separetur, veniale erit; quod contingit in duplici casu. Primus est quando Pontifex dissociat præbendã à clericatu, & applicat alicui seculari. Secundus est quando aliquis vendit reditus siue fructus suæ præbendæ, absq; titulo & iure spirituali præcisè ad tempus, & quatenus bona tẽporalia sunt. 17

Dico tertiò: etiam † circa res secundi & tertij generis, posset dari Simonia solo iure Ecclesiastico prohibita. Hæc conclusio statuitur aduersus eosdẽ Authores secundæ sententiæ, & pro explicandis Authoribus tertiæ sententiæ. Et probatur supponendo in actione Simoniæ tria interuenire, scilicet rem spiritualem quæ est materia circa quam versatur, & pretiũ & contractũ ipsum; 18

ipſum : & ex hoc tertio capite poſſe Summum Pontificem prohibere lege Eccleſiaſtica ſimoniacam actionem, quæ ſit mala quia prohibita. V. gr. ex parte materiæ, quia aliquem reſpectum habet ad religionem, licet in ſe nullam habeat ſpiritualitatem, qua ratione prohibita fuit emptio ac venditio officij Oeconomi, Theſaurarij, & Sacriſtæ, vt patet ex ſecunda parte primæ cõcluſionis; & eadẽ ratione prohibitum eſt in iure vendere ſepulturas, vt habetur *in cap. abolere de ſepulturis, & cap. cum in Eccleſiæ corpore, de Simonia. & cap. quæſitum 1. quæſt. 1. & cap. præcipiendum 13. quæſt. 2.* Ex parte verò pretij commutati pro re ſpirituali, poſſet Pontifex prohibere, ne pro adminiſtratione vnius Sacramenti feratur aliquid ſpirituale, V. gr. oratio, aut adminiſtratio alterius Sacramenti: qua prohibitione facta eſſet Simoniaca actio, quæ ſecluſa prohibitione non erat vitioſa. Qua ratione contractus non eſt Simoniacus, commutare aquam benedictam pro alia re ſpirituali; neque vnum calicem pro ara etiam ratione ſpiritualitatis; poteſt tamen Pontifex ex rationabili cauſa, huiuſmodi commutationes vnius rei ſpiritualis pro alia re ſpirituali prohibere, & tunc Simonia in illis committeretur; & hac de cauſa in permutatione vnius beneficij ſpiritualis pro alio, committitur Simonia de facto, propter ſolam iuris Eccleſiaſtici poſitiui prohibitionem. Etenim permutare vnum beneficium pro alio ſpirituali, non eſt contra ius diuinum. Quod probatur primò ex eo, quod ſpirituale non habet propriè rationem pretij temporalis, & ius diuinum ſolùm prohibet, ne ſpiritualia commutentur pro temporali pretio & quæſtu. Secundò ex eo, quod in commutationibus præbendarum licita ſunt aliqua, quæ non ſunt licita in commutatione ſpiritualis pro temporali: V. gr. licitum eſt partibus conuenire & paciſci de permutandis præbendis, atque conditiones contractus apponere, & ſcribere vſque ad concluſionem negotij, ſeu actualem præbendarum tranſlationem: hæc reſeruatur Papæ, & ſub hac conditione ſubintellecta; ſi Papæ placuerit, actus antedentes ſunt liciti, qui tamen in permutatione prohibita iure diuino, qualis eſt illa in qua ſpirituale commutatur pro temporali, illiciti ſunt omnino. Illicitus enim eſſet iſte contractus: Dabo tibi Canonicatum meum pro agro tuo. Rurſus ſi præbendæ ſunt intra eandem Eccleſiam, poteſt fieri & conſummari illarum permutatio abſque authoritate Superioris, iuxta probabilem ſententiam Innocentij *in cap. quæſitum de rerum permutatione*, & illam fieri licitè inter quaſcumque præbendas, obtenta facultate à Superiori certum eſt. Quæ tamen permutatio ſi iure diuino eſſet prohibita, neque cum licentia, neque ſine illa fieri licitè poſſet: ergo. Denique ex parte contractus, etiam poteſt dari Simonia circa huiuſmodi ſpiritualia ſolo iure humano prohibita. Quod patet, quia licet iure diuino prohibita ſit harum rerum emptio ac venditio, & omnis alius contractus excludens gratuitam donationem, non tamen eſt prohibita actio mutuandi: licitè enim poteſt aliquis ſuos calices ratione ſpiritualitatis mutuare alteri, vt illis ad diuinum cultum vtatur, & tamen poteſt Pontifex rationabili de cauſa etiam hanc actionem prohibere, quare tunc ſimoniaca eſſet: ergo cùm non eſſet ſimoniaca contra ius diuinum, ſolùm aduerſaretur iuri Eccleſiaſtico.

Ad † primum in contrarium nego minorem. Ad probationem reſpondetur diſtinguendo maiorem. Diſpenſare in contractu ſimoniaco eſt illum reddere licitum inuariata manente eius materia, concedo; cum variatione materiæ, nego maiorem: & ſimiliter Minor eſt diſtinguenda & neganda conſequentia. Pro cuius declaratione ſupponendum eſt ex materia de legibus: quod diſpenſatio legis propriè loquendo, eſt ablatio obligationis ex rationabili cauſa inuariata manente materia legis. V. gr. quia præceptum de non occidendo prohibet, ne quis alterum occidat priuata authoritate: etſi Deus propriè in hoc præcepto diſpenſaret, deberet reddere licitam occiſionem priuata authoritate factam, & quia hoc eſt intrinſecè malum, nequit à Deo diſpenſari. Poteſt tamen Deus variare materiam, tribuendo alicui authoritatem ſupra alterius vitam, vt occiſio illius non priuata, ſed publica, ſeu diuina authoritate fieret: & hac ratione excuſabatur Abraham à peccato homicidij quando iuſſu Dei filium necare volebat. Eodem modo quia materia Simoniæ eſt permutatio rei ſpiritualis exiſtentis ſub dominio Dei pro temporali pretio, hac inuariata manente nequit Deus reddere licitum contractum Simoniacum; & ſimiliter nequit in tali lege diſpenſare, poteſt tamen illum reddere licitum variando materiam, vt ſi nobis tribueret dominium rerum ſpiritualium, aut illas ad commodum temporale ordinaret. 19

Ad ſecundum † duplex eſt modus dicendi. Primus eſt Soto *vbi ſupra articulo* 2. aſſerentis, quod licet natura abſolutè ſumpta, non poſſit dictare aut præcipere aliquid ſupernaturale, bene tamen facta ſuppoſitione aliqua fidei: quia verbi gratia ſuppoſito quod ſint in Eccleſia Miniſtri & Sacerdotes, lumen naturale dictat illos eſſe alendos: & ſuppoſita fide de exiſtentia veri Dei in Euchariſtia, ratio naturalis dictat Euchariſtiam non eſſe irreuerenter tractandam. Huic modo dicendi fauet Caietanus 3. *parte quæſtione* 87. *articulo* 7. dicens, quod ſuppoſita cognitione fidei, ratio naturalis dictare poteſt dolorem eſſe ſumendum in remedium peccatorum: ſicque explicat Diuum Thomam aſſerentem ibi ad primum, quod pœnitentia eſt de iure naturali, quoad dolorem & ſigna doloris: Sed hic modus dicendi difficilis eſt; primò quia ratio naturalis etiam ſuppoſita fide nequit præcipere obſeruantiam præceptorum ſupernaturalium, videlicet religionis, ſpei & charitatis, aliàs vim ad talem obſeruantiam conferret, quod eſt Pelagianum. Et quia eiuſdem virtutis eſt præcipere actum virtutis, & prohibere oppoſitum; ſicut nequit dictare præcepta affirmatiua, ita neque poteſt extendi ad negatiua. Secundò, nam ratio naturalis cùm habeat modum naturæ eſt determinata ad vnum finem, ad vnam rationem formalem, & ad vnum modum operandi: ergo provt naturalis eſt, nequit extendi ad finem ſupernaturalem, ac proinde neque ad præcepta ſupernaturalia, etiam negatiua, quorum finis eſt ſupernaturalis. 20

Vnde

21 Vnde Secundus modus asserit, quod † natura non secundum se, sed pro vt eleuata per gratiam & fidem, extendit se ad supernaturalia præcepta. Hunc modum insinuat Caietanus 12. q. 113. art. 2. dicens non esse necesse, quod qui transgreditur supernaturalia præcepta, transgrediatur aliquod præceptum naturale: & consequenter iuxta hunc modum dicendi, Simonia non est contra ius naturæ nudè sumptæ, sed contra ius naturæ eleuatæ per gratiam: dicitur autem esse contra ius naturale, quia status ille legis naturalis ante legem scriptam dicebatur naturalis, propterea quod tantùm habebat præcepta connaturalia gratiæ, qualia sunt præcepta fidei, spei, charitatis, & religionis infusæ, quæ intrinsecam habent connexionem cum gratia. Sed neque iste modus est sufficiens, quia quando in præcepto supernaturali includitur etiam aliquod naturale, pro illa parte potest dictari suppositа fide à ratione naturali. Quo facto suppositа fide de existentia veri Dei authoris naturalis in Eucharistia, licet ratio naturalis non dictet exhibendam esse reuerentiam illi, vt Authorem gratiæ continenti, bene tamen illi vt continenti Authorem naturalem. Sed in simonia inuoluitur aliquod putè naturale, v. gr. hoc quod est vendere alienum quod non est sub nostro dominio: ergo pro hac parte bene potest dictari à ratione naturali, suppositа fide. Et iuxta hunc modum, qui veritati conformior est, dicendum est ad secundum argumentum, distinguendo minorem: Ius naturale præcisè sumptum absque eleuatione per gratiam & fidem, tantùm dictat ea quæ naturalia sunt, concedo; nego tamen illam si procedat de iure naturali, vt eleuato per fidem & gratiam. Et similiter neganda est, si procedat de ratione naturali, suppositа fide, in ordine ad supernaturalia præcepta, pro ea parte qua naturale includunt.

Ad tertium nego antecedens. Ad cuius probationem patet ex secunda conclusione. Ad primam probationem Durandi nego maiorem: quia quando aliquis actus præcipitur à legislatore propter finem alicuius virtutis, non solùm pertinet ad materiam obedientiæ sed etiam ad specialem materiam illius virtutis, propter cuius obseruantiam præcipitur; Vnde eius trangressio non solùm inobedientiæ, sed illius vitij quod tali virtuti opponitur, habet malitiam. Quemadmodum transgressio præcepti ieiunij quadragesimalis, non solùm inobedientiæ, sed intemperantiæ peccatum est, quia ieiunium quadragesimale præcipitur in ordine ad finem temperantiæ, & ex vi præcepti constituitur in materia temperantiæ. Ita similiter quando Ecclesia præcipit, ne aliqua res pretio temporali commutetur in ordine ad religionem, talis præcepti obseruatio non solùm in materia obedientiæ, sed etiam in materia religionis reponitur, & econtra illius violatio non solius inobedientiæ, sed etiam irreligionis, ac proinde Simoniæ peccatum est. Neque huius oppositum docuit D. Thomas in loco allegato, quia solùm loquebatur in casu quo actus de se indifferens, ex vi præcepti non ordinatur vt medium necessarium ad finem alicuius specialis virtutis: tunc enim sola obedientiæ bonitas in illo relucet.

Ad secundam confirmationem vt pro dignitate respondeamus, † examinanda est illa celebris difficultas, in quibus casibus Summus Pontifex possit Simoniæ vitio implicari. In qua licet omnes conueniant in hoc quod Papa Simoniacus esse possit, tamen in explicando circa quas res possit Simoniæ peccatum committere, diuisi sunt in duos modos dicendi. Primus est Syluestri in verbo *Simonia*. §. 4. Adriani *vbi supra*, Durandi *in loco citato*, Hostiensis, Antonij de Butrio, & fere omnium Iuristarum *super cap. 1. de Simonia*, asserentium Papam posse esse Simoniacum circa res, quarum permutatio est prohibita de iure diuino, non tamen circa res quarum permutatio est solo iure humano prohibita. Illorum fundamentum est, quia Papa non subditur suis legibus, vt constat *ex ff. de legibus in lege Princeps, & 6. q. 3. cap. cuncta*; ergo dum vendit aliquid quod præcisè ipsius legibus est prohibitum, tollit tale ius, & legis obligationi non subditur. Eundem dicendi modum sequitur Malderus *tractatu 9. de Simonia cap. 3. dubitat. 4.* & Soto latius *quæstion. 5. art. 2. ad 2.*

Secundus modus est Victoriæ hîc, atque inter Theologos communior, quod Papa nedum in rebus spiritualibus diuino iure, sed etiam in rebus solo humano iure prohibitis potest esse Simoniacus: & quoad vtramque partem probatur nobis hic modus dicendi. Quoad primam quidem patet, quia certum omnino est Papam subdi præceptis iuris diuini, sicut quilibet alius homo: propterea enim tenetur credere, sperare, ac diligere, sicut alij fideles ad salutis consequutionem: Sed etiam prohibitio ne vendantur Sacramenta v. gr. est præceptum iuris diuini; ergo subditur illi Papa, ac proinde vendendo Sacramentum Simoniacus esset.

Quoad Secundam verò probatur primò ex duplici testimonio D. Thomæ; quorum primum habetur *artic. præcedenti ad 7.* & secundum habetur *in 4. d. 25. quæst. 3. articul. 3. ad 2.* vbi absolutè & sine limitatione asserit Papam posse esse Simoniacum sicut quemlibet alium hominem. Sed alij homines nedum circa res primi generis, sed etiam circa res secundi generis possunt esse Simoniaci: ergo & Pontifex. Secundò, nam licet possit Pontifex ex rationabili causa orta, pro graui alicuius Ecclesiæ necessitate licitè vendere officium Sacristæ, aut Oeconomi, quod tantùm iure positiuo est prohibitum: similiter & in aliis præceptis iuris positiui ex rationabili causa, potest secum & cum aliis dispensare; tamen si illa officia vendat sine rationabili causa, grauiter peccat, & non nisi peccato Simoniæ, contra ius illud positiuum, quo illorum officiorum venditio prohibita est: ergo. Minor patet, quia tantùm violat illud præceptum; quod tamen non violatur nisi per Simoniæ peccatum: ergo. Tertiò; nam Princeps subditur suis legibus quoad vim directiuam, teste D. Thoma 12. *quæstion. 95. articul. 5.* ac proinde Papa potest peccare contra ius positiuum à se statutum, non seruando illud; ergo etiam poterit peccare contra ius positiuum de non vendendo officia Sacristæ & Oeconomi non seruando illud: ac per consequens peccatum Simoniæ contra ius positiuum committere. Antecedens declaratur: nam Papa frangendo ieiunium quadragesimale sine rationabili causa, peccaret peccato intemperantiæ

22

prohibita iure positiuo, & celebrando sine vestibus sacris, peccaret peccato sacrilegij prohibiti solo iure positiuo, & non nisi quia subditur suis legibus, quoad vim directiuam: ergo. Consequentia verò probatur, nam qua ratione in aliis materiis subditur iuri positiuo, eadem debet subdi in materia Simoniæ: nullum enim inter illas & hanc potest quoad hoc assignari discrimen. Ex quibus ruit fundamentum oppositæ sententiæ.

Vtrum autem de facto Pontifex absque vitio Simoniæ accipiat pretiũ pro beneficiis, canonicatibus, & eorum collationibus, inferius exami-
23 nandum est. Duóque † corollaria infero ex dictis contra Soto *lib 9. quæst. 5. art. 2. ad 2.* Iulium Clarum V. *Simonia n. 6.* & Malderum *tract. 9. de Simonia c. 3. dub. 4.* Primum est quod emens officium Oeconomi à Pontifice est Simoniacus. Secundum est, quod contrahens cum Pontifice aliquã Simoniam, incurrit pœnas iuris pro Simoniacis taxatas. Vtriusque ratio est, quia Pontifex consentiens in talem emptionem, sine causa non dispensat secum in legis prohibitione; ergo neque cum altero, ac proinde pœnas legis non relaxat.

24 DVbitatur tertiò: † *An Simonia ex parte materiæ circa quam versatur, in naturalem, & supernaturalem congruenter dividatur?* Videtur quod sicut datur duplex Religionis virtus, naturalis scilicet & supernaturalis; illa respectu Dei authoris naturæ, & hæc respectu Dei authoris supernaturalis colendi; ita debet dari duplex Simonia, altera naturalis, vel contra naturalem religionem, & altera supernaturalis vel contra supernaturalem religionem, siquidem contrariorum eadem est ratio; ergo. Propter hoc argumentum Suarez *lib. 4. cap. 8. conclusione 4.* existimat simoniam ex parte materiæ sic esse dividendam, vt alia sit naturalis, vel contra virtutem religionis adquisitam; & alia sit supernaturalis, vel contra virtutem infusam religionis. Ex quo infert, in statu purorum naturalium posse esse Simoniam, non tamen eiusdem rationis cum ea, quæ modò est in Ecclesia. Illa enim religioni adquisitæ, hæc verò religioni infusæ aduersatur. Sed quia hæc sententia manet sufficienter impugnata, ex his quæ *dub. 3. art. 1.* docuimus, vbi ostendimus simoniam ex sua intrinseca ratione aduersari religioni infusæ, & ideo defectu huius religionis supernaturalis, nullam posse dari simoniam in statu purorum naturalium, aut inter Paganos circa ea quæ pertinent ad ritum suæ infidelitatis; appositimúsque discrimen inter sacrilegium & simoniam in hoc, quod licet circa res sacras sanctitate purè naturali possit dari sacrilegium, minimè autem simonia. Propterea non est hæc diuisio à Suarez assignata admittenda.

Quare si aliquam diuisionem subit Simonia ex parte materiæ, illa est quæ iuxta quatuor genera rerum spiritualium superius recensita, diuiditur in simoniam qua permutantur res per essentiam sacræ, & in illam qua permutantur res per Ecclesiæ benedictionem sacræ, vel per connexionem, & sic de aliis. Quæ diuisio à nobis explicabitur sufficienter, dum circa singulos modos, & partes ipsius particularia dubia examinanda sunt. Materiæ huius cognitio eò tendit vt sciamus, qua ratione in omnibus illis quatuor generibus rerum spiritualium, & in eorum singulis, Simoniæ vitium committatur. Circa secundam conclusionem videndum est, quibus titulis possint Ministri recipere aliquod temporale à populo pro spiritualium administratione. Et quoniam titulus emptionis & venditionis iure diuino & positiuo est reprobatus, vt dictum est: Alij duo tituli, scilicet laboris & sustentationis, sunt hîc per duo dubia examinandi.

DVbitatur primò: † *An ministri Sacramen-* 25
torum & aliarum spiritualium actionum, pro labore impenso possint accipere pretium temporale? Videtur quod sic propter tria. Primò quia merces in Sacra Scriptura significat pretium operis, & labori debitum, iuxta illud *Matthæi 10. Voca operarios & redde illis mercedem:* Sed ex multis testimoniis eiusdem Sacræ Scripturæ constat, deberi mercedem ministris Ecclesiæ, vt patet ex illo *Numero 18. Dedi omnes decimas in possessionem scilicet filiis Leui pro ministerio quo seruient mihi*: & paulò pòst, *comedetis eas, quia pretium est pro ministerio.* Matth. 10. *Dignus est operarius cibo suo*: & Luc. 10. *Dignus est operarius mercede sua.* Idem etiam decernitur in decretis Pontificum, videlicet Canon. *Clerici 1. quæst. 2. & cap. significatum de prabendis*: ergo. Secundò quia Clericis & quibuscumque aliis dispensantibus spiritualia, debetur stipendium ex iustitia commutatiua, vt colligitur ex decreto Concilij Agathensis *cap. 36.* quod sic habet: *Clerici consequantur stipendia, suis laboribus debita secundum seruitij sui debitum:* Sed nullus est titulus in actionibus spiritualibus, ratione cuius debeatur illud stipendium ex iustitia nisi labor impensus: ergo hic est pretio æstimabilis. Tertiò, quia huiusmodi labor est quid temporale spirituali annexum; Sed quodlibet temporale etiam spirituali annexum potest vendi & locari; ergo labor annexus ministerio spirituali vendi ac locari potest à ministris Ecclesiasticis. Maior est nota, & probatur minor: nam propterea calix consecratus vendi potest ratione materiæ, non habito respectu ad consecrationem, quia illius materia in se temporalis est & pretio æstimabilis, neque ex coniunctione ad consecrationem amisit suum valorem: ergo.

In † hoc dubio duæ versantur sententiæ. Pri- 26
ma absolutè affirmat opera & labores spiritualium actionum locari posse, ac proinde propter hunc titulum licitè posse Ecclesiæ ministros accipere pretium temporale. Ita Bonacina *in 4. d. 25. q. vltima* Ricard. *q. 2. art. 3.* Altiodorensis *in 3. tractatu 21.* Glossa *in cap. significatum de prabendis*, Adrianus *quodlibeto 9. art. 1.* Armachanus *de quæstionibus Armenorum lib. 10. cap. 10.* Panormitanus *in eodem cap. significatum*, & Hostiensis *in summa tit. de Simonia §. Qualiter committatur.* Qui authores diuisi sunt in duos modos dicẽdi. Richardus enim excipiendam esse vult administrationem Sacramentorũ ab hac vniuersali regula, existimans in sola administratione Sacramentorum, laborem non esse pretio æstimabilẽ: reliqui verò nullam faciunt exceptionẽ. Secunda sententia distinguit duplicem laborem; alium per se & intrinsecè annexũ actionibus spiritualibus, cuiusmodi est labor qui sumitur in baptizã-

do

do puero, vel actione concionandi,& similibus. Alterum verò annexum accidentaliter, sine quo actio talis consistere potest, cuiusmodi labor est qui insumitur in itinere duarum leucarum, assumpto ad Sacramentum peragendum, vel ad confessionem infirmi audiendam; & ille quem cantores artificiosa & suaui vocum modulatione in fundendis precibus impendunt. Qua distinctione supposita, docent Authores huius sententiæ pro labore secundi, & non pro labore primi generis posse temporale stipendium accipi à ministris Ecclesiasticis. Ita D.Thomas *in 4. d.25. q.3. art.2. quæstiuncula 2.* Durandus *q. 3. Paludanus q. 5.* Caietanus hîc *dub.2.* Torre *disp. 6.* Sylvester V. *Simonia §.9.* Soto *lib.9.quæst.6.art.1.* Emanuel Sà. V. *Simonia* Toletus *lib. 5. cap.88.* Victoria *in relectione p.2. num.19.* Vala. *d.6.quæst.16.p.2.* Suarez *vbi supra cap.21. & 3. p.tomo 3.disp.86.sect.1.* & Malderus *tractatu 9.c.3.dub.3.* & quia hæc est vera sententia & à nobis tenenda;

27 Pro eius declaratione, dico primò. † Simoniacum est pro labore intrinsecè annexo actionibus spiritualibus accipere in pretium aliquid temporale. Hæc conclusio statuitur aduersus Authores primæ sententiæ,& probatur;Primò, nam actus spirituales gratis debent exerceri, sunt enim de genere illarum rerum de quibus præcipit Christus *Matth. 10. gratis accepistis, gratis date.* Atque nemo dicitur exercere gratis opus, quando pro labore quod est in ipso opere mercedem exigit:ergo. Secūdò,nā teste Paschali Papa *1. q.1. cap.si quis obiecerit*, quisquis horum alterum vendit,sine quo nec alterum prouenit, neutrum inuenditum derelinquit. Sed labor intrinsecus nequit vendi sine substantia ipsius actionis, si neque ipsa actio sine labore huiusmodi potest exerceri, aut locari: ergo. Declaratur Minor; nam licet physicè loquendo, administratio vel actus concionandi,& labor impensus possint distingui & seorsum considerari: tamen quoad moralem distinctionem seorsum vendi non possunt. Sicut enim nunquam emitur aut condicitur opera quæ nullius sit prouentus; ita nunquam venditur aut locatur operatio,quæ nihil habet laboris siue operationis. Confirmatur & declaratur amplius hæc ratio,quia internus labor non æstimatur per se, nisi ratione laboris substantialis, quam habet actus spiritualis: sed valor actus spiritualis non est pretio temporalis æstimabilis, ergo neque internus labor illius. Dices, quod etiam labor antecedens & extrinsecus, non æstimatur nisi propter valorem actus spiritualis; quo pacto labor itineris impensus à Sacerdote ad audiendam confessionem infirmi, propter vtilitatem solius confessionis æstimatur; & nihilominus quia in se temporalis est potest vendi: ergo idem dicendum erit de labore interno. Respondetur nihilominus ad hoc,quod ad laboris antecedē-tis æstimationem, concurrit valor spiritualis actus vt finis intrinsecus operantis,& non exercetur ex principio spirituali,puta ex officio Ecclesiastico:non enim principium itinerandi in Sacerdote,est potestas ordinis aut officium Ecclesiasticum,sed virtus naturalis deambulatoria. Ad æstimationem autem laboris interni concurrit valor spiritualis, ex quo prouenit ipse actus, ac proinde antecedens labor est venalis, secus autem internus;quia ille cùm proueniat à principio naturali, est quid naturale; hic verò cum proueniat à principio spirituali, est quid spirituale.

Quartò probatur ratione Caietani ad hanc formam reducta. Nulli legatario licet plus recipere, quàm habet commissum à principali legante. Sed Dominus disposuit vt ministri Ecclesiastici ratione sustentationis recipiant aliquid temporale: ergo vltra titulum sustentationis non licet eis aliquid recipere, ac proinde Simoniaci erunt aliquid ratione laboris interni recipientes, vt constat ex locis præallegatis Euangelij. Confirmatur ab inconuenienti,nam aliàs tria inconuenientia sequerentur. Primum est quod qui habet gratiam sanitatum,pro curatione infirmorum posset pretium accipere,quod esset actum doni gratuiti vendere. Secundum est,quod ministris Ecclesiæ duplex merces deberetur. Altera ratione administrationis spiritualium, quæ est sustentatio; & altera ratione laboris. Tertium est, quod quilibet artifex absque iniustitia & fraude vltra valorem operis arte facti, posset pretium pro labore impenso exigere,quæ nullatenus sunt admittenda: ergo.

Dico secundò: † labor antecedens & acci- 28
dentalis occupatio vendi & locari potest à ministris Ecclesiæ, dummodo non recipiant amplius quàm valeat valor ipse secundum se, & non secundum spirituale quod ministrant. Hæc conclusio communis est etiam Authoribus secundæ sententiæ, & probatur primò pro prima parte;quia ita disponit Gregorius Papa Episcopo Siracusano *12.quæst.2. cap. Charitatem*, sub hiis verbis. *Visitatores Ecclesiarum, Clericique eorum qui cum ipsis per non suæ ciuitatis parochias fatigantur,aliquid laboris sui capiunt,te disponente,subsidium.* Idem habetur *in cap. relatum ex eadem q.* ergo. Secundò, nam quando quis proficiscitur per decem leucas ad prædicandum, vel audiendam confessionem, potest se indemnem seruare; ergo potest exigere sumptus quos in itinere impendit. Rursus cùm occupatio illa sit merè temporalis,& à principio naturali proueniens,vt dictum est,etiam est venalis:ergo illam poterit vendere. Secunda pars probatur; nam si minister vltra sumptus, & valorem huiusmodi laboris, aliquid amplius acciperet, solùm propter actum spiritualem, iam habito respectu ad spiritualitatem accipit pretium, & illam venderet: sed hoc est pretium Simoniæ: ergo.

Dico Tertiò: † pretium hoc temporale cor- 29
respondens labori antecedenti,potest licitè excedere titulum sustentationis. Hæc conclusio statuitur aduersus Malderum *vbi supra*, qui licet nobiscum in prima & secunda conclusione consentiat, in hac tamen tertia dissentit,existimans non posse ministros Ecclesiasticos pro labore antecedenti exigere vltra id quod correspondet eis titulo sustentationis. Sed nostra conclusio probatur primò, quia aliàs nihil ratione laboris eis deberetur, sed tantùm titulo sustentationis, quod est contra dispositionem Gregorij in locis præallegatis. Secundò, nam sustentatio debetur pro ipsa administratione spiritualium: sed labor antecedens est distinctus ab illa & per se ipsum pretio æstimabilis, ergo aliquid distinctum potest ei correspondere;aliàs non esset labor antecedens magis æsti-

mabilis per se, quàm labor internus actus spiritualis, siquidem vtrique sola sustentatio debetur, quod est absurdum. Tertiò, quia labor antecedens est merè temporalis, nihil spiritualitatis habens; sed quod est huiusmodi, venale est absque vitio Simoniæ; ergo vendi potest talis labor. Verum est, quod si ministri Ecclesiæ exigant plus quàm sumptus itineris & occupationis valent secundum se, peccarent peccato auaritiæ, sed non Simoniæ, nisi haberent respectum ad spiritualitatem actionis.

30 Ad † primum in contrarium dico, quod nomen mercedis æquiuocum est in sacris litteris; aliquando enim extenditur ad significandum præmium quod correspondet meritis, quo pacto beatitudo dicitur merces iustorum: & aliquando extenditur ad pretium quod correspondet operis & laboribus mercenarij; & tandem aliquando extenditur ad significandum stipendium sustentationis, & sic iuxta subiectam materiam his variis modis accipitur. Vnde quando appropriatur actionibus spiritualibus, quia respectu illarum nequit habere rationem pretij, accipitur provt significat stipendium sustentationis, & in hac acceptione sumitur nomen mercedis in testimoniis allegatis ex scriptura, & iure Canonico. Quare iuxta hanc distinctionem distinguenda est maior argumenti. Missam facio aliam explicationem quæ primo testimonio solet adhiberi, quod scilicet ministerium Leuitarum erat omnino temporale, erat enim eis cura dumtaxat portandi tabernaculum, & cubandi iuxta illud, & propterea eis verum pretium pro tali ministerio poterat correspondere, de quo modo non vacat disputare.

Ad secundum nego minorem. Stipendium enim illud sustentationis ex iustitia commutatiua, debetur à populo ministris Ecclesiasticis in alimentum, propter ipsam spiritualium administrationem. Vnde duo habet tale stipendium, quod debeatur in alimentum, & quod debeatur ex iustitia. Ratione primi appellatur *Math.* 10. cibus; ratione secundi appellatur *Lucæ* 10. merces: sed quia non debetur vt pretium, non correspondet labori specialiter, sed toti spiritualium administrationi, vt stipendium necessitatis, quia iustum est vt qui altari deseruiunt de altari viuant.

Ad tertium nego maiorem; quoniam in genere moris & quoad moralem æstimationem, labor intrinsecus spiritualis ab eodem principio est promanans à quo procedit spiritualis actio. Vnde si venditur aut locatur, non ratione sui, sed ratione spiritualitatis censetur vendi, aut locari. Neque est simile in calice consecrato, cuius materia secundum se est temporalis & pretio æstimabilis. Ex quo infero contra P. Sà V. *Simonia*, quod sicut labor internus actionum spiritualium non potest vendi, ita neque obligatio ad spiritualem administrationem potest vendi, v.g. non potest quis obligatione ad concionandum, vel ad sacrum Missæ peragendum pretium exigere absque labe simoniæ, nisi quando obligatur ad aliqua peculiaria onera temporalia, per accidens tali spirituali ministerio annexa. Ratio primi est, quia sicut ministerium est spirituale, ita & obligatio: & sicut labor internus per se, ita neque talis obligatio per se est pretio æstimabilis. Ratio verò secundi est, quia onera ipsa accidentalia vendibilia sunt, puta expectare in tali loco, vel ad talem horam ad celebrandum, vel anniuersaria, & processiones cum speciali solemnitate facere: ergo & ipsa obligatio ad hæc onera vendibilis est, siquidem obligatio sequitur naturam actus, vel rei quam respicit.

DVbitatur secundò: † *An licitè possint ministri Ecclesiastici ratione tituli sustentationis pro actionibus spiritualibus stipendium accipere?* Videtur quod non propter tria. Primò, nam si stipendium sustentationis deberetur ex iustitia ministrantibus spiritualia, non ministrarent illa gratis contra Domini præceptum *Mathæi* 10. *Gratis accepistis gratis date*: ergo non debetur. Antecedens probatur dupliciter. Primò, quia non datur gratis id, pro quo ex iustitia est aliquid debitum: ergo si pro actionibus spiritualibus debetur ex iustitia stipendium, non exhibentur gratis tales actiones spirituales. Secundò, quia famulus accipens ab hero cui seruit victum & vestitum, etiamsi non locet operas suas non dicitur seruire gratis, eo quod recipit stipendium sustentationis: ergo si ministris Ecclesiæ debetur stipendium sustentationis, non ministrant gratis. Secundò, nam ministri diuites qui aliàs habent reditus pingues vnde viuant, nequeunt recipere stipendium pro functionibus spiritualibus. Sed si tale stipendium deberetur pro functionibus spiritualibus, quibuscumque deberetur: ergo signum est illud non deberi, ac proinde non posse licitè recipi. Maior patet, quia tale stipendium non est debitum nisi titulo paupertatis & indigentiæ ministri. Ergo si re vera pauper non est, non debetur ei; ex quo etiam fit consequens quod recipiendo illud, protestetur se pauperem esse quod est pernicioſa simulatio, & quidam modus mendacij. Tertiò, nam ex opposita sententia sequuntur quatuor inconuenientia nullatenus admittenda. Primum est, quod possit paciſci inter ministros Ecclesiæ & eos quibus dispensant spiritualia de quantitate stipendij; quia quilibet potest paciſci de re sibi debita ex iustitia. Consequens tamen est falsum, quia omnia pacta huiusmodi sunt prohibita in iure, vt habetur *in cap. finali de pactis, & cap. tua nos, de Simonia. & cap. quandiu 1. quæst. 2.* Secundum inconueniens est, quod possent Clerici à Laicis huiusmodi stipendium etiam nolentibus exigere, etiam ante spiritualium administrationem, quia vnusquisque id quod sibi debetur, potest contra voluntatem retinentis exigere, & anticipata solutione recipere: quod tamen scandalosum esset, & damnatum à Paulo 1. *Corinth.* 9. vbi damnat eos qui ponunt offendiculum Euangelio: ergo. Tertium inconueniens est, quod aliàs possent ministri Ecclesiæ intuitu talis stipendij spirituales functiones dispensare, ac proinde Canonicus posset quando vadit ad recitandas horas, habere intentionem recipiendi distributiones sine quibus non esset iturus: sed hoc est Simoniacũ, quia iã non gratis horis adesset: ergo. Quartum est quod posset Sacerdos nimis pauper duas vel tres pictantias pro vna missa accipere; siquidem omnibus illis indigeret ad victum & vestitum; sed hoc est fraus & dolus, atque iniuria proximo illata, qui habet ius vt pro vna pictantia gaudeat integro sacrificio vnius 31

missæ:

Missæ : ergo signum est tale stipendium sustentationis non deberi.

32 In hoc dubio communis sententia asserit † iure diuino, naturali, & Ecclesiastico deberi pro functionibus spiritualibus ministris Ecclesiæ congruum stipendium sustentationis. Ita docent D. Thomas *hîc, & quodlibet. 6. art. 11. & quodlibeto. 10. art. 6.* Corduba *lib. 1. quæstionarij quæst. 4.* Abbas *in cap. Episcopus de prabendis.* Hostiensis & Ioannes Andreas *in cap. Postulasti de rescriptis*, Victoria *vbi supra*, Torre *disp. 9.* Sylvester *vbi supra*, Richardus *in 4. d. 25. art. 3.* Durandus & Adrianus *ibidem*, Malderus *vbi supra*, inter quos est duplex modus dicendi. Sylvester & Caietanus in locis prælegatis, Richardus & Adrianus existimant diuites ministros, qui habent aliàs vnde viuant, posse absque vitio Simoniæ sed non absque auaritiæ, atque pernicioſi mendacij labe stipendium exigere sustentationis : Pauperes tamen licicè huiusmodi stipendium accipere posse. Cæteri autem absque vlla distinctione concedunt ministris Ecclesiasticis facultatem licitè exigendi stipendium sustentationis. Pro quorum sententiæ declaratione, dico primò ministris Ecclesiasticis pro functionibus spiritualibus diuino, naturali, & humano iure debetur stipendium necessitatis. Hæc

33 † conclusio probatur ex testimoniis Scripturæ: propterea enim Dominus *Lucæ 10. & Matth. 10.* ait discipulis. *In quamcumque domum intraueritis, dicite, pax huic domui, &c.* Et statim subdit. *Et in eadem domo manete edentes & bibentes, quia dignus est mercenarius mercede sua:* vel stipendio necessario ad victum & vestitum. Et Paulus *1. Cor. 9. nunquid non habemus potestatem manducandi & bibendi ?* Ac si diceret, potestatem habemus & ius exigendi à vobis victum & vestitum. Quod probat exemplo militis, Agricolæ, & pastoris : quia sicut miles pro stipendio militat; Agricola ex vinea quam plantat, & pastor de grege suo habet ius percipiendi fructus ; ita qui Sacrario operantur, quæ de Sacrario sunt edunt ; & qui altario deseruiunt, cum altario participant : ita & Dominus ordinauit hiis qui Euangelium annuntiant, de Euangelio viuere. Idem argumentum prosequitur Apostolus *1. ad Timoth. 5. 1. ad Thessalon. 2. & ad Rom. 15.* ex quibus locis colligitur, ex diuino præcepto populum teneri ad congruum ministris Ecclesiasticis exhibendum sustentationis stipendium. Quod autem sit de iure naturali probatur, quia hoc præceptum continetur in lege Euangelij, vt dictum est : ergo cùm non sit de pertinentibus ad Sacramenta, erit naturale, siquidem lex Euangelij nulla habet præcepta præter illa quæ sunt de Sacramentis, & iure naturæ. Tum etiam quia propterea eodem iure debentur decimæ Sacerdotibus, vt ex illis habeant congruam sustentationem : ergo. Tum etiam quia iure naturali tenetur populus alere suis bonis temporalibus Sacerdotes, à quibus accipiunt bona spiritualia, & illos in pretio habere: sed ad eorum alimentum, & æstimationem conseruandam necessarium & congruum est decens stipendium : ergo. Tandem quod debeatur ex iure humano Ecclesiastico probatur, quia ita dispositum est à Summis Pontificibus in multis decretis quæ habetur *1. quæst. 2. & 12. q. 1. & 10. q. 1. & titulo de prabendis*, atque *titulo de Simonia.*

Dico secundò ; † non est illicitum Ecclesiasticis quantumuis diuites sint, accipere stipendium sustentationis. 34 Hæc conclusio statuitur aduersus Authores primi modi dicendi: Et pro eius declaratione aduertendum est dupliciter posse ministros Ecclesiæ habere vnde viuant; vel ex patrimonio amplo, vel ex aliquo Ecclesiastico officio siue beneficio, & vtroque modo asserimus in conclusione ministris diuitibus licere exigere & accipere stipendium per se loquendo, vel secluso scandalo. Nam ratione scandali aliquod peccatum esset contra proximorum charitatem, si Clerici prædiuites huiusmodi stipendia exigerent.

Vnde † in hoc sensu probatur nostra con- 35 clusio primò ; nam ex testimoniis Scripturæ prælegatis constat ministros Ecclesiasticos, absolutè & sine discrimine posse sustentationis stipendium à populo exigere : sed vbi lex non distinguit, neque nos distinguere debemus, iuxta communem regulam iuris : ergo. Confirmatur, nam Paulus *1. ad Cor. 9.* comparat in hoc ministros Ecclesiæ militibus temporalis militiæ: sed militibus istis etiamsi aliàs diuites sint, licet accipere militiæ stipendium vtpote ipsis debitum, sicut pauperibus : ergo & ministris diuitibus etiam licet suæ spiritualis militiæ debitum accipere. Secundò probatur, nam hoc stipendium debetur ministris ratione officij spiritualis : sed huiusmodi officium ita liberè exercetur à diuitibus, atque à pauperibus ministris, quando ex officio non tenentur spiritualia ministrare; ergo ex æquo licet vtrisque accipere stipendium. Minor declaratur, nam dupliciter potest Sacerdos diues ministrare Sacramenta vel concionandi munus. Primò voluntariè absque officij obligatione. Secundo modo ex officij obligatione, vt quando parochus exercet illas spirituales functiones ad quas ex vi officij sui tenetur, & ratione quarum recipit fructus beneficij. Quando igitur Sacerdos hoc secundo modo ministrat spiritualia, neutiquam potest stipendium aliud exigere : sed quando primo modo spiritualia dispensat etiamsi diues sit, voluntariè exercet functionem spiritualem ad quam non tenetur, ac proinde non minus liberè quam pauper; ergo idem stipendium potest exigere quod potest exigere pauper. Tertiò probatur ratione qua vtitur D. Thomas in locis allegatis ad hanc formam reducta. Quod debetur ex iustitia, independenter à quacumque conditione personæ debetur, eò quod medium iustitiæ consistit in æqualitate rei ad rem, non habito respectu ad personas inter quas fit contractus. Sed stipendium sustentationis debetur ministris Ecclesiasticis ex iustitia, sunt enim milites spirituales quibus stipendium militiæ spiritualis debetur, non minus quàm militibus militiæ corporalis : ergo non habito respectu ad conditionem personæ debetur ministris stipendium, siue pauperes sint, siue diuites.

Ad primum † in contrarium nego antece- 36 dēs. Ad primam probationem distinguo antecedens. Si id quod debetur ex iustitia debeatur tanquam pretium, concedo; si non debeatur vt pretium, sed tantùm vt stipendium necessitatis, nego antecedens: stipendium autem non vt pretium pro actione spirituali, sed vt supplementum necessitatis debetur, & propterea non tollit quominus gratis spiritualis actus dispensetur. Ad

secundam

secundam nego consequentiam. Disparitas est duplex. Primò quod famulus accipit ab hero victum & vestitum, tanquam pretium; ministri verò Ecclesiæ non pretium, sed stipendium accipiunt suæ indigentiæ. Secunda quod victus & vestitus acceptus à famulo, commensuratur eius operis & labori, illisque correspondet. Victus verò & vestitus acceptus à Clericis, neque actionibus neque labori annexo commensuratur, neque illis correspondet, sed soli indigentiæ cui populus per se loquendo tenetur subuenire. Et propterea famulus accipiens victum & vestitum non gratis seruit, Clericus verò accipiens stipendium gratis ministrat.

Ad secundum principale nego maiorem. Ad probationem nego consequentiam. Nam licet re vera Clericus pauper non sit, hoc est per accidens, & ideò non obstat quominus ratione officij quod voluntariè exercet, & propter indigentiam quam per se respicit populus in ministris Ecclesiasticis, possit stipendium exigere, licet deficiat dum illud accipit à perfectione Euangelica supererogationis, à qua non deficeret, si pauper esset. Dices, cessante fine cessat obligatio. Sed finis præcepti obligantis populum ad stipendium est indigentia Clerici: ergo hac cessante cessat obligatio. Tunc vltra; at ista cessat in Clerico prædiuite: ergo. Ad hoc respondetur dupliciter; Primò quod maior est falsa maximè quando finis cessat per accidens, & in particulari respectu vnius, vel alterius, imo tunc finis legis non cadit sub lege, etiam deficiente fine non deficit obligatio legis; ac proinde licet finis huius legis sit indigentia Clerici, & hæc deficiat respectu huius, nihilominus manet lex obligans populum ad stipendium. Secundò respondetur concedendo totum vsque ad primam consequentiam, & negando minorem subsumptam, quia indigentia non cessat totaliter in Clerico prædiuite propter duo. Tum quia licet sibi habeat sufficientiam, potest illam non habere pro consanguineis pauperibus, quorum indigentiæ vt suæ vult subuenire ex tali stipendio: tum etiam quia potest in pauperiem deuenire, ad quam præcauendam potest exigere stipendium. Vnde cum huiusmodi consanguinea, vel aptitudinalis indigentia Clerici non cesset, ideo neque finis legis cessat, & consequenter neque legis obligatio.

Ad tertium, vt pro dignitate respondeamus,
37 † examinanda sunt singula inconuenientia. Circa primum de pactis, duplex est modus dicendi. Primus asserit quod huiusmodi pacta circa taxationem stipendij inter personas priuatas licitè possunt fieri, eo quod stando in iure diuino nullum peccatum est paciscì inter partes de stipendio sustentationis, quando non est lege aut consuetudine taxatum: stando verò in iure positiuo, licet huiusmodi pacta prohibeantur, vt habetur *in cap. vltimo de pactis, & in cap. tua nos de Simonia, & cap quidquid 1. quæst. 1. & c. sicut Episcopus 1. quæst. 2.* nihilominus per consuetudinem iam abrogatum est ius positiuum in hiis capitulis contentum; & ideo illo non obstante licitè fiunt conuentiones & pacta de stipendio sustentationis, aliàs non taxato. Ita Torre hîc *disput. 11.* & Malderus *tractat. 9. cap. 3. dub. 6. §. quidam tamen*, sequuti Victoriam, & Zenedo, *quæst. 2. num. 10.* & Soto *in locis præallegatis.* Secundus modus asserit, quod licet stando in iure diuino licitè possent fieri huiusmodi conuentiones, stando tamen in iure positiuo sunt vetitæ, ac proinde Simoniacæ. Ita insinuat D. Thomas *art. 3. ad 2.* dicens, si spiritualia pacto interueniente fiant, Simonia est. Et eundem modum sequuntur Caietanus *ibi*, & *in summa. V. Simonia, regula 4.* Syluester *ibidem §. 3.* cum hac limitatione, nisi adsit necessitas magna ministri indigentis, & Victoria *in commentariis ad hunc articulum*, illum vt probabiliorem sequitur.

Quare iuxta hunc modum dicendi conclusio 38
à nobis tenenda sit. Stando † in iure diuino non est Simoniacum pactiones facere de stipendio sustentationis aliàs non taxato, bene tamen secundum ius positiuum, nisi vrget ex parte ministri necessitas paciscendi. Quæ habet tres partes probandas. Prima approbatur ab omnibus tam primi quàm secundi modi dicendi authoribus. Primò, quia stando in iure diuino solùm committitur Simonia in contractu emptionis & venditionis rerum spiritualium; pactum autem non est emptio aut venditio, vnde paciscì de vasibus ac vestibus sacris ad faciendum sacrum necessariis, secundum ius diuinum & naturale non est Simoniacum: ergo. Secundò, quia exigere, velle, & accipere stipendium debitum ex iustitia pro actibus spiritualibus non est ex natura rei Simoniacum; sed pactum non mutat naturam rei super qua fit pactum: ergo neque erit Simoniacum ex natura rei velle & accipere stipendium ex pacto: ac proinde neque secundum ius naturale & diuinum, quod solùm prohibet ea quæ ex natura rei sunt mala. Dixi in conclusione de stipendio aliàs non taxato. Nam suppono quod taxatio iusta debiti stipendij fieri debet (vt sic habet D. Thomas) aut per legem & statuta à Superioribus Prælatis, aut per consuetudinem approbatam obtinentem vim legis. Quæ dupliciter fieri potest, aut imponendo metametrum augmẽto, ne scilicet accipiant vltra talẽ quantitatem, aut versus paruitatem, ne scilicet ministri accipiant minorem quantitatẽ quàm sit taxata. Quod si primo modo taxatio habeatur per legem aut per consuetudinem approbatam, nequeunt ministri absque labe Simoniæ illam excedere, aut contra illam paciscì. Si autem secundo modo habeatur taxatio, non tenentur illam seruare ministri, vtpote cùm sit iniusta lex & iniqua consuetudo ministrorum impediens liberalitatem & augens cupiditatem, ac proinde possunt contra illum pactum inire de minori pretio, citra taxatum recipiendo. Quando autem neque lege neque consuetudine est taxatum stipendium, tunc locum habet nostræ conclusionis prima pars, videlicet quod possint absque labe Simoniæ stando in diuino iure fieri pactiones de quantitate stipendij.

Secunda † pars conclusionis probatur pri- 39
mò, quia in decretis allegatis habetur expressa prohibitio harum conuentionum, quam tempore D. Thomæ certum est nondum esse abrogatam: aliàs non dixisset eas conuentiones esse Simoniacas: neque ex eius temporibus vsque ad nostra fuisse per consuetudinem abrogatum ius positiuum Ecclesiæ tot Canonibus & decretis sancitum: aut Ecclesiam ciúsque superiores contra ius ita expressum,

contrarium

contrariam consuetudinem approbare credendum est: ergo talia pacta non excusantur à vitio Simoniæ, licet aliquando personæ priuatæ ob ignorantiam à peccato excusantur. Secundò probatur, nam huiusmodi pacta sunt contractus commutatiui, habentes speciem emptionis ac venditionis tollentis rationem gratuitæ donationis: fiunt enim sub hac forma. Concionabor si des mihi 20. drachmas, quæ est figura contractus, & ob hanc speciem prohibita sunt à iure positiuo; ergo contraria consuetudo non est approbanda: maximè quia adhuc viget decretum Concilij Tridentini *sess.* 22. vbi prohibet sancta Synodus omnes circa Missas mercedum cõditiones & pacta, eo quod à labe Simoniæ & turpi quæstu non longè absunt. Tertia pars probatur, quia cùm necessitas careat lege, non est credendum præallegatos Canones prohibere pactiones de stipendio, quando ministri sunt nimis indigentes, & non possunt stipendium exigere competens nisi interueniente conuentione: ergo ratione necessitatis excusantur huiusmodi conuentiones à vitio Simoniæ. Confirmatur ratione Caietani, nam articulus solus necessitatis supplet, quod iustitia deberet efficere apud populum spiritualia recipientem, qui tenetur ministros spiritualium sustentare, & ad quos superiorum authoritas deberet cogere populum: ergo extra illum nequit Superiorum authoritas & populi iustitia suppleri; ac proinde consuetudines contrariæ de paciscendo in aliquibus Ecclesiis pro stipendio anniuersariorum, aut similium, solùm excusandæ sunt, quando aut adest necessitas, aut interuenit Superiorum authoritas approbans illas; dominus enim eas approbat, & taxatio non à priuatis personis, sed à Superioribus ad quos spectat talis taxatio, videtur prouenire.

40 Circa secundum inconueniens, † de iure ad exigendum stipendium à laicis nolentibus illud soluere, ante spiritualis actus dispensationem: duplex est modus dicendi. Primus est Caietani *in summa, loco citato*, quod licitum est cogere laicos ad subuentiones statutas authoritate Superioris exhibendas: quia huiusmodi stipendia statuta sunt in subsidium ministrorum, sicut decimæ, & proinde possunt cogi laici ad illorum solutionem, sicut de facto solent cogi ad soluendas decimas: debent tamen Prælati & eorum Officiales prius exhibere gratis spiritualia, ne nomen Clericorum blasphemetur tanquam auarum, & quasi venalia spiritualia reputans. Secundus est Victoriæ, Syluestri V. *Simoniæ* §. 3. & sequentibus, asserentium quod secundum ius diuinum vtrumque licet; secus stando in iure positiuo, & ratione scandali. Idem docet D. Antoninus 3. *p. tit.* 1. §. 16. sed vtrumque possumus ad concordiam reducere per has tres propositiones.

41 Prima propositio est; † cessante scandalo licitum est exigere à laicis nolentibus stipendium debitum pro sustentatione. Hæc probatur, quia hæc exactio non constituit contractum emptionis & venditionis, neque tollit gratuitam donationem, solùm autem est Simoniacus contractus obstans gratuitæ donationi spiritualium: ergo. Confirmatur, nam secundum ius naturale & positiuum, cessante scandalo vnicuique licet exigere quod est sibi debitum ex iustitia, & ad quod habet ius: ergo cùm Clerici habeant ius ad stipendium quod ipsis debetur à laicis, ex iustitia licitè poterunt illud exigere: aliàs daretur bellum iustum ex vtraque parte, si laicis illud denegantibus iniustè, etiam iniustè exigeretur à Clericis, quod in hoc casu non est admittendum. Secunda propositio est, † ratione 42
scandali imminentis illicita erit talis exactio, sed non Simonaica. Probatur, nam teste D. Th. *supra q.* 43. *art.* 8. quando imminet scandalum proximo, tenemur omittere bona temporalia propria, & ab eorum recuperatione cessare: ergo si proximus ex tali exactione scandalum sumat, Ecclesiasticos quæstus turpi Simoniæ nota inurens, tenetur Clericus stipendij exactionem omittere. Confirmatur, nam propterea Paulus 1. *ad Cor.* 9. probat, quod licet ministris Ecclesiæ exigere stipendium, non tamen licet ponere offendiculum Euangelio. Sed exigere stipendium cum scandalo populi, est ponere offendiculum Euangelio: ergo non licet. Et quoniam peccatum illud solùm esset scandali, quod est contra charitatem & non contra Religionem, vt docet D. Thom *in q. cit.* 43. *art.* propterea non esset illa exactio Simoniaca. Tertia propositio, † exigere stipendium ante administrationẽ 43
rei spiritualis, non est illicitum stando in iure diuino, bene tamen stando in iure positiuo. Probatur quoad primam partem, quia hæc exactio anticipata non est emptio aut venditio, neque obstat gratuitæ donationi, vel administrationi ex natura rei. Sed ius diuinum naturale solùm prohibet in hac materia contractus, qui gratuitæ donationi contrariantur: ergo. Confirmatur, nã hæc exactio solùm est pactum secundum apparentiam & præsumptum; sed ius diuinum vt dictum est non prohibet pacta etiam vera nedum præsumpta: ergo. Quoad secũdam partem probatur, quia ius positiuum prohibet omnia pacta & conuentiones inter priuatas personas: sed qui non vult administrare rem spiritualẽ, nisi prius detur debitum stipendium, præsumitur inire pactum de stipendij quantitate, imo virtualiter & implicitè pactum facit, quod non habet minorẽ speciem Simoniæ quàm si expressum esset: ergo pariter est prohibita iure positiuo talis exactio anticipata, vt Simoniaca & scandalosa, vel saltem vt habens speciem & similitudinem Simoniæ: ac proinde prius ministri Ecclesiastici debẽt administrare spiritualia, vt sic ostendant se gratis administrare, & postea stipendium exigere, nisi eis sponte à laicis ante administrationem exhibeantur. Hæc enim anticipata receptio sicut exactionis, ita Simoniæ specie caret.

Circa tertium, † an liceat spiritualium admi- 44
nistrationem ad stipendium ordinare, triplex est modus dicendi. Primus est Durand. *in* 4. *d.* 25. *q.* 4. Rosel. *in summ. V. Simonia*, asserentium Simoniacum esse mentalem eum, qui ita dispẽsat spiritualia propter stipendium, vt sine illo non dispensaret, & qui ita vadit ad horas recitandas, vt aliàs non esset iturus. Horum fundamentum est, quod putent hanc intentionem sufficere ad Simoniam mentalem. Secundus modus dicẽdi asserit duplicem intentionem Simoniacam posse contingere: alteram qua intendit quis habere temporale vt pretiũ pro collatione rei spiritualis: & alteram qua intendit quis temporale stipendium tanquam principalem finem. Ita Caiet. *in summ. V. Simonia. §. Circa tertium caput.* Quem sequuntur Nauarrus *in manuali cap.* 23.

num. 100. Cordúba *lib.* 1. *quæſt.* 32. *art.* 1. & ex antiquis Theologis Maior *in* 4. *d.* 15. *q.* 29. Alenſis 4. *part. membro* 3. *art.* 2. Altiſiodorenſis 3. *part. tractatu* 27. *cap.* 2. *qu.* 2. & Gloſſa *cap. vnico de Clericis non reſidentibus in* 6. *V. receperit.* Fundamentum horum eſt, quia exiſtimant collationem rei ſpiritualis vt vindicetur ab omni labe Simoniæ, debere eſſe liberam ab omni intentione accipiendi ſtipendium vt finem principalem: eo enim ipſo quod eius motiuum principale eſt ſtipendium, iam talis diſpenſatio non fit gratis, ſed propter commodum temporale.

Tertius eſt Victoriæ hîc, & Torre, *diſput.* 2. *articul.* 6. & Suarez *lib.* 4. *de Simonia cap.* 44. aſſerentium quod ſi collatio ſpiritualis fiat cum intentione accipiendi ſtipendium pro illa, tanquam finem principalem ad quem ordinat illam, eſt peccatum, non quidem ſemper lethale, ſed vt in plurimum veniale, ex inordinata cupiditate proueniens. Diſcrimen tamen inter hos Authores eſt, quod Victoria nomine finis principalis, illum ſine quo res ſpiritualis non diſpenſaretur: alij verò nomine finis principalis, non hunc (qui tantum eſt cõcomitans) ſed illum ad quem ſpiritualis actio ordinatur ex intentione operantis, intelligunt.

45 Sed † omnes iſti modi deficiunt à veritate. Primus quidem improbatur, nam idem eſt obiectum Simoniæ interioris, & exterioris. Sed proprium & adæquatum obiectum Simoniæ exterioris, eſt commutatio rei ſpiritualis pro pretio & non tanquam pro ſtipendio; ergo & idem eſt Simoniæ interioris, ac proinde quandiu non adeſt intentio conferendi ſpiritualia propter pretium, non ſaluatur mentalis Simonia. Confirmatur ex eo, quod aliàs damnandi eſſent tanquam Simoniaci omnes Canonici, & Beneficiati, qui ſic ad temporale reſpiciunt commodum; quod ſi hoc non eſſet, neque ad chorum irent, neque Miſſam celebrarent; quod tamen eſt inconueniens, & contra Pontificum decreta *in cap. Cum eſſet, de Simonia. cap. Cum ad noſtram, de electione. & cap. Si officia d.* 59. & quia hoc eſſet damnare maiorem partem ſtatus Eccleſiaſtici; cum in illo pauci ſint qui ſecundariò ſaltem tanquam ad finem ſine quo non miniſtrarent, commodum temporale non reſpiciant: ergo.

Secundus etiam deficit, quia dupliciter poteſt ſtipendium intẽdi vt finis principalis; Vno modo vt finis principalis proportionatus, & vt reſpondens labori operis ſpiritualis: Secundo modo tanquam finis principalis proportionatus, & correſpondens indigentiæ & ſuſtentationi miniſtri, ad quem ordinat talem operationem. Si primo modo, iam intenditur tanquam pretium, & ſic eſt Simonia mentalis; Si ſecundo modo, non intenditur niſi vt ſtipendium. Sed hæc intentio non ſufficit ad Simoniam mentalem, vt dictum eſt, quia non opponitur gratuitæ donationi: ergo adminiſtratio ſpiritualis ob talem finem non eſt Simoniaca. Et in hoc aberrauit hæc ſententia ab ſcopo veritatis. Tertius deficit iuxta primam intelligentiam Victoriæ, quia quamuis ſit opus minus perfectum adminiſtrare ſpiritualia, propter ſtipendium tanquam propter finem ſine quo non, perfectius namque eſſet abſque vllo reſpectu ad temporale commodum ſpiritualia adminiſtrare; nihilominus nullum peccatum etiam veniale in hoc committitur: nulla enim irreuerentia in hoc committitur rebus ſacris: ergo. Antecedens patet, quia quod licitè & abſque irreuerentia fit, licitè & abſque irreuerentia poteſt intendi, cùm intentio non variet naturam rei ſupra quam cadit: ſed licitè & abſque vlla irreuerentia poſſunt pro adminiſtratione ſpiritualium accipi ſtipendia; ergo & hoc poteſt licitè intendi. Confirmatur, nam ex hoc ſequuntur eadem inconuenientia quæ ex primo intulimus. Deinde iuxta ſecundam aliorum intelligentiam patet, quia ordinare diſpenſationem ſpiritualium ad ſtipendium tanquam ad finem principalem, hoc eſt tanquam ad id cuius gratia fit talis diſpenſatio, eſt inferre grauem irreuerentiam rebus ſpiritualibus; ac proinde eſt ſacrilegium in materia graui, quod ſemper eſt mortale; ergo nequit eſſe veniale ſolum. Confirmatur, nam qui ſic Miſſam, v. g. ordinat ad ſtipendium tanquam medium ad finem cuius gratia, inordinatè vult Miſſæ ſacrificium offerre, illud ſtipendio poſtponendo, quod abſque graui contemptu ſpiritualis ſacrificij non poteſt fieri; ergo neque abſque peccato lethali.

Verus † igitur modus dicendi colligitur ex 46
D. Thoma *quodlib.* 8. *art.* 11. quem ſequitur D. Ambroſius *p.* 2. *tit.* 1. §. 17. Malderus *tractat.* 9. *de Simonia cap.* 3. *dub.* 6. §. *& nihilominus.* Verba autem D. Thomæ hæc ſunt. *Si huiuſmodi diſtributiones reſpicit quaſi finem ſui operis principaliter intentum Simoniam committit, & ideo mortaliter peccat; ſi autem habet principalem finem Deum in tali actu, & ad huiuſmodi diſtributiones reſpicit ſecundariò non quaſi in finem, ſed ſicut in id quod eſt neceſſarium ad ſuam ſuſtentationem; conſtat quod non vendit actum ſpiritualem, & ita Simoniam non committit, nec peccat.* Ex quibus patet, quod ſi ſtipendium conſtituitur vt finis principalis ipſius operis, committitur Simonia; quia tunc intenditur ſtipendium tanquam pretium. Si autem conſtituatur, vt finis ſecundus & concomitans, nullum committitur peccatum. Et tandem ſi conſtituatur ſtipendium vt finis principalis, non operis, ſed operantis ad temporale commodum pro ſuſtentatione ordinantis ſpiritualem actum, licet non colligatur ex prædicto teſtimonio quam habeat malitiam, ex ratione tamen colligitur, eſſe lethale peccatum ſacrilegij mentalis & inordinatæ cupiditatis, atque radicalis Simoniæ, dum magis æſtimat ſtipendium temporale, quàm rem ſpiritualem.

Circa quartum inconueniens: † An ſcilicet 47
duas pictantias pro vna Miſſa liceat Clerico indigenti recipere? duplex eſt ſententia extremè oppoſita. Prima affirmans, quod Clerici neceſſitas nequit vnica pictantia ſubleuari, eò quòd ſtipendium correſpondet neceſſitati miniſtri. Si duplex pictantia eſt neceſſaria ad miniſtri indigentiam ſubleuandam, poteſt abſque iniuſtitia duplicem pictantiam pro vna Miſſa accipere. Ita Soto *lib.* 9. *de iuſtitia & iure q.* 3. *art.* 3. *dub.* 3. eandem ſequi tenetur Caietanus qui *opuſculo de ſacrificio Miſſæ qu.* 18. putat Miſſæ ſacrificium perinde pluribus prodeſſe ac vni, ſi pro vno tantùm offerretur. Secunda eſt negatiua quam ſequitur Zenedo *in lib. Canonicarum quæſtionum qu.* 27. ſequutus Nauarrum *in Manuali cap.* 25. *num.* 92. *& lib.* 3. *titulo de celebratione Miſſarum, conſilio* 6. *&* 7. Fundamentum horum

eſt,

est, quia in huiusmodi stipendiis dandis ac recipiendis, licet ratio pretij non interueniat, tamen interuenit ratio iustitiæ, ac proinde aliquod medium æqualitatis constituendum est inter dantem & accipientem; & cùm hoc medium non sit ex natura rei taxatum, debet communi lege, vel superioris authoritate vel consuetudine approbata taxari. Ergo sicut non licet absque læsione iustitiæ venditori, in rebus venalibus pretium potestate publica definitum excedere; ita neque licet Clericis absque læsione medij iustitiæ accipere vltra taxatum stipendium à superioribus. Huic accedit alia ratio desumpta ex limitatione & finitione sacrificij: quod licet vt Sacramentum & quantum ad res contentas sit infinitum, tamen in ratione sacrificij oblati à Sacerdote media actione finita est valoris finiti, ac proinde quò pluribus applicatur, minus eis prodest, vt fatentur ipse Soto *vbi supra quæst.2. artic. 2. conclusione 3.* Suar.*tomo 4.in 3. p.disputat.48. sect.6.*& Nunno *3.p. quæst.84. articul.1. dub.* 8. eo quod quò res finita in plures partitur, eò minor vnicuilibet contingit portio.

48 Sed hiis non obstantibus † prima sententia est tenenda cum duplici limitatione à Soto assignata. Prima est, quod pictantia pro vna missa assignata non sufficiat diario victui Sacerdotis. Secunda est quod non habeat Sacerdos aliunde necessaria ad victum & vestitum. Tertia est, quod non promiserit expresse se pro erogante eleemosynam solo Missam oblaturum; tunc licebit illi duplicem & non amplius pro vna Missa accipere pictantiam. Quod probatur, tum argumento facto pro prima sententia, tum etiam quia Sacerdos habet ius ad viuendum de altario suo: ergo dum pro vna missa accepit duplicem pictantiam ad victum & vestitū necessariam vtitur iure suo, ac proinde non peccat, quia nullus peccat vtens iure suo. Quod autem non liceat absque illa, triplici limitatione patet; quia si pictantia taxata esset sufficiens ad victum & moderatum vestitum, aut si haberet aliàs vnde honestè viueret, deficit titulus necessitatis, ratione cuius solius habet Sacerdos ius ad duplicem pro vno sacrificio pictantiam: si autem expressa promissio intercessit, iam tenetur ratione fidelitatis & pacti aliam non recipere; & consequenter debet pro illo solo qui vnam missam pro vna pictantia postulat, sacrificium integrum offerre. Et ex hiis patet ad fundamenta alterius sententiæ. Ad primum enim negatur consequentia, quia nullus lædit medium iustitiæ vtendo iure suo. Ad secundum etiam admisso antecedenti, nego consequentiam; quia licet sacrificium pluribus applicatum, minus illis, quàm soli vni prodesset, absque iniuria tamen priuatur illa maiori portione sacrificij, qui insufficientem pictantiam tribuit pro vna missa Sacerdotibus, necessariis ad victum & vestitum indigentibus.

ARTICVLVS III.

Vtrum liceat dare & accipere pecuniam pro spiritualibus actionibus?

ARTICVLVS IV.

Vtrum sit licitum pecuniam accipere pro hiis quæ sunt spiritualibus annexa?

SVMMARIVM.

1 *Pro enodatione duplicis huius articuli considerandum est quadrimembris diuisio rerum spiritualium in præcedentibus relata.*

2 *An aliquo pacto liceat emere aut vendere res primi generis, scilicet Sacramentalia & alia per essentiam Sacra?*

3 *Referuntur quatuor modi dicendi circa dubium, An titulo redimendæ vexationis liceat pro Sacramentis pecuniam offerre?*

4 *Quadrupliciter potest casus de petente à Sacerdote auaro Baptismum, contingi.*

5 *Quibus positis primus & secundus modus dicendi deficiunt à veritate.*

6 *Quarta sententia in quarto casu ab Authore assignata, est valde probabilis.*

7 *Licitum est in tertio casu offerre pecuniam auaro Sacerdoti pro redimenda vexatione, secus autem pro emendo Sacramento.*

8 *Refertur duplex modus dicendi circa omissionem administrationis Sacramenti, siue alterius cuiuscumque actus spiritualis, An scilicet sit materia Simoniæ nec ne.*

9 *Actus spirituales sunt in triplici differentia, vti & omissiones actuum spiritualium siue negationes*, ibid.

10 *Negatio siue omissio actus spiritualis, quando regulantur à potestate ad quam pertinet actus oppositus, talis omissio est materia Simoniæ.*

11 *Pro ingressu & receptione ad habitum vel professionem non licet absque vitio Simoniæ aliquod subsidium temporale accipere vel offerre.*

12 *Discriminantur Authores in tres modos dicendi circa dubium; An liceat absque vitio Simoniæ aliquid recipere pro sustentatione Religiosi, præcipuè quando monasterium indiget.*

13 *Monasterio exiles reditus habenti non sufficientes ad recipiendorum sustētationem, licitum est exigere & accipere necessaria ad sustentationem ingredientis.*

14 *Monasterium opulentum à recipiendis exigens vel accipiens pecuniam ex pacto, neque Simoniacum est verè & realiter, stando in iure diuino ac naturali, neque stando in iure positiuo.*

15 *Nihilominus si monasterium nullam habens indigentiam, à recipientibus ex pacto quidpiam exigat pro sustentatione, peccatum auaritiæ & Simoniæ præsumptæ committit.*

16 *Respondetur ad fundamenta vtriusq; sententiæ.*

17 *An res ſpirituales ſecundi generis ſcilicet veſtes, vaſa, & alia per Eccleſiæ benedictionem ſacra poſſint abſque labe Simoniæ ratione materiæ vendi?*

18 *Pars negatiua ſuadetur tripliciter.*

19 *Quibus non obſtantibus verior & communior eſt ſententia affirmans, quæ etiam triplici argumento probatur.*

20 *Reſpondetur ad argumenta in contrarium adducta.*

21 *An liceat res tertij generis ſcilicet officia & beneficia ſpirituali titulo annexa, aliqua ratione emere, aut pretio temporali permutare?*

22 *Pars affirmatiua quinque argumentis ſuadetur.*

23 *Sententia negatiua tanquam verior probatur, ſoluendo difficultates quæ in ſingulis argumentis tanguntur.*

24 *Authores diuiduntur in tres modos dicendi circa dubium, An ſcilicet vendere officia Eccleſiaſtica, quantum ad temporale emolumentum ex titulo & officio ſpirituali reſultans, ſit Simonia ſolo iure Eccleſiaſtico vel etiam diuino prohibita?*

25 *Quorum tertius modus, aſſerens quod vendere beneficia Eccleſiaſtica etiam intuitu ſolius temporalis emolumenti ſit Simonia contra ius Eccleſiaſticum, diuinum & naturale, adeóque à Papa indiſpenſabilis, pro concluſione ſtatuitur & probatur.*

26 *Reſpondetur ad contrariorum fundamenta.*

27 *Vendens beneficium Sacerdoti indigno triplicem violat virtutem.*

28 *Beneficia non ſolent authoritate Pontificis vendi, niſi eiuſdem authoritate prius fiat ſeparatio fructuum beneficij à titulo & officio ſpirtuali.*

29 *Commendæ quæ dantur propter aliquod miniſterium ſpirituale, non poſſunt vendi ſine vitio Simoniæ.*

30 *Commendæ ſecundi generis poſſunt vendi ſine vitio Simoniæ.*

31 *Vendere commendas ſecundi generis illicitum eſt & contra iuſtitiam diſtributiuam, niſi authoritate Pontificis id fiat ex rationabili cauſa.*

32 *Referuntur duæ ſententiæ de præſtimoniis: An ſint beneficia Eccleſiaſtica, & an poſſint vendi necne?*

33 *Præſtimonia nequeunt vendi ſine vitio Simoniæ.*

34 *Illud ſpirituale cui ſunt annexi fructus præſtimoniales nihil aliud eſt quàm ordo Clericalis cum obligatione diuinum officium recitandi.*

35 *Referuntur duo modi dicendi de penſionibus.*

36 *Penſiones quæ propter temporale miniſterium conſignantur, ſine vitio Simoniæ poſſunt vendi, ſtando in iure diuino.*

37 *Penſiones quæ ob titulum ſpiritualem conſignantur, neque emi, neque vendi poſſunt ſine vitio Simoniæ.*

38 *Quotieſcumque aliqua penſio eſt vendibilis etiam eſt redimibilis, & econtra.*

39 *Stando in iure nouo conſtitutionis Pij V. nulla penſio Eccleſiaſtica vendi poteſt ſine vitio Simoniæ.*

40 *Examinatur argumentum de iure patronatus Canonico, de quo dubitatur an vendere huiuſmodi ius, ſit Simonia ſolo iure Eccleſiaſtico prohibita, vel etiam diuino?*

41 *Sententia quæ aſſerit ius patronatus Canonicum eſſe temporale ſecundum ſe, & ſolùm propter annexionem reputari ſpirituale, & ex Eccleſiæ ſolius prohibitione eſſe inuendibile, eſt veritati conformior, & ab Authore probatur.*

42 *An res quarti generis, ſcilicet ſepulturæ locus, Officium Oeconomi & Sacriſtæ ſint vendibiles abſque vitio Simoniæ?*

43 *Stando in iure diuino licitum eſt vendere locum Sacrum Sepulturæ, & ius occupandi illam ratione materialis.*

44 *Venditio atque locatio loci Sacri ad Sepulturam eſt iure Eccleſiaſtico prohibita, ac proinde ſtando in illo iure Simoniaca.*

45 *Nihilominus curam habens Eccleſiæ poteſt accipere pretium pro obligatione non admittendi alios in loco Sepulturæ, cuius ius vult aliquis poſſidere.*

46 *Refertur duplex ſententia de officio Oeconomi & Sacriſtæ.*

47 *Vendere officia Oeconomi & Sacriſtæ licitum eſt, ſtando in iure Diuino.*

48 *Vendere eadem officia eſt Simonia, iure Eccleſiaſtico prohibita.*

49 *Referuntur tria argumenta huic concluſioni contraria.*

50 *Reſpondetur argumentis in contrarium adductis.*

VT † huius duplicis articuli doctrinam expendamus, operæ pretium eſt illius quadrimembris diuiſionis rerum ſpiritualium meminiſſe, qua *ſupra dub.* 3. res ſpirituales in quatuor genera diuiſimus: quorum Primum continet Sacramenta & alia per eſſentiam Sacra. Secundum continet vaſa veſtes & alia per Eccleſiæ benedictionem Sacra. Tertium verò officia & beneficia ſpirituali titulo annexa. Sub quarto denique ſunt illa quæ per reſpectum ad diuinum cultum habentur ex iure poſitiuo & Pontificum beneplacito, pro Sacris. Circa quorum ſingula dubia ſingula mouenda ſunt. 1

DVbitatur Primò circa res primi generis, † *An aliquo pacto, illas liceat emere, aut vendere?* Ratio dubitandi ſumitur ex triplici capite. Primò, quia pro redimenda vexatione licitum videtur eſſe dare pecuniam pro Sacramentis, quæ tamen pecuniæ erogatio haberet rationem emptionis, vt fatetur D. Thomas *art. 2. ad* 1. ergo. Maior probatur in caſu quo Sacerdos non vellet puerum morientem baptizare, niſi ei ſoluatur pecunia pro Sacramento & labore annexo: tunc qui curam habet pueri, licitè poſſet pecuniã ſoluere, ne puer ſine Baptiſmo moreretur. Quod patet, tum quia ſolutio tantùm eſſet redemptio vexationis, quæ licita eſt in ſpiritualibus, & de facto licuit Abrahæ emendo locum ſepulchri Ephren, & licuit Iacob ſoluere fratri ſuo Eſau pro primogenitura: vt 2

etiam

etiam fatetur D. Thomas hîc *articul. 4. ad 3.* ergo. Tum etiam quia puer in caſu poſito, & qui habet curam de illo, patitur iniuſtum à potente & nolente eum baptizare, quia tenetur iſte in caſu neceſſitatis occurrente baptizare, ſi non ſit alius aptus ad baptizandum, ſicut tenetur paſcere fame morientem, ſi occurreret. Sed vnuſquiſque poteſt licitè à ſe abiicere iniuſtum quod patitur, dato pretio aliquo, hoc enim nihil aliud eſt quàm vti iniquitate parati, ad conſequutionem boni proprij neceſſarij, & tollere obſtaculum miniſtri auari per pecuniam, quod eſt redimere vexationem: ergo licitum eſt ei qui haberet curam pueri oblato pretio pro baptiſmo, ſuam & pueri vexationem redimere. Tum denique quia teſte D. Thoma *art. 2. ad 5.* poſt ius adquiſitum licitum eſt in ſpiritualibus redimere vexationem, quo pacto electus in aliquam Eccleſiaſticam dignitatem, licitè poteſt pecunia à perturbatoribus vexationem redimere: Sed quicumque petens baptiſmum in articulo mortis adquiſiuit ius ad illum; ergo licitè poterit oblata pecunia auaro baptizatori vexationem redimere, ſicut & minis poſſet eum cogere vt ſibi conferret baptiſmum.

Secundò; nam contrariorum eadem eſt ratio. Sed aliquando vrgente neceſſitate licitum eſt Sacramenta denegare propter pecuniam; ergo etiam erit licitum illam conferre pro Sacramento, ſiquidem actus & omiſſio illius contraria ſunt, & ad idem genus moris pertinent. Minor probatur, quia licitè poteſt Sacerdos denegare alicui ſacramentum Baptiſmi vel Pœnitentiæ, propter pecuniam quam ab alio accipit, ſi non teneatur tale Sacramentum pro tunc adminiſtrare, neque adſit neceſſitas illud adminiſtrandi: & ſi Epiſcopus Simoniacè aut ſacrilegè ordinaturus eſſet, licitum eſſet dare ei pecuniam, ne ordinaret, vt habent communiter Doctores *in cap. Cum in Eccleſia*: ergo. Tertiò arguitur. Nam licitum eſt ab ingredientibus religionem exigere & accipere aliquid ſubſidium temporale, & non pro ſola ingredientis ſuſtentatione, quia ad hoc ſufficiunt multoties bona monaſterij: ergo pro ipſo ingreſſu & admiſſione ad profeſſionem, quæ eſt de genere rerum per eſſentiam ſacrarum & ſpiritualium. Ad hoc dubium reſpondetur concluſione negatiua. Quæ non aliter probatur, niſi ſoluendo difficultates quæ in ſingulis argumentis tanguntur. Circa primum dubitatur, *An titulo redimendæ vexationis liceat pro Sacramentis pecuniam offerre?*

3 Ad primum ſunt † quatuor modi dicendi. Primus aſſerit neque in caſu quantumuis extremæ neceſſitatis qualis eſſet in puero moribundo, qui nequit ſaluari niſi per baptiſmum à Sacerdote conferendum, licere pecunia Sacramentum emere, aut vexationem redimere. Ita Alenſis 2. *part. quæſt.* 169. *membro* 3. Palud. *in* 4. *d.* 5. *quæſt.* 3. *art.* 2. Richard. *d.* 25. *quæſt.* 1. *art.* 5. Aragonius *hîc art.* 2. Turrecremata *cap. genera* 1. *quæſt.* 1. Syluester V. *Simonia quæſt.* 8. & Gloſſa *in cap. Baptizandis*. Torre *hîc diſput.* 1. & videtur fauere D. Thomas huic ſententiæ hîc *art.* 2. *ad* 1. *& in* 4. *d.* 5. *q.* 2. *art.* 2. *quæſtiuncula* 5. *ad* 2. *& d.* 25. *quæſt.* 3. *art.* 2. *quæſtiuncula* 1. *ad* 3. Secundus modus eſt eorum, qui exiſtimant quod in caſu poſito licitum eſt præfato iniquo miniſtro pecuniam offerre, non ſolùm pro paruulo baptizando, verùm & pro adulto, non quidem in pretium Sacramenti, ſed pro redimenda vexatione, vel vt remoueatur impedimentum prauæ voluntatis, & auaritiæ iniqui baptizatoris. Ita Albertus Magnus *in* 4. *d.* 5. *artic.* 1. Adrianus *quodlibeto* 9. *art.* 3. quos ſequitur Suarez *lib.* 4. *cap.* 12. & Malderus *tractatu* 9. *dub.* 5. qui citat Valentiam, & Gerſonem pro ſua ſententia. Tertius ait licitum eſſe adulto, dare pecuniam nolenti baptizare puerum morti appropinquantem, non autem pro alio adulto, eo quod illa neceſſitas non eſt extrema reſpectu adulti, qui alia via poteſt conſequi ſalutem, nempe per contritionem aut baptiſmum flaminis; eſt tamen extrema reſpectu pueri, qui per ſolum aquæ baptiſmum poteſt hîc & nunc ſalutem adipiſci. Ita Caietanus *hîc artic.* 2. Angelus V. *Simonia num.* 12. Tabiena *num.* 29. Panormitanus *in cap. Cum in Eccleſiæ, num.* 5. & Archidiaconus *in cap. Baptizandis*. Maior *in* 4. *d.* 5. *quæſt. vltima*, & Altiſiodorenſis 3. *part. quæſt.* 3. Quartus eſt Victoriæ hîc & Soti *lib.* 9. *quæſt.* 6. *art.* 1. aſſerentium quod licet pro adulto non liceat pecuniam dare Sacerdoti auaro, propter diſcrimen aſſignatum ab Authoribus tertiæ ſententiæ; pro paruulo autem extremè indigenti licet, non ſolùm pro redimenda vexatione, ſed etiam pro emendo Sacramento pecuniam dare; eo quod exiſtimant non eſſe ſimoniacum Sacramentum emere, in caſu extremæ neceſſitatis.

Sed vt ex hiis modis dicendi veriorem ſectemur, operæ pretium eſt prænotare † quadrupliciter poſſe illum caſum de petente à Sacerdote auaro baptiſmum contingi. Primo modo itavt adultus poſtulet pro ſe, quia neque alius baptizator, neque alia aqua ſuppetit, præter illam quam habet auarus Sacerdos. Secundo modo, itavt poſtulet baptiſmum pro puero moribundo, quando ipſe aquam, & manus, ac linguam expeditas habet ad puerum baptizandum. Tertiò, quando neque manus neque vocem habet, quia eſt mancus & mutus, neque aliam aquam habet, neque ad alium poteſt recurrere. Quartò, ſi extante huiuſmodi neceſſitatis articulo, Sacerdos expeditus & habens aquam dicat, ſe non velle puerum baptizare, niſi ab ipſo ematur Baptiſmus. Quibus poſitis dico primò, quod † primus & ſecundus modus dicendi deficiunt à veritate, quod probatur argumento poſito in principio: illo enim conuincitur, quod tunc licet vexationem pueri morientis redimere. Quod autem non liceat pariter adulto ſuã vexationem redimere, probatur contra authores ſecundi modi, quia adultus non eſt in extrema neceſſitate ſalutis, ſiquidem illam poteſt per alia media adipiſci: ſed ſolùm in caſu extremæ neceſſitatis, poteſt concedi facultas redimendi vexationem in Sacramentorum collatione: ergo. Deinde quia propterea in ſecundo caſu quando qui habet curam pueri, habet aliam aquam, & manus, ac linguam ad baptizandum, nequit redimere vexationem pueri, quia alia via poteſt ei offerre baptiſmum ſalutis: ergo. 4 5

Dico ſecundò, † quarta ſententia in quarto caſu à nobis aſſignato eſt valde probabilis. Hæc probatur ſupponendo, quod emptio rei ſpiritualis poteſt dici dupliciter intrinſecè ma- 6

la ; vel quia eſt ita intrinſecè mala , vt in nullo caſu honeſtari poſſit,neque ex obiecto, fine, aut alia circunſtantia , quo pacto periurium & occiſio innocentis facta priuata authoritate ſunt intrinſecè mala ; vel quia eſt ita intrinſecè mala, vt licet ex obiecto aut fine nequeat honeſtari, bene tamen in aliquo ſpeciali caſu, & ex aliqua circunſtantia. Quo pacto accipere & retinere alienum ſunt intrinſecè mala.Et licet Caietanus *opuſculo de Simonia q.* 3. exiſtimet eſſe primo modo intrinſecè malam emptionem rei ſpiritualis :Probabilis tamen eſt ſententia Victoriæ, exiſtimantis eſſe intrinſecè malam ſecundo modo. Quo ſuppoſito, ſic arguitur. Simoniaca emptio rei ſpiritualis non eſt magis intrinſecè mala , quàm accipere & retinere alienum : Sed hæc in aliquo & ex aliqua circunſtantia poſſunt honeſtari. Quando enim vrget extrema neceſſitas in qua omnia ſunt communia,poſſum priuata authoritate accipere ad victum rem alienam ; & ſimiliter retinere alienum inuito domino aliquando eſt licitum. Vt ſi ex reſtitutione enſis alieni, aut æris,timeretur probabiliter graue nocumentum proximo : tunc ceſſandum eſſet à tali reſtitutione.Ergo etiam vrgente neceſſitate, qualis eſſet in puero moribundo, qui nulla alia via poteſt aſſequi ſalutem, licita eſſet emptio baptiſmi. Secundò probatur , nam in concurſu duorum præceptorum etiam iuris diuini, quorum alterum altero ſuperius eſt , non obligat inferius , ſed obtemperandum eſt excellentiori. Vt quando concurrunt præceptum proteſtationis fidei,& conſeruationis vitæ,tunc obtemperandum illi , & non huic; vt patet in martyribus qui pro fide proteſtãda, laudabiliter vitam amittunt.Sed in caſu noſtræ concluſionis concurrunt duo præcepta, ſcilicet baptiſmi, & non emendi rem ſpiritualem, quorum illud eſt ſuperius iſto ; ergo ceſſare licet ab huius obſeruatione pro illius adimpletione. Minor patet , quia præceptum de baptiſmo eſt de medio neceſſario ad ſalutem,& proprium legis gratiæ: ergo.

Dico tertiò pro authoribus tertij modi dicendi : quod † licitum eſt in tertio caſu offerre
7 pecuniam auaro Sacerdoti pro redimenda vexatione, ſecus autem pro emendo Sacramento. Hæc concluſio probatur primò aduerſus authores primi modi dicendi, argumento primo facto à principio. Illo enim conuincitur, quod in caſu extremæ neceſſitatis,qualis eſſet in puero moribundo , qui nulla alia via poteſt conſequi baptiſmum ſalutis, licitum eſt pecunia vexationem redimere : ergo. Et quia reſpectu nullius alterius Sacramenti poteſt eſſe tanta neceſſitas, quanta pueri moribundi,reſpectu baptiſmi,conſequens fit quod pro nullo alio Sacramento licet adultis pecunia redimere vexationem.Quod autem in quarto caſu quando ſcilicet auarus Sacerdos exigit pecuniam in pretium,& non vult illam alio titulo accipere,non liceat ; probatur vt probabilius & conformius doctrinæ Sancti Doctoris. Quia vt latè oſtendit Caietanus *opuſculo de Simonia q.* 3. emptio rei ſpiritualis eſt intrinſecè mala , non ſolùm ſecundo , ſed etiam primo modo,ita vt nulla cauſa,aut circunſtantia inuariata materia honeſtari poſſit. Tum quia vt *ſupra* docuimus , eſt omnino indiſpenſabilis à Deo, loquendo de diſpenſatione propriè & ſtrictè : Tum etiam quia eſt emptio rei omnino inuendibilis, & non exiſtentis ſub dominio auari ſacerdotis ,ſed ſub dominio ſolius Dei:Ergo ſicut ille nequit baptiſmum vẽdere,ita neque habens curam pueri, poteſt illum emere. Tum denique quia præceptum de non emendo res ſpirituales eſt iuris diuini naturalis, & à Chriſto Domino confirmatum ſub illis verbis , *gratis accepiſtis, gratis date* : ſub quibus implicitè etiam præcipitur quod gratis emeremus dona ſpiritualia ; ac proinde eſt ſuperius ad præceptum de baptiſmo , quod eſt iuris diuini poſitiui à Chriſto Domino inſtitutum in lege gratiæ:ergo etiam obligat in conſpectu illius.Vnde quando auarus Sacerdos non vult baptizare puerum,niſi offeratur pecunia , cum intentione expreſſa vendendi,non licet illum baptizare : quia teſte Paulo *ad Rom.* 3. non ſunt facienda mala vt inde eueniant bona : ſed committendus eſt puer diuinæ prouidentiæ, de qua confidendum quod prouidebit puero in tanta neceſſitate conſtituto de idoneo baptizatore.Et per hæc patet ad primum ; ſolùm enim probat,quod in huiuſmodi caſu liceat pecunia redimere vexationem, ſecus autem duobus prioribus, quia eſſet parare viam per pecuniam ad Sacramentum quod eſt Simoniacum , non minus quàm ipſum Sacramentum emere.

Ad ſecundum principale † duplex verſatur 8
modus dicendi. Primus eſt Adriani *quodlib. 6. art.* 2. Innocentij *in cap. nemo de Simonia* , aſſerentium ſolam omiſſionem ſiue adminiſtrationis Sacramenti,ſiue cuiuſcumque alterius actus ſpiritualis non eſſe materiam ſimoniæ. Secundus aſſerit aliquando prædictam omiſſionem eſſe materiam Simoniæ ; quem ſequuntur D. Thomas hîc *art.* 3. *ad* 3. *& in* 4. *d.* 25. *q.* 3. *art.* 2. *q.* 2. *ad* 6. Paludanus *ibidem q.* 5. Soto *q.* 6. *art.* 2. *ad* 3. Syluester V. *Simonia*, Panormitanus *in dicto cap. Nemo* Turrecremata cum aliis Iuriſprudentiæ profeſſoribus ſuper *cap. nullus Epiſcopus*: & quia hæc ſententia eſt vera & à nobis tenenda,pro eius declaratione duo prænotanda ſunt. Primum eſt † actus ſpirituales eſſe in triplici 9
differentia; alios quidem à poteſtate ordinis,& alios à poteſtate iuriſdictionis ſpiritualis prouenientes , & tandem alios qui à nulla proueniunt ſpirituali poteſtate. Primi generis ſunt celebratio miſſæ, collatio ordinis. Secundi,impetratio abſolutionis Sacramentalis , & abſolutio à cenſuris in foro contentioſo , vel etiam ligare aliquem cenſuris , qui ſunt actus iuriſdictionis : & tandem tertij generis ſunt priuata oratio,ac deuota lectio & Miſſæ auditio. Rurſus ex actibus iuriſdictionis ſpiritualis , alij ſunt debiti ex iuſtitia : vt quando parochus confeſſiones audit, aut eis Sacramenta miniſtrat, qui ab ipſo poſtulant : alij verò non ſunt debiti,ſed gratis exhibentur , vt quando aliquis Sacerdos audit confeſſiones, ad quas ex officio non tenetur audiendas; & quia quot modis dicitur vnum contrarium , tot modis dicitur aliud , vt docet Philoſopus 1. *Meth. cap.* 2. etiam omiſſiones ſiue negationes actuum ſpiritualium ſunt in triplici differentia.Alia eſt negatio actus ſpiritualis ad poteſtatem ordinis pertinentis,vt omiſſio celebrandi Miſſam; alia eſt omiſſio actus ſpiritualis ad iuriſdictionem pertinentis, vt omiſſio abſolutionis quæ contingit dupliciter, quia vel eſt omiſſio actus debiti,vel non debiti ex iuſtitia ; & tandem alia eſt omiſſio actus ſpiritualis

ad

ad nullam potestatem pertinentis, qualis est negatio orationis. Secundum est, quod ex hiis negationibus aliquæ sunt quæ regulantur ab ipsa potestate spirituali ad quam pertinent actus oppositi; aliæ verò sunt quæ à tali potestate minimè regulantur, sed à sola facultate liberi arbitrij illius, qui pro suo libito vult omittere spiritualem actum.

Quibus suppositis hæc vniuersalis regula statuenda est pro certa conclusione à nobis
10 tenenda. Quotiescumque † negatio siue omissio actus spiritualis regulatur à potestate, ad quam pertinet actus oppositus, talis omissio est materia Simoniæ: ac per consequens, nequit pro illa absque vitio Simoniæ accipi pretium: secus autem si à tali potestate non reguletur. Probatur prima pars, quia materia Simoniæ est vsus potestatis spiritualis, siue in actu positiuo, siue in exercitio negatiuo talis potestatis consistat: Sed negatio actus spiritualis, est vsus potestatis spiritualis, quando ab illa regulatur, quia sequitur ex imperio illius, & hoc est ex illa regulari: ergo. Ex quo infertur, quod materia Simoniæ sit negatio audientiæ confessionis debitæ, vel absolutionis à peccatis in parocho, & negatio absolutionis à censura in Iudice Ecclesiastico, quando id facit ex authoritate potestatis, & ideo pecuniam offerre, aut accipere pro illis Simonia est. Secunda pars probatur, quia quando huiusmodi negationes à potestate non regulantur, non sunt vsus potentiæ spiritualis, sed liberæ arbitrij facultatis: ac per consequens non sunt materia Simoniæ: ergo licet pro illis pecuniam offerre, & accipere absque vitio Simoniæ. Quo pacto quando aliquis pro non orando, vel pro non audiendo confessionem quam non tenetur ex officio audire, vel etiam pro non audiendo illam quam tenetur audire, si non ad finem potestatis spiritualis, sed somni aut quietis hanc omissionem ordinet, accipit pecuniam, turpe lucrum erit, sed non peccatum Simoniæ: eo quod in huiusmodi negationibus non venditur aliquid spirituale, sed tantùm naturalis vsus libertatis; & ex hiis patet solutio ad secundum argumentum.

Ad tertium; omnes quidem Doctores con-
11 ueniunt in eo, quod † pro ipso ingressu & receptione ad habitum vel professionem, non licet absque vitio Simoniæ aliquod subsidium accipere vel offerre temporale: eo quod tam naturali, quàm Ecclesiastico iure huiusmodi oblatio & receptio prohibita est, ac per consequens Simonia est. Naturali quidem, quia ingressus iste est actio sacra, & ipse status religionis omnino spiritualis est propter virtutem Religionis, Dei cultum, & tria vota substantialia quæ includit, ac proinde accipere & offerre pro huiusmodi ingressu siue statu aliquid temporale Simonia est iure naturali & diuino prohibita. Ecclesiastico verò quia à Pontificibus generaliter, Religiosis munus pro ingressu Religionis interdicitur, à Bonifacio *in cap. quam pio 1. q. 2.* & ab Vrbano V. *in extrauaganti 1. de Simonia*, prohibetur sub pœna excommunicationis latæ & Papalis, ne à volentibus ingredi religionem directè vel indirectè, exigatur vel recipiatur quidpiam præter ea quæ personæ ingredientes purè, sponte, & plena libertate atque pactione cessante dare vel offerre voluerint.

Cùm igitur hæc sit omnium concors senten-
tia, in explicando, † *An liceat absque vitio Si-* 12
moniæ pro sustentatione religiosi aliquid recipere, præcipuè quando monasterium indiget? discriminantur in tres modos dicendi. Primus est Rosellæ *in summa V. Simonia num. 5.* Dionysij Cartusiani *lib. 1. de Simonia*, & Panormitani *cap. non satis de Simonia*, asserentium, Simoniacum esse pro sustentatione conuersi, quod monasterium, siue opulentum sit, siue pauper, quidquã recipiat pacto intercueniente. Horum fundamentum sumitur ex Canonibus præallegatis & similibus iuris, in quibus prohibetur tanquam Simonia omnis pactio, & solùm permittitur donum sponte oblatum pro religionis ingressu. Secundus est Francisci Suarez *lib. 4. de Simonia cap. 16.* & Malderi *cap. 3. dub. 7.* asserentium monasterium opulentum non posse absque vitio Simoniæ intercueniente pacto aliquid temporale exigere, vel accipere, bene tamen quando est pauper. Quod probat quadrupliciter. Primò, quia bona Cœnobiorum sunt ab Ecclesia instituta & ordinata, vt ex eis alantur qui religioso statui dicati sunt: ergo qui legitimè petuntur initiari illo statu, ius habent quasi ad rem ad bona Cœnobij, quod quidem ius spirituale est, ac proinde monasterium exigens aliquid temporale pro illo iure ab ingredientibus religionem, Simoniam committit: ad eum modum quo Episcopus petens pecuniã ab illo qui habet ius, vt in numero beneficiatorum reciperetur, Simoniacus est, vt habetur *in cap. tua nos de Simonia.* Secundò, nam bona monasterij sunt reditus Ecclesiastici, ac per consequens gratis expendenda iuxta Ecclesiæ intentionem ac dispositionem. Ecclesia autem vult, vt talia bona in religiosis alendis liberaliter consumantur; ergo exigere pecuniam ab ingredientibus est vendere id quod gratis dandum est, & consequenter iniustum & Simoniacum est. Tertiò arguit *ex cap. Quoniam de Simonia*, vbi arguit Pontifex quasdam Moniales, quæ prætextu paupertatis pro ingressu recipiendarum, pecuniam accipiebant. Vbi apertè significatur, quod pro titulo vero paupertatis potest licitè accipi pecunia, secus autem ficto, qualis fingitur à monasterio diuite. Quartò probat ex D. Thomæ testimoniis quæ habentur *art. 3. ad 4. & in 4. d. 25. quæst. 3 art. 2. quæstiuncula 2. ad 7.* in quibus asserit cum limitatione posse accipi subsidium sustentationis pro ingressu religionis, si monasterium sit tenue, & si ad hoc monasterij opes non sufficiant: singularis autem exceptio firmat regulam in contrarium: ac proinde videtur sentire D. Thomas quod si monasterium sit diues, accipiendo pecuniam pro ingressu, Simoniam committit.

Sed tertius & verus modus dicendi est, quem sequitur Torre *hîc disp. 14.* Nauarrus *in Manuali cap. 27. num. 106.* & Caietanus *in summa V. excommunicatio cap. 73.* quorum sententia hiis tribus dictis continetur. Primum est, quando † monasterium exiles habet reditus 13
non sufficientes ad recipiendorum sustentationem, licitum est exigere & accipere necessaria ad sustentationem ingredientis. Quod patet, quia nullo iure prohibitum est. Si enim aliquo iure saltem positiuo esset prohibitum, non doceret D. Thomas *in locis allegatis* id licitum esse: ergo. Tum etiam quia in tali exactione

etiam

etiam pacto confirmata nihil venditur ſpirituale, ſed tantùm ſeruant Religioſi ſe indemnes in gratuita conceſſione rei ſpiritualis, ſcilicet ſtatus religioſi, quem gratis concedunt, licet ea lege, ne teneantur ad temporale quod non
14 habent: ergo. Secundum eſt, quod ſi † monaſterium opulentum à recipiendis exigat, vel accipiat ex pacto pecuniam, neque Simoniacum eſt verè & realiter, ſtando in iure diuino & naturali, neque ſtando in iure poſitiuo. Quod non ſtando in iure diuino & naturali patet, quia receptio & exactio hæc in monaſterio paupere atque in opulento eſt eiuſdem rationis, & verſatur circa idem obiectum; ſed in illo non eſt Simonia prohibita iure diuino: ergo neque in iſto. Deinde, quod non ſtando in iure poſitiuo patet; quia in nullo textu Iuris canonici prohibetur huiuſmodi acceptio pecuniæ pro ſuſtentatione, quando deeſt intentio vendendi ingreſſum religionis; eo quod ex textibus citatis nullus diſcriminat inter monaſteria egentia, & locupletia, ſed pariformiter illis prohibet ne accipiant aliquid temporale, & nihilominus quatenus continet prohibitionem reſpectu cœnobiorum egentium, habet congruentem interpretationem: ergo ſimiliter quatenus cum diuitibus loquuntur, etiam poſſunt ſanè interpretari; quod amplius patebit in ſolutione ad fundamenta contrariorum.

15 Tertium & vltimum dictum eſt, quod † nihilominus ſi monaſterium opulentum nullam habens indigentiam ad ſuſtentationem recipiendorum, ab eis quidpiam ex pacto exigat pro ſuſtentatione, peccatum auaritiæ & Simoniæ præſumptæ committit. Quod probatur, quia ſtatum religioſum non decet ad diuitias congerendas anhelare, ſed paruo victu & veſtitu eſſe contentum, iuxta ſententiam Apoſtoli 1. *ad Timoth. 6. habentes alimenta & quibus tegamur his contenti ſumus*: ergo ſi monaſterium abundans petat alimenta pro recipiendis, cupiditatis vitio laborabit. Et cum aliàs talibus alimentis nullo modo indigeat, non modica præſumptio erit, quod non pro ſuſtentatione, ſed pro ipſomet ingreſſu & receptione ad habitum ſubſidium temporale accipiat, ac proinde Simonia præſumpta erit, ſed non vera & realis, vt contendit Suarez.

16 Ex hiis † reſpondetur ad fundamenta vtriuſque ſententiæ. Ad fundamentum primæ reſpondetur dupliciter cum Caietano *vbi ſupra*: Primò quod in illis decretis non prohibetur oblatio vel acceptio ſtipendij ſuſtentationis, ſed tantùm pro ipſo religionis ingreſſu qui eſt actio Sacra. Secundò, quod etſi prohibeant ſuſtentationis ſtipẽdium, hæc prohibitio iam eſt abrogata per contrariam conſuetudinem introductam, & admiſſam, videntibus & conſentientibus Prælatis iuſtis de cauſis, quæ illam in monaſteriis egentibus & præcipuè Monialium, rationabilem eſſe conuincunt: tum vt facilior redderetur ingreſſus Deo in religione ſeruire. Tum etiam vt occurratur paupertati monaſteriorum; tum denique ne grauarentur monaſteria maximè monialium, quæ ob frequentes morbos quos intra cancellos detentæ patiuntur, & quia parum induſtriæ ſunt ad bona temporalia conquirenda, & adquiſita adminiſtranda, quantumuis aliàs locupletia ſint, ſemper indigentiæ aliqua exparte obnoxia ſunt.

Ad primum argumentum Suarez reſpondetur negando antecedens: nam bona monaſteriorum non habẽt rationem beneficij Eccleſiaſtici inſtituti ab Eccleſia, & annexi monachis ad eum modum, quo beneficia Eccleſiaſtica ex decimis & oblationibus populi, ſunt miniſtris Eccleſiaſticis per Eccleſiæ inſtitutionem, quæ habetur in iure Canonico, applicata; ſed sũt bona temporalia ſicut in plurimum à Religioſis induſtria, vel iure hæreditario adquiſita; quæ ex ſuppoſitione quod ſiunt Communitatis, manent applicata pro alendis Religioſis. Vnde neque ille qui habitum petit legitimè, habet ius ad illa bona quaſi ad rem; aliàs ex iuſtitia deberetur ingreſſus, & ſi denegaretur ei habitus per vnum annum, teneretur monaſterium reſtituere illi alimenta quæ pro illo anno eſſet conſumpturus, quæ omnia abſurda ſunt, cùm talis receptio opus ſit pietatis ac miſericordiæ dumtaxat.

Ad ſecundum nego ſimiliter antecedens; non enim bona monachalia ſunt reditus Eccleſiaſtici, ex Eccleſiæ inſtitutione & annexione ad alendum monachos deſtinati, ſed tantùm ex vi dominij religionis vt dictum eſt. Ad tertium reſpondetur, quod textus ille eandem cum aliis à nobis aſſignatam habet interpretationem; ibi enim non damnantur moniales, quia in caſu neceſſitatis, & propter indigentiam de ſuſtentatione paciſcerentur, ſed quia ſub prætextu paupertatis, fingentes ſe accipere titulo ſuſtentationis pecuniam, reuera illam accipiant pro ipſo ingreſſu; vel ſi prohibentur accipere etiam titulo ſuſtentationis, talis prohibitio abrogata cenſenda eſt, aut non acceptata.

Ad quartum reſpondetur, quod D. Thomas intelligendus eſt damnare huiuſmodi ſuſtentationis receptionem in monaſteriis opulentis, non vt verè Simoniacam, ſed vt auaritiæ & præſumptæ Simoniæ vitio infectam, ob quam præſumptionem in Concilio Tridentino *ſeſſ. 25. cap. 16. de reformatione regul.* cautum eſt, ne monaſteria à petentibus habitum exigant, vt ſua bona donent ipſis, aut de illis in fauorem aliorum non teſtentur, vt ſic per profeſſionem ius hæreditandi ad monaſterium transferatur. Excipit tamen Concilium neceſſaria ad victum & veſtitum pro tempore Nouitiatus, talis enim exactio purgatur à culpa omnino, quia grauarentur Conuentus etiam diuites, ſi ex ſuis bonis tenerentur alere omnes Nouitios, qui à religione poſſunt egredi, & de facto egrediuntur. Et eadem ratione purgantur à culpæ ſuſpicione monaſteria etiam opulenta, recipientia ſtipendium pro victu, & veſtitu, quando receptio Religioſi cedit in eorum notabile grauamen, vt ſi ſit ſenex, aut infirmus, ad exercitia religionis minus idoneus, & facturus extraordinarias expenſas pro famulis, Medicis, & medicaminibus. Per hæc patet ſolutio ad tertium argumentum principale.

DVbitatur Secundò de rebus ſpiritualibus ſecundi generis; † *An vendi poſſint abſque labe Simoniæ ratione materiæ.* Partem negatiuam communiter tuentur Iuris Canonici interpretes cum Gloſſa & Panormitano *in cap. Ea quæ de Simonia.* Et † ſuadent tripliciter. Primò ex 18
regula tradita in Canone, *ſi quis obiecerit 2. q. 3.* 17

videlicet:

videlicet; *Qui vendit id quod ſine alio ſubſiſtere non poteſt, neutrum inuenditum relinquit.* Sed conſecratio harum rerum annexarum antecedenter, v.gr. Calicis, Ornamentorm Sacrorum, nequit ſine materia conſiſtere: ergo vendi neceſſe eſt conſecrationem à vendente eius materiam. Secundò probatur à ſimili; nam ſicut in huiuſmodi rebus conſecratis, ita & in actionibus ſacramentalibus, eſt materiale & formale, vt patet in actione ipſa conſecrandi calicem, v.g. & confectiua Sacramenti alicuius v.g. Baptiſmi, Euchariſtiæ, &c. materiale quid eſt locutio & motio manus: formale autem eſt illud eſſe, quod recipiunt ex inſtitutione atque ex habitudine ad poteſtatem & finem ſpiritualem: & tamen poſtquam materiale coniungitur formali, vendi non poteſt: ergo neque vendi poſſunt res conſecratæ poſt factam coniunctionem materialis ad formale. Tertiò, poſtquam res materialis ſemel conſecrata aut benedicta eſt, nequit vſibus communibus aut prophanis deſeruire; v.gr. calice conſecrato nemo poteſt vti ad potandum in conuiuio, neque veſte ſacra vſui. Altaris deputanda poteſt quis veſtiri, vt ſe à calore aut frigore defendat: ergo neque talis res materialiter ſumpta poteſt pretio æſtimari. Conſequentia patet, quoniam talis res totum ſuum valorem habet in ordine ad communes vſus, quibus per conſecrationem, ſiue benedictionem manſit priuata, & aliàs quatenus ad ſacros vſus ordinatur, neutiquam eſt pretio æſtimabilis.

19 Sed † hiis non obſtantibus verior & communior eſt ſententia, affirmans huiuſmodi res ſacras vendi poſſe ratione materiæ, ſiue ſint artificiales vt vaſa, & veſtimenta, ſiue naturales, vt balſamum & oleum. Quam tuentur. D. Thomas tum *in hoc art. 4. in ſolutione ad 1. 2. & 3.* tum etiam *in 4. d. 25. q. 3. art. 2. quæſtiuncula 3.* Durandus, Paludanus, & Richardus *ibidem*, Sanctus Antoninus *2. p. tit. 1. c. 5. §. 23.* Syluester V. *Simonia q. 100. art. 4. diſp. 1.* Et ſuadetur primò, quia vendere huiuſmodi res ſacras ratione materiæ, non eſt prohibitum iure naturali: eo quod huiuſmodi res ratione ſuæ ſubſtantiæ & materiæ ſunt pretio æſtimabiles, & non amittunt ſuum valorem per ſuperuenientem conſecrationem: ergo non eſt earũ venditio Simoniaca iure naturali aut diuino: de hac enim eſt controuerſia præſens. Nam de Simonia prohibita iure poſitiuo humano probabilior ſententia tenet Simoniacam eſſe harum rerum venditionem, etiam ratione materiæ. Secundò, id etiam ſuadet exemplum virorum timoratæ conſcientiæ, qui ſolent huiuſmodi vaſa ſacra ac veſtes ratione materiæ vendere; quos tamen temerarium eſſet damnare. Verùm hoc argumentum nedum prohibitionem iuris naturalis, ſed & iuris poſitiui excludit. Quid ſi veſtis aut calix carius vendatur, nedum propter valorem materiæ, videlicet, panni ſerici, aut argenti, aut auri, ſed etiam propter operis elegantiam aut figuræ perfectionem? Reſpondeo neutiquam Simoniam committi, dummodo carius res iſtæ non vendantur propter conſecrationem, aut propter reſpectum ſanctitatis, v.g. quia imago eſt Trinitatis, aut Beatæ Virginis, quoniam in huiuſce generis rebus pretium & valor non ex ſola materia, ſed etiam imo potiſſimè ex artificis elegantia penſatur; vt patet in vaſis & imaginibus, in quibus potiſſimè æſtimatur artificium; de quibus proinde poſſumus affirmare quòd materiam ſuperat opus. Vnde ex hoc documento tertium pro noſtra aſſertione ſumimus argumentum. Huiuſmodi res ſacræ ſiue benedictæ ex ſuperueniente conſecratione ac benedictione non amittunt valorem, quem habent de ſe & antecedenter ratione artificij; ergo ratione illius manent pretio æſtimabiles, ac vendibiles. 20

Ad † primum in contrarium reſpondetur, regulam illam intelligendam eſſe de ſpiritualibus annexis conſequenter, & non de annexis antecedenter. Vbi enim Gratianus habet; *Nam cum corporalis Eccleſia aut Epiſcopus aut Abbas ſine rebus corporalibus in nullo proficiat, &c.* Aliqui legunt in obliquo *corporalis Eccleſiæ:* & ſic emendandam putant lectionem Gratiani, quâ ſic correctâ denotatur ſermonem eſſe ibi non de Eccleſia materiali, ſed de formali, ſcilicet de dignitate Epiſcooali, vel Abbatiali: Imo eundem intellectum habet textus retenta lectione Gratiani. Quæ dignitates proculdubio inuendibiles ſunt, etiam ratione miniſterij & vſus corporalis quem habent annexum. Si obiciias autem doctrinam *cap. Placuit 102. & cap. Dictum eſt 105. 1. q. 1.* vbi prohibetur exigi quoduis pretium pro chriſmate & pro balſamo, id eſt pro materia Sacramenti confirmationis, & Extremæ Vnctionis. Reſpondeo hiis textibus aliquos Iuriſtas conuinci ad aſſerendum, quod vendere huiuſmodi res ratione materiæ eſt Simonia iuris poſitiui. Sed neque ad id aſſeuerandum vrgent, cùm poſſint congruenter intelligi de collatione ipſa Sacramenti Confirmationis, vel Vnctionis, quæ prorſus inuendibilis eſt, aut etiam de illa parte olei ſiue balſami quæ conſumitur in ipſamet Vnctione Sacramentali, hæc enim prorſus etiam iure diuino inuendibilis eſt, quia vt ſic eſt pars Sacramenti, & veluti eius materia proxima.

Ad ſecundum nego maiorem intellectam de incluſione materialis & formalis eodem modo & cum omnimoda ſimilitudine: nam res iſtæ conſecratæ de quibus eſt ſermo, ſunt annexæ ſpirituali antecedenter, quia ſecundum ſe & antecedenter ad conſecrationem ſiue benedictionem habent materiam, quæ pretio poteſt æſtimari; & in hoc diſcriminantur ab actionibus ſacramentalibus, prædicatione diuini verbi, horarum recitatione & ſimilibus; quod iſtæ intrinſecè & ſecundum ſuas entitates ſunt ſpirituales, vtpote materiæ Sacramentorum, vel Sacramentalium, vel actus virtutum: illæ verò neque ſecundum has entitates intrinſecè fiunt ſpirituales, neque ita ſpiritualibus ſunt annexæ, vt ſuam temporalitatem amittant.

Ad tertium admiſſo antecedenti nego conſequentiam. Pro cuius declaratione notandum eſt, quod huiuſmodi res conſecratæ dependenter à certa forma artificiali, quandiu illam retinent formam, non poſſunt ad vſus prophanos conuerti; non quia Simoniacum, ſed quia Sacrilegum eſſet, propter irreuerentiam rebus Sacris illatam; & propterea D. Thomas *in loco allegato*, conſulit, ne ante confractionem, vel ſciſſionem tales res vendantur, quod obſeruandum eſt quando emptor illas ad vſus prophanos

emere intendit, aut quando imminet periculum quod poſt emptionem, ad vſus prophanos vtetur illis: ſecus autem quando emptor illas ad vſus ſacros alterius Eccleſiæ, aut loci emit, & quando nullum imminet periculum, quod eas faciet vſibus humanis deſeruire.

21 Circa res tertij generis dubitatur Tertiò; † *An aliqua ratione illas emere, aut temporali pretio permutare liceat?* Ad hoc tertium genus ſpectant Eccleſiaſtica beneficia, ſub quo nomine Epiſcopatus, Abbatiæ, Prioratus, dignitates & parochiæ comprehenduntur in iure, ſpectant etiam commendæ, præſtimonia, penſiones, & ius patronatus, quæ licet beneficia Eccleſiaſtica propriè non ſint, maximã tamen cum illis habent affinitatem, ex quorum ſingulis ſingula pro parte affirmatiua deſumuntur argumenta. Arguitur
22 itaque † primò ad probandum, quod beneficia Eccleſiaſtica poſſunt vendi; nam in illis duo reperiuntur iura, alterum ſpirituale à titulo Clericali proueniens, & alterum temporale omnino, vtpote ad fructus temporales percipiendos; Sed temporale annexum ſpirituali vendibile eſt ratione temporalitatis, vt oſtendimus *dubio præcedenti*; ergo beneficia Eccleſiaſtica vendi poſſunt quantum ad temporale ius quod habent. Conſequentia patet, quia vbi inuenitur aliquid temporale annexum ſpirituali, poteſt vendi illud temporale, dummodo æſtimetur ſecundum naturam ſuam; ita vt non vendatur pluris ratione ſpiritualis coniuncti, quàm valeat ſecundum ſe. Maior autem probatur, quia in quolibet beneficio eſt ius ad adminiſtrandum Sacramenta, vel ad recitandum in choro, & etiam eſt aliud ius ad percipiendum reditus temporales pro tali miniſterio: ergo. Confirmatur; nam beneficiarius, vel etiam Canonicus poteſt vendere ius quod habet ad percipiendum reditus temporales, vt experientia conſtat, multoties enim temporales reditus beneficij vno, vel pluribus annis percipiendos vendunt beneficiarij; & non niſi quia ſeparant illos per intentionem à titulo Clericali beneficij: ergo tale huiuſmodi ius ſecundum ſe vendibile eſt, ſaltem ſtando in iure diuino, niſi obſtet prohibitio iuris poſitiui, de qua non conſtat. Secundò arguitur; nam commendæ reducuntur ad beneficium Eccleſiaſticum, & tamen vendi poſſunt: ergo. Maior probatur tripliciter. Primò quia Commendatarij etiamſi nubant, verè religioſi ſunt in aliqua religione militari, & ideò tenentur ad quarumdam horarum recitationem. Huiuſce autem profeſſio & obligatio quid ſpirituale eſt: ergo. Secundò, quia iſti commendatarij quandoque habent ius præſentandi in Eccleſiis ſibi commendatis, aliquem Clericum regularem ſui ordinis, vt ſit beneficiatus data congrua ſuſtẽtatione, & retinendo pro ſe decimas, quod ius ſpirituale videtur. Tertiò, quia licet cõmendæ dentur militibus in ſtipendium militiæ, tamen militia in illis eſt opus ſpirituale, quia ad illam ex voto vt religioſi obligantur: ergo. Minor patet, quia huiuſmodi commẽdæ dantur multoties in præmium temporalium geſtorum, quæ Commendatarij, vel eorum progenitores antea fecerunt; quandoque etiam dantur intuitu temporalis obſequij, à Commendatario poſtea in militia exhibendi: ergo. Tertiò arguitur de præſtimoniis, quæ etiam ad genus beneficij Eccleſiaſtici reducuntur, vtpote cùm ſint etiam annexa Clericali officio, & tamen vendi poſſunt, cùm nihil ſpirituale in illis aſſignari poſſit, ratione cuius repugnet vendi ius percipiendi fructus præſtimoniales.

Quartò arguitur de penſionibus, quæ ſunt aliquid annexum rei ſpirituali; eſt enim penſio, ius percipiendi partem fructuum alicuius beneficij authoritate Pontificis conſignata; & tamen vendi poſſunt: ergo. Minor probatur, quia poſſunt redimi vt experientia conſtat. Sed oppoſitorum eadem eſt ratio, ergo etiam poſſunt per emptionem conſtitui. Quintò arguitur ad probandum idem intentum de iure patronatus, quod eſt quid annexum ſpirituali: eſt enim ius ab Eccleſia conceſſum patronis, vt præſentent beneficia ſuæ Eccleſiæ; & tamen omnino vendibile eſt: ergo. Minor probatur tripliciter; Primò quia hoc ius commune eſt etiam laicis qui non ſunt capaces ſpiritualis muneris. Secundò, quia transfertur ad hæredes iure ſanguinis, ad quos tamen non tranſiret iure hæreditario, vt patet in officiis & beneficiis Eccleſiæ. Tertiò, quia nullum effectum ſpiritualem inducit; præſentatio enim facta à patrono ad beneficium non eſt collatio illius, ſed dumtaxat eſt veluti applicatio materiæ, circa quam poſtea Prælatus Eccleſiæ collationem beneficij operetur: ergo.

Ad hoc dubium reſpondetur † concluſio- 23
ne negatiua, quæ non aliter probatur quàm ſoluendo difficultates quæ in ſingulis argumentis tanguntur. Circa primum igitur, quamuis communis ſententia Doctorum affirmet, quod vendere, ſeu emere huiuſmodi Eccleſiaſtica beneficia, quantum ad titulum Clericalem quem includunt, & ius ſiue officium quod ſpirituale eſt, ac proinde inuendibile: Tamen in explicando † an vendere hæc 24
officia ſeu beneficia, quantum ad temporale emolumentum ex titulo & officio ſpirituali reſultans, ſit Simonia ſolo iure Eccleſiaſtico, vel etiam diuino prohibita, in tres modos dicendi relatos à Caietano *opuſculo de Simonia quæſt.* 1. diuiduntur Authores. Primus aſſerit eſſe Simoniam ſolo iure Eccleſiaſtico prohibitam, ac proinde licitè poſſe vendi huiuſmodi beneficia quantum ad temporale emolumentum, non habito reſpectu ad ius ſpirituale, annexum ex commiſſione, vel promiſſione Pontificis. Ita Nauarrus *in Manuali cap.* 23. *numer.* 108. §. 9. & communiter Iuriſperiti *in cap. ex parte* 10. *de officio delegati.* Quos refert Felinus cum Decio. Et probatur argumento facto; quia in beneficiis Eccleſiaſticis ius percipiendi fructus temporales, eſt merè temporale ſicut materia Calicis conſecrati integri manentis; ergo ſicut hoc intentione ſeparari ab ſpirituali, & vendi poteſt, ita & illud. Secundò, quia diſtribuere beneficia Eccleſiaſtica non eſt actus virtutis religionis, ſed iuſtitiæ diſtributiuæ: ergo vendere illa non opponitur religioni ſed iuſtitiæ diſtributiuæ, ac proinde ſtando in iure diuino non erit peccatum Simoniæ quod opponitur religioni. Tertiò ex vſu crebro Pontificum quem impium eſſet damnare.

Videmus

Videmus namque sæpè sæpiùs, authoritate Pontificis beneficia cum onere alicuius pensionis ab vno in alterum transferri; quæ translatio olim fiebat etiam authoritate Episcoporum, vt colligitur ex *cap. Constitutus de religiosis domibus.* Sed hæc est quædam virtualis venditio emolumenti temporalis, quia est datio beneficij cum pacto oneroso, & si iure diuino esset prohibita, non posset authoritate Pontificis fieri: ergo.

Secundus est Panormitani *in cap. Extirpandæ*, & Abbatis *in cap. de Simonia*, asserentium quod vendere beneficia habentia annexam curam animarum, vel ordinem sacrum, est Simonia prohibita iure diuino & naturali. Vendere autem alia beneficia, quæ tantùm habent titulum Clericalem, absque ordine sacro, & cura animarum, solum est contra ius Ecclesiasticum. Horum fundamentum est, quod Clericatus cui annexa sunt hæc beneficia secundi generis, vel non est ordo Ecclesiasticus, vel saltem non est ordo institutus ex iure diuino: ergo neque illa vendere est prohibitum iure diuino.

25 Tertius asserit, quod † vendere beneficia Ecclesiastica etiam intuitu solius temporalis emolumenti est Simonia, non solùm contra Ecclesiasticum ius, sed etiam contra diuinum & naturale, ac proinde non posse in hoc cadere Summi Pontificis dispensationem. Hanc insinuat D. Thomas hîc *art. 4. & in 4. d. 25. q. 3. art. 2. quæstiuncul. 3. ad 4.* & sequuntur expressè Durandus *d. citata quæst. 5.* Caietanus *vbi supra*, Victoria *in relectione de Simonia, num. 44.* Soto *quæst. 7. art. 1.* Couarruuias *regula peccatum p. 2. §. 8.* Torre hîc *disput. 2.* Malderus *dub. 9.* & alij recentiores. Et hæc sententia à nobis vt certa conclusio statuitur. Et probatur quoad primam partem, nempe quòd sit Simonia prohibita iure Ecclesiastico. Nam hæc prohibitio continetur in quamplurimis locis Canonici iuris, vt *in cap. super eo de transactionibus cap. quærelam. & cap. tua nos de Simonia & 1. quæst. 3. per totam*: in quibus prohibetur quorumcumque Ecclesiasticorum beneficiorum venditio atque datio non gratuita. Deinde quoad secundam partem, scilicet quod sit prohibita iure diuino & naturali, probatur primò ex illo axiomate Paschalis *in cap. Si quis obiecerit; & cap. Saluator 1. quæst. 3.* qui alterum eorum vendit, sine quo alterum non prouenit, nihil inuenditum relinquit. Cuius sensus est, quod quando temporale sine spirituali haberi non potest, qui vendit temporale vendit etiam spirituale: sed præbenda haberi non potest sine titulo Clericali spirituali; ergo neque potest vendi sine illo. Minor probatur ex illo discrimine quod hîc affirmat D. Thomas, inter annexa spiritualibus antecedenter, & annexa consequenter: quod in annexis antecedenter, potest vendi temporale non vendito spirituali; secus autem in annexis consequenter; eo quod in illis prius est temporale, quàm spirituale, & prius non dependet in suo valore à posteriori, sicut in istis in quibus temporale est posterius, & per consequens dependens ab spirituali in suo valore. Sed beneficia Ecclesiastica sunt annexa spirituali consequenter, vt *supra* dictum est: ergo. Secundò probatur; nam beneficium per se ordinatur ad spirituale officium, iuxta illam vulgarem regulam; *Beneficium datur propter officium*: ergo qui vendit beneficium, vendit illud provt ordinatur ad spirituale officium, hoc est Simoniacum contra ius diuinum & naturale. Respondent Authores primæ sententiæ, quod beneficium Ecclesiasticum, non habet aliam spiritualitatem, nisi esse ordinatum ad officium spirituale, & propterea potest vendi in quantum est quid temporale secundum se, absque tali ordine ad officium spirituale. Qua ratione aqua quæ est necessaria ob Baptismum potest vendi, dummodo non exigatur maius pretium propter talem necessitatem. Sed contra hanc solutionem arguitur tertiò; Nam beneficium nullatenus potest à dispensatoribus Ecclesiæ tradi, nisi provt sic ordinatum ad spirituale officium, & provt includit titulum clericalem, & ius percipiendi fructus vt stipendium officij, quod vendere, est Simoniacum contra ius diuinum. Aqua autem potest secundum suum valorem vendi, non habito respectu ad necessitatem quam habet in ordine ad Baptismum, & sic non est eadem ratio: ergo dicendum est, quod nullatenus possunt vendi temporales reditus præbendæ, quandiu annexi sunt officio Clericali, nisi prius ab illo authoritate Pontificis dissocientur: vt quando Pontifex concedit decimas aliquibus personis secularibus, quod vulgo dicitur *Caualleratо.*

Ex † hiis respondetur ad fundamenta con- 26
trariorum. Ad primum primæ sententiæ admisso antecedenti nego consequentiam. Differentia est illa, quam sæpius assignauimus inter annexa antecedenter & annexa consequenter: in hiis enim temporale nisi dissocietur ab spirituali, nequit vendi non vendito illo, eo quod necesse est in huiusmodi rerum venditione, vendi etiam titulum & officium spirituali annexum; & quia temporale ius in illis inclusum, est medium ordinatum ad officium spirituale, & medium vt medium nequit vendi, nisi vendatur finis ipse; ideo ius diuinum non tantùm huius, sed etiam illius prohibet venditionem.

Ad secundum respondetur, quod vendere spiritualia aliquando tantùm est vitium Simoniæ contra virtutem religionis, aliquando verò non solùm opponitur religioni, sed etiam aliis virtutibus, & induit rationem alterius vitij: v.g. qui † vendit beneficium Sacerdoti indigno, 27
triplicem violat virtutem; primò religionem quatenus non confert gratis, & in hoc consistit Simonia; deinde iustitiam distributiuam, quia tenebatur conferre digniori, denique iustitiam commutatiuam per ordinem ad Ecclesiam cui tenebatur ex iustitia conferre dignum ministrum; & ex hoc est peccatum iniustitiæ. Vnde ad argumentum dico, quod ex eo solùm quod dispensator accipit pretium pro beneficio, non facit contra iustitiam distributiuam, sed duntaxat contra religionem, & est Simoniacus: quatenus verò confert beneficium indigno, contrahit ille actus malitiam alterius speciei, nempe iniustitiæ, non tamen amittit malitiam irreligionis & Simoniæ, & vt sic negandum est antecedens; gratuita enim dispensatio beneficij est actus religionis quo exhibetur debita reuerentia rebus sacris, sicut econtra dispensatio non gratuita est valde irreligiosa erga Deum & res sacras.

Ad tertium respondetur, quod † benefi- 28
cia non solent authoritate Pontificis vendi, nisi

eiusdem authoritate prius fiat separatio, seu dissociatio fructuum beneficij à titulo & officio spirituali. Ad fundamentum secundæ sententiæ patet ex dictis, quod tam in beneficiis habentibus curam animarum vel ordinem Sacrum annexum, quàm in habentibus annexum solum clericatum, beneficium est annexum rei spirituali consequenter; & propterea nequit vendi etiam intuitu iuris temporalis; & manet solutum argumentum principale. Ad confirmationem illius respondetur, quod in duplici statu possunt esse fructus beneficij, quando beneficiarius illos vendit laico; vel enim sunt iam præsentes & sub dominio illius constituti; vel adhuc sunt futuri & nondum sub dominio illius. Si primo modo, bene potest illos vendere, quia iam nullam habent annexionem cum titulo beneficij, sed tantùm sunt de numero bonorum, quæ beneficiarius priuato dominio possidet, sicut alia quæ iure hæreditario possidet. Si autem secundo modo, non verè illos vendit, sed potius locat, & propterea ius beneficiarij non transfertur ad locantem seu ementem, sed pro certa pecunia dat illi vices suas, vt pro illo fructus percipiat. Vnde si illos locaret beneficiarius ad certos annos, & interim moreretur conductor, nequit temporis sequentis fructus percipere, vice prioris beneficiarij, sed vice successoris ad quem pertinent fructus, & cui tenetur illorum soluere pretium. Dixi si illos locaret ad certos annos, quia licet stando in iure diuino, possit beneficiarius toto tempore vitæ suæ fructus locare, tamen in quadam Bulla Pauli II. quæ habetur *in 7. decretalium* Petri Mathei *cap. Ambitiosæ* & Clementina *1. de rebus non alienandis*, prohibetur ne vltra triennium locentur, sicut de aliis rebus Ecclesiæ est prohibitum.

Circa secundum argumentum principale, communis Theologorum sententia est, quam sequitur Victoria *num.* 43. Soto *vbi supra*, Ogeda *lib.* 1. *de beneficiis* 1. *p. cap.* 14. Sylvester verbo *Commenda*, & Torre hîc *disput.* 3. tribus protu-
29 lit dictis. Primum est, quod † commendæ quæ dantur propter aliquod ministerium spirituale, siue per Petrum, siue temporaneum, non possunt vendi sine vitio Simoniæ. Quod probatur supponendo commendas esse in duplici differentia; alias quæ habent annexum ministerium spirituale, vt quando alicui commendatur seu committitur cura vel administratio alicuius Ecclesiæ cum talibus prouentibus, ob quam administrationem ipsi fructus beneficij secundum totum, vel secundum partem assignantur; nihil aliud est commenda quàm commissio siue cura alicuius Ecclesiæ cum talibus prouentibus; alias verò esse quæ nullum habent annexum ministerium spirituale gestum, vel gerendum. Quo supposito probatur hoc primum dictum; quia ius illud percipiendi fructus in commendis primi generis, est annexum titulo vel officio spirituali quod est inuendibile; etenim talis commenda est beneficium Ecclesiasticum vel habens se adinstar illius: ergo sicut titulus est inuendibilis, ita & ius percipiendi fructus est inuendibile, sicut de aliis beneficiis dictum est.

30 Secundum assertum est; † commendæ secundi generis possunt vendi sine vitio Simoniæ. Quod probatur, quia ius percipiendi fructus in huiusmodi commendis, non est annexum alicui titulo spirituali: ergo omnino temporale est, ac proinde vendibile. Antecedens patet, quia titulus possidendi has commendas nihil spiritualitatis habet, sed merè temporalis est, eo quod datur propter officium & ministerium merè temporale, scilicet propter defendendam Rempublicam ab infidelibus, vel ad conseruandum ante præclara gesta: ergo.

Tertium est, quod † vendere has commendas 31
secundi generis, illicitum est & contra iustitiam distributiuam, nisi authoritate Pontificis id fiat ex rationabili causa, v.g. applicando pretium ad maius bonum commune. Hoc probatur, quia Magistri ordinum militarium & qui eorum vices gerunt, non sunt Domini harum præbendarum, sed dispensatores ex ordine Summi Pontificis, qui illis eas concessit, vt iustè & ex rationabili causa dispensarent secundùm regulas iustitiæ distributiuæ, tanquam præmia militiæ temporalis; si autem vendantur, frustrabitur finis institutionis talium commendarum, & lædetur iustitia distributiua, dum professores militiæ præmiis sibi debitis priuarentur. Non tamen propterea damnandus est vsus Magistrorum ordinum militarium, qui præfatas commendas largiuntur aliquibus cum impositione onerosa, v.g. cum obligatione eundi ad militandum tot annos contra infideles, quia hæc impositio non destruit, sed potius iuuat finem institutionis talium commendarum. Vnde ad secundum argumentum, respondetur negando minorem, si intelligatur de commendis primi generis; quatenus autem procedit de commendis secundi generis, neganda est maior, quia illæ (vt dictum est) nec rationem beneficij Ecclesiastici, nec spiritualitatis aliquid habent. Ad primam probationem maioris, respondetur has commendas non dari propter professionem tanquam propter titulum, sed propter ministerium temporale, licet professio sit conditio sine qua non, vt talis persona sit capax illius commodi temporalis iuxta Pontificis voluntatem; ad eum modum quo si Pontifex præciperet aliqua bona temporalia distribui inter solos religiosos, non ideo illa bona essent annexa titulo spirituali religionis. Ad secundam patebit ex dicendis ad 5. Ad tertiam nego minorem: quia licet opus militiæ vel alterius ministerij temporalis fiat ex voto, non ideo fit, ita vt fiat inuendibile; potest namque vendi ratione suæ temporalitatis, dummodo non æstimetur respectus ille, quem habet ad votum vt materia illius.

Circa tertium argumentum † duæ sententiæ 32
versantur. Prima asserit præstimonia non esse Ecclesiastica beneficia, ac proinde posse vendi absque vitio Simoniæ. Ita Ioannes Andreas super *cap. vnico de rerum permutatione in 6.* & Ogeda *2. p. de beneficiis cap. 8. num.* 12. Secunda asserit esse Ecclesiastica beneficia, & consequenter inuendibilia. Hanc sequũtur communiter Iurisprudentiæ & Theologiæ professores, de quorum numero sunt Hostiensis *in cap. Postulasti de rescriptis.* Panormitanus *in secundo volumine consilio* 47. habetur *in cap. vltimo de concessione præbendarum in 6. & in cap. conquerente de Clericis non residentib.* Soto *vbi supra q. 7. art.* 1. Torre *disp.* 4. quibus fauet D. Th. hîc *art.* 4. dum ait beneficia esse annexa spiritualibus, quia nõ cõpe-

tunt

tunt nisi habenti officium Clericale. Certũ autẽ est præstimonia non conferri nisi habentibus statum & officium Clericale. Sed in explicando quod sit huiusmodi spirituale officium annexum præstimoniis, diuiduntur Authores huius secundæ sententiæ in tres modos dicendi. Alij enim volunt illud esse alere pauperes Clericos in studio, vt postea possint Ecclesiæ inseruire, ad quem finem existimant fuisse instituta præstimonia: alij verò dicunt illud esse ministerium aliquod spirituale, quale est recitare diuinum officium, ad quod obligantur qui præstimonia obtinent. Alij denique existimant, illud spirituale nihil aliud esse quàm ordinem Clericalem, saltem primam tonsuram quæ in obtinente præstimonium prærequiritur vt conditio necessaria. Et quia hæc est vera sententia, pro eius
33 declaratione dico primò. † Præstimonia nequeunt vendi sine vitio Simoniæ. Hæc conclusio statuitur aduersus authores primæ sententiæ, & probatur; nam præstimonia sunt beneficia quædam spiritualia Ecclesiastica, sed hæc sunt inuendibilia vt dictum est: ergo & illa. Maior probatur tripliciter. Primò quia præstimonia sunt quædam iura solis Clericis collata, & perpetua ad aliquam portionẽ Ecclesiasticorum reditnum percipiendam; hæc autem est propria diffinitio beneficij Ecclesiastici, & per illam differunt præstimonia à pensionibus, quæ licet sint de reditibus Ecclesiæ, tamen possunt esse temporariæ & laicis conferri: ergo. Secundò probatur eadem Maior ex modo quo solent conferri; etenim semper conferuntur à Prælatis Ecclesiasticis cum eadem solemnitate qua cætera Ecclesiastica beneficia conferri solent. Tertiò, quia Pius V. in quodam Motu proprio, quem refert Nauarrus *in Manuali c. 25. n. 122.* decreuit, quod præstimoniales portiones sunt annexę spirituali titulo, ac per consequens qui illa obtinent, tenentur horas Canonicas persoluere, Quod etiam atteſtantur cum Nauarro Soto *lib. 10. de iustitia & iure quæst. 5. art. 3.* & Torre *tomo 1. de religione, tractatu de horis canonicis disput. 6.*

34 Dico Secundò: † illud spirituale cui sunt annexi fructus præstimoniales, nihil aliud est quàm ordo Clericalis cum obligatione recitandi diuinum officium. Hæc statuitur aduersus authores primi modi explicandi secundam sententiam, qui solùm illos fini studendi annexos esse volunt. Et probatur: nam studio & scientiis vacare, non est officium spirituale: ergo ex annexione ad hunc finem ius percipiendi fructus præstimoniales, non participaret aliquam spiritualitatem, ac proinde vendibile esset sine vitio Simoniæ. Confirmatur; nam præstimonia habent omnes conditiones beneficiorum Ecclesiasticorum cum obligatione persoluendi diuinum officium: ergo hæc annexio etiam debet iu præstimoniis reperiri, & ratione huius dicendum est illa esse inuendibilia. Per quæ manet solutum primum argumentum principale.

35 Circa quartum argumentum † de pensionibus duo sunt modi dicendi. Primus asserit, nullam pensionem Ecclesiasticam posse vendi, aut redimi sine vitio Simoniæ, nisi interueniat Summi Pontificis licentia. Ita Nauarrus *in Manuali cap. 23. num. 111. & consilio 93. de Simonia*, Rebuffus *de pacifica possessione num. 34.* & alij ex Iurisprudentiæ professoribus. Secundus asserit aliquas pensiones esse vendibiles sine vitio Simoniæ: quem tuentur Caietanus *in opusculo 17. responsione 10.* Soto *vbi supra & lib. 3. q. 3. art. 2.* Victoria *in relectione n. 54.* Couarruuias *cap. cum in officiis de testamentis numer. 6.* Ogeda *de beneficiis incompatibilibus num. 3.* & Torre *hîc disp. 5.* Pro cuius declaratione prænotandum est, quod pensiones sunt in duplici differentia sicut diximus de commendis. Aliæ sunt quæ dantur ob ministerium aliquod temporale, & ideo indifferenter dantur laicis & Clericis, vt sunt illæ quæ dantur filiis Magnatum, vt dent operam litteris aut militiæ. Aliæ verò cum titulo & onere spirituali, solis Clericis, vt sunt illæ quæ dantur adiutori Parochi, aut Canonicis eius. Quæ diuisio colligitur ex motu Pij V. editi anno 1571. qui incipit, *Ex proximo.* Rursus ex hiis quæ dantur Clericis adhuc sunt aliæ quæ dantur in beneficij titulum, aliæ autem dantur pro beneficio, vt adnotauit Abbas *cap. Conquerente, de Clericis non residentibus.* Et hoc contingit tripliciter. Primò, quando quis renuntiat alicui beneficio quod pacificè possidebat, & commodè illi inseruire non poterat, & pro tali beneficio retinet aliquam pensionem. Secundò, quando pro beneficio litigioso per transactionem & Iudicis arbitrium, vni datur beneficium, & alteri pensio super illud. Tertiò, quando parocho seni & per multos annos per quos Ecclesiæ inseruiuit, relinquenti beneficium datur pensio ad congruam sustentationem.

Hiis suppositis & prænotatis dico primò; † 36
pensiones quæ propter temporale ministerium consignantur sine vitio Simoniæ possunt vendi, stando in iure diuino. Et probatur primò: Nam huiusmodi pensiones non habent aliquam spiritualitatem annexam, siquidem neque sunt beneficia Ecclesiastica, neque dantur ob ministerium spirituale, neque dantur solis Clericis, sed indiscriminatim Clericis & laicis: ergo non sunt inuendibiles. Secundò probatur; Nam si aliqua de causa inuendibiles essent, maximè quia vt inquit Rebuffus, sunt fructus pertinentes ab beneficium Ecclesiasticum, & ex illo consignantur; vel quia vt vult Nauarrus, dantur aliquãdo propter Clericatum, scilicet propter Clerici pauperis in studio, aut in alio ministerio sustentationem, qui titulus est spiriritualis: Sed istæ rationes non conuincunt: ergo. Maior est fundamentum aduersariorum. Minor autem probatur, quod non prima, quia licet pensio sit ex fructibus beneficij, tamen hoc non est illam esse annexam beneficio, sed potius est illam assumi & dissociari à titulo spirituali beneficij. Quod non secunda, patet, quia quando dantur laicis, nullus est Clericatus; quando autem dantur Clericis, Ordo Clericalis non se habet vt titulus, sed vt conditio personæ obtinentis pensionem, sicut *supra* docuimus, commendas collatas Religiosis ordinum militariũ, & eleemosinas datas Clericis pauperibus, non ideo fieri spirituales, aut inuendibiles, quia professio in illis, & Clericatus in istis; non vt titulus, sed vt conditio materialiter se tenens, ex parte subiecti concurrens.

Dico secundò, econtra verò pensiones secundi 37
generis, quæ ob titulum spiritualem consignantur, neque emi, neque vendi possunt sine vitio

Simoniæ, eo quod habent annexionem ad miniſterium ſpirituale v. g. ad iuuandum Parochum, vel canendum in choro, vel aliud ſimile; ergo ex tali annexione fiunt res ſacræ, & conſequenter inuendibiles. Dico tertiò: penſiones quæ imponuntur pro beneficio obtinendo primo & ſecundo modo, poſſunt vendi ſine vitio Simoniæ; ſecus autem quæ tertio modo imponuntur. Ratio primæ partis eſt, quia illæ penſiones neque habent aliquid ſpirituale annexum, neque dantur propter officium ſpirituale. Ratio ſecundæ eſt, quia punſiones tertio modo impoſitæ, dantur propter functiones ſpirituales anteactas, ac proinde habent annexionem cum titulo & miniſterio ſpirituali non exhibendo, ſed iam exhibito.

38 Dico quartò: † quotieſcumque aliqua penſio eſt vendibilis, etiam eſt redimibilis, & quando eſt inuendibilis ratione alicuius functionis ſpiritualis annexæ, etiam eſt irredimibilis. Hæc probatur; nam redimere penſionem nihil aliud eſt quàm quod beneficiarius qui penſionem ex fructibus ſui beneficij ſoluebat, det penſionario certam ſummam, vt ſe exoneret ab obligatione ſoluendi annualem partem. Differt etiam venditio penſionis à redemptione, quod in venditione transfertur ius percipiendi penſionem ad ementem: in redemptione autem extinguitur omnino, & reſtituitur beneficium ad antiquum ſtatum, in quo ante penſionem extiterat. Vnde licet redemptio non ſit venditio, ſequitur tamen naturam & conditiones illius. Igitur quando penſio eſt de ſe vendibilis, etiam erit redimibilis, & econtra.

39 Dico vltimò: † ſtando in iure nouo conſtitutionis Pij V. *ſupra* citatæ, nulla penſio Eccleſiaſtica vendi poteſt ſine peccato Simoniæ: eo quod Pius V. in illa conſtitutione obligat omnes penſionarios, habentes penſiones ex beneficiis Eccleſiæ conſignatas, quacumque de cauſa illas habeant, vt ſint Clerici, & vt officium Beatæ Virginis quotidie perſoluant, vbi illas annectit titulo & officio ſpirituali, ac proinde ex tali annexione manent inuendibiles. Et licet hæc annexio & obligatio fuerit de iure humano ex voluntate Pontificis procedens; tamen illa ſuppoſita, manent penſiones ſuapte natura & ſecundum diuinum ius inuendibiles, quandiu à tali obligatione non fuerint diſſociatæ per alterius Pontificis voluntatem.

40 Circa quintum † argumentum de iure patronatus Canonico, & ab Eccleſia inſtituto, ad remunerandum eos, qui dato fundo, vel ſuis, expenſis aliquam Eccleſiam fundarunt; nam de laico & ciuili, quod ciuili iure introductum fuit, citra conuerſiam certum eſt temporale, & conſequenter vendibile eſſe. De Canonico igitur Eccleſiaſtico, vnum eſt certum, & alterum in lite verſatur. Certum & ab omnibus receptum eſt, quod huiuſmodi ius patronatus vendere, aut emere, eſt Simonia ſaltem iure Eccleſiaſtico prohibita: eo quod hæc prohibitio expreſsè habetur *in cap. de iure. Extra, de iure patronatus in cap. præterea 2. eiuſdem tituli in cap. quia Clerici*, & aliis. Verſatur autem in dubio, an hæc Simonia ſit ſolo iure Eccleſiaſtico prohibita, vel etiam diuino, ita vt huiuſmodi ius patronatus ſit ſpirituale & ex ſe inuendibile; In quo duplex eſt modus dicendi. Primus aſſerit eſſe ſpirituale & ſtando in iure diuino inuendibile, quem ſequuntur Antonius de Butrio, & Andreas Barba, *in cap. quanto*, & *in Rubrica de iudiciis*, & Gloſſa *in capit. Piamentis 16. quæſt. 7.*

Secundus † aſſerit eſſe temporale ſecundum 41
ſe, & ſolùm propter annexionem reputari ſpirituale, & ex Eccleſiæ ſolius prohibitione eſſe inuendibile. Ita Abbas, Decius & alij *dicto cap. quanto*, & *Rubrica de Iudiciis*, quos ſequitur Torre *hic diſp. 6.* Quorum ſententia à nobis veritate conformior probatur, prænotando, quod Ius patronatus de quo eſt ſermo tripliciter conſideratur, ſcilicet vt eſt honorificum, vel vt eſt vtile, vel vt eſt oneroſum. Honorificum quidem quatenus ex vi illius debentur Patrono honores, vt locus primus & ſpecialis reuerentia in Eccleſia, cuius eſt patronus; vtile verò eſt quatenus ad Eccleſiam ſpectat Patrono ſuo ſi ad paupertatem deueniat, ſubuenire, vt habetur *in cap. quicumque 16. q. 7.* Denique oneroſum dicitur, quatenus ad patronum ſpectat defendere ſuam Eccleſiam, ne bona illius diſſipentur, cum limitationibus aſſignatis *in cap. filij vbi ſupr.* Vltra has cõſiderationes ſecundũ quas ius patronatus merè tẽporale eſt, ac proinde vẽdibile abſque vitio Simoniæ, poteſt adhuc conſiderari quantum ad ius præſentandi ad beneficia Eccleſiæ, quod Pontifices conceſſerunt patronis fauoris & honoris gratiâ. Et ratione huius iuris aſſerunt authores ſecundi modi dicendi, quos ſequimur, eſſe propter ſolius Eccleſiæ prohibitionem inuendibile. Quod probatur primo argumento facto; quia ſcilicet huiuſmodi ius eſt ſecundum ſe temporale, eò quòd laicis & Clericis commune eſt, & quia tranſit ad hæredes iure ſanguinis, quo pacto ſpiritualia adquiri non poſſunt, & etiam quia tantùm eſt quidam humanus fauor conceſſus patronis propter beneficia Eccleſiæ collata: ergo ſecundum ſe vendibile eſt, & conſequenter ſolo iure Eccleſiaſtico erit Simoniaca illius venditio. Secundò probatur, nam D. Thomas hîc *art. 4. ad 3.* illud collocat inter annexa antecedenter, quæ eſſe vendibilia ſecundum ſe ſpectata affirmat. Quo pacto materiam Calicis, & veſtes Sacras docuimus *ſupra* licitè poſſe vendi, eo quod ſunt res annexæ ſpiritualibus antecedenter: econtra verò beneficia Eccleſiaſtica non poſſe vendi, quia ſunt annexa conſequenter: ergo ſi D. Thomas collocat ius patronatus inter annexa antecedenter, ſentit illud eſſe ſecundum ſe vendibile, licet intuitu religionis propter reſpectum quem habet ad ſpiritualem finem, Eccleſia illius venditionem conuenienter prohibuerit. Tertiò probatur, deſtruendo fundamentum primæ ſententiæ: nam ius patronatus tria habet quæ videntur aliquid ſpiritualitatis habere, ſcilicet eſſe ab Eccleſiaſtica poteſtate inſtitutum, ordinari ad finem ſpiritualem, qui eſt obtentio beneficij præſentati à Patrono, & exercere actum præſentationis, qui etiam ſpiritualis eſſe videtur, tamen ſecundùm hæc omnia eſt quid temporale & vendibile: ergo ſtando in iure diuino & ſecluſo iure poſitiuo: ergo intentum. Minor declaratur quoad ſingulas partes; inprimis inſtitutio iuris patronatus non eſt ab Eccleſia quatenus exercet ſpiritualis iuriſdictionis poteſtatem, ſed quatenus exercet politicam gubernandi poteſtatem. Hac enim duplici poteſta-

te

te fulget Ecclesia, ad quarum primam pertinet spiritualia officia & beneficia dispensare. Ad secundam verò temporalibus fauoribus ciues bene meritos huius Christianæ Reipublicæ prosequi; inter quos fauores, vnus est ius præsentandi ad Ecclesiastica officia aut beneficia, quod ius patronatus vocamus. Deinde licet finis ad quem ordinatur sit spiritualis, scilicet ipsum Ecclesiasticum beneficium, tamen ex hoc non redditur ius ipsum spirituale. Et instantia est in multis iuribus, quæ instituta sunt ad aliqua opera pia, vt ad captiuos redimendos, & ad collocandum Virgines nubiles in matrimonio, vel ad eligendos Capellanos in quibusdam capellaniis, non pertinentibus ad Episcoporum confirmationem: quæ iura licet ordinentur ad spirituale obiectum siue finem, ideo sunt spiritualia neque inuendibilia. Denique actus iuris patronatus, puta præsentatio ad beneficia Ecclesiastica, merè temporalis est secundum se, secluso iure positiuo, eo quod nullum ius nullámq; capacitatem confert ad beneficium, sed dumtaxat Patronatus ex concessione Ecclesiæ præparat, & applicat materiã ad beneficium, atque apponit cõditionem sine qua non esset valida beneficij collatio facienda ab Ordinario. Quoniam posset Ecclesia instituere, vt ad electionem Oeconomi, siue Aduocati præcederet alicuius patroni præsentatio, ita vt sine hac conditione talis electio irrita esset, & tamen hæc conditio non efficeret, quod huiusmodi officia secundum se spiritualia essent, quia stando in iure diuino & naturali temporalia sunt & vendibilia, vt *dubio sequenti* iam pergimus explicare.

CIrca res quarti generis, qualia sunt Sepulturæ locus, officium Oeconomi, & Sacri-
42 stæ; Dubitatur quartò † *An vendibiles sint absque vitio Simoniæ?* De quibus sigillatim in hoc dubio dicendum est. Et quantum attinet ad locum Sepulturæ, communis sententia asserit Sepulturam, & ius quod habet quis vt sepeliatur in loco Sacro, aut religioso, stando in iure naturali & diuino posse vendi sine vitio Simoniæ; secus autem stando in iure Ecclesiastico. De qua videndi sunt D. Thomas hîc *art.* 4. Syluester V. *Simonia quæst.* 11. & 12. & V. *Sepultura*, Glossa & Iurisperiti *in cap. abolendæ de Sepulturis.* & Torre *disp.* 7. Vnde pro eius declaratione dico
43 primò, † licitum est vendere stando in iure diuino locum Sacrum Sepulturæ, & ius occupandi illam ratione materialis, sicut de aliis annexis rebus spiritualibus dictum est. Et probatur, quia huiusmodi loca ad humanda fidelium corpora per quandam consecrationem vel benedictionem Ecclesiæ deputata, sunt annexa antecedenter consecrationi vel benedictioni, sicut vasa & vestimenta sacra: superuenit enim in illis terræ aut fundi consecratio siue benedictio: ergo licet non possint vendi, habito respectu ad consecrationem seu benedictionem, bene tamen possunt vendi, habito respectu ad locum materialem, qui secundum se pretio æstimabilis est. Confirmatur; nam si quis suis sumptibus emat, vel ædificet de nouo aliquod sepulchrum, bene potest absque Simoniæ vitio vendere alteri illud quantum ad proprietatem, habito respectu ad expensas in eo ædificando factas, quia secundum se pretio æstimabiles sunt. Sed etiam locus & fundus vbi Sepulchrum ædificatur, est pretio æstimabilis: ergo etiam potest tale sepulchrum vendi stando in iure naturæ, habito respectu ad fundum & illius valorem temporalem.

Dico Secundò: † Iure Ecclesiastico prohi- 44
bitum est, ne vendatur, vel locetur locus sacer ad Sepulturam, ac proinde talis venditio atque locatio Simoniaca est ex Ecclesiastica prohibitione. Probatur conclusio quoad primam partem, ex *cap.* citato *abolendæ*, & *cap quæsta*, cum tribus sequentibus, & *cap. audiuimus*, & *cap. cum in Ecclesiæ, de Simonia*; in quibus prohibetur à Pontificibus venditio terræ Sacræ seu benedictæ ad vsum sepulturæ, & huiusmodi prohibitio fit sub titulo Simoniæ: ergo. Deinde quoad secundam partem patet, tum ex capitulis citatis, tum etiam ex *cap. in Ecclesiastico de sepulturis*, vbi vniuersaliter Christianis vetatur accipere aliquam pecuniam pro vsu sepulchri; ergo non solùm venditio per quam aliquis accipit pretium, vt sinat alterum sepeliri in proprio sepulcho, prohibita censenda est. Et ex hac conclusione colligitur cum Sylueſtro *vbi supra qu.* 11. etiam esse Simoniam accipere pretium pro honoratiori loco sepulturæ, cuius ratio est, quia ibi tota ratio & proximum motiuum talis pretij est sanctitas loci, vel respectus ad maiorem loci sanctitatem qui nequit vendi; & licet motiuum remotum ementis, sit in tali emptione honor quidam humanus, qui non est spiritualis, sed in sola hominum approbatione consistens, sicut sedere in hoc vel in illo loco; tamen hoc non obstat, quominus ipsa res vendita sit Sacra, & per annexionem ad loci sanctitatem, etiam ille honor est annexus consequenter ad talem sanctitatem, ad eum modum quo honor humanus est annexus dignitati aut beneficio Ecclesiastico: ergo sicut qui propter hunc honorem mouetur ad emendum beneficium, est Simoniacus ex natura rei; ita qui propter illum honorem mouetur ad emendam sepulturam, erit Simoniacus saltem ex prohibitione Ecclesiæ; eo quod fundamentum huius honoris est maior sanctitas loci, ex maiori propinquitate ad altare vel ad Domini corpus proueniens.

Dico tertio: † poterit nihilominus accipere 45
pretium pro obligatione, qua se obligat qui curam habet Ecclesiæ nõ admittere alios in loco sepulturæ, cuius ius vult aliquis possidere. Hæc conclusio probatur primò, quia hæc obligatio est temporalis, & pretio æstimabilis, habetque se ad modum laboris accidentalis: ergo vendibilis est eadem ratione, qua labor accidentaliter annexus actioni spirituali licitè potest vendi, vt *supra* docuimus. Confirmatur; nam in præfatis capitulis Iuris Canonici, tantùm prohibetur venditio seu locatio terræ sacræ ad vsum sepulturæ. Sed in casu huius conclusionis, non venditur neque locatur terra aut locus sacer, sed obligatio vt nullus alius ibi sepeliatur, præter illum qui offert pretium pro adquirendo huiusmodi iure; ergo non censetur esse prohibita ab Ecclesia emptio talis iuris & obligationis, ac proinde etiam stando in iure positiuo erit licita. Secundò probatur ex vsu communiter recepto apud fideles, vendendi & emendi sepulturas, dum medio pretio dato adquirunt ius pro se, & suis domesticis sepeliendis in certo Ecclesiæ loco, aliis exclusis; qui vsus non est damnan-

dus,

dus, ſiquidem exercetur videntibus & conſentientibus Prælatis, ſecundum laudabiles conſuetudines vniuſcuiuſque Eccleſiæ: & tamen damnandus eſſet, ſi emeretur locus ipſe ſacer ad vſum ſepulturæ: ergo ſignum eſt in tantum eſſe licitum, in quantum emitur dumtaxat ius & obligatio excludendi alios à tali loco ſepulturæ.

46 De † officio vero Oeconomi, & Sacriſtæ duplex verſatur ſententia. Prima eſt Durandi *in* 3. *d.* 25. *quæſt.* 1. aſſerentis quod licet Eccleſiaſtico iure prohibitum ſit vendere hæc officia, non tamen eſt Simoniæ peccatum, licet puniatur pœnis pro Simoniacis taxatis. In eandem ſententiam inclinant Soto *lib.* 9. *quæſt.* 5. *art.* 2. *in ſolutione* 2. *ad argumentum Durandi*. Secunda eſt Gloſſæ *in cap. Saluator* ſuperius citato, & Turrecrematæ *ibidem*, aſſerentium quod nullatenus eſt ab Eccleſia prohibitum vendere hæc officia, niſi quando habent annexionem cum officiis aut dignitatibus ſpiritualibus Eccleſiæ, ac proinde neque Simoniæ neque alterius vitij peccatum in tali venditione committitur. Vtriuſque ſententiæ fundamentum eſt, quod nulla ſit admittenda Simonia ſolo iure poſitiuo humano prohibita, & conſequenter cùm huiuſmodi officia non ſint inuendibilia, ſtando in iure diuino ex ſola Eccleſiæ prohibitione, nequit fieri eorum venditio Simoniaca. Sed huius ſuppoſitionis falſitatem iam ſuperius oſtendimus *dub.* 2. *art.* 2. vbi de Simoniæ diuiſione agentes, docuimus circa res quarti generis dari poſſe Simoniam, ſolo poſitiuo humano iure prohibitam.

Vnde tertia & vera ſententia à nobis tenenda, in duobus conſiſtit dictis. Primum eſt quod
47 † vendere hæc officia licitum eſt ſtando in iure diuino; quod probatur, quia hæc officia nullam habent in ſe ſanctitatem, ſed ſunt merè temporalia: ſed ius diuinum non prohibet vendere, niſi ea quæ in ſe vel intrinſecè vel per annexionem habent aliquam ſanctitatem: ergo non prohibet huiuſmodi officiorum venditionem, in quibus nulla ſanctitas reperitur. Cuius etiam ſignum eſt, quod Epiſcopus vel Prælatus in collatione horum officiorum, non vtitur poteſtate ſpiritualis iuriſdictionis, ſed poteſtate politica qua fulget vt Princeps Reipublicæ ſecularis, ad quem officia ſecularia pertinet diſpenſare.
48 Secundum eſt, quod † vendere hæc officia eſt Simonia prohibita iure Eccleſiaſtico. Hoc probatur primò ex *cap. Saluator*, vbi Vrbanus Pontifex *ex cap. ſi quis Epiſcopus* 1. *q.* 1. dicit ex decreto Concilij Calcedonenſis, quod vendere hæc officia eſt Simoniacum; & non eſt Simoniacum ſecundum ius diuinum; ergo erit Simonia ſtando in iure humano. Secundò probatur, nam per ſolam legem Eccleſiæ poteſt conſtitui aliquod opus in ſpecie ſacrilegij, quod ex ſua natura ſacrilegium non erat: ergo licet venditio horum officiorum non ſit ex natura ſua in ſpecie irreligionis, potuit tamen in tali ſpecie conſtitui per legem Eccleſiæ illam prohibentis, in ordine ad finem religionis, ac proinde potuit fieri talis venditio Simoniaca. Conſequentia nota eſt; & probatur antecedens: quia licet ſtando in iure diuino & naturali, extrahere reos ab Eccleſia non ſit ſacrilegium, tamen ſuppoſita lege Eccleſiaſtica prohibente rerum extractionem ab Eccleſia, talis extractio eſt ſacrilega, quia prohibetur in ordine ad finem religionis, ſcilicet vt debita loco ſacro exhibeatur reuerentia: Lex autem Eccleſiaſtica lata circa venditionem horum officiorum, non prohibet illam niſi propter temporalem commoditatem Eccleſiarum. Sed contra arguitur Tertiò; nam finis & motiuum huius legis non eſt temporalis commoditas Eccleſiarum, ſed reuerentia quæ Eccleſiis debetur, & conſequenter earum adminiſtratoribus & procuratoribus. Ex eo enim quod hæc officia vendantur, nulla temporalis incommoditas Eccleſiis prouenit, poſſent enim emi iuſto pretio, & ab his qui ſummoperè illa adminiſtrarent. Reſultat autem Eccleſiis magna reuerentia, dum hæc officia non venduntur, ſed gratis diſpenſantur: qui finis ſpiritualis eſt, & habito reſpectu ad illum, Eccleſia prohibuit huiuſmodi officia vendi: ergo ſuppoſita hac lege, illorum venditio conſtituitur in materia Simoniæ. Confirmatur, nam conueniunt illi diffinitio & conditiones Simoniæ, ſuppoſita hac lege prohibita; ergo eſt Simoniaca venditio. Patet conſequentia à diffinitione; & Antecedens probatur, quia eſt commutatio voluntaria, inferens irreuerentiam rebus ſacris, nempe Eccleſiis quarum ſunt hæc officia; eſt enim actio illa contraria fini legis Eccleſiaſticæ, qui eſt reuerentia Eccleſiis exhibenda: & aliàs ſubiacet pœnis à iure ſtatutis contra Simoniacos, quas non incurrunt, niſi qui verè & propriè Simoniaci ſunt, vt dicemus *art.* 6. ergo.

Sunt tamen aduerſus hanc concluſionem † tria argumenta ſoluenda. Primò namque ar- 49
guit Durandus, quod in his quæ ſunt prohibita ſolo iure poſitiuo, tantùm contingit peccatum inobedientiæ, quia tota prohibitio in illis prouenit ex ſola authoritate prohibentis, & non ex malitia rei prohibitæ, ac proinde violatio talis legis ſolùm eſt contra obedientiam. Secundò, quia Eccleſia per legem poſitiuam nequit immutare naturas rerum; ergo nequit facere quod res quæ de ſe non erat ſancta, fiat ſancta ex lege ſuperueniente, & conſequenter nequit conſtituere in materia Simoniæ, id quod de ſe non eſt in tali materia. Quod confirmatur ab exemplo. Nam ſicut Eccleſia prohibet vendere hæc officia Oeconomi & Sacriſtæ, ita etiam prohibet vendere bona temporalia Eccleſiarum, videlicet agros, villas, domos, &c. Sed ex hac prohibitione non fit hæc venditio Simoniaca: ergo neque illa. Tertiò, nam vel ex hac prohibitione Eccleſiæ fiunt huiuſmodi officia ſacra aut benedicta, vel non; non poteſt dici primum; tum quia illa lex non eſt benedictio aut conſecratio officiorum. Tum etiam quia aliàs hæc officia pertinerent ad res ſacras ſecundi generis, ſcilicet per annexionem ad ſpirituale media Eccleſiæ conſecratione, vel ad res ſacras tertij generis per ſolam annexionem, & ſic illa vendere eſſet Simonia ſtando in iure diuino, ſicut vendere calicem conſecratum ratione conſecrationis, & vendere beneficium; hoc autem eſt falſum: ergo.

Ad † primum nihilominus reſpondetur ne- 50
gando antecedens: nam quoties Princeps aut Prælatus præcipit aliquem actum de ſe indifferentem, in ordine ad finem alicuius virtutis, conſtituit illum per ſuam legem in materia illius virtutis, vt latius docuimus *ſupra art.* 2. *dub.* 2.

*dub.*2.contra Durandum.Ad secundum respondetur,quod Ecclesia licet per legem positiuam non possit naturas rerum immutare in esse naturali,bene in esse morali:aliam enim rationem in genere moris habet actio postquam est præcepta, aut prohibita, quàm haberet antea. Ad confirmationem respondetur quod illa bona temporalia prohibentur vendi,non propter reuerentiam debitam sanctitati Ecclesiarum, qui est finis religionis,sed propter temporalem Ecclesiarum commoditatem,& ideo illorum venditio Simoniaca non est. Officia autem hæc de quibus est sermo prohibentur vendi,propter finem religionis, qui est reuerentiam debitam sanctitati Ecclesiæ exhibere; & propterea eorum venditio fit Simoniaca.

Ad tertium duplex est modus dicendi. Primus est Paludani *in* 4. *d.* 25. *q.*4. asserentis hæc officia post legem Ecclesiæ latam, non esse sancta neque connexa rebus sanctis,sed reputari vt sancta ab Ecclesia.Sed hic modus dicendi deficit à veritate, quia ex illo sequitur quod neque eorum venditio sit verè Simonia,sed tantùm sit reputanda vt Simoniaca, siquidem in illa non saluaretur diffinitio Simoniæ,neque vera materia Simoniæ, quæ est res spiritualis aut spirituali annexa. Consequens autem est falsum, & contra hucusque à nobis dicta; ergo. Quare secundus & verus modus dicendi est,quod hæc officia post legem latam sunt sancta, non quidem intrinseca sed extrinseca tantùm sanctitate, scilicet per sanctitatem Ecclesiarum ob quarum reuerentiam prohibentur vendi,ad eum modum quo medium temporale ordinatum ad finem spiritualem, potest dici spirituale ab extrinseca finis spiritualitate. Vnde differunt à rebus secundi & tertij generis, hæc enim sunt sancta per intrinsecam & formalem sanctitatem licet accidentaliter illis prouenientem: huiusmodi verò officia dicuntur sancta solùm per extrinsecam denominationem à sanctitate finis prouenientem, itavt de illis & de hiis dicetur sanctitas analogicè analogia attributionis: de illis quidem formaliter per formalem prædicationem, vt de subiecto sanctitatis, de hiis verò extrinsecè à sanctitate analogati principalioris, sicut sanum dicitur analogicè de subiecto, de causa, & de signo sanitatis.

Quo supposito ad argumentum, admissa maiori pro prima parte nego minorem. Ad cuius primam probationem respondetur, quod huiusmodi sanctitas extrinsecè denominans à sanctitate finis prouenies, bene potest induci à lege positiua Ecclesiæ, quamuis talis lex non sit consecratio, aut benedictio. Ad secundam nego sequelam;quia licet quando sanctitas formaliter conuenit ipsis rebus, licet dependenter ab Ecclesiæ institutione Simonia sit iure diuino prohibita illa vendere, tamen quando sanctitas est extrinseca rebus & per solam Ecclesiæ legem inducta, illas vendere est Simonia contra solum Ecclesiasticum ius: ad eum modum quo violatio ieiunij Quadragesimalis, per temperatam aliàs comestionem non est contra duplicem virtutem, abstinentiam scilicet & obedientiam, sed solùm contra obedientiam & Ecclesiæ præceptum, & non contra naturale præceptum temperantiæ,eo quod tota ratio intemperātiæ ibi reperta,est extrinseca ex sola lege positiua,ad finē abstinētiæ ordinata prouenies.

ARTICVLVS V.

Vtrum liceat spiritualia dare pro munere, quod est ab obsequio, vel à lingua?

SVMMARIVM.

1 *Referuntur quinque genera,ad quæ reduci possunt motiua ac tituli,ob quos res spiritualis potest conferri.*

2 *Duæ versantur sententiæ circa dubium; An scilicet Simonia sit dare beneficium aut aliud spirituale, solùm titulo consanguinitatis siue affinitatis?*

3 *Quarum sententia negatiua est verior, & tanquam concluſio tenenda probatur.*

4 *Respondetur ad fundamenta oppositæ sententiæ.*

5 *Referuntur duæ sententiæ circa dubium; An dare beneficium pro munere à manu, ab obsequio,vel à lingua, sit Simonia?*

6 *Quarum secunda sententia vt verior & communior in duobus consistit.*

7 *Triplex muneris genus, à manu scilicet, ab obsequio & lingua,potest aliquando in pretium conuerti, & aliquando habere rationem gratuiti doni & non pretij.*

8 *Pro munere à manu, ab obsequio vel à lingua rem spiritualem dare tanquam pro pretio, est Simonia.*

9 *In munere à manu ratio pretij inuenitur.*

10 *Munus ab obsequio habet rationem pretij, & consequenter constituit Simoniam in triplici casu.*

11 *Munus à lingua resoluitur in pretium in quatuor casibus.*

12 *Munera hæc quando rationem gratuiti doni non excedunt, non est Simonia illorum respectu alicui beneficium conferre.*

13 *Munera hæc licet rationem pretij non habeant, potest tamen fieri vitiosa collatio aut petitio beneficij propter illa.*

14 *Respondetur argumentis pro prima sententia adductis.*

15 *Referuntur tres sententiæ circa dubium; An scilicet in collatione beneficiorum spiritualium locum habeat redemptio vexationis, ita vt excusentur à vitio Simoniæ, propter metum, periculum imminens ac redemptionem vexationis?*

16 *Quarum Tertia, asserens neque ante adquisitum ius per titulum adeptum posse pecunia redimi vexationem, neque ex metu propter vitandum incommodum posse absque labe Simoniæ beneficium conferri, cum communi sententia Doctorum probatur.*

17 *Ante ius adquisitum in re spirituali, Simonia est pecunia redimere vexationem; secus autem post ius adquisitum.*

18 *Conferre beneficium ex metu indignationis non est Simonia.*

19 *Conferre beneficium ex timore secundi generis aliquando est Simonia.*

20 *Episcopus absque Simonia potest dare pecuniam ex metu amittendi aliquid spirituale.*

21 *Conferre beneficium cum pacto expresso recuperandi bona temporalia ipsius collatoris, aut ipsi ex euidenti iustitia commutatiua debita, non est Simonia.*

22 *Respondetur ad argumenta pro prima sententia adducta.*
23 *Respondetur fundamentis secundæ sententiæ.*
24 *An in renuntiatione beneficij facta in fauorem tertij, reperiatur malitia Simoniæ?*
25 *Renunciatio siue resignatio beneficij quid? Resignatio fit tripliciter,* ibid.
26 *Renunciatio simplex in fauorem tertiæ personæ adhuc duobus modis contingit.*
27 *Authores circa renunciationem primo modo vel absque confidentia factam diuiduntur in tres modos dicendi; quorum Primi asserunt renunciationem in fauorem tertij coram Ordinario factam esse licitam, & à vitio Simoniæ purgari.*
28 *Referuntur Authores pro secundo modo dicendi, asserentes huiusmodi renunciationes etiamsi absit pactum & conditio, esse Simoniacas ex iure humano, & collationes earum virtute factas inualidas, &c.*
29 *Tertius modus dicendi sub distinctione iuris noui & antiqui procedit.*
30 *Licet stando in iure communi duæ priores sententiæ sunt probabiles, prima tamen est præferenda secundæ.*
31 *Stando in iure nouo Pij V. quæcunque resignatio facta sub conditione coram Prælatis Summo Pontifice inferioribus est inualidæ & Simoniacæ.*
32 *Renunciationes reciprocæ, quæ sub specie permutationum fieri solent, etiam inualidæ & Simoniacæ sunt censendæ.*
33 *Renunciatio quando fit nec absolutè nec purè, & quando fit absolutè quidem sed non purè est inualida & Simoniaca.*
34 *Circa cuius asserti secundam partem, magna est controuersia inter Doctores.*
35 *Respondetur ad argumenta secundæ sententiæ, quatenus militant aduersus primam conclusionem Authoris.*
36 *Resignatio confidentialis potest fieri dupliciter.*
37 *An resignatio confidentialis facta secundo modo, stando in iure positiuo sit Simoniaca?*
38 *Confidentialis resignatio facta absque pacto & obligatione, nullo iure est Simoniaca.*
39 *In resignatione pensionis seu beneficiorum sub conditione, &c. etsi sit Simoniaca confidentia, non tamen est illa de qua prædictæ constitutiones loquuntur, neque earum pœnis est subiecta.*
40 *Inter confidentiales resignationes ibi comprehensas, est illa, qua resignans beneficium habet confidentiam de pensione non solùm alteri, sed etiam sibi persoluenda.*
41 *In prædictis constitutionibus damnatur non solùm confidentia in resignationibus, sed etiam in permutationibus commissa.*
42 *Confidentia beneficialis potest esse mentalis conuentionalis & realis, & solum realis est subiecta pœnis in prædictis constitutionibus taxatis.*
43 *Referuntur tres sententiæ circa dubium; vtrum scilicet in permutationibus & transactionibus beneficiorum reperiatur Simoniæ labes, & qua ratione huiusmodi contractus ab illa purgentur?*
44 *Quarum Tertia, asserens permutationes beneficiorum non esse Simoniacas, stando in iure diuino bene autem stando in iure positiuo, si fiant priuata authoritate, probatur.*
45 *Commutatio rerum purè spiritualium & beneficiorum æqualium priuata authoritate facta, non est Simoniaca stando in iure diuino.*
46 *Permutatio rerum spiritualium facta priuata authoritate, est Simoniaca, stando in iure positiuo.*
47 *Multa sunt spiritualia per annexionem, quæ licet beneficia non sint, ad illa tamen spectant vel reducuntur.*
48 *Permutatio si fiat de licentia Superioris, sufficienter à vitio Simoniæ purgatur.*
49 *Beneficia quando sunt inæqualia, licitum est excessum vnius supplere per consignationem annuæ pensionis, non de licentia Ordinarij, sed de licentia solius Pontificis.*
50 *Beneficium vnum quando excedit alterum quantum ad spirituale, nequit etiam de facultate Summi Pontificis excessus ille pecunia aut re pretio æstimabili compensari.*
51 *In materia beneficiali non est licita transactio priuata authoritate facta, etiamsi vnum spirituale pro alio transigatur, bene tamen si fiat authoritate Ordinarij.*
52 *Referuntur duo, quæ ex hac conclusione inferuntur.*
53 *Respondetur argumentis pro prima & secunda sententia adductis.*

CONCLVSIO est. Sicut est Simonia conferre spiritualia pro pecunia, vel pro alio munere à manu, ita pro munere ab obsequio, vel à lingua, quod est pecunia æstimabile. Ad † quinque genera reduci 1
possunt motiua, ac tituli ob quos res spiritualis potest conferri, & qui pretij rationem non ita rigorosè subinduunt, vt illorum exhibitione fiat contractus emptionis ac venditionis, & propter quos contingit dari spiritualia extra contractum emptionis: de hiis enim agunt ex professo Scholastici cum D. Thoma. Ad primum genus pertinent illa quæ nec muneris, nec obsequij rationem habent, vt est titulus amicitiæ, & consanguinitatis. Ad secundum spectant obsequia & munera à manu, vt quando aliquis seruit Episcopo, vel ei aliquod donum offert, & munera à lingua, vt laudes & preces. Et in tertio collocantur metus examinis, vel alia de causa conceptus, ac redemptio vexationis. Ad quartum genus pertinet beneficiorum spiritualium renuntiatio: & ad quintum tandem spectant eorundem beneficiorum commutatio atque transactio. De quorum singulis dubia singula mouenda sunt.

DVbitatur primò: † *An Simonia sit dare beneficium, aut aliud spirituale, solùm titulo consanguinitatis siue affinitatis?* In hoc dubio duæ versantur sententiæ. Prima est affirmatiua quam sequuntur Maior *in* 4. *d.* 25. *q.* 3. *ad* 1. Bonau. *in* 4. *d.* 25. *q.* 1. & author Parisiensis relatus ab Altisiodorensi. Cuius fundamenta sunt duo. Primum desumitur ex *cap. Nemo de Simonia*, & *cap. Si quis neque.* 1. *q.* 1. vbi dicitur Simoniam esse dare aliquod spirituale, non solùm pro munere à manu, obsequio, vel à lingua, sed etiam pro carnali affectu qualis est ad consanguineos. Secundum desumitur ex ratione, qua D. Thomas vtitur hîc in argumento 2. Nam consanguinitas siue affinitas non est minus pretio æstimabilis, quàm laus, 2
siue

ſiue humanus fauor, qui eſt munus à lingua, Sed dare ſpirituale pro re pretio æſtimabili eſt Simonia, ſicut pro munere à lingua, vel ab obſequio: ergo etiam dare ſpirituale propter conſanguinitatem erit ſimonia. Minor patet & probatur maior, quia pretio æſtimabile eſt, quod quis ſe fingat conſanguineum alterius. Vnde ſi vir illuſtris ſe fingat conſanguineum alterius Epiſcopi ex infimo ſanguine, & propterea det ei Epiſcopus beneficium, ſimoniacus erit: ergo conſanguinitas pretio æſtimabilis eſt.

3 Secunda † ſententia nihilominus negatiua, eſt vera, illámque ſequitur D. Thomas hîc *ad* 2. Couarruuias *lib.* 1. *variarum cap.* 5. *num.* 4. Adrianus *quodlibeto* 9. *citato ad* 3. Caietanus hîc, Torre *diſp.* 1. cum omnibus aliis D. Thomæ interpretibus. Vnde à nobis ſtatuitur tanquam concluſio tenenda. Et probatur; nam tantùm ſunt tria munera pretio æſtimabilia, pro quibus ſi detur ſpirituale incurritur Simonia, videlicet munus à manu, lingua, & ab obſequio, ſub quorum nullo comprehenditur conſanguinitas, aut affinitas; quia hæ non poſſunt donari: ergo. Confirmatur; nam dare benficium alicui conſanguineo vel affini, non eſt dare illud pro re temporali & pretio æſtimabili: ergo non eſt Simonia. Antecedens probatur, quia ſolùm pretio æſtimatur id ex quo de nouo alicui poteſt vtilitas prouenire, & quod ſub pacto poteſt deduci; Sed conſanguineo & affini nequit hæc conuentio aduenire de nouo, neque poteſt in pactum deduci, cùm ſit res omnino propria recipientis beneficium & non ſub dominio dantis conſtituta: ergo. Pro cuius declaratione nota, quod tripliciter ſe poteſt habere in conferendo beneficium conſanguineo. Vel præfert illum dignioribus, & ſic peccat contra iuſtitiam diſtributiuam, vel nulli digniori illum præfert, & alios habet reſpectus principales non ad conſanguinitatem, ſed ad bonum Eccleſiæ, & ſic rectè agit; vel habet reſpectum principaliter ad conſanguinitatem, & ſic peccat inordinatè prouidendo de ſpiritualibus, non propter ſpiritualem finem. Et in hoc ſenſu loquitur D. Thomas, quando *in ſolutione ad* 2. ait, quod conferre beneficium conſanguineo propter conſanguinitatem principaliter eſt illicitum, non tamen eſt peccatum mortale, ſed veniale, quia debita intentio non ſaluatur in collatione rei ſpiritualis, cui fauet conſuetudo de beneficiis patrimonialibus, quæ non recipiuntur, niſi nati, vel oriundi ex tali populo; & eadem videtur eſſe ratio, quod ſit naturalis, vel quod ſit conſanguineus, cæteris paribus iſti reputantur
4 digniores.

Vnde † ad Primum fundamentum oppoſitæ ſententiæ reſpondetur, quod in illis textibus non prohibetur talis datio vt Simoniaca, ſed dumtaxat reprehenditur vſus quorundam Epiſcoporum, qui prætermiſſis dignioribus, contra iuſtitiam diſtributiuam præferunt conſanguineos in collatione beneficiorum. At ſi Epiſcopus ſuis conſanguineis aliàs bene meritis, etiam comparatione aliorum conferat beneficia ratione conſanguinitatis ceſſante ſcandalo, nullum peccatum committit. Ad ſecundum vel neganda eſt maior, vel diſtinguenda eſt minor. Simonia eſt dare ſpirituale pro re æſtimabili, quæ poteſt ab vno in alium transferri, & quæ habet rationem pretij, tranſeat; pro re æſtimabili quæ transferri nequit, & non habet rationem pretij, nego minorem. Et quia conſanguinitas nequit dari, propterea licet valde æſtimabilis ſit, non poteſt eſſe materia Simoniæ. In caſu autem adducto de illo qui fingit conſanguineum ſe eſſe Epiſcopi eſt Simonia, quia illa fictio eſt munus à lingua.

DVbitatur Secundò; † *An dare beneficium* 5
pro munere à manu, ab obſequio, vel à lingua ſit Simonia? In hoc dubio duæ verſantur ſententiæ. Prima abſolutè affirmatiua eſt, quam tuentur Adrianus *quodlib.* 9. *art.* 2. *dub.* 1. & Durandus *in* 4. *d.* 25. *q.* 1. & Syluester V. *Simonia quæſt.* 16. & Gloſſa *in cap. condonationes*, quibus fauere videtur D. Thomas *in hoc art. ad* 3. vbi abſolutè aſſerit, quod dare beneficium propter preces principaliter, eſt Simoniacum: preces autem ſunt munus à lingua. Ex quo ſumitur primum argumentum pro hac ſententia, quia dare beneficium pro re pretio æſtimabili eſt Simonia; ſed hæc tria munera à manu, à lingua, & ab obſequio ſunt pretio æſtimabilia: ergo. Secundum. Nam propterea in multis iuribus prohibetur dari beneficium ſpirituale propter aliquod ex hiis tribus muneribus, vt *in cap. Placuit* 1. *q.* 1. *& cap. non ſatis ibidem*: & *cap. cum in Eccleſia*, & *cap. ſicut tuis de Simonia*, & *cap. nemo eiuſdem tit.* prohibetur, ne Præsbyteri pœnitentem gratia vel fauore ad reconciliationem adducant, quia Simoniacum eſt vtrumque: & *in cap. ordinationes* 1. *quæſt.* 1. dicitur ordinationes factas precibus falſas eſſe, ſicut factas pecunia vel Simoniacas: ergo. Tertiò; nam teſte D. Thoma hîc *ad* 3. quando obſequium eſt inhoneſtum, ſicut quando quis Epiſcopo ſeruit propter conſanguineorum aut patrimonij vtilitatem, aut propter alium malum finem; tunc dare beneficium pro tali obſequio Simoniacum eſt, & nonniſi quia eſt quid temporale & pretio æſtimabile: ergo etiam quando obſequium eſt honeſtum, & ad Eccleſiæ vtilitatem ordinatum ſiquidem tunc eſt pretio æſtimabile.

Secunda † ſententia, quæ ſicut communior, 6
ita & verior in duobus conſiſtit. Primum eſt, quod quando hæc munera ſortiuntur ex pacto aut ex intentione dantis ſeu recipientis beneficium ſpirituale ratione pretij, tunc eſt ſimonia pro illis beneficium aut rem aliam ſpiritualem dare. Secundum eſt, quod ſi pretij rationem non induant, neque ſimoniam conſtituunt, etſi alterius peccati poſſint eſſe cauſa vel occaſio. Ita Caietanus hîc *& V. Simonia*; Victoria *relectione de ſimonia à n.* 36. Paludanus *in* 4. *d.* 25. & Gloſſa *in cap. cum eſſet*. Soto *q.* 7. *art.* 2. Nauarro *in manuali c.* 23. *à n.* 120. Torre *hic diſp.* 2. 3. *&* 4. & Malderus *tractat.* 9. *cap.* 3. *dub.* 15.

Pro cuius declaratione dico primò. Hoc † 7
triplex muneris genus à manu ſcilicet, ab obſequio, & lingua, poteſt aliquando in pretium conuerti, & aliquando habere rationem gratuiti doni, & non pretij. Hæc concluſio probatur primò; nam hæc diſtinctio habetur *in c. tua nos* de Simonia, vbi Pontifex loquens de illo qui donat Eccleſiæ Cathedrali bona ſua, vt ad Canoniam admittatur, ait quod Simoniaci ſunt tam ille qui petit admitti, quàm Canonici admittentes, ſi ille velit dare ſua bona vt pretium Canoniæ: ſecus ſi gratis & non ex hac praua intentione illa donet: ergo. Secundò, nam munus à

manu consistit in re, vel pecunia, munus ab obsequio in actione, & munus à lingua in sermone: vt habet Vrbanus Papa *in cap. Saluator* 1. *quæst.* 3. & Gregorius *in cap. sunt nonnulli*, vnde hæc diuisio primò desumpta est. Sed hæc possunt habere rationem pretij, & gratuiti doni: ergo. Minor probatur pro prima parte, quia sunt ad vtilitatem temporalem, & pretio æstimabilem, & aliàs possunt exhiberi intuitu mercedis, aut ex auaritia & non gratis, quæ sunt conditiones pretij: ergo. Deinde pro secunda parte probatur, quia etiam possunt hæc munera ex amicitia aut ex gratitudine exhiberi, & tunc non habent pretij, sed gratuiti doni rationem, quod est materia gratitudinis & amicitiæ: ergo. Tertiò, nam non solùm materia emptionis sed & locationis, & conductionis habet rationem pretij, & ideo non solùm emptio sed etiam locatio rei spiritualis est Simonia: vt docet D. Thomas *art.* 1. Sed potest quis locare opera linguæ, ac manuum suarum; ergo potest illas vt pretium exhibere; & aliàs potest etiam illas absque vllo pacto & sine intentione obligandi alterum impendere, & tunc non habebunt rationem pretij: ergo.

8 Dico secundò; † pro munere à manu, ab obsequio, vel à lingua rem spiritualem dare tanquam pro pretio est Simonia. Hæc conclusio probatur primò. Nam hæc munera quando habent rationem pretij non dantur gratis, sed intuitu mercedis: Sed dare beneficium tanquam mercedem pretij temporalis est Simonia, quia non est gratuita donatio, sed auara: ergo. Minor patet, nam quando beneficium datur pro huiusmodi muneribus tanquam pro pretio, est quia datur intuitu vtilitatis alicuius temporalis accrescentis collatori beneficij, sic enim aliquid habet rationem pretij; bonum autem vtile temporale teste D. Thoma *infra quæst.* 118. est obiectum auaritiæ: ergo. Secundò probatur, explicando in singulis prædictis muneribus, quo pacto ratio pretij temporalis interueniat.

9 Nam † in munere à manu, quod in rebus à manu acceptis cõsistit, facilè inuenitur ratio pretij. Sunt enim dona pecuniæ æstimabilia, ac proinde vtilia accipienti. Vnde quoties aliquod donum datur intuitu accipiendi pro illo beneficium, aut econtra beneficium confertur propter donum acceptum vel accipiendum, Simonia est: quia tunc committitur contractus onerosus, qui vel est emptio explicita, siue implicita vel emptioni æquiualens. Sufficit autem ad huiusmodi contractum non solùm intentio formalis, qua quis expressè & formaliter intendit dare vel recipere munus pro re spirituali, sed etiam virtualis, qua quis intendit non expressè, sed implicitè munus dare vel accipere pro re spirituali, qualis fuit in casu capituli citati *tua nos*: qui vt simoniacus damnatur, propter huiusmodi virtualem & implicitam intensionem. Huius autem prauæ intentionis signum est, quando non interuenit aliquis ex titulis assignatis, ob quos *supra* ostendimus licitè posse accipi commodum temporale pro actione spirituali, vt stipendij, laboris redemptionis vexationis, vel honestæ amicitiæ; & nihilominus datur munus temporale pro spirituali. Si autem contingit aliquẽ dare vel recipere spiritualia, attendendo secundariò ad munus temporale propter aliquam causam honestam illud dandi vel recipiendi; tunc talis intentio non censetur Simoniaca, quo pacto Sacerdos applicans Missam pro illo qui stipendium dedit, aliàs oblaturus, non est censendus Simoniacus, bene tamen si nullum ius haberet exigendi stipendium pro Missa, & nihilominus illud exigeret aliàs non celebraturus, nam tunc censetur habere virtualem intentionem vendendi Missam, & exigendi stipendium vt pretium illius.

Deinde † munus ab obsequio habet rationem pretij, & consequenter constituit Simoniam in triplici casu. Primus est, quando beneficium spirituale confertur alicui in recompensationem obsequiorum iam exhibitorum ante beneficij collationem, vt si Episcopus famulo qui ei per tres annos sine salario, vel pro diminuto salario inseruiuit, conferat beneficium, vt eius obsequia præterita recompenset. Secundus est, quando beneficium confertur ab Episcopo in recompensationem obsequiorum futurorum absque pacto, vt quando Episcopus habeat Secretarium qui nullum vult salarium, eo quod scit Episcopum habere intentionem dandi ei beneficium. Tertius est, quando interuenit pactum, vt si Episcopus dicat famulo; serui mihi absque salario, & dabo tibi beneficium, vel habeo intentionem recompensandi obsequia tua beneficio Ecclesiastico. Ratio huius est, quia in omnibus casibus beneficium datur vt merces obsequij præteriti vel futuri, quod etiam exhibetur vt pretium beneficij; eadem enim ratio promissionis in futurum, atque solutionis præexistentis debiti, vt videre licet *in cap. cum essent de Simonia*. Inter hos tamen casus hoc versatur discrimen, quod licet in omnibus fiat Simoniaca collatio beneficij, eo quod in omnibus beneficium resoluitur in mercedem & salarium obsequij: tamen solùm in tertio incurrit recipiens beneficium pœnas iuris, & tenetur ad restitutionem beneficij cum fructibus; in aliis autem non incurrit huiusmodi pœnas, quia solùm est Simoniacus mentalis, quando non interuenit pactum. Simonia autem in qua non interuenit pactum non subiicitur pœnis iuris, neque obligationi restituendi, vt habetur *in cap. mandatum de Simonia*. 1

Denique † munus à lingua quod sub se preces, intercessiones, laudes & humanum fauorem comprehendit, resoluitur in pretium in quatuor casibus. Primus est, quando ex vi pacti aut promissionis præcedit collationem beneficij: vt si Episcopus promittat beneficium alicui si pro illo fundat preces apud Regem, vel quia illum ladet coram Rege, aut quia si nobilis est vociferet se esse Episcopi consanguineum. Secundus est, quando pro precibus in futurum datur beneficium; Vt si Episcopus det beneficium alicui, ea conditione vt postea eum laudet apud Regem, vel pro eo apud Principem preces fundat. Tertius est, quando pactum fit de precibus fundendis apud ipsum collatorem beneficij: vt si dicat Episcopus, nolo tibi dare beneficium, nisi roget pro te talis persona, vt hinc sumat occasionem illam personam obligandi, aut ineundi amicitiam cum illa. Quartus est, quando quis conducit aliquam personam, vt pro ipso apud Episcopũ preces fundat ad beneficiũ obtinẽdum, quo pacto sunt aliqui stipendiati in Curia Romana, ad beneficia obtinenda pro 11

stipen

ſtipendiariis, qui propterea non ſunt excuſandi à Simonia. Ratio horum omnium vna eſt, quod beneficium in prædictis caſibus, ex promiſſione vel pacto vertitur in rationem mercedis laudum, vel precum exhibitarum, vel exhibendarum, quæ etiam ſortiuntur rationem muneris à lingua æſtimabilis pretio: Ex quo fit collationem beneficij non eſſe gratuitam. Quod amplius declaratur; nam tunc conſtituitur Simoniaca collatio beneficij contra Chriſti Domini præceptum *Matth.* 10. quando interuenit aliquod temporale & vtile, provt eſt obiectum auaritiæ. Sed in caſibus prædictis interuenit aliquod huiuſmodi: interuenit enim non qualiſcumque laus, aut interceſſio, ſed illa quæ reſoluitur in commodum temporale, quale eſt rogare Regem, vt promoueat Epiſcopum, vel honoret aliquem eius conſanguineum, & laudare illum ob eundem finem: vel interuenit etiam pactum ratione cuius laus & amicitia quæ de ſe non ſunt pretio æſtimabiles, vertuntur in rationem pretij: quamuis enim laudare Petrum, vel eſſe eius amicum non ſit pecunia æſtimabile; tamen obligare me vt laudem Petrum, vel vt ſim eius amicus, hoc eſt pretio æſtimabile; vnde dare beneficium pro hac obligatione Simoniacum eſt.

12 Dico tertiò; † quando hæc munera rationem gratuiti doni non excedunt, non eſt Simonia propter illa reſpecta ſecunda intentione conferre alicui beneficium. Hæc concluſio probatur diſcurrendo per ſingulas, & oſtendendo quando & quomodo huiuſmodi munera maneant intra rationem doni gratuiti, & neutiquam in pretium reſoluantur. Munus igitur à manu datur gratis, quando datur ex beneuolentia & amicitia, & ſine vlla intentione obligandi recipientem, & tunc non conſtituit collationem beneficij Simoniacam, ſiue detur ante, ſiue poſt ipſam collationem, vt habetur *in cap. quam pio.* & *in cap. Sicut Epiſcopus.* 2. *q.* 2. & *in cap. Placuit.* 1. *q.* 1. reducitur etiam ad gratuitam donationem, quando munus à manu debetur ex aliquo iuſto titulo, vt pro ſuſtentatione, vel pro aliquo extraordinario labore, vel pro redimenda vexatione, eò quòd licet tunc ex iuſtitia debeatur beneficiato tale munus, tamen non tollit quin gratis beneficium conferatur. Deinde munus ab obſequio habet rationem gratuitæ donationis, quoties non exhibetur cum intentione obligandi, ſed ex mera beneuolentia principaliter, licet minus principaliter habeatur reſpectus ad beneficium; quod explicatur in duobus caſibus. Primus eſt, ſi aliquis aliàs dignus beneficio aut miniſterio ſpirituali ſeruiat Epiſcopo hac intentione, vt conſtet illi de ipſius ſufficientia & dignitate, atque ea cognita aſſequatur aliquod beneficium ab Epiſcopo, tunc nulla eſt Simonia, ſi iſte hac via beneficium conſequatur. Secundus eſt, quando aliquis ſeruit Epiſcopo hac intentione, vt eius beneuolentiam & gratiam conſequatur, & ſic poſtea ratione beneuolentiæ ei de facili conferat beneficium; ſi poſtea Epiſcopus confetat huic beneficium, quia illum dilexit & in ſuam amicitiam acceptauit, nulla eſt Simonia. Quorum ratio vna eſt, quod in neutro caſu beneficium vertitur in ſalarium obſequij, neque datur in recompenſationem illius, ſed omnino gratis. Denique de munere à lingua dicendum eſt, quod preces pro obtinendo beneficio ſiue honeſtæ, ſiue inhoneſtæ ſint, ſi fiant ſine pacto & promiſſione, non habent rationem pretij, & conſequenter neque conſtituunt Simoniacam beneficij collationem. Et eadem ratio eſt de laudibus, humano fauore & ſimilibus, quod patet ex eo quod conferre iſto modo propter preces beneficium, non impedit gratuitam donationem: Sunt enim preces motiua quædam amicabilia. Vnde ſicut dare beneficium intuitu amicitiæ, non eſt dare illud pro pretio; ita neque dare beneficium intuitu precum etiam inhoneſtarum, eſt illud dare pro pretio: ergo. Confirmatur dupliciter, primo exemplo: nam mutuare propter preces non eſt vſura, quia preces non tollunt gratuitam donationem: ergo neque eſt Simonia propter eandem rationem. Confirmatur ſecundò ex vſu approbato apud probos viros, qui petunt aliqua ſpiritualia, vt orationes, ſuffragia, Miſſas, & ſæpè ſæpiùs inducunt aliquos, qui apud Prælatos & collatores beneficiorum preces fundant, ad impetrandum eis Eccleſiaſtica beneficia ſiue officia, neque tamen vſus iſte adeò frequens in Eccleſia eſt damnandus: ergo.

Dico quartò: nihilominus, † licet munera hæc rationem pretij non habeant, poteſt fieri vitioſa collatio aut petitio beneficij propter illa. Hæc concluſio probatur primò ex D. Thoma *hîc ad* 3. aſſerente quod ſi aliquis pro ſe roget vt obtineat curam animarum, ex ipſa præſumptione redditur indignus, etſi preces ſint pro digno: ergo licet huiuſmodi preces inhoneſtæ non conſtituant Simoniam, quia pretij rationem non habent, aliquando tamen aliis vitiis implicantur. Secundò probatur, nam conferre beneficium vel aliud ſpirituale, ad captandum commodum vel fauorem humanum eſt illicitum, & tamen non eſt Simonia: ergo ſpectat ad aliud genus peccati. Maior probatur, tum quia D. Thomas *hîc ad* 2. ait illicitam eſſe carnalem affectionem in huiuſmodi collationibus. Tum etiam, quia huiuſmodi ſpiritualium collationes propter humanum fauorem aſſequendum, ſunt prohibitæ in textibus allegatis *in argumento* 2. facto prima ſententia: ergo. Minor verò probatur multipliciter, quia huiuſmodi fauor non tollit gratuitam donationem in aliis rebus ſpiritualibus, v.gr. canere, vel concionari ad petitionem alicuius, vt pro eo laudes fundat, ex quibus nulla temporalis vtilitas canenti, vel concionanti accreſcit. Tum etiam, quia Simonia nequit reperiri ſine emptione formali, vel virtuali, qualis eſt oneroſus contractus qui in huiuſmodi collationibus nullatenus interuenit: ergo. Tertiò, quia aliàs etiam eſſet Simonia, laudare collatorem poſt collationem beneficij factam; quod tamen eſt abſurdum: non enim collatio fit Simoniaca ex eo quod collator laudetur poſt factam collationem, aliàs non liceret recipienti beneficium laudare ſuum benefactorem, quod non eſt admittendum: ergo. Sequela verò probatur, quia quando datur pretium pro ſpirituali, non ſolùm eſt Simonia, ſi detur ante factum, ſed etiam poſt factum. 13

Ad † primum in contrarium reſpondetur quod probat ſecundam concluſionem, nempe quod quando aliquod ex hiis muneribus vertitur in pretium, tunc eſt Simonia conferre pro illo beneficium. Neque aliud voluit D. Thomas, 14

quando *in ſolutione ad* 3. dixit;qui principaliter preces pro indigno porrectas exaudit, factum facit Simoniacum. Senſus enim duplex eſſe poteſt. Primus quod eſt factum Simoniacum non ſecundùm rei veritatem,ſed ſecundùm præſumptionem, eò quòd collator beneficij non mouetur ex dignitate ad conferendum indigno beneficium, ſequitur moueri ex aliquo pretio ſperato,aut ex precibus exhibitis per modum pretij. Secundus eſt quod factum eſt Simoniacum, quoties datur indigno beneficium principaliter propter preces,non quaſcumque, ſed vtiles collatori,vt ex pacto vel promiſſione fuſas,quia ſic vertuntur in pretium beneficij collati. Neque amplius voluit *in* 4.*d*.25.*quæſt*.3. *art*.3. dicens Simoniam eſſe dare ſpirituale pro aliquo commodo temporali, diſtinguénſque multiplex temporale, annumerat preces; Nam loquebatur de precibus quæ in commodum temporale ſoluuntur; ſic enim ſe explicat *hîc ad* 2. dū ait;munus à lingua dicitur vel ipſa laus pertinés ad fauorem humanum,qui ſub pretio cadit,vel etiam preces ex quibus adquiritur fauor humanus; non quæcumque laudes aut preces, ſed ſolùm illæ quæ reſoluuntur in commodum temporale, conſtituunt Simoniacam collationem.

Ad ſecundum reſpondetur, quod in illis textibus non prohibetur collatio beneficij, facta propter preces aut aliam carnalem affectionem, quaſi Simoniaca propriè, ſed largè & impropriè, quia illicita aliis de cauſis redditur, aut quia eſt Simonia præſumpta. Et ſic *in cap. Ordinationes*,non agitur de Simonia, ſed de modis aliis illicitis conferendi ordines: *in cap.* autem *nemo*, non perpenditur fauor aut gratia quam facit qui exaudit preces, ſed quam ex praua intentione prætendit, & ſic preces habent rationem pretij, quatenus ex eis aliqua vtilitas prætenditur à collatore beneficij,& ob has preces meritò damnatur ibi vt Simoniaca collatio facta beneficij. Ad tertium reſpondetur iuxta dicta *in* 2. *concluſione*, quod D. Thomas tantùm vult in illa *ſolutione ad* 1. collationem beneficij factam propter obſequium,quod non gratis,ſed vt pretium à famulo exhibetur, tollere gratuitam donationem beneficij, & conſequenter illam efficere Simoniacam; & quia hoc contingit quando obſequium eſt inhoneſtum,quia tunc exhibetur ex praua intentione aſſequendi beneficium vt ſalarium: ideo D.Thomas determinatè dixit,Simoniacum eſſe conferre beneficium propter obſequium inhoneſtum.

15 Dubitatur tertiò. † *An in collatione beneficiorum ſpiritualium locum habeat redemptio vexationis,ita vt excuſentur à vitio Simoniæ propter metum,periculum imminens,ac redemptionem vexationis?* In hoc dubio tres verſantur ſententiæ. Prima affirmat abſolutè, & in omni euentu eſſe licitum in obtentione beneficiorum Eccleſiaſticorum & collatione, pecunia redimere vexationem. Ita Valentia *hîc diſp.6. q.16. punct.* 3. cuius fundamenta potiſſima ſunt tria.Primò quia poſt adquiſitum ius ad beneficium poteſt quis pecunia redimere vexationem: ſed eadem eſt ratio ante adquiſitum ius ex titulo collationis: ergo in omni euentu poteſt illam redimere. Maior eſt D. Thomæ *in art.*2.*ad* 5.& probatur minor: nam ſi quis ſit dignus beneficio antequam accipiat titulum ab Epiſcopo,& habeat examen expoſitionis,poteſt licitè pecuniam aliis indignis concurrentibus dare,ne ſe opponāt:habet enim iam ex eo quod eſt dignior ius iuſtitiæ diſtributiuæ,quæ eſt nobilior virtus quàm iuſtitia commutatiua. Vnde Epiſcopus eligens minus dignum in præſentia huius, illi iniuſtitiam faceret, & tenetur ad ei reſtituendum, quod non eſſet niſi ius haberet iſte iuſtitiæ diſtributiuæ: ergo poteſt ſuum ius illæſum ſeruare.Secundò,quia non eſt Simonia niſi vbi ſaluatur emptio aliquo modo rei ſpiritualis pro pretio temporali, vt ſuperius dictum eſt. Sed redemptio vexationis nullo modo eſt emptio rei ſpiritualis: qui enim redimit vexationem non emit rem acquirendam, quæ per vexationem impedita erat, ſed tantùm tollit impedimentum nempe vexationem, quo ſublato gratis datur beneficium. Vnde nihil ſpirituale emit, ſed tantùm libertatem ab iniuria ſiue violentia, quæ ſpiritualis non eſt; ergo. Tertiò,nam propterea poſt ius adquiſitum, poteſt quis redimere vexationem, quia affectus & intentio redimentis non habet pro obiecto emptionem rei ſpiritualis, ſed conſeruationem iuris ſui quieti & pacifici;ſed etiam ante adquiſitum ius, affectus redimentis non extenditur ad emptionem rei ſpiritualis, ſed ad ſeruandum ius ſuum quietum & pacificum: habet enim vnuſquiſque maximè ſi eſt dignus,ius, vt non fiat ei violentia & iniuria in prætenſione beneficij: ergo prō conſeruando illæſum hoc ius quod habet, & remouendo iniuriam,poteſt licitè pecunia redimere vexationem.

Secunda ſententia aſſerit, quod neque eſt Simonia conferre beneficium, propter timorem amitttendi commodum temporale. Ita Soto *lib.*9. *q.* 7. *art.*3. Victoria *in relectione n.* 25. P. Sancius *diſp.*3. *de Simonia*, & Aragon *in hoc articul.* Quorum fundamenta ſunt duo.Primum deſumptum ex D.Thomæ teſtimoniis:nam *in* 4. *d.*25.*q.*3.*ad* 4.hoc motiuum numerat inter preces quas armatas vocat; & hîc *in ſolutione ad* 2. ait non eſſe Simoniam conferre digno beneficium propter amicitiam & beneuolētiam;Sed conferre beneficium propter preces non eſt Simonia,*vt dubio præcedenti* docuimus; & ſimiliter timor poteſt eſſe in collatione beneficij amittendi amicitiam,niſi conferat beneficium: ergo collatio ex tali timore facta, Simoniaca non eſt.Secundum, nam metus mali temporalis non tollit gratuitam donationem beneficij.Sed donatio gratuita non eſt Simoniaca:ergo.Maior probatur dupliciter. Primò quia dare beneficium ex metu mali imminentis, idem eſt atque illud dare ad euitandum comminatum, & hoc eſt idem atque dare beneficium, ad placandum iram comminantis, & vt deponat odium, atque voluntatem inferendi malum;Sed hoc non habet rationem pretij ſed amicabilis motiui, quod Simoniam non conſtituit. Sed neque ad Simoniam ſufficit, quod collator velit conferre beneficium ad conciliandam amicitiam electi: & idem eſt velle amicitiam conciliare, atque velle eius iram placare: ergo. Secundò, nam propterea in multis iuris textibus nonnullas collationes ex metu factas Pontifices non improbant vt Simoniacas, v.g. *in cap. ad aures & cap.ad audientiam,de his quæ vi,*&c.*& cap. Abbas*

eiuſdem

eiuſdem tituli approbantur quædam reſignationes beneficiorum factæ ex metu graui & in virum conſtantem cadenti: quæ tamen non approbarentur ſi eſſent Simoniacæ: ergo.

16 Tertia † ſententia aſſerit neque ante adquiſitum ius per titulum adeptũ poſſe pecunia redimi vexationem, neque ex metu propter vitandum incommodum temporale pretio æſtimabile, poſſe conferri beneficium abſque labe Simoniæ. Hæc eſt communis ſententia, quam ſequuntur cum D. Thoma hîc, & *in loco allegato 4. ſententiarum*, Caietanus *opuſculo de Simonia q. 3.* Adrianus *quodlib. 9.* Maior & Durandus *vbi ſupra q. 4.* Couarruuias *lib. 1. variarum c. 11.* Felinus *in cap. dilectus 1. de Simonia.* Rebuffus *titulo de Simonia n. 3.* Torre *ſuper art. 4. diſp. 9. & ſuper art. 5. diſp. 5.* & Malderus *c. 3. citato dub. 16. & 17.* Pro cuius declaratione ſequentes ſtatuere concluſiones placet.

17 Dico primò; † ante ius adquiſitum in re ſpirituali Simonia eſt pecunia redimere vexationem; ſecus autem ſi redemptio vexationis fiat poſt ius adquiſitum in re ſpirituali. Hæc concluſio ſtatuitur aduerſus authores primæ ſententiæ & eſt expreſſa D. Thomæ *art. 2. ad 5.* vbi vtramque concluſionis partem, quaſi pro duplici regula conſtanter obſeruanda aſſignat. Et pro prima parte probatur, quia ille dicitur ante ius adquiſitum ad ſpirituale beneficium, qui nondum habet plenum & exactum titulum in illo: ſed qui per pecuniam, aut rem pretio æſtimabilem ſic redimit vexationem, vt intentet adquirere ius ad beneficium ſpirituale; parat ſibi viam ad rem ſpiritualem, quod eſt illam virtualiter emere: ergo. Confirmatur ex *cap. Matheus de Simonia.* Vbi damnatur vt Simoniacus quidam electus, ſed nondum confirmatus in beneficio, propterea quod vexabatur circa confirmationem, & pecunia illam vexationem redimere intentauit, vt ſic ad confirmationem peruenire: ergo ante plenum ius non eſt licita vexationis redemptio, qua paratur via ad rem ſpiritualem. Pro ſecunda verò parte probatur, quia quando quis habet plenum ius in beneficio. V.g. ſi iam ſit electus & confirmatus, redimendo vexationem nihil ſpirituale emit, neque ad ſpirituale habendum viam parat, ſed tantum remouet impedimentum nempe iniuriam vexatoris, vt pacificè ius iam habitum poſſideat: Sed vbi non eſt aliquo modo emptio rei ſpiritualis, non eſt ſimonia: ergo. Confirmatur; nam qui iam ius adquiſiuit, poteſt facta iactura bonorum temporalium ius ſuum tueri, ſicut poteſt latroni pecuniam dare ne ab illo occidatur; & Eccleſia olim ſoluebat tributa Tyrannis, ne in cultu diuino ab illis impediretur; ergo poteſt quilibet poſt ius adquiſitum, pecunia redimere vexationem: Vnde *in cap. dilectus, 1. de Simonia*, iubetur reſtitui pecunia ei qui redemerat vexationem: quod non iuberetur ſi æqualis eſſet turpitudo ex parte redimentis, & vexantis: quando enim vtrinque verſatur turpitudo, non fit reſtitutio iuxta regulam; *In pari delicto melior eſt conditio poſſidentis, de regulis iuris in 6.* Ex hac concluſione licet inferre, quod nec electus poteſt redimere vexationem quoad confirmationem, neq; electus cõfirmatus poteſt redimere vexationẽ quoad poſſeſſionem beneficij, quam nondum habet. Ratio vtriuſque partis corollarij eadem eſt, quia tam confirmatio quàm poſſeſſio beneficij ſpiritualitatem habent. Vnde qui emeret vel confirmationem vel poſſeſſionem Simoniacus eſſet; vt rectè notat Syluester *vbi ſupra q. 3. regula 4.* Soto *in art. citato ad 4.* eo quod ſunt actus procedentes ex poteſtate ſpirituali: ergo qui pro illis conſequendis redimit vexationem parat ſibi viam ad ſpirituale, ac proinde Simoniacus eſt. Hoc corollarium pro ſecunda parte eſt contra Torre *diſp. 9. §. 4.* licet tamen circa vtrumque redimere vexationem ab illo qui poteſt impedire; ſed non eſt cauſa à qua per ſe dependeat beneficij collatio aut confirmatio.

Dico ſecundò: † conferre beneficium ex metu indignationis non eſt Simonia. Hæc concluſio probatur ſupponendo duplicem eſſe metum; alterum indignationis quo timet aliquis ſe indignare alium, & eius iram concitare: alterum verò temporale, quo quis timet incurrere aliquod damnum in bonis temporalibus. Quo ſuppoſito probatur noſtra concluſio primò; nam quando Epiſcopus confert alicui beneficium, quia timet illius, vel alterius amici, ſiue Principis indignationem, nihil accipit temporale in pretium collationis, ſed tantùm mouetur ex motiuo amicabili, ſcilicet ad vitandam alterius indignationem & ad fugiendum odium illius, quemadmodum ſi moueretur ad conferendum beneficium propter conciliandam amicitiam: ergo ſicut nec in hoc caſu, ita neque in illo eſſet Simoniacus. Secundò probatur; nam huiuſmodi timor in aliis rebus ſpiritualibus non conſtituit Simoniam: ergo nec in collatione beneficiorum. Antecedens patet inductiuè; nam qui ex timore huiuſmodi oraret, vel celebraret Miſſam, vel exerceret opera obedientiæ, ſi eſſet Monachus ne incurreret indignationem Prælati, non eſt Simoniacus: ergo. 18

Dico tertiò; † conferre beneficium ex timore ſecundi generis aliquando eſt Simonia. Pro huius declaratione prænotandum eſt bona temporalia ſiue vitæ, ſiue famæ & honoris, ſiue etiam fortunæ poſſe cadere ſub timore: poteſt enim aliquis timere ne vitam, famam, vel diuitias amittat; in ordine ad quæ bona poteſt dupliciter ſe habere, ſcilicet quia vel habet ius adquiſitum ad illa tanquam ad bona propria, vel nondum habet ius adquiſitum ad illa; & ſic poteſt aliquis habere huiuſmodi timorem dupliciter, vel amittendi bona temporalia quæ iam habebat, vel non conſequendi illa, quæ nondum habebat. Et hoc ſuppoſito aſſero in concluſione, quod conferre beneficium propter temporalem timorem aliquo modo eſt Simonia, vel quando timor eſt reſpectu rei temporalis, in qua nondum habetur ius adquiſitum. Probatur igitur prima pars, quia tunc timor vertitur in pretium, & per collationem beneficij ſpiritualis paratur via ad bonum temporale adquirendum: quemadmodum quando quis redimit vexationem in ordine ad rem ſpiritualem, in qua non habet ius, parat ſibi viam ad ſpirituale, ac proinde Simoniacus eſt: ergo ſimiliter in noſtro caſu. Deinde ſecunda pars probatur primò contra Torre *diſp. concluſione 2.* quia quando timor eſt reſpectu rei temporalis, in qua collator beneficij habet ius adquiſitum, dumtaxat habet rationem redemptionis vexationis. Epiſcopus enim qui ne amittat vitam vel famam vel alia bona temporalia, confert beneficium 19

aliàs

aliàs digno, nihil temporale recipit; ſed ſolùm redimit vexationem pro tuendo iure ſuo. Sed redemptio vexationis circa rem in qua habetur ius adquiſitum, non conſtituit ſimoniam, vt oſtendimus *in prima concluſione*: ergo.

20 Secundò probatur: nam † Epiſcopus abſque Simonia poteſt dare pecuniam, ex metu amittendi aliquid ſpirituale. V. gr. præbendam in qua habet ius adquiſitum, quia licitum eſt ei redimere huiuſmodi vexationem, vt dictum eſt: ergo etiam poteſt abſque Simonia conferre beneficium ſpirituale, ex metu admittendi bona temporalia, quorum habet ius adquiſitum. Conſequentia patet à paritate rationis: quia non eſt magis turpe dare ſpirituale pro temporali, quàm temporale pro ſpirituali. Tertiò, nam ſi ſtatueretur lex à Pontifice, quod Epiſcopus conferens beneficium indigno ſoluat decem drachmas, non eſſet Simoniacus, ſi timore incurrendi hanc pœnam conferret beneficium digno; & tamen Simoniacus eſſet, ſi timor incurrendi malum temporale eſſet pretio æſtimabilis: ergo. Maior patet, quia cùm talis lex pœnalis eſſet iuſta, Epiſcopus iuſtè faceret timendo illam, & ex illius timore conferendo beneficium digno. Aliàs ſi Epiſcopus Simoniam incurreret timendo illam, iuſtè illam poſſet contemnere: & ſic daretur bellum iuſtum ex vtraque parte, nempe ex parte legiſlatoris, & ſubditorum. Confirmatur ab inconuenienti. Nam aliàs celebrare Sacrum, prædicare, audire confeſſiones & huiuſmodi timore, eſſet Simoniacũ, & conſequenter obnoxium pœnis reſtitutionis & aliis ſimoniæ pœnis: & ſic Monachus qui timore amittendi famam vel honorem exercet opera monaſtica, Simoniacus eſſet & pœnis Simoniæ ſubiectus. Conſequens autem eſt abſurdum: ergo & antecedens. Confirmatur ſecundò; nam timor iſte ad nullum membrum ex membris aſſignatæ diuiſionis ab Vrbano III. *in cap. Saluator* 1. *q.* 3. reducitur: non enim eſt munus à lingua, à manu, vel ab obſequio: ergo non tollit gratuitam donationem, ac proinde non conſtituit Simoniam.

21 Ex hac concluſione ſequitur, † non eſſe Simoniam conferre beneficium, cum pacto expreſſo recuperandi bona temporalia quæ ſunt ipſius collatoris, aut ipſi debita ex euidenti iuſtitia commutatiua. In hoc corollario non conueniunt Sylueſter *vbi ſupra* §. 17. & Victoria *num.* 25. & Torre *diſp.* 5. & Malderus *dub.* 16. qui exiſtimant quod ex metu Epiſcopus conferens beneficium etiam aliàs digno, cum pacto vt in futurum vexator ei reſtituat bona ſibi debita, aut ne inferat ei damnum in bonis quorum habet ius adquiſitum, eſt Simoniacus; eo quod exiſtimant hanc obligationem eſſe pretio æſtimabilem. Sed hoc non obſtante probatur corollarium primò, quia non eſt Simonia vbi nullum pretium temporale adquiritur: ſed collator beneficij in hac obligatione nihil temporale adquirit: ergo. Secundò: dare mutuum cum obligatione reſtituendi bona ablata mutuanti, non eſt vſura, quia nihil accreſcit illi de nouo: ergo neque dare beneficium cum tali obligatione erit Simonia. Conſequentia patet, quia obligatio quæ nõ tollit gratuitam donationem mutui, neque tollit gratuitam beneficij collationem. Tertiò, nam redimere pecunia vexationem quam patitur quis circa rem in qua habet ius, v. g. circa poſſeſſionem proprij beneficij non eſt Simonia: Sed ille qui dat beneficium cum obligatione vt reſtituantur ei propria bona, tantùm redimit circa rem propriam cuius habet ius adquiſitum: ergo non eſt Simoniacus.

Ad † primum in contrarium nego minorem: 22
quia ius quod habet dignior ad beneficium ante electionem, tantùm eſt ius ad rem & veluti incompletum, quia per illud res nondum dicitur illius qui habet tale ius. Vnde nequit redimi quando eſt ius ad rem ſpiritualem, bene autem in re, per quod res iam fit propria habentis illud; & licet dignior ſit diſtributiua, quàm commutatiua iuſtitia in eſſe virtutis, non tamen ius illius eſt ita perfectum & conſummatum, ſicut ipſius. Ad ſecundum nego minorem; qui enim redimit vexationem reſpectu rei cuius non habet dominium plenum, quod dicitur ius in re, ſeu commutatiuæ iuſtitiæ, virtualiter illam rem emit. Vnde ſi Epiſcopus vexet Petrum v. g. qui eſt dignior, & Petrus det ei pecuniam pro redimenda vexatione, virtualiter emit beneficium, quia pretium datum licet ſonet vexationis redemptionem, tamen pro ipſa electione & collatione beneficij datur. Ad tertium nego minorem. Et diſparitas eſt inter vexationem iuris adquiſiti & iuris adquirendi, quod quando redimitur vexatio iuris adquiſiti, nihil ſpirituale de nouo adquiritur, ſed ſolùm remouetur impedimentum. Quando autem redimitur vexatio iuris adquirendi, non tantùm tollitur impedimentum, ſed etiam adquiritur de nouo res ſpiritualis; ac proinde in redimendo talem vexationem, neceſſariò includitur ex fine operis emptio rei ſpiritualis, licet ab operante expreſſo affectu non intendatur.

Ad † primum fundamentum ſecundæ ſen- 23
tentiæ reſpondetur, quod ſicut aliquando preces reſoluuntur in pretium licet non ſemper: ita metus mali temporalis, aliquando licet non ſemper reſoluitur in pretium & conſtituit Simoniam, vt oſtendimus in tertia concluſione. Ad ſecundum diſtinguo maiorem: metus mali temporalis reſpectu bonorum in quibus habetur ius adquiſitum, concedo; reſpectu bonorum in quibus nondum habetur ius adquiſitum, nego maiorem. Ad cuius primam probationem reſpondetur, quod comprobat ſecundam partem tertiæ concluſionis. Ad ſecundam reſpondetur, quod in illis textibus ſolùm fit mentio de reſignationibus factis ex metu indignationis, qui non tollit gratuitam donationem, vt in *ſecunda concluſione* oſtenſum eſt.

DVbitatur Quartò; † *An in renunciatione* 24
beneficij facta in fauorem tertij reperiatur malitia Simoniæ? In hoc dubio ante omnia operæ pretium eſt, quid nomine renunciationis beneficij importetur, & quotuplex contingat, explicare; vt ſenſus quæſtionis pateſiat. † Renun- 25
ciatio igitur beneficij ſiue reſignatio nihil aliud eſt quàm voluntaria abdicatio, qua quis voluntariè beneficium ſuum dimittit, & ſi fiat in fauorem tertij dicitur conditionata, quæ poteſt fieri tripliciter. Primo modo ſimpliciter & gratia ſui: ſecundo modo admixta & adiuncta permutationi, vt quando quis ſuum beneficium pro beneficio alterius permutat. Tertio modo poteſt fieri, vt aſſociata tranſactioni, quæ eſt pactio non gratuita circa beneficium ſub dubio & litè conſtitutum

ſtitutum;& contingit quando quis ſuper beneficio litigans cum altero, in fauorem alterius cedit iuri ſuo, quæ ſpecies quædam commutationis eſt: & propterea prius de ſimplici renunciatione dicẽdũ eſt, *in hoc dubio:* deinde *in ſequẽti* de renunciatione mixta ſiue cõpoſita, quæ eſt permutatio atq; tranſactio, erit nobis diſputãdũ.

26 Verùm quia † huiuſmodi ſimplex renunciatio adhuc poteſt contingere duobus modis in fauorem tertiæ perſonæ: Primò abſque confidẽtia, & ſecundo modo cum confidentia ſiue ſpe, quod ille in q em reſignatur beneficium, aſſeruabit illud vel fructus illius ipſi collatori, aut famulis, ſiue conſanguineis collatoris; de illa iuxta ſingulos modos ſuo ordine eſt dicendum. Igitur circa renunciationem beneficij in fauorem tertij factam primo modo, vel abſque confidentia, communis ſententia aſſerit huiuſmodi renunciationes beneficiorum non eſſe Simoniacas, ſtando in iure diuino, bene autem ſtando in iure poſitiuo ſi fiant abſq; certis conditionibus; cum quibus tamen à vitio Simoniæ purgantur. Ita Soto *q.7. art.2.* Sylueſter V. *renunciatio q.6.* & V. *Simonia q.13. dicto 6.* Angelus *ibidem n.39.* Couarruuias *lib.1. variarum c.5.* & Torre *diſp.11.* & Malderus *vbi ſupra dub.11.* Nauarrus *c.25. in Manuali n.107.* & Azor *2.p.lib.7.c.21.* & Petrus Gregorius *tractat. de beneficiis c.28.* & Suarez *lib.4. de Simonia c.45.*

27 In † cuius declaratione prædicti authores diuiduntur in tres modos dicendi. Soto enim & Couarruuias, & Zerola *1.p.V. renunciatio q.2.* & Pater Sa. V. *Simonia n.2.* dicunt, huiuſmodi renunciationes in fauorem tertiæ perſonæ factas coram Ordinario licitas eſſe, & omnino à vitio Simoniæ purgatas. Quod probant primò, quia vbi nullum interuenit pactum aut obligatio, nec admiſcetur Simonia: Sed renunciatio coram Ordinario poteſt fieri abſque pacto, relinquendo ſcilicet liberum Superiori renunciationem admittere vel reiicere, vt ſi renuntians dicat ſuperiori; Reſigno Petro hoc beneficium ſi in illo velis facere collationem, aut ſi illum iudices futurũ eſſe vtiliorem Eccleſiæ: ergo. Minor patet, quia in huiuſmodi verbis non pactum vel intentio obligandi exprimitur, ſed ſimplex affectus renuntiantis declaratur. Secundò, quia in huiuſmodi renunciatione coram Ordinario facta atque dependenter ab illius conſenſu & voluntate, nulla eſt ſpes hæreditariæ ſucceſſionis in beneficio, quia poteſt Ordinarius non admittere reſignationem in fauorem illius tertij: Sed ſi ex aliquo capite eſſet Simonia renunciatio hæreditaria, maximè quia habet modum hæreditariæ renunciationis vt omnes fatentur: ergo. Maior patet, quia reſignatio illa ſolùm eſt ſimplex, & libera tertiæ perſonæ ſiue reſignatarij commendatio, ac proinde illa explicata à renuntiante, poſſet Prælatus conferre beneficium cui voluerit: ergo. Tertiò, quia Prælatus poteſt reiecta cõditione ſub qua fit renuntiatio beneficij, acceptare ipſam renunciationem puram & liberam ab omni conditione, & dare beneficium ſiue reſignatario aliàs digno, ſiue alteri perſonæ dignæ, taliſque collatio erit valida: ergo non eſt Simonia. Antecedens probatur, quia illa conditio onerosa habetur pro non adiecta, ac proinde poterit Prælatus acceptare renunciationem abſolutam reiecta conditione: & ſic deciſum fuiſſe in Rota teſtatur Flaminius *lib.1. de reſignationib. q.3. n.36.* Et merito quidem, quia nec Epiſcopus propter illam conditionẽ à renuntiante adiectam, debet priuari ſua libertate, nec illa tertia perſona in cuius fauorem eſt facta renunciatio, debet puniri, ſi aliàs eſt digna, in eo quod non deliquit, maximè ſi delicto renunciantis non communicauit: ergo. Cõfirmatur ex ſtilo in Curia Romana receptiſſimo, quo Pontifices ſolẽt huiuſmodi renunciationes admittere & approbare, & tamẽ ſi contra ius diuinum poſitiuum eſſent, non ita illas facilè & regulariter admitterent: non enim ius commune ita facilè & regulariter à Pontificibus relaxandum eſt: ergo.

Secundus modus dicendi eſt, quem † ſequuntur Boëtius *tract. de dignit. Legati q.2.* Rebuff. *de reſignatione conditionali n.7.* Nauarr. *c.23. c.107.* Azor *2.p.lib.7.c.22.* Petrus Gregorius *tract. de beneficiis c.28.* Suar. *c.35.* & Gloſſa *cap. ex parte 1. de offic. delegati,* & Panorm. *ibid.* aſſerẽtes huiuſmodi renunciationes factas ſub conditione & in fauorem tertij, maximè ſi conditio quod beneficium detur tali perſonæ, vel quod renũcietur in fauorem illius, explicetur, etiamſi abſit pactum & obligatio, eſſe Simoniacas ex humano iure, & collationes factas virtute illarũ eſſe omnino inualidas, niſi fiat coram Summo Pontifice, cuius authoritas ſola Simoniam iuris humani poteſt purgare. Probántq; ſuam ſentẽtiam primò, quia in Concilio Mediniẽſi *2.tit.19.c.6.* prohibentur huiuſmodi reſignationes in fauorẽ tertij factæ coram Ordinariis; & *in deciſ.921. Rotæ p.3.* damnatur quædam renũciatio facta in fauorẽ tertiæ perſonæ etiam abſq; pacto & obligatione, ſicut abſque conditione oneroſa, dicente Ordinario ſe functurum officio ſuo (vti debebat) quaſi non acceptans reſignationem provt erat in fauorem tertij, licet poſtea beneficium Reſignatario contulerit: ergo ſecundùm ius commune Simoniacæ ſunt huiuſmodi renunciationes. Secundò, nã quãdo renunciatio fit coram Ordinario, ſub illa conditione inuoluit implicationem: ergo nequit acceptari ab Ordinario. Antecedens patet; nam vel ex vi reſignationis beneficium vacat, vel nõ vacat: Si primum, cum vacet per reſignationem, oportet illam eſſe iam perfectã & independentem à conditione: Si ſecũdum, Prælatus conferret beneficium antequam vacaret, quod eſt contra prohibitionem Eccleſiæ *in cap. nulla de conceſſione præbendæ,* vbi habetur quod nulla Eccleſiaſtica miniſteria ſiue beneficia tribuãtur alicui, aut promittãtur antequam vacent: ergo. Tertiò, nam ſecundùm Canones iuris Canonici, vt etiã fatetur Couarr. conditio appoſita in renũciatione reddit illã illicitã, & inualidã. Sed actus inualidus ex aliqua ſuperaddita qualitate aut conditione, non poteſt idem manens fieri validus, nec quoad vnã partẽ acceptari, & non quoad aliam: ergo talis renunciatio conditionata, nec vt ſtat ſub cõditione poteſt acceptari, nec poteſt reſolui in abſtractã à cõditione, aut illa reiecta fieri valida. Maior patet ex *cap. inter cætera, de præbendis,* vbi huiuſmodi renunciationes iubẽtur reſcindi, & ex *Clementina vnica de rerum permutatione;* vbi decernitur permutationes eſſe inualidas, niſi beneficia permutantibus conferantur, quod eſt adimpleri conditionem: eadem autem eſt ratio de reſignationibus conditionalibus: ergo. 28

Tertius † modus ſub diſtinctione iuris antiqui & noui aſſerit eſſe procedendum; ita vt ſtando in Iure antiquo, vtraque ſententia ſit probabilis: 29

babilis:ſtãdo autem in iure nouo Pij V.in quadam conſtitutione illius incipiente; *Quanta Eccleſiæ Dei, &c.* omnino ſuſtinenda ſit ſecunda ſententia.Ita Torre *diſp.* 2. Malderus *loco citato §.itaque dicendum* : & quia hæc ſententia eſt vera,pro eius declaratione ;

30 Dico primò; † licet ſtando in iure communi duæ priores ſententiæ ſint probabiles,prima eſt præferenda ſecundæ.Hæc concluſio quoad primam partem,probatur argumentis pro vtraque ſententia factis, quæ vtriuſque probabilitatem conuincunt. Deinde quoad ſecundam partem probatur, confirmando argumenta primæ ſententiæ,quia dupliciter poteſt explicari conditio in renunciatione : primò tanquam oneroſa & obligatoria, ſuſpendénſq; omnino effectum renunciationis, niſi beneficium detur tertiæ perſonæ;& hæc ſolet explicari his verbis; ego reſigno hoc beneficium Petro,& non aliàs,ſiue non aliter volo à me abdicare. Secundo modo,tanquam ſimplex modus renunciationis & declaratio affectus renunciationis,quæ ſine illis verbis,non aliàs & non aliter,declaratur.Licet igitur primo modo inducat obligationem,non tamen ſecundo modo : ſed vbi non eſt obligatio non tollitur ratio gratuitæ donationis , nec contrauenitur præcepto Chriſti *Math.* 10. *gratis accepiſtis gratis date.* Cum illo enim ſtat quod velimus gratis dare magis vni quàm alteri perſonæ:ergo nec talis renunciatio,nec collatio facta ab Ordinario in virtute illius eſt Simoniaca.

31 Dico ſecundò;† ſtando autem in iure nouo Pij V. quæcumque reſignatio facta ſub conditione qualitercumque explicata,ſiue admiſſa,eſt inualida & Simoniaca,ſi fiat corã Ordinariis & quibuſcumque Prælatis inferioribus ad Summũ Pontificẽ.Hæc concluſio probatur:nam Pius V. *in ſua conſtitutione* quæ incipit. *Quanta Eccleſiæ Dei, ex lib.7. Decretalium* Petri Mathei, *de reſignationibus c.*3. hanc concluſionem determinat ſub hiis verbis. *Caueant autem Epiſcopi, & alij Prælati,item quatenus omnes Electores,præſentatores,& patroni,&c.nec verbo quidem aut nutu,futuri in huiuſmodi beneficiis aut officiis ſucceſſores ab ipſis reſignantibus,aut aliis eorum ſignificatione, vel hortatu deſignentur,aut de hiis aſſumendis promiſſio inter eos , aut inter qualeſcumque intercedat.* Nomine autem primæ intentionis accipit Pontifex illam quæ aliquo modo exterius proditur, & tacitam petitionem ſecum affert:vt rectè exponit Nauarr.*cap.citato n.*110.neque poteſt eſſe dubium,quod in hiis verbis interdixerit Pontifex reſignationes in fauorem tertij coram Ordinariis factas;illas enim quæ fiunt coram Pontifice , qui ius poſitiuum relaxare atque in illo diſpenſare poteſt;certum eſt validas eſſe.

32 Dico Tertiò : eadem ratione † inualidæ, & Simoniacæ cenſendæ ſunt renunciationes reciprocæ , quæ ſub ſpecie permutationum fieri ſolent , & quas permutationes triangulares ſolet vulgus interpretum appellare,v.g. quando ego renuntio beneficium meum in fauorem tui amici,vt tu beneficium aliud renunties in fauorem mei amici,vel conſanguinei. Similiter quando Petrus renuntiat beneficium Paulo ea conditione,vt Paulus aliud quod habet renuntiet Petri amico vel nepoti. De hiis reſignationibus reciprocis ſiue triangularibus,aſſerimus in hac concluſione eſſe inualidas & Simoniacas:& idẽ dicendum eſt conſequenter de collationibus factis ab Ordinariis in virtute illarum. Quod probatur : nam huiuſmodi abdicationis modus verè ac propriè habet rationem renunciationis factæ in fauorem tertij,& conditionalis ex conditione adiecta,& virtualiter oneroſa,ſiue obligatoria : ergo eſſet inualida & Simoniaca,ſtando in iure poſitiuo.

Dico quartò, quando † renunciatio fit nec abſolutè nec purè , & quando fit abſolutè quidem,ſed non purè; inualida etiam & Simoniaca eſt. Pro huius concluſionis intelligentia prænotandum eſt,beneficij renunciationem ſimplicem quadrupliciter celebrari poſſe. Primò quando fit purè vel ſine onere penſionis,& abſolutè vel ſine conditione quod detur certæ perſonæ.Secundò,quando fit renunciatio abſolutè,ſed non purè vel non deſignando perſonam, exigendo tamen certam penſionẽ.Et quidem ex hiis modis primus ſecundum ſe licitus eſt & liber à Simonia;ac proinde poteſt fieri coram Epiſcopis & aliis Prælatis, qui Epiſcopali vel quaſi Epiſcopali funguntur dignitate.De ſecundo verò in prima & ſecunda aſſertione diximus,qua ratione Simoniacus ſit,niſi coram Summo Pontifice celebretur.De tertio & quarto aſſerimus in hac quarta concluſione,quod Simoniam inuoluunt, niſi fiant cum duabus conditionibus , ſcilicet quod penſio non exigatur loco pretij, aut quod nulla interueniat ex vna vel altera parte pecunia,& quod omnis conuentio & contractus inter partes fiat coram Summo Pontifice, aut illi notificetur:cum hiis autem duabus conditionibus purgantur à labe Simoniæ. Hoc ſuppoſito noſtra concluſio probatur quoad primam partem;nam quando reſignatio eſt conditionalis & aliàs non pura,ſed cũ onere penſionis, non minus eſt prohibita quàm ſi ſolùm conditionalis eſſet : quod enim vltra deſignationem perſonæ exigatur penſio, non tollit malitiam reſignationis conditionalis : ſed omnis conditionalis reſignatio abſque prædictis conditionibus facta, ſecundum ius nouum Pij V. eſt prohibita vt Simoniaca : ergo idem dicendum eſt de illa,quæ ſupra conditionem addit onus penſionis : & in hac parte nulla eſt controuerſia. 33

Circa † ſecundam autem partem non modica eſt controuerſia inter Doctores *ſupra* relatos. Ex illis enim quidam, de quorum numero ſunt Nauarrus *conſilio* 40. *de Simonia* , Rebuffus *in Practica beneficiaria de reſeruationibus n.*29. Zerola *q.2.v.penſio*,& Malderus *hîc dub.*10.§.*nihilominus*; exiſtimant ad imponendam penſionem ex rationabili cauſa in huiuſmodi reſignationibus aliàs abſolutis à conditione, tam ſecundũ ius antiquum,quàm ſecundum nouum,ſufficere Ordinariorum authoritatem:quibus fauere videtur D. Thomas *art.*4. *ad* 3. dum ait,quod ſi Epiſcopus antequam beneficium alicui conferat , ordinauerit aliquid ſubtrahendum de fructibus beneficij.&c.non eſt illicitum.Sed cõtra horum ſententiã probatur ſecunda pars noſtræ concluſionis à Soto,Couarruuias, Azorio *c.*29. *q.*15.& Torre *vbi ſupra*;Primò,quia licet ſecundum ius antiquum creare huiuſmodi penſiones, licitum fuerit Ordinariis , modò tamen ex conſtitutione Pij V. quæ incipit, *Intollerabilis*, adempta eſt talis poteſtas penſiones creandi Epiſcopis & omnibus Prælatis inferioribus, & ſoli Pontifici reſeruata ſub hiis verbis. *Si quis contulerit beneficium ex ordinatione,vt poſtea penſionem* 34

ſionem inde ad libitum ſuum alteri perſolùat: confidentia cenſeatur. Secundò, quia prohibitum eſt in iure communi & etiam antiquo, ne beneficia abſque authoritate Pontificis cum diminutione conferantur; diminuta autem conferuntur quãdo dantur cum onere penſionis; & licet probabilis ſit explicatio Flaminij *lib. 6. de reſignationibus q. 2. n. 3.* & Malderi *dub. 10.* aſſerentium Canones iuris antiqui ſolùm velle ne collator beneficij reſeruet ſibi aliquam partem fructuum, non autem velle ne alteri illam applicet: tamen quod loquantur Canones abſolutè non minorem probabilitatem habet. Et probatur tertiò; nam qui reſignat beneficium cum onere penſionis, dat ſpirituale pro temporali: ergo Simoniam committit ſi id faciat abſque Sũmi Pontificis authoritate. Antecedens probatur, nam cùm in beneficio ſpirituali fructus & reditus temporales ſint annexi iuri & miniſterio ſpirituali, vt *ſupra* docuimus, ille qui renuntiat beneficium quoad primum, conſequenter renuntiat illud quoad ſecundum. Vnde ſi abdicando à ſe ſpiritualem titulum in fauorem alterius, retinere vult penſionem ex fructibus beneficij, nequit illã accipere vt quid annexum ſpirituali beneficio, ſed vt ſeparatum ab illo, & ſic accipit temporale pro reſignatione ſpiritualis, quod eſt Simoniacum, niſi fiat authoritate Summi Pontificis, per quam purgatur conſignatio penſionis à Simonia, eo quod ad eius ſupremam diſpenſatiuam poteſtatem ſpectat bona Eccleſiæ diſpenſare, & ex reditibus beneficij aliquam partẽ ſeparare, & illam reſignanti beneficium applicare ob rationabilem cauſam, & non propter reſignationem ſpiritualis beneficij. Vnde ſi alius inferior Pontifice hanc penſionis conſignationem faciat, aut factam à reſignante acceptet, cùm non poſſit legitimè illam portionem fructuum ſeparare, & ſeparatam applicare propter aliam rationabilem cauſam, oportet quod conſignatio maneat vitioſa & Simoniaca, vtpote facta in fauorem aſſignantis, propter ipſam beneficij reſignationem.

Quod amplius declaratur & confirmatur: nam beneficiatus qui reſignat beneficium coram Epiſcopo, nullo titulo poteſt ſibi reſeruare illam penſionem: non enim tanquam Dominus, ſiquidem abdicat à ſe beneficium & ius quod ad fructus illius habebat; neque tanquam diſpenſator bonorum Eccleſiæ, ſiquidem non habet diſpenſatiuam poteſtatem, niſi ſuperior qui ex iure poſitiuo iam eſt ſolus Summus Pontifex: ergo ſi ſine illius authoritate fiat talis penſionis conſignatio, Simonia eſt, non ſolùm contra ius poſitiuum, ſed etiam contra ius diuinum, quod prohibet accipi temporale pro ſpirituali, ſine alio titulo aut rationabili cauſa; licet Pontifex ob rationabilem cauſam poſſit talem applicationem ex reditibus beneficij facere, ſcilicet per modum ſtipendij aut congruæ ſuſtentationis, &c. Quod ſi Pontifex ſine rationabili cauſa penſionem conſignet, non ilico erit Simoniacus, niſi illam in ratione pretij exigat, vt habet D. Thomas *art. 4. ad vlt.* erit tamen iniquus bonorum Eccleſiæ diſpenſator, & conſignatio facta abſque rationabili cauſa erit iniuſta redituum beneficij diſtributio.

35 Ad † argumenta autem ſecundæ ſententiæ, quatenus militant aduerſus noſtram primam concluſionem, reſpondetur. Ad primum, quod in illis decretis tantùm prohibentur reſignationes factæ cũ conditione oneroſa ſaltem implicita. Poteſt etiam dici quod deciſio Rotæ continet ius nouum Pij V. ſecundũ quod, iam conuẽtiones & reſignationes cõditionales, inualidæ & Simoniacę ſunt. Ad ſecundum nego antecedens. Ad probationem dicendum eſt, quod beneficiũ reſignatum ſtatim vacat ex vi reſignationis cõditionalis, maximè quando conditio oneroſa nõ eſt, quia tunc pro libito poteſt Epiſcopus cuicumque digno illud conferre, independenter à conditione oppoſita à reſignante. Quemadmodum in permutatione vacant beneficia permutata, non obſtante quod permutans apponit expreſſam conditionem, qua collator reſtringatur ad compermutantem. Ad tertium reſpondetur, quod tantùm reſignationes conditionales ex conditione oneroſa ſunt inualidæ ſecundum Canones iuris antiqui. Neque eſt eadem ratio de permutationibus coram Ordinariis factis; quia conditio in iſtis eſt ſecundum Canones iuris antiqui permiſſa; vt habetur *in dicta Clementina vnica & cap. licet in 6. de permutatione.*

Examinata iam Simoniæ labe, quæ in reſignationibus conditionalibus abſq; confidentia reperitur: Reſtat nunc examinare illam, quæ interuenit in hiis quæ fiunt cum confidentia, vel quando beneficium aut officium ſpirituale reſignatur in fauoré alicuius, eo pacto & conditione, vt reſignatarius illud poſtea reſignet pro voluntate reſignãtis. In quo licet Doctores omnes conueniant in hoc, quod † reſignatio confiden- 36
tialis dupliciter poteſt fieri, ſecundum quod duplex etiam confidentia haberi poteſt à reſignante: Primo modo interueniente aliquo pacto exteriori, & obligatione explicita vel implicita. Secundò, quando reſignans abſq; aliquo pacto & obligatione ciuili, ſed cum ſola ſpe gratitudinis reſignat beneficium aut officium ſpirituale, in fauorem illius de quo ſperat, quod ex gratitudine illud pro ſua voluntate alteri reſignabit. Et quod ſi fiat reſignatio primo modo eſt Simoniaca, ſtãdo in iure diuino & Eccleſiaſtico antiquo; eo quod illa ciuilis obligatio eſt pretio æſtimabilis, ac proinde pro illa renũtiare beneficium, eſt dare pro tẽporali ſpirituale, quod eſt Simoniacum & prohibitum in quibuſcumque iuribus, vbi generaliter prohibentur Simoniaca pacta. Et quod ſi fiat ſecundo modo non eſt Simoniaca ſtando in iure diuino aut Eccleſiaſtico antiquo. Nihilominus in explicando, † *an reſi-* 37
gnatio confidentialis facta ſecundo modo ſtando in iure nouo poſitiuo ſit Simoniaca? diuidũtur in duos modos dicendi. Primus eſt Cordubæ *in ſumma q. 32.* aſſerentis huiuſmodi reſignationes confidentiales ſecũdo modo vel ſub ſpe ſola gratitudinis, eſſe ex iure nouo prohibitas & Simoniacas: propterea quod Pius IV. in quadam conſtitutione quæ habetur *in 7. decret. c. 9. de benef. collatione*, & Pius V. in alia quæ incipit *intolerabilis*: & habetur *ibid. c. 10.* omnes confidentiales reſignationes nedũ primo ſed ſecundo modo factas dãnarunt. Fundamentũ huius ſententiæ eſt, quia præfati Pontifices intendebant omnẽ occaſionẽ tollere, palliandi Simoniã in beneficialibus cõfidentiis; ſed hoc non conſequerentur, niſi omnem confidentiam prohiberent: ergo. Minor patet, quia omnis cõfidentia etiamſi fiat ſub ſpe ſola gratitudinis eſt valde periculoſa, & habẽs ſpeciem mali, eo quod ſub illa facile pallian-

tur pactio & implicita obligatio:mentitur enim ſibi quamſæpius mens noſtra, neque regulariter credibile eſt, quod Clericus pauper & auarus aliàs ex ſola gratitudine & liberalitate beneficium acceptum alteri reſignet, vel bonam partem fructuum in alterum refundat, niſi ſentiret aliquo modo ſe obligatum: ergo. Confirmatur ex verbis conſtitutionis Pij V. qui ait confidentiam factam ex intentione ſola reſignantis, aut dimittentis beneficium, eſſe Simoniacam. Nomen autem intentionis non ad ſolam conuentionalem, ſed etiam ad gratuitam & liberalem extenditur:ergo vtraque eſt prohibita. Secundus modus eſt Nauarri *in dicto cap.23.n.109.* aſſerentis huiuſmodi confidentias non prohiberi in iure nouo prædictarum conſtitutionum; ſed ſolùm illas quæ primo modo fiunt, & aliàs ſecundum ius antiquum & humanum vel diuinum erant prohibitæ. Hunc ſequuntur communiter Neotherici, præſertim Torre *diſp.4. ſuper art.6.* Mald. *dub.14.* Suar. *vbi ſupra c.43.& 44.* Azor. *2.p.lib.7.c.27.q.10.& 11.* & Sa V. *Simonia n.5.* Et quia hæc eſt vera ſententia, pro eius & prædictarum conſtitutionum declaratione;

38 Dico primò:† confidentialis reſignatio ſecundo modo facta, ſcilicet abſque pacto & obligatione nullo iure eſt Simoniaca. Hæc concluſio probatur primò. Nam Pius V. *in ſua conſtitutione* eaſdem confidentias damnat quas Pius IV. damnauerat, & non alias: Eſt enim illius conſtitutio huius renouatio. Sed conſtitutio Pij IV. ſolùm damnat eas quæ ex iure antiquo & diuino erant illicitæ: ergo. Minor probatur tum ex illis verbis à quibus exorditur; *Sanè licet dudum cum certam Simoniacæ prauitatis ſpeciem quã beneficiorum confidentiam vocant, &c.* Tum ex eo quod iſtæ conſtitutiones emanarunt ad confirmandam & renouandam conſtitutionem Concilij Tridentini *ſeſſ.24.c.19.& ſeſſ.25.cap.7.* vbi acceſſus & regreſſus in beneficiis, & ſimiliter expectatiuæ damnantur, quæ aliàs Simoniacam prauitatem habent:ergo. Secundo quia Pius V. numerans quatuor caſus, in quibus prauitas cõfidentiæ reperitur, in ſecundo expreſsè requirit pactum expreſſum vel tacitum factum coram Ordinario; & eadem ratio eſt de aliis, ſiquidem cùm lex ſtricti iuris ſit, in omnibus intelligenda eſt cum eadem reſtrictione: ergo.

39 Dico ſecundò: quamuis † in reſignatione penſionis, aut etiam beneficiorum, quæ reſignantur ea conditione, vt Reſignatarius aliud beneficiũ, vel alias res ſpirituales renũtiet, aut refundat in alterum, ſit Simoniaca cõfidentia, non tamen eſt illa de qua prædictæ conſtitutiones loquuntur, neq; earum pœnis eſt ſubiecta. Ratio huius eſt, quia in prædictis conſtitutionibus tantùm punitur confidentialis reſignatio, collatio aut ceſſio beneficij iterum recuperandi, ſecundùm totum vel ſecundùm partem; quod patet ex illis verbis Pij V. *Quare nos volentes, & vt ſi quis quacumq; authoritate Eccleſiam, vel monaſterium, aut aliud beneficium Eccleſiaſticum receperit, vt illud etiam in euentum regreſſus vel acceſſus eidem dimittenti, vel alteri poſtea concedatur, aut illius fructus, vel eorum pars, &c.* Sed penſio non eſt beneficium, ſimiliter confidentia de recipiendo aliud beneficium, vel donum ſpirituale aut temporale, non pertinens ad beneficium reſignatũ, non eſt confidentia quæ exprimitur in prædicta conſtitutione: ergo neutra ibi comprehenditur, eo vel maximè quod cùm leges iſtæ odioſæ ſint, potius illas reſtringere quam ampliare debemus.

Dico tertiò;† inter confidentiales reſignationes ibi comprehenſas, eſt illa qua reſignans beneficium habet confidentiam de penſione non ſolùm alteri, ſed etiã ſibi perſoluenda. Hæc ſtatuitur contra Nau. *conſ.33.n.4 & 76.n.6.* contra Mald. *vbi ſupr.§. Quæres quarto,* & contra Suarez *c.43.n.7.* aſſerentes quod ſi quis in confidentiali reſignatione ſeruet ſibi penſionem, non incurrit pœnas confidentiæ ibi damnatæ, benè tamen ſi illam velit alteri reſeruare. Quod probãt ex illis verbis: *aut illius fructus vel eorum pars alij vel aliis concedantur.* Sed noſtra concluſio ex verbis ſtatim ſubſequentibus. *Itidem ſi Ordinarius, &c. ſiue vt de eo prouiſus fructus illius, vel partem ad vtilitatem vel libitum conferentis, vel cedentis, aut alterius relinquat, & remittat, ſuſpenſionem illi vel illis, &c. perſoluat, &c.* In quibus clarè habetur, damnata confidentia penſionis tam reſignanti, quàm alteri reſeruata: & confirmatur; nam vtraque eſt confidentia recuperandi beneficium, vel fructus ad beneficium ipſum reſignatum pertinentes; ſed hæc eſt quæ damnatur: ergo. 40

Dico quartò; non ſolùm † in prædictis conſtitutionibus damnatur confidentia in reſignationibus commiſſa, ſed etiam illa quæ in permutationibus committitur, tam ex parte collatoris quàm ex parte permutãtium. Hæc concluſio ſtatuitur aduerſus Suarez qui *vbi ſupra* ait, quod confidentia commiſſa in permutationibus ex parte collatoris eſt damnata; ſecus autem illa quæ committitur à permutantibus: cuius ratio eſt quod conſtitutiones generaliter prohibent omnem confidentiam ex parte collatorum, & non faciunt mentionem de permutantibus. Sed noſtra cõcluſio probatur à Torre *vbi ſupr.* multis rationibus. Quarum ſumma hæc eſt, quod in illis decretis prohibeatur omne genus contractus confidentialis circa beneficia: ergo etiam quando confidentia eſt in contractu permutationis. Antecedẽs probatur ex illis verbis Pij V. *Ac etiam decreuit omnes & quaſcumque permutationes, præſentationes, collationes, commendas, & alias diſpoſitiones de Eccleſiis nullius momenti fore, &c.* Secundò probatur idem antecedens; nam eadem inconuenientia ob quæ damnatur confidentia in reſignationibus à Pontificibus, ſcilicet quod beneficia Eccleſiaſtica iure hæreditario in aliquibus domibus perpetuantur, & quod ex reditibus Eccleſiæ, ſeculares & criminoſi aluntur, &c. militant in confidentia permutationum: ergo etiam cenſeri debet prohibita ibidem. Ex quo ruit fundamentum Suarez. 41

Dico vltimò; huiuſmodi † confidentia beneficialis poteſt eſſe mentalis, conuentionalis, & realis, & ſolùm realis eſt ſubiecta pœnis in prædictis conſtitutionibus taxatis. Hæc concluſio declaratur. Nam ſicut triplex eſt Simonia, mentalis ſcilicet quando mente intenditur, conuentionalis quando contractus explicatur ante traditionem, & realis quando fit traditio vel ex vtraque parte, vel ex parte dantis ſpirituale, vt *ſuprà* docuimus; cum confidentia prædicta ſit Simoniaca, etiam debet eſſe triplex, vel mentalis quando quis intendit reſignatarium obligare abſque conditione tacita vel expreſſa: conuentionalis, quando apponitur pactum ſiue conditio ante traditionem; & tandem realis, quando conſummatur contractus per traditio- 42

nem

nem vel ex vtraque parte, vel ſaltem quoad beneficij traditionem, & hæc ſola eſt quæ à prædictis Pontificibus plectitur pœnis *ibidem* aſſignatis; quæ ſunt quatuor. Prima eſt interdictum pro Prælatis & ſuperioribus. Secunda eſt excõmunicatio lata, Pontifici reſeruata pro inferioribus. Tertia eſt irritatio & annullatio collationis, reſignationis, & aliorum actuum. Quarta eſt inhabilitatio perſonarum reſignantium, vel etiam reſignatariorum ad fructus beneficij reſignati, & cuiuſvis alterius percipiendos, & ad ipſa beneficia poſſidenda. Ex quibus patet ad fundamentum Cordubæ, quod ſufficienter tollitur occaſio confidentiæ Simoniacæ, damnando illas quæ exterius produntur. Ad confirmationem reſpondetur, quod nomine intentionis non gratuita, ſed conuentionalis intelligitur.

43 DVbitatur quinto;† *Vtrum in permutationibus, & tranſactionibus beneficiorum reperiatur Simoniæ labes, & qua ratione huiuſmodi contractus ab illa purgentur?* In hoc dubio quantum ad primam partem de permutationibus tres verſantur ſententiæ. Prima aſſerit, omnem permutationem vnius rei ſpiritualis pro alia ſpirituali eſſe Simoniam iure diuino, & non ſolùm humano prohibitam. Ita Richardus *in 4. d. 25. art. 3. q. 1.* Paludanus *ibidem q. 2.* & Adrianus *quodlibeto 9.* Quod probatur tripliciter. Primò, quia omnis contractus oneroſus in rebus ſpiritualibus eſt Simoniacus, & contra illud præceptum Chriſti Domini *Matth. 10. gratis accepiſtis gratis date*: Sed permutatio rerum ſpiritualium eſt contractus oneroſus & nõ gratuitus: opponitur namque commutatio gratuitæ donationi: ergo. Secundò, quia malitia Simoniæ contra diuinum ius teſte D. Th. *art. 1.* conſiſtit in hoc, quod res aliqua ſpiritualis detur ab eo, qui non eſt Dominus intuitu alterius rei; eo quod cùm ſolus Deus ſit rerum ſpiritualium Dominus, ſolus ille eis vti poteſt; Sed quãdo quis commutat rem ſpiritualem præ alia, verè illam dat pro alia tanquam ſi eſſet eius Dominus: ergo. Tertiò, nam dare rem ſpiritualem pro pretio æſtimabili eſt Simonia diuino iure prohibita, quia tunc non datur gratis: ſed qui dat beneficium vnum pro alio ex pacto & obligatione, dat illud pro pretio, quia huiuſmodi pactum & obligatio ciuilis eſt pretio æſtimabilis. Vnde hac ratione oſtendimus *dubio præcedenti* reſignationem conditionalem factam cum pacto & ciuili obligatione, eſſe iure diuino Simoniacam; quia huiuſmodi ciuilis obligatio eſt pretio æſtimabilis; ergo ſi permutatio beneficij fiat pro ciuili obligatione alterius permutantis, Simoniaca etit ſtando in iure diuino.

Secunda ſententia eſt Innocentij & Gloſſæ *in cap. quæſitum de rerum permutatione*, aſſerentium nullo iure prohibitam eſſe permutationem beneficiorum ſpiritualium, maximè quando æqualia ſunt, & quando in eadem Eccleſia ſunt & nullo oneri annexa. Primam limitationem apposuit Innocentius, & ſecundam requirit Gloſſa. Fundamentáque huius ſententiæ ſunt tria. Primò quia permutatio vnius rei ſpiritualis pro alia, extra beneficiorum materiam non eſt prohibita iure poſitiuo; vt habet Gloſſa *in cap. Quam pio & in c. vltimo de pactionibus*, eo quod nulla talis prohibitio habetur in iure. In illo enim ſolùm prohibentur pactiones, in quibus datur temporale pro ſpirituali: ergo. Confirmatur, quia quæ ſunt annexa ſpirituali, vt Calices veſtes, &c. licitum eſt vendere ea ratione temporalitatis quam habent; Sed permutatio non eſt contractus adeò oneroſus, ſicut emptio & venditio: ergo à fortiori licita erit permutatio vnius rei annexæ ſpirituali pro alia, ac proinde etiam erit licita in beneficiis quæ ſunt etiã ſpiritualia per annexionem. Secundò, nam ſi permutationes mutuo ſe obligent ad permutationem vnius beneficij pro alio æquali, poſſunt licitè permutationem facere, non obſtãte quod obligatio illa eſt pretio æſtimabilis: ergo idem poſſet fieri abſq; mutua obligatione. Tertiò, ſi eſſet Simoniaca talis permutatio, neque authoritate Ordinariorum poſſet fieri, quia ſolus Summus Pontifex poteſt contractus Simoniacos ex iure poſitiuo à labe Simoniæ purgare; quod eſt falsũ vt colligitur *ex c. quæſitum de rerum permutatione*, vbi dicitur ſufficere ſolius Epiſcopi authoritatem: neq; partes priuata authoritate poſſent licitè contractum permutationis inire, & inchoare, antequã conſenſum ſuperioris haberẽt, quod tamen eſſe falſum oſtendit communis praxis totius Chriſtiani orbis, qui permittit permutationes prius inter ſe tractare, & inchoare negotiũ, & poſtea requirere ſuperioris volũtatem: ergo.

Tertia ſententia † aſſerit permutationes be- 44
neficiorum non eſſe Simoniacas, ſtando in iure diuino, bene autem ſtando in iure poſitiuo, ſi fiant priuata authoritate & ſine ſuperioris conſenſu. Ita D. Thomas *Matth. 10.* & *in 4. d. 25. q. 3. art. 3. ad 8.* Durandus, ibidémque Maior *q. 6.* Argentina *art. 4. ad 3.* Soto *lib. 6. q. 5. art. 2.* Couarruuias *lib. 1. variarum c. 5.* Torre *hic. diſp. 6. & 7.* Malderus *dub. 9.* Pro cuius declaratione dico primò: † commutatio retum purè ſpiritualium & 45
beneficiorum æqualium, etiam facta priuata authoritate non eſt Simoniaca, ſtando in iure diuino. Hæc concluſio probatur primò, quia vbi non eſt pretium non eſt ſimonia: *Actorum enim 8.* dicitur, *pecunia tua tecum ſit in perditionem*; quaſi pecunia ſola, & ea quæ pecunia æſtimantur ſi dentur pro re ſpirituali, conſtituant Simoniam iure diuino prohibitam. Sed in permutationibus rerum purè ſpiritualium & beneficiorum non interuenit pretium, non enim ſpiritualia pecunia menſurantur: ergo non conſtituitur Simonia diuino iure prohibita. Secũdò probatur. Nam Simonia non datur niſi vbi interuenit iniuria rebus ſpiritualibus, diſpenſando illas contra veri Domini voluntatem. Sed huiuſmodi iniuria non interuenit in permutationibus beneficiorum, aut aliarum rerum purè ſpiritualium: ergo neq; datur Simonia iuris diuini. Minor probatur, quia non eſt contra Domini voluntatem, vnam rem ſpiritualem pro alia æquiualenti commutare: ergo nulla fit irreuerentia. Tertiò, quia communis praxis, atq; etiam timoratæ conſcientiæ homines commutant inter ſe inuicẽ miniſteria ſpiritualia; & alias actiones inter ſe commutant, quæ tamen conſuetudo non eſt reprobanda: ergo. Maior patet, nam aliquando duo Sacerdotes paciſcuntur ſub hac conditione, vt vnus porrigat Euchariſtiam alteri à quo ſit accepturus pœnitentiæ Sacramentum, quam ſæpius etiam vnus Sacerdos petit ab altero, vt pro ſe dicat hodie Miſſam, quam alia die pro ipſo dicturus eſt. Si autẽ in hiis eſſet Simoniaca permutatio ſecundum ius diuinum, ab intrinſeco eſſet illicita, & nullo fine poſſet honeſtari: ergo. Confirmatur,

nam permutatio beneficiorum poteſt à labe Simoniæ purgari: ſi fiat authoritate ordinarij vt ſtatim oſtendemus; & tamen ſi iure diuino eſſet prohibita, neque ab Ordinariis neque à Summis Pontificibus poſſet purgari: humana enim authoritas ius diuinum relaxare non poteſt: ergo.

46 Dico ſecundò; † permutatio beneficiorum ſpiritualium & earum rerum, quæ ad ipſa beneficia ſpectant, ſi fiat priuata authoritate, eſt Simoniaca ſtando in iure poſitiuo. Hæc concluſio ſtatuitur aduerſus authores ſecundæ ſententiæ: & probatur prima pars primò, nam huiuſmodi permutationes in materia beneficiorum ſunt prohibitæ in iure Canonico, vt videre licet *in cap. Quaſitum* & *cap. cum olim de rerum permutatione*, *cap. Maioris, de prabendis*: & *in cap. vltimo de pactis*, & *cap. præterea 2. de tranſactionibus*; in quibus omnis pactio in ſpiritualibus beneficiis prohibetur, ac proinde permutatio quæ ſine pactione & contractu oneroſo nequit fieri. Sed non prohibetur niſi ob reuerentiam illatam rebus ſacris, in commutationibus voluntariis: ergo in illis committitur ſimonia iuris poſitiui. Secundò probatur ratione Theologica ad hanc formam reducta. Omnis irreuerentia in commutationibus voluntariis conſiſtens contra religionem, eſt reducenda ad Simoniam, vt conſtat ex dictis *art. 1.* Sed permutatio beneficiorum habet ſpeciem irreuerentiæ contra religionem, eo quod licet in beneficio ſint duo; alterum ſpirituale, nempe titulus & officium, & alterum temporale nempe fructus ac reditus, de facili homines propter innatam fragilitatem, potius ad temporales reditus attendũt, quàm ad ſpirituale ius & officium, ac proinde in permutatione vnius beneficij pro alio, per ſe primò ex deſiderio & ſpe recuperandi temporalem vtilitatem, quàm aſſumendi ſpiritualem titulum beneficij mouentur. Vnde ad euitandum hanc ſpeciem Simoniæ, intuituque religionis prohibentur huiuſmodi commutationes à Pontificibus: ergo ſunt Simoniacæ ſtando in iure poſitiuo. Conſequentia patet, nam vt ſuperius aduerſus Durandum oſtendimus, quando aliquid prohibetur ob finem proprium alicuius virtutis, trahitur ad materiam vitij oppoſiti eidem virtuti. Qua ratione emptio & venditio etiam officiorum Eccleſiæ, ac loci Sepulturæ, quoad ius perpetuum poſſidendi illam, diximus eſſe Simoniacam ex iure poſitiuo, quia prohibetur in ordine ad finem religionis, qui eſt exhibere debitam reuerentiam rebus ſacris in commutationibus voluntariis. Si ergo propter eundem finem prohibet ius poſitiuum beneficiorum permutationem, ad vitandam labem Simoniæ, quæ in illas facilè refundi poteſt, ſignum manifeſtum eſt illas ex vi talis prohibitionis conſtitui in materia irreligionis, ac proinde fieri Simoniacas.

Deinde ſecunda pars probatur inductiuè.

47 Sunt enim † multa ſpiritualia per annexionem quæ licet beneficia non ſint, ad illa tamen ſpectant vel reducuntur, vt vicariæ amouibiles, quæ defectu perpetuitatis propriè non ſunt Eccleſiaſtica beneficia, penſiones quæ titulo ſpirituali conſignantur, actiones pertinentes ad beneficiorum prouiſiones, iura præſentandi ad beneficia, ſeu officia ſpiritualia, & actiones ipſæ præſentandi. Hæc omnia & ſimilia ad beneficia Eccleſiaſtica ſpectant, licet propriè nomine & ratione Eccleſiaſtici beneficij non gaudeant: quarum tamen permutatio ex iure poſitiuo Simoniaca eſt, eo quod eſt intuitu religionis ad vitandam ſpeciem Simoniæ prohibitam: ergo. Minor declaratur in ſingulis. Si quis enim beneficium pro Vicaria amouibili, vel pro penſione permutaret, contractum oneroſum iniret in ſpiritualibus etiam, quod eſt contra prohibitionem *in cap. quæſitum*; vbi pacta omnia in ſpiritualibus etiam per annexionem prohibentur. Similiter ſi duo electores paciſcantur in hunc modum: Tu elige hunc, & ego eligam illum: vel elector cum confirmatore, aut collatore ſimilem permutationem faciat, pactum etiam contrahit prohibitum in *cap. de hoc, de Simonia*. Et eadem ratio eſt de permutatione, qua iura ipſa, vel præſentationes actiuæ, vel paſſiuæ per ſe inuicem permutarentur: vt ſi quis cum altero paciſcatur ſub hac forma; Ego do tibi ius quod habeo ad beneficium hoc, vt tu cedas præſentationi quam habes ad aliud. In hiis & ſimilibus committitur Simonia poſitiuo iure prohibita, vt latè tradunt Syluester V. *permutatio. q.* 13. Nauarrus *conſilio* 43. Felinus *in cap. ad audientiam, 2. de reſcriptis*, & aliis quos refert Torre *vbi ſupra, diſp.* 7. & Malderus *dub.* 19.

Tertia pars probatur, quia ſi † permutatio 48
fiat de licentia Superioris, ſufficienter purgatur à vitio Simoniæ; eo quod cum hac conditione permittitur in iure, vt habetur *in cap. inter cætera, de prabendis*: & *in cap. cum vniuerſorum, de rerum permutatione*, & *cap. quærenti*. vt tradunt D. Thomas hîc *ſupra art. 1. ad 5.* Azor. *2. p. lib. 7. c. 29.* Malderus *vbi ſupra.* Torre *diſp. 8.* & Panormitanus *in cap. quæſitum*, & Hoſtienſis *ibidem*. Ex quibus colligitur hæc regula generalis, quod permutationes non poſſunt fieri priuata authoritate; benè autem authoritate ſuperioris. Quis autem debeat eſſe iſte Superior, cuius authoritate purgantur permutationes à labe Simoniæ, omnes prædicti authores vnanimiter aſſerunt ſufficere Epiſcopum pro ſua Diœceſi, & quemcumque alium qui iuriſdictionem habet Epiſcopalem, Capitulum in Sede vacante, & Abbates ſimili iuriſdictione gaudentes. Vnde in *cap. conquerenti, de rerum permutatione*, ex quo prædicta regula fuit deprõpta, nomine Epiſcopi intelligitur omnis, qui vndecumque habet iuriſdictionem ad approbandas huiuſmodi commutationes, quod inſinuauit etiam D. Thomas *vbi ſupr.* dum non vtitur nomine Epiſcopi ſed Prælati: quod latius patet dicens; poteſt autem Prælatus ex officio ſuo permutationes huiuſmodi facere, &c.

Dico tertiò; quando † beneficia ſunt inæqua- 49
lia, licitum eſt exceſſum vnius ſupplere per conſignationem annuæ penſionis, non de licentia Ordinarij, ſed de licentia ſolius Pontificis. Hæc concluſio probatur, ſupponendo ex ſupra dictis penſionem poſſe tripliciter conſtitui. Primò ſi in titulum beneficij exigatur ad modum præſtimonij. Secundò, quando conſignatur propter miniſterium aliquod ſpirituale præteritum, vel futurum', non tamen per modum beneficij Eccleſiaſtici, ſed tanquam pars fructuum alicuius beneficij, Tertiò, quando eſt merè temporalis propter temporalem finem conſignata. Et quidem pro penſione primi generis, bene poteſt beneficium permutari de licẽtia Ordinarij, quia talis penſio cenſetur beneficium, ac proinde de permutatione illius dicendum eſt, ſicut de permutatione

mutatione beneficiorum. Quod ſi beneficia diuerſarum Diœceſum ſint, conſenſu vtriuſque Ordinarij opus erit, tradit Azor. *loco citato q.* 8. & Malderus. Deinde certum eſt, quod pro penſione tertij generis non poteſt permutari beneficium etiam de licentia Summi Pontificis, quia in tali permutatione daretur beneficium ſpirituale pro temporali, quod aduerſatur iuri diuino, in quo non valet Papa diſpenſare, vt latè probat Torre *diſp. 9. concluſione* 3. Nec obſtat ſtilus Romanæ Curiæ, vbi Pontifex quamſæpius permutat inter habentem beneficium & inter habentem penſionem, vt penſio illius transferatur ad illum, & econtra beneficium ad illum qui habebat penſionem transferatur; hoc enim non fit per viã permutationis, ſed per viã trãſlationis perſonarum, quatenus Pontifex vt Summus diſpenſator, vtitur tranſlatione perſonarum à beneficio in penſionem, à penſione in beneficium, ad eum modum quo multoties etiam Pontifex ſimilem tranſlationem ſolet facere, inter habentem beneficium Eccleſiaſticum, & habentem commendam tẽporalem, quod non eſt ipſas perſonas particulares permutare, ſed relinquere totũ negotiũ Pontifici, vt ipſe tanquã ſupremus diſpenſator conferat beneficium vnius alteri, cum onere dandi ei qui fuerat beneficiatus aliquid loco ſuſtentationis, quod poteſt eſſe commenda vel pẽſio temporalis. Noſtra igitur concluſio ſolùm intelligitur de pẽſione ſecundi generis, & ſic intellecta probatur. Nam penſio iſta, licet ſpiritualis, non tamen eſt beneficium, quia nec eſt perpetua, neque per Canonicam inſtitutionem confertur; Sed inferioribus Prælatis tantùm eſt conceſſum in iure, contractus, & conuentiones permutantiũ beneficia approbare: ergo non poteſt iuris diſpoſitio extendi ad permutationem penſionis pro penſione, aut beneficij pro penſione. Confirmatur: nã duo interueniunt in huiuſmodi permutationibus, quæ iuriſdictionẽ Epiſcoporum excedunt, nempe reſignatio beneficij in fauorem tertij, & tranſlatio penſionis, quæ ſolius Summi Pontificis iuriſdictioni ſunt in iure reſeruata, vt ex dictis *dub. præcedenti* conſtat: ergo. Nec valet quod *in cap. quærenti*, & aliis allegatis conceditur Epiſcopis facultas faciendi & approbandi permutationes beneficiorum, quæ conſtitutio ad penſiones poteſt extendi, quæ nomine beneficiorum poſſunt largè comprehendi, ſiquidem iura in fauorabilibus quale eſt beneficiorum permutatio amplianda ſunt. Nam licet permutatio ſit de genere fauorabiliũ, ac proinde ius de permutatione beneficiorum ampliandum, intra propriam & veram beneficij ſignificationem, non tamen extra illam; & conſequenter non debet ad penſionũ permutationem extendi, quia penſioni nec nomen, nec ratio beneficij conuenit propriè, ſed tantùm abuſiuè.

50 Dico quartò: † quando beneficium vnum excedit alterum quantum ad ſpirituale, nequit etiam de facultate Summi Pontificis, exceſſus ille pecunia aut aliqua re pretio æſtimabili compenſari. Si autem exceſſus ſit in fructibus temporalibus, non poteſt pretio temporali compenſari per viam commutationis, ſed aliis viis de facultate ſolius Summi Pontificis. Hæc concluſio eſt Couarruuias *lib. 1. variarum cap. 5.* Panormitani *in cap. ad quæſtiones, de rerum permutatione.* Torre *diſp. 10.* Malderus *ſupra, &c.* Quia compenſare exceſſum ſpiritualem pro pecunia, eſt vendere ſpirituale pro temporali; hæc autem eſt Simonia iuris diuini in quo Pontifex nõ poteſt diſpenſare: ergo. Confirmatur, nam qui dat pecuniam pro beneficio pinguiori, aut illam dat pro ſpirituali dignitate ſiue titulo digniori, aut pro reditibus annexis. Si primum, manifeſtè datur temporale pro re annexa ſpirituali, quatenus annexa eſt: datur enim pro reditibus, quatenus pertinent ad beneficium Eccleſiaſticum, & vt ſunt ſtipendium conſignatum beneficiato pro miniſterio ſpirituali, quod etiam vt ſic eſt inuendibile ſecundum ius diuinum; ergo. Secunda pars probatur, quod licitè poſſit fieri compenſatio per dicta, authoritate ſolius Summi Pontificis. Quia Summus Pontifex poteſt ex ſuprema authoritate diſpenſatiua quam habet, partem fructuum ſeparare à beneficio pinguiori, & illam ſic ſeparatam à titulo ſpirituali, reddere pecunia compenſabilem, non quidem per modum permutationis, ne videatur diſpenſare in iure diuino, ſed aliis modis, nempe vel fructus beneficij pinguioris ſeparando omnino à titulo & iure ſpirituali, ſic enim ſeparati iam fiunt pecunia æſtimabiles: vel ex fructibus illis pinguioris beneficij creando penſionem, & conſignando illam accipienti beneficium minus pingue; vel tandem applicando illos huic per modum congruentis ſtipendij & ſuſtentationis. Et quia nullus alius inferior Prælatus habet hanc ſupremam poteſtatem diſpenſatiuam, ſolus Pontifex poteſt hanc compenſationem licitam reddere; eo vel maximè quod licet ſecundùm ius antiquum illam habuerint Epiſcopi, iam ſecundùm nouum eſt Summis Pontificibus reſeruata, vel conſuetudine habente vim legis, vel etiam ex conſtitutione prælegata Pij V. quæ incipit *Intollerabilis*, vt rectè notauit Malderus *dub. 10. §. Septimò quæritur.* Et ex hac noſtra ſententia reiiciuntur aliæ duæ extremè oppoſitæ, altera Angeli V. *permutatio n. 6.* Armillæ V. *beneficium n. 76.* & Azorij *vbi ſupra c. 29. q. 15.* aſſerentium licitè poſſe exceſſum reditum beneficij pinguioris pretio compenſari. Quibus fauet D. Thom. *art. 9. ad vltimum*, dicens Epiſcopum poſſe ex rationabili cauſa antequam conferat beneficium ordinare, vt aliquid ex fructibus eius ſubtrahatur in pios vſus expendendum: & dictum *c. ad quæſtiones*, vbi Clemens III. concedit, vt duæ Eccleſiæ cum ſuis poſſeſſionibus permutentur, refuſa certa pecuniæ quantitate pro exceſſu vnius ſupra alteram. Altera verò eſt Adriani *quodlib. cit. art. 3.* & Soto *vbi ſup. art. 3.* & M. Vincentij, aſſerentium nullatenus poſſe talem compenſationem purgari à Simonia, etiam ex licentia Summi Pontificis, eò quòd ſit contra ius diuinum. Sed noſtra concluſio vtramque ad concordiam reducit. Primam enim admittimus eſſe veram, ſi compenſatio fiat à Summo Pontifice aliquo ex prædictis modis, aut etiam ab Epiſcopis ſecundum ius poſitiuum antiquum. Secundam autem etiam eſſe veram admittimus, ſi compenſatio fiat per modum permutationis, aut abſque expreſſa licentia Summi Pontificis, cui ſecundum ius nouum talis poteſtas diſpenſatiua eſt reſeruata.

Dico vltimò; quantum ad tranſactiones † in materia beneficiali non eſt licita tranſactio, ſi priuata authoritate litigantium fiat ſuper beneficio aliquo, etiamſi vnum ſpirituale pro alio tranſigatur, bene tamen ſi fiat authoritate Ordinarij. 51

dinarij. Ratio primæ partis eſt, quia talis tranſactio eſt permutatio, atque renunciatio beneficialis in fauorem tertij facta ex pacto. Sed huiuſmodi contractus oneroſi ſunt Simoniaci ex iure poſitiuo, ſi fiant priuata authoritate vt dictum eſt: ergo idem dicendum eſt de tranſactione, eo vel maximè quod expreſsè prohibita eſt in *c. conſtitutus*, & *cap. ſuper eo de religioſis domibus*, & alibi quamſæpius. Ratio verò ſecundæ eſt, quia ita decernitur *in cap. 2. de tranſactione*: & quia tranſactio eſt quædam permutatio, hæc autem ſufficienter purgatur à vitio Simoniæ, ſi fiat coram Ordinariis, vt dictum eſt, qui etiam poſſunt collitigantes ita componere pro bono pacis, quod eſt finis tranſactionum, vt vnus habeat beneficium de quo eſt lis, & de illo ſoluat penſionem alteri parti. Licet enim nullus præter Summum Pontificem poſſit imponere penſiones ſuper beneficia, quia prohibitum eſt in iure, ne beneficia ab Ordinariis cum diminutione conferantur extra tranſactionem, bene tamen in tranſactionibus & per viam compoſitionis, atque pro pace inter litigantes; quia in hoc caſu permittitur in iure Epiſcopis, vt poſſint penſiones imponere. Quod colligitur ex *cap. cætero de tranſactionibus*. & *cap. 3. de ſolutionibus & præbendis*: & tradunt Panormitanus, Cardinalis, & alij ſuper eiſdem capitibus.

52 Ex † hac concluſione infertur primò, quod ſi ex duobus collitigantibus ſuper eodem beneficio, vel alia re ſpirituali, vnus liberè cedat iuri ſuo in fauorem alterius abſque diminutione rei ſiue iuris, vel ſine vlla recompenſatione, nulla eſt Simonia. Infertur ſecundò, quod ſi tranſactio in materia ſpirituali, non tamen pertinente ad beneficia, fiat per ceſſionem alterius iuris ſiue rei ſpiritualis proportionatæ, nulla eſt Simonia, etiamſi ex priuata litigantium authoritate ſine conſenſu ſuperioris fiat. Ratio primi corollarij eſt, quia in illo caſu nulla eſt tranſactio, ſed amicabilis compoſitio & gratuita ceſſio iuris, abſque aliquo contractu oneroſo; Sed hæc non eſt prohibita, imo eſt laudabilis & conformis Euangelicæ perfectioni, iuxta illud *Matth. 5. qui voluerit à te tollere tunicam, da ei pallium*: ergo. Ratio ſecundi eſt, quia tranſactio quædam ſpecies permutationis eſt; ſed in aliis rebus ſpiritualibus extra materiam beneficiorum, permutatio facta priuata authoritate nullo iure eſt prohibita: ergo neque tranſactio, v.g. ſi lis ſit ſuper reliquijs cuius ſint, poſſunt licitè litigantes paciſci, vt diuendantur, vel vt dentur alteri illorum; idem dicendum eſt ſi lis habeatur circa ius præſentandi, vel circa ius decimarum & ſimilia.

53 Ad † primum ex fundamentis primæ ſententiæ reſpondetur dupliciter. Primò negando maiorem: non eſt enim vniuerſaliter vera, niſi quando contractus oneroſus fit contra voluntatem domini rerum ſpiritualium: Commutatio autem vnius rei ſpiritualis pro alia proportionata, licet cum pactione fiat, eſt tamen pactio honeſta & permiſſa in iure, & nullatenus contra Domini voluntatem. Reſpondetur ſecundò, quod permutatio vnius rei ſpiritualis pro alia, non eſt propriè actus dominij, neque oneroſus contractus; eo quod vnum ſpirituale non habet rationem pretij reſpectu alterius, & ita non derogat dignitati rerum ſpiritualium talis permutatio, ſicut neque derogat illi datio gratuita rei ſpiritualis. Ad ſecundum nego maiorem; malitia enim Simoniæ non tantùm in eo conſiſtit, quod detur ab illo, qui non eſt Dominus principalis, ſed in eo quod detur ab illo qui non eſt Dominus principalis, vel contra eius voluntatem, & pro re pretio æſtimabili: quod non contingit in permutatione, ſecundum diuinum ius. Ad tertium reſpondetur, quod ſi tantùm ex vna parte eſſet obligatio ciuilis in permutatione beneficiali, daretur beneficium pro obligatione quæ eſt pretio æſtimabilis, & tunc committeretur Simonia contra diuinum ius; Secus autem ſi ciuilis obligatio eſſet mutua ex vtraque parte, quia tunc beneficium permutatum non datur pro obligatione, ſed vna obligatio correſpondet alteri, & ſic temporale correſpondet temporali, & ſpirituali.

Ad primum ex fundamentis ſecundæ ſententiæ reſpondetur, conceſſo antecedenti nego conſequentiam; nam in iure, vt *ibidem* dicitur, & latè oſtendit Torre *diſp. 7. dub. 10. §. Quæri hic & illud poteſt*, non eſt prohibita permutatio rerum ſpiritualium ſeruata proportione, vt Miſſæ pro Miſſa, Roſarij pro roſario, calicis cum calice; eſt autem prohibita permutatio in materia beneficiali, & ideo illa etiam ſtando in iure poſitiuo eſt licita; ſecus autem iſta. Ad confirmationem ſimiliter nego vltimam conſequentiam. Ad ſecundum nego antecedens, ſi fiat ſermo ſecundum iuris poſitiui diſpoſitionem. Ad tertium nego conſequentiam quoad vtramque partem. Ad probationem primæ dicendum eſt, quod facultas Ordinariorum purgat huiuſmodi permutationes à labe Simoniæ, non quia diſpenſant in iure poſitiuo, ſed quia apponunt conditionem requiſitam à iure poſitiuo ad vitandam Simoniam: ſolum enim ius poſitiuum prohibet permutationes factas abſque Ordinariorum facultate, approbat autem factas cum eorum licentia. Ad probationem ſecundæ partis reſpondetur, quod in iure ſolùm prohibetur permutatio conſummata abſque ſuperioris conſenſu. Vnde bene poſſunt partes priuata authoritate tractare inter ſe, & inchoare negotium permutationis, referendo illud ad voluntatem ſuperioris poſtea requirendam. In quo duplex eſt modus dicendi. Primus negatiuus quem ſequitur Hoſtienſis in *cap. Quæſitum*. Ioannes Andreas relatus à Panormitano *vbi ſupra*, quibus fauet *cap. Cum olim*. & *cap. Cum vniuerſorum*: & Gloſſa *ibidem*. Vbi damnatur omnis pactio priuata, & conſenſus partium in permutationem præueniens conſenſum Superioris. Fauet etiam *cap. Deteſtanda, de conceſſione præbendæ in 6.* vbi irritatur omnis promiſſio de dando beneficio. Sed ſecundus & verior affirmatiuus eſt, quem ſequuntur Syluester *vbi ſupra*, Panormitanus, *in dict. cap. Quæſitum*. Rebufus *de permutationibus, num. 52.* Gloſſa *in Clementinam vnicam de permutatione*, Malderus *dub. 10. citato. §. Nihilominus*, & Torre *diſput. 8. circa finem.*

ARTICVLVS VI.

Vtrum sit conueniens Simoniaci pœna quod priuetur eo quod per Simoniam adquisiuit?

SVMMARIVM.

1 *An pœnæ Simoniacorum sint exactè annumeratæ à D. Thoma.*
2 *Suspensio incurritur ipso facto à Conuentu vel Capitulo in Simoniacam Religiosi receptionem consentiente.*
3 *Refertur duplex modus dicendi circa dubium; vtrum scilicet ad incurrendam suspensionem ab executione ordinum requiratur culpa ex parte ordinati, vel etiam ille ignorãtiam inuincibilem habens illam incurrat?*
4 *Ad fundamentum primæ sententiæ respondetur dupliciter.*
5 *Simoniaci in ordine & beneficio inuruntur pœnis infamiæ & depositionis.*
6 *An Simonia mentalis in ordine, beneficio aut Religionis ingressu commissa, sit pœnis in iure taxatis subiecta?*
7 *Refertur duplex modus dicendi de Simonia mentali, quæ infert opus exterius, in quo tamen non explicatur prauus affectus, &c.*
8 *Quorum secundus modus negans scilicet probatur, & ad argumenta in contrarium respondetur.*
9 *An conuentialis Simonia prædictis pœnis iuris sit subiecta?*
10 *Refertur duplex sententia circa Simoniam conuentionalem consummatam ex parte vẽdentis, non autem ex parte ementis, an subiaceat prædictis pœnis, &c. quarum sententia negans est probabilior & veritati cõformior.*
11 *De confidentiali Simonia aliter est dicendum.*
12 *An Simonia vera & realis sit restitutioni & aliis pœnis suprædictis obnoxia?*
13 *Appellatione beneficij spiritualis quid intelligit Caietanus.*
14 *Referuntur verba Caietani super Decretali de Simonia, &c.*
15 *An obligatio restituendi tam spirituale quàm temporale Simoniacè adquisitum oriatur ex quacumque Simonia, ita vt iure diuino & ante sententiam iudicis maneant Simoniaci ad restitutionem obligati?*
16 *Recipiens beneficium aut rem spiritualem pacto Simoniaco, iure positiuo tenetur ad restitutionem.*
17 *Simoniaca acceptio siue datio solo iure positiuo inualida, non obligat ad restituendum ex iure Diuino.*
18 *In Simonia reali commissa in ordine, beneficio, & Religionis ingressu ex solo duntaxat iure positiuo Simoniaci ad resignationem, amissionem aut restitutionem, ante iudicis sententiam tenentur.*
19 *Beneficium Simoniacè acceptum semper Ecclesiæ est restituendum, pretium autem, aliquando ei qui dedit, aliquando Ecclesiæ.*

1 DVbitatur primò: † *An pœnæ Simoniacorum sint exactè annumeratæ à D. Thoma?* Conclusio est affirmatiua: circa quam quædam notanda sunt. Primò reuocanda est in memoriam diuisio illa Simoniæ, quam *supra art. 2. dub. 1.* fecimus, in Simoniam fictam & veram, quæ subdiuiditur in mentalem, conuentionalem, & realem: & quia vt *ibidem* ostendimus aduersus Nauarrum & alios Iurisperitos, ficta non est verè Simonia, siquidem ei deest vera intentio vendendi atque emendi rem spiritualem; propterea contra eosdem authores tenendum est, nullam Ecclesiasticam pœnam in iure propter huiusmodi Simoniam latam esse. Et idem dicendum est de Simonia mentali, quæ in solo mentis proposito sistit, eo quod Ecclesia actus purè internos nec punit nec punire potest. De mentali autem, quæ in opere exteriori palliatur, de conuentionali & reali suo ordine agendum nobis est, sicut prius. Secundò est notandum, pœnas contra Simoniacos latas in iure, esse in triplici differentia, vt hîc aduertit D. Thomas, ad quarum primam pertinent priuatio pecuniæ qua priuatur vendens, & priuatio rei spiritualis, qua priuatur emens Simoniacè spirituale. Ad secundam pertinent infamia, & depositio à proprio gradu & dignitate. Ad tertiam denique spectant excommunicatio, & suspensio ab ordine suscepto & Ecclesiastico officio: ex quibus excommunicatio ipso facto incurritur per Simoniam in ordine, in beneficio, & in religionis ingressu commissam; vt habetur in Extrauagantibus 1. & 2. *de Simonia* quæ referuntur à Caietano *in summa* V. *excommunicatio cap. 72. & 73.* In ordine quidem & beneficio, incurritur huiusmodi excommunicatio per Simoniacam Ordinis cuiuscumque etiam primæ tonsuræ susceptionẽ, aut beneficij susceptionem, siue collationem, & per nullam aliam actionem, quæ non sit vel susceptio vel collatio ordinis vel beneficij. In ingressu verò religionis incurritur prædicta excommunicatio ab illis, qui pro ingressu ad religionem aliquid pretio æstimabile exigunt, vel conferunt; nullúsque alius præter Simoniacos in ordine, beneficio, aut ingressu religionis, excommunicationem ipso facto incurrit, quia contra prædictos duntaxat est lata in iure. De suspensione verò notandum est tertiò, quod contra duas oppositas extremè sententias statuimus alteram Patri Sà, qui *in summa* V. *Simonia*, vult pœnas iuris solùm contra Simoniacos in ordine aut beneficio stabiliri: & alteram Victoriæ, qui in *2. p. relectionis n. 4.* vult huiusmodi pœnas ad omnes Simoniacos extendi. Ratio verò, quare ius illa supradicta includat, est, quia ius solùm voluit punire eos qui Simoniacè promouentur, materia autem promotionis tantùm est in ordine, beneficio, & religionis ingressu.

De † suspensione verò notandum est etiam, 2
quod incurritur ipso facto à conuentu vel Capitulo in Simoniacam Religiosi receptionem consentiente, propter verba præallegatæ Extrauagantis 1. *de Simonia*, quæ sic habent. *Nos enim qui secus egerint, si sint singulares personæ, tam dantes quàm accipientes, huiusmodi excommunicationis, si Capitulum vel Conuentus fuerit suspensionis sententiis eo ipso decernimus subiacere, &c.* Extenditur etiam ad recipientes ordines quoscumque Simoniacè propter verba Extrauagantis 2. *citatæ*, quæ sic habent. *Confirmantes, & innouantes Apostolica authoritate declaramus, quod omnes illi qui Simoniacè ordinati fuerint, suorum sint ordinum executione suspensi*; quæ suspensio ad ordinantem & ordinatum, & etiam ad

præſentantem ad ordines extenditur, neque ſolùm ſuſpendit executionem ordinis ſuſcepti Simoniacè, ſed etiam abſolutè omnes ordines antea ſuſceptos, quia hoc denotãt illa verba numeri pluralis. *Suorum ſint ordinum executione ſuſpenſi*; eſtque triẽnalis dumtaxat, in collatore & præſentatore, propter verba capitis penultimi de Simonia. *Ordinator à collatione, præſentator verò ab executione ordinum per triennium, &c.* Quantum ad recipientem verò nulla eſt temporis limitatio, & ita manebit ſuſpenſus, donec à Summo Pontifice cui iuſtæ pœnæ ſunt reſeruatæ diſpenſationem obtineat.

3 Vtrum autem † ad incurrendam huiuſmodi ſuſpenſionem ab executione Ordinum, requiratur culpa ex parte ordinati, vel etiam ille ignorantiam inuincibilem habens incurrat illam? duplex eſt modus dicendi. Primus eſt *vbi ſupra cap. 56. num. 8.* & *tomo 5. de cenſuris diſp. 31. ſect. 5.* & Patris Sâ *in ſumma V. Simonia*, qui ſequuti Nauarrum *in Manuali c. 25. n. 68.* hanc ſuſpenſionem aſſerunt non incurri niſi propter culpam, eo quod eſt pœna; pœna autem non incurritur niſi propter culpam, à qua excuſat invincibilis ignorantia. Secundus & verior eſt Sylueſtri *in ſumma V. ſuſpenſio q. 7.* & Torre hîc *diſp. 7.* aſſerentium incurri ſine culpa ordinati, vel etiam cum eius inuincibili ignorantia, v.g. ſi quis ordinatus eſt Simoniacè cum inuincibili ignorantia facti, eo quod alter tertius exhibuit pretium eo neſciente, incurrit præfatam ſuſpenſionem: quod probatur, tum quia ita expreſsè habet D. Th. hîc *ad 3.* dicẽs. *Si verò eo neſciente nec volẽte per alios alicuius promotio Simoniacè procuratur, caret quidem ordinis executione.* Tum etiam quia in *c. Præſentium 1. q. 5.* Simoniacè ordinatos ignoranter, deponendos eſſe teſtatur Pontifex, neque eſt firma ſed voluntaria interpretatio Suarez, quod hic textus loquatur de ignorantia culpabili, quia indefinitè loquitur de eo qui ignoranter ordinatus eſt per Simoniam, & abſque vlla diſtinctione: vbi autem lex non diſtinguit neque nos diſtinguere debemus, vt habet communis regula iuris.

4 Quare † ad fundamentum primæ ſententiæ reſpondetur dupliciter. Primò huiuſmodi ſuſpenſionem eſſe pœnam, ac proinde culpam ſupponere; ſed non opus eſſe quod illam ſupponat in ordinato, ſed ſatis eſt quod illam in ordinante atque in procurante ſupponat, quandoquidem ſæpe contingit in iure culpam vnius in alterius perſona purgari. Vt enim decernitur in *cap. penultimo de electione*, cum electo propter Simoniam commiſſam, ipſo ignorante ac ratum non habente, non poteſt Epiſcopus pro illa vice diſpenſare, ſed manet officio priuatus. Reſpondetur ſecundò, quod huiuſmodi pœnæ iuris aliquando non propter culpam, ſed propter ſolam ſignificationem, & propter opus affine & proximum culpæ, habẽnſque ſaltem ex obiecto malitiam & quandam mali figuram, incurruntur. Et quia ſuſceptio ordinis propter conuentionem Simoniacam hanc mali ſpeciem habet, propterea Ordinatus inſcius mali ſuſpenſionem incurrit. In quo differunt ſuſpenſio, & irregularitas ab excommunicatione: hæc enim ob ſui rigorem nunquam niſi propter culpam incurritur, & ideo Simoniacus per ignorantiam inuincibilem facti nullatenus prædictam excommunicationem contra Simoniacos latam incurrit; vt bene aduertit Nauarrus *in Manuali cap. 17.* & Soto *in 4. d. 22. q. 1. art. 2.* Denique illam extendit D. Thomas & meritò, ad conferentem & recipientem beneficium Simoniacè, quia huiuſmodi Simoniaci excommunicantur in prædicta Extrauaganti II. & ſuſpenſio ab ordine, officio & beneficio includitur in ipſa excommunicatione ipſo facto contracta: nulla tamen alia pœna ſuſpenſionis contra hos ſtatuitur niſi ferenda, quæ habetur *1. q. 3. cap. 1. & 2.* cum hoc tamen diſcrimine, quod quando delictum Simoniæ eſt occultum, in beneficio manent Simoniaci ſuſpenſi quoad ſe tantùm, hoc eſt manent ita ſuſpenſi quod ex vi ſolius iuris prohibitionis, ante aliam ſententiam tenentur abſtinere ab exercitio ordinum; non tamen tenentur alij eos vitare. Quando autem delictum Simoniæ in beneficio commiſſum eſt notorium, & etiam quando Simonia committitur in ordinum collatione aut ſuſcepticne, ſiue notoria, ſiue occulta ſit, Simoniaci manent ſuſpenſi quoad ſe & quoad alios, hoc eſt manent ita ſuſpenſi, quod per ſententiam hominis ſiue canonis, tenentur ab officio abſtinere, & qui id ſciuerint tenentur eos quoad executionem illius officij vitare.

Deinde quoad infamiæ & depoſitionis pœnas notandum eſt quartò, quod † Simoniaci in beneficio & ordine etiam inuruntur pœnis infamiæ & depoſitionis, vt colligitur ex *cap. vltimo 1. quæſt. 3.* & *ex cap. Qua Simoniacos. 1. quæſt. 1.* quas tamen non ſubeunt ipſo facto, ſed poſt ſententiam Iudicis, vt ex eiſdem textibus colligitur, & tradunt Victoria, Ludouicus Lopez *cap. 307.* & Torre hîc *diſp. 9.* Denique de pœna reſtitutionis dicendum eſt *dubio vltimo.* Vltra quas pœnas nullæ aliæ contra Simoniacos ſtatuuntur in iure, quæ reuera alia ſit. Nam irregularitas ad has conſequitur, quia infamia iuris poſt ſententiam Iudicis irregularitatem induit, quæ tandiu durat, quandiu Simonia perſeuerat. Tum etiam quia ipſa ſuſpenſio quædam ſpecies irregularitatis eſt: tum denique, quia ſi celebret Simoniacus, excommunicationis cenſura innodatus irregularitatem ipſo iure incurrit.

5 His ſuppoſitis Dubitatur ſecundò, † *An Simonia mentalis in ordine, beneficio, aut religionis ingreſſu commiſſa, ſit prædictis pœnis ſubiecta?* In hoc dubio communis ſententia aſſerit; mentalem Simoniam quæ totaliter conſummatur in mente, non puniri Eccleſiaſticis pœnis, quia Eccleſia non punit peccata purè interiora. In explicando autem, an mentalis Simonia quæ infert opus exterius, in quo tamen non explicatur prauus affectus, ſubiaceat præfatis pœnis iutis; † duplex eſt modus dicendi. Primus affirmans eſt; qui ſuadetur primò quia quod fit in foro externo punibile eſt ab Eccleſia: ergo nulla eſt ratio quare de facto non puniatur per prædictas pœnas. Secundò, quia in motu proprio Pij V. *ſupra* citato contra confidentias, punitur reſignatio illa confidentialis, quæ ex ſola intentione conferentis beneficium committitur: ergo mentalis Simonia in qua vtrinque aliquid datur & accipitur ex prauo affectu vel non explicato, pœnis Eccleſiaſticis ſubiacet.

Secundus modus & verus negans eſt, quem ſeq;untur

ſequuntur Nauarrus *in cap. vltimo de Simonia*, Victoria & Caietanus *hic* Torre *diſput.* 8. Vaſquez 12. *diſp.* 160. & Malderus *vbi ſupra dub.* 18. *quæſito* 5. Et probatur, quia pro prauo affectu non explicato in opere externo nullus pœnam patitur, vt habetur *in cap. cogitationis, de pœnitentia diſtinct.* 1. Talis eſt mentalis Simonia de qua loquimur: ergo. Secundò, quia cùm Simonia ſit emptio ſeu venditio rei ſpiritualis pro temporali, tres conditiones ad illam concurrere debent; ſcilicet intentio emendi & vendendi rem ſpiritualem pro temporali, pactum ſiue conuentio, & executio realis per quam fiat rei ſpiritualis traditio: abſque hiis enim tribus non ſaluatur contractus exterior emptionis ſeu venditionis, ac proinde neque exterior Simonia. Sed in Simonia mentali non concurrunt iſtæ tres conditiones, deſunt enim pactum & conuentio: ergo non ſaluatur exterior Simonia, ac per conſequens non ſubiacet Eccleſiaſticis pœnis quibus ſola exterior Simonia punitur. Tertiò, quia quando opus externum malum, ita per accidens coniungitur prauæ intentioni, vt non ſufficienter illam prodat & manifeſtet, eo quod appareat indifferens ad alias intentiones, non eſt punibile in foro externo ab Eccleſia, quia nequit Eccleſiæ conſtare de illius malitia; vt tradunt Nauarrus, Vaſquez, & Malderus, *vbi ſupra.* Sed quando quis ex praua intentione, abſque pacto tamen etiam tacito dat temporale pro ſpirituali, non prodit malitiam ſuæ prauæ intentionis in opere externo: ergo non ſolùm non punitur de facto, ſed neque poteſt ab Eccleſia puniri. Ex quo reſpondetur ad primum in contrarium, negando conſequentiam. Ad ſecundum reſpondetur iuxta ſuperius à nobis dicta *artic. præced.* quod illa confidentialis reſignatio quæ ex praua intentione dicitur præcedens, non ſupponit pro illa quæ omnino pactum excludit, & ſolùm mentalis eſt, ſed pro ea in qua intentio habet annexum pactum ſaltem tacitum & implicitum.

9 DVbitatur tertiò: † *An conuentionalis Simonia prædictis pœnis iuris ſit ſubiecta?* In hoc dubio vnum eſt certum, & aliud ſub lite verſatur. Certum inquam eſt, quod Simonia merè conuentionalis, in qua neque res ſpiritualis, neque pretium eſt datum, ſed tantùm conuentio facta de dando & accipiendo eſt immunis à pœnis iuris, ſimiliter immunis eſt ab eiſdem pœnis ipſo facto incurrendis illa Simonia conuentionalis, quæ eſt conſummata ex parte mentis dumtaxat, nempe in qua facta eſt traditio pretij, ſed non rei ſpiritualis. Ita enim communiter tenent Doctores cum Nauarro *vbi ſupra num.* 28. Soto *lib.* 9. *quæſt.* 8. *artic.* 1. & Caietano *in opuſculo de Simonia, quæſt.* 2. Et ratio eſt, quia ante traditionem rei venditæ eſt inchoatus contractus emptionis & venditionis, ſed nondum conſummatus; leges autem Canonicæ latæ contra Simoniacos ſolùm puniunt emptionem & venditionem conſummatam, vt dictum eſt: ergo. Sub dubio autem verſatur, an conuentionalis Simonia conſummata ex parte vendentis per traditionem rei ſpiritualis, non autem ex parte mentis, quia differtur pretium promiſſum, ſubiaceat prædictis pœnis ſuſpenſionis & excommunicationis? &c.

In quo † duplex verſatur ſententia. Prima 10
affirmans quam ſequuntur Caietanus *in ſumma* V. *Simonia.* Soto *vbi ſupra.* Petrus Nauarr. *lib.* 2. *c.* 2. *n.* 428. Toletus *lib.* 5. *c.* 93. & Torre *diſput.* 8. & Vgolinus *tabula* 3. *c.* 3. Quorum fundamentum eſt duplex. Primum quia in *cap. Nobis fuit, de Simonia*; dicit Pontifex irritam eſſe electionem illius pro quo eligendo promiſſa fuerat pecunia, (ipſo ignorante,) nondum tamen data. Secundum, quia contractus emptionis & venditionis cenſetur conſummatus per traditionem rei venditæ, eo quod eſt materia & finis talis contractus vt diximus *art.* 2. *dub.* 1. Punitur autem in iure contractus conſummatus: ergo. Tertiò, quia vel collatio facta beneficij, verbi gratia, poſt conuentionalem Simoniam ab initio eſt rata, vel irrita: Si rata, ergo non ſunt excommunicati huiuſmodi beneficiarij ab initio collationis, ſi poſtea annumeratum fuerit pretium. Si irrita, ergo talis Simonia non eſt immunis à pœnis iuris. Hiis argumentis fit probabilis hæc ſententia. Sed probabilior & veritati conformior eſt ſecunda quæ negat, & eam tenet Nauarrus *num.* 28. *cap. vltim. de Simonia.* Pater Sà *loco citato n.* 6. & Malderus *dub.* 18. *quæſito* 6. Leſſius etiam *cap.* 35. *dub.* 27. & Suarez *cap.* 58. probatúrque ex ſtilo Curiæ Romanæ, in qua ita obſeruatur. Et quia in prædictis Extrauagantibus Martini V. & Pauli II. non magis comprehenditur caſus conuentionalis Simoniæ conſummatæ ex parte vendentis, quàm caſus conuentionalis Simoniæ conſummatæ ex parte ſolius mentis. Sed hic non comprehenditur vt admittunt Aduerſarij propter Simoniæ imperfectionem: ergo neque ille; propterea quod illa etiam eſt Simonia imperfecta; & licet realis ſit vt oſtendimus *artic.* 2. *dub.* 1. tamen non eſt conſummata ex vtraque parte: & hæc ſolùm eſt quæ punitur pœnis iuris.

De † confidentiali verò Simonia aliter di- 11
cendum eſt; nam vt aduertunt iidem Authores cum Nauarro *vbi ſupra num.* 109. omnis Simonia conuentionalis reperta in confidentiis, licet conſummata ex altera parte, dumtaxat ſubiacet pœnis excommunicationis latæ, & Summo Pontifici reſeruatæ, & priuationis, qua Confidentiarij omnibus beneficiis, penſionibus, & rebus Eccleſiaſticis priuantur, & ad alia in futurum inhabiles redduntur per ſpeciales conſtitutiones Pij IV. & Pij V. quas *ſupra* retulimus.

Ad primum autem in contrarium reſpondetur, in caſu illius capitis ſupponi, quod pretium promiſſum ante electionem poſtea ſolutum fuerit. Ad ſecundum reſpondetur, quod cum non eſt mutua traditio ex vtraque parte, non eſt contractus ex vtraque parte conſummatus. Ad tertium reſpondetur, quod quantum ad forum externum ſi ſuccedat pretij ſolutio, cenſetur irrita collatio facta ab initio propter fictionem iuris, quod ſic voluit huiuſmodi conuentionem cui ſolutio pretij ſuccedit, punire; ſed quoad forum conſcientiæ non habenda eſt ratio huius fictionis iuris, neque huius retrotractionis.

DVbitatur quartò: † *An Simonia vera & realis ſit reſtitutioni & aliis pœnis ſupradictis obnoxia?* In hoc dubio vt certum ſuppo- 12

nimus; Primò quod Simonia obnoxia pœnis iuris eſt quæ vera dicitur & à ficta diſtinguitur, vt contra Nauarrum docuimus *art. 2. dub. 1.* Supponimus Secundò, Simoniam quæ pœnis excommunicationis, ſuſpenſionis, & infamiæ in ordine, beneficio & ingreſſu religionis punitur, eſſe realem vtrinque conſummatam vt dictum eſt, neque extra hos caſus prædictis pœnis ſubiacere. Quod autem pœnæ latæ contra Simoniacos in Extrauaganti *2. de Simonia*, nimirum excommunicationis, ſuſpenſionis, priuationis, & infamiæ, non ligent niſi ſolùm Simoniacos, qui ſuper beneficio aut ordine realem Simoniam committunt, tenet communis Doctorum ſententia cum Caietano *in ſumma* V. *excommunicatio cap.* 72. vbi facta mentione conſtitutionis Martini V. & dictæ Extrauagantis Pauli II. contra Simoniacos dantes ſcilicet & recipientes, ſubdit; quod quia materia de qua agitur in illis eſt ſola Simonia in ordine aut beneficio, ideo communiter dicitur, & rationabiliter, quod ſoli & omnes Simoniaci in ordine aut beneficio sũt excõmunicati, & aliis pœnis ibi recenſitis, ſuſpenſionis, infamiæ, & priuationis
13 obnoxij. † Appellatione autem beneficij ſpiritualis (ait Caietanus) intelligi non ſolùm illud quod communiter beneficium Eccleſiaſticũ cõputatur, ſed etiam Prioratum, Guardianatum, & ſimiles prælationes & officia paſtoralia apud mẽdicantes: vtpote in quorum monaſteriis ſunt electiones, confirmationes, & prouiſiones, quas Simoniaca labe contingit maculari. De quibus in dicta Extrauaganti fit mentio. Et cum Nauarro *in Manuali c. 23. & lib. 5. conſiliorũ, conſilio 16. & 67. & 68.* quas pœnas extendit Vrbanus V. in Extrauaganti *1. de Simonia*, ad Simoniacos ſuper ingreſſu religionis, id eſt ad dantes & recipientes aliquid pretio æſtimabile ex pacto pro ingreſſu religionis, hoc eſt pro receptione ad habitum vel profeſſionem in quacumq; religione per Sedem Apoſtolicam approbata: eo quod nedum receptionem ad profeſſionem, ſed etiam ſimplicem ad habitum Nouitiorum admiſſionẽ eſſe quid ſpirituale & inuendibile, ac proinde Simoniæ materiam, probat Nauarr. *in d. c. 23. Manualis n. 110. & conſil. 71.* quia nedum profeſſio ſed etiam receptio habitus religionis eſt quid ſpirituale, & facit hominem de laico Eccleſiaſticũ, ita vt gaudeat priuilegio Canonis & fori: ac illum diuinis miniſteriis mãcipat. Et conſtat *ex cap. Ex inſinuatione & cap. Quoniã de Simonia lib. 5. decret.* vbi Innoc. III. dãnat ingreſſum religionis pretio cõparatum, tã mulierum quàm virorum vt Simoniacum, & tam religioſum receptum quàm recipientes, de Monaſterio expelli & in arctioribus Monaſteriis detrudi iubet. Sed Vrbanus V. in dicta Extrauaganti *1. de Simonia*, pœnis pœnas addendo præfatos Simoniacos, ſcilicet dantes & recipientes pro ingreſſu religionis, ſubiicit eiſdem cenſuris, ac pœnis contra Simoniacos in ordine aut beneficio à Martin. V. & Paulo II. latis, nimirum ſi ſint ſingulares perſonæ, excommunicationis: ſi verò Capitulũ vel Conuentus, ſuſpenſionis vinculo eo ipſo decernit ſubiacere: nec non priuatione officij ſeu dignitatis cum nota infamiæ & obligatione reſtituendi, &c.

14 In cuius decretali notanda ſunt † verba Caietani *vbi ſupr.* quæ ſic habent. *Aduerte quoq; decretalem hanc pluries repetere edita iura contra huiuſmodi petitiones, conſuetudines & exactiones: quoniam hinc elici poteſt quod ſi aliqua petũtur vel exiguntur non contra illa iura edita, exempta ſunt ab hac excommunicatione quæ adiuncta eſt prioribus iuribus, vt ipſe conditor canonis teſtatur. Ex hoc capite excuſantur omnes putantes ſe piè agere pro conſuetudinibus antiquis ſeruandis, non vendentes ingreſſum Religionis, ſed exigentes ſeruari laudabiles conſuetudines, excuſantur autem tantum ab iſta cenſura, quantum excuſantur à tranſgreſſione communis iuris. Quamuis ex alio capite videantur excuſari, ſcilicet ex communi, vt videtur conſuetudine: ex qua decretalis hæc aut nunquam videtur recepta, aut ſic interpretanda. Non deſunt quoq; verba decretalis huius ex alio capite excuſantia, ſcilicet ex præſumptione: quoniam præſumptione affectas ſupponit huiuſmodi petitiones. Et propterea qui non præſumunt, ſed imitantur prædeceſſorum veſtigia bona intentione, non incurrunt huiuſmodi cenſuras. Quocirca moniales petentes ſolitas ibidem dari dotes & lectiſternia, veſtes & huiuſmodi; & inſtãtes ad hoc vt parentes puellæ faciant ſicut alij (ſiue monaſterium egeat, ſiue non,) non ſunt excommunicatæ, cum nulla hic interueniat pactio, ſed inſtantia vt faciant ſicut alij. Si verò monaſterium egeat ita vt non poſſit ſuſtentare recipiendã abſque pecunia, poſſunt licitè paciſci, vt portet ſecum quod neceſſe eſt ad ſui ſuſtentationem: quoniam hoc naturæ ius exigit.* Ex quibus planè conſtat, qua ratione excuſanda eſt conſuetudo recipiendi in monaſteriis etiam ex pacto dotem, & ſupellectilem pro victu & veſtitu ingredientium neceſſariam, nimirum quia aut hæc decretalis quoad hoc non fuit recepta: aut quia talem conſuetudinem, vtpote laudabilem & rationi conſonam non abrogauit: aut quia ius naturæ & neceſſitas quæ lege caret, huiuſmodi pro fœminis ingredientibus monaſteria contributionem poſtulat. Tum ob ſexus fœminei debilitatem, & pluribus infirmitatibus obnoxij, nec non ineptitudinis ad temporalia curanda & conquirenda, quibus proinde monaſteria ob communem indigentiam ſunt inſufficientia.

15 Sed dubium eſt quoad pœnam, ſeu † obligationem reſtituendi tam ſpirituale, quàm temporale Simoniacè adquiſitum, an huiuſmodi obligatio oriatur ex quacumque Simonia, ſiue mentali inferente opus externum, ſiue conuentionali inferente traditionem ex altera parte, ſiue reali & vtrinque conſummata, itavt iure diuino & ante ſententiam Iudicis maneant Simoniaci ad reſtituendũ obligati? In quo quintuplex eſt ſententia. Prima eſt Nau. *in Manuali cap. 23. n. 103.* Hoſtienſ. & Caiet. *in hoc articulo dub. 1.* & Mald. *dub. 19.* Victor. Tolet. *vbi ſupra*, & Sylueſt. V. *Simonia q. 20.* aſſerentium ex nulla Simonia oriri obligationem reſtituendi ſpiritualia, aut temporalia adquiſita iure diuino, ſed tantùm iure poſitiuo in reali & conuentionali Simonia. Secunda eſt Vgol. *tabula 4. c. 2. §. 1.* aſſerentis teneri quidem iure poſitiuo venditorem rerum ſpiritualium ad reſtitutionem pretij accepti, ſed non ante ſententiam Iudicis. Tertia eſt Adrian. *quodlib. 9. art. 3.* Soti *lib. 9. q. 8. art. 1.* Medinæ *C. de reſtitut. vſur. q. 4.* & Torre *hîc diſp. 6.* aſſerentium non ſolùm poſitiuo, ſed etiam diuino iure teneri Simoniacos venditores, etiam in mentali Simonia ad reſtitutionẽ pretij ſuppoſiti. Huius fundamentum eſt, quia quidquid accipitur contra veri Domini voluntatem, eſt reſtituendum. Quo

pacto

pacto Vſurarius,& Oeconomus accipientes pecuniã à pauperibus quibus ex iuſſu Domini tenebantur gratis erogare eleemoſynas,debent reſtituere;ſed venditor Simoniacus accipit pretiũ contra veri Domini ſcilicet Dei voluntatem:ergo.Quarta eſt Suar.*vbi ſupr.c.*59.aſſerẽtis quod ſi vendantur ſpiritualia quoad rationem ſpiritualitatis, tunc oritur obligatio reſtituendi pretium ex diuino iure.Si autem vendantur quoad temporale in eis incluſum, & aliàs venditio fiat iuſto pretio,tunc non diuino, ſed humano iure tenetur venditor ad reſtitutionem. Quinta & vltima eſt Innocentij *in c.Tua nos*,& Angeli V. *Simonia.n.*7.aſſerentium in Simonia iuris diuini teneri ex diuino iure: In Simonia verò iuris humani ex ſolo iure humano oriri obligationem reſtituendi pretium.Sed vera ſententia ſequentibus concluſionibus declaratur.

16 Dico primò;† iure poſitiuo tenetur recipiens beneficium aut officium,aut aliam ſpiritualem rem pacto ſcilicet Simoniaco,reſtituere ſiue renuntiare : Et ratio eſt, quia collatio ipſa Simoniaca ex iure poſitiuo eſt inualida & irrita ; vt habetur in *cap.Matheus, de Simonia*,& *cap.conſulere*;ac proinde ante Iudicis ſententiam reſtitutio ſiue renunciatio eſt facienda.

17 Dico ſecundò;huiuſmodi† Simoniaca acceptio ſiue datio ſolo iure poſitiuo eſt inualida,& conſequenter non oritur in illa obligatio ad reſtituendum ex diuino iure.Probatur prima pars, quia ibi reperitur talis acceptio Simoniaca in Simonia mentali,quando ſine vllo pacto etiam tacito quis dat alteri beneficium ex affectu Simoniaco palliato, & tamen non oritur obligatio reſtituendi : nam vt hîc habet D. Thom. *ad 6.* Simonia mentalis ſolùm quoad Deum facit Simoniacum. Vnde quoad pœnas exteriores Eccleſiaſticas non punitur Simoniacus mentalis , ita vt abrenúntiare teneatur, ſed pœnitere de mala intentione : quam doctrinam deſumpſit ex *c. vlt. de Simonia* , vbi Gregor.IX.expreſsè determinat Simoniacos mentales non teneri ad reſignationem temporalium ſiue ſpiritualium ex prauo affectu acceptorũ,ſed per ſolam pœnitẽtiam ſuo ſatisfacere Creatori: ergo neq;in Simonia reali oritur talis obligatio ex iure diuino,ſed ex ſolo iure Eccleſiaſtico.Cõſequentia patet, quia ſi ex iure diuino oriretur, vtraq;ſimonia eſſet obnoxia reſtitutioni, ſiquidem vtraq;eſt ſecundum diuinũ ius Simonia,& iniurioſa Deo,& illicita datio atque acceptio fit in illa. Deinde ſecũda pars,quod neq; res ſpiritualis,neque pecunia Simoniacè accepta in quacumq; ſimonia eſt iure diuino reſtituenda;probatur, quia ius diuinum non obligat ad reſtitutionẽ,niſi quando accipitur aut traditur aliquid contra iuſtitiam:Simoniaca autẽ acceptio ſiue traditio non eſt contra iuſtitiam ſed contra religionem.Simonia enim vt *ſupr.*docuimus *art.*1. eſt peccatum irreligionis tantùm, & nõ iuſtitiæ, niſi vẽdat aliquis ſpiritualia eis,quibus ex iuſtitia tenebatur ea miniſtrare,tunc enim non ex Simoniæ meritis , ſed ex ſpeciali iniuſtitia tenebitur ad pretij reſtitutionem : ergo.


Confirmatur primò;nam ſi obligatio reſtituendi oriretur ex iure diuino & naturaliter,nõ minus obligaretur ad reſtitutionem Simoniacus in adminiſtratione Sacramentorum,quàm in ordine,beneficio,& religionis ingreſſu,ſiquidem in hiis omnibus eſt Simonia iuris diuini;Sed in ſolis hiis tribus caſibus reperitur obligatio reſtituendi,ſecũdum Canonum declarationem:ergo. Confirmatur ſecundò:nam qui dat Simoniacè pretium,voluntariè dat, & verè transfert dominium;ſed ei qui voluntariè dat, & verè transfert dominium,non debetur reſtitutio ex iure naturali,etiamſi turpiter det:ergo nõ tenetur venditor rei ſpiritualis ex iure naturæ reſtituere pretium,ac proinde neque emptor tenebitur reſtituere non ſpiritualem. Neq; eſt eadem ratio de pecunia per vſuram extorta à mutuatario; nam ille qui ſoluit vſuras non liberè omnino ſoluit, ſed vexatus pro redimenda vexatione,qui actus eſt voluntarius mixtus inuolũtario,& ideo non transfert dominium. Ex quo fit cõſequens,quod vſurarius tenetur iure naturali reſtituere pecuniam per vſuram ſiue realem,ſiue mentalem acceptã. At qui beneficiũ pecunia emit,licet mallet gratis illud habere,liberè tamen in emptionem conſentit,quæ cum ſit cõtractus humanus, validus eſt iure naturali.Confirmatur; Simonia eiuſdem rationis eſt in vendente,& in emente; Sed in emente non obligat ad ſpiritualis beneficij reſtitutionem ex iure diuino:ergo neque in vendente obligat ad pretij reſtitutionem.Minor patet,quia emens ſolùm lædit religionem,frangendo præceptum illud quo Chriſtus iuſſit ſpiritualia gratis accipi & gratis dari:& licet cõtra voluntatem Dei ſit dare beneficium pretio, & pretium accipere pro beneficio,hoc nõ eſt quia lædatur iuſtitia,ſed quia lædit religio;ob finẽ enim religionis, ſcilicet ob reuerentiam debitã rebus ſacris iuſſit Deus ſpiritualia gratis dari,& ideo non eſt inualidus contractus iure diuino, quia quando non lædit iuſtitia diſtributiua aut commutatiua,neque cõtractus eſt inualidus ex ipſo iure naturali,neque oritur obligatio reſtituendi.Vnde indignus qui accipit beneficium ab iniquo diſtributore, etiam accipit illud contra Dei qui eſt verus Dominus voluntatem, & tamen non tenetur ex naturali iure ad reſignationem.

Dico tertiò;†in Simonia reali commiſſa in or- 18
dine,beneficio & religionis ingreſſu,dũtaxat ex ſolo iure poſitiuo tenentur Simoniaci ad reſignationem,vel amiſſionem rei ſpiritualis,& pretij reſtitutionem ante ſententiam iudicis.Probatur prima pars huius cõcluſionis,quia huiuſmodi ſimonia in hiis caſibus præciſè eſt quæ ſubiicitur pœnis omnibus iuris vt dictum eſt,quarum vna eſt obligatio ad reſtitutionem vel reſignationem:ergo. Secunda pars probatur;nam quãtum ad pretium reſtituendum pro ordine, pro beneficio,& ingreſſu religionis habetur expreſſa determinatio *in c.de hoc autem,de Simonia.*& *c.ſi quis dator* 1.*q.*4 3.1.*c.veniens,eiuſdem tituli.*De beneficio autem Simoniacè acquiſito dimittendo,& fructibus reſtituẽdis decernitur in Extrauaganti II.citata.Deinde,quantũ ad ordines Simoniacè receptos,licet maneant quoad Characterem,quod tamẽ priuentur exercitio, habetur *in c.per tuas* 3.*c.ſi quis ordinauerit, de Simonia*,in prædicta Extrauagante Pauli II.Denique quantũ ad ingreſſum religionis , licet Monachus Simoniacè recipiens habitum in vno monaſterio maneat verè monachus , non tamen manet illi monaſterio incorporatus,ſed in aliud arctius eſt recludendus,vt habetur *in c. Quoniam.*& *c.dile-*

ctus 2. de Simonia : ergo. Ex hiis conſtat, quod pretium Simoniacè acceptum in tribus caſibus prædictis, eſt omnino reſtituendum ex iure poſitiuo, & res ſpiritualis Simoniacè collata ſecundum totum, vt in beneficiis, vel ſecundum partem, vt in ordine & ingreſſu religionis eſt reſignanda, vel dimittenda.

19 Dico vltimò; † beneficium Simoniacè acceptum ſemper Eccleſiæ eſt reſtituendum: pretium autem in prædictis tribus caſibus Simoniacè receptum, aliquando ei qui dedit, & aliquando Eccleſiæ eſt reſtituendum. Hæc concluſio declaratur quoad ſingulas partes. Quoad primam quidem, quia cùm beneficium Eccleſiaſticum ſit ſub dominio Dei in Eccleſia, idem eſt illud Eccleſiæ reſignare, atque Deo reſtituere. Quoad ſecundam verò declaratur; nam quando Simonia non fuit vtrinque conſummata, quia ſcilicet emens dedit pretium, ſed nondum accepit beneficium, tunc pretium reſtituendum eſt ementi; quia ſtando in iure naturæ pretium eſt reſtituendum illi à quo fuit iniquè acceptum, & aliàs Eccleſia aut ius poſitiuum non punit huiuſmodi Simoniam incompletam, proinde in hoc caſu eſt ementi reſtituendum pretium. Similiter de pretio accepto pro ingreſſu religionis, etiam dicendum eſt quod reſtitui debet ei qui dedit, ne oneri ſit illi Conuentui ad quem migrare iubetur, vt habet Gloſſ. circa *cap. de hoc autem, de Simonia.* De pretio autem accepto pro beneficio, aut ordinis collatione, dicendum eſt cum Victoria, Nauarro, Sylueſtro *vbi ſupr.* & Suar. *c. 60. n. 8.* quod debet reſtitui Eccleſiæ in cuius iniuriam accepta eſt. Quod ſi nulla Eccleſia paſſa eſt iniuriam, debet reſtitui Cathedrali, vel pauperibus, vel in pios vſus de voluntate Epiſcopi erogandum. Tum quia ita habet D. Thom. ſuper *q. 62. art. 5. ad 2.* & quia ita habetur ex iure Eccleſiaſtico in *cap. de hoc autem*, & *cap. audiuimus.* Tum denique quia emptor voluntariè dans pecuniam abdicauit à ſe dominium illius, & factus eſt indignus illud recuperare. Eccleſia autem illam abdicationem acceptauit, & pecuniam Eccleſiæ iniuriam paſſæ vel pauperibus applicauit: ergo huiuſmodi pretium ſecundùm ius diuinum, & ante ſententiam Iudicis reſtituendum eſſe ei à quo acceptum eſt, ait Torre hîc *diſp. 6.* ſecundùm verò ius poſitiuum nulli ipſo facto ante ſententiam iudicis; ſed per illam debere in pœnam emptoris, non ipſi, ſed Eccleſiæ applicari.

Ex dictis à nobis refutatur huiuſmodi ſententia, & ſimul refutatur altera ſententia Bañeſij *de iuſtitia & iure q. 62. art. 7.* & Soti *vbi ſupra*, & aliorum aſſerentium quod attento iure diuino emptori, attento autem iure Eccleſiaſtico Eccleſiæ eſt facienda pretij reſtitutio ante Iudicis ſententiam. Ad fundamentum contrariæ ſententiæ; quod illa Maior non eſt vniuerſaliter vera. Vt enim aliquid ſit ex iure naturali obnoxium reſtitutioni, debet eſſe acceptum contra iuſtitiam; ſola enim violatio iuſtitiæ impedit tranſlationem dominij. Et quia Vſurarius & Oeconomus contra iuſtitiam accipiunt pecunias, in illis caſibus tam mutuatarius, quàm pauperes inuoluntariè illas erogant; ideo non transferunt dominium, & ſic iure naturali facienda eſt eis reſtitutio. Tamen Simoniaci venditores contra religionem & reuerentiam tantùm debitam rebus ſacris accipiunt pretium, & ideo non impeditur in illis tranſlatio dominij, & conſequenter non tenentur iure naturæ reſtituere; niſi aliàs ex iuſtitia teneantur miniſtrare ſacra, propter quod accipiunt pecuniam.



DISPVTATIO XV.

Aliquos càsus singulares ad varias materias pertinentes comprehendens.

§. I.

Resoluuntur tres casus, quorum duo priores de iam dicta Simonia confidentiali agunt.

SVMMARIVM.

1 *Resoluitur casus de Petro resignante beneficium in fauorem Pauli cum confidentia recuperandi aliud eiusdem Pauli aut eius consanguinei, de quo inquiritur; Vtrum hæc resignatio confidentialis est Simoniaca?*

2 *Resoluitur alius casus, de labe Simoniæ confidentiali priori fere similis.*

3 *An verbum* abstinere *in iure vel in rescriptis Summorum Pontificum, vel in constitutionibus Religiosorum sit prohibitiuum aut tantùm consultiuum?*

4 *Sacra Scriptura accipit communiter verbum* abstinere *in sensu prohibitiuæ legis, & ad illam significandam.*

5 *Quæ significatio tenet in iure vtroque positiuo humano, Canonico scilicet & ciuili.*

6 *Eadem ratio amplius suadetur tam authoritate quorundam Pontificum, quàm constitutione ordinis Dominicani.*

1 PRIMVS itaque casus est,† de Petro resignante suum beneficium in fauorem Pauli, cum confidẽtia recuperandi aliud eiusdẽ Pauli vel amici aut consanguinei ipsius; numquid hæc confidentialis resignatio est Simoniaca? Respondeo iuxta doctrinam superius traditam *articulo 5. dub. 4.* esse Simoniacam, si fiat cum pacto tacito, vel expresso; Simoniacam, inquam, prohibitam iure communi & antiquo, non verò prohibitam iure nouo in constitutionibus Pij IV. & Pij V. vtpote in quibus dumtaxat prohibetur confidentia recuperandi idem beneficium secundùm totum, vel secundùm partem, hoc est recuperandi siue obtinendi aliquam pensionem super eius fructibus. Altera verò confidentia, scilicet obtinendi aliud beneficium, v.g. si resignans vnum beneficium in fauorem Petri, cum animo, & spe aliud recipiendi ab eodem Petro, vel ab alio tertio, dummodo sit libera ab omni pacto & obligatione, nequaquam est Simoniaca, quia nec diuino, nec humano iure est prohibita, licet fugienda sit tanquam periculosa, provt adnotauimus *vbi supra.*

2 Secundus † casus est de Petro, qui obtinens Canoniam in Ecclesia Salmantina voluit relinquere aliam quam possidebat in Ecclesia Pampilonensi, & vt eam relinqueret fratri suo, vacauit illam in mense in quo Episcopus habebat ius præsentandi, cum spe quod eam conferret dicto fratri suo, super quo inquiritur: Vtrũ in hoc esset aliqua spes aut labes Simoniæ confidentialis? Ad quod respondetur, quod Petrus aut reliquit dictam canoniam Ecclesiæ Pampilonensis, per renunciationem conditionatam Episcopo declaratam, dicens: Relinquo hanc Canoniam & renuncio illam in manus Domini Episcopi, cum spe, vel hac intentione vt conferat illam Ioanni fratri meo; & hæc conditionata renunciatio, licet secundum ius antiquum, excluſa conditione, posset ab Episcopo licitè acceptari & admitti, seclusso omni pacto, & ciuili obligatione secundùm probabilem sententiam Couarruuias, & Soti, & Boërij, & aliorum, quos refert Torre *tomo 2. de religione q. 100. art. 5. disputat. 11.* Verumtamen secundùm ius nouum Pij V. in constitutione, quæ incipit *quanta Ecclesiæ Dei, &c.* est prohibita & reprobata, tanquam deinceps pro Simoniaca, vel quasi Simoniaca reputata, sub hiis verbis: *Caueant autem Episcopi, & alij Prælati; itémque omnes Electores, præsentatores, & patroni tam Ecclesiastici quàm laici, quicumque sint; ne verbo quidem, aut nutu futuri in huiusmodi beneficiis seu officiis successores ab ipsis resignantibus, aut aliis eorum significatione, vel hortatu desygnentur: aut de hiis assumendis promissio, inter eos, aut intentio qualiscunque intercedat, &c.* Loquitur autem de intentione exterius manifestata, & tacitam petitionem continente: vt bene notat Nauarrus *in Manuali c. 23. n. 110. versu. 6.* Aut derelictio talis canoniæ facta fuit à Petro per simplicem vacantem, per hoc scilicet quod promotus fuit ad Salmanticensem, cum Pampilonensi incompossibilem; & sic nulla labes Simoniæ, nulla prohibitióve interuenit: quia in dicta constitutione solùm prohibentur renunciationes, & resignationes, qualis non est ista; ad quam proinde lex illa pœnalis extendi non debet. Vnde Episcopus Pampilonensis tuta conscientia potest Canoniam conferre fratri Petri, si ad illam aliàs est idoneus, nec intentio, aut spes Petri concepta, ei aut recipienti nocet.

3 Tertius est de hoc verbo † *abstinere*; Inquiritur, an in iure vel in rescriptis Summorum Pontificum, vel in constitutionibus Religiosorum, dicat prohibitionem: hoc est, an sit prohitiuum, aut tantùm consultiuum?

Respondeo esse prohitiuum de se & ex vi suæ significationis, & communis acceptionis, nisi ex

subiecta

ſubiecta materia appareat apponi tanquam conſultiuum. Quæ aſſertio ſuadetur primò ex phraſi † Sacræ Scripturæ accipientis communiter hoc verbum in ſenſu prohibitiuæ legis, & ad illam ſignificandam: dicitur enim *Numerorum* 6. quod vir ſiue mulier qui voluerint ſe per votum Domino conſecrare, à vino & omni quod inebriare poteſt, abſtinebunt: & *Eccleſiaſt.* 28. *abſtine te à lite, & minues peccata:* & lex prohibitiua *in Conſilio* 1. *Hieroſolimitano Actorum* 15. ab Apoſtolis celebrato, ponitur ſub hac forma. *Viſum eſt Spiritui Sancto, & nobis, nihil vltra imponere vobis oneris, quàm hæc neceſſaria, vt abſtineatis vos ab immolatis ſimulachrorum, & ſanguine & ſuffocato:* & 1. *ad Theſſalon.* 4. *Hæc eſt voluntas Dei ſanctificatio veſtra, vt abſtineatis vos à fornicatione*, & *cap.* 5. ſubditur; *ab omni ſpecie mali abſtinete vos*: & 1. *Petri* 1. *Obſecro abſtinere vos à carnalibus deſideriis quæ militant aduerſus animam.* Ecce quomodo in iure diuino verbum hoc ſignificat ſemper legem prohibitiuam. Secundò id videamus † in iure vtroque poſitiuo humano, Canonico ſcilicet & ciuili: dicitur namque in *Canone vnico* 31. *quæſt.* 3. *Si qui parentibus fidem fregerint ſponſaliorum, triennij tempore abſtineant ſe à communione.* & *cap. de forma* 22. *quæſt.* 5. ibi. *Sed quia non ſufficit abſtinere à malo niſi fiat id quod bonum eſt, &c.* & *lege* 1. *Cod. de his quis non impletis ſtipendiis, libro* 10. *Ignominiæ cauſa Sacramento liberati, honoribus abſtinere debent, à muneribus autem ciuilibus excludendi non ſunt:* & *lege de Pupillo ff. de noui operis nuntiatione* dicitur ſic. *Interim abſtinendum eſt*; *leg. relegati ff. de pœnis*, vbi dicitur, quod relegati ſiue in inſulam deportati locis interdictis abſtinere debent: & *lege relegatorum ff. de interdictis & relegatis*, ſubditur; quod is cui patria interdicitur, etiam ab vrbe abſtinere debet: & *lege reus ff. de muneribus & honoribus* ſancitur, vt ille qui honoribus ſecundum ſententiam vti prohibitus eſt, ſi appellauerit, abſtinere interim à petitione debet.

Tertiò ſuadetur, ratione deprompta ex reſponſo Nicolai III. *in cap. ex hiis de verborum ſignificationibus*, & Clementis V. in Clementina *exiui de paradiſo, eodem titulo*: Vbi fratribus Franciſcanis interrogantibus quæ verba in regula Sancti Patris Franciſci continerent præceptum obligans ad culpam? Reſpondent illa dumtaxat, videlicet, præcipio, prohibeo, & ſimilia hiis æquiualentia: de horum autem genere eſſe verbum *abſtineo*, perſpicuum eſt; tum ex adductis teſtimoniis: tum ex eo quod denotat præceptum prohibitiuum: tum denique ex hiis quæ docuimus *in tractatu de legibus diſp.* 3. *ſect.* 3. *difficultate vltima*, vbi apposuimus quaſdam regulas dignoſcendi, quando lex obliget ſubditorum conſcientias ſub reatu culpæ & non ad ſolam pœnam: ergo. Quæ ratio amplius confirmatur *ex prologo conſtitutionum Dominicani ordinis* §. 16. vbi ſic habetur: *Porro Prælati à multitudine præceptorum & ordinationum abſtineant ne laqueum ſubditorum animabus iniiciant*: quod verbum planè prohibitiuum eſt, & nedum conſiliatiuum. Licet enim leges & conſtitutiones dicti ordinis non obligent ad culpam, niſi ad ſolam pœnam, vt ex eodem prologo conſtat §. 4. hoc tamen non obſtat quominus aliquæ illarum ſint prohibitiuæ, id eſt habeant vim nedum conſilij, ſed prohibitionis obligantis ad pœnam à tali lege taxatam, aut arbitrariam à Prælati arbitrio imponendam, de quarum numero dicimus eſſe præfatam conſtitutionem prologi, quæ licet de ſe non ſit irritatiua, hoc eſt licet non habeat vim irritandi, & reddendi inualida præcepta à Prælato impoſita: verùm ex quo eſt prohibitiua, ſi aliàs multitudo præceptorum fuerit excedens, & contra dictam conſtitutionem, arbitrio viri prudentis profectò reddetur inualida, non ex vi dictæ legis præcisè, ſed ex alio principio iuris diſponentis, vt inualida ſint ea quæ contra ius fiunt. Cui principio vtriuſque iuris innitentes *in tractatu de legibus diſp.* 1. *ſect.* 5. docuimus in ea Republica aut Communitate, in qua fuerit lex prohibens legum aut præceptorum multitudinem, illico effici inualidam, quæ exceſſerit numerum ſaltem vigeſimum reſpectu eiuſdem ſubditi. Suppoſita enim tali lege prohibente in ea Republica, idem eſſet præceptorum ſiue legum multitudinem eſſe prohibitam atque eſſe irritam & inualidam: quod autem numerus excedens numerum vigeſimum præceptorum, reſpectu eiuſdem ſubditi eſſet prohibitus tali lege certum eſt, ſicut certum eſt multitudinem excedentem numerum vigeſimum medicamentorum, eſſe contra illam legem aut regulam Hippocratis v.g. ſiue Galeni, quæ prohiberet Medicis vti multitudine medicamentorum, circa tale genus infirmitatis curandæ; & numerum viginti & vltra cenſurarum contrariari ei legi Eccleſiaſticæ, quæ prohiberet Epiſcopis vti multitudine cenſurarum erga ſuos ſubditos.

§. II.

Aliorum quoque caſuum reſolutio expenditur?

SVMMARIVM.

7 *Vtrum cauſans aborſum fœtus, de quo erat dubius an eſſet animatus anima rationali manſerit irregularis?*

8 *Vtrum Eremitæ Sancti Pauli poſſint viuere congregati ſub obedientia voluntaria ſine voto ſolemni?*

9 *An Motus proprius Pij V. extendatur ad Congregationes Sancti Pauli modò in Hiſpania degentes & inſurgentes?*

10 *An dicta Congregatio facta ad Religionem & regulam Sancti Auguſtini fuerit legitimè facta?*

11 *An vota ſolemnia emiſſa ab huiuſmodi Eremitis Sancti Pauli ſub obedientia Generalis ſiue Prouincialis Sancti Auguſtini fuerint valida?*

12 *Reſpondetur ad ſingulas difficultates.*

PRimus eſt de † cauſante aborſum fœtus de quo erat dubius, an eſſet animatus anima rationali? inquiritur vtrum manſerit irregularis? Reſpondeo prænotando duo. Primum eſt, quod aborſus eſt intempeſtiua fœtus emiſſio: videli-

cet

cet quando fœtus emittitur citra debitum tempus, vt notat D. Thomas 1. *ad Corinthios* 15. *lect.* 1. ibi : *Nouissimè autem tanquam abortiuo visus est mihi, &c.* Vnde si est voluntarius est peccatum lethale homicidij (ait Caietanus *in summa* verbo *aborsus*) homicidij inquam perfecti, si fœtus erat iam animatus anima rationali : quod contingit in viris die quadragesimo, & in fœminis die octogesimo secundum medicæ artis peritos : quapropter tunc incurritur irregularitas per illum, quia occiditur qui verè est homo. Imperfecti verò si fœtus nondum erat animatus anima rationali, & tunc non incurritur irregularitas homicidij voluntarij, quia non occiditur actualis homo, nisi tantùm homo in potentia. Secundum est, quod tripliciter potest se habere causans, siue procurans aborsum : aut enim est certus de animatione fœtus ; aut est certus de non animatione iuxta notitiam temporis transacti à primo die conceptionis : aut est dubius, vt in nostro casu contigit. Quo supposito dicendum in primo casu, quando causans aborsum est certus de animatione fœtus, incurrere irregularitatem, non verò in secundo quando certus de non animatione : in tertio qui est casus de quo inquiritur dicendum est, quod in foro animæ habendus est pro irregulari, eo quod in dubiis tutior pars est eligenda quoad forum animæ : in foro autem externo, & contentioso habendus pro non irregulari ; nec plectendus pœna legis ordinaria, quia in dubiis, quoad hoc forum, mitior pars est eligenda.

8 Secundus † casus est de Eremitis communiter dictis Sancti Pauli : *Vtrum possint viuere congregati sub obedientia voluntaria sine voto solemni?* Ratio dubitandi sumitur ex *Motu proprio* Pij V. edito anno 1568. quinto decimo Kalendas Decembris, quod incipit *Lubricum vitæ genus*, in quo Pius V. disponit ob grauia scandala vitanda in populo, vt omnes & singuli Priores, Præpositi, Præsidentes, Generales, Prouinciales, & Conuentuales, nec non Canonici, & Fratres Sancti Georgij in Algaue Netiarum, aut Eremitarum Sancti Hieronimi Pisarum, & omnium ac quarumcumque aliarum Congregationum, domorum, & conuentuum in communi, & sub obedientia, & extra votum solemne religionis viuentes, quorum habitus à secularibus Presbyteris est distinctus, qui religionem amplecti, & professionem regularem solemnem emittere voluerint, id in suis quisque monasteriis, & domibus intra 24. horarum spatium palam, & sponte deliberent & declarent, conuocato Capitulo, ibique electa vna ex regulis approbatis, in quam maior pars votum Capituli consenserit : *& in ea perpetuum ferant Altissimo famulatum*, & non aliter in dicto statu permaneant, sub pœnis excommunicationis, & priuationis ab omni dignitate, administratione, officio, &c. Hæc Pius V. Ex quibus nonnullæ oriuntur difficultates in congregatione quorundam Eremitarum Sancti Pauli, qui in deserto iurisdictionis Alcantaræ viuentes, sub obedientia voluntaria iuxta dispositionem dicti Motus proprij, per Prouincialem Sancti Augustini aggregati fuere, ad eandem regulam ac religionem Sancti Augustini, sub qua & professi sunt, tria vota solemnia emittentes.

Prima difficultas est ; † An iste motus proprius, extendatur ad tales Congregationes Sancti Pauli modò in nostra Hispania degentes, & insurgentes : videtur enim solùm extendi ad illas congregationes Sancti Georgij, & Sancti Hieronimi tunc temporis Italiæ commorantes ; de quibus constitutio ipsa facit expressam mentionem, & quæ motiuum Summo Pontifici dederunt, vt talem ederet constitutionem. 9 Secunda difficultas est : † An dicta Congregatio facta ad Religionem & regulam Sancti Augustini fuerit legitimè facta? videtur enim quod non : quia in quodam Capitulo generali Paduæ celebrato, vt constat ex Chronicis ordinis Sancti Augustini, declarantur huiusmodi congregationes Sancti Pauli alienæ & omnino extraneæ à religione Eremitarum Sancti Augustini ob miserabilem earum statum ; quia ad tantæ auaritiæ gradum deuenerunt, quod habitum, & professionem Seloninensibus vendebant ; licet olim fuerint dictæ religiones aggregatæ. 10 Tertia difficultas est ; † an vota solemnia emissa ab huiusmodi Eremitis Sancti Pauli, sub obedientia Generalis siue Prouincialis Sancti Augustini fuerint valida? Si enim aggregatio non fuit legitimè facta, consequenter nec vota fuere valida : quarum singulis eodem ordine est respondendum.

11 Igitur † ad primam difficultatem dicendum est, dictam constitutionem Pij V. extendi ad omnes congregationes Eremitarum sub voluntaria obedientia viuentium : quoniam licet causa motiua præbens occasionem Summo Pontifici dictam constitutionem euulgandi, fuerint illæ congregationes Italiæ, quarum dicta constitutio expressè meminit, tamen dispositio constitutionis, omnes alias similis vitæ, & formæ comprehendit : alius namque est finis legis, alia est occasio legis, & alia est materia ad quam extenditur lex : multoties enim ex vno singulari casu sumit legislator occasionem edẽdi legem vniuersalem, quæ ad omnes eiusdem generis extendatur : quod & in dicta constitutione contigit proculdubio. Ad secundam respondetur fuisse quidem validam dictam aggregationem, eo quod illam non fecit Prouincialis ordinis Sancti Augustini, vt ordinarius Prælatus suæ religionis, neque vtens ordinaria potestate ; sed tanquam delegatus Sedis Apostolicæ & vtens potestate sibi delegata à Pio V. in dicta constitutione, *lubricum vitæ genus*. Cui proinde non potest obstare dispositio Capituli Generalis eiusdem ordinis Sancti Augustini, cùm sit inferior ad eam potestatem quæ immediatè à Sede Apostolica dimanauit, per regulam iuris : neque inferior in superiorem, neque par in parem habet potestatem, ex *cap. cum inferior de maiori & obedientia* : & *cap. inferior D.* 21. hæc autem facultas per quam dictus Prouincialis aggregauit suæ religioni dictos Eremitas Sancti Pauli, & ad professionem solemnium votorum admisit, est delegata in constitutione recensita à Pio V. qui concedens facultatem quibuscunque congregationibus Eremitarum, vnam ex approbatis religionibus eligendi, ex consequenti concedit facultatem Prælatis Religionum quasvis Eremitarum congregationes sub obedientia voluntaria ad se venientes recipiendi.

12 Ex quo respondetur ad tertiam, scilicet pariter

riter dictorum Eremitarum Sancti Pauli ſub obedientia Prouincialis Sancti Auguſtini receptorum profeſſiones fuiſſe validas, eo quod nihil eſt quod earum valori obſtare poſſit: neque enim obſtat defectus poteſtatis, quam quidem habuit dictus Prouincialis ex priuilegio, neque defectus electionis religionis & regulæ: ſiquidem Auguſtinianam elegerunt, quam rite & rectè eligere ipſi Eremitæ potuerunt, in virtute eiuſdem priuilegij ſeu dictæ conſtitutionis, ſicut & quamcunque aliam: etſi per Capitulum generale quondam ab Auguſtiniana extranei fuerunt iudicati. Neque diſtantia loci quæ intereſt inter diſtrictum Alcantaræ, & Salmanticenſem Ciuitatem, vbi dictus Prouincialis commorabatur: ſiquidem conſtitutionis diſpoſitio, nullis loci terminis limitatur, ipſiſque Eremitis tribuit facultatem eligendi quamcunque religionem approbatam ſiue vicinam, ſiue diſtantem: dummodo ipſi eligentes, & vota ſolemnia emittentes in ſuo loco & congregatione permaneant, vt re vera iſti de quibus agimus permanſerunt: neque alius obex excogitabilis relinquitur.

INDEX RERVM,

& Verborum quæ in hoc Volumine continentur.

A.

Abbatissa.

ABBATISSA vtrum possit Ecclesiasticis censuris aut aliis pœnis compelli, si aliquam ad habitum & professionem ab ordinario monita admittat. pag. 2. numer. 1

Vtrum Abbatissa nolens nouitiam ad portam adducere quæ viro nuptias promisit ab Episcopo deponi possit ab officio aut aliis pœnis plecti. p.3.n.11

De Abbatissa & Monialibus Cistercienſis ordinis. p.390.n.8

Abdicatio.

Abdicatio perfecta dominij ac proprietatis est de essentia status religiosi perfecti & consummati per professionem. p.94.n.13

Abortus.

Abortum fœtus causans de quo erat dubium an esset animatus anima rationali, manetne irregularis.

Absolutio.

Absolutio liberatne in foro animæ excommunicatum à pœna excommunicationis. p.255. num.20

Actus.

De Actuum sortialium efficacitate & certitudine. p.332.n.13

Absolutus.

Absolutum coram Deo nefas est ab humano iudice puniri. p.89.n.7

Absolutus in articulo mortis à casibus & censuris reseruatis, cui rei teneatur. p.89.n.8

Abstinere.

Verbum, *Abstinere*, an sit prohibituum aut tantùm consultiuum. p.615.n.3

Verbum *Abstinere* quid in Sacra Scriptura significat. p.616.n.4

Verbum *Abstinere* quid in vtroque iure significat. ibid.n.5

Abusus.

Abusus alicuius potestatis est peccaminosus. p.367.n.48

Abusus quomodo dignoscatur esse hæreticus. p.197.n.109

Abusus Sacramentalis Iudicis est Sacrilegium, ideoque peccatum mortale nolle interrogare de necessariis. p.52.n.31

Acceptio.

De acceptione ob meretricium & acceptione ob aliud delictum, speciale assignatur discrimen. p.409.n.13

In acceptatione auxilij & beneficij oblati à Dæmone duo actus sunt distinguendi. p.178. num.46

Actio.

Actio repetendi dationem quibus conceditur, & quibus non. p.403.n.11.& 404.n.13.14. & 15

Actio inanis est, quam excludit inopia creditoris. p.60.n.18

Actiones Theandricæ Christi quæ sint. p.86. num.15

Actus.

Actum eundem humanum, seruatâ physicâ identitate, duabus malitiis moralibus vestiri, refutatur. p.350.n.8

Adiunctus.

Adiunctorum vsus, quomodo extenditur ad omnes Ecclesias. p.119.n.17

Adiunctorum vsus extenditur ad quoscunque qui sunt de capitulo. p.122.n.28

Administer.

Administro Aulico cur ministri subalternati subiunguntur. p.470.n.12

Administri Aulici quando vetera odia vindicare conantur. p.470.n.13

Administri Aulici sunt erga principem adulatores perpetui. p.469.n.6.& 7

Administrorum consanguinei, suntne à publicis muneribus excludendi. p.470.n.11

Adiuratio.

Adiurationis tres sunt modi assignati à Diuo Thoma. p.170.n.13

Adulterium.

Adulterij probatio quomodo fiat, p.316. numero 27

Aëtius.

Aëtij hæresis. p.141.n.10

Affectus.

Affectus duo voluntatis in Deo circa reprobos. p.18.n.10.38.n.14

Agricultura.

Agriculturæ restauratio est regno valde necessaria. p.76.n.4

Albertus.

Albertus Episcopus tanquam hæreticus & superstitiosus Dæmonum socius condemnatur. p.164.n.90

Index Rerum,

Alexander.

Alexander quoſnam in familiares elegit. p. 468. n. 3

Alienatio.

Alienatio rerum Eccleſiæ in quo conſiſtat. p. 3. n. 17

Ambroſius.

Ambroſij ad Epiſcopatum electio. p. 146. n. 8

Anathema.

Anathema in V. T. quomodo ſumitur. p. 83. n. 3

Amicitia.

Amicitia humana, quid ſit. p. 465. n. 1

Amicitia, eſt neceſſaria humano conuictui. p. 465. n. 2

Amicitiæ lex, quid facit. p. 465. n. 3. p. 466 num. 8

Amicitiam Soli comparat Ariſtoteles. ibid. num. 3

Amicitiæ lex à Lycurgo inter Spartanos conſtituta. p. 465. n. 5.

Amicitiam, quomodo Romani depingebant. p. 465. n. 6

Ab amicitiæ fœdere inimicus eſt excludendus. p. 465. n. 7

Amicitiæ lex naturalis, quid præcipit. p. 466 num. 9.

Amicitiam triplicem diſtinguit Ariſtoteles. ibid. n. 10.

Amicitiæ, quando deficiunt. ibid. n. 11

Amicitia in tentatione eſt dignoſcenda. ibid. num. 12

De amicitia ſpeciali principis ad ſubditos quid ſentiant aliqui authores. pag. 467. num. 1

Angelus.

Angelis Sanctis Deus vtitur ad diſponendum homines in via Dei & ſalutis. pag. 186. num. 75

Apoſtata.

Apoſtata à religione quis. p. 55. n. 4

Apoſtaſiæ peccatum lethale in quo conſiſtit. p. 55. n. 5

Apoſtata Ordinis Dominicani excommunicatus eſt. p. 55. n. 6

Appellare.

Appellare provt à Iuriſconſultis accipitur, quid. p 354. n. 1

Appellatio.

In appellatione propriè ſumpta quid requiritur. p. 354. n. 2. 3. & 4

Appellatio in cauſis fidei à Sede Romana, nunquam fuit admiſſa. pag. 355. num. 6. & 7

Appellationis beneficium ius naturale non concedit parti læſæ à Pontifice. p. 358. num. 13

Appellationem quid licitam reddat. p. 371. num. 7

Appellatio ad iudices, quibus interdicta. p. 380. n. 5. & 381. n. 6. & ſequentibus.

De appellatione quæ eſt à minori ad maiorem Iudicem prouocatio. p. 384. n. 1

Appellatio in cenſuris lata per Iudicis ſententiam, quæ dicuntur ab homine, quos operatur effectus. p. 385. n. 2

De appellatione interpoſita à cenſura lata. p. 385. n. 7. & 386. n. 8

Appellatio. à quanam cenſura fieri poteſt cum effectu ſuſpenſiuo. p. 386. n. 11

Appellatio cum fraude & dolo facta eſt repellenda vt friuola & iniuſta. pag. 387. num. 12

Appellatio etſi legitimè interpoſita, quibus in rebus nullum operatur effectum. p. 387 num. 1

Appellatio in aliquibus cauſis, quantum ad effectum ſuſpenſiuum non admittitur. p. 388. n. 2

Appellationis effectus reſpectu poſſeſſionis, & manutentionis. p. 388. n. 3

Appellationis beneficium omnibus hominibus iure naturæ quare conceditur. p. 66. num. 1

Appellatio ſemel legitimè facta, quid faciat. p. 66. n. 2

Appellationis remedium, cui non prodeſt. p. 67. n. 9

Approbatio.

Approbatio vnica ab Epiſcopo obtenta regularibus ſufficit ad audiendas Confeſſiones quoruncunque eiuſdem Diœceſis. p. 43. num. 10

Approbatio, non alia exigitur in regularibus ab ordinario, quam approbatio ad audiendas ſecularium Confeſſiones. p. 49. num. 23

Approbatus.

Approbatus ad audiendas confeſſiones certi generis perſonarum, vel in certa Eccleſia, non cenſetur approbatus ſimpliciter. p. 46. num. 15

Approbatus ab vno Epiſcopo non cenſetur approbatus ab ordinario in alia Diœceſi. p. 46. n. 16

Altare.

Altari qui deſeruit, de altari viuere debet. p. 86. num. 16

Arma.

Arma contra Abbatem in ſui defenſionem ſumere licet. p. 56. n. 10

Ars.

Artis notoriæ Profeſſores quinam ſint. p. 351. num. 12

Ars notoria id eſt nota faciens omnia. *ibid.*

Artem notoriam damnat D. Thom. p. 351. num. 13

Per artem notoriam, dici quoſdam dies felices quoſdam infelices vanum ac ſuperſtitioſum eſt. p. 351. n. 14

Artem triplicem Rex quilibet profitetur. p. 53. num. 41

In vnaquaque ex his tibus artibus Rex delinquere poteſt. p. 53. n. 42

Aſſenſus.

Aſſenſus adiunctorum eſt conditio modificans ordinariam poteſtatem Epiſcopi. p. 117. n. 10

Articulus.

Extra Articulum mortis Sacerdotes nihil poſſunt in caſibus reſeruatis. p. 88. n. 3

Aſſeſſor.

Aſſeſſoris officium in quo verſatur. p. 116. num. 9

Astra.

In astrorum obseruatione tria peccata interuenire solent. p.331.n.6.7.& 8

Actus.

De actibus sortialibus ex Dei iussu factis. p. 333.n.16

Astrologia.

In astrologia tria sunt illicita vana ac superstitiosa. p.330.n.5

Astrologus.

Astrologi Iudiciarij damnantur. pag. 352. num.15

Administer.

In Administro bono, duæ requiruntur conditiones. p.476.n.27

Aulicus.

Aulici qui vitam miserrimè finiunt. pag. 472. num. 17

Aulicorum quorumdam mortis miserrimæ, exempla. p.473.n.19

Aulici administri mores ab ipso Christo referuntur. p.475.n.25

Aulicum amicissimum habere principi honestum est atque licitum. p.477.n.28

Anima.

Animæ defunctorum quatuor modis soluuntur. p.534.n.12

Aulicorum mos circa Diuini verbi concionatores. p.471.n.14

Aulicus minister comparatur cum fulgure. p.471.n.15

Aulicorum, quale est studium. p.472.n.16

Aurum.

Auri copiam magnam cur respuerit Franciscus de Paula. p.53.n.39

B.

Balaam.

BAlaam licet Magus Christi tamen natiuitatem prædicabat. p.183.n.61

Baptismus.

In Baptismo renunciamus Diabolo & eius operibus p.190.n.87

Baptismus ab auaro Sacerdote quadrupliciter peti potest. p.581.n.4

Beatificatio.

Beatificationis & Canonizationis tria sunt quæ dant sufficiens testimonium. pag.145. num.3

Benedictio.

Benedictiones præmissæ non sunt causa sufficiens vt alteruter coniux negat debitum ad matrimonij consummationem. p. 502. num.10.

Beneficiarius.

Beneficiarij ad Sacerdotium intra annum non promoti Ecclesia parochiali sint priuati. p.10.n.18

Beneficium.

Beneficium quodcunque tenens, ad quid teneatur. p.5.n.4

Beneficium curatum obtinens cum animo laicandi aut non ascendendi ad presbyteratum intra annum, peccat mortaliter. p.6. num.5

Beneficium appellationis quare omnibus hominibus iure naturæ conceditur. pag.66. num.1

Beneficium principis, quando latè interpretandum est. p.89.n.6

Beneficium Adiunctorum ad portionarios vtrum extendatur. p.121.n.21

Beneficium obtinens mediante Simoniaca alterius procuratione quam ignorauit, ad quid non tenetur. p.553.n.14

Beneficium vendens Sacerdoti indigno triplicem violat virtutem. p.587.n.27

Beneficia, quomodo solent authoritate Principis vendi. p.587.n.28

Beneficia, quando sunt inæqualia quomodo ad permutanda adæquare liceat. p. 606. n. 49. & seq.

Beneficij appellatione quid intelligit Caietanus. p.612.n.13

Beneficium recipiens pacto Simoniaco tenetur ad restitutionem. p.613.n.16

Beneficij collatio seu dignitatis, facta à Pontifice dicente *fiat* habet vim electionis. p.133. num.15

De Beneficiis Curatis octo puncta resoluuntur. p.269.n.31

Beneficium simoniacè acceptum Ecclesiæ est restituendum. p.614.n.19.

Beneficium siue præbenda spiritualis ex duplici capite vendi non possunt. pag. 569. num.17

Bellum.

Belli iusti indictio à supremo principe facta qualem vim habeat? p.70.n.12

Bellum fit licitum & iustum, cum tribus conditionibus. p.452.n.3

Bimestre.

Bimestri durante vterque coniux non tenetur matrimonium consummare ac debitum reddere. p.500.n.1.

In bimestri quantum temporis requiritur vt coniux peccet negando debitum & non ingrediendo religionem. pag. 500. num. 3. & seq.

Bimestri transacto vterque coniux ob non receptas benedictiones Religionem ingredi potest. p.502.n.11

Bonitas.

Bonitas moralis consistit in conformitate ad legem. p.320.n.6

Bonum.

Bona tria sunt, quæ Ecclesiasticus acquirere potest. p.541.n.14

Bonis Ecclesiasticis vti non expedit Principibus Christianis. p.542.n.15

Bonum alterius impediens, tenetur ei de damno. p.543.n.2

Bona empta vsurario fœnore sunt realiter obligata pro vsuris soluendis. pag. 307. num. 7

Breuis.

Breuis valor sufficiens in aliquo casu vt possit executioni mandari. p.266.n.18. & 19

Index Rerum,

Brutum.

Bruta animantia sunt incapacia excommunicationis & anathematis. p.82. n.2

Bulla.

Bullæ Cruciatæ clausula. p.40. n.1

Bulla Cœnæ ad quid pertineat. p.41. num.6

Bulla Vrbani VIII. de reuocandis priuilegiis ordinibus concessis, quamnam vim habeat. p.46. n. 17

Bullæ Cruciatæ vsus in ordine ad Sacramentum Pœnitentiæ est prohibitus à Pio V. p.48. num.21

Bulla Pauli III. ad instantiam Caroli V. expedita, cuius mentionem faciat. p.64. n.31

Bullæ Pontificiæ aliquando iustè detinentur. p.66. n. 4

Bullæ detensio & supplicatio quomodo permissa. ibid. n.5

Bulla Gregorij XII. de pœna excommunicationis. p.72.n.5

C.

Cæsar.

CÆsarum Romanorum fastus, orbem terrarum describi iubentium. pag. 293. num. 3

Caiphas.

Caiphas prophetauit Christum pro gente moriturum. p.153. n.42

Calix.

Calices consecrati & vestes pretiosæ cultui diuino dicatæ in casu necessitatis vendi possunt. p.23. n.9

Canon.

Canones duo expressi in quibus irregularitas contra Iudices laicos sententiam sanguinis executioni mandantes, statuitur. pag. 69. n. 2

Canonizatio.

Inter Canonizationem & Beatificationem qualis est differentia. pagin. 145. numero 2

Ad Canonizationem quid sufficit. pag. 145. num. 11

Calumnia.

A Calumnia Spalatensis, Mornæ & aliorum, Sancta Brigitta, & Sancta Catharina Senensis vindicantur. pagin. 150. numero 26

Capitularis.

Capitulares quinam sunt. pag. 118. numero 12

Capitulares possunt fauori sibi concesso cedere ac renunciare. pag. 118. numero 14

Carolus.

Carolus Princeps Angliæ postulat Mariam Hispaniæ Infantem in vxorem. pag. 512. num. 1

Capitulum.

Capitula duo Concilij in quibus statuitur iurisdictio Adiunctorum de omnibus Ecclesiis loquuntur. p. 120. n. 19

Capitulum faciunt soli Canonici attento iure communi. p.121. n.23

Capitulum Sede vacante cum adiunctis procedere potest. p.133.n.29

Capitulum Sede vacante succedit Episcopo in iurisdictione. p.123.n.30

Ad capitulum non est recurrendum delinquente vno ex adiunctis, sed cum altero poterit Episcopus vel eius Vicarius de causa criminali capitularis cognoscere p.127. numero 45

Carolus.

Carolus infans Arragoniæ aduersus patrem rebellans, veneno interficitur. p.163.numero 85

Caroli istius rumor falsus. Ibid.n.86

Castitas.

Castitatis custodia est de intrinseca ratione monachismi & status religiosi. pagina 101. num.37

Casus.

Casus de quodam regulari concionatore ob iustam causam interdicto qui tamen prædicauit, resoluitur. p.245. num.10. & p.246. numer.11

Casus de quadam puella dotata refertur. p.263. num.7

Casus de legato relicto pro redimendis captiuis. p.263.n.8

Casus capitis *in Ciuitate* an sit numero diuersus à 3. *Nauiganti.* p.288.n.24

Casus à Concilio Tridentino excepti, in quibus possunt ordinarij contra exemptos per censuras procedere. p.2.n.6

Casus Priorissæ Lucensis expenditur. pagin.3. num.16.

Casus tres, in quibus potest religiosus laudabiliter de vna religione ad aliam transire. p. 37.n.12

Casus non est censura. p.48.n.20

Casuum reseruatio nulla est in articulo mortis. p.88.n.2

In casibus reseruatis pœnitens absolutus remanet, ex triplici titulo. p.458.n.19

Casus refertur de quibusdam Monialibus à Dæmone obsessis. p.182.num.58.

Causa.

Causæ rationabiles à Iure determinatæ sunt tres in genere, in specie septem. p.364.numero 34.

Causam Clientuli quandónam licitè possit Aduocatus suscipere. p.441.n.10.& 11

Causa ob quam coniuges post bimestre excusari possunt à consummando matrimonio. p.402.n.12

Confidentia.

Confidentia beneficialis qualis esse potest. p. 604.n.42

Causæ duæ propter quarum vnam latuit Prophetam Iudæ deceptio Prophetæ Bethelis. p.161.n.75

Per quas causas res fit, per easdem & dissoluitur. p.13.n.2

In causis fidei ac Religionis nunquam à Romana Sede ad aliud tribunal admissa est appellatio. p.140.n.8

Causa legitima dispensationis voti continentiæ duplex. p.100.n.30

Censura.

Censuræ latæ contra exemptos priuilegium speciale à sede Apostolica habentes sunt inualidæ, non verò latæ à legatis à latere. p.2. num.4.

A cenſuris quæ ſunt à iure, nulla admittitur appellatio. p.185.n.3
A cenſura lata ſub conditione poteſt fieri appellatio ante impletam conditionem. p.385. num.5
Cenſuræ abſolutè latæ excuſatio vt ſuſpendatur; quid faciendum. p.385.n.6.
Cenſura aliqua poteſt tribus modis ſuſpendi à ſuo effectu. p.386.n.9
Cenſuræ ſententia, quibus modis nulla reddi poteſt. p.387.n.13
Cenſuræ latæ à Commiſſario Generalis Ciſtercienſis ſunt inualidæ, & quid inde ſequitur. p.389.n.7
Cenſuris, exemptos cogere, quinam poſſint. p.2.n.9

Cenſus.

Cenſus vnde deriuatur. p.293.n.2
Cenſus nomen tripliciter vſurpatur, Ibidem.
Cenſus triplex, & eorum definitio. p.294. num.6
Ad cenſum legitimè contrahendum octo ſunt conditiones requiſitæ. p.295.n.9. & 10
Vtrum cenſum ſemel creatum iuſto prætio, liceat viliori emere; ſententia quadruplex p.296.n.1.2.3. & 4.

Ceremonia.

Ceremoniæ Eccleſiaſticæ nouæ non ſunt introducendæ nec antiquæ immutandæ. p.79. num.5

Centuriatus.

Centuriati Magdeburgenſes quare ſunt hoſtes infenſiſſimi. p.146.n.10

Canonicatus.

Canonicatus omnes, & portiones in Eccleſiis Cathedralibus aliquem Sacrum ordinem habent annexum. p.5.n.3

Chriſtus.

Chriſtus vt homo, non eſt filius Dei adoptiuus p.141.n.12

Clerici.

Clerici de concubinatu ſuſpecti niſi poſt trinam monitionem emendentur quid faciendum. p.15.n.6
Clerici ex voto adiuncto & implicitè emiſſo ad Cælibatum tenentur. p.92.n.4
Clericis prohibitio matrimonium interdicens, ſola lege Eccleſiaſtica vel conſuetudine eſt inducta. p.95.n.5

Cognitio.

Cognitionem futurorum expectare ex cœlorum impreſſione eſt illicita & ſuperſtitioſa diuinatio. p.333.n.14

Comædia.

Comædias agere aut audire, non eſt opus de ſe malum. p.390.n.1.& p.391.n.2.& 3
Comædiarum auditores, an peccent lethaliter. p.391.n.4
Comædiarum vſus in Hiſpania, an ſit licitus nec ne? p.394.n.1.& 2
De comædiarum vſu quid ſentiant authores, p. 395.n.3.& ſequentibus.

Culpa.

Culpa quandónam à petente & reddente debitum ſimul committitur. p.402.n.9

Commenda.

Commendæ quæ abſque Simonia vendi non poſſunt. p.388.n.31

Commercium.

Commercium cum Dæmone quocunque modo habitum, peccatum eſt. p.174.n.32
Commercium quodnam, pactum implicitum vel explicitum cum Dæmone, includit. p.175. num.37
Commercium cum Dæmone, etiam ſine explicita deprecatione eſt illicitum. p.177.n.44
Commercium cum Dæmone quando hæreſim manifeſtè non ſapit. p.193.n.97.& 98

Commodum.

Commodum qui ſentit, æquum eſt vt pariter ſentiat incommodum. p.31.n.29

Communio.

Communionem dare fidelibus in paraſceue & Sabbato Sancto, an liceat? p.260.n.37. & p.261.n.40
Communio in die veneris Sancti pluribus in locis porrigi ſolet. p.260.n.38
De Communione tria Authentica Ceremonialia Romanorum referuntur. p.261.n.40

Commutatio.

Commutatio rerum purè ſpiritualium, quando non eſt Simoniaca. p.605.n.45.& ſeq.

Concilium.

Concilia non debent celebrati præter ſententiam Romani Pontificis. p.354.n.5

Concubitus.

Concubitus coniugalis ſani cum amente per ſe loquendo eſt licitus. p.506.n.23

Concurſus.

De concurſu Diuino ad effectus cauſarum ſecundarum. p.339.n.16

Conditio.

Conditiones Cardinales ſunt quatuor. p.151. num.28
Conditiones plures ex quatuor Cardinalibus deducuntur. p.151.n.29
Conditiones duæ requiſitæ in irregularitate ſeu ſuſpenſione, quam Epiſcopi diſpenſare poſſunt. p.70.n.10
Conditio impediens religionis ingreſſum. p. 202.n.11
Conditio poſſidentis in dubiis, melior eſt. p.451.n.7
Conditiones requiſitæ vt declaratio congregationis authentica habeatur. p.125.n.39
Conditiones quatuor, quibus concurrentibus ſemper aliquis impetrat quod petit. p.83. num.10

Coniudex.

Coniudex tertius in quauis cauſa eligendus eſt. p.125.n.38

Confeſſarius.

Confeſſarius Principis, qualis eſſe debeat. p.436.n.28
Confeſſarius delegatus, ad quid tenetur. p.444. n.14

Confeſſio.

Confeſſio Ludouici XII. Galliarum Regis de S.Franciſc.de Paula. p.53.n.40

Confeſſori.

Confeſſoris proprium quid, p.52.n.30
Confeſſoris munus duplex. p.52.n.33
Confeſſoris Regij munus quale, pagin. 52. num.34

Confecratio

Conſecratio.

Conſecratio Epiſcopi quomodo ſit valida, p.132.n.12.& 133.n.13

Conſenſus.

De conſenſu Dæmoni D. Thomas quomodo intelligendus eſt. p.170.n.12

Conſuetudo.

Conſuetudines immemoriales, & laudabiles non tolluntur per ceremoniale. p.79.n.6

Conſuetudinis vis in quo ſit magna. pag. 79. num.7

Conſuetudo habet vim priuilegij legitimè conceſſi. p.80.n.14

Conſuetudo & obſeruantia continuata, quid. p.74.n.6

Coniugium.

In coniugio fraterno nunquam Papa diſpenſauit. p.486.n.12

Coniux.

Coniuges quibus adiicitur ne matrimonium conſumant ante denunciationes, quid agere debent. p.502.n.8

Coniuges, quando ſeparandi ſunt. p.506.n.22

Coniux ſanus non tenetur per ſe loquendo debitum furioſo petenti reddere. p.506.n.24

Coniuges qua de re à copula coniugali abſtinere poſſunt. p.507.n.52

Conſcientia.

Contra conſcientiam, remedia adhibenda referuntur. p.437.n.4

Contra conſcientiam dubiam agens, peccat. p.438.n.1.2.3.& 4

Contra opinionem propriam, quomodo non peccat. p.439.n.1

Conſcientia tuta ante opinionem probabilem contra conſcientiam errantem neque contra legem operari licet, pagin. 437. numero 1

Conſcientia errans, quid eſt. p.437.n.2

Conſcientia erronea ſecundum D.Th. obligat virtute præcepti diuini & humani. p. 437. num.3

Conſuetudo.

Conſuetudo recepta obtinet vim præcepti. p.17.n.9

Continentia.

Continentia Clericorum ab Eccleſia in ſuis miniſtris admiſſa, ad quid eos obligat. p.92. num.3

Contractus.

Contractus cenſiticus eſt diuerſus à mutuo. p.294.n.7

Contractus mutuus eſt quadruplex. p. 294. num.8

Contractus ſocietatis de ſe & ſimpliciter initus eſt licitus. p.297.n.1

De contractu vſurario. p.306.n.1.2.3.4.& 5

De contractu quodam conditionato, caſus reſoluitur. p.300.n.13

Contractum ingrediens licitè poteſt lucrum ſuæ pecuniæ correſpondens recipere. p. 287.n.16

Copula.

Copula coniugalis tempore prægnationis nec venialis nec lethalis eſt. p.505.n.19

Copula coniugalis immediatè poſt prandium aut balneum eſt illicita. p.506.n.27

Creatio.

Creatio quomodo. p.162.n.81

Creatio & annihilatio ſunt proprium opus Diuinæ omnipotentiæ. p.166.n.102

Crimen.

Crimina multa cur in republica tolerantur. p.374.n.15

Cultus.

Cultûs Dæmonum diſtinctio. p.181 n.57

D.

Damnum.

DE damno tenetur, pro ſe minus digno officium procurans cum voluntario detrimento dignioris. p.545.n.10

Datio.

Dationum illicitarum triplex eſt differentia. p.401.n.5

De datione illicita tantum ex parte recipientis. p.402.n.9.& 10

Dationem repetendi actio conceditur ei qui dat alteri vt faciat id ad quod tenetur. p.403. num.11

Dæmon.

Dæmonem de tribus in exorciſmis interrogare, licitum eſt. p.170.n.9

Dæmon dicens ſe in arreptitio eſſe miſſum à Deo miſſione ſpeciali, quid credendum. p. 170 n.11

A Dæmone poſſeſſi ſunt illius habitaculum ac domus in qua habitat. p.171.n.16

Dæmonis facultas quouſque circa corpora extendatur. p.172.n.22

Dæmones Sancti alicui certo loco ſolent triplici modo vincire. p.174.n.31

Dæmoni ſociatus, periculo ſuam animam exponit. p.175.n.38

Dæmones ſunt perpetui hoſtes, Dei & hominum. p.176.n.39

Dæmonum inuocatores in pœnam ſui peccati iuſtè deſeruntur à Deo in manu hoſtili. p.177.n.43

Dæmonis miniſterio & operibus vti, quid, p. 178.num.47

Dæmonum operatione an liceat hominibus vti. p.179.n.49

Cum Dæmone dupliciter poteſt homo actus communes exercere. p.179.n.50

Cum Dæmone ſocialem actum habere eſt peccatum mortale. p.179.n.51

Cum Dæmone ex leuitate animi colloqui, eſt tantum culpa venialis. p.180.n.52

De Dæmonis miſſione. p.182.n.59.& 60

Dæmon aliquando veritates profert. p. 154. num.44

Dæmon poſt peccatum manet omnibus gratiæ donis orbatus. p.165.n.94

Dæmon quales euentus futuros cognoſcit. p. 165.n.95

Dæmon quibus pollet ſcientiis. p.165.n.96

Dæmon errauit circa Niniue ſubuerſionem & trium puerorum combuſtionem. p. 165. num.97

Dæmon quomodo ſuam Magiam ſuis Aſſeclis communicat. p.166.n.100

Dæmones & eorum Magi quid comprehenſiuè cognoſcunt. p. 167.n.103

Cum Dæmone homines poſſunt quinque modis commercium habere. pagin. 168. numero 1

Cum Dæmone ſine vllo pacto commercium fieri poteſt quadrupliciter. p.168.n.2.& 3
Dæmones imperare & expellere licitum & ſanctum eſt. p.169.n.5
Dæmones ad aliquid adiuuare non licet. p.169 num.6
Dæmones eiiciendi poteſtas quibus competit. p.169.n.7
Dæmonum expulſio & odor ſuauiſſimus à Dæmone præſtari poſſunt,& quomodo. p. 164. n. 91
In Dæmone naturalia integra manſerunt poſt peccatum. p.164.n.92
Dæmonis cognitio rerum naturalium. p.165. n. 93
Dæmon in corpore aëreo apparitiones facere poteſt. p.167.n.104
Dæmonem in Angelum lucis tranſlatum colere eſt idololatriæ peccatum. p.190.n.89
Dæmon cum veris multa etiam falſa miſcet. p.190.n.90
Dæmoni dicenti ſeà Deo miſſum credens, quare non poteſt excuſari à cultu idolatrico. p.191.n.92.& n 93
Cum Dæmone actus ſociales quales ſunt. p. 194.n.101
Dæmon quales ſolet à confederatis exigere conditiones. p.195.n.104
Dæmones cur intellectum hominum nunquam de facto illuminant. p.183.n.65
Dæmonem cur Deus in mundum non mittit pro nuntio & interprete ſuæ voluntatis. p. 184 n.69
Dæmones mittuntur à Deo vt miniſtros iuſtitiæ ad mala pœnæ hominibus infligenda. p.185.n.70
In Dæmonum impugnatione duo conſiderantur. p.185.n.71
Dæmonum prophetæ, interdum ex Dæmonum interdum ex Dei inſpiratione vera prænunciant. p.185.n.72
Dæmones non mitti à Deo tanquam magiſtros virtutis certum eſt fidei dogma. p.185.n.74
In Dæmone audiendo multiplices ſunt malitiæ. p.186.n.76.& n 77
Dæmonibus credere dicentibus ſe eſſe miſſos in veritatis diuinæ teſtes blaſphemia eſt erga Diuinam prouidentiam, p.187.n.81.& p.188. n.82.& 83
Dæmon multa occulta nedum præterita ſed etiam futura cognoſcit. p.334.n.18

Debitor Debitum.

De debitore ad conſenſum partis creditoris abſoluto. p.386.n.10
De debitore defuncto. p.198.n.1.& 2
Debiti redditio, ſecundum Sanchez. p. 503. num.15
Debitum petere & reddere an poſſit menſtruata mulier. p.504.n.16.& 17
Debiti redditio atque petitio, eſt culpa venialis in ordinato ſenſu. p.504.n.18
In debiti exactione vel redditione,cum fœmina lactat,nulla eſt culpa. p.505.n.20
Debitum exigere aut reddere tempore purificationis non eſt peccatum. p.505.n.21
De debiti redditione à coniuge ebrio. p.506. n.25
Debitum reddens cum probabili detrimento ſalutis,peccat lethaliter. p.506.n.26.& 28
Debitum reddere coniux ſanus leproſo quando non tenetur. p.507.n.29.30.& 31
A debito non excuſat finis non generandi prolem ſanguine Saraceno infectum.p.507.n.33
Debitum negare poteſt coniux ad vitandum carcerem & infamiam. p.507.n.34
Debitum negare fas eſt ad vitandum magnum in bonis detrimentum. p.508.n.35

Deceptor.

Deceptor circa dimidium iuſti pretij peccat contra iuſtitiam. p.291.n.4

Decimæ

De Decimis caſtanearum vnius opidani habentis in alio prædium caſus reſoluitur. p. 273.n.44

Deciſio.

Deciſio Alexandri III. de monendis hæredibus raptoris aut incendiarij defuncti. p.198.n.4

Declaratio.

Declaratio à Sancta Congregatione pronunciata, quandónam eſt inualida. p.126.n.40
Declarationes Cardinalium, ad hoc vt ſint authenticæ quid requiratur. p.3.n.14.

Defectus.

Defectus mali regiminis ex quo oriatur. p.53. n.35

Defenſio.

Defenſio omnis quomodo permiſſa.p.57.n.11.

Defunctus.

Defuncti anima ſtatim poſt deceſſum triplici de cauſa ad cœlum euolare poteſt. p.198.n.3
Defunctus purgatorio addictus eleemoſinis poteſt alleuari. p.200.n.8.

Degradatio.

Degradationis forma & modus, & quid ea ſit explicatur. p.18.n.11
Degradatio nulla à iure imponitur, & quare p. 18.n.12.
Degradatio actualis nulla verò alia Eccleſiaſtica pœna Clericum priuilegio clericali priuat. p.18.n.13
Degradatio, depoſitio, & ſuſpenſio ſunt tres pœnæ Clericorum. p.19.n.14
In Degradatione,modus ſecundum iura antiqua ſeruandus. p.19.n.15

Deitas

Deitas communicata creaturis per gratiam quid. p.78.n.3

Delegatio.

De Delegatione temporalis poteſtatis per Papam ad ſupremos terræ Principes. p.360. n.21. & 22

Deus.

Deus ſolus author naturæ habet in ſua poteſtate concurſum debitum cauſis ſecundis naturalibus. p.167.n.107
Deo ſemel dicata an vſurpari aut in alios vſus conuerti poſſint. p.61.n.22
Deus in præceptis Iuris naturalis ſolus poteſt diſpenſare. p.19.n.66

Diaconus.

Diacono prædicandi ordinis munus attribui videtur. p242.n.3

Diana.

Diana impugnatur, de materia Sacramentorum. p.235.n.24

Dignitas.

Dignitatem Eccleſiaſticam nemo niſi ſacro ordine initiatus recipere debet. p.5.n.2.
Dignitas Cardinalitia eſt inuentum humanum. p.80.n.12.

Dignitas Episcopalis est suprema in Ecclesia etiam respectu Cardinalatus. p.82.n.19

Discrimen.

Discrimen magnum est inter illa quæ sunt iuris diuini statuta & requisita. p.131.n.8

Dispensatio.

De dispensatione Papæ cum aliquo Sacro Ordine non initiato. p.101.n.35

Dispensatio non solum est iuris interpretatio sed etiam vera iuris relaxatio. p.111.n.73

Dispensatio in votis & in matrimonio sine legitima causa illicita est & inualida. p.112. n. 76

De dispensatione Episcopi cum habentibus Parochiales Ecclesias. p.10.n.19.& 20

Dispensationes duæ Sedi Apostolicæ reseruatæ. p.70.n.8

Dispensatio qualem conditionem habet. p.113. n.80

Distinctio.

Distinctio personalis est, inter dantem & accipientem. p.124.n.35

Diuinatio.

Diuinatio facta per sortes differt ab ea quæ fit per alias vanas obseruationes. p.348.n.19

Diuinatio quid secundum D. Th. p.349.n.3

De Diuinatione Regis Babiloniæ in biuio per commixtionem sagittarum. p.327.n.6

Diuinationis tria genera. p.166.n.99

Diuinationis Magicæ obseruatores exitialiter prosequuta est diuina iustitia. p.176.n.41

Diuinationis operationes & inuocationes Dæmonum dupliciter exerceri posse. p.180. n.54

Diuinatio sapit hæresim manifestè quando quæritur à Dæmone cognitio rerum ipsi incognitarum. p.187.n.78

Diuinationes superstitiosæ & sortilegia aliquando sunt actus idololatrici. p.187.n.79

Diuisio.

Diuisio fructuum ac decimarum Ecclesiæ. p. 103.n.46

Doctor, Doctrina.

Doctores, qui minimè audiendi sunt. p.451. n.6

Doctrina cui non obstat extrauagans Bonifacij. p.133.n.16

Doctrina Vasquij de Christo, impugnatur. p.142.n.14

Dogma.

Dogma erroneum & temerarium quodnam sit. p.139.n.5

Dolor.

Dolorem per sympathiam singula membra in corpore naturali ægrotante persentiunt. p. 77.n.6

Dominicanus.

Dominicani ordinis prælatus, reo ad sui defensionem testium nomina non potest dare nec debet. p.274.n.49

Dominium.

In Dominio potior est ille cui res prius traditur. p.61.n.21

Dominium portionis religiosi facti Episcopi. p.104.n.48

Donatio.

De donatione exemptionis & immunitatis Clericis facta à supremis terræ principibus. p.378.n.29

Donationes perfectæ & consummatæ per aliquem tertium alterari non possunt. p.213. num.45

Ad donationem sollicitatur vxor à marito, in bonis dotalibus. p.296.n.29

Donatus.

Donati discalceatorum Carmelitarum suntne veri professi. p.267.n.23

Donum.

Donum diiudicationis spirituum in quibus potissimum reperitur. p.161.n.74

Dubium.

Dubij definitio. p.424.n.3

In dubiis pars benignior est sequenda. p.48. num.22

E.

Ecclesia.

Ecclesiæ nunquam defecturæ sunt aliquæ priuatæ reuelationes ad morum aliquorum fidelium instructionem. p.156.n.52

Ecclesia non iudicat de occultis. p.8.n.13

Ecclesia non potest punire actus purè internos. p.11.n.22

Ecclesia neminem cogit ad vouendum. p.93. n.6

Ecclesia potest dirimere matrimonium ratum. p.111.n.74

Ecclesia Catholica tenet quatuordecim fidei articulos credendos. p.39.n.3

Eduinus.

Eduinus Rex visione cœlitus immissa ad regni apicem promouetur. p.146.n.7

Electio.

De electione Mathiæ ad Apostolatum triplex sententia Patrum refertur. p.344.n.9. & p. 345.n.10.11.& 12

Electionis capitulum est ne anticipandum. p. 266.n.20

De Electione Generalis quæ fit in conuentu Bartholomei. p.264.n.14

De electione casus resoluitur. p.265.n.15

De electione tertia in casu discordiæ. p.124.n.34. & n.36

Eleemosina.

Eleemosina defuncti quomodo ipsius pœnam minuit. p.199.n.5

Eleemosinæ meritum essentiale in quo consistit. p.199.n.6

Emenda.

Ob emendæ spem, supplicium absolutè omittitur. p.310.n.4

Emptio.

De emptionibus iniustis. p.76.n.1

Emptor.

Emptori & venditori licetne seipsos decipere. p.290.n.1

Epicheia.

Epicheiam esse virtutem adiunctam iustitiæ legali asserit D.Th. p.322.n.14

Episcopus.

Episcopus quomodo & quando contra capitularem delinquentem procedere potest. p.126. n. 43.

Episcopi consecratio illicita & pecaminosa. p. 128.num.1.

Episcopus.

Episcopi sub quo titulo tenentur Ecclesiæ aut pauperibus subuenire. p.104.n.50
Episcopi ex Monachatu assumpti absoluti manent à voto paupertatis. p.105.n.51
Episcopus de Monachatu assumptus quomodo debet alteri Prælato obedire. pag.105. n.52
Episcopus sine adiunctis potest in visitatione aduersus capitulares procedere. p.115.n.3
Episcopi in visitatione munus. p.115.n.4
Episcopi ad quid tenentur in Ecclesiis non exemptis à iurisdictione Episcoporum. p.115. n.5
Episcopus in quibus casibus potest liberè sine adiunctis procedere,etiam in Ecclesiis exemptis. p.115.n.6
Episcopi potestas, erga omnes personas Ecclesiasticas sibi subditas est sola & ordinaria. p. 116.n.8
Episcopi & eorum vicarij in Ecclesiis Indiarum procedunt contra Capitulares sine adiunctis. p.119.n.16
Episcopus contra Capitularem iudicialiter procedens, quósnam consulere debet. p.119. n.18
Episcopus contra quos vel eius Vicarius procedere non potest. p.122.n.26
Episcopi & Archiepiscopi etiam Cardinalitia dignitate fungentes ad quid teneantur. p.9. n.15.
Episcopi concubinarij, admoniti à Synodo prouinciali,nisi se emendauerint, sint suspensi : si perseuerant puniantur. p.14.n.4
Episcopus per sententiam Clericum aliquem deponens, non debet depositum seculari iudici tradere. p.16.n.3
Episcopi authoritatem Concilium semper voluit extollere supra capitulum. p.124.n.37
Episcopus non ex debito legali sed ex debito morali ad tertium genus obseruantiarum tenetur. p.230.n.2
Hic Episcopus in obseruantiis regularibus secum dispensare potest. p.231.n.3.& 4
Episcopus an potest de bonis Ecclesiasticis testari. p.234.n.15
Episcopi seculares de quo testari possunt.p.235. n16.
Episcopus qua ratione regulares ab officio prædicationis censuris arcere potest. p.246. n.14.
Episcopi nominis etymologia. p.271.n.37
Episcopi munus est mattrimonium spirituale. p.272.n.40.
Episcopi consecratio, antecedenter ad beneplacitum & consensum Summi Pontificis non solum est illicita sed & inualida. p.134. n.19.
Episcopus loci, an possit cum iudice laico in irregularitate quam per sententiam mortis, mutilationis,&c. incurrit, dispensare. p.69. n.3.& 4
Episcopi potestas ad dispensandum in irregularitatibus & suspensionibus. p.70.n.7
Episcopus in qua irregularitate dispensare non possit. p.70.n.9
Episcopi non condemnandi quinam sint. p.70. num.13
Episcopus & capitulum vnum corpus constituunt. p.78.n.1
Episcopi vice Capitulum fungitur. p.78.n.2
Episcopi dignitas cunctis Ecclesiasticis ordinibus maior est. p.79.n.9.
Episcopi dignitas est de iure diuino, à Christo immediatè in Apostolis instituta. p.80.n.10
Episcopis qua ratione titulus Illustrissimus à concionatoribus debetur. p.80.n.13
Episcopi quare olim Cardinales non creabantur. p.82.n.20
Episcopi Presbyteri & Diaconi quales debeant esse. p.92.n.2
Episcopus, in quo casu potest extra Curiam validè consecrari. p.135.n.21
Episcopus bona fide consecratus & sine præsentibus literis Apostolicis, consecrationem reiterare etiam sub conditione,non tenetur. p.135.n.22
Episcopi consecratio quando illicitè facta in foro conscientiæ valida esse potest.p.129.n.2
Episcopi ordinatio quomodo validè fieri possit. p.129.n.3
Episcopi consecratio vt extra Romanam Curiam valida sit,quid requiritur. p.131.n.10
Episcopi consecratio non est via aut introitus ad possessionem Episcopatus. p.134.n.18

Eques.

Eques militaris (vulgo Commendator) habet dominium bonorum suorum. p.236.n.23

Error.

Error communis facti supplet defectum iurisdictionis in ministro. p.71.n.2
Inter duos errores extremè oppositos media via est tenenda. p.173.n.25

Emptio.

Emptio censuum ab vsura conditionibus requisitis vindicatur. p.293.n.1

Essentia.

Essentiæ rerum in quo consistunt. pag.98.n.23

Euangelium.

Euangelij explicatio non est actus iurisdictionis Ecclesiæ neque Ordinis Sacri. p.241.n.1
Euangelij prædicationem omnes idonei ex commissione Episcopi profiteri possunt. p.243.n.5

Eucharistia.

Eucharistia aliter operatur vt Sacramentum aliter vt sacrificium. p.86.n.12

Eutyches.

Eutyches quare damnatus. p.141.n.9

Extasis.

In persona patiente extasin aut reuelationes recipiente, attendendus est sexus. p.151. num.30
Extasis causa triplex. p.157.n.56

Excommunicatio.

Inter excommunicationem latam à iure, & latam ab homine,qualis est differentia.p.41.n.4.
Excommunicationis effectus quondónam suspenditur. p.73.n.9

Eques.

Equitibus militaribus deest solemne votum paupertatis & abdicatio proprietatis p. 23. num.5
Excommunicationem non incurrunt,falsò existimantes se esse consanguineos. p.254.n.15
Excommunicatio quid sit. p.83.n.5
Excommunicationis & anathematizationis solus homo Christianus capax est. p.33.p.6
Excommunicatio iusta siue iniusta semper est timenda. p.73.n.10

Excommunicatus.

Excommunicatus minores Ordines assumens, an irregularitatem incurrat. p.247.n.1

Excommunicatus quomodo vtens minoribus ordinibus irregularitatem incurrit. p.249. n.3

Excommunicatus quadrupliciter Sacramentum recipere potest. p.251.n.9

De Excommunicato publicè & nominatim. p.255.n.18

Excommunicatus publicè sepultura priuatur. p.255.n.19

Excommunicatus ad Sacramenta accedens peccat; vera tamen recipit Sacramenta. p.251.n.8

Excommunicatus decedens cum signis contritionis post mortem absolui debet. p.255. n.22

Exemplum.

Exempla duo in quibus nequaquam fuit licitum eligere minus malum ad vitandum maius. p.397.n.1.& 2.& p.398.n.3

Exemptus.

Exemptos Episcopus citans vt comparcant, excommunicare potest nisi eorum priuilegium notorium sit,aut contrarium habeant. p.3.n.15

Contra exemptos delegatus procedens, eorum exemptioni non contrauenit. p.32.n.30

Exorcismus.

Exorcismi non omnes vexationes tollunt à Dæmone illatas. p.172.n.24

Exorcismorum virtus negatur à quibusdam hæreticis. p.173.n.27

Experientia.

Experientiis Sectariorum & Magorum respondetur. p.173.n.28

Exorcista.

Exorcistarum potestas exercetur circa arreptitios siue energumenos. p.171.n.15

F.

Factum.

FActa ludrica vel iocosa vt honesta sint debent fieri cum tribus circumstantiis.p.225. num.12

Factum, possitne legitimè retractari. p.61. num 23

Facta æque probantur per testes ac per instrumenta. p.133.n.17

Facultas.

Facultas absoluendi habet se adinstar facultatis dispensandi. p.89.n.4

Facultas dispensandi nulli infert præiudicium nisi soli concedenti. p.89.n.5

Facultas testandi religiosis factis Episcopis à Papa concessa. p.104.n.49

Facultas dispensatiua legis diuinæ non est annexa ordini gratiæ secundum se & in omni statu. p.109.n.67

Facultas Innocentij III. de ingressu religionis strictioris. p.207.n.23

Facultas Prælatorum eiiciendi incorrigibiles à quocunque ordine regulari. p.225.n.13

Facultas monialium exeundi de monasterio. p.228.n.19

Facultas quam habent inquisitores & consultores inquisitionis. p.16.n.1

Facultas disponendi vel commutandi vota non reseruata, non est extendenda ad Parochos erga suæ curæ commissos. p.35.n.5

Facultatis mendicantium tres status. p.44. & 45.n.13

Facultas absoluendi à crimine hæresis occultæ data Episcopis postea est abrogata. p.71. num.1

Familiaritas.

Familiaritas cum Dæmone, quid est. p.176. num.40

Farina.

Farina an possit vendi vltra taxam. p.277.n.62

Fideiussor.

Fideiussor potest paciscì de pretio sibi soluendo ab illo pro quo fidei iubet. p.287.n.15

Fidelis, Fidelitas.

Fideles omnes, in regnis, vbi priuilegium Bullæ Cruciatæ viget quemlibet presbyterum in confessorem eligere possunt. p.44.n.11

A fidelitate Deo debita recessus quale est peccatum. p.194.n.99

Fidelitatis debitum in quo fundatur. p.194. num.100

Fideiussor potest licitè accipere pretium pro fidei iussione. p.283.n.5.& 6

Fides.

Fidei dogma est in Ecclesia dari dispensationis potestatem in votis simplicibus Christianorum. p.111.n.72

Fides Catholica,cui rei innititur. p.147.n.14

Fides non est semper adhibenda dicentibus se à Deo missos. p.156.n.51

Filiæ.

Filiæ ex soluta concubina natæ durante lite super nullitate matrimonij, casus resoluitur. p.479.n.4.& 5

Filiatio.

Filiationis tres modos distinguit Albertus. p.142.n.13.

Filius.

Filij naturalis definitio. p.479.n.3

Filli quorum ope parentes indigent ad religionem non admittendi. p.60.n.20

Filium pater pro necessitate sua subleuanda vendere potest. p.6.n.24

Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui &c.exponitur. p.143.n.16

Fœdus.

Fœdera cum Dæmone in iure Canonico & Ciuili damnantur. p.155.n.36

Fœmina.

Fœmina non prostituta recipiendo aliquid pro turpi vsu corporis peccat, sed non tenetur ad restitutionem. p.412.n.19

Formido.

Formidinis gradus triplex refertur. p.442.n.3

Fugitiuus.

Fugitiui nomenclatura secundum diuinas ac humanas leges. p.54.n.1

Fundus.

Fundum habens alienum, Domino non comparente potestne alteri vendere aut sibi reseruare. p.277.n.63

Futurum.

Futurum velle prænoscere superstitiosum est. p.349.n.4

G.

Gabellæ.

GAbellarum quatuor requisitæ conditiones. p.538.n.4
Gabellas nouas Rex imponere potest, vt subueniat necessitatibus regni. p.540.n.7

Generalis.

Generalis in quo casu impedit, ne Prælati conuentuum nouitios ad professionem recipiant. p.267.n.27

Generatio.

Ad generationem semen fœmineum requiritur, & virile non sufficit. p.498.n.8

Gentiles.

Gentiles an nunc & semper peccauerint plures vxores ducendo. p.461.n.28

Gratia.

Gratiam indigno negare non est peccatum, videtur verò laudabile. p.367.n.48
Gratia Principis quomodo est intelligenda. p.533.n.9
Gratia non debet esse onerosa, nec libertas debet in obligationem conuerti. p.118. num.15

Gregorius.

Gregorius XI. quare Auinionem relinquens, Romam aufugit. p.146.n.5
Gregorius quare lapidatus. p.150.n.27
Gregorius Lopez conciliat duas opiniones Iuristarum contrarias. p.320.n.8

H.

Habitus.

HAbitus cuiusuis religionis, etiam militaris, res est spiritualis aut spirituali annexa. p.28.n.22
Habitus religionis delatio est de substantia anni probationis. p.218.n.58

Hæreditas

Hæreditatis renunciatio metu reuerentiali facta vtrum sit valida in vtrisque foris. pag.269. num.28
De hæreditate quadam super Regio thesauro relicta casus resoluitur. p.308.n.13
Hæreditatem inter litigantes Iudex diuidendo quando considerantur æquales in iure, an melius faciat. p.440.n.9

Hæresis, Hæreticus.

Hæresis, quale odium concitat aduersus Catholicos. p.516.n.13
Hæresis insana cuiusdam noui Theologi Hispalensis. p.137.n.1.& p.138.n.2
Hæresis Christo iniuriosa. p.139.n.6
Hæresis est, statuere spiritum S. esse primogenitum. p.141.n.11
Hæreses propter quid constructæ. pag.184 n.68
De plectendo Hæretico, vehementer de hæresi suspecto. p.315.n.26
Hæreticis ablata bona, quandónam illis sunt restituenda. p.320.n.7
Hæreticus est qui pertinaciter docet nouum mysterium operatiuum humanæ salutis. p.139.n.4
Cum hæreticis conuersatio, periculum adducit generale. p.312.n.11
Hæreticus adinstar corui, pertinax est. p.312. n.14

Hermaphrodita.

De Hermaphrodita professo. p.209.n.30

Homicidium.

Homicidium ortum ex quadam nocturna armorum contentione, infert ne irregularitatem. p.443.n.10
Homicidij eodem modo conscij sunt, minans, consulens & mandans. p.259.n.32
Homicidium in aliquo casu irregularitatem parit. p.269.n.35.& 36

Homo.

Hominem à Dæmone vexari ob duas causas Deus permittit. p.183.n.63

Honor.

Honor Regis in quo præcipuè consistit. p.313. n.16
Honor & vita hominum à bonis temporalibus dependet. p.313.n.2

Horologium.

Horologium pulsans an sufficiat ad probabilem opinionem inducendam. p.460.n.1

I.

Ignorantia.

IGnorantia facti non iuris, excusat. p.7.n.7
Ignorantia crassa quænam sit. p.7.n.8
Ignorantia non excusat in his quæ fidem & bonos mores spectant. p.189.n.84
Ignorantia inuincibilis aliquos excusat à culpa hæresis. p.189.n.85
Ignorantiâ affectatâ errans, ex propria malitia & animi iniquitate errat. pag.190. num.88.

Impedimentum.

Impedimentum quod non obligat restituere. p.545.n.9.

Impietas.

Impietas est magna, cultum reddere cui non debetur. p.163.n.87

Imprensus.

Imprensum multo tempore manere tripliciter contingere potest. p.167.n.106

Infidelis.

Infidelium genera tria sunt. p.316.n.32

Infirmitas.

Infirmitas religionis ingressum impediens duplex est. p.203.n.13

Iniuria.

Cum Iniuria alterius & iactura, nullus locupletari debet. p.21.n.9

Inobedientia.

Inobedientia contra superiorem, quid. p.56. num. 7.

Indulgentia.

De indulgentia Iudæis à rege Catholico concedenda. p.323.n.18

Inquisitio, Inquisitor.

Inquisitio rerum occultarum per sortes est sortilegium. p.451.n.10
Inquisitio à Dæmone sponte occurrente quomodo potest esse licita. p.180.n.53
Inquisitores, & inquisitionis consultores, quam nam habeant facultatem. p.16.n.1
Inquisitores, dum reum conuictum supplicio

tradunt, nihil refert vti verbo tradendi, aut relinquendi. p. 16.n.2

Intrusus.

Intrusus in beneficium est ipso iure inhabilis ad obtinendum beneficium, & quare. p.20. num.5

Instructor.

Instructores aliorum quales debent esse. p.189. num.86

Intentio.

Intentio Pij V. de clausura monialium qualis fuit. p.226.n.16.

Inuocatio.

Inuocatio Dæmonis ad impossibilia superstitiosa est. p.195.n.105

Inuocatio Dæmonis ad possibilia non est manifesta hæresis. p.196.n.106.& 107.

Inuocatio est deprecatio & cultus latriæ. p.197. n.112

Irregularis, Irregularitas.

Irregularis est, fœminam percutiens inde abortum patientem. p.259.n.33

Irregularitas in iocosa armorum contentione in qua alter interiit ex quanam parte se tenet. p.259.n.34

Irregularitas quomodo incurratur. p.16.n.5

Ad Irregularitatem vitandam quid necessarium. p.17.n.6

De irregularitate orta ex censura. p.258.n.30

De irregularitate ex homicidio casuali, p.259. num.31

Irregularitatis ad forum deductæ difficultas duplex refertur. p.257.n.26

Isaacus.

Isaacus, quomodo dicitur cooperatus morti suæ. p.159.n.66

Iudæus.

Iudæis Lusitanis priuilegium Baptismi & Fidei cur non fauet. p.317.n.34

Iudæi ob crimen perfidiæ & Apostasiæ, quibus pœnis puniendi. p.317.n.35

Ad veniam Iudæis concedendam, ratio ex insontibus desumpta non est sufficiens. p.318. n.38

Iudæi in triplici differentia incarcerati. p.320. n.9

Cum Iudæis singulis, quomodo agendum. p.320.n.10.

Iudæorum remissionem pro tempore maximè conuenientem esse probatur. 321.n.11

Iudæorum ritus (ex Caietano) licitè & conuenienter Principibus supremis permittitur. p.321.n.13

Cum Iudæis in posterum delinquentibus, quomodo agendum. p.322. n.15. & 16. p.323. n.17

Iudæorum infantes aut adultos insontes punire pietati ac iustitiæ derogat. p.11 n.5

Iudæos à pœnis taxatis Baptismi priuilegium accusat. p.311.n.6

Cum Iudæis qui alios fideles sua communicatione inficiunt, quid faciendum. p. 311. n.7

Iudæos, quidam Catholici Reges è suo Regno relegarunt. p.311.n.8

Iudæorum è regno Lusitano expulsio est necessaria. p.312.n.9

Iudæos, in regno Lusitaniæ admittendi ratio quæ? p.312.n.12

Iudæorum Rabbini sunt instar hæresiarcharum. p.312.n.13

Iudæorum expulsio probatur speciali B. Brigittæ reuelatione. p.313.n.15

Iudæos in Lusitania pœna spolij ob iustam causam plectere potest Rex Catholicus. p. 314.n.23.

Ad Iudæos pœna ordinaria plectendos, quid sufficit. p.314.n.24.& 25

De Iudæis Lusitaniæ plectendis, indicia grauissima referuntur. p.316.n.28

Iudæorum cum Prometheo comparatio. p.316. n.29

Iudæis semper fuit agnatum vitium proditionis patriæ. p.316.n.30

Iudæorum è Lusitania expulsio triplici titulo iusta est. p.316.n.31

Iudæorum è Lusitania eiectio. p.310.n.1

Iudæos sacrilegos fecit Rex Lusitaniæ, vt eos libertate Christiana donaret. p.310.n.2

Iudex.

De Iudice Arbitrario, non Ordinario dubium aliquod refertur. p.445.n.3

Iudex in re dubia iudicaturus ad quid tenetur vt sit immunis à peccato. p.457.n.17

Coram iudice latore censuræ siue monitorij non comparere est non satisfacere illi cui satisfactio fieri debet. p.40.n.43

Iudicem laicum irregularitatem incurrere supponitur. p.68.n.1

Iuramentum.

Iuramentum soluendi pecuniam in ludo amissam, obligat. p.528.n.22

Iuramentum ludentis, & mutuatarij differunt. p.528.n.23

Iurisdictio.

Iurisdictionis ratio non saluatur in iudicio adiunctorum. p.117.n.11

Iurisdictio adiunctorum quamdiu duret. p.126. n.42

Iurisdictio Adiunctorum in socio delinquentis remanet. p.127.n.44

Iurisdictio Adiunctorum quomodo appellanda. p.127.n.46

Iurisdictione concessa, quid concessum censeatur. p.3.n.10

Ius.

Iure diuino & humano eadem pœna plectuntur facientes & consentientes. p.54.n.46

Iuris ignorantiam non excusare ab excommunicatione percussorem clerici, negatur. p.252. n.11.

Ius diuinum & naturale actus purè internos punire potest. p.12.n.25

In iure Canonico, quinam beneficij titulo priuentur. p.19.n.2

Ius quod habet creditor. p.34.n.2

Iuris notorium, quid sit. p.70.n.11

De iure Diuino non sunt omnes traditiones Apostolicæ, saltem immediatè. p.131.n.7.

Ius naturale, quale est. p.483.n.4

Ius recipiendi hostes certo pretio locare non potest Rex aut Resp. p.532.n.7

Iuris diuini quæ sunt, in triplici sunt differentia. p.568.n.14

A iure communi quare nefas est discedere. p.211.n.37

De iure ad exigendum stipendium à laicis duplex modus dicendi refertur. p.577.n.40

Iustitia.

Iustitiæ virtus neutiquam obligat ad actum qui sine peccato exerceri non potest. p. 529 num.27

L.

Laicus.

LAicum in veste Clericali occidens, incurritne excommunicationem. p.253.n.16

Latria.

Latriæ cultus exhibitus alteri quàm Deo est idololatria. p.194.n.103

Legatus.

De Legato Apostolico absente. p.371.

Lex.

A Legibus Summi Pontificis non potest appellari. p.356.n.10

Lex quid est secundum D. Thomam. p.363. n.31

Aliud est leges per non vsum populi inualidari, aliud illas à populi approbatione valorem recipere. p.363.n.32

Lex & obligatio, violentias, & iniurias repellendi, magisne seculari principi aut Ecclesiastico incumbit. p.377.n.24.

Leges quædam recopilationis interpretantur p. 378.n.28

Lege Charitatis tenemur proximum à peccato auertere quantum fieri potest. p.394.n.8

Leges sunt, turpes stipulationes, & pacta prohibentes, imò & annullantes. p.401.num.1. 2.& 3

Leges iustitiæ distributiuæ, à quonam Aulico violantur. p.470.n.10

Lex iustitiæ commutatiuæ ad quid obligat. p.524. n.12

Lex omnis in prima introductione sua propter duo plurimum difficultatis patitur. p.211. n.36

Ad legis humanæ valorem quid requiritur. p.211.n.38.& p.112.n.39

Legis cuiusdam pœnalis obseruatio facilitata. p.112.n.40.

Legum pœnalium rigor pro vtilitate publica est mitigandus. p.321.n.12

Legi Principis iustè de bono publico disponenti, laici & Ecclesiastici parere tenentur. p.76.n.2

Legis iustæ conditio, quid respicere debet. p.76.n.3

Leges mutantur, mutatis temporibus. ibid.

Lex antiqua in inquirendis negotiis politicis, quomodo à seipsa differt. p.147.n.16.

Leges humanæ Canonicæ prohibent Christianis Communicationem in armis cum hæreticis. p.176.n.42

Lex præsumentem puniens, simpliciter facienti ignoscit. p.8.n.10

Lex nulla pœnalis disponere solet, excepta illa per quam fertur excommunicatio. p. 10. n.17

Lex ciuilis circa pœnam iure canonico introductam, incurrendam vel vitandam, nec immutare antiquum, nec nouum introducere potest. p.17.n.8

Legem fauorabilem nefas est restringere ad id, ad quod ipsa non restringit. p.41.n.5

Leges communes reuocantur per posteriores, quoties prior nequit compati cum posteriori. p.51.n.28

Leges, quandónam obligandi vim amittant. p.56.n.9

Leuites.

De Leuite hospitio recepto apud Senem in Gabaat ciuitate Beniamin. p.397.n.2. & p.398. num.7

Libertas.

Libertas Ecclesiæ, quid est. p.532.n.4

Libertas Ecclesiæ est triplex, localis, realis & personalis. p.532.n.5

Licentia.

Licentia expressa, quid. p.420.n.15

Licentia vnica in regularibus requiritur, respectu eiusdem Diœcesis. p.50.n.24

Ligatus.

Ligatus per maleficas artes quomodo se debeat disponere ad medelam. p.172.n.23

Limitatio.

Limitatio non debet extendi vltra verba & decretum legislatoris. p.116.n.7

Lis.

Litem agere cum Papa, quomodo potest Princeps temporalis. p.357.n.11

Littera.

Litteræ Apostolicæ parte non supplicante nec retineri, nec suspendi possunt. p.365.n.38

De litterarum Apostolicarum suspensione casus aliquis resoluitur. p.365.n.38

De litteris expediendis in fauorem nouitij. p. 379.n.2

Loth.

De Loth offerente filias suas in stuprum. p. 397.n.1

Lucrum.

De lucro cessante prout distinguitur à damno. p.284.n.9.& 10.& p.285.n.11.

Lucrum esse turpe aut illicitè acquisitum, tripliciter contingit. p.401.n.4

Lucrum turpe receptum, sitne restitutioni obnoxium. p.402.n.6.7.& 8

Ludus Scenicus.

Ludos Scenicos audire aut eis assistere non est opus de se peccaminosum. p.392.n.5

M.

Maleficiarius.

MAleficiarij quinam dicuntur. pag. 172. num.19

Malitia.

Malitia duplex relinquendi parentes necessitate oppressos. p.60. n.19

Maria.

Maria Regina Scotiæ in carcere detenta propriis manibus se communicauit. p.131.n.9

Maritus.

De marito propter paupertatem pecunias apud mercatorem collocante casus resoluitur. p.299.n.8

Maritus quandiu ei non soluitur dos, potest etiam fructus pignoris extra sortem recipere. p.305.n.13

Maritus potest cogere eum qui dotem promisit vt ei soluat annuam pensionem quoad soluatur dos. p.305.n.14

Maritus, in quo casu non potest recipere extra sortem. p.305.n.15
Maritus aut eius hæredes quandónam vxori alimenta præstare tenentur. p.305.n.16

Matrimonium.

De matrimonio inualido bona fide contracto. p.480.n.6
Matrimonij subsequentis & validi vis. p.480. n.7
Matrimonium inualidum non obstat validati secundi matrimonij. p.481.n.8
Matrimonium, in quo gradu sit inualidum & prohibitum. p.483.n.1
Matrimonium habet tria bona intrinsecè annexa. p.483.n.3
De matrimonio Paganorum casus aliquis resoluitur. p.486.n.11
Matrimonij prioris vinculum subsequens dirimit in lege Euangelica. p.488.n.18.& 19
Matrimonij tres fines. p.490.n.25
De matrimonio per verba de præsenti consummato casus aliquis resoluitur. p.465.n.1
Matrimonium sine parocho & testibus celebrari posse, vnam patitur exceptionem. p.497. num.4
Vt matrimonium conualescat consensus puellæ sufficit. p.497.n.5
Vt matrimonij consummatio sit legitima, duo requiruntur. p.498.n.7
Matrimonij consummatio ante benedictiones, nulla lege prohibetur. p.501.n.6
Matrimonium ante benedictiones consummandi peccatum, in sola priori copula locum habet. p.501.n.7
Matrimonij Infantæ Hispaniæ cum principe Angliæ duo dubia. p.517.n.15
Matrimonium carnale liberi cum serua, ignorata seruitute est nullum. p.203.n.12
Matrimonia fidelium cum infidelibus sunt iure humano ac diuino illicita & prohibita. p. 512.n.2
Ex matrimonio fidelium cum infidelibus quatuor damna oriri solent. p.413.n.4
Matrimonia fidelium cum infidelibus Doctores abhorrent,& PP.Ecclesiæ. p.513.n.5
Matrimonium Infantæ cum Principe de Vuales iustificari non potest. p.513.n.7
Matrimonij essentia qua in re consistit. p.95. n.17
Matrimonium consummatum est iure naturali ac diuino indissolubile. p.102.n.38

Magisterium.

In magisterij gradu includitur dignitas, & licentia docendi. p.562.n.30

Medicus.

An Medico liceat applicare infirmo dubia remedia. p.447.n.3.& 5
Inter Medicos, quando sunt variæ opiniones, alterutrâ Medicus vti potest. p.447.n.6

Medicamentum.

Quibus medicamentis non est vtendum. p. 448.n.7

Melancholicus.

Melancholici cur Dæmonum inuasioni & vexationi sunt aptiores. p.173.n.29

Mendax.

Mendacis pœna est,vt ei vera dicenti fides non adhibeatur. p.184.n.66

Mensis.

Menses quomodo sunt computandi .p.500.n.2

Meretrix.

Meretrix quamuis turpiter faciat, non tamen turpiter accipit. p.410.n.14
Meretricis vsus est materia vendibilis. p.410. num.16
Meretrices teneri in foro conscientiæ ad pretij accepti restitutionem nisi via liberalis donationis accipiant,falsum est. p.411.n.18
Meretrices aut aliæ fœminæ, quænam munera turpiter accepta restituere debeant. p. 412. n.12

Mercator.

De mercatore vendente merces carius ob dilatam solutionem, casus resoluitur. p. 300. n.12

Meretricium.

Meretricium & vsuræ quare permittuntur legibus ciuilibus. p.261.n.2

Merx.

Merces venditæ maiori pretio quàm currenti iustificantur. p.288.n.23

Miles.

Militis subditi & non subditi distinctio.p.456. n.15
Milites Alcantaræ, sub quanam regula viuant & certent. p.25.n.12
Miles Ordinis Sancti Benedicti gaudet priuilegio fori & Canonis. p.26.n.18

Minister.

Ministri Iustitiæ ad quid tenentur in foro conscientiæ. p.408.n.10
Ministri Iustitiæ peccant recipiendo pretium pro opere ad quod tenentur. p.409.n.11
Ministri Officiorum stipendia assignata habentium nil nisi sponte oblatum recipere possunt. p.422.n.21
Ministri Sacramentorum possuntne pro labore impenso accipere pretium temporale. p.572. n.25
Minister vnus ad collationem cuiuscunque Sacramenti sufficit. p.130.n.5
Ministri Ecclesiæ quando laborem vendere possunt. p.573.n.28.& p.574.n.31

Miraculum.

Miraculorum qualis est differentia. p. 148. n.19
Miracula vera non possunt fieri nisi virtute diuina. p.148.n.20
Miraculorum patrationis dona & prophetiæ, in quo inueniri possunt. p.148.n.21
Miracula, operandi modus, quid supponit. p. 149.n.24
Miraculi nomen quousque se extendit. p.162. n.77
Miraculi ratio in quibus propriè soluatur. p. 162.n.78
Ad Miraculi veram rationem constituendam tres sunt requisitæ conditiones. p.162. num.79
A Miraculi ratione iustificatio impij adulti quomodo deficit. p.162.n.80
Miraculorum tres classes constituuntur. p. 162. n.82
Præter miracula classica alia multa sunt prodigiosa opera quæ vulgus hominum miracula vocat. p.163.n.83
Ex quibus miraculis argumentum efficax sanctitatis sumi non potest. p.163.n.84
Miraculorum & vitæ requiritur attestatio, vt quis

quis reputetur ſanctus in militanti Eccleſia. p.164.n.89
Miracula quæ Dæmones & Angeli facere poſſunt & quæ non. p.166.n.101

Miſer.

Miſeri pro repellenda violentia ſibi illata ab ipſis Regiis Senatibus ad quem recurrere debent. p.378.n.27

Miſſio.

De Miſſione ſpeciali Dæmonum à Deo. p.183. num.64
Miſſio ſpecialis Moyſis & Ioannis Baptiſtæ vario modo comprobatur. p.191.n.91

Modus.

Modus legitimus coniurandi animantia nociua. p.83.n.9
Modi duo diffiniendi doctrinas fidei & Sanctos canonizandi. p.146.n.12. refutantur. p.147.n.13

Monacha.

Monacharum quarumdam Ciſtercienſium, caſus aliquis reſoluitur. p.388.n.4.& 5

Monachus.

Monachus duplici ex cauſa habitum relinquere poteſt. p.224.n.10
Monachi quando fugitiui dicuntur, quando Apoſtatæ. p.55.n.2
Monachus factus Epiſcopus eo ipſo manet à iugo regulæ monaſticæ abſolutus. p.131. num.6

Monaſterium.

Cui Monaſterio liceat ab ingrediente recipere neceſſaria ad ſuſtentationem. p.583.n.13
Monaſterium opulentum, quomodo ex pacto poteſt & non poteſt aliquid à recipiendis abſque Simonia recipere. p.584.n.14.& 15
A monaſterio exeundi duplex ratio. p.224.n.8

Moneta.

Moneta omnium aliarum mercium eſt pretium.p.77.n.7

Monialis.

Monialibus prohibetur exitus à monaſterio niſi ſubſit cauſa legitima ab Epiſcopo probata. p.226.n.15
Moniales licitè monaſterium exire poſſunt in quibuſdam caſibus. p.228.n.20
Moniales quibus ſunt ſubiectæ. p.228.n.22
Moniales, quæ lege clauſuræ ſiue ex voto ſiue ex præcepto tenentur. p.229.n.23
Moniales ordinum regularium, mortuo Epiſcopo poſſuntne à clauſura exire propter finem honeſtum. p.229.n.24.& p.230.n.25
Moniales monaſterium exire non poſſunt, niſi in tribus caſibus à Pio V. exceptis. p.227. num.18
Monialium de Laura Valliſoletano caſus aliquis reſoluitur. p.265.n.16
Monialibus in triplici caſu licentiâ Prælatorum monaſterium exire licet. p.226.n.14

Monitio.

Monitio Clerici concubinarijab Ordinario trina facienda eſt, vt à beneficio Clericus priuetur. p.14.n.3

Monitorium.

Monitoria & cenſuræ à iudicibus latæ, quando non valent. p.40.n.2

Mons pietatis.

Montem pietatis Concilium Lateranenſis approbat. p.302.n.6
Cuius montem conſeruare intereſt, expenſæ ab ipſo ſoluendæ ſunt. p.302.n.8
Mons pietatis poteſtne à contractu mutui liberari, ac proinde ab vſura ex defectu mutui. p.303.n.10
Mons pietatis quid, eius vſus & à quo initium habuit. p.302.n.4
De monte pietatis aliquæ conditiones. p.302. num.5

Moralis.

In moralibus,quid eſt euidenter melius. p.34. num.3

Mors.

Mors Alphonſi II. Regis Neapolitani quare ſine corona. p.53.n.38

Motiuum.

Motiua Papæ ad condendum decretum de celebrando Paſchate in die Dominico. p.149.n.25

Moyſes.

Moyſes ad gubernium populi Iſraëlitici electus, quid fecit. p.468.n.2

Munus.

Ad munus idem viſitationis, poſſunt duo prælati ſub diuerſis titulis & rationibus obligari. p.50.n.27
In munere à manu ratio pretij inuenitur. p.596.n.9
Munus ab obſequio habet rationem pretij. p.596.n.10
Munus à lingua reſoluitur in pretium in quatuor caſibus. p.596.n.11

Mutuator.

Mutuator metu periculi poteſtne licitè recipere aliquid vltra ſortem. p.286.n.12
Mutuator poteſtne recipere pretium auctarium quod in contractu pepigit pro labore quem non paſſus eſt. p.286.n.14

N.

Natio.

NAtio Hebraica Iudaiſmi crimine conuicta ſpolio bonorum priuari poteſt. p.317.n.56

Natura.

Natura, quomodo ſe ad ſupernaturalia præcepta extendit. p.571.n.21

Neglectus.

Neglectus ſemper eſt culpabilis contemptus damnabilis. p.9.n.16

Neothericus.

Neothericus Hiſpalenſis malè explicans mentem Auguſtini & Concilij Toletani, impugnatur. p.143.n.15

Nobilitas.

Nobilitas,nihil aliud eſt quàm diuitiæ,cum antiquitate. p.319.n.3

Nomen.

Nomine Principis quid intelligitur; vide *Princeps.*
Nomine Officiorum publicorum quænam intelligenda ſunt. p.415.n.2
Nomine Paſtorum, quoſnam Paulus intelligit. p.562.n.29

Nouitius.

Nouitius in ordine mendicantium ante annum probationis completum quare profeſſionem emittere poteſt. p.214.n.48.& 49.& p.215.n.50

Nouitius ante vltimam professionem emissam si decedat facto testamento in fauorem sui monasterij quid faciendum. p.215.n.51
De eodem aliud dubium. Ibid.n.52
De nouitio toto anno probationis ægroto. p. 215.n.53.& p.217.n.57.
Nouitius quomodo neque tacitè neque expressè est professus. pag.218. num. 59. & 60.
Nouitius gestans habitum professorum per tres dies post annum probationis, cum proposito mutandi vitam, legibus professorum adstringitur. p.220.n.65
Nouitius quomodo finito anno probationis tacitam professionem non incurrat. p.220. n.67
Nouitium completo anno probationis, Prælati sine rationabili causa detinentes, peccant. p.220.n.68.
Casus in quo Nouitius tacitam incurrit professionem exponitur. p.220.n.69
Nouitius potestne nouitiatum inchoatum in vno conuentu, continuare, in alio p.264. n.11.& 12

O.

Oblatio.

OBlatio Christi triplex. p.86.n.13
Oblatio sola Christi in cruce fuit infiniti valoris. p.86.n.14.

Obligatio.

Obligatio naturalis protectionis ac defensionis in quibus sit maior. p.377.n.22
Obligatio renuntiandi beneficium quando vrget. p.551.n.6.
Obligatio conditionalis, deficiente conditione, non tenet. p.12.n.26
Obligatio iuris naturalis non absoluitur per professionem religionis quæ est de consilio, & hoc propter duo. p.59.n.16
Obligatio implendi votum est iuris diuini ac naturalis. p.62.n.26

Obsequium.

Obsequia & signa antiquorum erga suos Principes aut Deos, ad quid tendebant. p.359. n.19

Obseruantia.

Obseruantiarum tria genera. p.230.n.1

Obseruatio.

Obseruatio vana est species superstitionis,& in quo consistit. p.83.n.8
Obseruationibus vanis & superstitiosis propter quatuor causas homines implicari Deus permittit. p.185.n.73

Obsessus.

Obsessorum modus duplex. p.171.n.17
De Obsessorum numero fuisse Iobum & Saulem dupliciter suadetur. p.181.n.18
Obsessæ virgines quomodo sunt de hæresi suspectæ. p.191.n.94
Obsessorum virginum domus demollienda probatur. p.191.n.95.& p.192.n.96

Occisio.

De occisione innocentium. p.313.n.18
De occisioe insontis sine peccato secundum Sacram scripturam, quomodo intelligendum p.313.n.19

Occupatio.

Occupationem sumens incompossibilem, peccat tanquam violator præcepti. p.462.n.7

Officium.

De vendendis officiis tres sententiæ. p.415
Officia publica, etiam idoneis hominibus vendi non possunt. p.415.n.4
Officia idoneis ministris, Principes & Respublica Superiores non recognoscentes, vendere possunt. p.416.n.5
Officia secundum se considerata licitè vendi possunt, sed non expedit. p.417.n.7.&8
Officiorum conditio aliquando licet rarò potest in praxi honestari. p.418.n.11
Officia publica, quibus non liceat vendere. p.419 n.13.& p.420.n.14
Officium Ministro datum cum facultate transferendi in alterum, an vendi possit ab ipso Ministro. p.421.n.17
Pro officio, quandónam Princeps aut Resp. pecuniam recipere non possit. p.421.n.18
Ab officiorum possessoribus, quandónam possit Princeps pensionem extorquere. p.421.n.19
Officia quædam Rex Hispaniæ vendere potest. p.421.n.20
Officium seu beneficium alicuius tripliciter impediri potest. p.544.n.4
Officia ac beneficia publica differunt à bonis Reip. p.548.n.16
Officia erga parentes propter religionis obseruantiam non sunt prætermittenda. p.59.n.17

Omissio.

Omissio, qualis est materia Simoniæ. p.583.n.10

Opinio.

Opinionum duarum probabiliorem sequi tenemur. p.428.n.11
Opinionum duarum conflictus dupliciter contingere potest. p.428.n.12
Opinionis probabilioris sex notæ referuntur. p. 428.n.12.& seq.
Opinio probabilis, quibus fulciri debet. p.429. n.14
Opinionem probabiliorem in materiis Sacramentorum cuncti sequi tenentur. p.434.n.22
Opinionem probabiliorem sequens, non se exponit periculo recipiendi Sacramentum inualidè. p.434.n.23
Opinio, quænam est præferenda. p.435.n.25. & p.436.n.26
Ex duabus opinionibus vna potest licitè eligi ex tribus conditionibus. p.439.n.3
Opinio iuxta quam iudex sententiam ferre potest. p.439.n.5
In opinionum paritate locum habet gratificatio. p.440.n.7
De opinionis minus probabilis absolutione. p. 442.n.5.& 6.& 7.& p.443.n.8.& 9.
Opinio quænam eligenda, in conflictu variarum. p.443.n.11
Secundum opinionem duplicem, dupliciter fit motus ad iudicium. p.446.n.5
Opinionem subditus habens probabilem, an teneatur obedire superiori. p.455.n.9
Opinionem probabilem Princeps habens de iure ad regnum possessum ab altero, potestne armis alterum à Regno deturbare. p.455. n.10.& 11.
Opinio authoris nulla est adeò probabilis, vt tuta conscientia sequi possit. p.424.n.1
Opinio, quid est. p.424.n.2
Opinio quænam sit probabilis. p.424.n.5
Opinionis & humanæ fidei differẽtia. p.424.n.6

Opiniones esse probabiles duobus modis contingit. p.424.n.7
Opiniones tres Caietani de voti solemnitate. p.95.n.15
Opiniones duæ de dispensatione voti solemnis professionis. p.101.n.36
Opinio vana quorumdam authorum de Magorum potestate ad ligandos Dæmones. p.174.n.30

Opus.

Opera cum Dæmone materialiter exercita sunt superstitiones. p.181.n.55

Oratio.

Orationis & exorcismi formula, qualis esse debeat. p.169.n.8
Oratio est licita pro quibuscumque rebus obtinendis. p.146.n.13
Oratio eò plus prodest, quò pro pluribus funditur. p.85.n.5

Ordinarius.

Ordinarius censuris procedere potest contra religiosos contugem in monasterio iniustè detinentes. p.3.n.12
Ordinarius ex facultate nuntij siue legati monasterium ingredi potest, nouitiam vel nuptam detrahendi gratia in eo ab Abbatissa iniustè detentam. p.3.n.13
Ordinarius facultatem non habet mutandi vltimas voluntates. p.213.n.43

Ordinatus.

Ordinatus ad titulum parochialis Ecclesiæ ante legitimam ætatem, an suspensionem incurrat. p.8.n.12

Ordo.

Ordines septem quomodo inter se discriminantur. p.249.n.5
Septem Ordinum Spiritualium officia, Christus in seipso exhibuit. p.250.n.7
Ad Ordinem Sacrum ante legitimam ætatem promotus, irregularis manet. p.256.n.25
De recipiendo in Ordinem Præsbyteratus, An dies bisextiles sint computandi, casus resoluitur. p.273.n.43
Ordines sacros bona fide & ignorantia probabili sumentes suspensionem non incurrunt. p.8.n.11
Ordinem Sacrum sine legitimo titulo sumens, manet suspensus. p.9.n.14
Ordo militaris in equitibus, non est verè religio. p.23.n.2
Ordinum magistri non sunt Domini bonorum ordinis, sed tantùm administratores & dispensatores. p.29.n.25
Ordine Sacro initiatus sine legitima causa ad contrahendum matrimonium dispensatus, licet validum sit eius matrimonium lethaliter peccat. p.110.n.33

Oseas.

Oseas ad mulierem accedens, non habuit cum illa fornicarium concubitum. p.159. num.67

P.

Pactum.

IN Pactum ab initio duci possunt, impensæ faciendæ. p.286.n.13
Pacta Simoniaca Simoniâ reali irritandi ratio specialis, duplex est. p.408.n.8
De pacto in societatibus licitè apponi solito casus resoluitur. p.300.n.11
Pacta cum Dæmone inita distinguuntur. p.326. num.4
Pactum implicitum cum Diabolo quodnam censetur. p.175.n.33
Pactum explicitum cum Dæmone fit dupliciter. p.175.n.34.& 35.& p.327.n.5
In pacto cum Dæmone expresso, quomodo suspectio manifectæ hæresis videtur. pag.196. n.108

Papa.

Papam posse errare, errore personali, non iudiciali refutatur. p.356.n.9
Papa, in quibus casibus subiicitur Iudici in foro externo. p.357.n.12
Papa, cur triplici corona aurea coronatur. p. 359.n.20
A Papæ iudicio oppressus potest aliquando illum recusare, & ad non suspectos iudices confugere. p.366.n.39
Papæ resistere quandonam sit licitum. p.366. n.40
Papæ iudicium vel præceptum recusare contingit tripliciter. p.366.n.42
Papa potest se dupliciter ab Ecclesia separare. p.366.n.43
Papa, peccatne, renuendo iusta de causa dispensationem ordinariam Principi seculari. p.366. n.44.45.& 46
Papæ, quonam fine data est potestas absoluendi. p.368.n.49
Papa sicut alius Iudex, potest omnes causas criminales triplici modo decidere. p.14.n.5
Papa in quolibet casu dupliciter prouidere potest. p.15.n.7
Papa, an dispensare possit in votis solemnibus religionis? p.27.n.20
Papa, cum quo ad rationabilem causam dispensare possit. p.62.n.27
Papa in primo gradu lineæ rectæ an dispensare possit. p.483.n.5.& seq.
Papa gaudet potestate temporali suprema in ordine ad finem spiritualem. p.377.n.25
Papa solus potest dispensare in dimissione habitus religiosi. p.224.n.9
Papa potest iuramenta relaxare. p.109.n.65
Papa non dispensat cum religioso facto Episcopo, etsi possit. p.233.n.10
Papa non potest dispensare nisi dependenter à Christo quoad diuinum & naturale ius. p.106. n.58
Papa qualem dispensandi potestatem à Christo accepit. p.107.n.59
Papa quando in votis simplicibus aut etiam in votis solemnibus professionis dispensat, in iure naturali ac diuino verè dispensat. p.108. n.62
Papa, cur potest dispensare in votis solemnibus professionis. p.108.n.61
Papa potestne dispensare in pluralitate vxorum. p.492.n.29.30.& 31
Papa dispensat in voto vt Dei Vicarius ac delegatus. p.103.n.44
Papa non potest absoluere religiosum professum à voto castitatis quandiu manet in eo statu. p.106.n.54
Papa dispensante vt Dei vicario censetur Deus dispensare. p.106.n.56

Papa ob ſex cauſas conſueuit concedere Epiſcopis licentiam cedendi Epiſcopatui. p.233. n.12

Papa poteſt diſpenſare ob legitimam cauſam in aliquo iure diuino & naturali. pag.106. n.57

Parochialis.

Ad Parochialis Eccleſiæ regimen, quis aſſumendus. p.6.n.5

Paſtor.

Paſtoris boni quodnam ſit officium. p.271. num.38.

Patronatus, Patronus.

Patronatus D. Iacobi ſuper Hiſpaniam nulla humana authoritate poteſt tolli aut minui. p.344.n.8

Patronus poteſtne aliquam partem reditum collegij applicare vniuerſitati. p.261.n.1

Patronus poſſitne poſtulare à Papa vt Eccleſiam collegiatam erigat in Cathedralem cum Epiſcopo aut ſine illo. p.262.n.2

Patronus poteſtne pecunia legati aliis neceſſarij Orphanam in religionem introducere. p.262.n.3

Patronus poſſitne diſtribuere fœminis quæ habent parentes pauperes qui eas alere non poſſunt, aliquam pecuniæ delegatæ quantitatem. p.262.n.4.& p.263.n.6

Paulus.

Beatus Paulus Eremita quare Cathalogo Sanctorum fuit adſcriptus. p.45.n.4

Paupertas.

Paupertas Euangelica in quo conſiſtit. p.94. num.12

Pax.

De Pace inter Epiſcopum & Capitulares conſeruanda. p.114.n.2.p.120.n.20

De pace tria proponuntur. p.114.n.2

Profeſſio.

Profeſſio coniugis in duobus caſibus valet. p.204.n.15.& 16

Peccatum.

Peccata Sacerdotis, Epiſcopi aut Religioſi ſpeciem non variant. p.98.n.25

Peccatum Salomonis damnatur in nubendo cum mulieribus idololatris. p.512.n.3

Peccatum acceptionis perſonarum, vbi locum non habeat. p.440.n.8.& 9

Peccata quatuor quæ ad Deum de terra clamare dicuntur. p.472.n.18

Peculium.

Peculij triplex genus in Religioſis diſtinguitur. p.238.n.1.2.3.& 4

Circa peculium tertij generis communis ſententia refertur. p.238.n.5

Peculium ſecundi generis voto paupertatis non contradicit neque eſt religioſis prohibitum. p.239.n.7

Peculium tertij generis eſt prohibitum. p.239. n.8

Pecunia.

Pecuniam exponere in ſocietatem, ſaluo Capitali, an liceat, triplex eſt opinio. p.297.n.2. & ſeq.

Pecunia quomodo recipienda pro perſona religionem ingrediente, vt vitetur Simonia. p.24.n.10

Penſio.

De penſionibus duo modi dicendi referuntur. p.589.n.35

Penſiones quæ ſine Simonia vendi poſſunt. Ibid. n.36

Penſiones quæ ſine Simonia neque emi neque vendi poſſunt. ibid.n.37

Penſio quotieſcumque eſt vendibilis eſt etiam redimibilis & è contra. p.590.n.38

Penſio nulla Eccleſiaſtica ex conſtitutione Pij V. abſque Simonia vendi poteſt. p.590. n.39

Percutio.

De Percutione Ægyptiaca à Moyſe. p.377. n.21

Periculum.

In periculo mortis probabili conſtitutus, & conſtitutus in mortis articulo quomodo differunt. p.90.n.9

Permutatio.

Permutatio facta de licentia Superioris, ſufficienter à vitio Simoniæ purgatur. p.606. n.48

Perſeuerantia.

Perſeuerantia tripliciter accipitur. p.38.n.13

Petrus.

Petrus à Chriſto poteſt abſoluere à peccatis & à cenſuris. p.110.n.68

Petrus Oxomienſis nomine hæreſeos quare damnatus. p.140.n.7

Phreneſis.

Phreneſis, Mania &c. ſunt ſpecies ægritudinis. n.57

Pictura.

Picturam actum turpem repræſentantem exponere, peccatum eſt mortale. p.256.n.23

Picturæ corporis nudi vſus, quomodo eſt peccatum mortale. p.256.n.24

Pœna.

De pœna duplici quæ Clerico imponitur, omittenti ſuſcipere Sacerdotium intra annum, cum intentione percipiendi fructus illius anni. p.11.n.21

Pœnæ adiectio nunquam tollit obligationem implendi promiſſionem iuramento firmatam. p.521.n.25

Pœnæ temperandæ ſunt pro vtilitate publica. p.321.n.12

Pœnitens.

Pœnitens tenetur in omnibus Sacerdotibus parere. p.443.n.12

Pœnitentem contra ſuam opinionem conſulere non poſſe Sotus dicens, impugnatur. p. 444.n.13

Polygamia.

Polygamia reſpectu vxoris, iure naturali eſt interdicta. p.489.n.21.& p.490.n.22

Polygamia nunquam ſine Diuina diſpenſatione, fuit licita. p.491.n.26

Polygamiæ diſpenſatio in lege Euangelica fuit à Chriſto caſſata. p.491.n.27

Polygamia, an iure naturali ſit licita. p.488. n.17

Circa Polygamiam Concilij Tridentini definitio. p.489.n.20

Polygamia lege diuina ab ortu legis gratiæ abolita eſt. p.102.n.39

Pontifex.

Summi Pontifices propter negotiorum molem ſæpius concedunt non concedenda. p. 66.n.6

Summus Pontifex Romanus dicitur vrbis & orbis Episcopus. p.80.n.11
Summus Pontifex est conditor iuris positiui humani & Ecclesiastici. p.100.n.32
Summus Pontifex in quo casu in voto solemni professi dispensare potest. p.102.n.40
Pontifices qui cum electis ad Episcopatum dispensauerunt recensentur. p.129.&130.n.4
Pontifex solus habet potestatem conferendi characterem Episcopalem. p.134.n.20
Summus Pontifex cum Spiritu S.regit Ecclesiam. p.102.n.41

Portionarius.

Portionarij Capellani & Cantores de quo non potiuntur. p.118.n.13
Portionarij non excluduntur à corpore capituli. p.122.n.24
Portionarij habentes vocem in capitulo de lege Ordinaria. p.122.n.25
Portionarij habent vocem actiuam & passiuam in electione Adiunctorum. p.121.n.22

Possessio, Possessor.

Possessionem & manutentionem non habet Generalis Cistercienſis circa quasdam Moniales Cistercienses. p.389.n.6
Possessor maioratus, quas conditiones propria authoritate mutare non potest. p.213.n.46

Potestas.

Potestas residens in Ecclesia ad dispensandum in votis, qualis. p.109.n.64
Potestates duæ sunt in principibus considerandæ. p.377.n.33
Potestas adiurandi & coniurandi expulsiuè Dæmones, æqualis est. p.171.n.14
Potestas Episcoporum quantum ad censuras est ligata. p.2.n.7
Potestas Ordinaria quando est in iure coarctata.potest subdelegari. p.73.n.8
Potestas principis secularis. p.534.n.11

Praxis.

Praxis communis & consuetudo recepta, est optima legum interpres. p.69.n.6

Præbenda.

Præbendas habens plures an peccat. p.439. n.2

Præceptum.

Præcepti iuris præeminentia. p.58.n.14
In præceptorum duorum concursu quid præualeant. p.59.n.15

Prædicatio, Prædicator.

Prædicationibus antiquorum prophetarum non credentes, incredulitatis pœnas luebant. p.156.n.53
Ad Prædicationem quinam Episcopi benedictione indigent. p.244.n.7
Prædicationis munus ob sex causas ab Episcopo regularibus impediri potest. pag. 246 n.12
Prædicatorum Ordinis Encomium. p. 206. num.21.
Prædicatorum Ordinis principalissimus finis est animarum salus. p.206.n.22

Prædium.

De prædio vni Ecclesiæ Parochiali donato casus aliquis affertur. p.273.n.45
Ex prædiis Ecclesiæ Clericus decimas non debet. p.273.n.46

Prægnans.

Prægnanti licet vti medicinis,etsi fœtus credatur animatus anima rationali. p.503.n.14

Prælatus.

Prælati gubernare tenentur populum suum triplici iure. p.270.n.32
De Prælatorum obligatione erga Parochos. p.270.n.33
Prælati nullâ legitimâ causâ absentes, non debent beneficiorum fructus lucrari. p. 270. n. 34
Prælati & Magistratus iure naturali ad personaliter gubernandum tenentur. p.270.n.25. & p. 271.n.26
Prælati boni videntes damna ex Vicatiorum absentia subsequi illam condemnant. p.272. n.39
Prælati immediati & Ordinarij potestas.p.210. n.31.& 32
Prælatus quomodo prælatos inferiores deponere non potest. p.122.n.27

Præceptum.

Præcepta in quibus Papa possit dispensare & in quibus non. p.492.n.32.
Præcepta naturalia ac Diuina per leges humanas non possunt abrogari. p.292.n.8

Præscriptio.

Ad præscriptionem legitimam duæ requiruntur conditiones. p.20.n.8
De præscriptione & adquisitione iurium. p.81. n.17

Præsentatio.

De præsentatione facta à Duce Lermensi ad Cathedram vespertinam. p.212.n.41.& 213. n.42

Præstimonium.

Præstimonia,an sint beneficia Ecclesiastica, & an possint vendi,nec ne. p.589.n.33

Pretium.

Pretium quod potest licitè extendere titulum sustentationis. p.573.n.29
De pretij iusti mediocris & rigidi latitudine in merce vendita. p.292.n.7
Pretium iustum rei comitatur eius existentiam. p.287.n.18
De pretio restituendo turpiter acquisito, tres sententiæ referuntur. p. 405. n. 1. & 2. & p.406.n.3.4.& 5
Pretium pro concubitu turpiter acceptum laici aut Monachi absque obligatione restitutionis,retinere possunt. p.412.n.20

Princeps.

Principis nomine quid intelligitur. p. 413. num.1
De Principe bellum aduersus alterum indicente quædam considerandæ. p.452.n.1
Princeps, quandonam iustè potest bellum indicere. p.452.n.2.& p.454.n.8
Princeps indicens bellum, quodnam munus gerit &c. p.452.n.4
Princeps quando bellum mouere non potest p.453.n.5.6.& 7
Princeps plurima peccata tum omissionis tum commissionis in geriere perpetrat. p.52.n.29
Princeps quandoque iubente Deo atque etiam volente obiurgarunt ministri Dei. p.53.n.36. & 37
Princeps potest quandoque licitè & iustè insolitas gabellas populo imponere. p. 538. n. 3.& seq.
Princeps noua tributa licitè & iustè sine nouâ iustâ causâ à vasallis exigere potest. p.539. num.6

Princeps, quandonam peccat, transferendo regiminis pondus. p.473.n.20
Princeps, quibus virtutibus ornari debeat. p.477.n.30
Principes seculares sicut Episcopi in suo regimine remanere tenentur. p.272.n.41
Princeps non potest directè morti dare totam ciuitatem in qua sunt nocentes & innocentes. p.313.n.20
Principi licitum est per accidens occidere innocentes. p.314.n.21
Princeps potest aliis pœnis (citra capitalem) communitatem plectere. p.314.n.22
Princeps à Papa vim aut iniuriam passus quo remedio vti debet. p.358.n.14
Princeps expediens suam regulam decidentem in vno casu, extenditur eius decisio ad omnes similes casus. p.81.n.16

Prior.

De Priore quodam emente vineam vtilem conuentui pecuniis mutuatis. pag.267. num.24

Priuilegium.

Priuilegium personale non egreditur personam. p.81.n.18
Priuilegium quod moniales Sanctæ Claræ habent. p.2.n.3
Priuilegium exemptionis regularium quomodo intelligendum. p.2.n.5
Priuilegium nullum concedit facultatem relaxandi censuras, cum iniuria tertij. p.42. num.7
Ex priuilegio confessarius potest tollere censuras latas & reseruatas à iure. pag.42. num.8
De priuilegiis, Regularibus ante Tridentinum Concilium concessis. p.45.n.14
Priuilegia patribus Societatis IESV à Pontificibus concessa, in Bulla Cœnæ recensentur. p.47.n.19
Priuilegia Pij V. de transitu in laxiorem religionem. p.207.n.24

Probatio.

De probationis anni continuitate, dissidium est inter Auctores. p.217.n.56

Processus.

Processus fulminati quinam superstitiosi. p.82. num.1

Procurator.

De Procuratoribus Comitiorum Hispaniæ, casus resoluitur. p.546.n.12

Professio.

Professionis nomen, analogum est. pag.72. num.6
Professio simpliciter dicta & quæ de iure communi fit in Ecclesia, non est absque abdicatione dominij. p.72.n.7
Professio solemnis dirimit matrimonium ratum. p.111.n.75
Professionis modus quadruplex admittitur in iure antiquo. p.220.n.64
Professio expressa aut tacita obligans ad vota professorum. p.220.n.66
Professio emissa à laborante morbis incurabilibus an sit valida. p.107.n.25.& p.208. n.26.27.& 28.& p.209.n.29
Ad professionis valorem quid requiritur. p.216. n.54.& p.217.n.55
Ad professionem tacitam tria requiruntur. p.219.n.61
Professio tacita à Concilio Tridentino neque derogata neque sublata fuit. p.219.n.62
Professio in iure, duplex datur. p.220.n.63

Promissio, Promissor.

De promissione viri Nobilis alicui puellæ, beneficia Ecclesiastica componentis, casus resoluitur. p.517.n.1.& seq.
Promissio ficta non constituit vera sponsalia. p.521.n.3
De promissione sponsalium iuramento firmata. p.522.n.4.& seq.
Promissio pretij facta mulieri pro vsu corporis sui non est de se mala. p.527.n.20
Promissio quæ fit in ludo, & promissio quæ fit in sponsalibus differunt. p.528.n.21
Promissioni iuramentum triplici modo adiicitur. p.528.n.22
De promissione & exhibitione eorum ad quæ quis tenetur iure naturæ aut aliter. p.28. n.23
Promissio iureiurando facta cur adimpleri debeat. p.39.n.16
Promissio promittentem non obligans. p.413. num.23
Promissor fictus, deflorator virginis damna infamiæ & iniuriæ infert. p.524.n.10
Promissor fictus matrimonij promissionem implere duplici titulo tenetur. pag.524. n.11

Proles.

Proli quando imminet probabile detrimentum, nec petens nec reddens debitum culpa lethali carebit. p.403.n.13

Prophetia, Propheta.

Prophetiæ donum, vtrum latius pateat quàm discretio spirituum. p.161.n.73
Prophetiæ donum & priuatæ reuelationes quid supponunt. p.148.n.22
Prophetia datur ad vtilitatem Ecclesiæ seu fidelium. p.159.n.65
Prophetiæ donum quibus commune est. p.61. n.71
Prophetarum mentes Spiritus S. non semper irradiat. p.156.n.54
Prophetæ priuati suntne audiendi in hiis, quæ dicunt se accepisse per reuelationem. p.58. n.63

Prostitutio.

Prostitutio filiarum Loth, vnde processit. p.398. num.4

Prouidentia.

Prouidentia Diuina non imponit omnibus rebus mundi necessitatem. p.329.n.3

Puella.

Puella quæ per verba matrimonium contraxit quandonam Religionem intrare possit p.398.n.6

R.

Raptus.

RApti definitio, p.158.n.58
Raptum passus est Plato, non ex morbo, sed ex vehementia contemplationis. p.158. n.59

Raptum ſiue mentis exceſſum duplici via Deus effecit. p.158.n.60
In raptu aut in ſomno, cur diuinæ viſiones aut reuelationes fieri ſolent. p.158.n.61

Receptio.

In receptione religioſi expulſi quænam eſt forma ſeruanda. p.241.n.10
Receptio lucri vltra ſortem mutuatam vſuraria eſt in montibus pietatis. p.301.n.2

Redemptio.

Redemptio ſecunda non eſt futura ſecundum fidem. p.187.n.80

Remiſſio.

Remiſſionis beneficium à Rege Catholico obtineri non poteſt, auri penſo oblato. p.318. n.39.& 40
Remiſſionis nomine quid intelligitur. p.319. num.1
Remiſſio commutatiua in foro conſcientiæ licita eſt. p.319.n.5

Regnum.

Regnum vacans inter prætenſores eſſe diuidendum, falſum eſt. p.456.n.12
Regnum vel caſtrum occupare, liceatne primo prætenſori. p.456.n.13
De regni poſſeſſione Caſtro Palao impugnatur. p.456.n.14
Regna Deus confert hominibus, non vt illa poſſideant, ſed vt gubernent. pag. 473. num.21

Regula.

Regulam S. Auguſtini profitentur Commendatores S.Ioannis & S.Iacobi. p.25.n.14
Ex regula iuris nullam inferior poteſtatem habet in ſuperiorem. p.66.n.3

Regularis.

De regularium clauſura tres ſententiæ. p.221. n.1.& p.222.n.2.& 3
Regulares, in quibus caſibus habitum dimittere poſſunt. p.224.n.11
Regularis quilibet approbatus quomodo eligibilis eſt. p.44.n.12

Religio.

Religionis ingreſſus impedimenta quinque. p.200.n.1.& 2
Religionem coniugatus ingredi non poteſt contra voluntatem coniugis. p.201.n.3
Religioſi ad aliam religionem tranſitus triplici ex cauſa laudabiliter fieri poteſt.p.201. n.4.& 5
Ad religionis ingreſſum qua ratione homines redduntur inhabiles. p.203.n.14
In religionibus, procedendi modus quinam eſt iuſtiſſimus. p.274.n.50
Religionem ingredi poteſt coniux abſque conſenſu ſuæ coniugis ſi fuerit adultera. p.205. n.17
Religio Chartuſianorum propter tria omnibus eſt ſtrictior. p.205.n.18
Religionis Apoſtata quicquid acquirit in ſeculo, acquirit Cameræ Apoſtolicæ. p.135.n.19
Religio vera non compatitur cum continentia coniugali. p.23.n.3
Cum religione cur res vxoria pugnet. p.23. num.4
Ad Religionis perfectionem quid requiratur. p.25.n.15
Ad religionis ingreſſum ſe obligans, ad quid teneatur. p.38.n.15

Religioſus.

De Religioſo quodam qui bona fide ſine licentia ad religionem ſecundam ſtrictiorem tranſiit, caſus reſoluitur. p.267.n.25
Religioſus creatus Epiſcopus habitum ſuæ religionis geſtare tenetur ſecundum D. Thom. p.131.n.5
Religioſus quomodo beneficia Eccleſiaſtica & dignitates habet. p.233.n.11
In Religioſo Epiſcopo manet virtualiter votum obedientiæ. p.234.n.13
Religioſi facti Epiſcopi, poſſuntne de bonis patrimonialibus teſtari. p.235.n.17
Religioſi creati Epiſcopi hæreditas eſt quaſi Eccleſiæ debita. p.135.n.18
A Religioſo Epiſcopo bona conquiſita in Epiſcopatu non ſunt caduca. p.235.n.20
Religioſi qui bonorum Eccleſiaſticorum neque patrimonialium dominium habent. p.236. num.22
Religioſis qui concedere poteſt licentiam vtendi re immobili &c. quæritur. p.239. n.6
Religioſus ab Ordine legitimè eiectus ad ordinem redire non tenetur. p.240.n.9
Religioſus legitimè expulſus ſi velit redire, à Prouinciali vel Priori recipi poteſt. p.140. num.10
Religioſus qui ſine charactere Sacerdotali Miſſam celebrauit, eſtne inquiſitioni declarandus. p.267.n.26
Religioſus qui legitimè ad aliam religionem tranſlatus eſt, ad quid tenetur. p.101.n.7
Religioſus an poſſit ad ſtrictiorem quamcumque religionem tranſire cum licentia. p.202. num.10
De Religioſo quodam accuſato de defectu. p.274.n.48
Cum Religioſo vouente ad religionem relaxiorem tranſire quis diſpenſare poteſt.p.264. n.13
Religioſi poſt tria vota ſimplicia emiſſa, quid retinent. p.25.n.17
Religioſus adminiſtrans vel inſumens aliquid cum licentia ſui ſuperioris, non contrariatur voto ſolemni paupertatis. p.30.n.27
Religioſus tripliciter ad Papam vel ad Superiorem ſine licentia Prælati recurrere poteſt. p.55.n.3
Religioſi ad ſuum Superiorem confugientis excuſatio. p.56.n.8
Religioſi voto ſolemni paupertatis conſtricti nihil ſine Superioris licentia alienare poſſunt. p.313.n.22
Religioſus, an & quomodo ad Papam ſcribere poſſit. p.57.n.12
Religioſi ſeruitio pater dupliciter eget. p.58. n.13
Religioſus morte ciuili mortuus eſt, nec velle nec nolle proprium habet. p.62.n.25.
Religioſus diſpenſatus tria vota obſeruare tenetur. p.62.n.28
Religioſi multi ſunt in ſtatu damnationis, & quare. p.63.n.30
Religioſi imperfectioris religionis poſſunt de iure communi ad aliam perfectiorem tranſire. p.94.n.14
Religioſi diſpenſati ſine legitima cauſa matrimonium eſt inualidum. pag. 112. numer.78

Religioſus legitimè diſpenſatus in votis, liber ab obligatione recitandi horas Canonicas. p.112.n.79.

Remedium.

Remedia quibus vti poteſt puella à ſponſo relicta, cum quo matrimonium per verba conſummauit. p.495.n.2

Remedia incerta in caſu morbi lethalis non ſunt applicanda. p.447.n.4

Renunciatio.

Renunciatio debet fieri in manu Prælati vel ſuperioris. p.551.n.7

Renunciatio ſiue reſignatio beneficij, quid. p.60.n.25

Renunciatio fit tripliciter. ibid.

Renunciatio ſimplex in fauorem tertiæ perſonæ duobus modis contingit. p.601.n.26

Renuntiationes reciprocæ quæ ſub ſpecie permutationis fiunt ſunt Simoniacæ. p.602. num.32

Renunciatio quandonam eſt inualida ac Simoniaca. p.602.n.33

Repudium.

De repudij libello à Moyſe permiſſo duæ referuntur opiniones. p.399.n.9.& 10

Repudium aliud eſt in veteri lege, aliud in lege gratiæ diuortium. p.400.n.11

Res.

Res ſpirituales ſiue ſacræ in quadruplici ſunt differentia. p.568.n.12

Res conſecratæ ac benedictæ, à Caietano in duas claſſes diſtinguuntur. p.106.n.55

Res vxoria & bonorum poſſeſſiones pugnant cum ſtatu religionis in ſua perfectione conſiderato. p.26.n.19

Res ſpirituales quintupliciter pro munere conferri poſſunt. p.594.n.1

Res, quibus aliàs homines malè vtuntur, quando licet aut non licet vendere. p.393. n.6. & 7

Reſignans, Reſignatio.

Reſignans cum titulo nullo aut deperdito ad quid obligatur. p.20.n.4

Reſignatio, quid. p.20.n.7

Reſignatio confidentialis poteſt fieri dupliciter. p.603.n.36

An reſignatio confidentialis facta ſecundo modo ſtando in iure poſitiuo, ſit Simoniaca. p.603.n.37

Reſtitutio.

De reſtitutione pretij turpiter acquiſiti. vide *pretium.*

Reſtitutio omnis orta ex legitimo titulo, cui facienda. p.407.n.6

Ad reſtitutionem vt impediens teneatur, quid requiritur. p.544.n.3

Ad reſtitutionem fructuum eorundem teneberis, &c. exponitur. p.11.n.23

Retardatio.

De retardatione pecuniarum defuncti proponitur caſus, & reſoluitur. p.199. n.7. & p.200. num.9

Reuelatio.

Reuelationum communium & priuatarum diſcrimen. p.145.n.1

Ex reuelatione Diuo Ambroſio facta corpora Protaſij & Gerualij vbi eſſent ſepulta, innotuerunt. p.146.n.6

Reuelationes ac viſiones coniunctæ cum miraculorum dono vitæ ſanctitatis, valde conducunt. p.148.n.17

In perſona reuelationem ſeu viſionem recipiente, quid attendi debeat. p.151.n.32.& 33

Reuelationis nota vnde ſumitur. p.151. n.34

Reuelationis effectus qualis eſſe debet. p.152. num. 35

Reuelationis obiectum quale. p.150.n.36

Reuelatio quando continet aliquam falſitatem certum eſt non eſſe à Deo. p.152.n.37.& 39

Reuelatum diuinitus obiectum debet eſſe conforme regulis fidei. p.152.n.38

Cui reuelationi non eſt credendum. p.152. n.39.& 40

Reuelationis Diuinæ, nota & regula refertur. p.153.n.43

Reuelationes priuatæ ad tria hominum genera comparari poſſunt. p.154.n.45

Reuelationis diſcurſus Cardinalis Lugo refutatur. p.155.n.48

De reuelatione priuata circa perſonam ſententia Cardinalis Lugo. p.155.n.50

Reuelationum priuatarum ſtatus triplex. p.156. n.55

Cui reuelationi perſona poteſt non credere. p.154.n.46

Cui reuelationis doctrinæ reluctatur Cardinalis Lugo. p.154.n.47

Reuelationes, quibus non eſt credendum. p. 458.n.18

Reuelationis cauſa efficiens triplex eſt. p.158. n.62

Reuelatio Dæmoniaca quomodo diuiditur. p.166.n.98

Reuerentia.

Reuerentiam vni ſuperiori ratione excellentioris ſuæ dignitatis debitam, alteri inferiori dare iniurioſum eſt. p.79.n.8

Recurſus.

Recurſus ex quo titulo iuſtificari poteſt. p.369. n.1.& 2.& 370.n.4.5.& 6

Rex.

Regum officium proprium in quo conſiſtit. p. 369.n.3

Reges, vnde Reipublicæ temporalis protectores ac defenſores. p.378.n.26

Reges ſunt Eccleſiarum protectores. p.380.n.3

Reges, de quo monentur à Synodo Tridentina, ibidem.

Rex Hiſpanus, Matriti duodecim habet concilia. p.469.n.5

Regi triſtia ac infelicia nunciare, an expediat. p.469.n.8

Rex otio aſſuefactus, quid timet. p.469.n.9

Reges ſunt populorum ac rationalium ouium Paſtores. p.473.n.22

Rex, quales miniſtros habere debeat. p.54. num.45

Rex Hiſpanus protector Concilij. pag. 126. num.41

Reges debent per ſeipſos audire cauſas populi quando congruè poſſunt. p.272.n.42

Rex ſiue magiſter ordinum poteſt vendere commendas militares abſque Simonia. p.24. n.11

Rex accedens ad tribunal ſacræ confeſſionis tenetur vt triplex perſona confiteri. p.53. num.43

Regum Hiſpaniæ in aduerſo bello mos olim laudabilis, ab hodierno longè diuerſus. p.542.n.17
Inter Regem & Remp.celebratur pactum legis Regiæ,quod eſt obligatio. p.474.n.23
Reges qui licitè à ſolio Regio deponuntur. p.474.n.24
Regi quandonam & quos conuenit habere Miniſtros. p.476.n.26

Reſcriptum.

Reſcripta Principum ſupplicationem fieri admittunt.

Rota.

Rotæ deciſio de Archidiacono quodam Eccleſiæ Oſcenſis. p.376.n.18

Rubrica.

Rubricæ Cæremonialium vis. p.80.n.15

S.

Sacerdos.

SAcerdos qualis eſſe debeat. p.52.n.32
Sacerdos gerit imaginem Chriſti. p. 84. num. 4
Sacerdos, qui vtens de Officio ſuo coniugiis prohibitis aſſiſtit, incurritne excommunicationem. p.254.n.14

Sacerdotium.

Ad Sacerdotium promoueri non intendens, exponitur. p.11.n.24
Ad Sacerdotium tempore Apoſtolorum,coniugatis licitum erat aſcendere. p.96.n.19
Sacerdotium & matrimonium non ſunt de ſe incompatibilia. p.99.n.29

Sacramentum.

In Sacramento Euchariſtiæ Chriſtus immolatur. p.84.n.3
In Sacramento Euchariſtiæ, duo ſunt diuerſa. p.58.n.9.
Sacramentum aliquod ſolemniter adminiſtrans,ad quid tenetur. p.130.n.6
In Sacramentorum materia, quando quis operatur cum opinione probabili licet in re falſa, Sacramenta adminiſtrata ſunt valida. p.135.n.24

Sacrificium.

Sacrificium Miſſæ quomodo ſatisfactionem pœnarum operatur. p.87.n.17
Sacrificio Miſſæ duplex eſt portio valoris ſatisfactorij reſpondens. p.87.n.18
Sacrificium Miſſæ ad quid extenditur. p. 87. num.19
Sacrificium Miſſæ pro quibus offerri non poteſt. p.88.n.20
Sacrificij valor. p.84.n.2
Sacrificium dupliciter offertur. p.85.n.7
Sacrificium Miſſæ non tantum pluribus prodeſt ad ſatisfactionem,quàm ſi pro vno dumtaxat offertur. p.85.n.8
Sacrificium in quo conſiſtat. p.85.n.10
Sacrificium eſt formaliter de prædicamento actionis. p.85.n.11

Sacrum.

An Sacra per eſſentiam vendi aut emi poſſint. p.580.n.2

Salmantica, Salmantinus.

Salmanticæ Scholaſticus virtute Eugeniæ an poteſt abeſſe beneficio curato vltra ſeptennium. p.269.n.30
Salmanticenſis Academiæ Scholaſticus à iuriſdictione Epiſcopi Salmantini omnino exemptus eſt, p.74.n.2
Salmanticenſis Academia,vna eſt ex inſignioribus totius orbis. p.74.n.3
Salmanticenſis Academiæ Encomium. p. 74. num. 4
Salmantino Scholaſtico quænam iuriſdictio competit. p.74.n.5
Salmantinus Scholaſticus iudex,quam non habeat dignitatem. p.75.n.7
Salmantini Scholaſtici electio. p.75.n.8

Samuel.

Samuelis ignorantiæ, cauſa duplex. p. 155. num. 49

Sanitas.

Sanitates quædam aut felicitates obtentæ,ſunt effectus Dæmoniaci. p.167.n.105

Schiſmaticus.

Schiſmaticus propriè quis ſit. pag. 366. numer. 41.

Scriptura.

Scriptura non eſt de eſſentia priuilegij aut gratiæ à Principe conceſſæ. p.133.n.14

Scrupulus.

Scrupuli definitio. p.424. num. 4. & p. 441. num. 2
Pro Scrupulis ſanandis duo remedia. p. 442. num. 4

Sebaſtianus.

Sebaſtiano altari dicato,peſtis Romam affligens ceſſat. p.146.n.9

Senatus.

Senatus Regis religioſorum cauſas ad ſe aduocare nequit. p.67.n.8

Sententia.

Sententiam eſſe iuſtam tripliciter contingit. p.449.n.1
Sententiæ executor, quando nec debet nec valet cenſuram latam denuntiare. p. 449. num.2
Sententiam eſſe iniuſtam ſciens executor, illam non poteſt exequi. p.450.n.3
Quandonam ſententiam exequi poteſt executor. p.450.n.4
Sententia Paludani de conſecratione Epiſcopi. p.131.n.11
Sententia patris Salas impugnatur, de religioſo per reuelationem matrimonium contrahente. p.160.n.68
Sententia lata à Sacra Congregatione & quoad omnes partes à Pontifice confirmata, qualis habenda eſt. p.47.n.18
Sententiæ tres de valore Miſſæ & Sacrificio. p.84.n.1
Sententia affirmans in mortis articulo quemcunque abſolui poſſe tenenda eſt. p.88. num. 1
Sententiæ duæ dubij, an religioſus factus Epiſcopus maneat à voto paupertatis abſolutus. p.232.n.7

Sententiæ Caietani mutatio, de prædicatione Euangelij. p.242 n.4
Sententia Nauarri de promotione ad Ordines Sacros ſine legitimis litteris dimiſſoriis, improbatur. p.248.n.2
Sententia Nauarri de minoribus Ordinibus impugnatur. p.249.n.4

Sepultura.

Sepulturæ locus, Officium Oeconomi & Sacriſtiæ ſintne vendibiles abſque vitio Simoniæ. p.591.n.42.& ſequentibus.

Signum.

Signum corporale & naturale, quid eſt, p.333. num.15
Signa poſſeſſorum, obſeſſorum & maleficiatorum differunt. p.172.n.20

Simonia.

Simoniæ mediator, ad quid tenetur. pag. 550 num.1
De Simonia facta ab ignorante eam. p. 550. n.3.& ſeq.& p.552.n.10.
Per Simoniam à ſe ignoratam beneficium renuntians quonam fauore potitur. p.552. num.9
Vtrum Simonia à Simone Mago nomenclaturam accepit. p.555.n.2
De Simoniæ authore conueniunt authores. p.555.n.3
Simonia defectu particulæ, *opere ſubſecuto* non redditur inſufficiens. p.556.n.6
Simonia diſtinguitur à Sacrilego. p. 556. n. 8
Simoniæ author Simon Magus; duplicem hæreſim habuit. p.557.n.11.
Circa Simoniam duplex modus dicendi refertur. p.557.n.12
Simonia non fuit, neque venditio neque traditio Chriſti. p.557.n.13.& ſeq.
Simoniæ materia, quomodo explicatur. p.558. n. 15.& ſequentibus.
An Simonia ſit vendere ſcientias naturales, & conſilium in cauſis ciuilibus. pap. 559. num,20
Simoniæ vitium, in quo conſiſtit. pag. 560. num.22
Simonia eſt accipere pretium pro Theologia. p.561.n.26
Simonia eſtne dabilis in materia omnino naturali. p.562.n.31
Simonia vera quando potuit eſſe & quando non. p.562.n.32
Simonia, apud quos eſſe non poteſt. p. 563. num.33
Circa Simoniæ diuiſionem duæ concluſiones. p.564.n.1
Simonia an rectè & adæquatè in mentalem, realem & conuentionalem diuidatur. p.564. n.2.& ſeq.
Simonia mentalis, tripliciter contingere poteſt. p.565.n.5.
Simonia, quæ à ficta condiſtinguitur. pag. 566. n. 6
Simonia realis quomodo patet. pag. 566. num. 7
Simonia, an rectè diuidatur in illam quæ eſt de iure diuino & illam quæ eſt de ſolo iure humano prohibita, diuidatur. p.566.n.9
Simonia quæ non ſolum quoad pœnam ſed etiam quoad culpam diuiditur. p. 568. num. 11
Simonia quæ eſt prohibita iure diuino & humano Eccleſiaſtico. p.569.n.16
Simonia ſolo iure Eccleſiaſtico prohibita dari poteſt circa res ſecundi & tertij generis. p. 569.n.18
An Simonia ex parte materiæ circa quam verſatur, in naturalem & ſupernaturalem congruenter diuidatur. p.572.n.24
Simonia eſt recpere in pretium aliquid temporale, pro labore actuum ſpiritualium. p.573. num.27
Sitne Simonia pactiones facere de ſtipendio ſuſtentationis. p.576.n.38
Simonia quæ fieri poteſt in ingreſſu aut receptione ad habitum religionis. pag. 583. num. 11
An à Simonia excuſetur propter metum, periculum imminens ac redemptionem vexationis. p.598.n.15
Simonia eſt pecuniâ redimere vexationem. p. 599.n.17
Simonia non eſt conferre beneficium ex metu indignationis. p.599.n.18
An Simoniâ ſit in vendendis veſtibus, vaſis & aliis huiuſmodi. p.584.n.17
Eſtne Simonia dare aliquod ſpirituale ſolùm titulo conſanguinitatis ſiue affinitatis. p. 594.n.2
An Simonia ſit dare beneficium pro munere à manu ab obſequio vel à lingua. p. 595. n.5.& ſeq.
Simonia non eſt, vendere habitus ordinum militarium. p.23.n.1
Simonia quid, ex doctrina Nauarri. pag. 28. num.21
Simonia eſt ſtudioſa voluntas emendi vel vendendi aliquid ſpirituale vel ſpirituali annexum. p.31.n.28
Simonia eſt aliquando conferre beneficium ex timore ſecundi generis. p.599.n.19
Abſque Simonia poteſt Epiſcopus dare pecuniam ex metu amittendi aliquid ſpirituale. p.600.n 20
Simonia non eſt conferre beneficium cum pacto expreſſo recuperandi bona temporalia ipſius collatoris. ibid.n.21
Simonia reperiturne in renuntiatione beneficij facta in fauorem tertij. p.600.n.24
Simonia mentalis in ordine beneficio aut Religionis ingreſſu commiſſa ſitne pœnis taxatis ſubiecta. p.610.n.6
Simonia conuentialis, eſtne taxatis pœnis ſubiecta. p.611.n.9
Simonia realis, quibus ſit obnoxia. pag. 611. num. 12
De Simonia, obligatio reſtituendi. pag. 612. num.15

Simoniacus.

An Simoniacorum pœnæ ſint exactè annumeratæ, à D. Thom. p.609.n.1
Simoniaci in ordine & beneficio inuruntur pœnis infamiæ & depoſitionis. pag. 610. num.5
Simoniaca acceptio ſiue datio obligat ne ad reſtitutionem. p.613.n.17

An

An Simoniaca ſit reſignatio confidentialis, inquiritur. p.615.n.1

Societas.

Societas, quos profeſſos vocat. p.93.n.11

Sors.

De ſorte in eligendis Sanctis tutelaribus. p.338. n.12.13.14. & 15
Sors diuiſoria quomodo redditur illicita. p.340 n.18
De ſorte quam Honorius III. prohibet. p.340. n.19
Quare ſortibus electiones Eccleſiaſticæ non commituntur. p.341.n.22
Sortis conſultoriæ conditiones. p.342.n.1.2. & 3
Obiectioni Delrio de ſorte conſultoria & diuinatoria reſpondetur. p.343.n.4.& 5
De ſortiendi lege, Beda impugnatur. p.344. n.7
Quánam ſorte Principes vitentes à vitio vanitatis non excuſantur. p.356.n.15
De ſortis conſultoriæ vtilitate. p.347.n.17
Sors diuinatoria qua inquiritur futurorum contingentium cognitio, eſt damnata. p.348. n.1
Sors diuinatoria, ſi fiat diuinatiuè, eſt intrinſecè mala. p.350.n.7
Sors diuinatoria quæ futura, theſauros, & huiuſmodi inueſtigat, eſt ſuperſtitio. p.351. n.9
Sors vnde dicta. p.324.n.1.& 2.& p.325.n.3.4. & 5.
Sortes diuiduntur tripliciter. p.326.n.1
Sors eſt vna ex tribus ſpeciebus ſubalternis Manganiæ, ſiue artis diuinatoriæ. p.326. n.2
De ſpecie ſortis Delrius impugnatur. p.326.n.3
De ſortium differentiis authores tractantes referuntur. p.327.n.9
De ſortium efficacitate. p.328.n.1
Sortium efficacitatis duo referuntur errores. p. 328.n.1.& ſeq.
Sortes diuiſoriæ apud quos à primis temporibus vſitatæ fuerunt. p.335.n.1
Sortes, in quantum à Iure Catholicis permittuntur. p.335.n.2
De ſorte diuiſoria licitè celebranda quinam ſcripſerunt. p.335.n.3
Sors diuiſoria vt licitè celebretur quatuor conditiones requiſitæ ſunt. p.336.n.4
Sors, per quid illicita tedditur. p.336.n.5
Sors ex genere ſuo non mala quomodo iudicanda. p.336.n.6
Sors eſt quadruplex ex parte cauſæ. p.327. n.7
Sortium modus ex parte materiæ eſt multiplex. p.327.n.8
Sors quænam peccaminoſa reddi poteſt. p.336. n.7
Ad ſortem licitam in diuiſione rerum propriarum, quid requiritur. p.337.n.8
Sortis diuiſio, ex parte finis. p.327.n.10
Sortis diuiſiones an ſint eſſentiales. pag.327. n.11

Sortilegus.

Sortilegi quinam ſint, definitur. p.349.n.2

Species.

Species multæ continentur ſub genere Eccleſiaſtici beneficij ſicut ſub illo beneficiarij. p. 30.n.26.

Spectaculum.

Spectaculorum inſpectio quomodo vitioſa redditur. p.392.n.1
In ſpectaculorum inſpectione concurrunt repræſentatio & res repræſentatæ. p.392.n.2
Spectacula luxurioſa aut crudelia videntes tripliciter peccant. p.392.n.3.4.& 5

Spirituale.

Spirituale, cui annexi ſunt fructus præſtimoniales, quid. p.589.n.34

Spiritus.

Spiritus, tribus modis diſcernuntur. p.161.n.69. p.n.161.70.72.& 76.

Sponſalia.

Sponſalibus duo oppoſita. p.526.n.16.& ſeq.
A ſponſalibus iniuſtè reſiliens compellendus eſt à Iudice. p.526.n.18
Sponſalibus adiectam pœnam recipiens ad quid tenetur. p.527.n.19
Sponſalia in neutro foro obligant quando fœmina præbet cauſam ſufficientem reſcindendi ea. p.530.n.31.& 32
Sponſalia ficto animo contracta, non tam obligant quàm contracta vero animo. p.529. n.29
Sponſalia ficto animo contracta non obligant ex vi promiſſionis. p.529.n.30

Supplicatio.

Supplicationis remedium quandoque habet effectum ſuſpenſiuum. p.360.n.23.& 24
Supplicatio ad Sedem Apoſtolicam interpoſita, non ſemper operatur effectum ſuſpenſiuum. p.362.n.28
Supplicatio, vt ſit ſuſpenſiua, tres requirit conditiones. p.362.n.29.& 30.& p.364.n.33.& p.365.n.36
Supplicationem interponens legitimè tenetur eam proſequi. p.365.n.36
Sponſalia impleri non debent, propter præuiſum ſcandalum. p.529.n.26
Sponſalium nullitas aut reſciſio quinque mediis intentari poteſt. p.521.n.1
Sponſalium fictus promiſſor ad quid tenetur. p.522.n.2
Sponſalia vero animo contracta ſola qualitatis diſparitas reſcindere non poteſt. pag. 524. num.13

Sponſor.

De ſponſore reſoluitur caſus, qui Dæmonis arte nouit maiorem partem ſchedularum in vrna exiſtentium tali cedendam. p.288.n.19

Stella.

Stellæ non concurrunt ad effectus caſuales. p. 329. n.4

Stipendium.

Vltra ſtipendium ſibi taxatum Iudex aut Tabellio tripliciter accipere poſſunt. p. 408. n.9.& p.409.n.12
Stipendium ſuſtentationis iure diuino naturali & humano Eccleſiaſtico Miniſtris Eccleſiaſticis debetur. p.575.n.32

Stipendium sustentationis recipere non est illicitum Ministris Ecclesiasticis diuitibus. p. 575.n.34
Stipendium debitum pro sustentatione cessante scandalo à laicis exigere licitum est. p.577.n.41.& 42
Stipendium ante administrationem petere non est illicitum. p.577.n.43

Stultus.

Stultorum numerus est infinitus. pag. 7. num. 9

Subrogatum.

Subrogatum debet sapere naturam illius loco cuius subrogatur. p.50.n.26
Subrogatum quid facit. p.78.n.4

Superior.

Quis Superior facultatem concedere potest mutandi Religionem in relaxiorem. p.202. num.8.& 9

Superstitio.

Superstitiones subiiciuntur pœnis à iure taxatis. p.197.n.110.&111

Supplicatio.

Supplicatio ad Papam dupliciter fit licita & iusta. p.358.n.15
Supplicationis remedium à legibus Apostolicis quandonam est iuri consentaneum. p. 358.n.16
Supplicationis remedium salubre, quid est. p. 359.n.17
Supplicatio ad Papam aut Principem, quid. p.359.n.18

Suspensio.

Suspensio ad tertiam & quartam iussionem debetne protrahi, si Papa læsæ partis grauamen confirmet. p.364.n.35
Suspensio est pœna taxata in iure Canonico contra malè promotos ad ordines. p. 258. num.29
Suspensio incurritur à Conuentu vel Capitulo in Simoniacam Religiosi receptionem consentiente. p.609.n.2
Ad suspensionem ab executione incurrendam quid requiritur. p.610.n.3

Sybilla.

Sybillæ Gentiles ac Dæmonum Diuinæ, vera de Christo prædixerunt. pagin. 183. num.62

T.

Tabellionatus.

DE Tabellionatûs & Prætoratûs venditione. p.276.n.57.& 59
Tabellionis Officium potestne Dux Albaniæ alicui conferre sub aliqua conditione.p.276. n.58

Testis.

Testium nomina tradere accusato, est contra pacem & honorem religiosi status. p. 274. n.51
Testium publicatio non est seruanda inter religiosos. pag. 275. num.52.53.54. & 55

Theologia.

Theologia quoad munus docendi, quomodo est omnino naturalis. p.461.n.27

Titulus.

Titulus deperditus, in resignante quo ad valorem resignationis nihil amplius potest quàm titulus nullus ex defectu ætatis proueniens. p.20.n.6

Tolerantia.

Tolerantia sola Summi Pontificis præscriptionem reducere, neque titulum legitimum præbere valet. p.373.n.13

Tradere.

Tradendi verbum quid significet. pag. 16. num.4
Tradere nullus potest, quod suum non est, p.23.n.7

Transactio.

Transactio non est licita in materia beneficiali. p.607.n.51

Transgressor.

Transgressores, in foro conscientiæ ante iudicis sententiam latam ad quid obligantur. p.20. n.3

Transitus.

Vt transitus valide fiat de vna religione ad aliam quid requiritur. pap. 206. num. 19. & 20

Tribunale.

In Tribunali conscientiæ Regis siue Principis supremus Iudex est eius Confessarius. p.436. n.27

Tributum.

Tributorum genera sunt quatuor. pag. 537. num. 2
Tributa Rex imponere potest pro defensione aut recuperatione vnius prouinciæ.p.540. num. 10
Trubutis, Ecclesisticos grauare, quando Princeps laicus non potest. p.541.n.12

Triticum.

De Tritico venali. p.277.num.61

Tutrix.

De tutrice quadam casus resoluitur. p. 277. num. 60

V.

Vendens.

VEndens rem plusquam valeat qui solutionem differt peccat. p.288.n.22

Vendibilis.

Vendibile illud est, quod non est spirituale. p. 23.num.8.

Venditio.

Venditio vt fiat licitè quæ requiruntur conditiones. p.417.n.9
Venditionis officiorum, consuetudo aliquorum regnorum. p.419.n.12
Venditiones rerum Ecclesiasticarum sine consensu Innocentius III. damnat. pag. 532. num.6
Venditio Christi facta à Iuda sacrilega fuit, non Simoniaca. p.557.n.13
Venditio aut emptio rerum spiritualium primi

generis est contra ius diuinum positiuum & naturale. p.568.n.13

Verbum.

Verbum *debet* quid significat. p.17.n.7
Verbum *Tradendi* quid significat. pag. 16. num. 4
Verba legis tantum valent quantum sonant. p. 42.n.9

Vexatio.

An vexationis redimendæ titulo, liceat pro Sacramentis pecuniam offerre. p. 58.n.3. & p.582.n.7
Vexationibus Dæmoniacis diuersis diuersa media sunt adhibenda. p.172.n.21

Vicarius.

Vicarius à Capitulo constituendus qualis esse debeat. p.123.n.31
Vicarius quomodo regulariter intelligitur. p.123.n.32
Vicarius potest generales censuras discernere & causas matrimoniales examinare. p.123. num.33
Vicarius parochi an ex authoritate officij prædicare possit. p.243.n.5
Vicarius mortuo prouinciali potestne dare assignationes fratrum. p.267.n.22

Vinculum.

Vinculum professionis & matrimonij consummati in quo consistat. p.36.n.9
Vinculi professionis & vinculi matrimonij vis. p.223.n.7

Virginitas.

Virginitas de Dæmone cur triumphar. p.184. n. 67

Virtus.

Virtus ac dignitas Christi est infinita quoad sufficientiam ad satisfaciendum pro omni pœna. p.85.n.6
Virtutes facere, prophetare, & Dæmonia eiicere, non semper est eius meriti qui operatur. p.148.n.18
Virtus patrandi miracula quando confertur à Deo, in ordine ad fidei prædicatæ contestationem seu confirmationem, potest etiam in malis reperiri. p.148.n.23

Visio.

Visionis causa triplex. p.158.n.62
Visio fœminei sexus propter tria, suspecta est. p.151.n.31

Vitium.

Vitia non regi sed ministris sunt imputanda, quomodo intelligendum. p.53.n.44

Voluntas.

Voluntates duæ admittuntur in Christo. p.463. num. 9
Voluntates vltimas subditorum quinam mutare possunt. p.213.n.44

Votum.

Votum simplex non minus obligat apud Deum quam solemne. p.95.n.16
Votum continentiæ in qua Ecclesia ordinibus sacris non est nec fuit annexum. p. 96. num. 18
Vota duo quæ habent impedire matrimonium contrahendum ac dirimere contractum. p.96.n.20
Voti solemnitas in quo consistit. p.96.n.21
Vota Deo facta tribus modis tolli possunt. p.319.n.4
Vota duobus modis irritari possunt.
Vota filij sub potestate Tutoris constituti, differunt quadrupliciter. p.509.n.4
Vota alicuius impuberis irritari possunt à patre Tutore & Domino. p.509.n.5
De Votorum à mulieribus emissorum materiâ, p.509.n.6.& seq.
Vota quæ emisit puella ante annos pubertatis, maritus irritare potest, exceptis votis religionis & castitatis. pag.510. n.10. & p.511. num. 11
Votum de nubendo, an verum votum sit & obligans. p.518.n.4.& p.519.n.6
Voto simplici ad altiorem religionem adstrictus, profitendo laxiorem peccat, non tamen ad prioris voti adimpletionem tenetur. p.35. num. 7
Voti adimpletionis obligatio. p.36.n.8
Voti simplicis matrimonium consummatum vim impedit. p.36.n.10
Ad vota irritandum quid requiratur. p.37. num. 11
Votum solemne continentiæ dupliciter fieri potest, expressè scilicet & tacitè. pag. 63. num. 6
Vota duo in Ecclesia solemnizantur. p. 93. num.7
Votum Religiosorum Societatis Iesv. p.93. num. 9
Votum per professionem solemnizatur. p.93. num. 10
Voti continentiæ commutatio, in castitatem coniugalem non mutat regulæ substantiam. p.25.n.13
Voti solemnitas sola Ecclesiæ constitutione est inuenta. p.25.n.16
Votum, quandonam sufficienter adimpleatur. p.34.n.1
Vota sunt duplicia. p.34.n.4
In votis Summo Pontifici reseruatis, Prælati inferiores dispensationem facere non possunt. p.35.n.6
Voti commutatio in rem minus perfectam illicita est & inualida. p.201.n.6
Votum impediens matrimonium contrahere & contractum dirimens. p.221.n.70
Vota solemnia non debent impedire opera iustitiæ. p.222.n.4
De Voto religionem strictiorem ingrediendi. p.264. n.9
De voto determinatam religionem ingrediendi. pag.264.num.10
Votum professorum quomodo essentialiter solemne. pag.97.num.22
Votum professionis & votum Ordini Sacro annexum specie essentiali differunt. p. 98. num. 24
Votis pluribus simplicibus aut solemnibus de eadem materia adstrictus, ad quid tenetur. pag.99.num.26
Votum & iuramentum quomodo obligant. pag.99.num.27
Votum Ordini Sacro annexum à Papa dispensari potest. pag.99.n.28
Voti solemnis continentiæ, dispensatio valida. pag.100.num.31

Votum castitatis emissum in Sacri Ordinis susceptione, quam obligationem pariat. p.101. num. 34
Votum solemne religionis tria includit. p.103. num.42
Vota solemnia continentiæ religiosi sunt indispensabilia. p.103.n.43
Votum solemne paupertatis tale est quale votum castitatis quoad professionem. p.103. n. 45
De voto paupertatis, quid Diuus Thomas. p.105.n.53
Votorum natura qualis. p.107.n.60
Vota triplici causa dispensantur. p.109.n.63
Voti obligatio pendet ex præcepto iuris diuini & humani. p.110.n.69
Voti cessatio, interpretatio, commutatio & dispensatio quando contingit. p.110.n.70
Voti lex non potest dispensari quin relaxetur ius diuinum & naturale. p.111.n.71
Voto simplici castitatis adstrictus & sine causa legitima dispensatus in matrimonio non potest debitum petere. p.112.n.77

Vnio.

Vnionis & concordiæ quis est author. p.153. num. 41

Vsura.

Per vsuram bona extorta non solùm personali, sed & reali obligatione obnoxia. p.307. num. 9
Vsurarum dominium in vsurarium transferri falsum est. p.308.n.10
De vsuraria re ad extraneum non hæredem transeunte. p.308.n.11
An vsura sit in vendendo carius, quod emptum est vilius. p.288.n.20.& 21
Vsuræ peccatum, in quo committitur. p.283. num. 4
Ab vsura quomodo mutuans liberari potest. p.283.n.7
Sine vsura aliquid in tribus casibus peti potest. p.283.n.8
Vsura & Fœnus sunt Synonima. pag. 294. num.5

Vsurarius.

Vsurarij bona neutiquam sunt tacitè hypothecata pro soluendis vsuris. p.306.n.6
Vsurarius aliquid extra sortem recipiens à debitore an legitimè puniatur. pag.282. n. 1.2. & 3
Vsurarius estne dicendus qui anticipando emit merces minori pretio quàm deinceps valituræ sint. p.287.n.17
Vsurarius reditus idem est quod vsura. p.293. num.4
Si vsurarij sint plures hæredes, ad quid tenentur. p.308.n.12

Vsus.

Vsus omnis à Pastoribus & Doctoribus Ecclesiæ introductus, est probandus. pag. 29. num.24
Vsus & praxis Ecclesiæ in decidendis reuelationibus. p.147.n.15

Vtilitas.

Vtilitas thesauri regij in bonum totius regni debet redundare. p.76.n.5

Vxor.

Ad vxoris consanguineam, talem non cognitam, accedens, impedimentum affinitatis non incurrit. p.152.n.12

FINIS.



Ladrillos f. 23 = 4ª Xiruguana Cria allo
Lagrimbo que murio dho el otorgante a cuchillo
9/bre la noche f 34 = 39 = a dho Comte
Ydho pago y que murio dha Vaca entre las
Una y dos de la mañana

4 fa que todo el ganado y
de Arueta y Zarauza a
go como bienes Libres y pro

Fo Ladrillos f. 23 = 28 34 y otros.

Lo dicho Ladrillos = Y que dho otorgante dho dha escritª
murio n.s. a cuchillo 9/bre de la noche este dho
Sebastian de Arcaute Cirujano y que en Instrumental Nicolas
Venta

Los Ladrillos publicos y
f 56 81 = 89 = 102 = 1

29ª Fo Ladrillo instrumental que n.s murio dho D. Nicolas
entre la Una y dos de la mañana

Fo Hoyos publicos f 49 y 44.

y que los poseedores de los n

BIBLIOTECA
2.046